image
not
available

R.ª BIBLIOTECA UNIVERSITARIA DI TORINO
L
II L 90.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CONCILIA GERMANIÆ,

QUORUM COLLECTIONEM

CELSISSIMI PRINCIPIS

JOANNIS MAURITII,

GLOR.MÆ MEM. ARCHI-EPISCOPI PRAGENSIS

SUMPTU,

CL. JOANN. FRIDERICUS SCHANNAT

PRIMUM COEPIT,

P. JOSEPHUS HARTZHEIM Soc. JESU P.M.

CONTINUAVIT, ET PRELO DEDIT.

TOMUS VIII.

EJUSDEM CELSISSIMI PRINCIPIS MUNIFICENTIA

EX HARTZHEMIANIS COLLECTIS

EDITUS, AUCTUS, ET NOTIS ILLUSTRATUS

A P. HERMANNO SCHOLL EJUSDEM SOCIETATIS.

COMPLECTITUR CONCILIA

AB

ANNO MDLXXXIX. AD MDCX.

BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

COLONIÆ AUGUSTÆ AGRIPPINENSIUM,

TYPO VIDUÆ JOAN. WILHELMI KRAKAMP, ET HÆREDUM CHRISTIANI SIMONIS, Bibliopolarum.

ANNO MDCCLXIX.

CUM PERMISSU SUPERIORUM.

Digitized by Google

Digitized by Google

PERPETUÆ. GRATISSIMÆQUE.
MEMORIÆ.

REVERENDISSIMI. ET. CELSISSIMI.
DOMINI. DOMINI.

JOANNIS. MAURITII. GUSTAVI.

DEI. GRATIA. ARCHI-EPISCOPI. PRAGENSIS.
SEDIS. APOSTOLICÆ. LEGATI. NATI.
S. ROMANI. IMPERII. PRINCIPIS.
COMITIS. DE. MANDERSCHEID-BLANCKENHEIM.
ET. GEROLDSTEIN.
LIBERI. BARONIS. IN. JUNCKERATH.
DOMINI. IN. BETTINGEN. DAUN. ET. ERP.
UTRIUSQUE. SACRÆ. CÆSAREÆ. NEC. NON. GERMANIÆ.
HUNGARIÆ. ET. BOHEMIÆ. REGIÆ. MAJESTATIS.
CONSILIARII. INTIMI. ACTUALIS.
INCLYTI. REGNI. BOHEMIÆ. PRIMATIS.
ECCLESIARUM. METROPOLITANÆ. COLONIENSIS. ET. CATHEDRALIS.
ARGENTINENSIS. RESPECTIVE.
PRÆPOSITI. SENIORIS. ac. THESAURARII.
ILLUSTRIS. ECCLESIÆ. COLLEGIATÆ. AD. S. GEREONEM.
PARITER. PRÆPOSITI.
NEC. NON. UNIVERSITATUM. COLONIENSIS. ET. CAROLO-FERDINANDEÆ. PRAGENSIS.
CANCELLARII. PERPETUI. ET. PROTECTORIS. &c. &c.

OPERIS. HUJUS. PRIMI. AUTHORIS. ET. MUNIFICENTISSIMI. ETIAM. POST. FATA.
MÆCENATIS.
TOMUM. HUNC. OCTAVUM.
D. D. C.

Hermannus Scholl S. J.

Digitized by Google

Digitized by Google

REVERENDI PATRIS HERMANNI SCHOLL

E SOCIETATE JESU SACERDOTIS,

Qui Tomos Conciliorum Germaniæ VItum, VIImum, & VIIIvum

EX HARTZHEMIANIS COLLECTIS

edidit, auxit, & Notis illuſtravit,

BREVE ELOGIUM.

QUa P. *Joſephus Hartzheim* ſex abhinc annis occubuit, eadem extinctus fati ratione videtur P. *Hermannus Scholl.* Ille poſt Tomi CC. Vti; hic poſt VIIIvi hujus partem fere dimidiam typis excuſam: tactus apoplexia ille; hic defectione virium, natoque inde lethargo obrutus: tridui ſpatio abſumptus uterque & calamum & vitam poſuit. Cœperat pridie Calendas Majas habere pejuſcule P. Hermannus, brevique trium duntaxat dierum intervallo noſocomium tenuit, cum, mediis fruſtra adhibitis, ſacrisque, ingraveſcente malo, Sacramentis munitus, ipſa, quæ ab Inventione Ss. Crucis nuncupatur, feſta luce ſub horam IV. matutinam placidiſſime in Domino exſpiravit Vir, ſive ſolidam requiras virtutem, ſive vaſtam ſcientiam, inſigni conjunctam cum prudentia, ſolertia, diligentiaque ſpectes, ſane egregius.

Primis illum cunis Confluentia anno MDCCVI. exceperat. A parentibus, Adamo Andrea patre, matre Anna Sophia Hirſch, ad omnem morum honeſtatem a teneris compoſitus, atque ad ſanctum Dei timorem & amorem gnaviter formatus, teneram adeo conſcientiam induit, ut in omni deinceps vita a leviori-bus etiam piaculis quam qui maxime abhorreret. His acceſſere pia ac ſolertia Moderatorum ſubſidia, quibus adoleſcentem in natalis Urbis Gymnade diſciplinæ ſuæ commiſſum ita inſtituerunt, ut non amœnioribus ſolum Muſis ac Philoſophicis Studiis darent quam optime imbutum; verum etiam, quod rei caput eſt, ad majores indidem in via virtutis & ſolidæ pietatis progreſſus ſedulo pro parte ſua proveherent. In utroque autem genere ita excelluit, ut habitus fuerit longe digniſſimus, qui noſtram in Societatem, quam ſummis antea votis expetierat, ingenti ſuo ſolatio cooptaretur.

Tironem eum ſe præſtitit, qui cum cæteris de pietatis, legumque noſtrarum obſervantiæ non minus, quam de politioris ac Philoſophicæ ſcientiæ, dum pro more literarum ſtudia repetebat, Laurea concertavit. Juventuti Trevericæ Præceptor datus, integro eam ſexennio ad omnem humanitatem & eruditionem tam probe excoluit, ut, quod proprium docentibus nobis officium eſſe noverat, ad amuſſim explendum ratus, una cum literis pietatem, timorem Numinis, virtutisque cultum tenellis animis perquam ſolicite inſtillaret.

Sacratioribus exinde ſcientiis ſe adplicare juſſus, nova indies præſtantis ingenii & profectus ſpecimina dabat: quibus commoti Superiores ad varia ipſum Societatis munia, emiſſa quatuor votorum profeſſione, deſtinarunt. Multis Oratorem Academicum annis Trevirorum in palæſtra egit; multis in Ubiorum. Ibi ſtrenuam in promovendis ad prelum ſex Tomis *Hunoldianis* operam collocavit, additis, quæ poſtremo in Tomo deſiderabantur, varii argumenti dictionibus; in quibus tam quidem dextere ſtilum operi attemperavit reliquo, ut ab Hunoldio ipſo alium non ſpirarent, operoſumque eſſet, Schollii lucubrationes a niſu celeberrimi in Germania noſtra Authoris & calamo ſecernere.

nere. Hic Coloniæ ad ſermones Academicos provinciam Ignatianæ Aſceſeos tum triduo, quod ferias Paſchales, ad Gymnaſii Tricoronati Alumnos; tum, quod Pentecoſten antecedit, octiduo ad Dominos utriusque fori literatos obeundæ ſat difficilem longa annorum ſerie adjunxit, Mariani etiam Sodalitii majoris Præſes: quam avide ſemper ubivis, tam quoque, uti vix dubitare licet, auditus utiliter; quippe qui ſermonis Latini, quo cultiſſimo, ornatiſſimoque utebatur, elegantia facile alliceret omnes, & rationum e Sacris Paginis, ac Ss. Patrum monumentis conquiſitarum pondere ſuperaret. Mirandum profecto fuit, hominem gracili corpuſculo, quotidianis & illis peracutis capitis doloribus, ſomnum non raro impedientibus, cruciatum in tam diverſa intendere animum potuiſſe, quin ſuccumberet. Mirandum id ipſum magis, quod nervos adhiberet omnes, ubi vel de ſua vel de proximi ſalute rem agi cognoſceret. Avulſum a ſemetipſo dixiſſes, cum meditationi matutinæ de genibus vacabat, aut Chriſtum adorabat Euchariſticum. Fuit, qui reducis aliquando ex aula Gymnaſii, ubi de inferni cruciatibus diſſeruerat, inflammatam ſacris ignibus faciem, genasque multa lacryma perfuſas obſervaret.

Scientiarum genus propemodum omne in Patre Hermanno non ita reſplenduit, quam, volente temperantia, & exiliter de ſe ac parce exiſtimandi ſobrietate, latuit. Ut de Hiſtorice, Grammatica, Poëſi, Rhetorica, Philoſophia, Theologia Dogmatica æque ac Morali nihil dicam, erat in Geographia, Chronologia, Hiſtoria Eccleſiaſtica & Diplomatica apprime verſatus. Norunt duntaxat ii, qui lucis in dubiis ſuis, ſubſidiive petendi cauſa ipſum adibant, vel promentem modeſte ſuam de libris, quorum ſingularem prorſus notitiam ſibi paraverat, criſin auſcultabant. Unica illa, quam pro Digreſſione ad Sæculum XV. ſub finem Tomi Vti adnexuit, de S. R. E. Conciliis Diſſertatio, quantus Theologus, quantus Hiſtoricus fuerit, Orbi erudito pandit.

Prudentiam, ſine qua vaſtæ licet ſcientiæ parum aut nihil habuerunt unquam apud æquos rerum æſtimatores ponderis, ſuſpiciebant in illo & Exteri & Domeſtici. Hos, Miniſtri fungens munere, mira pietate, ſuavitate, cura ac ſolicitudine ſive valentes, ſive ægros juvabat: illos doctiſſimo literarum commercio, & delatis, ubicunque erat opus, præſtitisque obſequiis ſibi reddebat addictiſſimos. Miſit epiſtolas humanitatis pleniſſimas in Bohemiam, Poloniam, Saxoniam, Belgium, Trevirenſem in patriam ac Leodienſem, aliasque per Orbis plagas, ut, qui Collectioni Conciliorum auxiliatricem porrigerent manum, e DD. etiam Proteſtantibus viros animaret. Nil loquebatur, niſi quod tacitus ante ſecum, quam ad linguam deferretur, ad limam revocaſſet. Moderate agebat ipſe & convenienter fini omnia: ſi quid ſecus fieri in alio fors notaret; vel diſſimulabat prudentum ex more, vel amice adeo comiterque cenſebat, ut aſper aut moleſtus nullo modo videretur, blandus erga omnes, erga Sacerdotes reverentiſſimus.

Porro quam fuerit laborum amans & tenax, inde conjicias, quod præter editum Treviris elegantem de animæ pretio libellum, relictamque hic Coloniæ opulentam Orationum, Meditationum, & Conſiderationum latinarum ſupellectilem typo digniſſimam, tribus omnino Tomis Conciliorum Collectionem auxit, illuſtravitque. Audivi eundem ſupremo ante mortem triduo de eodem Collectionis opere mecum agentem, ſibique ſpem, fine iſtud optato coronandi facientem: ita ut laboribus, curisque immortuus merito videatur. Rapuit hunc nobis virum mors V. Non. Maj. anno ætatis LXIII., Æræ Chriſtianæ MDCCLXVIII. ſed deſiderium Viri tam docti, tam prudentis, tam induſtrii nobis, mihi inprimis ejus Succeſſori nunquam rapiet.

FA-

Digitized by Google

FACULTAS Rev. P. PROVINCIALIS

CUM PRIVILEGIO CÆSAREO.

CUm Vidua Joannis Wilhelmi Krakamp, & Hæredes Christiani Simonis, Bibliopolæ Colonienſes, typis vulgare deſiderent Tomum Octavum *CONCILIORUM GERMANIÆ, ex Hartzheimianis Collectis a P. Hermanno Scholl, Soc. noſtræ Sacerdote, editum, auctum, & Notis illuſtratum;* Ego infra ſcriptus, ejusdem Societatis in Provincia Rheni Inferioris Præpoſitus Provincialis, poteſtate ad id mihi facta ab Adm. R. P. N. LAURENTIO RICCI, Univerſæ Societatis JESU Præpoſito Generali, iisdem ad primam hanc duntaxat prædicti Tomi editionem facultatem impertio; ſimulque communico Jus Privilegii Cæſarei, quo Bibliopolis ac Typographis interdicitur, ne quis Librum ullum a Societatis noſtræ Patribus conſcriptum, citra conſenſum Superiorum recudere, aut alibi recuſum, intra fines S. R. Imperii inferre præſumat. In cujus rei fidem has iis manu propria ſubſcriptas, ac conſueto officii mei Sigillo munitas, dedi. Coloniæ 22. Martii 1769.

L. S.

Hieronymus de Wymar, Soc. Jesu
ad Rhenum Inferiorem p. t.
Præpoſitus Provincialis m.pp.

DI-

DIGRESSIO AD SÆCULUM XVI.

CAPUT I. De Secta Huſſitarum. *Pag.* XV

§. I. Origo Sectæ. *ibid.*
§. II. Huſſi, Huſſitarumque errores. *ibid.*
§. III. Huſſi, & Hieronymi Pragenſis damnatio. *ibid.*

CAPUT II. De Lutheraniſmo. XVI

§. I. Lutheri ortus, ingenium, mores. *ibid.*
§. II. Initia Lutheraniſmi. XVII
§. III. Lutheri dogmata. *ibid.*
§. IV. Lutheri progenerantis tale ſyſtema, ac nutrientis ſcopus. *ibid.*
§. V. Sectatores Lutheri præcipui. XVIII
§. VI. Comitia, in cauſa Lutheri & ejus Sectatorum ab anno 1521. ad 1546. celebrata. XXI
§. VII. Diſcuſſa & pertractata in cauſa Religionis poſt Lutheri obitum ad finem Sæculi XVI. XXXI

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS
TOMI VIII.
CONCILIORUM GERMANIÆ ET EPISTOLARUM &c. AD CONCILIA PERTINENTIUM.

SÆCULO XVI.
AB ANNO MDLXXXIX. AD ANNUM MDCX.
SÆCULO XVII.

Annus Christi		*Pagina*
1570.	SYnodus ATREBATENSIS, ſub FRANCISCO RICHARDOTO, Epiſcopo Atrebatenſi.	
	Statuta Synodalia Diœceſis Atrebatenſis.	225
	Statuta Prædeceſſorum	*ibid.*
	Appendix variarum Synodorum Atrebatenſium.	241
1570.	Synodus LEOVARDIENSIS, ſub CUNERO PETRI A BROUWERSHAVEN, Leovardienſis Diœceſis I. Epiſcopo.	307
	Statuta primæ Synodi Leovardienſis.	314
	Præfatio.	*ibid.*
1571.	BISUNTINA Synodus PROVINCIALIS, ſub CLAUDIO A BAUMA, Biſuntino Archi-Epiſcopo.	
	Catechiſmus, qui pro Indice ſervire poterit Statutorum Biſuntinæ Synodi.	1
	Statuta Synodalia Biſuntinæ Diœceſis.	6
	Monitum Editoris, ne nimium Inſtitutionibus, quæ Synodalibus his Statutis adjectæ ſunt, tribuatur.	9
1585.	Synodus COLONIENSIS, ſub ERNESTO, DUCE BAVARIÆ, Archi-Epiſcopo Colonienſi, Epiſcopo Leodienſi, Friſingenſi & Hildeſienſi, Præſidente JOANNE FRANCISCO BONHOMIO, Epiſcopo & Comite Vercellenſi, cum poteſtate Legati a latere.	95
	Literæ GREGORII XIII. Papæ ad Revmum JOANNEM FRANCISC. Epiſc. Vercellenſem, Nuntium Apoſtolicum.	498
	Articuli Gravaminum.	*ibid.*
	Oratio ad finem Synodi habenda.	508
1591.	Synodus Diœceſana OLOMUCENSIS, ſub STANISLAO PAWLOWSKY, Epiſcopo Olomucenſi.	515
	Literæ Indictionis & Convocationis Synodi.	320
	Allocutio Reverendiſſimi ad Clerum.	*ibid.*
	Oratio habita de laudibus Conc. Trid. ab A. R. Domino *Melchiore Pirneſio* (a Pirn,) Art. & Phil. Doct. Eccleſ. Olom. Dec.	322
	Oratio Seſſ. 2. die XIII. Nov. habita a P. *Leonardo Rubeno*, Soc. JESU Theologo, & Seminarii Olomuc. Regente, de officio Paſtoris & dignitate Sacerdotali.	324
		332

Digitized by Google

Annus Christi		*Pagina*
	Oratio Seſſ. 3. die XIV. Nov. habita de diſciplina Eccleſiaſtica a R. D. *Theodoro Engels* LL. Licentiato, Archi-Diacono, & Curiæ Epiſc. Olomuc. Officiali.	346
	Peroratio Illuſtriſſimi Principis.	359
	Mentio Synodi Diœceſanæ Olomucenſis, Anno Chriſti MDLXVIII. celebratæ ſub Revmo GUILIELMO PRUSSINOUSKY de WICZKOVA, Olom. Eccleſiæ Epiſcopo.	362
1592.	Synodus Diœceſana WRATISLAVIENSIS, Præſidente Illmo & Revmo Principe ac Domino, D. ANDREA JERINO, Epiſcopo Wratislavienſi, Coronæ Regni Bohemiæ Principe Ligio, Superioris & Inferioris Sileſiæ Capitaneo Supremo, Wratislaviæ celebrata.	367
	Præfatio, primæ Synodi hujus editioni præmiſſa.	*ibid.*
	Epiſtola Illmi Cardinalis MATTHÆII ad Revmum D. Epiſcopum Wratislavienſem de Synodi approbatione.	368
	Ordo & proceſſus Synodi.	369
	Ejus Conſtitutiones.	378
1593.	Synodus TRIDENTINA Diœceſana, ſub LUDOVICO MADRUCIO, S. R. E. Cardinali Presbytero, & Epiſcopo Tridentino.	402
	Illmi & Revmi Cardinalis declaratio circa normam conſtituendi cenſus, ſive affictus.	440
	Forma conſtituendi Cenſus in Epiſcopatu Tridentino.	442
	Gravamina propoſita per Mag. D. D. Conſs. Civitatis adverſus novam formam conſtituendi Cenſus.	447
	Decreta, ſive Reſponſiones ad ſingula Capita Gravaminum propoſitorum per Mag. DD. Conſs.	452
	Conſtitutio nova ſuper diſſolutione Cenſus.	456
	Contractus ad Caput Salvum.	457
1598.	Synodus VIRDUNENSIS, celebrata per ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM PRINCIPEM, ERRICUM A LOTHARINGIA, Epiſcopum, & Comitem Virdunenſem. (*Digna lectu, quam Editor ſubjunxit, de Errico & Carolo, Nepote Errici ac Succeſſore Notatio.*)	458
1598.	Synodus Diœceſana COLONIENSIS, ſub ERNESTO, BAVARIÆ DUCE, Archi-Epiſcopo.	517
	NOTATIO EDITORIS de cauſa intermiſſarum Coloniæ ab anno 1551. *uſque ad annum* 1598. *Synodorum.*	522
1600.	Synodus TORNACENSIS, ſub MICHAELE DESNE, Tornacenſi Epiſcopo.	474
	Statuta hujus Synodi Diœceſanæ.	*ibid.*

* * *

SÆCULO XVII.

1603.	Synodus BRIXINENSIS, ſub CHRISTOPHORO ANDREA DE SPAUR, Brixinenſi Epiſcopo.	537
	Literæ CLEMENTIS VIII. PP. ad CHRISTOPHORUM ANDREAM, Epiſcopum & Clerum Brixinenſem.	*ibid.*
	Ejus Synodi Conſtitutiones.	539
1604.	Synodus Diœceſana CAMERACENSIS, per Illmum & Revmum Dominum D. GUILIELMUM DE BERGES, Archi-Epiſcopum & Ducem Cameracenſem, S. R. I. Principem celebrata.	582
	Oratio habita ab Illmo & Revmo Domino D. ARCHI-EPISCOPO, in apertione Synodi.	*ibid.*
	Ejus Synodi Decreta.	588

Digitized by Google

Annus Christi — *Pagina*

1604. Synodus NAMURCENSIS, celebrata Præsidente Revmo in Christo Patre & Domino, D. Francisco Buisseret, Episcopo Namurcensi. 602
Oratio, ab eodem Reverendissimo prima die habita. 603
Decreta Synodi Namurcensis Diœcesanæ. 608

1605. Decreta & Constitutiones Synodales Joannis V. Flugii ab Aspermont, Curiensis Episcopi, pro Vicariis foraneis, Decanis, Camerariis, aliisque Sacerdotibus. 635

1605. Synodus Diœcesana CULMENSIS, sub Laurentio Gembicki, Culmensi & Pomesaniæ Episcopo. 655
Literæ Indictionis Synodi. *ibid.*
Sermo Reverendissimi Domini Episcopi. 656
Constitutiones, in Synodo communi omnium sententia comprobatæ. 659

1605. Synodus Archi-Diœcesana PRAGENSIS, habita ab Illmo & Rmo Domino, D. Sbigneo Berka, Pragensi Archi-Episcopo, Principe, Legato Nato &c. 670
* Literæ CLEMENTIS VIII. Papæ ad Sbigneum, Archi-Episcopum Pragensem. *ibid.*
Statuta hujus Synodi Archi-Diœcesanæ Pragensis. 673

1607. Statutum Synodale Ernesti, Archi-Episcopi Colonienſis, de Investitione & Professione utriusque sexus Regularium, anno 1605. editum, 1607. confirmatum. 764

1607. MECHLINIENSIS Synodus Provincialis, Præsidente Revmo & Illmo in Christo Patre ac Domino, D. Matthia Hovio, Archi-Episcopo Mechlinienſi, præsentibusque omnibus Episcopis Comprovincialibus habita. 767
Convocatio Concilii Provincialis Mechlinienſis. *ibid.*
Oratio exhortatoria, habita per Revmum & Illmum D. Archi-Episcopum Mechlinienſem, ad universum Clerum in Concilio Provinciali jam congregatum. 769
Decreta & Statuta Synodi. 774
Testimonium Illmi & Revmi D. Cardinalis Pamphilii super facta recognitione Concilii Provincialis Mechlinienſis ab Illmis & Rmis DD. DD. Cardinalibus, Interpretibus Sacri Concilii Tridentini. 797
Breve Ss. D. N. PAULI Pp. V. super Confirmatione Concilii Provincialis Mechlinienſis. *ibid.*
Aliud Testimonium examinati Concilii, ab Illmo & Rmo Domino, D. Cardinali Pamphilio, directum Rmo & Illmo Domino Archi-Episcopo Mechlinienſi. *ibid.*
Secundæ Literæ prænominati Illmi Cardinalis ad dictum Rmum Archi-Episcopum. 798

1609. Synodus Diœcesana YPRENSIS, sub Carolo Masio, Yprensi Episcopo. 799
Constitutiones & Articuli Synodi hujus Diœcesanæ. 800

1609. Synodus CONSTANTIENSIS Diœcesana, sub Jacobo Fuggero, Episcopo Constantiensi. 822
Bulla PAULI V. Papæ, in pio ac laudabili (*Synodum celebrandi*) proposito Rmum Episcopum confirmans. 823
Literæ Indictionis seu Convocationis Synodi. *ibid.*
Acta primi diei Synodi. 825
Oratio P. *Jacobi Maier*, Soc. Jesu Theologi, ad Rmum Dominum Præsulem, totius Synodi Proceres, ac Clerum. 828

Digitized by Google

Annus Christi		*Pagina*
	Acta secundi diei.	833
	Acta tertii diei.	835
	Acta quartæ & quintæ diei. Item sextæ.	836
	Oratio Rdi & Clmi Domini *Leonardi Hamerer*, Ss. Theologiæ Doct. Parochi & Canonici Colleg. Ecclesiæ S. Stephani.	837
	Catalogus Prælatorum, Collegiorum, Decanatuum &c.	841
	Constitutiones & Decreta ejusdem Synodi Constantiensis, anno sequente publicata.	848
	Constitutionum Synodalium Pars I.	850
	Pars II. harum Constitutionum.	890
	Pars III. illarum.	918
	Earundem Pars IV.	928
	Forma vulgaris & germanica Decretorum Matrimonialium, in Diœcesana Synodo Constantiensi editorum, atque ab omnibus Parochis & Curatis bis in anno ex Cancellis publicandorum.	939
1610.	Synodus Diœcesana METENSIS I. ab ANNA DESCARS, S. R. E. Presbyt. Cardinali, & Episcopo Metensi celebrata.	947
	Statuta hujus Synodi Diœcesi. Metensis I.	949
1610.	Synodus ANTVERPIENSIS Diœcesana, sub JOANNE MIRÆO, Antverpiensi Episcopo.	977
	Oratio ejusdem Episcopi.	978
	Decreta hujus Synodi Diœcesanæ Antverpiensis.	983

FINIS INDICIS CHRONOLOGICI.

INDEX

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS
CONCILIORUM GERMANIÆ
SÆCULI XVI.
AB ANNO CHRISTI MDLXXXIX. AD MDC.

ET

SÆCULI XVII.
AB ANNO CHRISTI MDC. AD MDCX.

A.

Antverpienſe Diœc. A. MDCX. - pag. 977
Atrebatenſe - - MDLXX. - 225

B.

Biſuntinum Provinciale - MDLXXI. - 1
Brixinenſe - - MDCIII. - 537

C.

Cameracenſe Diœceſanum - MDCIV. - 582
Colonienſe Diœc. MDXCVIII. - 517
Conſtantienſe Diœc. - - MDCIX. - - 822
Culmenſe Diœc. MDCV. - - 655
Curienſe - - MDCV. - - 635

L.

Leodienſe - - MDLXXXV. - 498
Leovardienſe - MDLXX. - - 314

M.

Mechlinienſe Provinc. A. MDCVII. - 767
Metenſe Diœc. - MDCX. - - 947

N.

Namurcenſe - MDCIV. pag. 602

O.

Olomucenſe Diœc. MDXCI. - - 320

P.

Pragenſe Archi-Diœc. - - MDCV. - - 670

T.

Tornacenſe - - MDC. - - 474
Tridentinum Diœc. - - MDXCIII. - 402

V.

Virdunenſe - - MDXCVIII. - 458

Y.

Yprenſe Diœc. - MDCIX. - - 799

W.

Wratislavienſe Diœc. - - MDXCII. - 367

Synodus Atrebatenſis, de qua facta eſt ſub initium Tomi præced. pag. VII. mentio, a Matthæo Moulartio A. 1584. celebrata, hucusque deſideratur. Neque aliarum aliquot ex Sæculo XVII. Synodorum copia mihi fuit; quemadmodum notavi. Quod ſi nomine illas ſuo hic rurſus nuncupem, futurum ſpero, ut Viri eruditi, quorum non paucos etiam nunc favere gratus experior, ad novum in iis mecum conquirendis ſtudium ſe peramice invitatos & ſentiant & gaudeant. Sunt vero duæ ejusdem anni 1609. altera Petri Damantii, Gandavenſis Epiſcopi; altera Diœceſana Matthiæ Hovii, Archi-Epiſcopi Mechlinienſis (v. pag. 796.). *Tertia eſt, quam Carolus a Lotharingia, S. R. E. Cardinalis habuiſſe, in penultima hujus Tomi Synodo Metenſi notatur* pag. 947. *Dabo eas, ut primum ad me pervenerint.*

Digitized by Google

CATALOGUS ROMANORUM PONTIFICUM

AB ANNO CHRISTI MDLXXXIX. AD ANNUM MDCX.

SÆCULO XVII.

Nomen & Natio.	*Ordo Succeſſionis a S. Petro.*	*Adit Pontificatum.*	*Sedit in Cathedra S. Petri.*	*Obiit.*
Urbanus VII. *antea Joan. Bapt. Caſtaneus, Romanus.* (*)	CCXXX.	Anno Chriſti MDXC. XVII. Kal. Octobr.	Dies XIII.	Anno Chriſti MDXC. V. Kal. Octobris.

Pontifex, a quo optima quævis, ſi per ætatem ac valetudinem vivere diutius licuiſſet, ſperabant boni omnes. (a) *Maximus ſane, dum jamjam erat occubiturus. Diem enimvero, quem ſupremum ſibi inſtare advertebat, adeo non timuit, ut inſolita etiam animi vere Chriſtiani fortitudine eumdem exciperet; diemque ſalutis cognominaret; in quo, miſſis cæteris, curæ ſibi omnes defigendæ eſſent. Legavit, quidquid bonorum poſſidebat (triginta aureorum millia) Sodalitati B. M. V. Annuntiatæ, in calamitoſarum Virginum dotes conferendum.* (b)

Gregorius XIV. *antea Nicolaus Sfondratus, Mediolanenſis.*	CCXXXI.	Anno Chriſti MDXC. Non. Decemb.	Menſes X, totidemque Dies.	Anno Chriſti MDXCI. Idib. Octob.

Paucorum menſium intervallo non pauca ſtatuit, fecitque memoratu digna.

(*) Cl. Chriſtian. Wilh. Franc. Walchius Theol. Doct. & Prof. Ord. Götting. in libro germanice edito, ſub Titulo: *Idea completæ Hiſtoriæ Romanorum Pontificum*, Genuenſem vocat.

(a) Spondan. *Annal. Eccleſ. ad h. a.*

(b) Natal. Alexand. *Hiſt. Eccl. Tom. VIII. pag.* 69. In defuncti Pontificis laudes ſic excurrit *Pompejus Ugonius*: " Jam aditum ad ſe omnibus, etiam infima de plebe hominibus aperuerat; jam ad ſubveniendum egentibus manum porrexerat; jam " virtuti, doctrinæ, honeſtisque laboribus præmia oſtentabat; jam ſeveritatem nimiam, aſperitatemque imperii cedere pietati & clementiæ juſſerat &c. Jam Religionem amplificare, Juſtitiam tueri, miſericordiam exaltare; verbo: cunctas " optimi Paſtoris ac Principis partes explere decreverat: cum ecce (ut abſtruſa " ſunt Divina mortalibus conſilia) mors inopina, hæc omnia conantem intercepit, " penitusque proſtravit.

Digitized by Google

Nomen & Natio.	Ordo Succeſſionis a S. Petro.	Adit Pontificatum.	Sedit in Cathedra S. Petri.	Obiit.

digna. Nobiliora ob oculos pono Conſtitutionem Pii V. de non alienandis Romanæ Eccleſiæ terris, aut fiducia earum accipienda renovavit; temperavit illam, quam Sixtus V. contra procurantes abortum ediderat. Societatis JESU Inſtitutum rurſus confirmavit, eique, ut, forma Sixtinæ non ſervata, tirones reciperet, permiſit. Urbem, annonæ difficultate laborantem, profuſa ſublevavit benevolentia, omnesque, quæ frequentes oppido tunc erant, de vita, morte, & futura electione Pontificis aut Cardinalibus creandis, ſponſiones damnavit ac prohibuit.

Quotidiana Cives Brunduſinos inter & Uritanos jurgia compoſiturus, novum bis Epiſcopum ſub Tarentino Metropolita, Philippo II. Hiſpaniarum Rege expoſcente, conceſſit, relicto illis veteri Archi-Epiſcopatus titulo.

In bellum, quod contra Fidei orthodoxæ hoſtes ſuſcepit, præter 40. aureorum millia ex ſuo ære collata, quinquies centena millia inſumpſiſſe fertur. (c) *Quæ contra Henricum IV. Galliæ Regem diplomata miſit, probata nullatenus fuere Præſulibus, ab Rege ſtantibus.* (d)

P. Camilli de Lellis, a Benedicto XIV. PP. faſtis Sanctorum poſtea adſcripti, religioſum cœtum, difficili infirmorum miniſterio conſecratum in Religionem erexit, ampliſſimisque favoribus cumulare non deſtitit.

Alvi fluxu & calculi doloribus confectus piiſſime obiit XV. Octobris, anno MDXCI. ætatis LVII., habita paulo ante ad Purpuratos Patres inſigni oratione, qua eos, ut optimum ſtatim a morte ſua digniſſimumque Pontificem eligerent, in Domino obteſtabatur Præſul caſtiſſimæ vitæ laude & Chriſtiana modeſtia ſpectatiſſimus.

Innocentius IX. *antea Joan. Anton. Fachinettus, Bononienſis.*	CCXXXII.	Anno Chriſti MDXCI. IV. Kal. Novemb.	Menſes II. vix integros.	Anno Chriſti MDXCI.

Altera mox Comitiorum die ſummo Patrum conſenſu electus, ſumma vir erat integritate, pari in omnibus fere Facultatibus eruditione, ætate inſuper & uſu doctus: (e) *quocum ad ſolium Pontificium evecto, quæ ſopita ac pene emortua jacebant literarum ſtudia revi-*

(c) Ciaconius *in vit. & geſt. Summ. Pontificum.* Georg. Joſ. ab Eggs *Pontificium doctum.*
(d) Fuſe de his Diplomatibus Nat. Alexander cit. ita narrationem ſuam claudens: "Hæc " ad Hiſtoriam GREGORII XIV. & actorum ab eo fulminum illuſtrandam ob" ſervare operæ pretium fuit.
(e) Sandinus *in vitis Pontif. Roman.*

Digitized by Google

Nomen & Natio.	Ordo Succeſſionis a S. Petro.	Adit Pontificatum.	Sedit in Cathedra S. Petri.	Obiit.

reviviſcere, uberrimosque fructus ad communem Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem producere viſa ſunt. Unde factum, ut, quidquid elucubrationum politarum in lucem prodiret, nomiſi eruditiſſimo huic Literatorum Mæcenati inſcriberetur.

Adito Pontificatu, de Ethnicis ad fidem Catholicam convertendis, de evellendis Sectarum erroribus, de Japonum Eccleſia ab immani Tyranno vindicanda, conſilia agitabat; aliaque in Eccleſiæ bonum volutabat animo quam plurima. Byzantii fundare Collegium, & Turcarum converſioni & Chriſtianorum ſolatio futurum decreverat

Ad Eccleſiaſtica Beneficia probatiſſimos duntaxat viros, a pietate, prudentia, doctrinaque conſpicuos promoveri voluit, probe conſcius, quantum in alios inde redundaret commodi. Mors, quam ſuis in negotiis conſulebat, & cujus perſæpe refricabat duabus e tabulis, aſſiduis quaſi Comitibus ſuis, memoriam, intercepit Principis optimi molimina, eumque permagno Urbis & Orbis luctu in tumulum præcipitavit die Decembris XXX. anni MDXCI.

Clemens VIII. antea Hippolytus Aldobrandinus, Florentinus.	CCXXXIII.	Anno Chriſti MDXCII. III. Kal. Febr.	Annos XIII. Menſem I. Dies III.	Anno Chriſti MDCV. V. Non. Martii.

Supremæ inter mortales dignitati jam pene ab adoleſcentia, tum Pauli IV. P. tum Alexandri Cardinalis Farneſii præſagitione (f) deſtinatus fuerat. Haud vanam eandem fuiſſe, lapſis quatuor circiter & triginta annis, eventus docuit. Cum enim ob excellentes naturæ dotes, resque variis in Legationibus præclariſſime geſtas amorem ſibi omnium atque exiſtimationem comparaſſet, facile omnium Electorum vota tulit XXX. Jan. anno 1592.

Pontifex renuntiatus, ſacrorum, quotquot in Urbe & quocunque ſub nomine cenſentur, locorum Viſitationem XIIX. Cal. Julii inſtituit, ipſosque novem continuos dies ingenti cum fructu & morum emendatione, ut teſtis eſt in Commentario ſuo, hac ſuper Viſitatione edito, Auguſtinus Valerius, produxit. Rectores, Præfectos & Alumnos Seminariorum Collegiorumque, pia munificentia erectorum, officii ſui gravi oratione admonuit.

Diſciplinæ inter Religioſos vel conſervandæ, vel reſtaurandæ mirum in modum ſtudioſus, varia publicavit Decreta. In tribus Ordi-

nis

(f) Eggſius *in Pontificio docto.* Oldoinus *in additionibus ad Ciaconium,* & ex illo Palatius.

Digitized by Google

nis S. Basilii Monasteriis tria per Italiam Seminaria, unum in Sicilia, in Regno Neapolitano alterum, tertium in Crypta Ferrata agri Romani per Clementem consurrexere.

Roma præ reliquis pietatem Pontificis ac liberalitatem experta. Ibi celeberrimum Juventuti Illyricæ Collegium, quod hodieque ab autore suo Clementinum *audit; alterum Nationi Scoticæ excitavit. Ibi geminas Basilicas Urbis Principes, Lateranensem & Vaticanam superbe adeo ornavit, ut cultum suum ac nitorem, maximam Clementi partem ambæ debeant.* (g)

Alia quæ bono publico confecit Clemens, paucis indicabo. Ruthenos fidem Catholicam professos in gratiam communionemque Romanæ Ecclesiæ admisit; Regem Galliæ, Henricum IV. errores suos, non sine maxima prudentiæ laude ejurantem, (h) *anno* 1595. *Orthodoxorum cœtui ac felicitati reddidit; Ferrariam, ab obitu Alphonsi II. Estensis, Sedi Pontificiæ recuperavit anno* 1598. (i) *Hortatu illius Henricum IV. inter & Philippum III. Galliæ Hispaniæque Reges, magna totius Europæ lætitia pax coaluit. Anno Jubilari* 1600. *affinem Joannis Calvini, novæ Sectæ in Gallia parentis, ad meliora Dei beneficio reductum, Confirmationis Sacramento Ipse Romæ insignivit Pontifex.*

Sub Eodem Sacrorum Bibliorum Vulgatæ Versionis Latinæ Opus quam emendatissimum prodiit: (k) *Controversia etiam de Confes-*

sione

(g) Eggsius cit. non pauca id genus ornamenta recenset.

(h) Literis, officii ac reverentiæ plenis, manu exaratis propria, Rex immortales Clementi gratias pro beneficio egit. Exemplar Italice redditum a *Silvio Antoniano.* Pati hic, ut mitissime loquar, humani aliquid jure videatur *Cl. Walchius* cit., dum reconciliationem istam Henrici cum Pontifice, parum honestam Regiæ Majestati fuisse scripsit. Aliter judicavit Rex ipse; aliter Regis Procuratores Perronius & Ossatus; aliter Proceres, urbesque ad Henrici fidem certatim redeuntes. Redire cum Patre in gratiam, hoccine minus honestum filio? Supremo se Capiti rursus jungere, id membro non satis honorificum? Saluti suæ consultum ire, an virum? an Principem? an Regem, Cæsaremve dedeceat? Illud enimvero cogitare velle, ne dicam, typis vulgare, minus profecto honestum, minus congruum sanæ rationi foret.

(i) Baronius ad Clementem: Accidit quasi miraculum a Deo, (*his libenter utar Divinæ Scripturæ verbis* 1. *Reg. XIV.* 15.) ut Ferraria, ferrea plane civitas, sine ferro fuerit expugnata. *Sandin.*

(k) Advertit idem Cl. Walchius, Editionem vulgatæ Latinæ Clementinam, a Sixtina admodum discrepantem, quæ Anno 1592., (*non* 1532., *quod typi errorem lubens interpretor*) Romæ prælo exiit, argumento Orbi esse luculentissimo, quod contradicere sibi, etiam in rebus Fidei, duo Pontifices queant. Verum & hic accidisse viro quidquam humanitus, si Orbi manifestem, operæ pretium erit. Ajo itaque 1. probatam a Tridentina Synodo illam Editionem fuisse, quæ olim erat *vetus & vulgata & longo tot Sæculorum usu in ipsa Ecclesia probata.* 2. Nec Pios IV. & V., nec Sixtum V., nec Clementem VIII. deprehendisse aut emendasse menda palmaria, substantiam verbi Divini vitiantia, sed leviores duntaxat præli nævos, vel describentium vitio, vel alia humana infirmitate textui asperses: ut testis est auctor Præfationis in *Vulgatam* hodiernam. 3. Emendationem Clementinam, in substantia sensus a Spiritu S. intenti, a Sixtina non differre: quod contra *Thomæ Jammesii* in L. *Bellum Papale* ineptias invicte & κατ' ἀντοψίαν ostendit Henricus Buckentopius *Lucis de Luce* Lib. 3. Cap. 1. 4. Plura id genus vitia transcribentium atque

Digitized by Google

Nomen & Natio.	Ordo Succeſſionis a S. Petro.	Adit Pontificatum.	Sedit in Cathedra S. Petri.	Obiit.

ſione abſenti Sacerdoti facta & abſolutione ab eodem abſente impertita (l) *ad examen vocata, atque ab illo deciſa fuit.*

Diſputationum de Auxiliis Divinæ gratiæ & ſpectatorem agere voluit & auditorem. Viros ſcientiis, virtutibusque claros ſingulari ſemper favore proſequebatur, ſacrumque in Collegium adlegebat. (m) *E vivis exceſſit Princeps vere magnus & Pontifex ſane optimus, Anno ætatis LXIX.*

Leo XI. *antea Alexander Mediceus, Florentinus.*	CCXXXIV.	Anno Chriſti MDCV. Kal. Aprilis.	Dies XXVI.	Anno Chriſti MDCV.

Natus anno a partu Virginis 1535., *parentes nobiliſſimos Octavianum Mediceum, & Franciſcam Salviatam, generis claritate maximis Europæ Principibus affines, habuit. Non vulgari exultus doctrina, militiæ primum; tum diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſe dabat. Renuntiatus poſtea Epiſcopus Piſtorienſis, & mox Florentinus Archi-Epiſcopus mira ſemper claruit Religione ac prudentia, quam ſub Henrico Magno, cum Legatum Pontificium jam Cardinalis ageret, Gallia univerſa ſuſpexit.*

Sexaginta, ut memorant aliqui, & unius Purpuratorum Patrum ſuffragiis ad Apoſtolicæ Sedis apicem evectus, ſumma iisdem Patribus humanitate, nihil, quod Deo placeret, aut conſcientiæ non repugnaret, petentibus ſe negaturum ſpopondit.

Obiit breviſſimi temporis Pontifex anno ætatis LXX.; Victor, Baronio teſte, (n) *ac Triumphator ampliſſimus, utpote quem nec Romani Proceres, nec Principum Legati, nec Vaticani Senatores, precibus licet ab illo contenderent quam diligentiſſimis, flectere potuerunt, Pronepotem ſuum, modeſtiſſimum adoleſcentem, quem unice diligebat, ſacra ut Purpura donaret.*

Succeſſit PAULUS V., (*) *cujus annum ſextum Synodus Tomi hujus poſtrema attingit.* IMPE-

---

Librariorum in Editione per Clementem facta, remanſiſſe non diffiteor: tum quia Vulgatam nunc omnibus numeris abſolutam eſſe pro humana imbecillitate Clemens ipſe affirmare non audet; tum quia diſerte aſſerit, aliqua, quæ immutanda (*mutanda*) videbantur, immutata (*non mutata*) relicta ad evitandam offenſionem populorum. *Vid.* P. Hermann. Goldhagen S. J. *Introductio in Sacram Scripturam* P. I. Lect. II. Q. X. edit. Moguntiæ typis Hæffnerianis anno 1765.

(l) Nat. Alexand. cit. Bullar. Rom. Tom. III. pag. 132.: cui & aliæ annexæ ſunt Clementis VIII. Conſtitutiones, quarum centum & viginti tres enumerat Chriſtoph. Ottus S. J. in *Roma ſua Glorioſa.*

(m) Illuſtrium Virorum, in Sacrum Collegium a Clemente adlectorum, quos inter eminent Baronius & Bellarminus, ſeriem bene longam videre eſt in eod. Nat. Alexand.

(n) Tom. XII. *Annal. Eccleſ.* (*) De Paulo V. ſcribam Tomo ſequente.

Digitized by Google

IMPERATORES OCCIDENTIS

AB ANNO MDLXXXIX. AD MDCX.

RUDOLPHUS II.

MAXIMILIANO II. ex Maria Caroli V. filia genitus, erecti, vividique ingenii, vaſtæ rerum peritiæ, & acerrimi judicii Princeps XV. Cal. Auguſti anno MDLII. primam lucem adſpexit; Legibus deinceps ac moribus Philippi II. maximi Hiſpaniarum Monarchæ, cum per ætatem liceret, in Aula ejusdem ad omnem virtutis normam, optimam gubernandi rationem quam ſolertiſſime inſtitutus. Aliis bene ut imperaret, nunquam ſe ad imperata difficilem præbuit, mature jam tum perſpiciens, ipſam imperandi artem parendo diſci.

Ex Hiſpaniis in Germaniam redux, anno MDLXXII. XXIX. Septembris adhuc adoleſcens, Regni Hungarici faſces, ſibi inſolita magnificentia a Pannoniis Poſſonii delatos vidit. Spes erat una omnium, fore, ut non frangeret modo contereretque jugum Ottomannicum, ſed prorſus etiam fatalem a Regno Lunam averteret.

Anno MDLXXV. XXII. ejusd. menſis Caſurgi Rex Bohemiæ, prima vero Novembris in Comitiis Ratisbonenſibus Rex Romanorum ſalutatus fuit; & Maximiliano patri, iisdem in Comitiis menſe Octobri celebratis occumbenti, Imperator anno MDLXXVI. ſucceſſit, pace, ut quidem videbatur initio, optatiſſima fruiturus.

Quo pacis beneficio alias quoque Provincias & Urbes recreare ſtuduit. Poſtquam enim anno MDLXXVII. Deputatorum Comitiis Francofurti obitis, novam Politiæ in Imperio, elegantioremque faciem effinxiſſet; ad ſedandos Belgii tumultus animum adjecit. Deſignati eum in finem e Wormatienſi Procerum Conventu anno MDLXXVIII. Viri Illuſtriſſimi, qui Cæſaris nomine de graviſſimi momenti re arbitrium facerent. Erant, qui perſonam Imperatoris geſturi Coloniam Agrippinenſium anno MDLXXIX. venerant Jacobus Trevirenſis & Gebhardus Colonienſis Septemviri, Julius Antiſtes Herbipolenſis, Otto Henricus Comes Schwartzenburgicus, & pro Wilhelmo Juliæ Duce, qui abſentiam excuſarat, Wernerus Gimnichius, Archiſatrapa Juliacenſis, Joannes Lowermannus & Hermannus Richius ICti. Actores hinc pro Rege Catholico Philippo II. ejus Legatus, Carolus Arragonius Terrænovæ Dux; inde pro Ordinibus Philippus Croyus Dux Areſcoti una cum multis aliis ab Archi-

Digitized by Google

Duce Matthia, fœderatisque Provinciis miſſus. Poſt ſolennis ſupplicationis Religionem agi cœptum Nonis Maji, ipſosque ſeptem menſes conſultatum: at vero effectum nihil, Orangio, pacem ne admitteret, miris rem omnem artibus involvente. (*a*)

Anno MDLXXXI. Aquisgrani gliſcens ſub cineribus flamma in apertum erupit incendium. Exules, Duce Albano jubente, Belgæ heterodoxi, Arteſii præprimis & Hannonii, qui per Magiſtratus Aquenſis, plus juſto indulgentis ſocordiam ſedes ibidem fixerant, nihil habebant antiquius, quam ut imbutis, quotquot poſſent, ſuo dogmate veteribus inquilinis, rerum potirentur. Quare in ſuggeſtum educere novi Evangelii Præcones, rudem plebeculam in partes ſuas trahere, ſanctiſſimas Religionis noſtræ leges palam explodere ſecus ac promiſerant, non formidarunt. Monitus de petulantia Rudolphus, ſeveriſſimis quamprimum literis urbi mandavit, opponeret ſeſe Novatorum audaciæ, ac peſtem ſuis e mœnibus actutum ejiceret. Quin & Erneſto Bavariæ Duci, electo nuper Leodienſi Epiſcopo, & Wilhelmo Clivenſi, ut civitati graviter periclitanti ſubvenirent, negotium dedit. Sed incaſſum omnia. Fabula ſurdis cantabatur. In novos inſurrexere conatus factioſi, & quanti literas Imperatoris, quanti mandata, minasque facerent, vel ex eo conjicias, quod Conſul eorum de grege, fax turbarum & auctor (*Lonzenium vocat Cl. Noppius in Chron. Aq.*) dixiſſe feratur: " Etiamſi Imperator mulum Clitellarium, literis mandatisque prægravatum mitteret; ſe tamen idcirco ab inceptis minime abſturos.

Tum vero Cæſar pridie Kalendas Julias anno MDXCVIII., quo uſque cauſam ſuam ſeditioſi protraxerant, Cives perduellionis reos ac proſcriptos, urbemque prædæ expoſitam, pronuntiavit. Tam violento perculſi fulmine, diffugere primores; cæteri, quam ſupplices flagitabant, pœnæ gratiam obtinuerunt. (*b*)

Sub eadem fere tempora majores excitarunt motus, tum *Formula Concordiæ* ab Heterodoxis Anno MDLXXX. cuſa, tum *Calendarium Gregorianum* a Proteſtantibus aliquot repudiatum (*Vid. Tom. præc. pag. XIII.*) tum denique Gebhardi Truchſeſii Colonienſis Archi-Epiſcopi infelices nuptiæ, ac deploranda ab avita fide defectio, anno MDLXXXII. conſecuta. Tempeſtatem non ab urbe ſolum, ſed a toto etiam Archi-Epiſcopatu Colonienſi quantis curis, quantaque prudentia, ac felicitate Rudolphus averterit, ſatis loquuntur variarum Legationum, ad Truchſeſium directarum capita, quæ *b. Tom. pag.* 534. adtulimus.

Anno MDLXXXIV. induciæ octo annorum, quas adita Imperii poſſeſſione cum Ottomannis Rudolphus pepigerat, in novem prorogatæ annos fuere. Erexit nihilominus Cæſar Carolipolim in Illyrico, munitiſſimum adverſus

(a) *Struv. Corp. Hiſt. Germ. Sect. VII. de Rudolpho.*
(b) *Kevenhüller Annal. Tom. I. pag.* 192. &c. *Fullon. Hiſt. Leod. in Erneſto. &c.*

d by Google

verſus Turcarum incurſiones propugnaculum; Auguſtamque Comitia indixit: in quibus quid actum, quid deciſum fuerit, explicant Struvius, aliique. (c)

Anno MDLXXXVI. ineunte, Comitia Wormatiæ celebrata, diſſidiaque inter Sigismundum Sueciæ Principem & Maximilianum Rudolphi fratrem de Corona Polonica decertantes, anno proximo compoſita.

Anno MDXCII. nova belli tempeſtas a Turcis in Croatiam incubuit. Vitiſcum, regionis illius caput, aliaque oppida vi expugnata. Jamque Siſacum arctiſſima premebatur obſidione, cum Prætor Croatiæ paucas Hungarorum reliquias collegit, quæ tam fecundis in barbarum auſpiciis ſeſe effuderunt, ut LX. Turcarum millia a manu Hungarorum non oppido magna partim caderent, partim in fugam converterentur. Excitus inſolitæ hujus victoriæ fama Hungarus, totoque e Regno proruens, ſupremo exercitus Cæſarei ductore Maximiliano, Novigradum, Zabaticam, Filecum, Deniniam diræ XXX. annorum ſervituti Turcicæ eripuit, tantaque hoſtem adfecit clade, ut Regni totius priſtinam in libertatem vindicandi ſpes ampliſſimas Orbis Chriſtianus conciperet, ſibique de felici illo armorum progreſſu gratularetur.

Verum ſpes in ſolicitudinem; gratulationem in luctum mox vertit annus MDXCIII., Sina Amurathis Prætore cum immenſo Turcarum exercitu Hungariam ingreſſo, & Javarinum non tam armis, quam auro proditum occupante. Quæ res novum Germaniæ ſimul atque Italiæ terrorem incuſſit, paucis poſt annis diſpulſum, cum e manibus hoſtium Adolphus Schwarzenbergius Comes, Dux Rudolphi clariſſimus urbem denuo eriperet, tanta admiratione omnium, ut, inſmanis victoriæ nuncio qui fidem haberet, vix unum repereris. Emolumentum illius feciſſe, comprecatio DEI O. M. ſolennis a Clemente VIII. Pontifice inſtituta creditur.

Varia dein fortuna pugnatum ad annum Sæculi XVII. quintum, quo cum Rudolpho in vincennales inducias Turca deſcendit.

Hæc a Turcis paſſus Imperator: cui tamen acerbius nihil, graviusque accidit, quam ingraveſcentia in dies Religionis ſibi cariſſimæ pericula, quæ, Sectis heterodoxorum per Germaniam ac Bohemiam ſerpentibus, prorumpebant.

Poſt turbas a Donawerda, Boici olim juris ad Danubium civitate anno MDCVI. Idibus Aprilis excitatas (d) luctuoſiſſimæ belli tricennalis, de quo alibi diſſerendi locus erit, hiſtoriæ præluſum Anno MDCX. tum *Correſpondentium Unione*, (e) tum *Liga Catholicorum.* (f) Cauſam belli fuiſſe memorant Hiſtorici diploma (*Literas Majeſtatis* vocabant) Rudolpho a Sectariis extortum, quo publicum profeſſionis ſuæ exercitium iis indulgebatur. Rudolphus ut ne

(c) *Struv. l. cit.*
(d) Cauſam Donawerdanam exhibet *Joſephus Biner S. J. in Apparatu Eruditionis P. VIII. L. I. Cap. I. Art. I.*
(e) *Kevenhüller Tom. VII. Londorp. Tom. I.* (f) *Dumont Tom. V. P. II.*
Imperat. Occident. Tom. VIII.

Digitized by Google

ne initia quidem mali intueri cogeretur, Anno Chriſti MDCXII. ætatis quinquageſimo nono, Imperii ſexto & trigeſimo Pragæ X. Januarii e vita migravit, Bohemiæ & Hungariæ Regnis ante translatis in Matthiam fratrem, cui ſeptemdecim florenorum Myriades in ærario reliquiſſe dicitur. Imperatori Religionis ſtudioſiſſimo, ſex linguarum peritiſſimo, (g) Pacisque & Literatorum, Mathematiçis præſertim diſciplinis addictorum amantiſſimo ſucceſſit idem germanus

M A T T H I A S

Electorum omnium (Brandenburgico excepto) ſuffectus votis, provectiore jam ætate Princeps, cujus res geſtas Tomo ſequente exponemus.

FINIS CATAL. IMPER. OCCIDENT. TOM. VIII.

DI-

(g) *Corbinianus Khamm in Hierarch. Auguſtana P. I. Cap. VI. Claſſ. IV. Sect. VIII. pag. 371.* Addi poſſunt AA. cit. *Spondanus*, *Bracbelius*, *Adlzreiterus*, *Thuanus*, *Maſenius*, *Schwarzius*, *Lymnæus*, *Hortenſ. Pallavicinus & alii.*

Digitized by Google

DIGRESSIO
AD SÆCULUM XVI.
BREVIS EPITOME RERUM, in cauſa LUTHERI, & Sectatorum ejus toto eo Sæculo geſtarum.

FIdem, ſub initium Tomi CC. VI. in adnotatione datam, nunc liberaturus, brevem Lectori meo rerum, toto eo Sæculo in Lutheri, ejusque Sectatorum cauſa geſtarum, exhibebo epitomen, quam vel ipſis DD. Proteſtantibus amœnam lectu, certe non moleſtam fore confido. Veritatem in illa reperire erit a genuino Hiſtoriæ candore, cultuque verborum ſimplici, quo, fucum peroſa & rutas, delectari ipſa maxime ſolet, erudito huic noſtro ac delicato Sæculo comprobandam. Ea utar moderatione ſcribendi, ut, ne vox quidem acerbior conſcio mihi elapſura ſit; ea brevitate, ut etiam ubi, quod ſuperioribus ſpartim in Tomis expreſſum modo fuit, inveniri poſſit, ne idem repetam, Lectori benevolo ſim indicaturus. Nec ſatyram paro, nec abſolutam numeris ſuis Hiſtoriam, ſed Hiſtoriæ vaſtiſſimæ compendium; quod quidem in duo duntaxat Capita diſpertio: quorum primum de Secta Huſſitarum, tanquam infelice, unde Lutheraniſmus per Germaniam noſtram emicare utplurimum cœpit, ovo; alterum de Lutheraniſmo ipſo aget. Interim cenſebo dictum mihi, quod monuiſſe Tullius Lib. 2. de Orat. videtur Scriptorum quemlibet: *ne quid falſi dicere audeat, ne quid veri dicere non audeat; ne qua ſuſpicio gratiæ ſit in ſcribendo, ne qua ſimultatis.*

CAPUT I.
De Secta Huſſitarum.

§. I.
Origo Sectæ.

IN florentiſſimum Bohemiæ Regnum adtulerat ſecum ex Anglia ceu pretioſum quendam theſaurum, Joannis Wicleffi libros, Bohemus primum, Vir ex domo, quam *putridi piſcis* vocant, conſpicuus; dein *Petrus Payne*, Wicleffi olim diſcipulus. Exempla per ipſam Regni Metropolim mox volitabant deſcripta non pauca: Legit ea, relegitque avidius *Joannes Huſs*, ex villa ejusdem nominis, quod *anſerem* lingua patria ſignificat, ortus & cognomentum mutuatus; atque illico latius iſta divulgandi ſtudio exarſit. Vir erat Huſſus ingenio peracri, ſed opinionum heteroclitarum cupidiſſimo: facultas dicendi gravis & copia ipſum commendabant. Vitæ etiam mundioris fama haud exiguam illi apud cives authoritatem comparaverat. His ſubſidiis, non Presbyter modo, ſed Pragenſis etiam Academiæ Rector facile, quod animo ſuo propoſitum conceperat, in lucem edidit. Nec ſane diu fuit, cum, dilapſis Praga Lipſiam Germanis, defenſoribus avitæ Religionis imperterritis, doctrina Wicleffi ore ſimul & calamo ab Huſſo propagaretur, tanta quidem cum pernicie (verba ſunt Cochlæi) "ut ne-" que Summi Pontificis, neque Archi-Epi-" ſcopi Pragenſis inſtantiſſima cura... po-" tuerit ſemel conceptum.. virus e cordibus " hominum eradicari aut extingui." Memorandi inter Huſſi Sectatores, primi veniunt *Hieronymus Pragenſis*, *Petrus Dresdenſis*, & *Jacobellus Miſnienſis.*

§. II.
Huſſi, Huſſitarumque errores.

AB Indulgentiarum cavillatione telam ſuam orſus videtur Joannes Huſſus, ingentemque contra Sacerdotes, ac familiarum Religioſarum viros tempeſtatem excitavit. Ad alios deinde errores deflexit, quos paſſim apud AA. Tenor illorum extat *Tom. V. CC. a pag.* 86.

§. III.
Huſſi & Hieronymi Pragenſis damnatio.

UTrumque in erroribus ſuis pertinacem ac flecti neſcium damnavit Conſtantienſis Synodus: hunc Seſſ. 21., illum Seſſ. 15. Diarium Huſſiticæ damnationis & complicum vide *Tom. V. cit. pag.* 94.

Animadverſio.

Juvat hic paucis refellere tum eos, qui cum *Guilielmo Cave* in ſua Hiſtoria literaria ad Sæculum XV. judicant, peccatum illa damnatione contra fidem publicam & juſtitiam fuiſſe; tum iſtos, qui Huſſum perinde

Digitized by Google

ac Pragenſem adcenſendos Divis Chriſti Martyribus hodieque exiſtimant.

Hallucinantur primi : nam neque Joannes XXIII. P., neque Patres Concilii Conſtantienſis Salvum, ut vocant, Conductum ſeu literas, commeatus liberi teſtes, Huſſo dederant : id quod ex epiſtolis ab ipſomet Huſſo ad familiares Conſtantia datis arguitur. *Veni in Conſtantiam*, ſcribit epiſt. 5., ... *ſine omni nocumento... Venimus ſine ſalvo conductu.* Adnotarunt Huſſitæ : *Intellige PAPÆ.* Et epiſt. 6. : *Veni ſine ſalvo conductu PAPÆ ad Conſtantiam.* In aliis, 18. præſertim & 19. etſi de multis queratur capitibus ſibi injurioſis, de violata a *SYNODO* fide Salvi conductus altum tacet. Nihil etiam de ejusmodi perfidia contra quenquam e *CONCILII PATRIBUS* in medium protulit, jamjam ſupplicio afficiendus. Ad *SIGISMUNDUM* Imper. quod ſpectat, munitum ab eo publici liberique per omne iter commeatus præſidio Huſſum fatemur : ſed enim a Concilii jurisdictione piiſſimus Cæſar, ut patet ex literis, (*apud Goldaſtum*) 18. Octobris anno 1414. ab eodem Spiræ datis, hominem non exemit; voluit potius, ut judicio Eccleſiæ ſeſe ſubmitteret, pacem non turbaret publicam, nec novis ſe criminibus illaquearet. Huſſus e contrario vel egit vel animo ſaltem verſavit alia prorſus omnia. Sola enim, quam modo arripuerat, fuga, licet ex eadem retractus, certo velut indicio ſe prodidit. Tentabat nimirum Synodi examen contra Imperatoris mandata, contra ſuammet ſponſionem ſubterfugere, atque ad evertendam tota Bohemia, Moravia & Polonia fidem revolare. " Non igitur Religioſiſſimo Principi, *infert* " *Cochlæus*, debet imputari, ſi Concilium, " exigente juſtitia, in pertinacem (*Huſſum*) " ſecundum jura ſententiam protulit.

Porro quisquis graviſſima Huſſi flagitia ſiniſtro duntaxat oculo obiverit; ſententiam Concilii ab omni injuriæ ſpecie vindicandam cenſebit.

Profecto Sigismundus Imp. omnes Huſſi errores, quin & ſingulos morte dignos, coram Concilii Patribus enunciavit. Errant itaque, qui Concilium aut læſæ tunc fidei, aut injuſtitiæ inſimulant.

Labuntur errore & alteri, eoque graviſſimo : Nam quis inter Sanctos Chriſti Martyres, ob edita quædam conſtantiæ & fucatæ pietatis ſigna homines numerandos putet a vera Chriſti Eccleſia avulſos, ſuisque ſceleribus quaſi per triumphum immortuos? *Multi latrones*, Magni Auguſtini oraculum eſt Serm. 274., *patientiſſime torquentur; & non cedentes, & tormentum vincentes, poſtea æterno igne puniuntur. CAUSA diſcernit Martyrem a patientia, imo duritia ſceleratorum.* Et nunquid 1. Cor. 13. Apoſtolus: *Si tradidero corpus meum, ita ut ardeam; charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt?* Plura hac ſuper re congeſſit *Cochlæus* Hiſt. Huſſ. Lib. II. pag. 95, ſeqq.

CAPUT II.

De Lutheraniſmo.

§. I.

Lutheri ortus, ingenium, mores.

AUthor Lutheraniſmi & Princeps *Martinus Lutherus*, primam aſpexit lucem Islebii, Mansfeldenſis in Saxonia Comitatus oppido Anno 1483. die 22. Octobris, aut (juxta alios) pridie D. Martini, patre *Joanne Lotter*, & *Margaretha Lindermanna* matre. Nomen familiæ, quod ex lingua vernacula *ſcurram*, *ſcortumve* redolet, in *Luther*, quod *purum* ſonat, commutavit. Literis humanioribus Magdeburgi & Iſenaci imbutus, Erfordiam petiit, ubi ob inſignem in diſciplinis Philoſophicis profectum Lauream Magiſterii, anno ætatis ſuæ vigeſimo conſequebatur. Jurisprudentiam ibi a limine vix ſalutaverat, cum fato ſocii ſui, fulmine ante pedes extincti perterritus, amplectendæ Religionis votum nuncupavit, moxque Sacro Eremitarum D. Auguſtini Ordini nomen dedit Anno 1504.

Initiatus Sacerdotio A. 1507., Wittenbergam a *Joanne Staupitio*, Generali Auguſtinianorum per Germaniam r. r. Vicario, miſſus fuit, ubi & Doctoris Theologiæ prima retulit inſignia & ſacram aliis doctrinam publice explanavit.

Diſſimulari non poteſt, inquit apud Flor. Ræm. *Gemerus* Lutheranus, Lutherum ingenio fuiſſe vehementi, & qui neminem, qui cum ipſo non ſentiret, ferre poſſet. En genuinam hominis imaginem ex Pallavicino : (*a*) " Acuto vividoque (*Martinus* " *Lutherus*) fuit ingenio, propenſus ad ſtudia " literarum, & in iis corpore & mente in- " defeſſus. Cum inops literaturæ non eſſet, " longe ditiſſimus ſibi videbatur ; quippe " cui in lingua, tanquam in numerato, ſua " omnia in promptu erant... Hæ dotes re- " plebant animum mira ſuperbia, & apud " vulgus opinionem, quæ illam aleret, pro- " vocabant &c.

§. II.

(*a*) *Hiſt. Conc. Trid. L. 1. C. 4.* Plura *Cochlæus*, *Flor. Ramundus*, *Ulenbergius*, *Hazartus*, *Deſingius & alii.*

§. II.

Initia Lutheraniſmi.

HÆc Tom. noſtro VI. CC. pag. 149. cum expreſſa ſint, eo Lectorem noſtrum remittimus. Eadem refert ad annum Chriſti 1517., Leonis X. PP. 5., Maximiliani I. Imp. 24., Hermanni V. Colon. Archi-Ep. 3. in Chronico ſuo MS. *Wilmius* ex *Bernardo Wittio*, Scriptore coævo, teſtemque rei geſtæ oculatum, Joannem Oldecopium, Hildeſii natum, Collegii ad S. Crucem poſtea Decanum, Lutheri olim in Univerſitate Wittembergenſi diſcipulum producit.

§. III.

Lutheri dogmata.

PRomiſerat Lutherus, qui Theſibus primum, anno 1517. toti Germaniæ luctuoſiſſimo, contra Indulgentias editis, aliisque mox ſcriptis tumultuari adverſus Pontificem & Eccleſiam cœpit, Hieronymo Schulteto, Brandenburgenſi Epiſcopo, Præſuli ſuo, ſaniora ſuadenti, ſe obtemperaturum; (*Tom. VI. noſtro cit. pag.* 136.) ſed, ſtimulante livido faſtu, ad ingenium rediit, erroresque ex aliis alios per intervalla protruſit. Eorum aliquos reperire eſt in Bulla Apoſtolica LEONIS Papæ X. anno 1520. 17. Maji data, quam vide *Tom. cod. pag.* 171. Analyſin illorum exhibet Hiſt. Eccleſ. Sæc. XV. & XVI. pag. 101. ſqq. Tom. VIII. *Natalis Alexander*, atque ad pleniorem Operum Lutheri cum Latinorum, tum Teutonicorum Indicem, ex Joanne Cochlæo perſpiciendum relegat. *Florim. Ræmundus* de Origine *Hæreſeon Lib. I. Cap. XVI.* Lutheraniſmus ex quibus conflatus ſit erroribus, pereleganter diducit. Syſtema ſuum, inquit in Prodromo ad Theologiam Dogm. Scholaſticam Diſſ. II. Cap. IV. art. II. n. 310. *Joſephus Gautier*, ut fabricaret Lutherus, duo primaria Fidei Catholicæ fundamenta, Scripturam & Traditionem quatere & ſubvertere molitus eſt; bina item ſtabilire principia, ad morum ſubverſionem haud oblique tendentia: Primum, quod extinctum diceret liberum hominis arbitrium; alterum, quod facultatem, etiam cum gratia Dei mandata ejus ſervandi, nobis in hac vita degentibus negatam aſſereret.

§. IV.

Lutheri progenerantis tale Syſtema, ac nutrientis ſcopus.

IN Eccleſia, quam Chriſtus JESUS, Patris æterni æternus Filius in terris fundavit, ſacrum quendam ſplendidumque Principatum ſeu *Hierarchiam*, eamque tam *Ordinis*, ut loquimur, quam *Juriſdictionis* agnoverunt ſemper, quotquot religioſe ac ſobrie ſentiebant Viri cordati, & ſummis proſecuti honoribus fuerunt. Probant id ſatis perhonorifica antiquiſſimorum Patrum, non modo Ordinem Clericalem a Sæculari, verum etiam ipſos inter Clericos Ordinem ab Ordine diſtinguentium, teſtimonia vix non innumera, quæ adferre nec licet brevitatis ſtudioſo mihi, nec libet. Videri poſſunt bene multa apud *Thomaſſinum Tom. I. Lib. I. Cap. LI.* Unum audiamus de Hierarchia iſta Eccleſiaſtica ſcribentem S. Cyprianum: *Una*, inquit, eſt *a CHRISTO per totum mundum in multa membra diviſa Eccleſia; Epiſcopatus unus, Epiſcoporum multorum concordi numeroſitate diffuſus.* (b)

Hanc porro Hierarchiam tam ordinatam & magnificam, quæ juxta eloquium Doctoris melliflui (*c*) *Deum habet auctorem, & de cælo ducit originem*, (*d*) non labefactare modo voluit, ſed penitus ſubvertere *novi Syſtematis parens & egregius, ſi Superis placet, Eccleſiæ Reformator Lutherus.* Eo geſta ipſius collimabant, ſcriptaque propemodum omnia. Romanum Pontificem e toto Orbe Catholico proſcribendum curabat. Teſtes Literæ ad Carolum V. Imperatorem anno 1519. datæ, (*e*) quibus aſſeruit, nihil Romanorum Pontificum tyrannide in Germaniam, ejusque Principes hactenus fuiſſe intolerabilius; Teſtis Libellus germanicus (*f*) ejusdem nominis Nobilitari, cujus blandiorem in ſe auram ſentiebat, anno 1520. inſcriptus; teſtis audacia illa & furor, quo æſtuans jus Pontificium, cum ipſo Leonis X. novam doctrinam condemnantis diplomate, Eckiique & Emſeri commentariis non procul Wittenbergenſi ab urbe publice Vulcano tradidit; teſtes denique libri varii, a Flor. Ræmundo (*g*) non libri, ſed plauſtra infamibus convitiis & injuriis onuſta, quas plena inde manu Lutherus ſpargit, jure appellati. Certe non aliam habuiſſe Lutherum præfixam ſibi metam, quam ut inſignem illam diſturbaret Ordinis Hierarchici ſtructuram,

(b) *Epiſt. 52. ad Antonianum.* (c) *Lib. 3. de conſider. ad Eugen. C. 4.*
(d) *Vid. præter Thomaſſ. l. c. Bellarm. de Poteſt. Summi Pontif. Petav. de Eccleſ. Hier. Melch. Canus de Rom. Eccl. Auth.*
(e) *Jac. Maſenius Anim. Hiſtor. de Car. & Ferd. Lib. I. pag. 47.*
(f) *Tom. I. Jen. Germ. fol. 288.* (g) *De Orig. hæreſ. Lib. I. C. 9. pag. 74.*

cturam, & poſſeſſiones Epiſcopatuum cum omni jure in Sacra, Principibus ſæcularibus tranſcriberet, eventus docuit. Id loquuntur ſatis tot ditiones Eccleſiarum tum Metropoliticarum, tum Cathedralium ab Hierarchia Eccleſiaſtica avulſæ & profanis a Magiſtratibus occupatæ, tot Monaſteria plane diruta, tot everſæ aræ ac templa. Id loquuntur Pax Religioſa & Weſtphalica.

Noverat nimirum homo ab ingenii vafritie inſtructiſſimus, & projectus ad audendum, opus ſibi eſſe potentia virium, Magnatum præſidio, Principum auxilio in armis etiam, dum res poſtulaverit, quærendo. His ſine nervis effecturum ſe nihil, bruta duntaxat fulmina miſſurum, caſſas fore ſpes ſuas, molitionesque omnes, quas Procerum authoritas, favor ac ſuppetiæ non ſuſtinerent, firmarentque. Sed enim illorum expugnare animos, & ſuas in partes trahere qua via poterat facilius, quam ſi præter enormem, quidquid allubeſcit, credendi licentiam ipſis propoſitam & commendatam, eorum ampliaret facultates, æraria locupletaret, integros adjiceret principatus, extenderet ultra Orbis Catholici limites jura, atque immenſam jurium Epiſcopalium multitudinem in eos transfunderet. Hæc, aliaque id genus plurima quid tandem ſpectaverint, nemo non videt. Tam dulci eſca, ut hamo piſces, Nobilitatem, Eccleſiaſticorum bonis jamtum inhiantem, capere, ſuamque efficere, operoſum Luthero non erat. Rem ipſam putavit Cl. Hunius JCtus, cum ad Joannem Adolphum Fuldenſis Eccleſiæ Abbatem ſcriberet, (*b*) duo eſſe, per quæ tantum Lutheraniſmus tam brevi tempore incrementum ſumpſerit, ut totum prope Orbem Chriſtianum perrepſerit, ſummosque Reges ac Principes applauſores & Patronos invenerit: *vivendi* nimirum *libertatem* & *bona Eccleſiæ diripiendi immunitatem.*

§. V.

Sectatores Lutheri præcipui.

REcenſendi hos inter, & qui, qualesque fuerint, depingendi ſequentes.

I. ANDREAS BODENSTEIN, natus *Carloſtadii*, Franciæ Orientalis oppido, unde & ipſi nomen: *Carloſtadius*, Archi-Diaconus Wittenbergenſis, primus fuit, qui Chriſtiani Sacerdotii dignitatem nuptiis ſacrilegis, non ſine magno Orthodoxorum ſcandalo palam anno 1525. celebratis, polluit; & tanquam ſi facinus patraſſet memoria ſempiterna dignum, carumque ſuperis, Encomiaſten Lutherum ipſum habuit, Wittenbergamque adeo ſibi faventem, ut Miſſam propriam, cujus exemplar habet Flor. Remundus, (*i*) inauditum ante illum diem impietatis (auſimne cum Nat. Alexandro (*k*) loqui?) & laſciviæ impudentiſſimæ monumentum eam in rem cives ediderint.

Non tulit ætatem, quæ Lutherum inter & Carloſtadium maxima intercedere videbatur, amicitia: vix enim hic, abſente illo & inconſulto, abrogare Miſſam, imagines e templis ejicere, aliam de Euchariſtia opinionem in vulgus ſpargere, ac ſepultos olim excitare Sacramentariorum errores; & ecce tibi! tam vehemens inter binos hoſce pacis, concordiæque Apoſtolos exarſit diſſenſionis & iracundiæ ignis, ut horrendis alter alterum modis proſcinderet. Triumphante nihilominus Luthero, pulſus e Saxonia Carloſtadius palari cum conjuge nobili & liberis eousque debuit, dum a Tigurinis in Helvetia primum Diaconi, poſt a Baſileenſibus Miniſtri, unde vitam toleraret, munus ipſi obtigerit. Diem clauſit Baſileæ anno 1541. De fati genere variant Authores. Sunt, qui peſte conſumptum putent. Lutherani a Diabolo ſtrangulatum aſſeverant, teſtiumque nubem ex ipſo Baſileenſium Miniſtrorum cœtu proferunt. (*l*) Fuit Carloſtadius homo præceps, inflatus & turbulentus, quos ille affectus ſcintillantibus oculis prodidit. Quod ſi nemo eſſet, quicum litigaret, ſecum ipſe litigabat. (*m*) A Melanchthone male, (*n*) peſſime a Luthero audit.

II. HULDRICUS ZWINGLIUS, e Milite, ut vult Florim. cit., Canonicus Conſtantienſis, vel, ut aliis placet, e Glaronenſi primum, tum Eremitano Paſtore, in urbe Tigurina Parochiæ Adminiſtrator anno 1518. effectus, impia ſenſim per Helveticos Pagos (*Cantones*) Religionis mutandæ conſilia ſparſit. Ortus erat Wildenhuſii, Doggiorum pago in Helvetia anno 1487. (o) Cal. Januarii. Studiorum ſuorum curriculum emenſus eſt Baſileæ & Bernæ, geminis Helvetiæ urbibus, & Viennæ in Auſtria. Vix ullum viri probi, Sancti & Apoſtolici veſtigium; integra vero libidinum, aliorumque ſcelerum examina in illo notaſſes. Vivis eum coloribus adumbrant *Hæzartus* & *Gretſerus*, (*p*) legi etiam meretur *Hartmannus* in Annal. Eremi Deiparæ ad ann. 1517.

Cum

(b) *XII. Præjud. & Reſponſ. Lutheran. & Calviniſt. &c. Colon. Agripp. typis Metternichianis anno* 1633.
(i) *Lib. II. Cap. 7 n. 6. pag.* 193.
(k) *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 114.
(l) *Hiſt. Conf. Aug. fol.* 41. *Flor. Rem. L. 2. c. 7.*
(m) *Flor. l. c. Hazart de German. Part. 4. C. 1.*
(n) *Epiſt. ad Frider. Myconium.*
(o) *Dictionnaire Hiſtorique-Portatif Tom. II.*
(p) *Haz. in Hiſt. Eccl. Germ. Part. 5. C. 1. Gretſ. Tom. 13. pag. 251. & aliis.*

Cum Carloſtadio, quo uſus Magiſtro Zwinglius fuerat, veram negavit Corporis Chriſti in Euchariſtia præſentiam. Sermonibus ſuis, quos atro paſſim convitiorum adverſus Indulgentias, invocationem Sanctorum, Sacrificium Miſſæ, Leges Eccleſiaſticas, vota, & Rom. Pontificis Primatum, aliasque res ſacras congeſtorum veneno imbuebat, Tiguri quadriennio habitis, & Pſeudoſynodis anno 1523. XXIX. Jan. ibidem & anno 1529. Bernæ celebratis eo S. P. Q. Tigurenſem, Bernenſemque detorſit, ut ſuam in ſententiam abirent, & ſectam amplexarentur. Quos deinde ſecuti Conſtantienſes, Baſileenſes, Schafhuſiani, Santgallenſes, Mulhuſani & Bielenſes, (*q*) Joanne Fabro, Conſtantienſis Epiſcopi Vicario Generali fruſtra pro fide Catholica perorante; ipſis Rmis Epiſcopis Baſileenſi, Conſtantienſi & Lauſannenſi ſeſe incaſſum opponentibus.

Occubuit Zwinglius in acie contra Catholicas Helvetiorum Tribus die XI. Octobris anno Ch. 1531, ætatis 48. Scribit de fato miſelli tam vere, quam eleganter Eminentiſſimus *Hoſius* in judicio & cenſura de adoranda Trinitate.

III. JOANNES OECOLAMPADIUS, fidus Zwinglio Achates, linguarum peritia clarus, famoſus Baſileenſium Apoſtolus pari vitæ parem ferme etiam finem impoſuit. Ex Ordine S. Brigittæ profugus, ſolemnium votorum vinculum rupit, ſibique viduam juniorem matrimonio junxit. Eundem, quem Zwinglius, Baſileæ venditavit, ſub alio licet explicationis involucro, errorem, eod. anno Chriſti 1531. & ætatis 49. ibi e vivis ereptus. Quo modo, non tenetur. (*r*)

IV. PHILIPPUS MELANCHTHON, magnum inter Proteſtantes nomen & vir inter eruditiſſimos Sæculi XVI. numerandus, Brettæ, Electoralis Palatinatus oppido, XVI. Februarii anno 1497. Georgio *Schwarzerd* (græce *Melanchthon* ſonat) patre admodum probo ac religioſo genitus, poſtquam in variis Germaniæ locis tum varia edidiſſet ingenii ac ſcientiæ multiplicis ſpecimina, tum viros id ætatis præſtantiores de via ſalutaſſet, anno 1518. Luthero ſe adjunxit.

Inter cætera, quæ ſcripſit, notatur ab Hiſtoricis 1. Apologia pro Luthero contra Theologos Pariſienſes. 2. Loci communes in ſacras Literas, methodica ratione digeſti, invictum Luthero & incomparabile viſum opus. 3. Commentaria in Epiſt. ad Rom. 4. Celebris illa *Confeſſio Auguſtana*, de qua mox agetur. (*s*)

Variis interfuit Conventibus & Colloquiis, tandemque vivere deſiit Wittenbergæ 19. Aprilis 1560. ætatis ſuæ 64.

V. MARTINUS BUCERUS, Argentinæ ex Patre Judæo natus anno 1491., Ordinem S. Dominici poſtea amplexus, ſed turpis ejusdem deſertor Sanctimonialem ſibi connubio copulavit, Luthero ſcientia linguarum ſuperior, Argentoratenſis per plures annos Miniſter, pacis Sacramentarios inter & Lutheranos frequens interpres. Hermannum Colonienſem Archi-Epiſcopum erroribus ſuis faſcinavit. Obiit in Anglia XXVII. Febr. anno 1551. æt. 60. homo leviſſimus & Proteo ipſo mutabilior, dignus tamen a Seren. Landgravio Haſſiæ Philippo habitus, quem ad Lutherum, aliosque Doctores Proteſtantes mitteret, explorandi gratia, eosque ut totidem Oracula conſulendi, annon adſciſcere ſibi alteram tori ſociam, (*cur non & tertiam, quartam, pluresve?*) prima conjuge adhuc dum vivente, per novi Evangelii Canones liceat? [*t*]

VI. GASPAR SCHWENCKFELDIUS, Nobilis Sileſius, non Bibliis Sacris, ut quæ Verbum Dei haud eſſent, verum privatis tantummodo viſionibus ac revelationibus docuit eſſe credendum, fortiſſimum, quo opinionem ſuam tegebat, clypeum ex 1. Cor. 3. *Litera occidit*, ſtolidiſſime depromens. Alios præterea errores innovavit. Plurimos edidit contra Lutherum, cui totus vileſcebat, libellos; plurimis viciſſim a Lutheranis exagitatus. (*u*) Poſt viginti & octo annorum turbas obiit anno 1554.

VII. JOANNES AGRICOLA, idem cum Luthero natale ſolum habuit, eosdem initio propugnavit errores, quos inter primum facile locum ſibi vindicet nobile illud: *Quidquid libet, licet: modo in Chriſtum credas*, haud certe alienum ab hac Lutheri pronunciatione: *Pecca fortiter; ſed fortius fide.* Dictus *Antinomorum* parens, quod Legi adverſaretur ipſe, & eandem Chriſtianis prorſus inutilem eſſe affirmaret. Conceſſit fatis anno 1566.

VIII. ANDREAS OSEANDER, (*x*) juxta Nat. Alexandrum Guntzenhuſii in Marchionatu Brandeburgico natus, literis qua Wittenbergæ, qua Norimbergæ com-

 prehen-

(q) *Nat. Alex. Hiſtor. Eccleſ. Tom. VIII. pag.* 115. (r) *Luther. de Miſſ. priv. Simon Grynæus in vita.* (s) *Cl. Ulenberg. Hiſtor. de vita, moribus &c.*
(t) *Boſſueti Hiſtor. variat. Eccleſ. Proteſt. gallice edit. Pariſiis anno* 1740. *Tom. I. Lib.* 6. *pag.* 249. *ſqq.* (u) *Leg. Conrad. Schluſſelburg. Catalog. Hæreticorum Lib. X.*
(x) *Card. Hoſius Lib. I. de Hæreſ. noſt. temp.*

prehenſis, Lutheri aliquamdiu probavit dogmata, de iisque verba fecit; omnium mox fabula & ludibrium, cum alterum ſe jactaret Henochum ac mira de hominis juſtificatione deliramenta, nugasque nugaciſſimas circumferret. Paroxiſmo epileptico e vivis ſublatus eſt XVII. Octobris anno 1552. ætatis 52.

IX. JOANNES BRENTIUS, Patria Suevus, erroribus Lutheri inter alios hunc adjecit, quod Chriſti Corpus in vi unionis Hypoſtaticæ aſſereret eſſe ubique, nuncupatus idcirco *Ubiquiſtarum* parens: in eandem prolapſus eſt Apoſtaſiæ & Sacrilegii labem, dum e Senatu Canonicorum Wittenbergenſium ac Sacerdotum ad turpes nuptias ſecunda etiam vice tranſilire non erubeſcebat. Egit Theologiæ Profeſſorem Tubingæ, Ducique Wittenbergenſi a conſiliis fuit, mortuus X. Septemb. anno 1570. æt. 72. Eruditis illum ſcriptis excepit, retuditque *Petrus a Soto*, vir ex Ordine S. Dominici egregius.

X. MATTHIAS FLACCUS, ab Illyrici finibus, ubi III. Martii 1520. naſcebatur, dictus *Illyricus*, ſuos primum a Luthero & Melanchthone errores Wittenbergæ hauſit, quorum peroſus mollitiem, ad aliud ſeceſſit inſtitutum, multosque pertraxit: unde *Flaccianorum* ſecta ducit originem. Diſputatum ab eo vehementer cum Confeſſioniſtis de ritibus externis, de libero arbitrio, & aliis capitibus. Finxit peccatum Originale ipſammet eſſe hominis ſubſtantiam, penitus ſauciatam, atque inevitabili quadam neceſſitate in malum propenſam; contra Victorinum Strigelium, Profeſſorem Jenenſem, aliter de noxa originis ſentientem, æriter pugnavit; & maxima illius in compilandis Centuriis Magdeburgenſibus pars fuit. Obiit Francofurti ad Mœnum XI. Martii 1574. ætat. 55. Stilo Wittenbergenſium Scholaſticorum mordaciſſimo probroſiſſimoque confixus. (y)

XI. NICOLAUS STORKIUS, etiam pro temporum iſtorum uſu *Pelargus* ex græco nominatus, ortu Sileſius, Sectæ *Anabaptiſtarum*, quæ anno circiter 1522. caput extulit, autor fuiſſe tum Bullingero, tum Melanchthoni videtur. A Luthero, cui primum adhærebat, poſtea defecit, jactansque inſolitas revelationes, pulſus Wittenberga fuit, & incertis diu ſedibus per Thuringiam circumforaneus, ementitæ ſanctitatis ſpecie plebem ruſticam inſigniter luſit, perſuaſitque, ut libertatem profiterentur Evangelicam, & ſe rebaptizari ſinerent. Monaſterii in Xenodochio miſer hic enthuſiaſta occidit. Diſcipulum ſe illi adjunxerat THOMAS MÜNZERUS, Sacerdos Apoſtata, Zwickaviæ Miſnienſi in Marchionatu ortus, infauſtum terræ portentum, ut ait Flor. Ræmundus, qui, perlectis aliquot Lutheri libris, primus Germaniæ ſolum ſeductorum a ſe ſimpliciorum ſanguine rigavit. Turbulentiſſima enim fax belli, Cochlæo teſte, ſeditionisque fuit; cum, peragratis Evangelii ſui cauſa Bohemiæ, Marchiæ, Saxoniæque urbibus Mülhuſium tandem, imperiale Thuringiæ oppidum, & circumjacentes pagos ſeditionibus impleret. Ruſtici, qui ſuaſore illo, præcipites magno numero confluxerant, jamque horrendis non uno in loco adfeceranr Germaniam ruinis, inito prope Franckenhuſium prælio, a Georgio Saxoniæ Duce, ſex millia & amplius ſuſi, rebellionis ſuæ pœnam dedere, Anteſignanis eorum Münzero & Pfeiffero (alias *Fiſtulatore*) anno 1525. capite plexis. (*Tom. noſtro CC. VI. in Serie Regum Roman. pag. XXVII.*) Oppreſſorum victricibus Principum armis, perduellium Ruſticorum numerus ad centum & triginta, imo quorundam ex calculo ad ducenta millia fertur excurrere. (z)

XII. JOANNES CALVINUS, ut Lutherus Lutheraniſmi, ſic Calviniſmi autor, Novioduni Veromanduorum X. Julii anno 1509., patre Gerardo Cauvino, matre Joanna Franka, parentibus obſcuris, at Catholicis natus, abſolutis Lutetiæ Pariſiorum humanioribus Philoſophicisque ſtudiis, Avarici, quo Andream Alciatum JCtum ætatis ſuæ facile principem auditurus venerat, amicitiam iniit cum Melchiore Wolmaro, Germano, Græcarum literarum Profeſſore, ab eoque doctrinam Luthericam hauſiſſe creditur.

Cœpit anno 1534. Pictavii in Gallia virus ſuum effundere, ubi præ reliquis Antonium Dugium, Philippum Veronium, Albertum Babinotum & Joannem Vernovium amicos ſibi & fidos in propagandis Sectæ ſuæ novitatibus adjutores habuit. (a)

Ab Joanne Morino, judice rerum capitalium æquiſſimo & inprimis Catholico male ſibi metuens, e Regno illo Baſileam ſe contulit, enixus ibidem Cal. Auguſti anno Chr. 1535., ætatis 26. partum compluribus Orbis Catholici regionibus, quo penetravit, exitialem 4. libros *Inſtitutionum Chriſtianæ Religionis*, ut vocat, primum gallice, dein latine conſcriptos, atque ex Lutheri, Oecolampadii, Melanchthonis, & aliorum Sectariorum penu maximam partem depromptos, ſed nova methodo ac purioris Latinitatis

(y) *Ulenberg in vita pag. 448. ſqq. Anabaptiſt. Fabricio Origg. Saxon. Muncerus Stolbergæ in Herciniis.*

(z) *Cochl. Nat. Alex. & Mesbovius in Hiſtor. Lib. VII. pag. 265. apud Struvium natus fuit*

(a) *Spondanus Annal. Eccleſ. Tom. II. pag. 424.*

tatis elegantia, ceu veſte melius ſedente, exornatos, eleganti Præfatione ad Franciſcum I. Galliæ Regem addita.

Mox in Italiam profectus ad Renatam, Ferrarienſis Ducis conjugem, Novatoribus impenſe faventem; ex Italia Genevam, Geneva Argentoratum, ubi, ſuaſore Bucero, viduam Anabaptiſtæ, idoleam Buream (*de Bure*: Catharina *de Bore* Lutheri fuit) Matrimonio ſibi junxit anno 1537. Comitiis Wormatienſibus, ac Ratisbonenſibus interfuit. Redux anno 1541. ad Genevenſes ſibi conciliatos, & ſummo totius urbis plauſu exceptus, ita inſoleſcere, ut leges præſcriberet, a quibus diſcedere nemini liceat, ſuoque ex arbitrio ageret, flecteretque omnia, dictus idcirco a quibusdam *Papa Genevenſis*. Obiit hac in urbe poſt moleſtum cum variis morbis ſeptem annorum conflictum anno 1564. ætat. 55. Maji 27.

De genio, vitiisque Calvini ſcripſere Maimburg. *de Calviniſmo Lib.* 4. *ad a. cit.* Nicolaus Romæus *in Libro*, cui titulus: *Joannis Calvini, Noviodunenſis nova effigies, centum coloribus ad vivum expreſſa.* Flor. Ræmundus L. 7. &c.

De Sectæ Calviniſticæ erroribus nemo diligentius, quam *Franciſcus Feuardentius*, Clmum Ordinis Minorum lumen, Theologus præſtantiſſimus in ſua *Theomachia Calviniſtica*, ubi excuſſit mille & quadringentos errores, ac ſtrenue refutavit. (*b*)

En præcipuos Lutheri Sectatores, quos compendio expreſſi, & ſine fuco, ſine felle Lectoribus hic propono, veluti per tranſennam adſpiciendos: partim ne manca ſit, quam inſtitui, mutilaque narratio; partim ne continuo, atque in Comitiis, aut colloquiis mentio eorundem virorum ingeritur, ad aliorum volumina, e quibus, quales fuerint novi Dogmatiſtæ, intelligi poſſit, non ſine moleſtia recurrendum. Interim plura qui cupit, præter AA. memoratos, Staphylum, Piſtorium, Forerum, Bolſecum, Vetterum, & laudatum *pag.* 7. *Opuſc. de Sanctitate Eccleſiæ*, a Binero noſtro Cl. Weislingerum conſulat.

§. VI.

Comitia, in cauſa Lutheri & ejus Sectatorum ab anno 1521. ad 1546. celebrata.

ANnorum quatuor & viginti ſpatio quatuordem habita ſunt in cauſa Lutheri & ejus Sectatorum, ut mali principiis obſiſteretur, Imperii Comitia: in quibus quid actum ſit, chronologice hic loci, propoſitæ mihi brevitatis memor, exponam.

Anno 1521. ineunte, Carolus V. Imperator, qui flammis opera Lutheri jamtum Lovanii, Coloniæ, Moguntiæ, Treviris, Halberſtadii, Miſnæ & Muſenburgi publice abſumi juſſerat, (*c*) prima Wormatiæ celebravit Comitia, ad quæ præter Electores omnes, permagno Principes, Comites, Baronesque numero confluxere. Adfuit quoque Leonis X. Pontificis Legatus *Hieronymus Aleander*, vir doctus & eloquens, qui ſub ipſa Comitiorum primordia gravi Cæſarem, & Proceres oratione (*d*) imminentis Eccleſiæ ſimul, & Imperio a Lutheri molitionibus periculi commonefecit, oſtenditque doctrinam illius a Sede Apoſtolica damnatam, Cæſareo pariter edicto una cum autore ſuo eſſe proſcribendam. Quod Cæſari & Principibus reliquis placebat conſilium, diſplicere Friderico præprimis, Electori Saxoniæ viſum, qui, ut ictum ab ampliſſimo cætu declinaret, multa ajebat in Lutherum per invidiam congeri, aſſertionesque illas ab Aleandro productas, Lutheri eſſe pernegabat: inauditum jure damnari non poſſe.

Accitus igitur fide publica ad Conventum Lutherus, cum Schruffio, Jona, & Amsdorffio tribus ſibi adjunctis ſociis, in urbem venit XVI. Aprilis. Poſtridie ad conſeſſum Principum introducto, Cæſaris Orator Joannes Eckius, JCtus, Archi-Epiſcopi Trevirenſis Vicarius, duo propoſuit brevi, planoque reſponſo excipienda: primum, an libros, ſuo vulgatos nomine, tanquam ſuos agnoſceret; alterum, tuerine, quam continent, doctrinam, an revocare vellet? Affirmavit primum; ad alterum, quod gravioris momenti eſſet, moram deliberandi ſibi, gratiamque fieri petiit: quam & ex ſingulari Imperatoris clementia in proximum uſque diem impetravit. Reverſus deinde, cum longo inutilique verborum ambitu & implexa diſtinctione tria commemoraret librorum ſuorum genera, atque ipſum quæſtionis caput declinare velle videretur; ab Eckio, ut *ſimplex daret, preſſumque reſponſum*, urgebatur. Tum Lutherus, quoniam ita Cæſarea Majeſtas ac Principes velint, daturum ſe, inquit, reſponſum, quod nec cornuum ſit, nec dentes habeat. Niſi manifeſtis Scripturæ Sacræ teſtimoniis aut evidenti ratione convincatur erroris, non poſſe revocare ſe, quæ ſuis in libris docuit, nec velle. Erraſſe Pontificem, erraſſe Concilia, aut certe errandi periculo ſubjacere &c.

Bilem

(b) *Spondanus cit. pag.* 425. (c) *Nat. Alexander cit. pag.* 121.
(d) *Maſen. Hiſtor. Caroli V. & Ferd. L.* 1. *pag.* 48. *ſqq.*

Bilem Cæſari movit reſponſi ferocitas adeo, ut, interciſo hominem colloquio e conventu dimitteret, Ordinibus ad audiendam Imperatoris ſententiam altero mane redire juſſis. Sententia, Carolo digniſſima, lecta in Comitiis XIX. Aprilis, probataque fuit. Ejusdem argumentum ob præſtantiam ſuam ex *Maſenio cit.* adnectendum putavi. " Cæſar, *ſcribit ille*, quod pertinaciam hominis (*Lutheri*) perfracte obſiſtentis frangendam deſperaſſet, ipſe non eſt reverſus; ſed animum ſuum, ſcripto manu propria exarato, Ordinibus in hanc ſententiam expoſuit: *Genus ſe ducere a Chriſtianiſſimis Germanicæ Nationis Imperatoribus, a Catholicis Hiſpaniæ Regibus, Auſtriæ Archi-Ducibus, Burgundiæ Ducibus, quorum in Eccleſiam Romanam fida & conſtans voluntas, Orthodoxæ Religionis, ſacrorum rituum, legum, morumque indefeſſa propugnatio, ſuis monumentis Orbi etiammum ſit nota. His quidem fato functis, poſſeſſionem non minus Regnorum, quam avitæ Religionis adſe curam perveniſſe. Decretum ſibi eſſe viventi, morientique laudatis Majorum veſtigiis inſiſtere, neque degeneri conſilio a recte cæpta Religione deflectere, aut Conſtantienſis, aliorumque Conciliorum placitis adverſari. Cum fratrem unum, ſuo obſtinate ingenio fiſum, hallucinari, multo ſit evidentius, quam tot ante nos ſæculorum viros religioſiſſimos, prudentiſſimosque, a quibus tanto intervallo opinionum abeat; ut neceſſe ſit, aut omnes retro Majores noſtros, a primis ſuſceptæ Religionis noſtræ incunabulis, atque univerſum nomen Chriſtianum erroris condemnare, aut Lutherum non abſolvere. Eam ob rem deliberatum ſibi eſſe, omnes tam impiis conatibus vires objicere, Regna, Imperium, amicos, corpus, ſanguinem, vitam denique ipſam impendere; ne cæpta animorum contagio longius ſerpat. Neque enim ferendam hanc ignominiæ labem, quæ ſuo, Principumque nomini per omnem deinde poſteritatem adhæſura eſſet, ſi, aliqua illorum negligentia aut pravitate hæreſis Germaniam occupaſſet. Pœnitere jamnunc lenitatis, qua perditiſſimo homini veniam dederimus, tempusque dederit, quo perfidiæ robur adderet. Non audiendum abs ſe inpoſterum: curandumque, ut quamprimum urbe faceſſat, neque fidem ſibi datam, prohibitis in via concionibus, primus violet. Hoſtis porro, ac perfidioſi hominis loco ſibi illum futurum: a Principibus vero expectare, ut æquitati ac Chriſtianæ dignitati convenientia ſtatuant, ne indultæ perfidiæ animum, viresque indulgendo faciant.* (e)

Varios ea res animorum motus concitare videbatur Principibus. Quare, ne malum, poſt adhibita incaſſum media augeſceret, Cæſarem rogarunt, copiam ſibi faceret, privatis colloquiis num frangere Lutheri contumaciam poſſint, tantisper experiundi.

Triduum duntaxat, idque ægre conceſſum: ſpatio cujus bini Electores Richardus a Greiffenclaw, Archi-Epiſcopus Trevirenſis, & Joachimus Marchio Brandeburgicus, aliique e Germanis Proceribus ſelecti, omnem quidem lapidem moverunt, ut homini ſaniora perſuaderent: ſed fruſtra: omni enim lapide duriorem ſe exhibuit Lutherus, atque Imperatoris juſſu XXVI. Aprilis Wormatiam deſeruit, ſymboli ſui tenaciſſimus: CEDO NEMINI. Promulgatum deinde contra illum iisdem in Comitiis VIII. Maji Edictum Cæſaris, quod videre eſt *Tomo noſtro CC. VI. pag.* 182. *ſeqq.*

Præclara hæc laudatiſſimi Imperatoris Conſtitutio tam parum in naſcentibus illis Germaniæ turbis compendii quod adtulerit, non mirabitur, quisquis non pauca, quæ tum temporis erant, obſtacula in animum revocaverit. Natæ in Hiſpania ſeditiones & gerendum cum Franciſco I. Galliæ Rege bellum requirebant Carolum; relinquenda penes duos VIIIvirorum, Saxonem & Palatinum, fautores Lutheri ac defenſores, adminiſtratio Imperii erat. Nobilitatis etiam, ac promiſcuæ multitudinis in eundem Lutherum aperta ſatis benevolentia & favor peſſimi augebant eventus metum: ſed nec ætas poteſtasque adhuc in Imperatore maturuerant. Quanquam non deſunt, qui in Catholicos Germaniæ Proceres, nec conſilio, ut par erat, nec auxilio Cæſarem juvantes, maximam admiſſi tunc piaculi partem conjiciendam eſſe arbitrentur. (f)

Damnaverant ſub idem fere tempus articulos Lutheri, Lipſiæ diſcuſſos Academiæ ſeu Facultates Theologicæ Lovanienſis, poſt & Colonienſis, filiam, ut habet *Wilmii Chron. MS.*, ſecuta mater. Ex eodem tranſcripta Colonienſium Theologorum verba cum Lectoribus communico:

Univerſis & ſingulis has literas noſtras viſuris & audituris Decanus & Facultas Sacræ Theologiæ univerſalis Studii Colonienſis cum ſincera commendatione ſalutem.

Tametſi omnes, ubilibet conſiſtentes fideles ad communis fidei defenſionem nedum cum verum, verum etiam cum propriæ vitæ diſpendio teneantur; præcipue tamen eos ad id muneris arctius obſtrictos conſtat, qui pro titulo

(e) *Maſen. cit. & Cl. Ulenberg. pag.* 94.

(f) *Maſen. & Ulenberg. citt.*

tulo profeſſionis ab Eccleſia ad id præ ceteris deputati æſtimantur Sacræ Theologiæ Magiſtri, quorum [*ut Scriptura ait*] *unicujusque enſis ſuper femur ejus eſſe debet, propter timores nocturnos, errores & hæreſes, quos, procurante univerſorum zizaniorum ſatore diabolo, ſtudio pravorum, pſeudoque Catholicorum in Eccleſia per tempora dormientibus hominibus contigit pullulare. Cum itaque ante aliquot hos dies Venerandi Eruditiſſimique Domini Decanus, & Facultas Sacratiſſimæ Theologiæ inſignis Studii Lovanienſis Confratres noſtri fidei zelo ſuccenſi, per proprium ſuum Nuntium Sacræ Theologiæ Baccalaureum librum quendam ſub titulo cujusdam Fratris MARTINI LUTHER impreſſum, ad nos transmiſerint, expetierintque quatenus charitatis debito, eundem librum, quem multorum Chriſti Fidelium aures graviter offendiſſe accepiſſent, quod nova, inſolita, & noxia quædam dogmata, in fide erronea lectoribus ingereret, perluſtrare, & examinare dignaremur, atque ſi ita mereretur, reprobationis noſtræ cenſuram doctrinaliter adhiberemus. Nos tam ſanctis deſideriis Confratrum noſtrorum merito inclinati, præmemoratum librum, quadringentas, & octuaginta octo paginas in ſe juxta numerum illis impreſſum continentem videndum, reviſendumque nonnullis ex gremio noſtro Magiſtris commiſimus. Et quoniam poſt illorum examen, talem eum palam comperimus, qui quoad tractatus & materias per Fratrem Martinum Luther editas, atque in lucem* (*ut fertur*) *datas, varios in fide & moribus errores, alienaque a Sanctis Doctoribus contineret; & ſpeciatim ſancta, vitæque æternæ meritoria humana opera infamet, & reatum eis injiciat, quaſi ſine culpa fieri non poſſint, Sacras Scripturas, Sanctorumque Patrum ſententias pervertens in ſenſum pernitioſum contorqueat; Pœnitentiæ Sacramentum dogmatibus pernitioſis annullet, circa contritionem ſcandaloſos errores inducendo, circa Confeſſionem contra univerſalis Eccleſiæ veterem doctrinam perverſa conſilia ingerendo, omnem ſatisfactionem mortali culpæ remiſſæ debitam caſſando, cum Deus* [*ut ipſe ait*] *cui mortalem culpam, ſemper etiam & meritam pœnam remittat. Theſaurum Indulgentiarum, quas ab olim non ſolum Patrum Decreta, ſed etiam ſacra approbaverunt Concilia, ex frivolis irrationabilibus fundamentis, per propoſitiones in Sanctos, & Sanctorum merita impias, & blaſphemas pertinaciter annullet. Circa pœnas Purgatorii, & ſtatum Animarum poſt hanc vitam ex vanis motivis abominabiles errores diſſeminet; utpote quod in Purgatorio nulla Anima quippiam pro mortalibus patiatur, ſed duntaxat pro venialibus patiatur peccatis, quod Animæ in Purgatorio Deum vitioſe culpabiliterque diligant, ac ſine intermiſſione illic peccent, & quæ ſua ſunt, quærentes plus, quam Divinæ voluntatis impletionem, quod* (*ut ipſe inquit,*) *eſt contra caritatem; quod mortui fere non minus, quam vivi in ſtatu ſint merendi vitam æternam. Item contra privilegium & primatum Romanæ Eccleſiæ ſupra Eccleſias ceteras per orbem, erroneas aſſertiones ab olim pro hæreticis condemnatas auribus Chriſti Fidelium refricet, & ingerat. Sedem Apoſtolicam irreverenter palam, & ſcandaloſe taxet. Auctoritatem Summi Pontificis impudenter attenuet, utpote qui ſolam pœnam canonicam ſeu arbitrariam, nullam autem pœnam ſecundum Divinam Juſtitiam peccatis debitam, Divinitus ſibi data Poteſtate remittere poſſit, cum* (*ut ait ipſe*) *tales pœnas remittere eſſet Divinum jus mutare, mandatum Dei irritum facere, & in Deum impiiſſimum adverſarium eſſe; innumeraque talia ſcandaloſa his non abſimilia, imo graviora & pernitioſiora in ſe habeat. Quocirca nuper die Martis penultima menſis Auguſti ſuper hoc legitime omnes & ſinguli convocati, in Congregatione noſtra publica, more ſolito, in Conventu Prædicatorum ſervata & habita, matura penſiculatione præmiſſa, concorditer cenſuimus & doctrinaliter judicavimus, præfatum librum tantis ſcandalis, erroribus, hæreſibusque ab olim damnatis refertum, tanquam Communitati Fidelium noxium, jure de medio tollendum, uſum ejus inhibendum, ſupprimendum, & per eos, ad quos id ſpectare dignoſcitur, igni publice cremandum, auctorem etiam ejus merito ad revocationem publicam compellendum. In quorum omnium robur ac fidele teſtimonium hanc noſtram ſententiam per Notarium noſtrum juratum prædicto libro aſſcribi, & Sigilli Facultatis noſtræ* (*quemadmodum & has noſtras literas*) *juſſimus appenſione communiri. Datum & actum Coloniæ anno ſalutis Chriſtianæ ſupra Milleſimum, quingenteſimum, decimo nono, penultima die menſis Auguſti. Per me Henricum de Vorda de Colonia Notarium publicum, & ſupradicti generalis Studii Colonienſis Pedellum juratum.* Hæc communi nomine Theologi Colonienſes.

Idem fecerant & Pariſienſes. Calamum quoque adverſus novitii ſyſtematis fabrum generoſo conatu ſtrinxerat Henricus VIII. Angliæ Rex, titulo DEFENSORIS FIDEI a Leone Pontifice, & ampliſſimo Purpuratorum Præſulum Senatu eam ob rem inſignitus. (*g*)

Sed fruſtra adverſus obfirmatæ ſententiæ hominem pugnabatur. Cibi etiam ſaluberrimi corrupto in ſtomacho morborum plerumque fiunt alimentum.

Rugiebat ex caſtro Wartburgenſi Lutherus tanquam e Pathmo & eremo ſua (ut ipſe vocitabat) frementis inſtar leonis, & Pariſienſium læſus ſpiculo, quam Facultatem antea dixerat *primam totius Orbis & ſcientiarum Matrem*, inauditis poſt convitiis ceu *meram lepram capitalis bæreſeos*, *matrem omnium errorum in Chriſtianitate*, *Papæ veri Anticbriſti maximum fornicationis cubiculum* onerabat. (*b*)

Anno 1522. e Pathmo ſua poſt novem menſes ob Carloſtadii auſus erumpens Wittenbergam, ineunte Martio, libellos edidit [*verba ſunt Struvckii* (*i*)] omni ſpurcitia & ſcurrilitate refertiſſimos. 1. Contra Sedem Pontificiam. 2. Contra Statum Eccleſiaſticum. 3. De vita conjugali, in quo Sacerdotes, Monachos & Sanctimoniales omnes ad ineundas nuptias adhortatur. Quo factum, ut e Monaſteriis ſuis ad ſacrilega conjugia plures, nulla habita votorum ratione, petulci tranſilirent, querente licentiam illam atque intemperiem Hadriano VI. Papa, cum ad Fridericum Saxonem ſcriberet, his verbis: *Tibi debemus omnes, quod nunc paſſim ab unitate Matris Eccleſiæ recedatur: quod indoctum vulgus mille præſtigiis ac faſcinationibus retrabatur a fide, quam ſuxit ab ubere materno: quod Baſilicæ ſint ſine plebe, plebs ſine Sacerdotibus, Sacerdotes ſine debita reverentia, & ſine Chriſto denique Chriſtiani &c.* (*k*)

Reſponſum Lutheri, quod ad Angliæ Regem, doctiſſime ſcriptis ejus involucra detrahentem, dedit, feſcenninum eſt, atque in novo Augiæ ſtabulo, ſuperbia, impudentia, & rabie obſtetricibus, generatum videtur. Spurciſſima, quæ plenis in eo buccis crepat, referre Spondanum aliosque & piget & pudet.

In Comitiis eodem anno Norimbergæ cœptis, & in annum 1523. protractis, Franciſcus Cheregatus, Hadriani VI. Nuncius Apoſtolicus varia propoſuit, quæ ſi æquis excepta auribus animisque, a partium ſtudio immunibus fuiſſent, perſanatura malum videri poterant. Alia ad Principes in obortæ novitatis excidium animandos ſpectabant; ad ſpem defectus quosdam emendandi, ab ipſomet Pontifice liberalius forte, quam res ferrent, Ordinibus factam alia. (*l*) Quibus cum ſua Lutherani objicerent *centum Gravamina*, deinceps *Norimbergenſia* dicta, executionem tum Bullæ Leonis X., tum Wormatienſis edicti, in novum idque haud exiguum factionis & periculi robur, impediere.

De famoſis iſtis centum gravaminibus quid ſenſerint Gretſerus, (*m*) Surius (*n*) & Cochlæus, illius temporis Scriptor, (*o*) quid Maimburgus, Curiæ Romanæ non admodum addictus, & alii; quid porro ſentiendum ex æquo ſit, legeſis apud *Joſephum Binerum* S. J. (*p*)

Anno 1524. Imperialia rurſus Norimbergæ Comitia habebantur. Miſit illo Clemens VII., defuncti XXIV. Septembris Hadriani Succeſſor, Laurentium Campegium, Cardinalem, virum pietate, prudentia, doctrinaque non vulgari præditum, ab omnibus fere Principibus; ipſo etiam Cæſaris abſentis fratre & Vicario Ferdinando Archi-Duce obviis perquam benigne exceptum, qui ad Senatum Conſeſſumque Principum admiſſus, gravi mox oratione omnibus rogando inſtitit, gliſcenti Lutheranorum peſti, quæ non Religioni modo ac Sedi Apoſtolicæ, verum univerſæ etiam Reipublicæ, legibus licet optimis temperatæ, machinaretur ruinam, fortiter ſeſe opponerent, & Papæ, Cæſarisque ſententiam ſincere, gnaviter, & ſtrenue exequerentur. Secuta ingens dierum aliquot inter Principes ea ſuper re conſultatio, quam XVIII. Aprilis hoc tandem Decretum excepit: *Wormatienſe edictum Cæſaris in omnibus Germaniæ terris exequendum eſſe, quantum pro ratione temporis & circumſtantiarum fieri poteſt. Romanum Pontificem rogandum, ut ad examinanda Lutheri dogmata Generale Concilium in Germania convocet, quamprimum poteſt. Examinandos interim Lutheri libros a viris doctiſſimis, & nova Spirenſi in urbe Comitia cogenda, in quibus, quid agendum ad uſque Concilii Generalis eloquium, quid in rebus Divinis credendum ſit, definiatur.*

Multa

(g) *Spondan. Annal. Eccleſ. Tom. II. pag.* 339. (h) *Flor. Raemundus Lib. I. Cap.* 15.
(i) *Annal. Paderborn. Lib. XIX. ad annum Chr.* 1522.
(k) *Hadriani epiſt. ſub nomine Brevis extat Tom. CC. noſtro VI. pag.* 190. *ſeqq.*
(l) *Maſen. cit. Lib. II. pag.* 84. (m) *In defenſ. Bellarm. de translat. Imp.*
(n) *In Commentar. ad ann.* 1523. (o) *Act. Luth. ad eund. ann.*
(p) *Apparat. Erudit. Part. VII. Art.* 4. *a pag.* 84. *ad pag.* 92.

Multa adverſus Decretum illud Legatus Pontificius; ſed a plerisque vix auditus. Tandem Imperator Carolus inane ipſum ac frivolum declaravit, repudiavitque, ut ex ſignata Burgis in Caſtilia die XV. Julii ann. 1524. ſat longa epiſtola conſtat. (*q*)

Oppoſuerunt & aliud Decretum Principes Catholici, quo una cum Legato Pontificis (*cujus Conſtitutio ad removendos abuſus Tom. CC. VI. cit.*) Ratisbonæ ſtatuerunt, Imperiale edictum exacte penitus obſervandum & ſine mora executioni dandum: ut novitia doctrina funditus eradicetur. Recenſentur iſti Principes apud Cochlæum & Khammium *in Hierarchia Auguſtana.*

Spirenſia Comitia a Luthericis quidem omiſſa; Edictum Cæſaris obſervatum nunquam, Luthero interim Wittenbergenſes intra muros, doctrinæ ſuæ in Ducatum Luneburgicum & Mechlenburgicum, in Pomeraniam & Holſatiam, in Pruſſiam & Livoniam per adjutores ſuos transferendæ quam ſtudioſiſſimo.

Horrendum poſtea ſeditionis ruſticanæ incendium triſtis Germania conſpexit, hominibus efferatis vel una in Franconia ducenta & amplius Monaſteria & Nobilium caſtra menſe Majo diruentibus ac flamma abſumentibus. *Vide ſupra §. V. n. XI.*

Anno 1526. convocati a Ferdinando, Cæſaris juſſu Spiram ad Conventum Principes Imperii & Status nihil, quod poſtulabatur, ob animorum diſſenſiones perfecerunt; cum Lutherani ad mutua ſeſe fœdera contra Catholicos pararent.

Anno 1529. Conventus Principum, aliorumque Ordinum S. R. I. & Statuum Spiræ easdem, quibus ante triennium, ob cauſas iterum coactus. Decretum a Ferdinando & majore Procerum Civitatumque Imperialium parte in negotio Religionis conditum, ſex Principibus, & quatuordecim Urbibus Imperialibus haud ſapuit. Quare contra ipſum illico proteſtati: unde nomen *Proteſtantium* ſuam habet originem. Nec quidquam ab iis, quo Turcarum coerceretur audacia, ſubſidii datum: imo proteſtationem hanc ſuam Carolo Cæſari Placentiæ moranti ſignificare, ac liberum Religionis exercitium, dum Concilii cujusdam, in Germania celebrandi authoritas rem decideret, XII. Septembris expoſcere non dubitarunt. Uſſit petitio Cæſarem avitæ Religionis tenaciſſimum, & quantopere iſta paucorum Statuum proteſtatio ſibi diſpliceret, acuminato ipſis reſponſo haud obſcure oſtendit: qui ad fœdus, quo ſe communirent, inclinarunt animum, eamque ob cauſam Smalcaldæ primum, dein Norimbergæ anno 1530. Conventus egerunt.

Idem hic annus erat, quo Auguſtæ Vindelicorum obeunda ad VIII. Aprilis Comitia Auguſtus indixerat, tum ſponſione liberi tutique commeatus, ut metus omnis ac mali ſuſpicio abeſſet, tum facultate, ſuæ capita Religionis palam proponendi, Ordinibus facta. Frequentiſſimus fuit celeberrimusque Conventus, ad quem non Lutheranos modo, ſed Zwinglianos etiam nota Caroli, coram præfuturi clementia & amor publicus facile adduxerat: cauſa, quæ non ſemel alias, gemina: componendum videlicet tandem aliquando Religionis diſſidium, & certa in bello Turcico norma communi calculo ſtatuminanda.

Exceptus magnifico apparatu XV. Junii Cæſar, (*r*) poſtridie, cum feſtum CORPORIS CHRISTI incideret, ſolenni ipſe ſupplicationi cum omnibus Principibus Catholicis interfuit, Lutheranis præſentiam excuſantibus.

Die Junii XX. prima Conciliorum habita eſt conventio: in qua adventus Cæſarei cauſa publice ex ſcripto, ut mos obtinebat, recitata. (*s*) Quatriduo poſt Legatus Pontificius Campegius, vel, ut ſcribit Cochlæus, Campegii loco Vincentius Pimpinella, Roſſanus Archi-Epiſcopus Oratione latina & Cæſaris laudavit voluntatem & cohortatus Principes eſt, *ut fœdum Religionis diſſidium cum tanta ſui nominis labe & Reipublicæ pernicie ſuſceptum deponerent, nec paucorum, malo ingenii, affectionisque vitio, diſſentientium opinionibus, contra Europam, atque adeo antiquitatem univerſam adhæreſcerent: tutiorem viam eſſe, tot prudentum, Sanctorumque, tum Majorum noſtrorum, tum æqualium tritam veſtigiis &c.*

XXV. ejusd. menſis oblata Imperatori Lutheranæ doctrinæ CONFESSIO, a loco poſtmodum AUGUSTANA dicta, celebris ille Torgenſis fœrus, quem Lutherus, ut placet Ulenbergio, (*t*) informem quaſi & crudiorem edidit; ſed reformavit lambendo Philippus Melanchthon, ſibique vendicavit. Porrexerunt & Zwingliani ſuam. Utramque Theologis examinandam commiſit Imperator.

Rejecta communi Principum ſuffragio formula Zwinglianorum, cum Lutheranis *unio* Religionum ſancienda prima fronte videbatur. Sed concordiæ ſpes, Luthero in alia

(q) *Ex Cochlæo Struvckius cit. ad illum ann.*
(s) *Maſen. ex Goldaſt. Conſtit. Imp. Tom. I.*
(r) *Cochl. in act. Luth. Corbin. Khamm.*
(t) *Vit. & geſt. Luth. Cap. 21. n. 1.*

alia prorſus conſilia ruente, omnis decollaverat. " Poſt multas collationes, *inquit* " *Spondanus*, (*u*) & diſputationes ſingulis " illis numeris (1. *inter ſeptemdecim.* 2. *inter* " *ſeptenos.* 3. *inter ternos*) factas uſque ad " finem Auguſti, cum in nonnullis conci- " liari poſſe doctrinam, viſum eſſet (Me- " lanchthone pro ingenio ſeſe ad concor- " diam faciliorem exhibente, & maxime in " reſtituenda Epiſcopis ſua jurisdictione; " unde & peſſime tanquam fere deſertor " apud alios audivit) res tamen demum ad " nihilum redacta eſt, obſtante Luthero, qui " literis ſuis vetuit, ne quid adverſariis con- " cederetur; ſed miſſa actione domum re- " diretur."

Emanavit igitur pro coronide tanti Conventus ab Imperatore edictum, ut priſca Eccleſiae fides inconcuſſa ſervaretur, donec in *Concilio Oecumenico* (quod urgere tum quidem ac flagitare DD. Proteſtantes videbantur) non diu differendo definirentur lites, & Religionis diſſidia abolerentur. Decreto huic 1530. die X. Novembris ſubſcripſere, ſive per ſe ipſos, ſive per Legatos ſuos CAROLUS V. CÆSAR, QUINQUE ELECTORES, PRINCIPES ECCLESIASTICI 30., SÆCULARES 23., ABBATES 22., COMITES & BARONES 32., CIVITATES LIBERÆ 39. (*x*)

Cæterum res in illo Conventu geſtas narrant diligentiſſime Cochlæus, qui aderat, & Ulenbergius *in Actis & Vita Lutheri*; Pontanus *in Rebus memorabilibus*; Surius *in ſuis Commentariis*; Goldaſtus *in Conſtit. Imperial.*, Georgius Cæleſtinus *in locupletiſſima Comitiorum Auguſtanorum Hiſtoria*, quatuor Tomis anno 1576. edita. (*y*) De Confeſſione Auguſtana examen Polemicum inſtituit P. Vitus Pichler S. J. *in Curſu Theologiæ Polemicæ.* (*z*)

Anno 1532. menſe Martio, Cæſar, gliſcentem majoribus in dies incrementis peſtem ſine ferro flammisque ſanaturus, Conventum totius Germaniæ Ratisbonam evocavit, ut collecti ibidem Principes metuenda Turcarum tentamina propinquiore e loco obſervare poſſent. Adfuere Orthodoxorum Proceres, & Legati bene multi, quorum ſeriem habet ad a. h. Cochlæus: Proteſtantes vero, novi *Confeſſioniſtæ* ab Ordinibus tunc primum avulſi, Sweinfordiæ ad Mœnum, poſt Norimbergæ menſe Junio coiere: a quibus Albertus Archi-Epiſcopus Moguntinus, & Ludovicus Palatinus Elector, qui quidem permiſſu Cæſaris eos convenerant, operam contra Turcas adjungendam ante impetrare non potuerunt, quam, ſuſpenſis tantisper ad futurum Concilium Wormatienſi & Auguſtano edictis, Religionis interim ſuae exercitium Imperator Lutheranis permitteret. Permiſſum illud eſt, moxque ſupperias adverſus Solimannum omnes quam liberaliſſime Smalcaldici Fœderis Socii detulerunt.

Anno 1540. reverſus ex Hiſpaniis Carolus integro apud Belgas anno ob Gandavenſium tumultus conſtitit, irretortis quaſi oculis, quo rerum Germanicarum turbae ſe tandem verterent, circumſpectans.

Salutaverant non ignobili Legatione Smalcaldienſes fœderati Auguſtum, & animis (fictene? an candide? non diſputaverim) ſubmiſſis ab eo petierant, adnotante *Surio*: (*a*) " Primum ne in eos vi & inopino " aggreſſu rueret; deinde vero, ut omnes " Judicii Imperialis actiones, quae contra " bonorum Eccleſiaſticorum direptores in- " ſtitutae fuerant, penitus aboleri ſineret: " ex his enim omnia Germanicorum Princi- " pum diſſidia profluxiſſe, & fine earum ab- " olitione priſtinam Germaniae quietem re- " ſtitui non poſſe."

Reddidit poſtpaulo per Nuenarium Comitem Imperator Clementiſſimus reſponſum, in Germaniam non veniſſe ſe animo hoſtili, ſed Religionis concordiam modo, quo poſſet, æquiſſimo ut revocaret: propterea, quid concedere Catholicis velint, quid contra tueri, ediſſerant. Re diu multumque cum Melanchthone, Bucero, aliisque Theologis ſuis verſata, reſponderunt Legato Comiti: " Studium concordiae ſibi maxime " cordi eſſe: cavendum vero, ne per eam " intelligatur (*b*) ulla rejectio doctrinae, in " Auguſtana Confeſſione, vel ejusdem apo- " logia quondam exhibitae: in hac enim ſeſe " mordicus perſiſtere velle; ſolumque pe- " tere, ut illius fundamenta in Comitiis " publicis per viros idoneos diſcutiantur."

Poſtulationi facturus ſatis amantiſſimus quietis Germanicae Carolus, Spirae Comitia in XXIII. Maji haberi voluit, mox inde, graſſantis metu contagionis, Hagenoam translata: quibus a Carolo Cæſare, aliis diſtento negotiis, Ferdinandus frater præfuit fructu penitus nullo, cum ad Auguſtanam ſuam Profeſſionem, tanquam ad ſaxum polypi, Lutheranorum Theologi adhærerent. Id quod jam ante monuit Carolum vates minime infelix Farneſius a Pontifice legatus, ſic, uti fertur, Cæſarem allocutus: " Votum Pauli

(u) *Annal. Eccleſ. Tom. II. pag.* 404.
(x) *Khamm. loc. cit.*
(y) *Spondan. ad annum* 1530. *n.* 6.
(z) *Part. II. Append. a pag.* 668. *ad* 796. *Typis Joann. Mauritii Körneri Auguſtae Vindel. anno* 1713.
(a) *Comment. rer. geſt.*
(b) *Chytraeus Lib.* 15. *Saxon.*

Digitized by Google

" Pauli Pontificis noſtri, a tam noxiis ſedi-
" tionibus divulſa Germaniæ membra in ſa-
" num integrumque corpus reſtitui ; ſed
" idoneam medicinam reſpuentium, ſuaque
" amantium vulnera, difficillima futura cu-
" ratio eſt, inconſtantis vitii morbus eſt, qui
" neque nomen certum, neque Medicum
" tam facile habere poſſit. Polypo omni
" mutabiliores hæretici, novum indies vul-
" tum induunt, quæ nuper in Comitiis Au-
" guſtanis tanquam oracula Divinæ Sapien-
" tiæ amplexi ſunt, nunc faſtidioſe negli-
" gunt, novamque in formam toties huma-
" nasque leges transformant, ut ſine lege,
" ſine forma certa, ſine conſtantia, ſine fide
" fidem habeant, & ab his quid tandem
" ſperare poteris, cum Orthodoxis, uni ſe-
" mel aſſertæ veritati inſiſtentibus commu-
" ne? quid? ut illi nobiscum conveniant,
" quibus adeo inter ſe non convenit ; ut
" novis quotidie ſectionibus in diverſa ab-
" eant, mutuoque errores exprobrent? Ut
" vero illos indulgentia aliqua emolliendos
" ſperes, quos hactenus tua exacerbavit cle-
" mentia, non eſt. Quidquid conceſſeris,
" ſatis eſſe nequit, omnia ſibi tribui poſtu-
" lantibus. Suo illi arbitrio de fide ſtatuere,
" non alieno, jam pridem decretum habent,
" univerſalis Concilii ſenſum, cenſuramque
" ſubterfugient, ac tergiverſatione deludent,
" privatis vero conciliabulis ad fidei impe-
" rijque ruinam, bellique, non pacis arti-
" bus utentur. Quid enim hactenus con-
" greſſibus omnino impetratum? quid de-
" inde illis etiam legibus, quibus ſe tibi ob-
" ſtrinxerunt, hucusque confectum? an
" quisquam tam inter rebelles parum audax
" repertus eſt, qui Legum, Decretorumque
" tuorum ſepta non tranſiliret? quid Schwein-
" furti, quid Noribergæ pactis induciis con-
" ſtiturum fuerit, meminiſti. Receperunt,
" nullis ſe deinde locis Religionis formam
" mutaturos, aut quemquam ſuæ ſocietati
" adjuncturos, pœna in prævaricatores con-
" ſtituta: qua fide iſta præſtiterint, docent
" tentati Legationibus Veneti, Angliæ, Gal-
" liæque Reges; docent liberæ Urbes, Dux
" Wittenbergicus, Daniæ Rex, in commu-
" nionem fœderum adducti. Nunc porro
" illud agunt, ut ſummum Spiræ judicium
" evertatur, ne quos inpoſterum ſuorum
" ſcelerum patiantur arbitros, & bonorum
" Eccleſiaſticorum jura ſine judicis aut pœ-
" næ timore violent. Vides, opinor, quan-
" tum his, noxiæ libertatis præconibus, con-
" cedendum ſit, ut tuarum illos partium
" habeas. Tuæ illi voluntatis non aliter
" futuri ſunt, niſi illorum prius voluntati te
" adjunxeris. Quantum vero in Religionis
" articulis, illis acceſſeris, tantum a veritate
" deflectas, neceſſe eſt. Inconcuſſa fidei
" noſtræ fundamenta, ſuæ innixa petræ,
" ſteterunt hactenus, neque dimoveri, ſine
" veritatis ruina, loco poſſunt. Hæc te, o
" Cæſar, ad leviſſimorum hominum arbi-
" trium transferre, neque ratio, neque Re-
" ligionis noſtræ ſanctitas patitur. Si quid
" tamen in rebus fidei controverſum inci-
" derit, non ignorabis alieni eſſe judicii, ne-
" que tuo arbitratu definiri poſſe. Romana
" hoc ſibi Eccleſia, inter recte ſentientes,
" officium poſtulat; qua ſine Concilia aut
" indicere, aut inire, negotium eſt, quod
" parum æquitatis, periculi multum habeat;
" apud illos præſertim, qui Apoſtolicam Se-
" dem ſuis everſam fundamentis obfirmate
" cupiant. Quocirca alio tibi conſilia ad
" Germaniæ quietem certius poſſidendam
" vertenda ſunt, ut & majori vacet Religio
" periculo, & firmiori opere pax inſtrua-
" tur. Rex Galliæ ad pacis armorumque
" conſortium tibi erit admittendus. Quo,
" uti pronus eſt, admiſſo, generali Orbis
" Chriſtiani Concilio Religionis diſſidia ſunt
" componenda. Rebelles ad obſequium aut
" ratione, aut bello revocandi. Hoc niſi
" feceris, in re tanta, poſt impenſas fruſtra
" cogitationes & vires, laboris fructum te
" denique amiſiſſe ſenties, neque promo-
" viſſe quidquam, niſi ad majorem Imperii
" labem ac ruinam. Etenim nihil eſt, cur
" placidis eos conſiliis regendos ſperes, qui,
" licet imbelles hactenus, & parvis orti
" principiis, adeo tamen inſolenter in tuum
" Pontificiumque nomen graſſati ſunt, ut ii
" illi cœlo dilapſi, nos tanquam terræ filios
" deſpicerent, hos, ut levi conciliationis
" momento a jurata perfidia abducendos ex-
" iſtimes, id vero erit ex pumice aquam ex-
" ſpectare. Denique omnis mora, tot con-
" ciliabulis impenſa prorſus ad majus Reli-
" gionis excidium nefariis hominibus pro-
" fuerit. Quin eam reſcindis, Maxime
" Cæſar, ne denique tot Principum viribus
" aucti non Germaniæ modo, ſed & vicinis
" nationibus metuendi exiſtant." Hæc *Far-neſius.* (c)

Anno 1541. Ratisbonam iter maturavit Cæſar, novumque ibi in Aprili Conventum, a ſe multisque Epiſcopis, Principibus Catholicis ac Proteſtantibus, nec non utriusque partis Doctoribus inſignem habuit. Spem componendi aliquando fatalis diſſidii adferre viſus Legatus Pontificius, *Gaſpar* Cardinalis *Contarenus*, Vir ſumma literarum eruditione, morum probitate, ac rerum prudentia conſpicuus. (d) Limavit is XXII. Articulos a Bucero compoſitos. Imperator omnes ad concordiam adhortatus, XIII. Aprilis trium utraque ex parte Theo-

(c) *Maſen. cit. Lib. V. n. 79.*

(d) *Spondan. ad h. a.*

logorum examini rem ſubjiciendam ſtatuit. Delecti ex Catholicis *Julius Pflugius, Joannes Gropperus & Joannes Eckius*: ex Proteſtantibus *Melanchthon, Bucerus & Piſtorius*. Tres quoque teſtes adjuncti, qui & audirent diligenter omnia, & quid actum utrimque ab Theologis, quid conventum fuerit, teſtari fideliter poſſent. Præſides conſtituti iſtius diſputationis Fridericus Princeps Palatinus & Nicolaus Granvellanus, qui ſua, dum opus foret, authoritate frænum injicerent linguis, ſcholaſticumque furorem, in ſeveris ejusmodi congreſſionibus ſubortu facilem, coercerent. Menſem diſputatio tenuit, aut eo etiam amplius; (*e*) ſed actum, quod optatam ad concordiam faceret, nihil, Proteſtantibus Lutherum ſuum, ceu miſſum e cœlo oraculum, ſemper audientibus. Igitur rejecta & hac vice ad Concilium generale actio, his tamen, ne majora interim vulnera Religioni Catholicæ infligerentur, adſtipulante Principum Collegio, die XXIX. Julii articulis ab Cæſare decretis: 1. *Ut ante Concilium proximum futurum nemo aliquid in poſterum doceat contra articulos, a Theologis utriusque partis unanimiter admiſſos.* 2. *Ut omnes actiones & proceſſus Camerales, qui hucusque adverſus Ordinum Proteſtantium auſa in Tribunali Cæſareo inſtituti vel agitati fuerant, conſervandæ pacis cauſa uſque ad idem Concilium ſuſpendantur.* 3. *Ut inconcuſſe ac firmiter in poſterum obſervetur pacificatio Norimbergenſis de anno 1532.; ideoque nulli Principum ante finem Concilii prædicti liceat, alium Principem bello aggredi, infeſtare, premere, vel deſpoliare, non ſolum ex cauſa diverſæ Religionis, verum etiam ex alia qualicunque. Sin vero aliter a quoquam actum vel attentatum fuerit; liceat oppreſſæ parti ad Camerale Tribunal ſe recipere, & ab eo juſtitiam ac pœnalia mandata contra hujusmodi invaſorem petere.* (f)

Anno 1542. bini celebrati per Ferdinandum Rom. Regem, Cæſaris denuo vices gerentem Conventus, Spiræ in Februario alter, alter Norimbergæ menſibus Julio & Auguſto. Actum in utroque cum de mittendis contra Turcam auxiliis, tum de Concilio generali tandem inchoando, quod ante Carolus, quam in Africam trajecit, Paulo III. Pontifici feſtinandum, ſummo quo potuit ſtudio commendaverat.

De Concilii loco, quod Tridentum erat ſitum ad Germaniæ fines oppidum idque ſat opportunum, inter Catholicos Principes, Cæſarisque Legatos jamtum convenerat, authore Joanne Morono, Mutinenſium Epiſcopo, Pontificis Legato. Proteſtantibus, vel quod diffiderent, ſe poſſe in ea cauſa conſiſtere; vel quod facti audaciores, ſemet & Dominos & arbitros facere vellent, nec locus ille, nec antiqua Concilium per Papam indicendi conſuetudo probabatur. Paulus interim haud ſegnis operum, vulgato XXII. Maji ejusd. anni per Europam Diplomate (*g*) inchoandam decrevit Synodum feſta Omnium Sanctorum luce, qua ante annos quatuor & viginti ſuos Wittenbergæ errores docendi initium Lutherus fecerat. Verum recrudeſcente Cæſarem inter & Franciſcum I. Galliæ Regem bello & Turca Hungariam devaſtante, revocandi, quos Tridentum ſuos jam intra muros ſalutaverat, Cardinales Legati, & Synodus aliud rurſum in tempus differenda. (*h*)

Anni 1544. Januario menſe celeberrimum Spira vidit Imperii Conventum, cui præter ipſummet Cæſarem, & Ferdinandum Rom. Regem, Electores (quod raro alias) ad unum omnes; plerique etiam, unum alterumve ſi exceperis, Principes interfuerunt. (*i*) Ubi, cum plus Proteſtantibus Cæſar, quam per Pontificis in Eccleſia authoritatem, fideique Catholicæ liceret integritatem, dediſſet, quo ſuam faciles in petitionem efficeret; hos quidem ſenſit facillimos; Pontificem contra non leviter offendit. Decretum conciliandis ſibi Proteſtantium reliquis, X. Junii a Carolo interpoſitum hujus fere argumenti erat: (*k*) *Auguſtani leges edicti uſque ad œcumenici vel nationalis Concilii, aut certe, his deficientibus, uſque ad autumnalem, brumalemve Principum Conventum ſuſpenſæ hæreant, ubi doctorum virorum judicio de pace Religionis conſultetur, quæ ſuo interim pede, citra litem ob bona Eccleſiaſticorum occupata, & Imperialis judicii interminationem ſubſiſtat: ac promiſcue ad hujus judicii ſubſellia utriusque Religionis viri idonei Spiræ recipiantur. Ludimagiſtri quoque & Eccleſiaſtæ Proteſtantium admittantur &c.*

Hujus porro Decreti certior Pontifex factus, prolixas ad Carolum literas XXIV. Auguſti exaravit: de quibus ita Spondanus: (*l*) "Iis benigne Pontifex Imperatorem mo-
" nuit, Decreta Spirenſia tam ad ipſius ani-
" mæ periculum, quam ad maximam Eccle-
" ſiæ perturbationem tendere. Minime eſſe
" ab Eccleſiæ ordine & inſtitutis diſceden-
" dum; quibus præcipitur, ut, quoties de his,

(e) *Pallav. Hiſtor. Conc. Trid. Lib. IV. Cap. 14. n. 5. & ſeq.*
(f) *Vid. Receſſ. Imperii edit. Ratisbonæ.* (g) *Extat Tomo noſtro CC. VI. pag. 808. ſeqq.*
(h) *Spondan. cit. pag. 477.* (i) *Nomina Principum vid. in Annal. Paderb. Struvii cit. Lib. XX. ad h. a.* (k) *Sleidanus Lib. XV. pag. 446. apud Struvium.*
(l) *Annal. Eccleſ. Tom. II. pag. 482.*

igitized by Google

" his, quæ ad Religionem pertinent, diſcep-
" tatur, ad Sedem Apoſtolicam omne judi-
" cium ſemper referatur, nihilque, illa in-
" conſulta, ſtatuatur. Ipſum tamen Impe-
" ratorem ita rem Spiræ egiſſe, ut, nulla
" habita ratione aut mentione Pontificis, cui
" Divina & humana jura ſupremam cum
" cogendi Concilia, tum ſtatuendi de his,
" quæ ad Eccleſiæ unitatem, utilitatemque
" ſpectant, authoritatem dederunt, de Con-
" cilio Generali vel Nationali, ſeu etiam de
" futuro Imperiali Conventu, in quo de Re-
" ligione tractaretur, ſtatuerit: idiotis &
" hæreticis judicium de illa permiſerit, de
" bonis ſacris pronunciarit, damnatos ab
" Eccleſia priſtinis honoribus reſtituerit, non
" aſſentientibus iis, qui veterem & religio-
" ſam obſervantiam præſtarent. Exiſtima-
" re ſe, non ex ipſius hæc eſſe profecta ſinu,
" ſed malevolorum, cum quibus amicitiam
" iniit, conſilio facta, ut aliquam abalienati
" animi ſignificationem daret. In Sacra
" Scriptura plurima extare exempla vindictæ
" Divinæ in eos, qui Summi Sacerdotis
" munera ſibi vendicare auſi eſſent. In Ec-
" cleſia Chriſtiana Deum Principes ac Popu-
" los Sedi Romanæ, cæterarum Eccleſiarum
" principi fideles, ſummis beneficiis ampli-
" ficaſſe; ejusdem vero hoſtes graviſſimis
" pœnis affixiſſe. Id eo magis eſſe ipſi Im-
" peratori verendum, quod originem du-
" ceret ab iis Imperatoribus, qui non plus
" honoris Eccleſiæ Romanæ detuliſſent,
" quam ab ea recepiſſent. Quod Eccleſiæ
" emendationem cuperet, & controverſia-
" rum conciliationem, id eſſe inprimis lau-
" dandum, petereque ſe, ut in eo ſuam ope-
" ram ſibi præberet, cui miniſterium hoc
" atque curam Deus commiſiſſet. Adjuto-
" rem ipſum poſſe ferre; Rectorem atque
" Caput non poſſe. Obtemperaret ergo ſuis
" monitis, & cum eſſet primogeniti filii lo-
" co, parentem ſalutaria conſulentem am-
" plecteretur; poſitis armis paci ſtuderet;
" aut ſi pax coire non poſſet, controverſiam
" omnem & belli cauſas Concilii a ſe jam
" indicti & rurſum indicendi diſceptationi
" ſubmitteret. Poſtremo quæ Romanæ Ec-
" cleſiæ adverſariis nimia quadam lenitudine
" conceſſiſſet, ea penitus reſcinderet: alio-
" qui namque futurum, ut ſeverius agere
" cum ipſo cogeretur, quam vel conſuetudo
" ſua, vel natura, vel etiam voluntas ferret.
" Hæc & alia permulta in eundem ſenſum
" Paulus." Hucusque *Spondanus.*

Literas has, quas Papa calamo ſcripſit, (cum Maſenio loquor) felle juxta ac melle illito, ut ſine ulla animi exulcerati teſtificatione per Odatium Legatum Imperator accepit: ita tulit acerbe novus Saxonum Apoſtolus, contra eas ut librum Teutonice ſcriptum juris publici faceret, qui ſine pudore nec recitari, niſi ab impudentiſſimo, nec legi poſſit.

Anno 1545. pace Carolum inter & Franciſcum ſumma totius Orbis Catholici & præſertim Pontificis lætitia, plauſuque Creſpiaci in Sueſſionibus jam ſancita, Ferdinandus Rex & Cardinalis Otto Truchſeſius, Epiſcopus Auguſtanus, Cæſare per invaletudinem nonnihil impedito, in Comitiis Wormatienſibus XXIV. Martii, quid præcipue cauſarum ſit, cur convenerint, indicabant: nimirum ut Religio, jus, paxque per Imperium conſtitueretur, & pro bello Turcico juſta perurgerentur ſubſidia. Pacem Creſpiacenſem utrumque pro ſcopo habuiſſe, probatam ab Rege Galliæ Tridentinam Synodum, & auxilia adverſus Turcam promiſſa, remittendum ad illud Concilium modo indictum, quidquid de Religione inter ſe partes controverſentur; morem decretis iſtius Concilii omnino eſſe gerendum. Annuentibus propoſitioni Catholicis, Lutherani Principes, Saxo inprimis & Landgravius per Oratores ſuos publice declararunt, nihil a ſe pro bello Turcico contributum iri, (*m*) niſi per edictum Cæſareum & a ſubjectione Cameralis judicii & præſtanda Concilio Tridentino obedientia Lutherani omnes eximerentur: pro nullo a ſe haberi illud Concilium, ſemperque habendum.

Pupugit Imperatorem, qui ſerius ad diem XVI. Maji Wormatiæ advenerat, ea VIIvirorum ſuorum paucitas, ut par erat, graviter; verum multo gravius Lutheranorum Principum inſolens obſtinatio, qui a propoſito ſuo nullis ejus monitis, adlatisque rationum momentis removeri ſe paterentur, auſi adeo Francofurti cogere Conventum, in quo *de Brunſvicenſis belli ſumptibus, cujus Principatus Ducem Henricum, poſſeſſionibus ejectum ob æmulationem ex Religione & bonis Eccleſiaſticis natam, vinculis cum filio attinebant, de auxiliis Colonienſi Archi-Epiſcopo* (Hermanno a Weda) *contra Cæſarem ſuſſiciendis, de prorogando fœdere Smalcaldico inter Sacramentarios, Lutheranosque inito, de repudianda denique Tridentini Concilii ſocietate ſtatuerunt.* (*n*) Perſpiciens igitur ſapientiſſimus & æquiſſimus Cæſar, quo iſta Proteſtantium molimina collimarent, antequam curando ulceri applicaret ferrum, diſſolutis Comitiis Wormatienſibus, alia Ratisbonæ celebranda duxit: quamvis ſuæ idipſum authoritati adverſari putantes Tridentinæ Synodi Proceres, conſiliorum Pontificis

(m) *Chytræus Lib. XVI. Saxon.* (n) *Maſen. Lib. VI. pag.* 281.

ficis, Cæſarisque haud ſatis gnari reſiſterent, ac deſperatum dicerent adverſarios conciliandi ſtudium.

Anno 1546. non Principes Lutherani, ut Cæſar juſſerat, ſed eorundem Legati Ratisbonæ convenerant de rerum ſumma acturi. Egerunt utriusque partis Theologi complurium intervallo menſium pro more nihil, varias in opiniones verſi: Stabant a Catholicis *Petrus Malvenda*, Dominicanus, *Erardus Billichius*, Carmelita, *Joannes Hoffmeiſterus*, Auguſtinianus, cum celeberrimo Doctore, Lutheri malleo, *Joanne Cochlæo*. Pro Acatholicis pugnabant *Martinus Bucerus*, *Joannes Brentius*, *Georgius Major*, & *Erardus Schneppius*. Tridentinam Synodum rejiciebant hi; laudabant iſti ac perſuadere modis omnibus connitebantur. Cæſar abruptum Ratisbonæ colloquium & deſertum a Proteſtantibus, invenit.

" Sed quis afflictiſſima membra, *inquit* " *Spondanus*, (o) condemnaverit, ſi, capite " ſublato, torpuerint? Unde illis reſpira" tio poſt vitalia ſuffocata? Magis certe mi" randum, quod tam diu ſeſe regere potue" rint, delapſa, qua ſuffulciebantur, co" lumna. Mortuus enim hoc anno XVIII. " Februarii MARTINUS ille LUTHE" RUS, qui in oppugnanda Eccleſiæ Catho" licæ doctrina & ritibus, Schiſmaticis om" nibus poſteriorum horum ſæculorum " viam aperuit, atque arma, quibus & ſeſe " &, qui eis adhærerent, confoderent, ſub" miniſtravit."

Porro de morbi perinde ac mortis genere non eadem eſt Hiſtoricorum ſententia. Aliter ſcripſere de illo Catholici; (p) aliter Proteſtantes: (q) quos, cui lubet, adire poterit. Obiit Isiebii in patria ſua Lutherus, quo controverſias aliquot componendi cauſa a Comitibus Mansfeldicis evocatus fuerat, anno ætatis climacterico 63. Ordinis ſui religioſi & avitæ fidei deſertor, errorum, ex aliarum ætatum tenebris erutorum Magiſter, & novi Evangelii parens, qui cum *Simone Mago* ac *Manichæis* humani arbitrii libertatem, operumque bonorum mercedem impugnare aggreſſus eſt: cum *Montaniſtis* rectum pœnitentiæ uſum, cum *Donatiſtis* ſacrificandi ritum ſubvertit: jejunia cum *Euſtachianis*, funebres comprecationes cum *Arianis* damnavit: cum *Eunomio* ſoli fidei ſcelerum expiationem tribuit; cum *Joviniano* religioſam proſcripſit continentiam; cum *Neſtorio* Patrum ſcripta, Conciliorumque placita errorum plena arguit; cum *Photio* caſtitatis meritum, Presbyterii dignitatem, ac Pontificii nominis authoritatem conculcavit; cum *Berengario* in Euchariſtia ſubſtantiam panis vinique admiſit; cum *Waldenſibus* indulgentias aſpernatus eſt, Sanctorumque miraculis fidem derogavit; cum *Wicleffo* & *Huſſo* pleraque Eccleſiæ Sacramenta, ſummumque ejus Caput Pontificem execratus eſt. (r)

Ob eundem hunc Lutherum, ſparſamque ab eo per Germaniæ terras doctrinam & hæc Ratisbonenſia Comitia Imperii habita, ſed ſuo, ut priora alia, fructu caruerunt.

Tum vero Cæſar, præciſas a Lutheranis, pro fœdere Smalcaldico quaſi pro Palladio ſuo decertantibus, omnes pacis reducendæ vias intuitus, quo rebelles compeſceret, cum Pontifice, Principibus Catholicis, nonnullis etiam Lutheranis, *Mauritio* & *Auguſto* Saxoniæ Ducibus, *Alberto* & *Joanne* Marchionibus Brandeburgicis, fœdus iniit, vi armisque domiturus, quos clementia hactenus & ſanis rationibus & conditionibus æquiſſimis non potuit.

" Neque enim bellum Religionis cauſa, " ut refert *Binerus* noſter, (s) paratum vi" deri voluit; ut quosdam Lutheranos ad ſe " pertraheret: ſed in læſæ Majeſtatis Divinæ " & humanæ reos ſe moturum, qui, falſo " Religionis prætextu inciſis nervis ac nexi" bus, Rempublicam, totamque Imperii " molem conentur evertere, deſpecta pote" ſtate Cæſarea, omnibusque viis pacem in " Germania per tot Comitia ſtabiliendi pro" terve abjectis: contra Imperatorem Con" ventus cogi, & cum exteris Principibus " pangi fœdera: relicto judiciorum ordine, " privata illa atque truculenta diffidationum " jura ſuſcitari denuo, in perniciem quietis " & tranquillitatis publicæ. Subditos Im" perii impune jam toties armis invaſos, at" que vi injuſta Principes etiam Provinciis " ſuis dejectos: Henricum Brunſvicenſem " a Landgravio urbibus ſuis ſpoliatum, ad" huc dum vinctum teneri, & in carcere " ſqualeſcere: ipſas Imperii baſes prope" diem everſum iri, ni Caput invigilet, & " turbulentis conatibus obviam eat."

Hæc belli, a fœdere Smalcaldico nomen mutuati, initia: quod qua fortuna geſtum ab Imperatore confectumque ſit, cum Tom. CC. VI. in Serie Regum Romanorum pag. XXIX. legi queat, hic ſuperſedeo; quin tamen omittendum videatur, quod de bello iſto adnotat Cl. Benedictus Schmidtius JCtus

(o) *Annal. Eccleſ. Tom. II. n.* 11. (p) *Cochl. Ulenberg. Flor. Rem. & alii.*
(q) *Sleidan. Jonas cum pluribus aliis, quos citat Struvius Period. X. Sect. IV. de Carolo V. pag.* 1042. (r) *Maſen. Hiſtor. Carol. V. & Ferdin. L. VI. pagg.* 283. & 284.
(s) *Apparat. Erudit. Part. III. Cap. IV. de Concil. Trid. pag.* 323.

JCtus (t) Sect. V. §. II., nimirum vel ſolam ejus belli recordationem adeo eſſe atrocem ac tetram, ut horrore facile quemvis percellat: quis enim non obſtupeſcat cum *Oertelio*, per varias Europæ partes ab anno 1550. ad annum 1558., graſſantibus ejusmodi Religionis diſſidiis, ac violentis ſchiſmatis, 39. Principes, 148. Comites, 285. Barones, 147518. Nobiles & 700000. Plebejos, excepto etiam bello Suecico deinceps conſecuto, fuiſſe interemptos: non detrectare ſe amplius, Viri CARISSIMI nomine compellare D. Doctorem Lutherum, utpote qui ſanguine humano tam copioſo ſtetit. *In hanc ferme ſententiam Bambergenſis Profeſſ. jurium Ordin. & Publ.*

Vidimus, quæ acta ſunt in cauſa Religionis Luthero vivente: nunc poſt ejus obitum eadem in cauſa quæ annis reliquis ad finem Sæculi XVI. diſcuſſa potiſſimum ab Imperii Magnatibus & pertractata fuerint, conſideremus, a me, brevitatis rurſum memori, explicanda.

§. VII.

Diſcuſſa & pertractata in cauſa Religionis poſt Lutheri obitum ad finem Sæculi XVI.

PRincipem haud dubie locum inter ea, quæ poſt mortem Lutheri in Religionis negotio evenere, merentur famoſum Interim, Forma Reformationis, Concilii Tridentini Suſpenſio, Transactio Paſſavienſis, Pax Religionis, Reſervatum Eccleſiaſticum, Colloquium Wormatienſe, Liber Concordiæ, quibus adnectere juvat quæſtionem, cur DD. Proteſtantes Concilio Tridentino obedire noluerint. Suo iſthæc capita ordine Lectori benevolo ob oculos pono.

I. *Famoſum INTERIM.*

ESt hoc aliud nihil, quam edita Auguſtanis in Comitiis anno 1548. & a Carolo V. Imp., Smalcaldicorum recens profligatorum Victore glorioſiſſimo propoſita Imperii Ordinibus *Declaratio, quomodo in negotio Religionis per Imperium uſque ad definitionem Concilii Generalis vivendum ſit.* Hanc alii dixere *Interreligionem*; alii famoſo vocabulo *INTERIM*; alii demum, Spondano teſte, (u) propius ad rem & nomen *Interitum* appellavere. Plures iſtius tituli apud Struvium, (x) cui præluſum videtur in Colloquiis Auguſtæ, Wormatiæ, & Ratisbonæ quondam habitis. Edendæ porro Declarationis *Interimiſticæ* ac publicandæ hæc anſa fuit, hæc occaſio:

Propoſuerat in ampliſſimo, frequentiſſimoque Procerum Germaniæ ferme omnium Senatu, Auguſtam Vindelicorum Ulma ad Cal. Sept. translato Cæſar, bellorum, quotquot Germanorum terras miſerandum in modum hactenus laceraſſent, & calamitatum agmina ex ſolo Religionis diſſidio tanquam Pandoræ pyxide prorupiſſe. "*Porro nullum duraturæ quietis ſupereſſe remedium, niſi creſcentis odii, ſeditionisque venenum ipſo in fonte exſiccetur, & infecta perfidiæ tabe membra ad ſanitatem mature revocentur. Prudentium virorum judicio illam vulgi temeritatem adſtringendam eſſe... Huic rei Generale totius Europæ Concilium, ad quod rerum Divinarum ſapientiſſimi quique adhibeantur, perquam videri opportunum. Procerum illud Germanorum voluntate, Tridenti nuper coactum eſſe, ad cujus arbitrium, non minus ex humana ratione, quam veteris Eccleſiæ inſtituto æquum ſit accedere.* Hæc ex Maſenio. (y)

Et ſane oratione ſua tantum effecerat Auguſtus, ut & Elector Palatinus & Mauritius Saxo Lutherani, & Civitatum Legati, (z) Concilii Decreta pro ſacroſanctis ſe habituros promiſerint.

Sed enim ſpem Imperatoris & optimos conatus unica remorabatur Concilii ſedes. Tridentum volebat redire Patres, atque a Paulo III. Pontifice per Madruccium Cardinalem & Mendozam Legatum ſuum flagrantiſſime poſtulabat. Nec itum in ſententiam Caroli a Paulo, nec a Patribus Bononienſibus. (a) Quod cum Cardinalis primum, dein Legatus ad Cæſarem ſcripſiſſent, malum is longiori ex mora metuens, imponendam Theologis Provinciam cenſuit, ut Formulam quandam Confeſſionis communi opera conciperent, quæ *INTERIM*, donec a Concilio Generali dogmata Fidei definita fuerint, ab omnibus obſervaretur. Delecti in iſtum laborem *Julius Pflugius*, Epiſcopus Naumburgenſis, *Michaël Heldingus*, Epiſcopus Sidonius, Moguntini Archi-Epiſcopi Vicarius, & *Joannes Agricola*, Islebius; quibus apud Flor. Ræmundum adjunguntur *Brentius*, *Bucerus* & *Melanchton*. Hi poſt longam diſputationem libellum conſcripſere, ſex & viginti articulos de præcipuis Religionis Chriſtianæ dogmatibus com-

(t) *Tentam. & declaratio Hiſtor. Imper. & Fundam. Legalis de Cæſar. jure Eccleſ. in Statum Eccleſ. Proteſtant. Germanice edit. Francofurti & Lipſiæ 1754.*
(u) *Annal. Eccleſ. Tom. II. pag. 515.* (x) *Corp. Hiſt. Germ. Tom. II. Period. X. Sect. IV. pag. 1056.* (y) *Lib. VII. ad ann. 1547.* (z) *Flor. Ræm. Lib. III. Cap. 17. n. 2.*
(a) *Ex Pallav. & Spondan. Maimburg. Hiſt. Lutheraniſmi. Lib. IV.*

plectentem, eumque Cæsari obtulerunt: qui convocatis Imperii Ordinibus, XV. Maji librum proposuit, & Imperiali postmodum Edicto sanxit. Hic liber, hæc Constitutio est INTERIM illud famosum, de quo varii varia.

Scriptis impugnarunt illud *Robertus Cenalis*, Episc. Abrincensis, *Franciscus Romæus*, Ord. Prædicatorum Generalis, & *Nicolaus Bobadilla*, ex primis nascentis nostræ Societatis Collegis, Hispanus.

Inter heterodoxos *Gaspar Aquila*, *Philippus Melanchthon*, sed mitius; acerrime *Joannes Calvinus*. Paucis: neutri parti ex integro probabatur INTERIM.

" Orta est, scribit *Binerus* noster, (*b*) " occasione istius Constitutionis Cæsareæ " nova Lutheranorum divisio: Alii enim, " qui cum Illyrico & Amsdorffio eidem ob- " luctabantur, nullam admittentes in doctri- " na Lutheri mutationem, Lutherani *rigidi* " dicebantur; alii vero, qui cum Melanch- " thone tempori serviendum putabant, Lu- " therani *molles*, *Adiaphoristæ* & *Interimistæ* " sunt appellati: alii rursus *Interimistæ Im- " periales*, alii *Interimistæ Lipsienses*. Ut " adeo Lutheranissimus, qui tempore Condi- " toris sui in 34. Sectas jam fuerat divisus, " post ejus mortem in plures, quam cente- " nas, sit dissectus."

Notiores ex illis recenset ordine alphabetico *Godefridus Wejerus* item noster, in libello germanice edito Coloniæ typis Widenfeldicis anno 1681., quem *breve Chronicon de Ortu & Occasu Evangelii Lutherani & Augustanæ Confessionis* inscripsit.

II. *FORMA REFORMATIONIS.*

DE hac ita Wilmii Chronicon MS.: " Ut " Imperator (*Carolus*) offenditula hæ- " reticorum, quæ ex pravis Cleri moribus " nata fuerant, e medio pariter tolleret, " FORMULAM REFORMATIONIS, a " piis & doctis viris conceptam, diuque " examinatam tradidit Ecclesiastici Ordinis " Statibus: qui salva Summi Pontificis au- " thoritate, juxta eam se suosque reforma- " turos promiserunt. Injunctum illis, ut " Synodos Diœcesanas singuli ante Martina- " lia celebrarent; Provinciales vero ante " Quadragesimam sequentem." FORMULA hæc REFORMATIONIS tam antiquior anni 1549., quam revisa sub Ferdinando Imp. anno 1559. suis cum adjectionibus, extat *Tom. nostro CC. VI. pag.* 742. & *seqq.* Idem Imperator Carolus, iisdem in Comitiis & pacem publicam decrevit servandam, & Ecclesiasticos omnes Concilio Tridentino mox redintegrando, interesse voluit. (*c*) Vide, quod promissum est *Tomo CC. VI. cit. pag.* 415.

III. *CONCILII TRIDENTINI SUSPENSIO.*

PAulo III., clarissimæ recordationis Pontifici, datus Successor fuerat *Julius III*, antea *Joannes Maria de Monte*, Aretinus, ad diem VIII. Febr. A. 1550. electus tanto majori omnium admiratione, quod eundem Galli crederent a Cæsare aversum (utpote quo authore & Tridento abierant Patres, & Bononiæ substiterant) mox tamen hic, versus in favorem, per *Cosmum*, Ducem Florentinum Carolo, ejusdem nutu e 50. Cardinalibus, Conclave ingressis ad supremam Orbis Catholici dignitatem evocaretur. Anno jubilari, in sui primordia regiminis cadenti, more solemni celebrando primas Pontifex curas impendit; secundas Concilio, quod pro Bononia stans, ante damnaverat, Tridenti nervis omnibus restituendo: pro rerum officiiq; mutatione suam quoque mutare sententiam & studia, viri prudentis esse arbitratus.

Adducto igitur in vota sua, idque arte non mala (*d*) Henrico Galliarum Rege, hortabatur Carolum, ut in Comitiis, quæ Augustæ Vindelicorum tunc rursus fervebant, Protestantes, ad petendum una cum aliis Imperii Ordinibus a Pontifice Concilium Tridentinum, induceret, quo quandam sibimet parendi necessitatem imponerent Concilio, ipsis postulantibus concesso. Ita subtilis ingenii perspicacia suo diversos Principes, tanquam horologia pondere moderabatur Julius.

Nec mora: impetratum de Concilii institutione Diploma Pontificium, anno 1551. prælegi in Conventu Augustano jussit Cæsar, ad omnesque Imperii Ordines, cum mandato Tridentina in Synodo comparendi destinavit. Cautum ad hæc omnibus fide publica de via, loco, officioque in promenda sententia libere obeundo. Miserat jam Tridentum Legatos suos Pontifex, *Marcellum Crescentium*, *Sebastianum Pighinum*, & *Aloysium Lipomanum*. Miserant & suos Deputatos Elector Brandeburgicus *Joachimus II.*, Dux Wittenbergicus, Argentina, aliæque urbes. A Mauritio Saxoniæ Electore Philippus Melanchthon venerat. Habitæ etiam sex sub Julio Sessiones; atque, ut refert *Sleidanus* (*e*) numerati sub ista tempora Tridenti præter Legatos Pontificis & Cardinalem Tridentinum, Episcopi 62. ex iis Germani 8., Hispani 25., Sardi 2., Siculi 4., Hun-

(b) *Appar. Erudit. Part. III. C. IV. §. 7. pag.* 330.
(c) *Spondan. cit.*
(d) *Musen. cit. Lib. VII. ad ann.* 1550. *n.* 60.
(e) *Lib. XXIII. pag.* 771.

Hungarus unus Agrienſis, reliqui Itali: Theologi vero 42. Verum, ſurgentibus novi belli flammis, ſuſpendendum rurſus Concilium fuit: quæ quidem ſuſpenſio non ſine novis decumanisque Religionis Orthodoxæ vulneribus in ipſum uſque decennium ad annum fere 1562. cur tenuerit, operæ pretium erit, paucis e Binero noſtro (*f*) huc tranſcribere.

" Carolo V. Imperatori anno 1552. " bellum ſubito graviſſimum illatum eſt ab " eo, quem inter primos amicos ſuos cen- " ſebat, grandibus & recentibus adhuc be- " neficiis ſibi devinctum: a Mauritio vide- " licet, quem poſt confectum bellum Smal- " caldicum, capto & exauthorato Joanne " Friderico, Saxoniæ Electorem conſtitue- " rat, translata ab Erneſtina ſtirpe ad Alber- " tinam dignitate, cum potiſſimis Saxoniæ " ditionibus.

" Hic Princeps, fidus in bello Smal- " caldico Cæſari, quin & Socius, Proteſtan- " tium odium incurrerat, non obſcuro mur- " mure perſtrepentium, quod Joannem Fri- " dericum captivum in Cæſaris manibus re- " linquat, ut ſpoliis ejus impingueſcat. " Ut igitur eorum in ſe amorem ac ſtudium " transferret, Ducem adverſus Cæſarem " conſtituere ſe jam pridem tacite meditaba- " tur, ut Lutheranos ab obedientia, Conci- " lio Tridentino præſtanda, vi illata exſol- " veret, Sectamque Novatorum in Romano " Imperio donaret civitate; quod votis om- " nibus exoptabant.

" Cauſa altera defectionis erat Philip- " pus Landgravius Haſſiæ ipſius ſocer, quem " libertati reſtitui fruſtra ſæpius a Cæſare " petierat: jam ab eo tempore ultionem ta- " cite excoquens, quo Cæſar eundem capti- " vum abduxit.

" Opportunum conſiliis locum dedit " ipſa Provincia, quam Imperator ei deman- " daverat, compellendi videlicet armis ad " deditionem, & obſequium Magdeburgum, " quod acceptandæ Conſtitutioni INTERIM " pertinaciter repugnaret, & Sacerdotium " juribus ſuis vi dejiceret. Validas ad hunc " finem a Carolo acceperat copias; quas " hoc fuco tectas identidem auxit, protracta " de induſtria in annum obſidione. Quo " tempore Proteſtantium Principes, Bran- " deburgum, Palatinum, Wirtembergicum, " Bipontinum, Mechlenburgos, Badenſem " cum Guilielmo Haſſo, captivi Filio tacito " fœdere in partes ſuas pertraxit.

" Utque illas magis adhuc firmaret, ex- " terna etiam reſpexit auxilia, pertracto in " armorum ſocietatem Henrico II. Rege " Galliæ: qui ad vindicandam, ut ferebat, " Germaniæ libertatem, numeroſo cum ex- " ercitu vere ingruente venturum ſe promi- " ſit, Cameracum, Tullum, Metas, Viro- " dunum pro ſe pactus. Hæcque tanta fœ- " dera tam ſecreto fuerunt conflata, ut Cæ- " ſar prius viderit bellum, quam crediderit. " Adeo namque fidebat Mauritio, tot nomi- " nibus, ut rebatur, ſuo, ut Moguntini, alio- " rumque ſincera monita tanquam vana & " importuna abjiceret: Etiam tunc, cum " Mauritianæ copiæ Electorum Eccleſiaſti- " corum terras jam devaſtarent, ipſique Tri- " dento ad propria defendenda recedendi fa- " cultatem a Cæſare fruſtra peterent. Mau- " ritius rebus ſuis cum Proteſtantibus & " Galliæ Rege clam compoſitis, dedito per " colluſionem velut in Cæſaris poteſtatem " Magdeburgo, adjectoque copiis ſuis, qui " urbi præſidio impoſitus fuerat, milite, " ſcripto publico ſe vindicem obtulit liber- " tatis conſcientiæ, ac Lutheraniſmi in Im- " perio ſtabiliendi, atque ſub finem Martii " exercitum Auguſtæ admovet, intra qua- " triduum ad deditionem vel compulſæ, vel " compelli ſe ſimulanti. Inde vero ad Ul- " mam obſidendam progreditur.

" Carolus Imperator bello Parmenſi " implicitus, præter eas legiones, quæ ſub " ſignis Mauritii militabant, vix aliquas in " Germania, quam undique pacatam credi- " derat, habebat copias. Quare cum ſe " proditum ab amico, & inermem Oenipon- " ti, ubi tunc degebat, videret, per Ferdi- " nandum Fratrem pacis conditiones iniri " poſſe ſperabat.

" Convenerunt proin Lincii Ferdinan- " dus Rex & Mauritius, qui fœderatos ſuos " conſulendos dicebat, ut Paſſavii deinde " pax iniri poſſet: Pactusque 15. dierum " inducias, ad ſuum ad Ulmam exercitum " accurrit. Atque ut Cæſarem inermem " Oeniponti interciperet, cum toto ſuo ex- " ercitu movit Abudiacum, urbem ad Licum " amnem & Alpium pedem ſitam, eaque " intra biduum occupata, depulſisque, qui " clauſtrorum aditus obſidebant, Ehrenber- " genſem arcem, & ſitu & opere munitam, " cepit.

" Carolus Imperator percepto triſti hoc " nuntio, cum Ferdinando fratre, qui ex- " poſiturus, quid cum Mauritio Lincii egiſſet, " quidque ulterius agendum, cum Cæſare " conſulturus, Oenipontum advenerat, Vil- " lacum in Carinthiam profugit, comitante " eum etiam Joanne Friderico Saxone, licet " ab Imperatore liber eſſet dimiſſus. Mau- ritius

(f) *Appar. Erudit. Part. III. C. IV. §. 9. pag. 339. & ſeqq.*

Digitized by Google

" ritius autem Oenipontum ingreſſus ea, " quæ Cæſaris erant, militum licentiæ per- " miſit, intactis iis, quæ ad Regem Ferdi- " nandum aut cives pertinebant. Cumque " induciæ, Lincii ſancitæ pro incunda pace " appropinquarent, Paſſavium ſe recepit." Hucusque *Binerus*. Facta ibidem, atque a loco nuncupata

IV. *TRANSACTIO PASSAVIENSIS.*

HAnc II. Auguſti eod. A. 1552. extorſit Mauritius. Conventum in ea fuit, ut intra ſemeſtre celebrarentur Imperii Comitia, in quibus de via componendi diſſidia Religionis per Concilium Generale aut Nationale &c. deliberaretur: interim Auguſtanæ Confeſſioni addictis nulla in Imperio moleſtia, violentia, aut contemptus propter Religionem inferretur, ſicut viciſſim nec illis, qui veteri Religioni adhærerent. (*g*) Conditiones illius *Tranſactionis* cæteræ extant apud Chytræum, (*h*) Sleidanum, (*i*) Struvium (*k*) & alios. Gravamina, in iſto Paſſavienſi Conventu a Mauritio adverſus Imperatorem propoſita, legi apud Hortlederum poſſunt. (*l*) Eadem illa Pace *Mauritiana*, ſeu Paſſavienſi Conſtitutione interemptum fuiſſe illud *Interim*, cujus cauſa tot & tanti concitati fuerant motus, quodque nihilominus paucis locis obtinuerat, ad nihilumque recidiſſe, monet Spondanus. (*m*)

V. *PAX RELIGIOSA, in qua RESERVATUM ECCLESIASTICUM.*

SAturati nondum ejusmodi bolis ſat pinguibus *Confeſſioniſtæ*, quo plus acciperent, nova, neſcio quæ gravamina, ceu totidem Eridis poma, in medium projecere, Comitia iterum clamitantes cogenda. Indicta hæc ab Imperatore Ulmæ primum XV. Aug. ann. 1553. deinde V. Febr. ann. 1555. Auguſtæ Vindelicorum. Præſes pro Carolo, qua morbis, qua negotiis aliis impedito, Ferdinandus Romanorum Rex duas, in quibus totius cardo negotii vertebatur, quæſtiones Magiſtratibus conſcriptis propoſuit: alteram, quo modo componenda Religionum diſſidia, e quibus tot tantaque mala hactenus in nationem Germanicam fluxerant; alteram, qua ratione pax communis & ſecuritas ſtabilienda. Prima, quod gravioris eſſet momenti & longiorem indagandi moram expoſceret, communi ſtatim, ut videbant omnes, calculo in alium rejecta eſt Imperii conventum. Ad ſecundam quæſtionem quod ſpectat, poſt longas multorum menſium altercationes factum, vel Caroli graviſſimis alibi curis impliciti ſeneſcente in res Germanicas & remittente ſtudio, vel nimio Ferdinandi, pejora ab Adverſariis ſibi efformantis metu, ut deſcenſum in duos & viginti articulos fuerit XXV. Septembris. Omnes exhibet Receſſus Imperii de anno 1555. (*n*) En præcipuos:

1. Nullus Imperii Status propter Auguſtanam Confeſſionem vim, aut contemptum patiatur. 2. Controverſiæ Religionis mediis Chriſtianis & amicabilibus componantur. 3. Ordines Auguſtanæ Confeſſioni addicti ſinant Status Catholicos, eorumque Clericos avita Religione, Bonis, Juribus, Redditibus &c. absque ulla moleſtia uti ac frui. 4. Excluſi ſint ab hac Concordia, qui neque Religioni veteri, neque Auguſtanæ Confeſſioni adhærent. 5. *Prælati Eccleſiaſtici, a veteri Religione diſcedentes, ſua dignitate & Beneficiis excident, honore & exiſtimatione ſalva.* 6. Diſpoſitio de Collegiis, Cœnobiis ac Bonis Eccleſiaſticis ante Tranſactionem Paſſavienſem ad alios uſus per Proteſtantes facta, firma perſiſtat. 7. Jurisdictio Eccleſiaſtica, ſalvis redditibus, aliisque juribus, adverſus Auguſtanam Confeſſionem ſuſpenſa eſto: exerceatur tamen more recepto circa ea, quæ iſti Confeſſioni non ſunt contraria. 8. Nullus Status alium Conſtatum, ejusve ſubditos ad ſuam Religionem vi aut arte pertrahat, aut hos contra proprium Magiſtratum tueatur. 9. Conceditur ſubditis utriusque Religionis jus emigrandi. 10. In Civitatibus liberis Imperialibus, ubi utraque Religio viget, incolæ vivant pacifice, nullusque alterum in exercitio Religionis ſuæ turbet. 11. Integrum ſit cuilibet Statui jus ſæculare, quod ante diſſidium Religionis habuit in aliquos proventus, in territorio ſuo conſtitutos; ita tamen, ut ex iis ſuſtententur Miniſteria templorum, Parochiæ, Scholæ, Hoſpitalia, prout moris erat, absque diſcrimine Religionis. (*o*)

Atque hæc eſt illa PAX RELIGIOSA ſeu RELIGIONIS, Lex in Imperio fundamentalis deinceps habita, pluribus etiam firmata in Comitiis, cui teſte Cardinale Hoſio, Ferdinandus non niſi lacrymantibus oculis ſubſcripſiſſe fertur: Carolus Imperator ſubſcripſit nunquam. Vocat eam ſuo in Chr. Ms. Wilmius *perpetuarum litium Seminarium*, & Magnif. P. Gregorius Zallwein, (*p*) *rebus Catholicis inimiciſſimam, jurisdictionis Eccleſiaſticæ*

(g) *Vid. Præcognita Juris Canon. P. Franc. Xav. Zech S. J. Tit. XIX. §. 392.*
(h) *Saxon. Lib. XVII.* (i) *Lib. XXIV.* (k) *Hiſtor. Imp. Period. X. §. 94.*
(l) *Tom. II. Lib. V. Cap. 13.* (m) *Annal. Eccleſ. Tom. II. pag. 542.*
(n) *Vid. Joann. Jac. Smauſii Corpus J. P. pag. 160. & ſeqq.*
(o) *Zech cit. eod. Tit. §. 393.* (p) *Princip. J. E. Tom. III. Q. IV. §. VI. pag. 326.*

fiaſticæ everſivam, litium, gravaminum ac bellorum matrem fœcundiſſimam, Germaniæ ſumme exitioſam, avitæ Religionis excidium ſupremum, Proteſtanticæ vero lapidem angularem, ac fundamentum primarium.

Scriptores de Pace Religioſa *Struvius* in Bibliotheca Juris ſelecta; *Schilterus*, *Limnæus*, *Cortreius*, *Lehmannus* &c.

VI. *RESERVATUM ECCLESIASTICUM*

QUintus in illa Religionis Pace articulus, quo ſtatuitur, ut, ſi quis Epiſcopus, Prælatus, aut alius quispiam Eccleſiaſtici Ordinis a Catholica fide deficiat, Epiſcopatum, Prælaturam, aut Præbendam cum omnibus redditibus & proventibus Eccleſiaſticis illico amittat, novusque ex Catholicis ſubſtituatur, cui omnia jura obveniant. Mirum eſt, quo animorum æſtu de eodem in Comitiis Auguſtanis, atque aliis deinceps temporibus ad uſque Pacem Weſtphalicam fuerit diſceptatum. Plenæ ſunt hiſtoriæ, plena Acta publica. Congeſta a DD. Proteſtantibus adverſus illud integra gravaminum plauſtra. Æquumne ſit, an vero iniquum, examinarunt Cl. *Burckardus* Colonienſis Cancellarius in ſua Autonomia, & *Scriptores* Pacis Compoſitionis *Dilingenſes* anno 1629.: quibus ſe ex parte Proteſtantium oppoſuit *Lampadius*, ſub nomine *Scipio Aretinus* & plures alii. *Binerus* noſter (q) Reſervatum illud nititur oſtendere, eſſe æquiſſimum, conforme Verbo Dei, & juri naturæ, non ſervatum ab Acatholicis.

VII. *COLLOQUIUM WORMATIENSE.*

CArolo V. Imperatore privatam apud Hiſpanos in Monaſterio S. Juſti, cui ſe maximus ille Orbis Domitor incluſerat, vitam agente, Ferdinandus Rex Romanorum, nomine illius tantisper ad clavum Imperii reſidens, cœpta anno 1556. Calendis Septembribus Comitia ad æquinoctium vernum, ſub quod finem habuere, Ratisbonæ proſequebatur. In iis *Pax Religionis* confirmata eſt, & repudiata illorum Proteſtantium opinio, qui aut Nationali quodam Concilio, aut generali Ordinum Conventu omnem in negotio Religionis nodum diſcordiæ ſolvendum eſſe judicabant; Catholicis cum Ferdinando Rege Proceribus in Oecumenicum Concilium, uſurpatum priſcis Seculis in ejusmodi cauſa medium, convenientibus. Quod aſſiduis dolerent bellorum turbinibus interruptum, id revocandum, omnino ſe arbitrari. Integrum fore in illo, quod quique crederent, ſine metu aperire. Vadum interea amico Catholicos inter & Lutheranos colloquio tentandum prius. Decretum igitur, ad XIV. Auguſti anno 1557. ut ipſum Wormatiæ haberetur.

" Quia vero, *inquit Cl. Ulenbergius*, (r) " Lutherani fœde diſtracti, graviſſimis inter " ſe diſſidiis laborabant, ante congreſſum " publicum domeſticas primum concerta- " tiones ſopiendas cenſuerunt: ne, ſi Wor- " matiæ manipulatim disjuncti prodirent in " ſcenam, ludibriis & ſannis ab adverſariis " exciperentur.

" Itaque Concionatores aliquot Princi- " pum & Civitatum Lutheranæ profeſſionis " in Germania ſuperiore Francofurtum con- " venerunt ad Mœnum; ubi duabus de re- " bus potiſſimum inſtituta fuit conſultatio: " de Colloquio nimirum, quod Wormatiæ " cum Catholicis habendum erat; quomodo " ſcilicet adverſariis in eo congreſſu ſit oc- " currendum: tum de generali Lutherano- " rum Synodo poſt Colloquium indicenda, " in qua de controverſiis domeſticis, de di- " ſciplina, deque inſtituenda rituum Eccle- " ſiaſticorum conformitate deliberatio ſuſci- " peretur. Cæterum quia non ignorabant, " quam turpiter inter ſe diſſiderent ii, qui " Confeſſionis Auguſtanæ doctrinam profi- " tebantur, duabus ſeptimanis ante diem, " inchoando Colloquio deſtinatum Worma- " tiæ conveniendum ſtatuunt, tentandum- " que, an ſopire poſſent domeſticas concer- " tationes, vel easdem inſtituto ſyncretiſmo " tegere ſaltem ad tempus, priusquam cum " Catholicis congrederentur. Videbant " enim, niſi diſſidia, quæ gliſcebant, quo- " quo pacto vel in ſpeciem componerentur, " ſeſe non Catholicis modo, ſed & univer- " ſæ Germaniæ ludibrio futuros. Quod & " poſtmodum evenit, ubi per Flaccianos " detecta fuit ipſorum turpitudo." *Ita Scriptor doctiſſimus.* Eventum ſpectaturi *riſum teneamus*, Lectores benevoli!

COLLOQUIUM illud WORMATIENSE ab Ordinibus delatum viginti quatuor Viris Theologis, paribus ab utraque parte numero. Præſidem Colloquii nominarat Ferdinandus *Rudolphum* Epiſcopum Spirenſem, pro quo deſignatus poſtea *Julius Pflugius*, integerrimus fidei orthodoxæ cultor. Huic adjuncti Aſſeſſores *Joannes* Archi-Epiſcopus Trevirenſis, *Michaël* Archi-Epiſcopus Salisburgenſis, *Auguſtus* Elector Saxoniæ, & *Chriſtophorus* Dux Wirtenbergicus. (s) Collocutores erant Catholici *Mi-*

(q) *Part. III. Art. XIII. toto pag. 153. & ſeqq.*
(r) *In vit. & reb. geſtis Philip. Melanchth. Cap. 23. pag. 344.*
(s) *Struvck. Annal. Paderborn. Lib. XXI. pag. 343.*

Michaël Epiſcopus Mersburgenſis, *Delphius* Suffraganeus Argentinenſis, *Petrus Canisius* S. J., *Fridericus Staphylus*, & duo Theologi *Lovanienſes*. Confeſſioniſtæ *Melanchthon*, *Schnepfius*, *Brentius*, *Rungius*, *Cargius*, *Piſtorius* &c.

Inchoatum menſe Septembri, quo incunte Theologi Electoris Saxoniæ primum appulerant, Colloquium. Agebatur primo ſtatim in conſeſſu de norma certa ac regula, ad quam controverſæ res exigantur; tum de peccato originis. Facile notabant Catholici non eadem Confeſſioniſtas chorda incedere: monuerunt igitur, declararent ſeſe adverſarii, ▪ quibus faciant, ac Zwinglianos, Oſiandriſtas, Synergiſtas, aliosque Auguſtanæ Confeſſioni non addictos rejicerent. Solis enim hujus Confeſſionis Sociis pax fuerat ab Imperio conceſſa, cum iisque ſolis præſens inſtitutum colloquium.

Mirum viſu! graviſſimæ inter Collocutores Proteſtantes ſubito oriebantur diſcordiæ, aliis Auguſtanæ Confeſſioni renuntiantibus, aliis eandem huc, aliis illuc ferræ inſtar trahentibus, retrahentibusque. Damnandos ajebant, Sectarios alios quini; negabant ſepteni. Illis fuga elapſis, hisque ad Sectas, in Imperio Romano non toleratas propendentibus, negotium abruptum eſt cum ingenti Catholicorum gloria, quos inter ut una eſt veritas: ita ſententia una & una vox fuit. (t) Fruſtra, ubi fundamenta veritatis ſubrui vides, ſinceram recte ſentiendi rationem te initurum ſperaveris.

VIII. *LIBER CONCORDIÆ.*

Si quis præcipuos duntaxat Conventus, ob Religionis diſſidia ab ipſismet novi Evangelii filiis actos, ſecum perpenderit; facile, quod olim de Gente Romana protulit epiphonema Andinus vates, mutatis voculis huic libro tribuendum putabit, nimirum:

Tantæ molis erat *Concordem* condere *Librum.*

Adeo operoſi illi ac numero frequentes extiterunt. Anno 1519. erumpente e gliſcentibus favillis triſti incendio, celebratus *Lipſiæ* primus: dein *Wormatiæ* a. 1521., *Norimbergæ* a. 1523., *Lucernæ* a. 1524. contra *Zwinglium*, *Halæ* 1525., in quo *Oecolampadius*, & *Badenæ* eod. a., ubi *Zwingliani* damnabantur. *Bernæ* a. 1528. *Sacramentarios* inter & *Catholicos*. *Marpurgi* in Haſſia a. 1529., cum altercationi inter *Lutherum*, *Zwinglium* & *Oecolampadium* pro aqua non niſi oleum Landgravius adfunderet. Eod. a. *Sualbaci* inter *Evangelicos*, in quo rurſus, cum tentaretur concordia, ſeſe diſcordia ingeſſit. *Auguſtæ Vindelicorum*, loco *Confeſſionis Auguſtanæ* natali, a. 1530. *Smalcaldiæ* a. 1531. ubi in mutua Proteſtantes fœdera coierunt. *Francofurti* eod. a. *Conſtantiæ* a. 1534. *Bucero* concordiam inter *Lutherum* ac *Zwinglium* fruſtra tentante. *Tiguri* anno ſequenti. *Arbonæ* & *Iſenaci* eod. a. Poſtea a. 1536. *Wittenbergæ*, ubi de *Auguſtana Confeſſione* vehementer diſceptatum. Eod. a. *Bernæ*. *Smalcaldiæ* a. 1537. *Bernæ*, *Niedesburgi* in Moravia, iterum *Smalcaldiæ* eod. a. *Tiguri* a. 1538. *Francofurti* eod. a. hanc Duce Saxoniæ ſententiam proferente: *Malle ſe de Epiſtolarum S. Pauli, quam de Auguſtanæ Confeſſionis veritate dubitare.* A. 1540. rurſus *Smalcaldiæ*. A. 1541. *Ratisbonæ*. A. 1542. *Spiræ* & *Norimbergæ*. A. 1544. *Wormatiæ*, qui animum Proteſtantibus addidit Concilio ſe opponendi. Denuo celebris ille, de quo ſupra, *Ratisbonæ* a. 1546. *Lipſiæ* a. 1548. *Bernæ* a. 1554. *Francofurti* & *Wormatiæ* a. 1556. In *Saxonia* a. 1559. e quo eluctatus eſt liber ille, cui titulus: *Victoria veritatis & ruina Papatus Saxonici* &c. A. 1561. *Norimbergæ*. A. 1562. *Halberſtadii*. Eod. a. *Luneburgi*. A. 1564. *Maulbrunnæ*. (u) A. 1571. *Dreſdæ*, quem *Auguſtus* Saxoniæ Dux die X. Octobris ad graviſſimas de *corpore doctrinæ Philippi Melanchthonis* controverſias ſopiendas indixerat. Scripta ibidem a præſtantiſſimis Proteſtantium Theologis *Conſenſus formula*. Quam cum improbarent, imo impugnarent plerique, habitus ejusdem Septemviri juſſu alius a. 1574. Conventus *Torgæ*, ubi edita quindecim Theologorum judicio *Formula Concordiæ*, quotquot ab *Auguſtana Confeſſione* diſſidebant, damnati rejectique fuerunt. Verum nec iſte partus ex aſſe placuit. Quare a. 1577. die XII. Maji *Bergæ* (x) convenerunt *Muſculus*, *Selneccerus*, *Kemnitius*, *Chytræus*, *Cornerus*, & *Schmidelius*, a quibus prior formula ad incudem revocata fuit. Prodiitque tandem ex officina maxime *Jacobi Andreæ*, alias *Schmidelini* famoſus ille LIBER CONCORDIÆ, anno 1580. publicatus, poſtquam, *Struvio* teſte, (y) a tribus Electoribus, *Auguſto* Saxone, *Ludovico* Palatino, & *Joanne Georgio* Brandeburgico, 21. Principibus, 22. Comitibus, 4. Baronibus, 35. Urbium primariarum Magiſtratibus, & plusquam 8000. Eccleſiarum & Scholarum Miniſtris fuiſſet receptus & ſubſcriptione firmatus. Complectitur porro Liber iſte relatam in unum corpus *Confeſſionem Auguſtanam*, cum ejus-

(t) *Sacchin. in Hiſt. Soc. JEſu P. II. Lib. I. n.* 102.
(u) *Flor. Rem. de Orig. Hæreſ. P. II. Lib.* 5. *C.* 10.
(x) *Natal. Alexand. Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. art. X.* §. 4. *n.* 27.
(y) *Hiſt. Germ. Period. X. Sect. VII. de Rudolpho II.*

ejusdem *Apologia*, *Articulos Smalcaldicos*, *Catechiſmum Majorem & Minorem Lutheri*, *& quæſtionum inter ipſos Lutheranos controverſarum declarationem.*

Circumfertur in illum Concordiæ librum diſtichon ſatis argutum:

R habet Auſonium liber hic, R habetque Pelaſgum,
R habet Hebræum, prætereaque nihil.

Lege, mi Lector, *Hoſpinianum*, (z) *Lindanum*, (a) *Bellarminum*, (b) & *Stanislaum Socolovium.* (c)

Ex Bellarmino ſex graviſſimos Libri illius errores recenſet Nat. Alexand. cit. " Primus eſt, *inquit*, quod Chriſtus non " ſolum ut homo, ſed etiam *ut Deus*, Patri " fuerit obediens. 2. Quod Chriſtus fuerit " perfunctus munere Mediatoris & Pontifi- " cis, non ſolum per humanam naturam, " ſed etiam *per Divinam.* 3. Quod natura " *humana* Chriſti ſit ubique vere & realiter. " 4. Quod Chriſti *Humanitati* ſint collata " vere & realiter multa *attributa Divina*, " ut *omnipotentia*, *omniſcientia*, *omnipræ-* " *ſentia*, atque adeo ipſa *Divina Majeſtas.* " 5. Quod *unio hypoſtatica* conſiſtat in *com-* " *municatione Divinorum attributorum.* 6. " Quod *totus* Chriſtus *Deus* & homo *ad in-* " *feros* deſcenderit."

Adnectitur

QUÆSTIO,
CUR DD. PROTESTANTES CONCILIO TRIDENTINO OBEDIRE NOLUERINT.

PEtitum olim a DD. Proteſtantibus Generale aliquod Concilium, atque ad ipſum, ceu idoneum rebus fidei controverſis eloquio ſuo decidendis judicem, provocatum fuiſſe, nemo, niſi penitus in Lutheraniſmi hiſtoria rudis, & hoſpes in publicis illorum temporum Actis, inficiari poteſt. Quid enim oferentes Carolo Imperatori Confeſſionem ſuam, reliqui cum Joanne Saxoniæ Duce Electore Principes palam Auguſtæ declararunt? nonne comparituros ſe & in *generali libero & Chriſtiano Concilio* cauſam dicturos? *Ad cujus etiam*, inquiebant, *Generalis Concilii conventum*, *ſimul & ad V. Cæſ. Majeſt. in hac longe maxima & graviſſima cauſa, jam ante etiam debito modo & in forma juris provocavimus & appellavimus*, ann. præced. Spiræ in Comitiis: *cui appellationi ad V. Cæſ. Majeſt. ſimul & Concilium adhuc adhæremus*, *neque eam ... deferre intendimus aut poſſumus.* Quid iſta ejusdem Ducis Electoris ac Philippi Landgravii apud Sleidanum (d) verba: *Sperare ſe*, *ut Cæſar illud* (Concilium) *quamprimum in Germania procuret?* Annon liberalia id genus Proteſtantium promiſſa Cæſarem, pacis cupidiſſimum impulere, ut *ad uſque Concilium Generale* liberum ipſis permitteret Religionis exercitium? Et quid tandem de ipſomet *Tridentino* DD. Proteſtantes? Dolebant una cum Statibus Catholicis (quod libellus in Comitiis Auguſtanis a. 1548. porrectus haud obſcure loquitur) diutius Concilium illud protrahendum: quandoquidem UNIVERSA Germanica Natio TRIDENTI cœpto ſe CONCILIO ſubmiſit. Supplicabant Cæſari, modos provideret, quibus CONCILIUM TRIDENTI, in quod OMNES unanimiter jam ante conſenſerant, quamprimum inſtitui ac continuari poſſit. De hoc ipſo communi Statuum conſenſu ita eorundem Comitiorum Receſſus: *Sicut & Electores*, *Principes & Status*, *nec non abſentium Legati ac Conſiliarii communiter ſe cœpto huic Concilio ſubmiſſuros*, *ejus deciſiones expectaturos*, *ac parituros dicto modo humiliter conſenſerunt*, *& receperunt*, *& in hac re Nobiſcum unanimes convenerunt* &c.

Igitur petitum, deſideratum, probatumque a DD. Proteſtantibus *Concilium Generale* & hoc quidem *Tridenti* inſtitutum. Cur porro eidem obedire tandem noluerunt? Hic Rhodus, hic Saltus. Integrum graviſſimarum, ſi Superis placet, rationum exercitum educit Cl. Lunigius; (e) e quibus tres, me judice, primam in acie ſtationem obtinent. Prima contra *Romanum Pontificem*; altera contra *normam decidendi*, tertia contra *ipſummet Concilium* depræliari videtur. Non oportuit præeſſe Concilio Papam, hoc primum: Lites non aliunde dirimi, quam ex puro Dei verbo debuerunt, hoc ſecundum: Concilium non fuit liberum, hoc tertium abſentiæ ſuæ ac negatæ obedientiæ caput adferunt DD. Proteſtantes.

Bene eſt. Tentemus prælium, & quid contracta in hunc locum rationum mearum momenta contra partem adverſam valeant, pericliteмur. I. *Non debuit præſidere Synodo Papa*; contendunt DD. Proteſtantes. Cur non? Ut convocandi Synodos jus Pontifici; ita & illis præſidendi competit (*Legatur Digreſſio ad Sæc. XV. Tom. CC. noſt. V. Cap. I. §§. 3. & 4.*) Parituros ſe Concilio TRIDENTINO ſpoponderant, cujus probe noverant Præſidem jamtum eſſe Pontificem. Et quid? nonne Nicænam Synodum *Arius*, Conſtantinopolitanam *Macedonius*, Epheſinam

(z) *Lib. Concordia diſcors.* (a) *Concordia diſcors Proteſtantium.*
(b) *Judicium de libro Concordiæ Lutheranorum.* (c) *Cenſura Orientalis Eccleſiæ.*
(d) *Lib. VIII. a. 1531.* (e) *Spicil. Eccleſ. Contin. III. pag. 72. & ſeqq.*

nam *Neſtorius*, Chalcedonenſem *Eutyches* ac *Dioſcorus*, & alias alii errorum Magiſtri eodem jure averſari, & tanquam illegitimas rejicere potuiſſent? Provocant ad Conventum generalem e Statibus Imperii aliquot contra Rom. Cæſarem de jure quodam, cujus quieta is poſſeſſione mille annos & amplius gaudet, acturi. Quid? Ergone adempta eam ob rem Cæſari poteſtas & convocandi iſtum Conventum, & eidem vel per ſe vel per Legatos ſuos præſidendi? Ergone quæ in ejusmodi Conventu Decreta fiunt, robore careant, aut irrita cenſeantur? Abſit.

Profecto nulla juxta Catholicos ſubſiſtit, ſine Pontificis viventis authoritate, in Eccleſia Catholica Synodus: uti nullus in Romano Imperio Conventus, cui Imperator cum poteſtate, ſupremo Capiti debita, non præſit.

II. *Non ſunt deciſæ lites ex puro Dei verbo.*

Undenam igitur? *Ex ſuffragiorum pluralitate*, reſpondent DD. Proteſtantes: *id quod fieri non debuerat.* Quaſi vero mos alius a Majoribus noſtris, alia ab antiquitate univerſa, omnibusque Synodis conſuetudo eſſet ſervata: quaſi hæc ex plurium calculo decidendi ratio fini Synodorum minus reſponderet, ad eumque faceret.

Dirimendæ erant inter partes, quarum utraque Sacram Scripturam ſibi favere ac ſuam eſſe affirmabat, controverſiæ: quibus dandum aliquando finem, ſine votis complurium ac ſententia, fruſtra ſperaſſes. Quanquam communi tandem conſenſu Patres pronunciaſſe dicendi ſunt.

Adde, quod ſola ex Scriptura, quæ vera & genuina ſit, diſcerni nequeat. Multa præterea a primis quatuor Conciliis Oecumenicis, quæ DD. Proteſtantes pro legitimis habent, ſtatuta, præſcriptaque fuerunt, quæ cum in verbo Dei ad literam non extent, neque arbitrari ex eodem ſolo Patres potuere. Et cur amabo DD. Proteſtantes variis in Conventibus doctiſſimos conſulebant, peritiſſimosque Theologos, & eorum judicium requirebant? quid ni lites, quotquot erant, in dubiis fidei capitibus ex *ſolo* compoſuerunt *Dei verbo*? Probum denique verborum S. Scripturæ ac ſententiarum ſenſum qui, ſola Scriptura duce, reperies? Quomodo ab obſcuro obſcurum illuſtrabitur. Sed enim queruntur DD. Proteſtantes:

III. *Concilium Tridentinum non fuit liberum.*

Superi! a quo ablata liberras? quibus ablata eſt? quo modo ablata eſt? Non ablata DD. Proteſtantibus a Pontifice aut Epiſcopis, qui ter invitaris ad ipſum Concilium omnem faciebant eloquendi & gravamina ſua proponendi copiam. Non ablata a Pontifice ipſis Patribus: qui maxima ſane uſi ſunt, cum ſuam pro ſe quisque ſententiam, ſuum ſuffragium tulerit. Non ablata vi, non juſſu, non exhortatione minis promiſſisve armata. Quis eandem interpoſuit? quis interpoſitam ſenſit. Nihil de illa coqueſti unquam 8. Cardinales, nihil 3. Patriarchæ, nihil 34. Archi-Epiſcopi, nihil 238. Epiſcopi, nihil 10. Principum Legati, nihil denique 148. eruditiſſimi atque in ſcientia dogmatum Catholicorum verſatiſſimi Doctores, Viri lectiſſimi, qui Concilio interfuere. En rationum mearum momenta: quæ exponerem hic prolixius, niſi vererer, ne juſtos vel ob ſolam hanc quæſtionem propoſitam limites Digreſſio tranſiliret. Satis ergo ſit, armamentarium indicaſſe, unde, quibus exercitus ille a DD. Proteſtantibus in campum eductus, ſuperari valeat, ſint haſtæ plures, telaque alia repetenda. Vid. *Pallavicinus*, (f) *Nat. Alexand.* (g) *Pacis Compoſitio Lipſienſium*, (h) *Biner.* (i) *Franc. Xav. Pfyffer.* (k) & *Franc. Neumayer.* (l)

FINIS DIGRESSIONIS AD SÆCULUM XVI.

CON-

(f) *Hiſt. Conc. Trid. Lib.* 24. *Cap.* 14.
(g) *Hiſt. Eccleſ. Tom. VIII. Diſſert. XII. art.* 16.
(h) *Cap.* 2. *Quæſt.* 11. & *Cap.* 3. *Quæſt.* 18.
(i) *Appar. Erudit. Part. III. Cap.* 4. §. 12.
(k) *Opuſculum germanice edit. typis Wolfianis Auguſtæ Vindelicorum an.* 1739., *ubi tota illa quæſtio clare graviterque agitatur.*
(l) *Tom. I. Sacr. Controverſ. Edit. German. ibid. anno* 1757. *m. pag.* 415. & *ſeqq.*

Digitized by Google

CONCILIA GERMANIÆ

A SÆCULI XVI. ANNO LXXXIX.

Præmittuntur aliquæ Synodi, quæ in Tomo præcedente desiderantur.

SYNODUS PROVINCIALIS BISUNTINA

Anno Christi MDLXXI. Pii V. Papæ VI. Maximiliani II. Imp. VIII.

SUB CLAUDIO A BAUMA, (*) ARCHI-EPISCOPO BISUNTINO.

PROOEMIUM.

IN NOMINE DOMINI NOSTRI JESU CHRISTI, AMEN.

CLAUDIUS A BAUMA, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, Archi-Episcopus Bisuntinus, Sacrique Romani Imperii Princeps, universis & singulis Abbatibus, Decanis, Archi-Diaconis, Præpositis, Prioribus, Collegiorum Præfectis, Canonicis, Curatis, Capellanis, Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, Acoluthis, Exorcistis, Lectoribus, Ostiariis, Cantoribus, Fabriciariis, Hospitalium Rectoribus, Religiosis Conventualibus & mendicantibus Monachis & Monialibus, Ludimagistris, & Scholaribus, Doctoribus, & Graduatis, cæterisque Clericis sæcularibus & regularibus, per Civitatem & Dioicesim nostram Bisuntinam constitutis, præsentibus & posteris, Salutem & DEI gratiam.

VEra est illa Prophetæ, nec inaudita, sed nostris in Synodis sæpe jacta vox: Labia Sacerdotis custodiunt scientiam: & legem requirunt de ore ejus. Neque enim apud nos, ut apud Ethnicos (inquit Firmianus) alii sunt sapientiæ Professores, alii religionis Antistites: sed iidem sunt Doctores sapientiæ, qui & Dei Sacerdotes. Addit vocis suæ causam idem

(*) Claudium a Bauma, illustri apud Burgundos familia natum, cum quatuordecim duntaxat annorum esset, Petrus a Bauma, Patruus, Cardinalis & Archi-Episcopus Bisuntinus, Coadjutorem sibi, & in Metropoli regenda Successorem dixerat anno 1543. Nominatio hæc, favente, probanteque Carolo V. Cæsare, mox quidem a Rom. Pontifice Paulo III. rata habita, sed tanto simul studio celata fuit, ut Metropoli-

Digitized by Google

idem (ut putatur) Scriba velox : quia Angelus Domini exercituum eſt : id eſt, Nuncius DEI Omnipotentis. Dei quidem Angelus eſt Sacerdos, cum internuncium agit in terris, & tanquam legatione ſuſcepta, voluntatis ejus interpretem : & de rerum cauſis, legumque æquitate homines inſtruit, & arcana Dei myſteria revelat. Una eſt enim (quod Philoſophi non negant, & Theologi Divinitus edocti profeſſi ſunt) æquitatis, ac juſtitiæ norma: ratio ſummi Jovis: voluntatem dicimus nos Dei Omnipotentis : cui, niſi quæ conſona lex eſt,

---

politani Collegii Biſuntini Canonicis nihil de illa innoteſceret prius, quam cum in locum Petri, anno 1544. defuncti, Franciſcum Bonvallot, Jurium Doctorem, Canonicum Eccleſiæ Biſuntinæ ac Theſaurarium, elegiſſent. Ea res cum apud Pontificem, Cæſaremque in contentionem adduceretur; ſic dein utrimque conventum: ut adminiſtratio Archi-Epiſcopatus una cum 3tia parte proventuum penes Franciſcum eſſet eo uſque, dum Claudius vigeſimo quinto ætatis anno completo, Eccleſiæ regimini ſuſcipiendo aptior evaſiſſet. Suſcepit illud 3tia Aprilis anno 1556. Decennio fere Metropolim tenuerat, cum S. Pius V. Papa, ob dilatam a Claudio in alterum annum Concilii Tridentini receptionem, promulgationemque publicam, has ad eum literas dedit, quas integras ex Jacobi Laderchii Continuatione altera Annalium Eccleſiaſticorum hic deſcribimus:

Ven Fratri, CLAUDIO, Archi-Epiſcopo Biſuntino PIUS PAPA V.

VENER. FRATER, SALUTEM &c.

ALlatum jam eſſe ad Te non dubitamus, de Sedis Apoſtolicæ regimine, quod, ſicut Altiſſimo placuit, Nobis, licet tanto loco indigni, delatum fuit. Sane a tanto onere ſubeundo deterrebat Nos virium noſtrarum infirmitas; ſed Divinæ gratiæ ope, auxilioque confiſi, id ſuſcepimus. Quia vero ad aures noſtras pervenit, nondum ſuſceptum a te fuiſſe Sacrum Generale Tridentinum Concilium; ſane mirati ſumus, cur id ſuſcipere diſtuleris, quod ſcias Apoſtolicæ Sedis Autoritate compro batum fuiſſe, & ab omnibus, & ubique juſſum ſuſcipi, atque ſervari. Quocirca Fraternitatem tuam monemus, & diſtricte præcipiendo mandamus, ut id ſine recuſatione, & mora, & devote ſuſcipias ipſe, ac fideliter obſerves, & a Suffraganeis tuis pari devotione ac diligentia ſuſcipiendum, atque obſervandum cures. Nihil facere potes, quod ad officium tuum magis pertineat, non mediocriter Nos, & Catholicos omnes offenſurus, ſi (quod abſit) cunctatus diutius fueris; nec vero Nos id ferre, aut diſſimulare poſſemus. Illud quoque Fraternitatem tuam hortamur & monemus, ut quoniam tantis hæreſibus cauſam præcipuam conſtat Paſtorum incuriam & negligentiam præbuiſſe, & Cleri vitia, moresque corruptos; memor officii tui, & cogitans, reddendam abs te rationem fore in judicio diſtricto, Æterno illi, Summoque Paſtori; commiſſum tibi gregem debita diligentia paſcas, atque cuſtodias: hæreticorum, tanquam luporum, in fidias ab eis pervigili cura arcens: Clerum, ut honeſte, caſte, pie vivat, & exemplo vitæ tuæ excites, & arguendo, obſecrando, increpando, &, ſi opus fuerit, ſeverius agendo, cures. Correctis enim Cleri vitiis, ſperari poterit, Laicos quoque honeſtius & religioſius eſſe victuros. Cum reliqua vero omnia Concilii Decreta tibi exequenda ſunt, tum illud primo quoque tempore, de Seminario inſtituendo, ex quo mirifica utilitas ad unamquamque Eccleſiam perventura eſſe ſperatur. Illud quoque diligenter & ſedulo curare te volumus, ut notitiam habeas Clericorum, non ſolum Civitatis, ſed etiam Diœceſis tuæ, quos conſtet eſſe Catholicos, quique vitæ, & morum honeſtate & doctrina ad ſerviendum Deo, & huic Sanctæ Sedi ſint idonei: ac delectu quodam eorum cum fide, & ſine perſonarum acceptatione habito, Nobis indicem, ſigillo tuo obſignatum, & manu tua ſubſcriptum; cum eorum nominibus, & locis, ubi habitant, mittas. Nos enim, ut communis omnium parens, proborum virorum, ubicumque ſint, rationem habere decrevimus, & eorum opera uti, cum occaſio oblata fuerit, ad eas res, quæ ad Dei & hujus Sanctæ Sedis obſequium pertinebunt. Te ipſum vero a Nobis expectare volumus, quidquid pro loco, in quo Dominus Nos conſtituit, opis & auxilii tibi, ad munus tuum laudabiliter obeundum, ferre poterimus: & ſi vigilare te ad ſalutem commiſſarum tibi ovium, & eam, quam debes, Sanctæ huic Sedi devotionem præſtare viderimus, habebis Nos propenſos ad omnia, quantum cum Deo licuerit, quæ ad commodum & honorem tuum pertinebunt.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XXII. Januarii MDLXVI. Pontificatus Noſtri anno primo.

Literis

Digitized by Google

eſt, nec æqua, nec juſta, quibuscumque in oris regionibusque obſervetur, haberi poteſt. Nam ſive in commutandis rebus jus dicatur: ſive in diſtribuendis honoribus merita penſentur: ſive in ſumendis pœnis publica tranquillitas: jus inſitum nobis a natura fuit, non ab arte. Quod ſane decalogus ſic interpretatur, ut tergiverſari nemo poſſit, aut lumen Divini vultus, quod ſuper nos ſignatum eſt, obſcurare: expreſſis verbis conteſtata, atque promulgata, juſtitiæ omnis ratione, atque æquitatis. Scientiarum autem humanarum, atque ingeniorum principia, niſi a Deo, unde repetamus? Unde vis illa rationis, qua cauſæ rerum atque exitus cognoſcuntur? Quis poſuit in viſceribus hominum ſcientiam? inquit Job: Quis concluſit oſtiis mare? Quis præparavit corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad Deum? Ergo qui legem Dei exponunt, & doctrinæ ſanæ ſcientiam tradunt, hi vere Angeli ſunt, & duci debent: Nuncii, inquam, & ſpiritus miniſtri, & interpretes Dei Sabaoth. Sed quanquam premimur calumniis, non modo vulgi, ſed & hominum leviter eruditorum: qui, quæ ipſi non capiunt, hæc ab omnibus rejici, & quaſi explodi vellent: & qui tanquam artem ab artifice, ſic officium a miniſtro ſeparari non putant: licet falſo nomina hæc uſurpari, aut minus proprie frequentari videamus: non eſt hic opus multis. Tantum hoc ſciri

---

Literis his Pontificiis cum non illico reſpondiſſet Biſuntinus Præſul, variaque præterea de moribus ejus, ac liberiore, quam Archi-Epiſcopum deceret, vita ad S. Pium Papam perlata fuiſſent, hic elapſo nondum toto bimeſtri, acriores multo literas prioribus ſubjunxit, quas e Laderchio pariter referimus:

Ven. Fratri, CLAUDIO, Archi-Epiſcopo Biſuntino
PIUS PAPA V.

VEN. FRATER, &c.

AD aures noſtras jam dudum, multorum fide dignorum literis, & relatione, non ſine magno dolore pervenit, te multis in rebus diligentis & boni Paſtoris erga commiſſam tibi gregem officia prætermittere, & vita & moribus tuis Clerum ac populum graviter offendere: quibus, ſi ſalutis & officii tui meminiſſes, pie, honeſteque vivendi exempla præbere deberes: Nec ſuſcepiſſe adhuc Concilium Tridentinum, tametſi non ignores, ejus Decreta Apoſtolicæ Sedis authoritate confirmata, & ab omnibus ſuſcipi & obſervari juſſa fuiſſe: ac plane ita te gerere, ut hæreſes, quas ſedulo extirpare deberes, incuria & negligentia tua, vitæque licentia potius alas, atque confirmes, quæ vehementer cupieremus, falſo de te vulgata fuiſſe. Sed cum tuæ provectionis initia recordamur, verenur, ne nimis vera ſint. Etſi autem aliis literis noſtris te officii tui diligenter admonuimus; tamen Divini honoris, & Catholicæ Religionis zelus, & ſolicitudo, atque angor, qui cordi noſtro inſidet, propter ſalutis tuæ, & commiſſarum fidei tuæ animarum periculum, impulit Nos, ut illo officio non contenti, mitteremus iſthuc Ven. Fratrem, Julium, Archiepiſcopum Surrentinum, virum fidei, integritatisque ſpectatæ, Noſtrum & Sedis Apoſtolicæ Nuntium, & Commiſſarium, ut harum rerum veritatem diligenter inquirat, & quæ corrigenda, & emendanda in te compererit, corrigat & emendet, & præter cætera curet, ut ipſius Tridentini Concilii Decreta ſuſcipias, exequaris & ſerves. Proinde Fraternitatem tuam in virtute ſanctæ obedientiæ monemus, atque præcipimus, ut ei ſuper omnibus rebus, de quibus noſtro Nomine te monuerit, pareas atque obedias: alioquin ſententiam, quam in te tulerit, ſuſpenſionis, interdicti, ſive etiam excommunicationis, ratam habebimus, & faciemus, Deo authore, inviolabiliter obſervari.

Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris die XVIII. Martii M.D. LXVI. Pontif. Noſtri anno primo.

Jacob. de Laderchio in Continuat. altera Annalium Eccleſiaſticor. Cardin. Cæſaris Baronii.

Verum priusquam poſteriores hæ literæ Veſontionem perveniſſent, Claudius Archi-Epiſcopus, Summi Pontificis iram forte ſubveritus, ut eundem ſibi tanto certius coram placaret, iter Romam inſtituit cum Antonio Lullo, quo ante aditam dignitatem inſtructore, ac dein Vicario Generali utebatur: commendata interim Eccleſiæ Biſuntinæ adminiſtrandæ cura Franciſco de Grandmont Majori Decano. Quinquennio tenuit ea peregrinatio, qua durante tam copioſe a Claudio Antiſtite ſatisfactum Sanctiſſimo Pontifici fuit, ut hic eum & ſolennibus cæremoniis Archi-Epiſcopum conſecrarit, & Pallio donaverit.

by Google

ſciri volumus : neque ferendum omnino Sacerdotem, qui ultro ſcientiam abjecerit : neque omnem in omni Sacerdote ſcientiam eſſe requirendam : ſed ſufficere juxta ordinum gradus, ſic ordinis etiam peritiæ cujusque modum. Nam ſi ea, quæ de Angelis dicuntur, recipimus; nec inter eos par ponitur omnium virtus intelligentiæ : ſed alii ab aliis illuminantur, & aliis ſubſunt, atque parent. Ac quidem ubi rerum omnium naturas conſiderabimus, nullam reperias, quæ non habeat in ſuo genere res complures, diſſimiles inter ſe, ſed quæ tamen conſimili laude dignentur. Sed exponamus adhuc, quænam hæc tanta ſimilitudo, ut Sacerdos dicatur a Malachia Angelus Dei. Altior quidem natura mentium, de qua loquimur, eſt, quam ut a nobis, terræ immerſis, corporisque mole preſſis, ſenſu poſſit aut cogitatione comprehendi. Jure enim huc ac commodari poſſet ille apologus : Cum talpa aliquando juxta loquentes homines percepiſſet : excita deſiderio audiendi ſermonis, rupto ceſpite, egeſtaque tacite gleba, caput extulit modice, ne videretur : ſed captum oculis. Loquebantur autem illi de ſtructura, & ſpectaculis Romani amphitheatri, & de magnificentia atque ſplendore apparatus convivii, quod Aſſuerus dederat in hortis Suſanæis. Retulit illa ſtatim ad contubernales, quæ audivit. Sed quia neque ipſa ſe, neque alios loquentem intelligebant : ex contentione rixa, & ex rixa tumultu ſubtus terram excitatis, homines illos, ſpiritus ſubterraneos adeſſe ſuſpicantes, in fugam egerunt. Vero quidem ſimillimum eſt, cum illa ſcenicum apparatum, ſigna theatri, pendentia aulea, veſtes peregrinas perſonarum, & cavæ capacitatem, ordinesque ſpectatorum, recenſeret, pro coliſæo omnes ſuas cavernulas cogitaſſe, pro ſignis & alio apparatu, radiculas arborum & herbarum : aut lapillos, quos fodiendo in ſpeluncis ſuis offendunt. Sic re vera afficiuntur homines, maxime carnales, ubi

---

Quantum porro Claudius ex hauſtis a Pontifice Sacris Inſtitutionibus acceperit emolumenti, ab illius in Patriam reditu compertum fuit: nam continuo Synodum Provincialem in diem Octobris 24. anni 1571. indixit, in qua una cum Revmis Epiſcopis Suffraganeis, Cleroque congregato Sacri Tridentini Concilii Canones ac Decreta recepit, receptaque juramenti Sacramento ſancivit. Ad urgendam vero, promovendamque ejusdem Generalis Concilii Decretorum executionem illud ſimul eadem in Synodo Provinciali ordinatum fuit, ut prioribus Biſuntinæ Provinciæ Statutis, ad Concilii Tridentini Sanctiones reformatis, doctrina aliqua atque inſtitutio, juxta ipſorummet Statutorum ordinem & argumenta, ex conſilio, ſententiaque doctiſſimorum virorum, qui una cum Archi-Epiſcopo ad id opus deputati fuere, pro Cleri totius inſtructione concinnaretur, & in lucem ederetur: Ex quorum deinde lucubrationibus ingens illud Statutorum Synodalium Provinciæ Biſuntinæ volumen, quod hic exhibemus, conflatum fuit, & anno 1575. typis Lugdunenſibus vulgatum. In quo cum multa admodum erudite conſcripta ſint, varia tamen hinc inde Inſtitutionum, Statutis adjectarum, Tractatibus inſperſa reperiuntur, quæ prudenti interpretatione indigent, quod & alibi monuimus: Atque ipſe Claudius Archi-Epiſcopus, dum Statutis in eorundem fine ſubſcriberet, & illa Archi-Epiſcopali ſua auctoritate firmaret, illud provide adjecit, quod Inſtitutionibus hiſce non plus ponderis tributum vellet, quam ipſa contentæ in illis doctrinæ capita mereantur. *Aliis*, inquit, *præceptis doctrinæ, quæ ab ipſis Statutis & Ordinationibus literarum forma & charactere diſtincta ſunt, & ſeparantur, in ſuo genere*, [*doctrinæ ſcilicet loco tantum*] *veliſtis.*

Cætera Claudii geſta damus ex Joannis Jacobi Chiffletii, Patritii, Conſularis, & Archiatri Veſontini, Libro, cui titulus: *Veſontio Civitas Imperialis Libera, Sequanorum Metropolis.* " Anno 1575. die 21. Junii, inquit, hæretici Biſuntinam civitatem " ſubito conatu adorti, ... magnum civibus terrorem incuſſerunt: in quibus pro- " pulſandis, ut totius Civici Magiſtratus, & Franciſci de Vergeio, Comitatus Bur- " gundiæ Gubernatoris, qui tunc Veſuntione; ſic & Claudii a Bauma egregia eni- " tuit vel prudentia, vel fortitudo. Qua de re cum accepiſſet Gregorius XIII., " anno 1578. Pontificatus VI. die Veneris IX. Cal. Martii, cum quinto Cardinales " eligeret, abſentem Claudium a Bauma, Romæ creavit Presbyterum Cardinalem " S. Pudentianæ, Tit. *Paſtoris*: cujus tituli memor Claudius, & Paſtoritii muneris, Romanam Curiam non adiit, ne in tantis Galliæ ac Germaniæ tumultibus, " & hæreticæ impietatis, quæ per ea tempora quaquaverſum ſpargebatur, periculis, ſuo ipſe gregi deeſſet: in eaque cura tam diu perſtitit, donec anno 1584. " die Jovis, 14. Junii, Paſtoris officio ſimul & vita ceſſit Arboſii, quo loco ſepeliri voluit in Eccleſia S. Juſti, prope Claudium parentem ſuum, Equitem Velleris aurei, & Mareſchallum Burgundiæ, ac Petrum a Bauma, patruum ſuum, " Cardinalem & Archi-Epiſcopum Biſuntinum. *Hæc Chiffletius, quem vide, & Jacobi Laderchii Continuat. alteram Annal. Eccleſiaſticorum Card. Cæſ. Baronii.*

ubi quis de Deo, rebusque cæleſtibus, verba facit. Sed qui Divinitus edocti ſunt, talem putant naturarum omnium conditorem Angelicæ vim, facultatemque dediſſe, qualem ceuſuit maxime gloriæ ſuæ, Majeſtatique convenire. Fecit ergo ſpiritualem: quia reliqua ſunt corporea, quæ creavit. Fecit incorruptibilem: quia ante Omnipotentis thronum eſſe ſemper debuerant. Fecit abſque corpore: ut ad omnia obeunda myſteria, quocunque mitterentur, eſſent paratiores. Ideo & per ſe intelligentem quoque: ut ſenſu non egerent corporeo, ſicut nos miſeri mortales, & tardi ad credendum. Atque hæc quidem omnia, ut theatrum ſuum Creator univerſi ſpectaculorum omnis generis, & formarum varietate decoraret. Sed quid horum ſimile, inquies, in Sacerdotibus? Multum quidem per omnem modum. Nam ſicut illi ſpirituales ſunt & incorporei, & accenſi inſtar flammæ ignis, & actus puri: ſic etiam nos decet, licet in terra degentes, a terrenis caducisque rebus animum ſubducere, & ſpiritu opera carnis mortificare: aliisque virtutibus prælucere, charitate præcipue accenſos. Quod ſi quando uſu poſtulante, infirmitati nos accommodantes aliorum, humanum aliquid agere videamur: tanquam aſſumpto alieno corpore id agamus, ne abſorbeatur a corpore ſpiritus Divina vis. Sic Angeli humana ſpecie non raro apparuerunt, aſſumptis ex aere, vel aliunde, non propriis corporibus: ut cum hominibus poſſent facilius inire familiaritatem. Videbar, inquit Raphael ad Tobiam, manducare & bibere: ſed ego alio cibo & potu utor inviſibili. Sicut illi præterea actus puri ſunt, ſic otio torpere non decet Dei Miniſtrum, aut ignavia. Nam Sacerdos dives, & honoratus, niſi in actu ſemper ſit, non differt ab idolo. Habent idola oculos, & non vident: aures, & non audiunt: pedes, & non ambulant: nihilominus auro onuſta, & pretioſis rebus ornata, coluntur, atque adorantur ab ſtultis. Quamvis hoc in pœnam ſæpe fieri populorum conſuevit: ne ſibi blandiantur plebes. Ecce ego ſuſcitabo Paſtorem (dicit Dominus per Zachariam) qui derelicta non viſitabit, diſperſum non quæret, & contritum non ſanabit, & id, quod ſtat, non enutriet, & carnes pinguium comedet, & ungulas eorum diſſolvet. O Paſtor & idolum derelinquens gregem, &c. Et contra eum, qui ſcientiam contemnit, per Oſeam ſic loquitur: Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi. Non quod oporteat omnes æque doctiſſimos eſſe. Nam intelligentiæ illæ gradus habent: & in ordine noſtro, uti diximus, gradus ſunt: ut ab eo plus exigatur, cui plus creditum fuerit. Sed tamen unusquisque pro ſuo merito mercedem accipiet: ſive qui docet in doctrina: qui exhortatur in exhortando: qui tribuit, in tribuendo: qui præeſt, in ſolicitudine: qui miſeretur, in hilaritate. Supereſt, quod imprimis convenit noſtro huic negotio: ut quemadmodum in Angelo duplex cognitio ponitur, (matutina & veſpertina) eadem ſervata analogia quæramus hæc in Sacerdote. Auguſtinus quidem author, ut creditur, hujus ſententiæ, matutinam cognitionem eam definit, qua res omnes contemplantur Angeli in verbo æterno: quatenus autem in ſua natura ſingulæ conſiſtunt, harum cognitionem vocat veſpertinam, a rebus ipſis, quæ ſcilicet a tenebris non procul abſunt, deſumptam. Non aliter in Prælato ſi muneris rationem habebimus, duplicem ponemus, & requiri cenſebimus ſcientiam: unam ſcilicet ex Verbo Dei, alteram ex rebus creatis. Illa eſt fidei, & myſteriorum ejus: quam vel ex literis ſanctis, vel ex Patrum traditionibus, vel ex revelatione ſpeciali acquirit. Altera quæ ex præceptis & doctrina Philoſophiæ petitur: moralis, aut rationalis, aut naturalis: Per quam & cum hominibus ſine querela vivamus, & hæreticos paralogizantes ex ſuamet ipſorum Philoſophia, refellamus: & in contemplatione atque admiratione operum naturæ, Deum authorem agnoſcamus, amemus atque veneremur. Idcirco enim præceperat Dominus (quia omnia in figuris contingebant) ut Pontifex Judæorum in pectore geſtaret rationale, cum duobus biſce verbis, DOCTRINA, & VERITAS: nimirum ut potens eſſet (quod Paulus cupit) exhortari in doctrina ſana, & contradicentes coarguere. Populum meum docebunt [inquit apud Ezechielem] quid ſit inter ſanctum & pollutum: & cum fuerit controverſia, ſtabunt in judiciis meis, & judicabunt. An corruptibiles judicare poterunt? nequaquam recte. Non ſine cauſa igitur in exhortandis Paſtoribus frequens uſurpatur hæc ſententia: labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam: & legem requirunt de ore ejus: quia Angelus eſt Domini Sabaoth. Decet enim Dei Miniſtrum, eum qui populo præeſt, notitiam habere verum & Divinarum, & humanarum: tam ut inſtituta bene vivendi docere queat, quam fidei atque ſpei documenta: quia Angelus Domini eſt. Nos autem, quos Dei benignitas, atque patientia, immeritos licet, in hac Sede collocavit, & præire multis ac prælucere voluit, librum hunc compilandum bona fide, nullo ambitionis vitio curavimus: ut qui ſub adminiſtratione noſtra ac cura degunt, quovis illi munere in Eccleſia fungantur aut ordine, inter fideles poſiti ſint, legem habeant &

ſcientiam: non utique rerum omnium, ſed earum potiſſime, quæ ſolent hac noſtra tempeſtate tractari, atque deſiderari. Nam Dei gratia, accepto in urbe a bonæ memoriæ PIO V. Pontifice munere Conſecrationis, & Pallio, reverſi in Patriam (quod omnes ſcitis) Synodum Provincialem, ad diem XXIV. Octobr. anni M.D. LXXI. in Eccleſiam Metropolitanam indiximus, & convocavimus. Ubi Dioceſanis noſtris, cum Reverendiſſimis Epiſcopis Comprovincialibus & Suffraganeis, in Spiritu Sancto legitime congregatis, officioque Divino cum indulgentia plenaria ejusdem Patris Sanctiſſimi celebrato: Synodum ritu ſolenni aperuimus, ac deinceps Concilii Tridentini Sacroſancti Canones ac Decreta, lecta & publicata, palam & publice cum univerſo Clero, recepimus ac juravimus. Sed quoniam ad eorum executionem nonnulla videbantur eſſe in Dioceſi noſtra conſtituenda: decretum fuit, ut reformatis ex ipſo Concilio paucis aliquot Statutis ex prioribus, juxta materiam & argumenta ſingulorum, doctrina aliqua atque inſtitutio Clericis omnibus pro tempore neceſſaria, ex conſilio ſententiaque Virorum doctiſſimorum, qui Nobiscum ad hoc opus deputati fuerunt, conciperetur, atque ederetur. Hoc opus Dei beneficio abſolutum, typisque excuſum, vobis jam nunc præſentamus. Accipite igitur Patres & Fratres in Chriſto Charissimi, ad unius DEI Omnipotentis cultum, & honorem Virginis MARIÆ Matris DEI Gloriosiſſimæ, Beatorumque Apoſtolorum Petri & Pauli, Joannis Evangeliſtæ, & Stephani Protomartyris, Sedis noſtræ Archi-Epiſcopalis Patronorum, ac Sanctorum Martyrum Vincentii, Fercoli & Fervucii, atque Irenæi, Epiphanii & Iſidori, aliorumque ejusdem Eccleſiæ protectorum, omniumque Sanctorum, ad fidei ſtabilimentum: ad utilitatem Cleri, Civitatis & Dioceſis: ad defenſionem libertatis, jurisdictionis & ſtatus Eccleſiaſtici: ut omnia ſuo gerantur ordine, quæ cuique in ſuo gradu & tempore fieri debent. Accipite, inquam, ſequentes Conſtitutiones, ſive Statuta: partim ex ipſo Concilio Triden., Patrumque Decretis: & Eccleſiaſtici Juris legibus: partim ex Prædeceſſorum noſtrorum Archi Epiſcoporum Biſuntinenſium Statutis Synodalibus deſumpta: partim etiam a Nobis in proximis Synodis jam rogata & publicata, & denuo in dicta Provinciali recepta. Hujus autem Libri pars una commentariorum eſt doctrinæ, ad cuſtodiendam aliquam ſcientiam in labiis Sacerdotum. Altera collectionem continet Statutorum: ſi quis legem requirere velit ex ore noſtro, quomodo verſari vos, vobisque ſubditos oporteat in Eccleſia Dei, quæ eſt columna & firmamentum veritatis. Faxit Chriſtus JESUS, ut labor hic noſter nec inanis, nec ſine fructu reperiatur in die judicii.

CATECHISMUS,

Qui pro Indice ſervire poterit horum Statutorum Synodalium.

CUm ſit finis & ſcopus Congregationum Eccleſiaſticarum atque Synodorum, ut in Clero & in populo integra retineatur Fidei doctrina & morum: operæ pretium eſt, ut in fronte hujus operis Capita proponamus Doctrinæ Catholicæ. Is ergo erit brevis Catechismus: qui & pro Indice etiam ſumi poterit materiarum, quas continebit hæc doctrina Cleri noſtri. Continetur autem omnis doctrina Catholica in tribus virtutibus Theologicis, Fide, Spe, & Charitate: de quibus ſuis locis tractabimus. Nunc ſcire oportet Catechismum inſtructionem eſſe Catholicam, quæ per interrogationem fit & reſponſionem. Dictio græca eſt, & deducitur ab Echo, id eſt, reſonantia, illa ſcilicet, quæ inter montes in profundis vallibus reſpondet. Et quidem merito. Nam fides ex auditu eſt: Echo autem ultimas tantum ſyllabas vocum refert, ſicut a catechumeno (rudi adhuc, & lacte, non jam ſolido cibo indigenti) principia tantum, rudimentaque Religionis tradita voce, verbisque concepta exigimus. Sed ſapientiam, inquit Apoſtolus, loquimur inter perfectos. Et quia perfectiores in Eccleſia habentur Clerici (quos decet non ſolum verbo, ſed opere etiam præire cæteris) ideirco non ſolum de vita, & honeſtate eorum, præcepta dabimus: ſed & de modo conveniendi ad ſuſcipiendam, atque tractandam diſciplinam Eccleſiaſticam. Vocatur hæc Congregatio Synodus.

Quænam celebrantur Synodi in Dioceſi Biſuntina? Pag. 9

Duæ: Provincialis, ſeu Generalis: & Dioceſana.

Vitam Clericorum, quæ ſunt, quæ maxime faciunt honeſtam? 12

Continentia, morum ſimplicitas, & ſcientia.

Scientia quorum eſt?

Virtutum, Scripturarum, & Rituum.

Virtutes quæ ſunt?

Theologicæ, & morales.

Quot ſunt virtutes Theologicæ? 15

Tres: Fides, ſpes, charitas.

Morales quæ? 17

Prudentia, temperantia, fortitudo, & prudentia: & quæ ſub his continentur.

Senſus exteriores? 20

Quinque: Viſus, auditus, guſtus, odoratus, tactus.

Poten-

Digitized by Google

Potentiæ animæ quot sunt? Pag. 21
Tres: Memoria, intellectus, & voluntas. Liberum arbitrium additur voluntati.
Fidei professio, quotuplex? 25
Explicita, atque articulata, Symbolum: implicita, signum crucis Christi, In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.
Symbolum Apostolorum quod? 27
Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cœli & terræ, &c.
Fides unde est?
Ex auditu: Auditus autem per verbum Christi.
Verbum Dei quomodo in nobis fit? 33
Per inspirationem Dei intrinsecus: & extrinsecus per os Dei, & per traditionem & per Scripturam Sanctam.
Libri Canonici qui sunt? 35
Vetus testamentum, & novum.
Libri prohibiti? 36
Hæresiarcharum omnes: aliorum quoque hæreticorum, qui de religione tractant: & præterea superstitiosi & impudici.
Hæreticus quis? ibid.
Qui fidem, quam antea professus est, in aliqua parte tenet, in alia errorem pertinaciter defendit.
Oratio Dominica, quæ? 39
Pater noster, qui es in cœlis, sanctificetur &c.
Salutatio Angelica? 44
Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum, &c.
Præcepta Decalogi quot sunt? 47
Decem. Unum crede Deum: ne jures vana per ipsum.
Sabbata sanctifices: habeas in honore parentes.
Ne sis occisor, mœchus, fur, testis iniquus.
Alterius nuptam, nec rem cupias alienam.
Præcepta Ecclesiæ? 53
Festa cole, atque jejunia: Christum in Paschate sume.
Crimina Pastori narra: Missamque frequenta.
Sed decimas solves, collectis lætus aristis.
In Missa quænam sunt? 54
Confessiones, preces, exhortationes, gratiarum actiones, oblationes, sacrificium, communio, cantus.
Festum quotuplex? 57
Duplex: Mobile, & immobile.
Computus Ecclesiasticus quænam docet?
Quantitatem anni & mensium, literam Dominicalem, aureum numerum, Pascha, & alia Festa mobilia atque immobilia.
Sunt ne omnia opera peccata? 71
Non, sed quædam bona, quædam mala, quædam indifferentia.
Opera satisfactoria, & meritoria quæ sunt? 72
Oratio, jejunium, eleemosyna.
In Rosario Mysteria meditanda quindecim? 77
Læta quinque, tristia quinque, gloriosa quinque.
Septem opera misericordiæ corporalia quæ? Pag. 79
Visito, cibo, poto, redimo, tego, colligo, condo.
Septem opera misericordiæ spiritualia? ibid.
Consule, suade, doce, solare, remitte, fer, ora.
Consilia Evangelica? 81
Paupertas, castitas, obedientia. Propria sunt hæc Monachorum & Monialium.
Votum quotuplex? 86
Solenne, & simplex.
Dispensatio quorum est? 87
Voti, juramenti, præcepti, & prohibitionis.
Indulgentia quotuplex? 89
Duplex: Plenaria, & determinata.
Peccatum quotuplex est? 96
Triplex: Mortale, veniale, originale.
Peccata mortalia, seu capitalia quot sunt? 98
Septem: Superbia, avaritia, luxuria, invidia, gula, ira, accidia.
Peccata clamantia in cœlum? 103
Quatuor: Homicidium, sodomia, oppressio pauperum, merces operarii detenta. Adduut etiam usuram.
Peccata in Spiritum Sanctum? 107
Sex: Præsumptio, desperatio, impugnatio veritatis agnitæ, invidia fraternæ gratiæ, obstinatio, finalis impœnitentia.
Gratia Dei quotuplex? 108
Duplex: Gratia data, & gratum faciens. Gratia quoque prædestinationis, & ejus signa quæri possunt.
Septem dona Spiritus S. quæ sunt? 117
Spiritus sapientiæ, & intellectus: Spiritus consilii, & fortitudinis: Spiritus scientiæ: Spiritus pietatis & timoris Domini.
Fructus Spiritus? 118
Charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas.
Octo beatitudines quomodo explicantur. ib.
Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram. Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur. Beati qui esuriunt & sitiunt justitiam, quoniam ipsi saturabuntur. Beati misericordes, quoniam misericordiam consequentur. Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt. Beati pacifici, quoniam ipsi Filii Dei vocabuntur. Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum.
Quatuor novissima, quæ sunt? 119
Mors, dies judicii, infernus, vita æterna.
Morientibus necessaria officia, quæ? 127
Ante mortem, testamentum (vel cessio bonorum) doctrina bene moriendi, & Sacramenta: post mortem, sepultura, utriusque testimonium de bono statu.

Tres

Digitized by Google

Tres hoſtes hominis aſſidui, qui ſunt? Pag. 134
Caro, mundus, dæmonia.
Jam (quod ſupereſt) ritus unde diſcemus Eccleſiaſticos? 139
Ab Eccleſia.
Quotuplex eſt Eccleſia? ibid.
Militans & triumphans.
An eſt ambarum unum Caput?
Chriſtus caput eſt tam eorum, qui in terra ſunt, quam qui in cœlis. Sed militantis Eccleſiæ caput in terris eſt Summus Pontifex.
Eccleſia materialis, quando reconcilianda eſt? 143
Si fuerit polluta ſanguinis, vel ſeminis effuſione, vel altare ejus motum.
Sacramenta Eccleſiæ, quot ſunt? 144
Septem: Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema unctio, Ordo, Matrimonium.
In omni Sacramento neceſſaria quæ ſunt? ibid.
Materia, forma, Miniſter, & intentio.
Baptiſmo, quæ ſunt neceſſaria? 146
Miniſter, aqua, & verbum.
Ritus obſervandi in Baptiſmo? 150
Alii in caſu neceſſitatis, alii extra hunc.
Cognatio ſpiritualis inter quos? 153
Levantes cognati fiunt ſpirituales baptizati, & parentum ejus.
Confirmationi neceſſaria? 154
Epiſcopus, Chriſma, impoſitio manuum.
Euchariſtiæ? 156
Presbyter, panis & vinum, verbum.
An requiritur aliqua præparatio? 157
Debet ſumpturus, ſe ipſum præparare, ne indigne ſumat: & Presbyter admonere eum de virtute, & dignitate Sacramenti.
Pœnitentiæ partes quæ? 159
Contritio, confeſſio, ſatisfactio: Miniſter hujus Sacramenti eſt Presbyter jurisdictionem habens.
Caſus reſervati? 167
Alii Papæ tantum, alii Epiſcopo etiam.
Extremæ Unctioni neceſſaria, quæ? 168
Presbyter, Oleum infirmorum, Oratio.
Matrimonio? 169
Viri & mulieris conſenſus, & miniſter Parochus: cum teſtibus ſaltem duobus.
Suntne aliqua impedimenta Matrimonii? 171
Sunt quidem aliqua, quæ impediunt contrahendum, ſed non dirimunt contractum.
Alia, quæ non ſolum impediunt contrahendum, ſed eam dirimunt contractum.
Ordines Eccleſiæ quot ſunt? Pag. 175
Septem: Oſtiarius, Exorciſta, Lector, Acolytus, Subdiaconus, Diaconus, Presbyter.
Examen ordinandorum, quomodo, & quando fieri debet? ibid.
Ad primam Tonſuram, quocunque die: ad quatuor Minores, diebus Dominicis & Feſtis: ad Sacros, Sabbatis quatuor temporum promovebuntur: ſed non niſi legitimi, & ſufficientiæ teſtimonium habentes de ætate, doctrina, fide, & moribus.
Examinis corruptela, quæ? 178
Simonia.
Simonia, quibus rebus committitur?
Munere, prece, ſervitio, ſanguine.
Miniſtrorum Eccleſiæ differentiæ? 179
Miniſtri Sacramentorum, Miniſtri doctrinæ, Miniſtri pauperum & infirmorum, Miniſtri cantuum Divinorum, Miniſtri juſtitiæ, Miniſtri denique Miniſtrorum Eccleſiæ, & unus omnium Papa.
Statuta Miniſtrorum ſingulorum propria quænam dabimus? 182
Simplicium Presbyterorum & familiarium, Paſtorum ſeu Curatorum, Prædicatorum [& de prono] Magiſtrorum ſeu Scholaſticorum, Hoſpitaliorum, Fabriciariorum, Monachorum & Monialium, Pſallentium.
Horæ Canonicæ in quibus conſiſtunt? 200
In orationibus, lectionibus, & cantibus, & corporis geſtu.
Muſica in quibus conſiſtit? 203
In rythmo, ſono, ſyllaba, & modo.
Miniſtri juſtitiæ? 208
Ordinarii & Delegati.
Mandatorum Curiæ executiones, quæ? 210
Monitio, citatio, diſtrictio, notificatio, inquiſitio, vel informatio.
Cenſuræ Eccleſiaſticæ, quæ ſunt? 213
Excommunicatio, interdictum, ſuſpenſio, & irregularitas.
Excommunicatio quotuplex eſt? ibid.
Major & minor: a jure, & ab homine.
Excommunicati pœna quæ eſt? 214
Privatur in vita orationibus Eccleſiæ, & Sacramentis, & convictu fidelium, omnique actione in judicio: & traditur Satanæ, & poſt mortem caret ſepultura Eccleſiaſtica.
Caſus excommunicationis variis temporibus publicati, multi ſunt. 218

STATU-

Digitized by Google

STATUTA SYNODALIA
BISUNTINÆ DIOECESIS.

DE SYNODO.

CUm multa Divinitus a Majoribus noſtris, Eccleſiæ Biſuntinæ Patribus, inſtituta ſint & tradita, per quæ nos in ſtudio & perfectione Evangelicæ Profeſſionis continerent, illud inter cætera maxime neceſſarium Reipubl. noſtræ ſtatuerunt, ut Sacerdotes frequenter in unum convenirent, & Miniſtrorum Eccleſiæ fieret bis in anno quædam veluti recitatio & confeſſus, quam Synodum Græco vocabulo appellarunt. Nam ſive errores ſuppullulent in doctrina, ſive ſcandala ponantur in moribus, ſive ritus depraventur in miniſterio, ſive contemptus & inobedientia notetur in delictis, & contumacia in obſtinatione: hac Sancta Synodo (veluti ab equis pluribus, in area ſuper ſpicas, & meſſem circumactis, decuſſa gleba, & tritis ariſtis) ſic omnia depurgantur & reſtituuntur, ut minimo flatu auræ principalis favoris, diſciplina Eccleſiaſtica, Deique cultus, in pretio ſint, & grana tritici in horreum Dominicum recondenda, pietatis operibus omnis generis niteant, & ſplendeſcant. Hic conferunt Patres inter ſe de doctrina Fidei: nunc uno interpretante, & cæteris aliis tacentibus: nunc reſpondente uno, & cæteris interrogantibus: & quod Fidei Catholicæ, Patrumque præceptis conſonare videtur, id unum confirmant, corroborant, & profitentur. Hic de moribus populi ſui quisque refert, quod animadverſione dignum putat: ut ejus rei cauſa admonitiones populares, ſi opus ſit, concipiantur in Synodo. Hic Miniſtri Sacramentorum ſigillatim examinantur & probantur, num recte teneant & exequantur, quæ ſunt ſui officii: & qui deprehenduntur indigni, gradu ſuo moventur ab Antiſtite, aliis in locum eorum ſuffectis. Hic referuntur a ſuis Paſtoribus quicunque ex plebe incorrigibiles, tanquam membra putrida debent ab Eccleſiæ corpore reſcindi: hæretici, uſurarii, blasphemi, incantatores, & quicquid aliud correctione indiget, tum in Clero, tum in populo, refertur palam, vel paucis adhibitis ex Synodo primoribus: ut ſi res poſtulat, advocato Brachio ſæculari, malum tollatur ab Eccleſia. Atque hæc quidem primum. Dehinc pro uſu & neceſſitate, atque occaſione Leges, ac Statuta rogantur: & in ultima Concione promulgantur, cum Decreto & auctoritate Antiſtitis. Quanquam doctrinam quidem rerum credendarum eandem ſemper manere neceſſe eſt: nec licet Nobis quicquam in ea novi ſtatuere, vel deliberare. Si Nos ipſi (inquit Apoſtolus) vel Angelus de cœlo prædicaverit vobis Evangelium, præter id, quod prædicatum eſt vobis, anathema ſit. Verum in rebus agendis, & diſciplina Eccleſiaſtica mutari pro ratione temporum & locorum, ac perſonarum multa poſſunt. Nam Decretum, quod cum B. Paulo (a) cæteri Apoſtoli propter diſſidium Judæorum & Gentium condiderant, de non edendo idolothyto, idem Paulus poſtea ſcribens Corinthiis, ſublata illa cauſa reſcidit. Quicquid in macello vænit (inquit) edite, nihil interrogantes. Et contra ethnicam libertatem circumcidit Timotheum (b). Idemque ad Galatas, ſi circumcidimini (ait) Chriſtus vobis nihil prodeſt. Neque tamen propterea licet nobis, quæ ab Eccleſia univerſali, & in Generalibus Conciliis (etiam circa res agendas & diſciplinam Eccleſiæ, atque exercitationem corporalem) conſtituta ſunt, noſtra auctoritate abrogare, vel abolere: quamvis in multis diſpenſemus ex cauſa juſta, multaque commutemus, veluti obligationem unius operis pii, in

(a) Act. 15. (b) Act. 16.

Digitized by Google

in aliud eodem modo pium, convertentes. Nam quod a Majoribus dignitate & auctoritate præceptum, sanctumque est, inferiores observare, non contemnere, vel abrogare decet. Sed quoniam non omnia Patrum Decreta omni tempore æque necessaria habentur : idcirco fit, ut variis Synodis varia etiam Statuta ferantur, non quasi nova quidem, sed (ut ita dicamus) renovata. Cujus rei necessitatem cum crebro experti sint Majores nostri: hac certe infœlici tempestate adeo Nos urget, ut non sine lachrymis & gemitu referamus. Eam igitur ob causam, ut omnes intelligant, quo ritu haberi Synodus debeat Ecclesiæ nostræ: Statuta de Synodo, quæ ab omni tempore observata a Majoribus nostris fuere, proponemus.

STATUTA DE SYNODO.

STATUTUM PRIMUM.

SAnctorum Patrum (c) vestigiis insistentes bonæ memoriæ Prædecessores nostri, hujus Sanctæ Sedis Bisuntinensis Archi-Episcopi, celebrare duas Synodos singulis annis consueverunt. Primam quidem in septima & ultima hebdomada Paschalis solennitatis, in die videlicet Martis ante festum Pentecostes : alteram vero in mense Octobri, die Mercurii post festum B. Lucæ Evangelistæ.

II.

Prima igitur, quæ dicitur Maji, incipit die Lunæ ante solennitatem Pentecostes, in Aula nostra Archiepiscopali, in qua fit primus sermo ad Clerum, & collatio de rebus, quæ pro tempore occurrunt tractandæ : semotis laicis, qui concioni tamen poterunt interesse. In crastino (videlicet die Martis) in Ecclesia nostra Cathedrali primo fit officium Missæ de Sancto Spiritu : deinde celebratur Synodus : & in ea habetur ultimus sermo ad Clerum : tandem, quæ statuenda visa fuerunt, publicantur.

III.

Secunda Synodus dicitur Autumni, & incipit post Vesperas diei Martis : & die Mercurii post Festum Sancti Lucæ celebratur, & finitur sicut illa Maji.

IV.

Suadente autem necessitate, vel aliqua causa rationabili, potest a Civitate transferri Synodus, & in loco aliquo Dioicesis congruo & commodo (deputando per Archi-Episcopum) convocari, congregari, & celebrari. Quam tamen translationem, congregationem & loci deputationem, tempestive facere debet Archi-Episcopus, ut ad eorum omnium notitiam perveniat, quorum interesse possit.

V.

Quando causa rationabilis quidem existit, ut universi Ordines Ecclesiastici convocentur ab Archi-Episcopo ad Synodum, non solum Rectores animarum & Presbyteri, sed Abbates & Reverendi Episcopi, omnes Suffraganei interesse debent. Verum singulis Synodis Dioicesanis, quæ bis in anno celebrantur, non alii coguntur interesse, quam ii, quibus cura populi commissa est (sive Abbates fuerint, sive Priores, sive Capitula & Collegia) per se, vel per suos Vicarios : reliqui exempti sunt ab eo onere.

VI.

Tenentur tamen in hac Dioicesi Bisuntin. in omnibus Synodis comparere cum Fratribus nostris Ecclesiæ Metropolitanæ Canonicis Venerabiles Abbates, Sancti Vincentii Bisunt. Civitatis, & Sancti Pauli ejudem Civitatis : Abbas Montis benedicti : Abbas de Golia : Abbas de Corneolo, & Abbas de Bello-Campo, in habitibus quidem suis regularibus in priori collatione, quæ fit post Vesperas, uti dictum est: mane vero Abbates mitrati cum cappis sericeis, & mitris, & crossis, alii non mitrati, cum similibus cappis & almutiis, prout ab antiquo observatum est. & præterea quatuor Archi-Diaconi nostræ Diœcesis cum suis Decanis : scilicet Archi-Diaconus de Salinis, Archi-Diac. de Faulverneyo, Archi-Diac. de Grayaco, & Archi-Diac. de Luxonio.

VII.

(c) Canon. 38. Apost. Conc. Nicen. can. 5. Antioch. c. 5.

Digitized by Google

VII.

Decani Chriſtianitatis (quos rurales vocamus, alii Archi-Presbyteros) aut eorum Subdecani, compareant in utraque collatione in veſtibus honeſtis, cum ſuperpelliciis albis, mundis & honeſtis : ſimiliter & Curati, ſeu eorum Vicarii, cum ſuperpelliciis (præſertim in Synodo matutina) diligenterque attendant ad verba ſacræ cohortationis, & ad alia, quæ eis dicentur, ac mandabuntur: nec recedant ab ipſa Synodo absque noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis licentia.

VIII.

Venientes ad Synodum, honeſtam ſibi eligant ſocietatem, honeſta hoſpitia: ubi graviter, modeſte, pacifice, ſe gerant: ſobrie vivant: vana colloquia, & fœda, cantilenas, choreas, meretrices, & ſuſpecta omnia devitantes: potius orationibus & jejuniis, exemplo Apoſtolorum, vacent, & de rebus Eccleſiaſticis meditentur.

IX.

Curati, qui nequeunt perſonaliter intereſſe propter cauſam legitimam, dent Decanis ſuis excuſationem ſuam in ſcriptis, quam Decani Nobis præſentare tenebuntur in ipſa Synodo : alias contumaces reputabuntur. Præcipimus autem Receptori Cameræ noſtræ, ut diligenter exigat pœnam contumaciæ abſentium omnium, qualis in quaque Synodo declarata fuerit.

X.

Antequam vero ſe itineri committant, viſitent gregem ſuum, ac diſpiciant: & ſi quos morbo gravatos habuerint, eos hortentur ad ſuſceptionem Sacramentorum. Similiter hortentur mulieres partui proximas, ad Confeſſionem, & Sacroſanctam Communionem: ne ipſis abſentibus contingat eas ab hac luce decedere absque illis Sacramentis.

XI.

Quod ſi commode non poſſint, relinquant Presbyterum aliquem, qui eorum vices gerat: & rebus ita ordinatis, ad Sanctam Synodum properabunt.

Nomina Decanatuum hujus Dioceſis Biſuntin. in quos tanquam particulares Dioceſes dividitur, hæc:

De Sexta,
De Faulverneyo,
De Treva,
De Luxonio,
De Ledoneſalverii,
De Grayaco,
De Palma,
De Atoya,
De Montana,
De Neublanco,
De Vareſco,
De Salinis,
De Dola,
De Grangiis,
De Rubeomonte,

XII.

Tenentur Decani rurales in ſingulis Synodis referre nomina Beneficiatorum (præſertim Curatorum) non reſidentium in ſuis Eccleſiis Parochialibus, idque in ſcriptis.

XIII.

Item nomina excommunicatorum, qui per annum & diem ſententiam excommunicationis ſuſtinuerint.

XIV.

Item nomina adulterorum, concubinariorum, & uſurariorum publicorum & manifeſtorum.

XV.

Item nomina hæreticorum, conventicula celebrantium, ſeu a communi converſatione fidelium vita & moribus diſſidentium.

XVI.

Item nomina ſortilegorum, divinorum & receptorum eorundem, & blaſphematorum Dei, Virginis Mariæ & Sanctorum.

XVII.

Idcirco diligenter debent hæc inquirere tam in populo, quam in Clero, & prudenter: ut fideliter referre poſſint in Synodo.

XVIII.

Item referre debent, ſi qui in Beneficia Eccleſiaſtica absque Canonica inſtitutione ſe intruſerint.

XIX.

Item ſi qui incorrigibiles fuerint in Clero, aut minus idonei Rectores Eccleſiarum in Decanatibus ipſorum.

Digitized by Google

XX.

Item referre debent nomina eorum, ſi qui ſint, qui beneficia ſub injuſto titulo habent in confidentiam.

XXI.

Item referre debent nomina hæredum, qui defunctorum teſtamenta non publicant: & exequutorum, qui pias eorundem diſpoſitiones non exequuntur.

XXII.

Decani rurales poſt noſtram Synodum, cum Curatis ſuorum Decanatuum compareant annuatim in locis & diebus conſuetis ab antiquo ad celebranda ſua Concilia, ſeu Conventus, ibique orationem per ſe, vel per alium habeant de moribus & honeſtate Clericorum, & Statuta noſtra Synodalia recitent & exponant, invocato prius per Miſſam & Proceſſiones devotas Spiritu Sancto: deinde conferant cum Curatis ipſis de rebus Eccleſiaſticis, prout ſuo incumbit officio, honeſte, pacifice, & modeſte, ſine murmure, ſine contentione: & quæ invicem conferentes, expedire duxerint ad tranquillitatem, libertatem, authoritatemque Eccleſiæ, illa in proxima Synodo referant Nobis, vel verbo, vel ſcripto.

XXIII.

Recedentes Curati, vel Vicarii eorum a Synodo Maji, accipiant Sanctas Unctiones recentes, & honeſte deferant, non committentes eas laicis hominibus. A Synodo vero Autumni tabulam Calendarii & Officii ſequentis anni, ſi quæ factæ fuerint, accipient: & utrumque gratis dabitur.

DE VITA ET HONESTATE Clericorum

QUi aliis prælucere debent, ſi ipſi tenebræ ſint: (*d*) aut qui ſal, ipſi ſint infatuati; quis ab eis vel illuminari, vel ſaliri velit? Ergo ut Sacerdotes exemplo ſint fidelium, nec vita deſtruant, quod doctrina poſſent ædificare: De vita & honeſtate Clericorum præcepta jam tradamus. Nam ut conſcientiam puram apud Deum nos habere oporteat: tamen & apud homines famam optimam cuſtodire convenit, ut juxta præceptum Apoſtolicum, non tantum coram Deo, ſed etiam coram hominibus vitæ ſanctæ teſtimonium habeamus. Qui vitam agit doctrinæ contrariam, plus exemplo deſtruit, quam verbo ædificet. Quare Beatiſſ. Paulus Apoſtolus Miniſtrum Eccleſiæ inſtituturus, exemplo (inquit) eſto fidelium in verbo, in converſatione, in charitate, in fide, in caſtitate. Et ad Titum ſecundo, Nemo te contemnat. Nihil vero perinde Ordinem Eccleſiaſticum commendat populo, quam vitæ ſimplicitas & continentia. Contra vero luxus & ambitio, Deo & hominibus odioſa ſunt. De vita igitur atque honeſtate Clericorum hæc præcepta teneant, quæ ſequuntur:

STATUTUM I.

CAveant ſibi Sacerdotes ab omni luxu profano, (*e*) faſtuoſo, & carnali, tam in victu, quam in cultu: & ab omni ſpecie mali abſtineant: decorumque conditionis ſuæ atque ſtatus ſervent, non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus: ne occaſionem dent adverſario maledicendi.

II.

Sit habitus Clericorum (ſicut jure cavetur) honeſtus, & ſimplex: non diſcinctus, aut acu pictus, aut militari more affectatus: mundus tamen. Superior veſtis Presbyterorum ſit talaris, nec nimia longitudine, nec nimia brevitate notabilis: Et pileus, qualem cæteri Eccleſiaſtici pro tempore reformati gerunt. (*f*) Et Profeſſionem Sacerdotalem habitus atque inceſſus probent. Clerici alii ſimplices Beneficiati, non ferentes habitum Clericalem, privabuntur ſuis beneficiis poſt monitionem.

III.

Sumentes cibum benedicant menſam in principio, facto ſigno Crucis ſupra epulas decenter: (*g*) & in fine gratias Deo agant, & eodem ſigno Crucis ſe ſignent.

IV.

Non ferant arma, [*b*] quorum arma ſunt orationes & lachrymæ: & quos vitæ ſanctimonia tutos & venerabiles reddere debet.

V.

(*d*) Malach. 2. (*e*) Trid. Seſſ. 25. c. 1. (*f*) Diſt. 23. Non liceat. Conc. Carth. 4. c. 45.
(*g*) 1. Cor. 10. Coloſſ. 2. (*b*) De vita & honeſt. Cler. c. Clerici.

Digitized by Google

V.

Non barbam ferant, (*i*) neque molliter comam colant: ſed tonſura in vertice, juxta Ordinem ſuum, coronam efficiat congruentem: qua ſe in regale Sacerdotium aſſumptos, nihil jam plebeum, aut humile ſapere, præ ſe ferant.

VI.

Non ferant annulos in digitis: niſi quibus competit ex officio dignitatis. (*k*)

VII.

Turpibus (*l*) & obſcœnis ſpectaculis, aut confabulationibus ne interſint. Quia corrumpunt bonos mores colloquia prava. Minus ergo licebit ſpectacula ipſa exhibere, & hiſtrionum habitu prodire in theatrum, fabulasque recitare ſcenicas.

VIII.

Nec in comeſſationibus & ebrietatibus, juxta Pauli (*m*) Apoſtoli præceptum: quod in vulgo etiam damnant Sacræ Literæ. Quoniam luxorioſa res eſt vinum, (*n*) & contumelioſa ebrietas. Et Propheta: Væ qui potentes eſtis ad potandum vinum, (*o*) & viri fortes ad miſcendam ebrietatem. Vino & cicera lex vetus (*p*) interdicebat miniſtrantibus in templo: & Canones antiqui (*q*) ab officio & beneficio in longum tempus ſuſpendebant, quem ebrium fuiſſe conſtaret.

IX.

Nec aleæ vacent, aut ludis vel prohibitis, vel publicis: quibus ſimplex populus ſcandalizatur. (*r*)

X.

Nec duellis aut certaminibus periculoſis interſint, unde irregularitas incurri poteſt. (*s*)

XI.

Neque executioni ſententiæ ſanguinis damnatorum hominum aſſiſtant, multo minus eam ſcribant, aut dictent: quia fierent irregulares. (*t*)

XII.

Nulli Clerico liceat, tabernam, aut ergaſterium (id eſt, officinam publicam) habere. Si enim hujusmodi tabernam ingredi prohibetur, quanto magis aliis miniſtrare in ea? Officina autem Sacerdotis, ſi qua eſſe videtur, Eccleſia ſola eſt. Ne igitur tabernas ingrediantur cibi aut potus cauſa, niſi coacti neceſſitate. (*u*)

XIII.

Nec licere ſibi putent exercere Medicinam, aut Chirurgiam: niſi forte apud miſeras, & ſibi neceſſarias perſonas in neceſſitate: & ubi non eſt periculum mutilationis membrorum, aut mortis, nec requiratur aduſtio, vel inciſio. (*x*)

XIV.

Quibus tamen non ſufficiunt reditus beneficiorum ſuorum, vel proventus patrimonii, poſſunt ex artificio honeſto victum quærere: puta ſcribendo libros, aut notando, aut religando, aut hujusmodi. Non autem exercendo lanienam, proxeneticam, aut alias artes, ignominioſas & Sacerdote indignas: propter quas amitti ſolent privilegia Clericorum. (*y*)

XV.

Multominus ergo uſuras: quas qui accepiſſe Clericus detegeretur, degradari olim ab Ordine ſtatutum eſt. (*z*)

XVI.

Clerici non exerceant (*a*) aut gerant officia Dominorum temporalium, propter quæ teneantur ad rationem

 red-

(*i*) Eod. c. Clerici. c. Si quis. (*k*) Statut. vetus.
(*l*) Conc. Agath. Laodicen. Carthag. 3. & 4. diſtin. 23. Clerici. (*m*) Rom. 13.
(*n*) Prov. 20. (*o*) Levit. 10. (*p*) Num. 6. (*q*) Diſt. 35. Ante omnia. c. Epiſcopus.
(*r*) Ead. diſt. (*s*) De vita & honeſt. Cleric. c. Clerici.
(*t*) C. Sententia ſanguinis. Ne Clerici vel Mon. Paul. ibi. Angelus, Sylveſter ver. Clericus.
(*u*) Diſtin 44. c. Nulli. Conc. Laodic. c. 24. Carth. 3. c. 27. African. c. 7.
(*x*) C. Tua. de homin. Sylveſter verbo Medicus. Stat. vetus.
(*y*) C. Clerici. de vita & honeſtat. Cleric. & ca. 2. Ne Clerici vel Monachi.
(*z*) Conc. Nicæn. c. 18. Eliber. c. 20. Arelat. 2. c. 14.
(*a*) Stat. vetus. Bal. in addit. ad Specu. tit. de Cleric. conjug.

Digitized by Google

reddendam ipſis Dominis temporalibus. Alioqui non juvabuntur privilegio & beneficio juris adverſus dictos Dominos, ſi arreſtentur aut detineantur ab eis in perſona: aut ſi eorum bona occupari continget pro ratione reddenda, & ſolutione debiti facienda.

XVII.

Non advocationis, vel procurationis officium coram Judicibus laicis: niſi pro cauſa ſua, vel Eccleſiæ ſuæ, vel ſuorum, aut miſerabilium perſonarum. (*a*)

XVIII.

Tandem juxta dictum Apoſtoli,(*b*) qui militat Deo, ne implicet ſe negotiis ſæcularibus, ut illi placeat, cui ſe probavit. Cujus conditionis maxime ſunt Clerici omnes, tanquam in ſortem & hæreditatem Domini aſſumpti. Et inter hos tanto magis quisque eſt, quanto Superior in ordine Miniſtrorum Eccleſiæ reperitur.

Quanto igitur indignius, Miniſtrum Chriſti, vas electum Dei, templum Spiritus Sancti: eum, qui ad ſanctificandum alios deſtinatus eſt, ſcortationibus indulgere, & ludibrio voluptatum corpus ſuum tradere, quod Deo dicatum eſt per impoſitionem manuum Epiſcopi? Qui adhæret meretrici (inquit B. Paulus) unum corpus cum ea efficitur. Tollens ergo membra Chriſti, faciam membra meretricis?

Tantam indignitatem in Clero magna pœnarum ſeveritate veteres ulti ſunt. Nam Concilium Neocæſarienſe [*c*] (quod fertur Nicæno antiquius) ſtatuit, Presbyterum, qui uxorem duceret, ab Ordine deponendum: ſi fornicaretur autem, vel adulterium committeret, etiam extra Eccleſiam abjiciendum, & ad pœnitentiam inter laicos agendam redigi debere. Sequentia quoque Concilia omnia (quoniam hinc multa impendent mala) plurimam in hanc partem medicinam adhibere tentarunt.

Ut autem facilius cum Dei gratia immunes Clerici eſſe poſſint ab hac culpa, & mundos ſe ſervare in hoc ſæculo: hortamur, ut præceptum Divi Hieronymi ſequantur, Sacrarum Literarum lectionibus vacantes, & orationibus: fugiant otium, poſtulentque a Deo (*d*) [qui dat omnibus affluenter, & non improperat] ſapientiam, & caſtitatem. Vitent quam maxime occaſiones & conſuetudinem fœminarum ſuſpectarum. Nam qui tetigerit picem, inquinabitur ab ea. Eccleſ. 13. Et de veſtimentis mulieris procedit tinea. 24. Habentur (*e*) autem ſuſpectæ omnes hæ: Juvenculæ formoſæ, laſcivæ, cultæ, procaces, imperioſæ, orioſæ, impudentes, curioſæ. Contra vero ſuſpicionem fugient annoſæ [quæ quadrageſimum annum ſuperarunt,] verecunda, ſobria, pudica, inculta, laborioſa, ſevera: & quæ publico teſtimonio caſta eſt, vidua, vel virgo ſenex. Sed neque cum talibus quidem familiaritas nimia eſt habenda: nam & conſuetudinis ipſum nomen crimen habet. (*f*)

XIX.

Caveant igitur ſibi Miniſtri Altaris a contubernio & conſuetudine fœminarum, maxime ſuſpectarum. Nec domi habeant ſubintroductam, aut ſuſpectam, ſub pœnis a jure, & a Concilio Tridentino (*g*) conſtitutis.

Sed hæc omnia reſpectu hominum præcipiuntur, ut luceat lux noſtra coram hominibus, ut videntes opera noſtra bona, glorificent Patrem noſtrum, qui in cœlis eſt. Sed ſi quis peccaverit adverſus Deum, quis orabit pro eo? [*h*] Idcirco Clericorum conſcientias admonemus, ne per ignorantiam Legum Eccleſiaſticarum in laqueos incidant diaboli.

XX.

Omnes, cujuscunque Ordinis fuerint, Viri Eccleſiaſtici ſcire debent, ſe excommunicatos eſſe, ſi per Symoniam obtinuerint beneficia Eccleſiaſtica: nec jus aliquod habere ad ipſa, ſed teneri ad reſtitutionem, tam fructuum perceptorum, quam ipſorum beneficiorum. Ad hæc qui duo incompatibilia obtinuerit ſine diſpenſatione ſufficienti (ita ut adeptus poſſeſſionem ſecundi, non renunciaverit priori intra tempus) utrumque amittere, inhabilemque ſe reddidiſſe, ad alia obtinenda, & ad ſuſcipiendos Ordines Sacros. (*i*)

XXI.

(*a*) Idem Concil. Carth. 1. c. 6. & 3. c. 15. Conc. Chalc. c. 3. act. 15. 14. & 5. c. Denique. & c. Sacerdotibus. extr. Ne Cler. vel Mon.
(*b*) 2. Tim. 2.
(*c*) Diſtin. 28. Presbyteri.
(*d*) Jacob. 1.
(*e*) Form. Reform. ſub Carolo V.
(*f*) C. Clericus. 81. diſt. cum cc. ſeq. Ext. Monaſteriis. de vita & honeſt. Cler.
(*g*) Seſſ. 25. c. 14.
(*h*) 1. Reg. 2.
(*i*) Paul. 2. in extr. de Sim. Concil. Conſtant. Seſſ. 43. Conc. Chalcedon. can. 10. Act. 15. Latera. part. 2. Tho. quodl. 8. & 9. gloſ. in c. Dudum. 2. de Elect. & alii in c. conquerente de Cler. non reſid. & in c. De multa. de probat. & dign.

Digitized by

XXI.

Item qui beneficium in confidentiam tenet alterius, excommunicatum esse, & in eum sicut solet in hæreticum inquiri debere. (*k*)

XXII.

Item qui natus ex illegitimo thoro. Et qui ante vigesimum quintum annum beneficium curatum obtinuerit, nullum jus habere ad beneficium: sed teneri ad restitutionem: quoniam nulla est ea collatio, sicut neque ea, quæ facta fuerit irregulari, aut excommunicato, aut interdicto. (*l*)

XXIII.

Item qui habens beneficium curatum, non suscipit Ordines Sacros intra annum: & qui non residunt in suis beneficiis absque justa causa atque excusatione, beneficia amittunt. Nec illa causa videtur eos excusare a visitatione ovium suarum, quando vacat, Pastoris officium maxime diebus solemnibus impendere. (*m*)

XXIV.

Qui prætèrea Horas Canonicas dicere neglexerit, vel in Choro, (vel extra Chorum, quando est occupatus) peccat: & post sex menses, qui ad ediscendum eas præfigitur, restituere compelletur fructus omnes ex beneficio perceptos, eosque erogare in pios usus: quin etiam testari prohibetur de iis, quæ ex fructibus beneficiorum acquisierit. (*n*)

XXV.

Omnino autem interdicitur ex bonis Ecclesiæ augere suos consanguineos vel familiares. Sed si pauperes illi sint, tanquam pauperibus bene fiat: non aliter.

Quæ omnia cum sint Sacris & Canonicis sancita Constitutionibus, observari serio debent ab omnibus Ecclesiasticis: aut in quibus dispensationi locus est, dispensari secum in tempore unusquisque procuret. Atque hæc quidem in universum omnibus Ecclesiasticis, quique militiæ Clericali ascripti, beneficiis & honoribus Ecclesiæ frui, potirique desiderant.

DE VIRTUTIBUS THEOLOgicis, Fide, Spe, & Charitate.

Sicut numero septem invenimus esse peccata seu vitia capitalia, sic & septem numerantur virtutes primæ & principales. Quarum tres dicuntur Theologicæ, Fides, Spes, Charitas: quatuor morales, scilicet, Prudentia, Justitia, Fortitudo, Temperantia. Hic tamen de Theologicis agemus primum.

Dictæ sunt tres Theologicæ, & aliæ morales, quia cum quatuor aliæ a Philosophis moralibus tradantur, hæ tamen per Dei verbum discuntur. Unde Jo. 6. Esa. 54. Erunt omnes docibiles Dei. Nam quod fide tenemus, spe optamus, charitate etiam inimicos diligimus, humana Philosophia nunquam docuit. Ergo in Fide, Spe, & Charitate tota Theologia (id est Divina doctrina) continetur. Nam si compendio aliquo scire desideras, quomodo colendus sit Deus: respondebit Divus Augustinus, Fide, Spe, & Charitate. Cor. 13. Nunc autem manent Fides, Spes, Charitas: Tria hæc.

Virtutes hæ Theologicæ, etiam nobis a Deo supernaturaliter conferuntur, ut per Baptismum parvulis: & dicuntur infusæ. Generantur etiam ex prædicatione Verbi Dei in adultis, & in Schola dicuntur acquisitæ: sed non sine Dei gratia præveniente & adjuvante acquiruntur. Unde & Dei donum est fides. Sed infusæ, a Deo solum supernaturaliter conferuntur.

De Fide.

Fides, est credere, quod non vides. Sed nos de ea fide loquimur, cujus vi assentitur homo iis, quæ tradita sunt Divinitus, & sine qua impossibile est placere Deo. Hanc Apostolus definit ad Hebræos 11. Fides est substantia (Græce hypostasis) rerum sperandarum, argumentum non apparentium, id est suppositum & fundamentum, in quo spes subsistit nostra futurorum bonorum: argumentum (Græce elenchos) non apparentium, id est probatio, qua assentimur rebus iis, quæ a sensu nostro, vel experientia pro-

---

[*k*] Bulla Pii V.

(*l*) C. 1. & 2. de fil. Presbyter. lib. 6. c. Cum in cunctis. de Elect. c. Execrabilis. §. Interiora. ea. Cum inter. de Elect. c. Postulasti. & c. Si celebret. de Cler. excomm. min. C. Licet cau. de Elect. lib. 6. c. Cum ex eo. c. Extirpandæ. §. Qui vero. de Præb. Conc. Agath. c. 64. Leo Pap. Epi. 84. Conc. Arelat. 2. c. 13. Ca. Apost. 57.

(*m*) Vide librum Caranza de necessaria Resident.

(*n*) Conc. Lateran. Sess. 9.

procul ſitæ ſunt. Omnis enim cognitio a ſenſu dependet: & omnes ſcientiæ humanæ a ſenſibus quidem ſuas demonſtrationes auſpicantur: ſed Divinarum rerum doctrina a fide ſumit probationem. Hinc fides pro argumento eſt, & pro demonſtratione ſufficienti earum rerum, quas non videmus. Nam ſicut in ſcientiis humanis principia per ſe nota, aut aliunde demonſtrata, fundamentum ſunt, in quibus continentur, & quaſi ſubſiſtunt concluſiones: ſic in fide ſpes earum rerum, quas ſperamus. Utramque rationem fidei per varia exempla demonſtrat ibidem Apoſtolus.

Fides eſt duplex. Mortua, ſeu hiſtorica, quæ tantum aſſentitur hiſtoriæ rerum credendarum: & credit, quæ credenda ſunt, ſed ſine aliquo affectu pio in Deum, ſpei ſcilicet, vel charitatis. Hæc ſola non juſtificat: quod hanc etiam habent dæmones, qui credunt & contremiſcunt. Et peccatores, quos licet credentes, tamen excommunicari jubet Apoſtolus. (o) Alia eſt viva & juſtificans: quæ ſic credit & aſſentitur hiſtoriæ rerum credendarum, quæ a Deo vel ab Eccleſia proponuntur, ut etiam per charitatem vigeat, & operetur, dicitur aliter fides formata, alia vero informis. Et de fide formata intelligenda ſunt verba Sacræ Scripturæ, quoties juſtificatio ei tribuitur. Corde, inquit Apoſtolus, creditur ad juſtitiam. Cor autem voluntatis affectum, non ſolum mentis aſſenſum, ſignificat. Ideo dicebat B. Joannes, qui non diligit, non novit Deum. Perinde enim eſt, ac ſi non noſſet, qui, quem novit, non diligit, cum ſit omnino diligendus & audiendus. (p) Quare falſum dicito, quod nonnulli aſſerunt, ſola fide hominem juſtificari: licet apud plures Authores phraſim hanc legas. Intelligendum enim eſt, fidem eſſe cum dilectione, & quæ per charitatem vivit.

De Spe.

SPes definiri poteſt certa futuræ beatitudinis (vel rerum bonarum & futurarum, quas a Deo promiſſas, fide indubitata credimus) cum patientia expectatio ex Dei gratia & præcedentibus meritis proveniens. Docet B. Paulus: (q) Juſtificati ergo (inquit) ex fide, pacem habeamus ad Deum, per Dominum noſtrum JEſum Chriſtum: per quem habemus acceſſum per fidem, in gratiam iſtam, in qua ſtamus & gloriamur in ſpe gloriæ filiorum Dei. Gloriamur etiam in tribulatione, ſcientes, quod tribulatio patientiam operatur, patientia probationem, probatio vero ſpem: ſpes autem non confundit.

Videtur enim Apoſtolus, (r) veluti finem oſtendere, quo ſpes (anchora ſalutis noſtræ) continetur, jacta uſque ad interiora velaminis, ut ipſe loquitur. Veruntamen principalis cauſa ſpei eſt Dei gratia, non merita noſtra. Quia opera noſtra niſi per Dei gratiam, vitam æternam mereri non poſſunt. Nam & ſi fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, adhuc ſervi inutiles (s) ſumus: quod debuimus facere, fecimus. Sed cum Dei gratia, & propter promiſſionem ejus, certe mereri poſſunt noſtra bona opera: quibus promiſit ſuam gratiam. Beatus vir, qui ſuffert tentationem: [inquit alius Apoſtolus (t)] quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ. Et Joannes: (u) Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt Deus & juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & emundet conſcientiam noſtram ab omni iniquitate. Idem in Apocalypſi (x): Ecce venio cito, & merces mea mecum eſt, reddere unicuique, ſecundum opera ſua. Et Paulus, (y) Itaque fratres ſtabiles eſtote & immobiles, abundantes in omni opere Domini ſemper, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Et David: (z) Sacrificate ſacrificium juſtitiæ, & ſperate in Domino.

Sine meritis vero propriis omnino vitam ſperare, præſumptio dicitur a quibusdam. [a] Juſtus enim Deus eſt: & qui fecit te ſine te, non ſalvabit, ſine te, teſte Aug. Nec tamen propterea deſperare debent, qui nullius benefacti, ſed peccatorum recordatione in mortis articulo turbantur: ſed exemplo potius illius boni latronis bene ſperare: modo pœniteant & conterantur de peccatis ſuis in Chriſto Jeſu, qui ſufficienter nobis meruit, & in quo nobis omnibus copioſa facta eſt redemptio. Et hæc quidem contritio pro merito reputabitur, gratia Dei ornata, & Sacramentis Eccleſiæ confirmata: Quin etiam precibus Mariæ Virginis, atque aliorum Sanctorum adjuta, ſpem augebit, nec confundetur.

De Charitate.

CHaritas eſt dilectio, qua diligitur Deus propter ſe, & proximus propter Deum, vel in Deo. [b] Deum, inquam, propter ſe, quia ſummum bonum & finis ſummus, ad quem omnia bona diriguntur & tendunt: proximum autem propter

(o) Jacob. 3. Gal. 3. 1. Cor. 13. Cypr. ad Quir. 2. 3. c. 5.
(p) Aug. ſerm 68. de temp. Hilar. c. 9. in Matth.
(q) Rom. 5.
(r) Heb. 6.
(s) Luc. 17.
(t) Jacob. 1.
(u) 1. Joan. 1.
(x) Apoc. 22.
(y) 1. Cor. 15.
(z) Pſal. 4.
(a) Magiſter lib. 3. diſt. 26.
(b) Magiſt. lib. 3. diſt. 27. Aug. lib. 1. de Doct.

ter Deum, quia charitas proximi a Dei charitate ortum habet, & ad eam tanquam ad certam regulam dilectionis dirigenda est. Nam qui amat patrem, aut matrem plus quam me, [c] non est me dignus.

Itaque in charitate duo præcepta maxima Legis Divinæ continentur, dilectio Dei, & dilectio proximi. [d] In quibus duobus tota lex pendet & Prophetæ. [e] Quare Apostolus, [f] Finis [inquit] præcepti est charitas de corde puro, & conscientia bona, & fide non ficta. (g)

Inter fidem, spem & charitatem maxima est charitas: Nam fides sine operibus mortua [i] dicitur, & spes inanis, & alia omnia quæcunque sunt charismata, prorsus, nisi adsit charitas, nihil prosunt. Qui vero manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. Nec charitas esse potest in hac vita, nisi adsint fides & spes: nam a fide generatur spes: charitas ab utraque.

Proprietates charitatis enarrat Apostolus, (k) ut quivis inde considerando seipsum possit judicare, an sit in charitate, nec ne: his verbis: Charitas patiens est, benigna est. Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quæ sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: omnia sustinet, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet: charitas nunquam excidit. Hæc Apostolus. De signis autem hujusmodi vide infra Tit. De gratia.

Charitatis ergo duplex præceptum habemus. Unum, ut diligamus Deum ex toto corde, tota anima, tota mente: (l) hoc est, intellectu, voluntate, memoria, quantum in hac mortali vita possumus. (m) Nam ex parte nunc cognoscimus: sed quando venerit, quod perfectum est; evacuabitur, quod ex parte est: [n] & manebit charitas perfecta & dilectio Dei, aucta visione gloriæ ejus.

Alterum præceptum in charitate est dilectionis proximi: (o) quod Salvator noster simile priori dicit esse: Diliges proximum tuum sicut te ipsum, (p) id est: ad quod, & propter quod te ipsum diligere debes. Et hoc est mandatum novum, quod Christus dedit, ut diligamus invicem, sicut ipse dilexit nos. In hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, (q) si dilectionem habueritis invicem. Dilexit autem nos Christus, sicut medicus ægrotos: salutem nostram desiderans, non morbum. Et quod vulgo proverbio jactatur: (Charitatem bene ordinatam incipere a se ipso) Ecclesiasticum non est: licet videri posset ex illo sumptum Cantic. 2. Ordinavit in me charitatem. Magis enim docet Apostolus, ne quæramus nobis placere. Sed dictum hoc ex legibus humanis, l. Præses. c. De servi. & aqua, sumptum videtur.

STATUTUM I.

QUod cum ita sit, totis viribus debent Pastores commendare hanc dilectionem, & admonere suos, ut considerent secum & perpendant, an discipuli Christi sint, qui odiis, litibus, rixis, contumeliis & injuria proximum quotidie afficiant: & quam spem possint habere vitæ æternæ, qui contra maximum præceptum (unde vitam sperare debemus) committant. Quomodo credunt vera esse, quæ Christus dixit, qui non solum amicos, sed etiam inimicos diligendos esse docuit? Quod si quis dixerit. Quoniam diligo Deum, & fratrem odit, mendax est, inquit B. Joannes. (r)

DE VIRTUTIBUS CARDINALIBUS & moralibus.

DE Virtutibus Theologicis, Fide, Spe & Charitate egimus: nunc de moralibus pauca referamus. Genera hæc eo differunt, quod Theologicæ non solum Dei verbo discuntur, sed etiam Deum habent pro objecto & fine ultimo: & supernaturales cum sint, supernaturaliter etiam disponunt animum nostrum ad Deum. Sed morales & aliæ intellectivæ, secundum proportionem naturæ humanæ ad aliquid, quod ratione naturali comprehendi poterit.

Cum autem vitia virtutibus ipsis notiora sint, & observata magis, non abs re illas definiendo, ita cecinit Horatius:

Virtus est vitium fugere, & sapientia prima,
Stultitia caruisse.

Et iterum:

Virtus est medium vitiorum utrinque reductum.

B. Au-

(c) Matth. 10. Luc. 14. (d) Catech. Rom. (e) Matth 2.
(f) Rom. 13. Gal. 5. (g) 1. Tim. 5. (i) Jacob. 3.
(k) 1. Cor. 13. (l) Deut. 6. (m) Aug. de pe. hum.
(n) 1. Cor. 13. (o) Lev. 19. (p) Matth. 22. Aug. de Doct. lib. c. 22.
(q) Matth. 13. 15. (r) Joan. 13.

B. Auguſtinus (*s*), virtus, ait, eſt bona qualitas mentis, qua recte vivitur, qua nullus male utitur: quam Deus in nobis ſine nobis operatur. Et in libro de quantitate animæ: Virtus eſt æqualitas vitæ, rationi undique conſentiens. Ariſtoteles tamen, interea omiſſis aliorum definitionibus, in 2. Ethic. veram virtutis definitionem ex omnibus, quæ de ea dicuntur, cum expreſſiſſet, habitum eſſe docet electivum, in mediocritate [vel medietate] rationis conſiſtentem. Medium hoc inter vitia ponitur, quorum alterum per defectum peccat, alterum per exceſſum. Nam liberalis inter prodigum & avarum incedit. Ille quidem modum in largiendo excedit: avarus autem deficit. Fortis inter audacem & ignavum medius eſt: temperans inter luxurioſum & agreſtem.

Hinc illa virtutis comparandæ tanta difficultas, quod medium attingere & ſcopum, tam difficile eſt: ab eo recedere facillimum. Hinc quoque tanta virtutis laus: quia ut proverbio fertur, Difficilia quæ pulchra. Virtutem ſymbolo expreſſit Pythagoras, cum collatione vitii, in litera illa bicorni Y:

Nam via virtutis rectum petit ardua callem. &c.

Quod Heſiodus in primo Operum ac dierum expoſuit: & Xenophon in luculenta illa narratione adoleſcentiæ Herculis, ex Prodico Chio, ſophiſta. Et Dominus noſter JEſus Chriſtus, Matth. 7. Intrate, inquit, per anguſtam portam, quia lata eſt porta & ſpatioſa via, quæ ducit ad perditionem, & multi ſunt, qui intrant per eam. Quam anguſta porta, & arcta via eſt, quæ ducit ad vitam! & pauci ſunt, qui inveniunt eam.

Inter virtutes morales quatuor inveniuntur principales, quas Cardinales appellant: Prudentia, Juſtitia, Temperantia & Fortitudo. His B. Ambroſius (*t*) quatuor Beatitudines contineri docet apud Lucam, ſcilicet Temperantia, cordis munditiam: Juſtitia, miſericordiam: Prudentia, pacem: Fortitudine, manſuetudinem.

Quod vero inter omnes ponendæ ſunt iſtæ quatuor principales, docet S. Thomas (*u*) hoc modo: Principium formale virtutis humanæ eſt bonum rationis: hoc autem duobus modis conſiderari poteſt. Uno modo, ſecundum quod in ipſa conſideratione rationis conſiſtit: & ſic erit una virtus principalis Prudentia. Alio modo, ſecundum quod rationis ordo circa aliquid adhibetur. Hoc autem vel circa operationes ponitur, vel circa paſſiones. Paſſiones duæ ſunt rationi repugnantes: Concupiſcentia voluptatum, (hæc ad aliquid ſemper impellit faciendum, & ſæpe numero, quod contrarium eſt rationi rectæ) & timor periculorum ac laborum, qui ab eo, quod ratio dictat, retrahere ſolet, atque dehortari. Itaque concupiſcentiam reprimit temperantia: &, ut firmetur homo in eo, quod ratio ſuadet, contra timores ſubſidio eſt fortitudo. Opera denique, quæ ad proximum referuntur, Juſtitia certe moderatur ac dirigit.

Tota ergo boni operis ſtructura, ut ait Greg., in quatuor hiſce virtutibus conſurgit. Et in libro Sapientiæ ſcribitur: Labores ejus magnas habent virtutes: Sobrietatem enim & prudentiam docet, & juſtitiam & virtutem, quibus utilius nihil eſt in vita hominibus. Nota, virtutem hic pro fortitudine ſitmi ex more Sacræ Scripturæ. Vix enim aliter in ea nomen virtutis acceptum invenias, quam pro ea, quam Græci dynamin, id eſt, vim & vires, potentiamque ac fortitudinem, dicunt. Pro ea vero, quam nos hic, & Philoſophi morales, virtutem vocamus, nomen ponitur juſtitiæ & ſapientiæ. Neque id quidem ab re. Nam Prudentia rationis eſt virtus, quæ virtutes omnes regit. Juſtitia etiam in ſe virtutes continet omnes, ut author eſt Theognis. Jam Cicero lib. 1. de Legibus: Virtus eſt (inquit) in ſe perfecta & ad ſummum perducta natura. & Ariſtot. 2. Eth. Virtus habentem perficit, & ejus opus bonum reddit: veluti bonus habitus oculi. Nos ergo de morali hic agimus, non de naturali: pro qua nomen virtutis ſumitur in Sacris Literis.

Cur autem a cardine nomen habeant hæ, quanquam apud claſſicos non reperias, ideo eſt, quod ſint veluti cardines quidam, & limites omnium virtutum moralium: nec extra eas dari aut inveniri ulla poteſt. [*x*] Quin etiam ipſæ inter ſe quatuor ſic connexæ omnes ſunt, convolutæ: ut ſi bene examinentur, ſingulæ in omnibus aliis, & omnes in ſingulis ſupponantur.

Porro autem Ariſtoteles decem quidem morales numerat cum juſtitia, & prudentia. Sunt illæ: fortitudo, temperantia, liberalitas, magnificentia, magnanimitas, philotimia (id eſt honoris amor) manſuetudo, amicitia, veritas, eutrapelia: quæ in ſermonibus & in actionibus lepidi & faceti hominis apparet. Sed nos Chriſtiani nec eutrapeliam, (quam vertit latinus Eph. 5. ſcurrilitatem) nec philotimiam [etiamſi bene aliquando fieri poſſint] ponemus inter virtutes: quia ad rem non pertinent, & in his peccatur aliquando.

(*s*) Lib. 2. de lib. arb. (*t*) In Lucam. c. 6. (*u*) S. Th. 1. 2. q. 61.
(*x*) Greg. 22. moral.

Digitized by Google

quando. Atque etiam præter eas multas addemus ignotas paganis, quas Chriſtus noſter & Apoſtoli docuere: velut Humilitatem, virginitatem, devotionem, orandi, pœnitendi, jejunandi, & id genus alia agendi conſuetudinem. Sed neque hæ, neque illæ, ſine fide aliquid ſunt: omnisque juſtitia ſine fide ſimilis eſt humano corpori, caput non habenti: cui cum deſit id, quod eſt omnium principale, & vita & ſenſu caret, ut loquitur Lactantius. (*y*)

Prudentia (quaſi providentia) eſt recta ratio agendorum: per quam ſcilicet recte conſultamus, atque deliberamus. Hæc itaque, ſi aliis virtutibus non ſit conjuncta, facile perturbata paſſionibus deficit. Idcirco ſeni potius tribuitur, quam juveni: quem multarum expertem rerum ſæpius motu tum concupiſcibilis, tum iraſcibilis facultatis ſanguinis ferventis calor agitat. Agamemnon apud Homerum [ut obiter maximum Græcorum Poetam non omittamus] citius ſe rem Trojanam ait poſſe evertere, ſi decem Neſtoras haberet in concilio, aut decem Ulyſſes, quam decem Ajaces, aut Achilles dimicantes fortiter. Non enim viribus corporis, aut celeritate, aut velocitate, res magnæ geruntur: ſed conſilio, authoritate, ſententia. Prudentiæ quidem multa præcepta tradidit Ariſtoteles dialectice in lib. Topicorum, & Pontanus paradigmatice in lib. de Prudentia: ſed ut paucis omnia comprehendamus, capita conſultationum ſunt hæc: honeſtum, utile, jucundum, facile: & horum contraria, ſecundum magis & minus. Nam magis utile, quam minus, optabilius eſt: & quod facilius factu, quam quod difficilius.

Prudentia cum in malam partem ſumitur, malitia eſt aut calliditas: improprie tamen ſumpta prudentia.

Juſtitia eſt, qua unicuique datur, quod ſuum eſt. Duplex reperitur. Una dicitur commutativa, qualis in emptionibus & venditionibus, aliisque contractibus exigitur. Altera diſtributiva, qua utitur Princeps in honorum diſtributione & præmiorum. Quando enim Imperator agros, vel hoſtium ſpolia diſtribuit in milites ſuos: non opus meriti ſimpliciter ſpectat, ſed cum eo etiam perſonæ qualitates: Nam facinus idem, ab obſcuro milite atque illuſtri perpetratum, iniquum ſit, eodem præmio donari, & in infligendo ſupplicio mitiorem eſſe Judicem erga ben: meritos de virtute atque republ. leges municipiorumque ſtatuta jubent. Judicis autem eſt, in litibus nec divitis, nec pauperis perſonam reſpicere. Quocirca eum decet eſſe gravem, ſanctum, reverendum, ſeverum, incorruptum, inexorabilem: contra improbos, nocentesque immiſericordem; rectum, arduum, & potentem: vi ac majeſtate æquitatis, veritatisque terribilem. Hæc non a nobis primum dicuntur. Omnia Chryſippus Philoſophus apud Gellium (*z*) ſuaderi a pictoribus docet: qui juſtitiam depingunt, forma virginali, aſpectu vehementi & formidabili, luminibus oculorum acribus, neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujusdam triſtitiæ dignitate. Reſpicit namque Judex ad legem: arbiter ex æquo & bono ſæpe judicat. Illi non licet ab ſcripto recedere: hic, ut litium mala amoveat, a jure ſummo plerumque recedit. Electores ergo Magiſtratuum videant hæc: nec contra conſcientiam dent ſuffragia cuiquam. Nam iniquitatum omnium, quas iniquus Judex commiſerit, rei ipſi erunt apud Deum. Sed hæc quidem Judicum & Magiſtratus, propria ſit: cujusque autem ſua juſtitia partes habet differentes. Namque eſt erga Deum religio, erga ſuos charitas, in rebus creditis fides, in amore mutuo amicitia. [*a*]

Temperantia eſt virtus, modum ponens in voluptatibus corporis. Reducuntur ad temperantiam continentia, & caſtitas, & multæ aliæ: de quibus Primaſius in Paulum, ad Gal. 5. Continentiam pro tempore eſſe tradit, ſed caſtitatem perpetuam. Quamquam re vera Philoſophus [*b*] inter intemperantem & incontinentem ita diſtinxerat: quod ille affectui habet aſtipulantem rationem, (Pravam nimirum) hic repugnantem. Ex quo fit, ut incontinens facilius reſipiſcat, quam intemperans. Epictetus Philoſophus ſanctiſſimus apud eundem Gellium docet, ſi quis duo verba cordi habeat, eaque ſibi imperando atque obſervando curet: eum fore pleraque impeccabilem, vitamque victurum tranquilliſſimam. Verba illa duo ſunt, PATERE ET ABSTINE. Nanque duo vitia omnium graviſſima & teterrima eſſe dicebat intolerantiam, & incontinentiam: Sed tu tolerantiam non intemperantiæ, ſed fortitudinis in limite collocabis, de qua ſtatim. Interea memineris, quod Tertullianus tradit, gravitatem eſſe adjutricem, & ſociam, & inſtrumentum pudicitiæ. Impudicum oſtendunt inceſſus mollis, manuum motus inconſideratus, unicum aliquando reſponſum, (Quoniam ex abundantia cordis os loquitur) relatus ad caput digitus, vel ad faciem, flexus oculorum petus.

Fortitudo animi magnitudo dicitur. (*c*) Proprium ejus nil extimeſcere: omnia humana

(*y*) Lib. 7. c. 9. (*z*) Lib. 14. c. 4. (*a*) Cic. in Par. (*b*) Ariſt. 2. moral.
(*c*) Cicer. offi. 3.

mana despicere: nihil quod homini accidere possit, intolerandum putare: modum tenet in aggrediendis vel fugiendis periculis & laboribus, sicut oportet. Quare si a justitia recedat, furor fit.

In vitium ducit vitii fuga, [inquit Flaccus]
Si caret arte.

Et necessaria fortitudo est justo: necessaria temperanti: necessaria prudenti. Nam timor electionem rectam elidet: dolor, voluptatis desiderium augebit: & personarum respectus, jus omne pervertet. Cum sit ergo martyrium fortitudinis excellens opus: videant non solum imbecilles animo, & viribus destituti, sed rerum Divinarum imperiti, ne fiduciam suam temeritate regant. Nam sicut Cyprianus in multis locis tradit, Martyrium non supplicium, sed causa facit. Hæreticos videas non minori animo ad tormenta ire, quam fideles. Imbecillibus parcit lex martyrii, ne ultro ad agonem procedant: cum vero præsentes sunt, ne subterfugiant. Ita docet Nazianzenus. Hoc enim ignaviæ est: illud audaciæ. Custos denique virtutum omnium & altrix verecundia est. Sita quidem in fugiendo dedecore, laudeque consequenda. Sed cernenda diligenter: ne fallant ea nos vitia, quæ virtutem videntur imitari. Namque & prudentiam malicia simulat, & temperantiam immanitas, & animi magnitudinem superbia, liberalitatem effusio, fortitudinem audacia, justitiam acerbitas, lenitatem mollicia, religionem superstitio, verecundiamque timiditas: denique quæcunque cum studiis bonis similia videantur, tamen nimia sunt in eo genere, ea omnia tanquam virtutum corruptionem, & mentita officia, inquit Cicero, condemnabimus.

DE QUINQUE SENSIBUS.

SEnsus vocamus potentias animæ notitiam facientes. Qui in interiores & exteriores partiuntur. Exteriores quidem in corpore sunt organico: interiores in anima. De amborum natura, si placet, pauca accipe: non utique velut in pronis jactanda populo, vel in confessionibus disputanda cum pœnitente: sed ad hoc tantum, ut a laicis & idiotis aliquando de his interrogatus, ne ignorare ea deprehendaris, quæ scitu sunt non omnino injucunda. Facit quoque ad Divinæ potentiæ, summæque rationis gloriam ea contemplatio. Hinc Propheta: Mirabilis facta est scientia tua ex me, id est, ex membrorum mei corporis harmonia, mentisque meæ vi & sapientia.

Visio fit in pupilla oculi. Ad hanc enim terminantur pyramidis radii visuales per rectam lineam emissi [quæ dicitur catetus.] Recta quidem linea semper est catetus: nisi frangatur in superficie corporis diaphani. Tunc certe res alio in loco se ostendunt, quam re vera sint. Unde fit, ut remi videantur fracti in mari: & per conspicilia polyhedra, unum fiat plura.

Pyramidis ergo hujus basis est in re visa, lumine illustrata, ad justam distantiam posita: Conus autem in pupilla: ubi humor chrystallinus speculi naturam gerit. Ipsa pyramis per corpus diaphanum protensa [qualis est aer & aqua, & vitrum, ac similia transparentia] quanto longius protenditur, tanto rem minorem esse facit: propterea quod angulus acutior fit, qui altior supra eandem basim. Niobe in monte Syphilo (*d*) statua est, quam si cominus aspicias, aliud non videas, quam saxum & rupem præcipitem, nullam prorsus mulieris effigiem præferentem, aut mœroris formam. Quod si procul abcedas, intueri videaris flentem, & mœsto vultu mulierem. Hæc Pausanias. Siquidem positis juxta rupem hanc vatissimam hominibus multæ bases ex utraque parte latent: quæ procul aspicientibus apparent, & in unum veluti corpus conjunctæ, in angulis minoribus gignunt, & repræsentant mulieris ideam. Ergo objectum visus proprium color est: sed sine lumine color non videtur. Ideo Paulus Apostolus (*e*) [sicut reddidit latinus interpres,) omne quod manifestatur, lumen est. Revera namque, nisi lumine color informetur (tanquam materia nuda) nullam de se speciem prebeat visioni. Est enim lumen actus coloris: unde fit, ut ignis (in quo certe plurimum continetur luminis) quantumvis a nobis remotus, suo tamen statim splendore ad se oculos trahat. [*f*]

Sicut ergo visus est in humore oculorum chrystallino: sic auditus in aere incluso in auribus, ad quem nervi e cerebro manantes perveniunt, & sonum capiunt. Sonus enim aer est, vel aeris affectus. Sicut etiam visui rerum species occurrunt per pyramides: sic auditui per orbes. Nascuntur enim a re sonora orbes in omnes dimensiones extuberantes, donec deficiant: feruntur que in aere sonus, & vox non aliter, quam circuli in aqua stagnante ex ictu lapidis, in omnem partem crescentes, donec ad ripam (si nihil interea obstet) deficiant. Hinc disce, quomodo fit Echo. Circuli enim illi sonori & vocales, si extrema vallis alicujus sua circumferentia omni ex parte ad unguem contingant, ab aere concluso in valle & ab

(*d*) Euclid. lib. 1. (*e*) Ephes. 5. (*f*) Arist. 3. de Anima.

Digitized by Google

ab ipſis compreſſo, ſic repelluntur, ut integri ad aurem noſtram recurrant, & redire compellantur. Alii vel ab objectis obicibus diſſipati, vel in via deficientes, pereunt. Diſce quoque ex his, unde eſt, quod Concionatores melius intelligimus ſub dio, quam in Eccleſiis, & in ædibus alta voce ſermocinantes. Nimirum quia multis ex utraque parte objectis parietibus & fornicibus in Templo, repercuſſa vox, cum venientibus aliis vocibus occurrit, omnia commiſcet, & conturbat. Et quanto altius clames e pulpito, tanto minus, percipiaris, quia celerius fiat vocum confuſio. Itaque auditur quidem clamor, ſed nulla oratio. Eam ob rem architecti plurimum olim attendebant ad partium templi proportiones, & ad collocationes æris ſonori in theatris.

Inter ſenſus omnes igitur honeſtiſſimi ſunt viſus & auditus: cum quod Spirituales omnino, tum quod prope ſoli faciant ad comparandam ſapientiam. (*g*) Catone enim authore, qui velit bene ſapere, multa videat, oportet, multa audiat, & multa legat. Alii omnes ad corporis commoditates tantum dati ſunt, ut utilia ab inutilibus ſecernerent: & aliorum quidem voluptates omnes ſordidæ ſunt, indignæque habentur homine libero, eoque magis certe, quo magis ab Spiritualibus hiſce recedunt: ut edere, bibere, ſudare, ſcalpi. Quin hoc mirum eſt, quod natura in auribus & oculis animi motus prodi voluit, vel invitis nobis: Nam pudefactis aures rubent, iratis oculi. Cauſam dat Ariſtoteles in problematis ſect. 31. & 32.

Medius inter guſtum & auditum, eſt olfactus: nec ab aere puro factus, ſicut auditus, nec ab humore, ſicut guſtus, ſed ab utroque: a vapore, inquam, per nares inſpiratione attracto, qui extrema priorum ventriculorum cerebri, quæ in meatus narium incumbunt, ſubit ac penetrat. Hic Ariſtoteles [*b*] opercula quædam poſita eſſe dixerat, quæ inſpiratione aperirentur, & odoribus viam facerent. Sed eam ſententiam reprehendit Galenus multis modis: præſertim in lib. De inſtrumento odoratus.

Guſtamus lingua potiſſimum, inſtrumento humido & ſpongioſo. In hanc nervi tenues e cerebro miſſi ſenſum percipiunt.

Per totam denique cutem corporis diſperſis nervis tenuibus & iſtis durioribus, ſenſus fit tactus: exactiſſimus quidem in ſummis digitis propter exactam temperiem, quæ in his cernitur, duri & mollis, lenis & aſperi, calidi & frigidi, qualitatum tactilium: obtuſior in aliis partibus.

Ex his, quæ hactenus dicta ſunt, Ariſtotelis & Peripateticorum ſententia plurimum probari poteſt, qui ſenſum omnem patiendo fieri docent, etiam viſionem: (*i*) Quamquam Stoici & Euclides, ex oculis miſſiles quasdem producant in aerem qualitates extrinſecus: & Galenus multis in locis Ariſtotelem hanc ob cauſam ſuggillet. Verum hic in libris De uſu partium, nervos ſenſorios molliores factos oportuiſſe tradit, quod pati eos oporteret: & a coloribus aerem alterari ait uſque ad oculum. Quæ ſi vera ſunt, paſſionem ſenſuum non poteſt negare. Verum ut tantos authores conciliemus, dicito, ſenſum non eſſe proprie alterationem organi ſenſorii, ſed alterationis dignotionem. Alteratur enim manus a calore, vel pupilla a colore: ſed dignotio fit ab una alia facultate communi & principe, quæ a cerebro in ſenſus omnes influit, & quid in his ſingulis fiat, tanquam perſcrutatur. Hinc fit, ut ſæpe notos nobis ante oculos tranſeuntes non videamus, & amantes videri ſe non putant, cum maxime ab omnibus rideantur: quoniam vis illa cognoſcens, alibi occupata ſe torquet, nec ad rem præſentem advertit.

Sed de his quidem Phyſice plus ſatis. Tu vero Deum time, & mandata ejus obſerva: hoc eſt omnis homo, inquit Eccleſiaſtes. [*k*] Cuſtodi omni diligentia ſenſus tuos, ne mors per eos, tanquam per feneſtras, ut Propheta loquitur, [*l*] intret. Averte oculos tuos, ne videant vanitatem. Niſi laxaſſet oculos ſuos David ad contemplandam uxorem Uriæ, nunquam in eas incidiſſet calamitates, quas narrat hiſtoria Sacra. Præſtaret quoque ſæpenumero baſiliscum videre, vel audire in ſylvis, quam fœminæ impudicæ molles cantus & ſermones. Hos ſenſus nobis a Deo datos putemus, tanquam talenta quædam, quæ non convenit, ut in terram, tanquam ſervi inutiles & ignari, defodiamus: id eſt, in affectus terrenos convertamus: ſed in eas cauſas exponamus, unde uſuris aucti regnum redimere queamus ſempiternum.

DE TRIBUS POTENTIIS animæ interioribus, & libero arbitrio.

PRætermiſſis multorum opinionibus, qui de Potentiis animæ philoſophati ſunt,

(*g*) Vitruvius lib. 4. 5. (*b*) De anima, lib. 2. & de ſenſu & ſenſato.
(*i*) Gellius lib. 5. Lib. 7. de placitis Hipp. & Plat. (*k*) Eccl. ult.
(*l*) Jer. 9. Thren. 3.

Digitized by Google

quod ab omnibus receptum eſt, nos hoc loco conſtituamus, tres eſſe interiores animæ noſtræ potentias & facultates, in quibus Divinitatis ſummæ atque trinæ Imago poſita eſt a D. Auguſtino [*m*] & aliis multis Theologis: Memoriam ſcilicet, Intelligentiam ſeu Intellectum, & Voluntatem. In memoria reconduntur rerum notitiæ tam abſtractæ ab aliis notitiis, quam intuitivæ præſentium objectorum. Hac qui natura multum valent, & in dicendo quoque multum valere ſolent. Etenim theſaurus eloquentiæ, & ſcientiarum omnium, memoria. Hæc excolendo augetur: arte quoque juvatur, cum locis pluribus, pro charta comparatis, ac propoſitis, imagines inſignes aliquot & ſimulacra per ordinem, tanquam literas imaginatione factas, pro rebus ac verbis collocamus noſtro arbitratu. Non contemnenda profecto ars. Nam ſubſidio ſæpe adeſt præſentaneo occupatis Concionatoribus, & iis, qui parum fœlici ſunt memoria. Imaginari ſiquidem poſſumus quæcunque volumus, [ut chimæram, hyppocentaurum, & abſurda quævis] quanquam certe non opinari, niſi quæ vera, vel falſa videantur.

Altera potentia eſt Intellectus. Hic rerum ideas [*n*] concipit præſentium oculis & ſenſibus, quas intuitivas vocamus & evidentes: & abſentium, quas abſtractas. Ex his namque phantaſmatibus, quæ in ſenſu communi, vel in memoria videt, vel ipſa ſua vi imaginatur, varias ſolet producere rerum ideas, & concipere. Facultate hac homo ratiocinatur, differit, colligit, & ſeparat, affirmat vel negat, probat vel condemnat.

Sunt ergo in intelligentia, ſeu mente hominis actu vel potentia hæc: Idea, vel notitia rei individuæ, vel genericæ, cogitatio, opinio, fides, experientia, ſcientia, ſapientia, ars. Notitia phantaſmata ſpeculando facit. Phantaſmata alia in communi ſenſu, alia in memoria contemplatur, & luce ſua veluti illuſtrat: alia vi ſua fingit & imaginatur. Cogitatio ex multis notitiis fit quædam [ut Plato ait] oratio. Cui ſi aſſentiatur intellectus, opinio fit: ſi non aſſentiatur, tantum imaginatio manet. Si timide aſſentitur, ſuſpicio dicitur, Græce hypolepſis. Rurſus opinio alia vera, alia falſa eſt. Utraque opinandi habitum gignit, ſi frequenter habeatur. Ex vera fiunt experientia, fides, & ars. Nam ſi ſolo ſenſu edocta [veluti quod Eurus pluviam adducat, quod canes promiſſis auribus ſint ſagaciores:] atque id mens ſæpius experta, habitum ſic exiſtimandi fecerit: experientia dicitur. Sin vero hominis alicujus authoritate (quam Græci vocant eudociam) perſuaſi: ex hac perſuaſione fides exiſtit. Eſt enim eudocia affectio erga aliquem, ut cujus magis, quam alterius verbis credamus, & fidem adhibeamus. Hinc Apoſtolus Paulus fidem Chriſtianam explicans, ait, Fides ex auditu eſt, auditus autem per verbum Chriſti. Ars autem aliquando ab experientia, aliquando a fide comparatur, aliquando a fide ſimul & experientia. Pictura enim imitatione conſtat: grammatica fide: cithariſtica utroque. Nam qui legere atque ſcribere diſcunt, Magiſtro opus eſt fidem adhibeant, qui hanc Alpha, illam Vita nuncupandam dicit. Citharœdus autem niſi Præceptore utatur, nunquam rite tonos examinabit, quamvis natura multum juvetur. Quare ars habitus erit perceptionum, quas ratio invenit ad agendum aliquid vel cogitandum, exercitatione comparatus. Falſa autem opinio tunc eſt, & animus decipitur, cum duo extrema phantaſmata cogitatione oſtenſa, male conjungimus in problemate: & tanquam alienos calceos, figuram unius, alteri accommodamus, non ſatis acute rem intuentes, ideo quod figuræ attritæ ſint, exoleſcentesque, aut inverſæ: ut in cavis fieri ſpeculis videmus, ubi quæ ſurſum ſunt, deorſum apparent. Quid jam vocas ſcientiam? Non certe cogitationem, quæ adeo varia eſt. An opinionem veram? Non omnem. Nam qui recte opinatur de literis, & ſcribit, ut oportet: (& ſi ratione utitur) non ideo tamen dicitur habere ſcientiam, ſed potius artem, vel uſum. Sit ergo opinio vera, non rei gerendæ, ſed contemplandæ: veluti quod ſubtendens rectum angulum æquum producit duobus quadratis, quorum lateribus continetur angulus. Hæc quidem proprie ſcientia eſt. Quanquam cantare, & ſcribere, & pila ludere, & alia hujusmodi, & ſcire & neſcire dicimur: ſed improprie. Sed qui illam habet opinionem de ſubtendente per demonſtrationem, is ſcientiam habet: non utique, quod opinio ſit ſcientia. Sed quoniam ſcientia, id eſt, quod ex demonſtratione generatur in intellectu: nempe promptitudo aſſentiendi illi concluſioni, quam ex cauſis primis & per ſe, inveſtigando tandem aſſequuti ſumus. Tunc enim ſcire nos arbitramur, cum cauſam cognoſcimus, per quam res eſt, & quia ejus rei eſt cauſa. (*o*) Quare, ſi antequam demonſtratio adhiberetur, tu jam putabas æqualem eſſe potentia ſubtendentem duabus: vel quia oculus ita judicabat, quæ eſt opinio: vel quia viro in ea re perito credebas, quæ eſt fides: non dum tamen te ſcire poteras arbitrari, cum cauſam ignorares. Sed quid ſapientia? Sapientia eſt Divinarum atque humanarum rerum ſcientia. Et capacius quidem nomen eſt, quam prudentiæ:

(*m*) De Trinitate lib. 14. (*n*) Ariſt. 3. de Anima. (*o*) Ariſt. lib. Poſterior. 1.

Digitized by

tiæ: ſiquidem prudentes quaſi providentes, in actione magis deprehenduntur, quam in oratione. Adeo ut videantur, qui ſunt prudentiſſimi, inſtinctu magis naturæ tales eſſe, quam doctrina: ſicut & muta animalia admiramur, quæ natura docuit providentiam. Prudentes ergo facit ex memoria rerum præteritarum, & collatione circumſtantiarum rerum præſentium prompta electio bene agendarum. Atque hæc quidem hactenus, ut intellectivæ facultatis naturam explicemus. Si cui minus probantur, licet ei alios legere. Non moramur: quia non hic ſita eſt ſalus animæ, quam optamus.

Voluntas ergo, ſicut & appetitus ad bonum fertur. Sed hic quidem tantum ad delectabile, quod a ſenſu percipitur: voluntas & honeſtum, & utile, & delectabile appetit, quale fuerit ab intelligentia propoſitum. Malum vero ſtatim odit ac refugit. Hinc dici ſolet, quod voluntas non fertur in incognitum: neque aliud appetere poteſt, quam quod ſpeciem boni habeat.

Cumque diverſa ei ſub ſpecie boni proponantur, libera eſt & ſui arbitrii in eligendo: quanquam in exequendo non item, quia impeditur partim intrinſecus a paſſione propria & ignorantia, ne rem perficiat: partim extrinſecus, ut non ſemper, quod velimus, agamus bonum, ſed, quod odimus, faciamus aliquando malum. (p) Lex enim homini carnali ex prohibitione cupiditatem accendit male agendi. Sed qui in gratia eſt, mundo mortuus eſt & peccato.

DE LIBERO ARBITRIO.

Liberum ergo arbitrium, quaſi liberum judicium dicitur. Cum autem vis ejus in eligendo ſit: electio autem, a voluntate fiat, merito Ariſtoteles lib. 6. Ethicorum ſub dubio relinquit, utrum libertas hæc electionis principalius ſita ſit in virtute appetendi, an in cogitandi. Vel eſt (inquit) intellectus appetitivus, vel appetitus intellectivus. Sed Sanctus Thomas in prima parte, q. 83. ſequutus Damaſcenum (qui aliud eſſe liberum arbitrium, quam voluntatem negavit) arbitrium non eſſe potentiam diſtinctam a voluntate docet. & Scotus in 1. d. 38. libertatem arbitrii primo quærendam in voluntate ait: quia intellectus naturaliter agit non libere. Quod contra Scotum philoſophatur Cajetanus, nimis ſubtile eſt, nec ab Scoto recedet. Quare diſtinguendæ res ſunt, quæ agunt in omni natura. Inter has quædam agunt ſine judicio: (ut arbor fructum profert, & lapis deorſum cadit) aliæ cum judicio, ſed non libero (ut animalia bruta) quæ non electione, ſed ſolo inſtinctu ad unum aliquid determinatum agunt. Ovis enim hoc modo lupum fugit, & gallina ovis incubat. Formica natura duce hyemem ſuſpicatur, ideireo laborioſa in æſtate futura ſibi alimenta recondit. Sed homo primum inquirit nimirum collatione facta per intellectum & rationem: & conſultat in particulari circa ea, qua facienda, & non facienda videntur: non dum ad aliquid unum determinate. (q) Licet itaque voluntas ſemper feratur in bonum, (in bonum inquam, quod ab intelligentia vel ratione proponitur) tamen aliquando honeſtum præfert delectabili, & rurſum delectabile honeſto, & minus delectabile (ſi alia ratione videtur majus bonum) magis delectabili. Atque in hoc quidem libera eſt, & ſui arbitrii. Sed cum de repugnantia ſenſualitatis conqueruntur Viri Sancti, quæ contra ſpiritum ſemper militat: exequutionis cauſa conqueruntur, quæ propter vim magnam carnalis concupiſcentiæ, Dei ope indiget. Tanta eſt enim difficultas in nobis ex peccato originali: ut ratio ſæpiſſime victa cedat appetitui. Id eſt, quod dicebat Apoſtolus in perſona hominis viatoris, Velle mihi adjacet, perficere autem bonum non invenio. Et hoc quidem eſt internum impedimentum. Extrinſecus quoque, niſi Deus impedimenta tollat, parum homo poteſt. Ideo dicebat Hieremias (r), Non eſt in homine via ejus: nec viri eſt, ut ambulet & dirigat greſſus ſuos. Quæ verba nullo modo de libertate arbitrii facta ſunt, ut caput illud legenti non erit obſcurum. Ob easdem cauſas & Paulus, (s) Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Non enim, quod volo bonum, hoc ago, ſed quod, odi malum, illud facio: quia ſine Dei gratia fomes peccati vi ſua ad malum propellit, ipſumque arbitrium quaſi transverſo collo rapit. Nam qui ſervit peccato, ſervus eſt peccati. Sapientiæ Divinæ verbum hoc eſt. Hoc ſapientes Philoſophi quaſi per tranſennam viderunt: & admonuerunt ſæpenumero, caveremus nobis a voluptate & paſſionibus cunctis. Demulcetur aliquando animus voluptatum illecebris: aliquando falſa bonorum opinione fallitur: ſæpe motibus vehementioribus iræ concutitur. Unde ajunt a natura datos virtutum igniculos extingui, pravis, inquam, moribus & falſis opinionibus. Sed idem ſæpe Deus tanto gratiæ ſuæ lumine illuſtrat, ut ad bonum præter expectationem omnino converti faciat. Sic dicitur, Proverb. 21. Cor regis in manu Dei eſt: quocunque voluerit, inclinabit illud. Sancta vis hæc & beata in converſione Pauli facta fuit.

Ergo

(p) Rom. 7. (q) Ariſt. lib. 10. Meto. (r) Hier. c. 10. (s) Rom. 9.

Ergo de ſe liberum eſt hominis arbitrium. Id quisquis negat, eum Catholicum non eſſe, pronunciat D. Auguſt. in lib. hypognoſt. & omnes Doctores Sacri a primo ad ultimum cum ſacris literis aſtruxere. Hoc ut ſaucium relictum ex peccato primi parentis: attamen Samaritanus ille gratiæ ſuæ faſciis ligatum, & oleo conſolationis, atque vino compunctionis delibutum, ſanat quotidie & ad libertatis ſuæ valetudinem reſtituit. Sic dicebat Apoſtolus, Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Et ſane, niſi homo liberi eſſet arbitrii, jaceret omnis Philoſophia, jaceret pietas: nulla eſſet laus virtutis, nullus fructus laborum, nec puniendi improbi, nec admirandi boni. Fruſtra eſſent conſilia & exhortationes, & præcepta, & prohibitiones, & pœnæ & præmia. Qui enim non libera voluntate, & noſtra ſponte ſuſceptis laboribus, ſed neceſſitate vel fati, vel naturæ fieri hæc dicunt, hi non ſolum contra fidem Catholicam loquuntur, ſed principia omnia evertunt moralis Philoſophiæ: non ſecus ac ille, qui in Philoſophia naturali negaret motum. Nam præſupponit moralis doctrina, (*t*) hominem eſſe Dominum actionum ſuarum. Contra negantem autem principia non eſt diſputandum. Conſtituit Deus hominem ab initio, & reliquit eum in manu conſilii ſui, id eſt, liberi arbitrii, ut habet Gloſſa Eccleſ. 15. Et ad Cain dicit Dominus: Si bene egeris recipies, ſin autem male, ſtatim in foribus erit peccatum tuum. Sed ſub te erit appetitus tuus, & tu dominaberis illius. Deuteron. 30. Teſtem invoco hodie cœlum & terram, quod propoſuerim vobis vitam & bonum, maledictionem & benedictionem. Elige ergo vitam, ut vivas. 3. Reg. 3. Propoſitum fuit Salomoni, ut eligeret, &c. Eſa. 1. Si volueritis & audieritis me, bona terræ comedetis. Act. 2. Nonne manens tibi manebat, & venundatum in tua erat poteſtate? 1. Corinth. 9. Si volens hoc ago, mercedem habeo: ſin autem invitus, &c. 2. Corint. 8. Si voluntas prompta eſt, ſecundum id, quod habet, accepta eſt. Alia multa loca Scripturæ voluntatis libertatem docent. ut 2. Corinth. 7. 1. Petr. 2. Rom. 12. Epheſ. 6. Coloſſ. 3. Tit. 3. & ſimilia: ex quibus nugari profecto argueretur Scripturæ author, niſi libera eſſet noſtra voluntas. Nam ſi poſſumus bene agere, ergo & male: & ſi male, etiam & bene. Hæreticorum eſt illud, quod olim notavit Ennodius, libertatem ad alteram partem tantum datam eſſe: ad malum ſcilicet, non autem ad bonum.

Contra vanitatem vero quorundam Philoſophorum, qui fieri omnia ex neceſſitate, perſuadere volebant, vel ex fato, vel ex Dei præſcientia, vide Euſebium in lib. 6. De præparatione Evangelica. Nam de fato perſuaſio a Diabolo profecta eſt patre mendacii, qui oraculis ſuis homines olim dementavit: cum fatum nihil ſit, ſed omnia Dei voluntate fiant. Diſputatio autem de rebus futuris ex Dei præſcientia, eadem eſt, quæ de futuro contingenti, quæ capitis vertiginem Ciceroni [ut conſtat] & multis immiſit Philoſophis: a piis mentibus omnino expellenda. Sicut & illa de prædeſtinatione non ita dudum ab hæreticis evulgata, impia blasphemia, & nimius pernicioſa: peccatorum unicum Deum cauſam omnium faciens, & authorem malorum: quæ aliis ſpem vanam, aliis meram deſperationem ſuaſere. Paulus Apoſtolus (*u*) ſerio nos dehortatur ab his cogitationibus & difficultatibus, quæ homini ſunt inextricabiles. Pietatis tantum ſtudia ſectemur, & Deum timeamus. Ejus judicia abyſſus multa. Sed de Prædeſtinatione inferius.

Gaſpar Contarenus noſtra ætate vir non parum celebris ſubtiliſſimo quodam tractatu de hac re differens, tam diu liberi eſſe arbitrii hominem ſentit, quam diu Deo adhæret: qui bonum eſt maxime univerſum & generale, omnia in ſe bona ineffabili modo complectens, & rerum omnium naturam: contra vero, ſi ab eo diſceſſerit, & finem ſuum alia in re collocaverit, relicta amplitudine ſumma, in angustias ſe redigens: (quia cætera omnia angustiora ſunt infinitis partibus Deo) a ſumma libertate ſe transferre in ſervitutem. Poſſe autem declinare a Deo & peccare, non facultatis eſt, ſed impotentiæ: ſicut lædi poſſe, & claudicare poſſe, impotentiæ eſt. Hæc ille: Quæ probare tentat hoc modo. Sicut ſervus eſt, qui ſui juris non eſt, ſed in illis actionibus, quæ ſervorum ſunt, non ſua ſponte, ſed Domini voluntate & imperio movetur: ſic liber dicitur is, qui ſui, non alieni juris eſt, & ſua ad agendum voluntate movetur, non aliena. Hinc alius alio liberior eſſe poteſt: quanto in pluribus, vel paucioribus, parere cogitur alieno imperio. Unde ſi lapis ſurſum mittitur, minus libere, quam deorſum fertur: quia vis externa hic operatur. Bruta arbitrio videntur uti, quia cognoſcunt, quæ agunt: Sed non libere: quia finem ignorant, & mediorum relationem ad finem. Et quia idem agunt ſemper, argumentum eſt, non proprio judicio, ſed extrinſeco principio moveri. Sibi etiam duo concedi poſtulat Contarenus. Unum eſt, quod qui vere liberum habet arbitrium, res omnes, & rerum omnium naturam, & bonitatem, & inter eas proportionem agnoſcat. Alterum, ut totius boni atque uni-

(*t*) Ariſt. 3. & 6. Ethi. (*u*) Rom. 11.

universi capacem habeat appetitionem: non unius boni particularis tantum. Alioqui enim in anguſtias, veluti carceris, redacta voluntas, libertatem amittet. Itaque homo cum habeat late patentem intellectum: ſic & voluntate præditus eſt, quæ ad omnia illa extendi poſſit: tam, inquam, ad finem, qui Deus eſt, quam ad media (eligendo media proportionata ad finem.) In hoc eſt natura liberi arb. Sed ſi pro fine apperit particularia: in anguſtias ſe conjiciens, libertatem amittit. Quare infertur naturam hominis liberi eſſe arb., quia proprio judicio amplo, nullo termino definito, voluntas & intellectus extenduntur ad finem, & ad media, id eſt, ad bonum ipſum univerſum, & omnia bona. Conſervatur ergo liberum arb. quam diu homo fini ultimo & ſummo bono (qui Deus eſt) adhæret. Amittitur autem, quando relicto ſummo bono, ad particularia deflectit. Et licet nunc maneat illa facultas naturalis, & cognitio, & ad bonum univerſum propenſio: quod liberum arb. vocamus) tamen ita imminuta remanet, ut in ſervitutem quodam modo dicatur poſitum lib. arbitrium. Et ſic quæ agit homo, cum proprio judicio agat, libere agere dicitur: licet in ſervitute degens. Quia qui ſervit peccato, ſervus eſt peccati. Hæc ſententia optimi illius Cardinalis: quæ cum verbis Scripturæ Sacræ non parum convenit. Licet omnibus forte non ſatisfaciat, nec pro certa huc allata. Sed notanda ſententia illa D. Auguſtini: (x) Qui creavit te ſine te, non ſalvabit te ſine te. A creandis enim, inquit, hominibus nihil exegit Deus. Quid enim exigeret ab iis, qui nondum erant? In reformandis autem & juſtificandis hominibus, paſſim in ſcripturis exigit, ut credant, reſipiſcant, pœnitentiam agant. Quare nec gratia Dei ſine nobis aliquid agit, neque ſine Dei gratia nos. Sed omnia poſſum, inquit Apoſtolus, in eo, qui me confortat. Malas quoque voluntates non facit: ſed eis utitur (ut idem docet (y) Aug.) ex quo ſequitur, neque invitum Deum mala permittere, neque negligentem: quia novit ad meliora ordinare cuncta ſolus. Niſi Deus adjuvet, infirmitas noſtra non modo vincere, ſed neque pugnare poteſt. Itaque velle naturæ eſt, bene velle Dei. Utrunque etiam a Deo. A Dei gratia excitatur voluntas ad bonum: & adjuvatur, ut recte velit, & perficiat. Philip. 2. Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere. z) Ideo dicimur etiam nos cooperatores Dei: quia ſufficientes non ſumus ex nobis. 2. Cor. 7. Conatus voluntatis noſtræ, & ſecundum Dei gratiam eſt, & ſecundum naturalem potentiam. Debemus gratiæ, quod vocamur: debemus etiam gratiæ, quod occultis itineribus, niſi reſiſtamus, ſapor nobis vitalis infunditur. Noſtræ tamen electionis eſt, quod beneficia demonſtrata ſectamur.

DE PROFESSIONE FIDEI.

UT qui mundanæ militiæ ſe dedunt, fidem ante omnia duci ſuo dant, & hoſtium ejus hoſtes ſe fore promittunt: deinde armis induuntur, quæ ſibi ille præſcribit: teſſeram quoque in prælio accipiunt, quo inter ſe dignoſcant: ſic qui Chriſtianæ militiæ aſcribuntur per Baptiſma, fidem Chriſto Domino dant, & renunciant Satanæ: de iis, quæ agenda ſunt vel fugienda, diligenter admonentur, exorcizantur, catechizantur, unguntur tanquam athletæ, armantur donis gratiæ, & ſigno Crucis Chriſti, Principis & Domini ſui, quod pro Symbolo etiam belli ſpiritualis habent. Rurſum etiam, qui in Eccleſiaſtica authorandi ſunt, [maxime qui futuri ſunt aliorum Duces] quoniam non eſt nobis colluctatio adverſus carnem & ſanguinem, ſed adverſus ſpirituales nequitias in cœleſtibus; eos ante omnia fide aſtringi decet ſuo Imperatori, Chriſti Vicario: hæreticis autem, atque hæreſibus nuncium remittere, legesque militiæ ſuæ certas accipere, ne victus aliquando dicat, Non putaram.

Idcirco Sacroſancta Generalis Tridentina (a) Synodus explicitam Profeſſionem Fidei facere juber, cum primum ii electi fuerint: tam ut jurejurando ad rite obeundum munus ſuum obligentur, quam ut in confeſſione veræ fidei & Catholicæ, armaturam habeant: ſcutum ſcilicet fidei, & galeam ſpei ſalutis, cum gladio ſpiritus, quod eſt Verbum Dei.

Primum autem & ubique obvium Fidei, Profeſſionisque Chriſtianæ Symbolum, eſt ſignum Crucis Chriſti: quo nos ſignamus, & noſtra omnia: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Hic implicite continentur omnia fidei noſtræ myſteria. Hoc ſpem & fiduciam, quam in Chriſto habemus, Redemptore noſtro, & in potentia Majeſtatis Dei declaramus. Erga Deum & proximum chari-

(x) Ser. 15. de verb. Apoſt. (y) Ad Jul. lib. 5. (z) Aug. de corr. & grat. c. 7. & 10.
(a) Seſſ. 24. c. 1. & 12.

Digitized by Google

charitate accendimur, qui nos ad mortem uſque dilexit, & proximum diligere præcepit.

Tres enim hic perſonas diſtinctas in Deo profitemur: & per paſſionem Crucis, reliqua intelligimus, quæ in carne geſſit Dominus Jesus: unde ſpe erecti, non confundimur; ſed ad Dei Majeſtatem adorandam, & pro beneficiis acceptis, ad gratias agendas inducimur. Quare non immerito fidei atque profeſſionis Chriſtianæ Symbolum vocabimus ſignum Venerabile Crucis: quo ſemper ſe ſignare ſolitos, ait D. Baſilius [*b*], eos, qui in Chriſtum ſpem collocaſſent. Et Tertullianus veruſtiſſimus author: Ad omnem progreſſum (inquit) atque promotum: ad omnem exitum & aditum, ad veſtitum & calceatum, ad lavachra, ad menſas, ad cubicula, ad lumina, ad ſedilia: quæcunque nos converſatio exercet, frontem Crucis ſignaculo terimus. Tertullianum ſuum (*c*) ſecutus Cyprianus, aſſerit, per hoc ſignum Crucis ſalutem poſitam omnibus, qui in frontibus notantur. Quod probat ex multis locis teſtamenti utriusque. Signum hoc ſolvit terrores, tetra fugat ſpectra, morbos ſanat, dæmones expellit: in periculis præſidio eſt, & in rebus lætis ſecuritati. Vide plura ejus Epith. apud Chryſoſtomum in Joan. Auguſt. in multis locis, ut de Civit. Dei l. 22. c. 13. De viſit. infir. l. 2. c. 3. De Symbol. c. 1. De temp. ſer. 130. Contra Fauſt. l. 12. c. 30. De Sanctis. ſer. 19. &c.

Sed ut amplius intelligas Crucis myſterium, conſidera nos hic Trinitatem Sanctiſſimam invocare. Invocamus Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum: tres quidem Perſonas diſtinctas, ſed unum Deum, unam ſubſtantiam, ſive eſſentiam; unam potentiam, unam voluntatem: Patris, qui a nullo genitus eſt: Filii, qui ante omnia ſæcula a Patre genitus: Spiritus Sancti, qui itidem ab æterno ex Patre & Filio procedit. Pater eſt prima Perſona. Non utique, quod in Trinitate hæc ſit aliquid prius, aut poſterius: majus aut minus. Abſit hæc a fidelium mentibus impietas: cum eandem gloriæ Majeſtatem in tribus Perſonis Chriſtiana Religio prædicet. Sed Patrem propterea, quod ipſe ſit principium ſine principio, primam Perſonam vere dicimus. Quæ quidem uti Patris proprietate relativa diſtincta eſt, ita in unam illam præcipue hoc convenit, quod Filium ab æterno genuit: Et in Filii Perſonam proprietas alia hæc congruit, ut a Patre generetur: quam Theologi filiationem vocant: & in Spiritus Sancti (quam ſpirationem paſſivam) ut ab utroque procedat. Atque in hunc modum Divinæ Trinitatis ſimpliciter confiteamur unam eſſentiam, cum perſonarum perfecta diſtinctione: retinentes cum timore hæc eſſentiæ & perſonarum vocabula: ne in rei altiſſimæ, atque difficillimæ perſcrutatione periclitemur. Quod ſi forte apud aliquem Sanctum legas, plures ſubſtantias: exiſtimato, improprie eum loqui: nam neque Divinitati, tam convenire nomen ſubſtantiæ, quam eſſentiæ, tradit Auguſt. Imo nec perſonæ nomen, inquit, placuit, quod Scriptura dicat, ſed quod non contradicat. (*d*) Quoniam igitur dictio Græca hypoſtaſes, pro qua nos aliquando ſuppoſitum, aliquando ſubſtantiam reddimus, ſæpe in plurali ponitur, interdum etiam in ſingulari, una hypoſtaſis & tres hypoſtaſes. Ideo unam ſubſtantiam plerique, rari plures: id eſt, tres res, vel tria ſuppoſita: ut hæreſin Sabellianorum everterent, qui perſonarum Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, nomina tantum diſtincta dicebant, non autem res. Sed nobis ita diſtinguuntur perſonæ ſive ſuppoſita, ut alius ſit Pater a Filio, alius ab Spiritu S. non autem aliud in genere neutro, quia eſſentiam ſignificat ſubſtantivatum nomen in Divinis.

Amen quoque vox Hybraica Symbolum credentium eſt. Hanc Græci interpretati ſunt γένοιτο, id eſt, fiat, vel utinam fieret. Proprie idem ſignificat, quod fides vel veritas, vel (adverbialiter) idem, quod fideliter & vere: & cum voto quodam fere aſſumitur. Nam cum Chriſtus ea ſit uſus frequenter: non id quidem ſemper voluit, quod multi reddunt Gallice: *Ainſi ſoit il.* Nos interpretabimur ita: Credo, & confiteor & affirmo, & lubenter ſuſcipio, quod dictum eſt: & ſicut Credo, ita fieri opto. Hieronymus ſignaculum veritatis appellat. Eſt enim confirmatio dicti & conſenſus. Quotquot enim promiſſiones Dei ſunt, inquit Apoſtolus, in illo (ſcilicet Filio Dei) eſt. Ideo & per ipſum Amen, id eſt, in ipſo Filio Dei affirmationem conſequuntur, & confirmationem cum voto fidelium. Nemini ergo liceat, ſanctam vocem hanc fidei Symbolum in linguam Gallicam transferre pro ſuo arbitrio. Nam & D. Auguſtinus ad Paſcentium ſic loquitur. Nam ſciendum eſt, Amen, & Alleluya (quod nec Latino, nec Barbaro licet, in linguam ſuam transferre) Hebræo cunctas gentes vocabulo decantare. Propter ſanctiorem enim authoritatem, quamvis interpretari potuiſſent, (ait idem in libro de Doctrina Chriſtiana) ſervata tamen eſt antiquitas. Hoc ſufficiet iis, qui omnia habere volunt in lingua vernacula: nec

(*b*) Baſil. de ſer. 5. c. 17. (*c*) Tertul. de corona Mili. Cyp. ad Qui. lib. 2.
(*d*) Aug. lib. 7. de Trinit. c. 5. & 6. Greg. Naz. oron. 2. & 8. Damaſ. de Fide 1. c. 10. & 11.

nec nomen Baptiſmi admittunt, nec Diaconi, nec Chriſmatis : quod latina non ſint hæc. Quod autem Amen, Symbolum fuerit ſemper credentium in Eccleſia, colligi poteſt ex 14. cap. 1. ad Corinthios, *Quis ſupplebit locum idiotæ ? quomodo dicet Amen ſuper tuam benedictionem ? quoniam quid dicas, neſcit.*

JESUS.

ADdimus aliquando, per invocationis modum, JESUS, nomen Domini noſtri benedictum : in quo uno oportet nos ſalvos fieri. Vox quidem Hebraica eſt, quam a verbo Heb. deduci jaſa (id eſt, ſalvare vel ſervare) Angelus docuit Matth. 1. Vocabis (inquit) nomen ejus JESUM : Ipſe enim ſalvum faciet populum ſuum a peccatis eorum. Apoſtoli tamen Græce ſcripſerunt Ιησους : non utique Jehoſua, nec Jehoſue, nec Joſue. Quin etiam Rabbini ipſi Hebræi in ſuis commentariis ſcribunt Jeſu, vel Iſu. Unde conjicimus, proferri ſemper ſolitum fuiſſe cum accentu in ultima diſſyllabum ; licet Græce videatur triſyllabum. Hinc diſces, illud ιης, Græcam eſſe ſcripturam veram : ſed hanc Ihs corruptam ab iis, qui vocalem Græcam H putant eſſe aſpirationem. Sicut & χρς pro χρ̄ſ ſcribentes : pro χ Ch, ponunt X : & pro R, P. propter ſimilitudinem literarum.

DE SYMBOLO APOSTOLORUM.

TRiplex celebratur in Eccleſia Catholica Symbolum. Unum eſt Apoſtolorum, *Credo in Deum Patrem Omnipotentem, &c.* Alterum dicitur Magnum & Nicenum. Licet nonnulli Conſtantinopolitanum appellent, propterea quod Niceno additum fuit in Concilio Conſt., id quod ſequitur poſt hæc : *in Spiritum Sanctum*, Eccleſia quoque latina illud adjecit, *Filioque*. Sed vulgo nos Nicenum vocamus a prima ejus editione. Eſt tertium Athanaſii, quod ſingulis diebus cantamus ad Primam. Magnum illud, ſive Nicænum in Miſſa tantum canitur. Hoc Apoſtolorum non canitur, ſed tacite dicitur ad Primam & ad Completorium ante confeſſionem generalem : quia corde creditur ad juſtitiam, (e) ore autem fit confeſſio ad ſalutem. Dividitur in 12. Articulos, ſecundum numerum Apoſtolorum, a quibus creditur compoſitum. Quamquam non conſtat, ſintne ſinguli a ſingulis, an omnes ab omnibus ſemel concepti. Dividitur etiam in 14. Articulos, ſecundum credibilium differentias. Septem enim ſpectant ad Divinitatem : & alii ſeptem ad Chriſti humanitatem. Poſſunt etiam in tria Capita ſeparari. Nam in una parte tractatur de Creatione, in altera de Redemptione, in tertia de Sanctificatione. Et in hac diviſione reſpiciunt tres Perſonas, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

DE CREATIONE.

I.

CRedo in DEUM Patrem Omnipotentem, Creatorem cœli & terræ.

DE REDEMPTIONE.

II.

Et in JEſum Chriſtum Filium ejus unicum Dominum noſtrum.

III.

Qui Conceptus eſt de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine.

IV.

Paſſus ſub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus & ſepultus.

V.

Deſcendit ad inferna. Tertia die reſurrexit a mortuis.

VI.

Aſcendit ad cœlos, ſedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

VII.

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.

DE SANCTIFICATIONE.

VIII.

Credo in Spiritum Sanctum.

IX.

Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem.

X.

Remiſſionem peccatorum.

XI.

Carnis reſurrectionem.

XII.

Vitam æternam, Amen.

LE

(e) Rom. 10.

LE SYMBOLE DES APOSTRES declaré en vulgaire.

CRedo in DEUM.) *C'eſt à dire, Je croy en Dieu. Je mets toute ma foy, mon eſperance, & mon amour en un Dieu.*

Patrem.) *Pere. Je crois en un Dieu, qui eſt en trois perſonnes (Pere, Fils, & S. Eſprit) mais une ſeule ſubſtance, une Deité, & une puiſſance indiviſe. Je l'appelle Pere à bonne raiſon, pour cauſe de l'eternelle generation de ſon benoiſt fils JEſus Chriſt, ſelon la Divinité. Et auſſi, pource qu'il nous a faict ſes enfans, par adoption, & heritiers du Royaume celeſte, par le merite de ſondict Fils.*

Omnipotentem.) *Tout puiſſant. Car rien ne luy eſt difficile à faire: Auſſi ne ſeroit il à deffaire & ruiner, s'il luy plaiſoit. Et n'y a choſe, qui puiſſe empeſcher ſa volonté. Dont je me ſens bien fort: veu que j'ay un Pere tout puiſſant. Car comme Pere, il m'ayme: & comme tout puiſſant, he ſcauroit faillir. Auſſi le tiens je en ſi grande reverence, veu que pluſieurs de ſes œuvres excedent ma capacité, que je n'y fais point du curieux: ains m'en rapporte du tout à ſa Parole, à laquelle rien eſt impoſſible.*

Creatorem cœli & terræ.) *Createur du ciel & de la terre. Il eſt ſeul autheur de toute creature, viſible & inviſible. Parquoy il n'y a ſubſtance, ou nature, qui de ſoy ſoit mauvaiſe ou immonde: veu qu'il eſt tout bon & ſainct. Auſſi nous faut penſer, qu'il ayme ſa creature, & la gouverne pour ſa gloire. Dont je l'ayme comme celuy, duquel je recois tout mon bien: meſmes pour l'amour de luy je prens en patience les adverſitez, comme profitables pour mon ſalut.*

Et in JEſum Chriſtum.) *Et je crois en JEſus Chriſt. Je l'appelle JEſus: qui en langue Hebraique ſignifie Sauveur & ſalutaire. Car il nous a ſauvé, & racheté par ſon precieux ſang. Et n'y a autre nom ſoubs le Ciel, auquel il faille avoir eſperance de ſalut. Auſſi l'appelle je Chriſt, qui ſignifie en langue Greque, Oinct (lequel nom eſtoit des Roys, & des Preſtres, & Prophetes) pour autant, qu'il eſt le vray Meſſias [qui pareillement eſt a dire Oinct] promis en l'ancien Teſtament.*

Filium ejus unicum.) *Son fils unique. Dieu, filz de Dieu. Il eſt ſeul & unique filz de Dieu le Pere, treſcher & bien aymé. Car ſi nous ſommes filz de Dieu, ce n'eſt pas par nature, ains par adoption & grace. Mais luy eſt d'une meſme ſubſtance avec ſon Pere: procedant d'iceluy par la generation eternelle, comme lumiere d'une lumiere. Il eſt auſſi unique, je dis une ſeule perſonne, & ſuppos: non pas deux: combien qu'il ſoit Dieu & homme, & qu'il ait deux natures, Divine & humaine. Car le Verbe Divin (qui eſt le vray ſuppos & chef, en ceſte diſpoſition) a prins & a uni à ſoy la nature humaine, par une maniere à nous indicible: de ſorte que la nature humaine ne ſe ſouſtient en ſoy, mais au verbe Divin. A ce fils donc de Dieu naturel, le Pere communique par la generation eternelle, ſa nature, ſa puiſſance, & toute ſa gloire.*

Dominum noſtrum.) *Noſtre Seigneur. Et combien que JEſus Chriſt eſt noſtre frere, il eſt auſſi noſtre Seigneur: nous ayant racheté de la ſervitude du diable, non par or, ou argent: mais par ſon ſang precieux. Et pourtant je veux obeir en tout & par tout, à ſes commandemens, m'en donnant la grace.*

Qui conceptus eſt de Spiritu Sancto.) *Qui a eſté conceu du Sainct Eſprit. N'a pas eſté engendré de ſemence d'homme: mais le Sainct Eſprit a formé divinement & miraculeuſement ſon corps au ventre virginal de la Vierge Marie, de pur ſang & ſubſtance d'icelle. Et par ainſi il a eſté engendré vray Dieu & vray homme, & ſelon la diverſité des deux natures il a faict diverſes actions en ſa vie. Selon l'affection de ſon humanité il craignoit la mort: ſelon la Divinité il faiſoit les miracles.*

Natus ex MARIA Virgine.) *Nay de la Vierge Marie. Vierge avant le part, au part, & apres le part. Pource qu'il convenoit qu'elle fuſt ainſi, pour l'honneur de ſi grand myſtere. D'ont vient à noter, que Dieu a faict naiſtre en quatre ſortes. Adam naſquit ſans pere ny mere: Eve de la coſte d'Adam: nous de pere & mere: noſtre Seigneur de la ſeule mere.*

Paſſus ſub Pontio Pilato.) *A ſouffert ſoubs Ponce Pilate. Du temps que Ponce Pilate Romain avoit le gouvernement de la Judee ſoubs Tibere empereur des Romains, il a enduré la mort ignominieuſe: lié comme un larron: battu, flagellé, ſouffleté, craché, mocqué, & meſpriſé, tant des Soldats de Pilate, que des Pontifes, leurs Miniſtres, & d'autres, jusques à eſtre crucifié: le tout pour mon ſalut. Ce qui m'apprent eſtre patient aux injures & meſpris*

ſpris, que je reçois en ce monde: veu que mon Seigneur, & mon Dieu, la gloire eternelle, s'eſt ainſi demis, & a eſté ſi patient pour l'amour de nous, ſes pauvres creatures.

Crucifixus.) *Crucifié. Comme un criminel & meſchant homme, a eſté attaché en un gibbet faict en forme de Croix & ſupplice, celuy, qui ne feit oncques peché: ains qui eſtoit venu pour effacer tous pechez, & nous delivrer du ſupplice eternel. Pourtant je l'ay touſiours devant mes yeux, ainſi eſtandu, & cloué cruellement en la Croix. Ce qui me rompt le cœur. Et à grand peine y penſe je ſans larmes. Et comment par ceſte grande patience il a vaincu le diable: à ceſte cauſe je fais ſouvent le ſigne de la Croix ſur moy, pour me fortifier, & munir contre toutes tentations & dangers: & quant & quant ſur toutes choſes (en forme de benediction) que je deſire bien venir, & ſucceder pour noſtre uſage.*

Mortuus & ſepultus.) *Mort & enſevely. Son ame à la fin par les cruels tourmens a eſté ſeparée de ſon corps. Et le corps enveloppé de linges, à la façon des Juifs mis au ſepulchre. Par la mort il a ſuffiſamment payé noſtre rançon. Car par le peché d'Adam nous eſtions faicts ſerfz du peché, & du diable: obligez à la mort. Par ſa mort il a eſtainct ceſte obligation, & effacé le debt, que nous feit noſtre premier pere. Cecy me faict l'aymer ſur toutes choſes, & prendre exemple en luy de forteresſe, & de non craindre la mort pour ſon ſervice. Et je prie d'eſtre enſevely avec luy: à fin que le peché ne me puiſſe trouver vivant en iniquité.*

Deſcendit ad inferna.) *Il eſt deſcendu aux enfers. A ſavoir ſon Ame. Car il a voulu conſoler les Peres decedez, qui eſtoyent detenus au limbe: & acertener de la gloire, à eux des long temps preparée, par ſa preſence: les tirant de la priſon, où ils eſtoyent privés de la viſion de Dieu. Pour ceux là eſt deſcendu JÉſu Chriſt aux enfers: non pas pour les reprouvez. Car la Juſtice Divine par raiſon doibt donner crainte aux meſchans de la peine eternelle; & eſpoir aux bons, d'eſtre delivrés à la fin du mal.*

Tertia die reſurrexit a mortuis.) *Le tiers jour eſt reſuſcité des morts. Ceſt article de foy, le plus recommandé par les Sainctz Apoſtres, m'aſſeure, que je reſuſciteray une fois, pour reſembler du tout à mon Chef: lequel eſt reſuſcité. Et en ceſte vie mortelle je recouvreray une autre vie, que celle, que j'ay tenu par cy devant en peché. Car j'eſpere de vivre, par ſa juſtice & grace, mortifié à toutes iniquitez. Quant au nombre des jours que mon Dieu a eſté au ſepulchre, l'Evangile monſtre, qu'il faut prendre les parties du Vendredy & du Dimenche, pour deux jours: & le Samedy entier. Auſſi eſtoit il nommé en Hebrieu Sabbath, qui ſignifie tant comme repos.*

Aſcendit ad Cœlos.) *Eſt monté ès cieux. Ne convenoit poinct, que ſon corps glorifié demouraſt en la terre immunde & ſubjecte à corruption. Et j'apprens de ceſte Aſcenſion, que ma demeurance doit eſtre au ciel avec luy: car c'eſt mon chef, qui eſt deſcendu du ciel: & faut que le corps ſoit avec luy: lequel combien que viſiblement nous ait delaiſſé ſur la terre, il ne delaiſſe pourtant d'eſtre avec nous inviſiblement par ſa grace, faveur, & preſence reelle au Sacrement de l'autel. Car il eſt tout puiſſant comme s'enſuit. Et ne faut doubter de ſa parolle.*

Sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.) *Sied à la dextre de Dieu le Pere tout puiſſant. Je croy par ce l'eternité de ſon Royaume, & la puiſſance qu'il a ſur toute creature, avec une gloire infinie, egal a Dieu ſon Pere. Ceſte phraſe d'eſtre aſſis à la dextre, eſt declarée par le mot y adjouſté, Omnipotent. Car autrement Dieu le Pere n'a corps aucun propre, pour avoir main dextre ou feneſtre. C'eſt un Eſprit incomprehenſible, contenant toutes choſes: non pas contenu, ny definy.*

Inde venturus eſt judicare vivos & mortuos.) *Dont il doit venir juger les vivans & les morts. Quant je penſe au jour, qu'il a choiſy pour faire rendre compte devant ſon throſne à tous ceux, qui auront jamais eu nom d'homme, (ſans en excepter aucun, ſoit vif ou mort) je me conſole grandement, & prens couraige à bien faire. Combien que non du tout ſans crainte: car mon imperfection m'eſt ſuſpecte, & danger eſt que ne ſoys ſurprins à l'improveu: ſoit par l'heure de la mort, [lors que ſe faict le premier jugement] ſoit par le jour du dernier jugement: où ſeront revelees toutes meſchancetez & fautes, à la confuſion des pecheurs, & gloire des bons. Et iront ceux qui auront bien faict, ou Royaume eternel: & les autres au feu d'enfer avec le diable pour jamais.*

Credo in Spiritum Sanctum.) *Je croy au Sainct Esprit. La tierce Personne de la Trinité egal en bonté, puissance & majesté, avec le Pere & le Fils: desquels eternellement il procede: de mesme essence, & nature. Ceste confession de la Deité du Sainct Esprit, que je fais, est comprinse en ces mots,* Credo in Spiritum Sanctum. *Car par iceux je confesse, que je mets en luy tout l'espoir de mon salut. Et comme n'y a point plusieurs Dieux, je croi que le Pere, le Fils, & le Sainct Esprit, n'est qu'un Dieu, procedant le Fils du Pere par generation: Et le Sainct Esprit au Pere & du Fils, par inspiration & amour. Ce sont choses difficiles à comprendre: mais la foi me conduira à la vraie cognoissance, Dieu aidant. Nous appellons ceste troisieme personne, Esprit, pourtant que luy attribuons estre cause de la vie de toutes choses: & mesmes de celle de nos ames par grace: Aussi l'appellons Sainct, pource que de luy procede toute sanctification.*

Sanctam Ecclesiam Catholicam.) *La Saincte Eglise Catholique. Je confesse & croy, qu'il y a une Eglise Saincte & Catholique, en laquelle j'ay esté regeneré par le Sainct Baptesme. Je nomme Eglise, comme une famille de plusieurs vivants en communion, une congregation, un peuple, une republique, conduyte & gouvernée par le Sainct Esprit. Et pourtant elle ne peut errer en chose qui concerne nostre salut. Et combien que elle soit desia en partie avec JEsus Christ en la gloire celeste, en partie icy fluctuant aux ondes de ce monde, & combatant contre ses ennemis, si est elle une: car son chef n'est qu'un, JEsus Christ, duquel elle reçoit toutes sainctes influences de vie & bonnes actions. Je l'appelle souvent ma mere: pource qu'en icelle j'ay esté regeneré par le Sainct Baptesme. Elle est Saincte, comme espouse de JEsus Christ. Car combien que tandis qu'elle chemine par ce monde, les bons y soyent parmy les meschans: moyennant que ceux icy retiennent la foy, ils n'en sont dehors. Le jour du jugement en fera la separation. Et lors on verra un trou peau, & un Pasteur. Maintenant que je suis au monde, j'obeiray à mon Pasteur, & à icelury qui est constitué sur les autres Pasteurs, qui est nostre Sainct Pere le Pape. Car non seulement le commandement de nostre Seigneur le veut ainsi: mais la raison le dicte, qu'il faut un chef en toutes choses, ainsi qu'il y a un seul Dieu de tout. Elle est sainicte comme espouse de JEsus Christ, & Catholique, c'est à dire universelle: pource qu'en tous temps & en tous lieux, les bons Chrestiens ont tenu une mesme foy & doctrine des choses concernant nostre salut. Donc je renye & deteste toutes assemblées d'heretiques & schismatiques: & me tiens au giron de ceste Eglise ma bonne Mere.*

Sanctorum communionem.) *Communion des Saincts, (ou, de choses Sainctes.) Il n'y a difference en ceste Eglise de personnes, riche ou pauvre, gentil ou villain, tous participans des graces de JEsus Christ nostre chef, comme membres d'un mesme corps mystique (chacun en sa vocation) nous communicans mutuellement nos prieres & bienfaicts, & principalement receuans un mesme Sacrement de son benoist Corps & Sang, qui nous faict estre un avec luy, & uny avec nous autres. Et pour non perdre ce bien, je me garderay songneusement de luy estre desobeyssant, à celle fin que ne soys dejetté d'icelle, & excommunié. Car hors l'Eglise nul pourra estre sauvé non plus, que ceux qui ne se trouverent en l'arche de Noé au temps du deluge.*

Remissionem peccatorum.) *Remission des pechez. Je croy, que par la Passion de mon Redempteur JEsus Christ, le pardon de mes pechez nous a esté obtenu. Lequel m'est appliqué par le mistere & vertus des Clefs, qu'il a mis en la main des Pasteurs, & Prelats de l'Eglise. Par le Baptesme m'a esté pardonné le peché original, avec lequel j'estois né: & par le Sacrement de Penitence, tous les autres, que j'ay commis par apres. Et comme apres ledit Sacrement, ou une vraye contrition (combien que la coulpe de mon peché soit remise) toutes fois encores reste souvent une obligation à quelque peine, qu'il faudra payer en purgatoire, (car justice le commande;) J'espere, qu'elle me sera effacée par les merites de JEsus Christ & de tous les Saincts, vray tresor de l'Eglise, m'estant appliqué par quelque indulgence de nostre Supreme Prelat & Pasteur.*

Carnis resurrectionem.) *La resurrection de la chair. Si j'ay travaux, peines & douleurs en ce monde, je me console, que mon corps, qui est maintenant mortel & corruptible, resuscitera, & ne sera plus subject à corruption, mais sera glorifié à la semblance de celuy de JEsus Christ, clair, resplendissant, subtil, & agile, surmontant la clarté du soleil, & des estoilles. Mais les mauvais Chrestiens*

Digitized by Google

ſtiens & infideles, combien qu'ils reſuſciteront, ce ſera toutesfois pour aller aux tenebres, & peines perpetuelles d'enfer.

Vitam æternam.) *Vie eternelle. C'eſt la fin de nos labeurs. Le comble de tout bien, preparé à ceux, qui en ce monde auront veſcu ſelon la doctrine, que noſtre Seigneur nous a donné.*

Amen.) *Amen. Je le confeſſe ainſi: je le croy ainſi: & prie Dieu, qu'ainſi ſoit il.*

FIDEI PROFESSIO TRIDENTINA.

PRopter hæreticorum pertinaciam coacti fuerunt olim Patres aliquam formam confeſſionis fidei Catholicæ concipere : ne ſubdola interpretatione Scripturarum , vel traditionum, veritatem verbis corrumperent falſi fratres. Noſtra pariter tempeſtate idem fieri oportuit, excitatis ab hæreticis, & ramquam ab inferis revocatis multis erroribus , atque blaſphemiis: quæ priſcam Patrum illorum ſimplicitatem cum aliis acrius depugnantem, non ita monebant. Hanc tradidit bonæ memoriæ Pius IV. Pontifex Maximus: cujus auſpiciis Tridentina Synodus finem Deo propitio fœlicem adepta eſt. Addit autem is ad magnum Symbolum articulos aliquot, ex Canonibus Concilii deſumptos. Et confeſſionis quidem hujus forma hæc eſt.

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet : Credo in unum Deum Patrem Omnipotentem, Factorem cœli & terræ, Viſibilium omnium , & inviſibilium : Et in unum Dominum Jeſum Chriſtum, Filium Dei unigenitum, Et ex Patre natum ante omnia ſæcula : Deum de Deo, lumen de lumine , Deum verum de Deo vero: Genitum non factum, conſubſtantialem Patri, per quem omnia facta ſunt : Qui propter nos homines & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis : Et incarnatus eſt de Spiritu Sancto, ex Maria Virgine: Et homo factus eſt: Crucifixus etiam pro nobis ſub Pontio Pilato: Paſſus & ſepultus eſt : Et reſurrexit tertia die ſecundum Scripturas : & aſcendit in cœlum, ſedet ad dexteram Patris: Et iterum venturus eſt cum gloria judicare vivos & mortuos. Cujus regni non erit finis. Et in Spiritum Sanctum Dominum, & vivificantem , Qui ex Patre Filioque procedit : Qui cum Patre & Filio ſimul adoratur & conglorificatur : Qui locutus eſt per Prophetas. Et unam Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam Eccleſiam. Confiteor unum Baptiſma in remiſſionem peccatorum, & expecto reſurrectionem mortuorum, Et vitam venturi ſæculi, Amen. Apoſtolicas & Eccleſiaſticas traditiones, reliquaſque ejusdem Eccleſiæ obſervationes & conſtitutiones firmiſſime admitto, & amplector. Item Sacram Scripturam juxta eum ſenſum, quem tenuit & tenet Sancta Mater Eccleſia, cujus eſt judicare de vero ſenſu, & interpretatione Sacrarum Scripturarum , admitto : nec eam unquam, niſi juxta unanimem conſenſum Patrum accipiam , & interpretabor. Profiteor quoque ſeptem eſſe vere & proprie Sacramenta novæ legis a Jeſu Chriſto , Domino noſtro inſtituta , atque ad ſalutem humani generis, licet non omnia ſingulis neceſſaria, ſcilicet Baptiſmum , Confirmationem, Euchariſtiam , Pœnitentiam , Extremam Unctionem, Ordinem, & Matrimonium: illaque gratiam conferre, & ex his Baptiſmum, Confirmationem, & Ordinem, ſine ſacrilegio reiterari non poſſe. Receptos quoque & approbatos Eccleſiæ Catholicæ ritus , in ſupradictorum omnium Sacramentorum ſolemni adminiſtratione recipio, & admitto : Omnia & ſingula, quæ de peccato originali, & de juſtificatione in Sacroſancta Tridentina Synodo definita & declarata fuerunt, amplector & recipio: Profiteor pariter in Miſſa offerri Deo, verum, proprium, & propiciatorium ſacrificium, pro vivis, & defunctis , atque in Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento eſſe, vere, realiter , & ſubſtantialiter Corpus, & Sanguinem, una cum anima, & divinitate Domini noſtri Jeſu Chriſti, fierique converſionem totius ſubſtantiæ panis in corpus, & totius ſubſtantiæ vini in ſanguinem: quam converſionem Catholica Eccleſia tranſubſtantiationem appellat. Fateor etiam ſub altera tantum ſpecie totum atque integrum Chriſtum , verumque Sacramentum ſumi. Conſtanter teneo, Purgatorium eſſe, animasque ibi detentas fidelium ſuffragiis juvari. Similiter & Sanctos una cum Chriſto regnantes, venerandos atque invocandos eſſe, eosque orationes Deo pro nobis offerre, atque eorum reliquias eſſe venerandas: firmiſſime aſſero, imagines Chriſti, ac Deiparæ ſemper Virginis , nec non aliorum Sanctorum habendas & retinendas eſſe, atque eis debitum honorem ac venerationem impertiendam. Indulgentiarum etiam poteſtatem , a Chriſto in Eccleſia relictam fuiſſe , illarumque uſum Chriſtiano populo maxime ſalutarem eſſe affirmo. Sanctam Catholicam, & Apoſtolicam Romanam Eccleſiam, omnium Eccleſiarum Matrem, & Magiſtram agnoſco : Romanoque Pontifici, Beati Petri Apoſtolorum Principis , Succeſſori, ac Jeſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro.

Digitized by Google

ro. Cætera item omnia a Sacris Canonibus, & Oecumenicis Conciliis, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata, indubitanter recipio atque profiteor, ſimulque contraria omnia, atque hæreſes quascunque, ab Eccleſia damnatas & rejectas, & anathematizatas, ego pariter damno, rejicio & anathematizo: Hanc veram Catholicam fidem, extra quam nemo ſalvus eſſe poteſt, quam in præſenti ſponte profiteor, & veraciter teneo, eandem integram, & inviolatam, uſque ad extremum vitæ ſpiritum, conſtantiſſime (Deo adjuvante) retinere & confiteri, atque a meis ſubditis, vel illis, quorum cura ad me in munere meo ſpectabit, teneri, doceri, & prædicari, quantum in me erit, curaturum. Ego idem N. ſpondeo, voveo, ac juro, ſic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

STATUTUM I.

STatuitur igitur & ordinatur, ut quicunque in Epiſcopum, vel Archi-Epiſcopum eligetur, in prima poſt ſuam creationem vel electionem Provinciali Synodo, cui ipſe intererit, veram obedientiam Summo Romano Pontifici ſpondeat, fideique profeſſionem faciat, juxta formam hanc a Pio IV. Papa traditam. Proviſi etiam de beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, eandem obedientiam ſpondere & fidei publicam confeſſionem facere teneantur in manibus Epiſcoporum ſuorum, vel Vicariorum Generalium: Proviſi autem de Canonicatibus, vel dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus, non ſolum coram Epiſcopo ſuo, ſeu Vicario, ſed etiam in Capitulo: Abbates coram Epiſcopo, a quo benedictionem accipient, & coram toto Conventu: Alii vero de Monaſteriis proviſi, coram Conventu, tantum. Item Univerſitatum & Studiorum Generalium Magiſtri & Doctores publice profitentes, ſingulis annis in prima quaque prælectione ſua ſolemni ſe juramento ſpondeant, nihil docere, vel interpretari velle, quod huic fidei Catholicæ repugnet.

II.

Quoniam vero impoſſibile eſt, ſine fide placere Deo: idcirco Curati doceant frequenter articulos fidei, ſicut in Symbolo Apoſtolorum continentur: diſtincte pronunciando, & ſimpliciter lingua vernacula aliquando declarando. Hortentur quoque Parochianos ſuos, ut memoriter illos teneant, & frequenter recitent cum Oratione Dominica: quoniam qui id non agunt, non poſſunt reputari Catholici.

III.

Quod ſi declarationem velint ampliorem facere populo, (veluti in diebus ſolemnibus, qui articulorum aliquam interpretationem requirant) eam ex Catechiſmo Romano maxime deſumant, & authoribus tantum Catholicis: neque ex ſuo ſenſu aliquid tradant, ne ab orthodoxæ fidei doctrina alienum quid per imperitiam afferant, vel per temeritatem affirment.

IV.

Doceant Curati adoleſcentes & mulierculas, facere ſignum Crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Idque protenſa manu tota, cum decoro, a fronte ad umbilicum, & ab humero ſiniſtro ad dextrum. Et pollice aliquando manus dextræ in fronte, & in ore, & in pectore. Quia Symbolum eſt, & fidei, & ſpei, & charitatis, in Deum & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum: quo non ſolum in periculis ſubeundis, ſed in omni actione ſuſcipienda muniri ſanctum eſt, & prodeſt.

V.

Scribit quidem Petrus Apoſtolus in prima Canonica, ut ſimus ſemper parati ad ſatisfactionem omni poſcenti nos rationem de ea, quæ in nobis eſt, Spe & Fide, ſed cum modeſtia & timore. Cæterum, quia deprehendimus ſubornatos multos miniſtros Satanæ per varia loca diſcurrere, & ſub ſpecie pietatis quæſtiones varias Curatis & Presbyteris parum in ea re exercitatis, coram populo proponere: quibus ipſi Presbyteri non ſane ex B. Petri doctrina, cum modeſtia & timore reſpondentes, ſed cum præſumptione loquentes, quæ non intelligunt, ſæpe contingit, ut non ſolum auditores, ſed & ſe ipſos etiam ſcandalizent: juxta Patrum Conſtitutiones omnibus noſtræ Dioceſis

Digitized by Google

ceſis prohibemus (maxime vero Presbyteris) ne cum hujusmodi hominibus diſputationes de Fide, vel doctrina Eccleſiaſtica committant, aut diſputare audeant, niſi ad Theologiæ gradum aliquem aſſumpti ſint. Sed ſi a peregrinis interrogentur, & reſpondere oporteat: Reſpondeant tantum de ſuo officio, quod facere tenentur, ſcilicet adminiſtrare Sacramenta ſecundum formam ſibi præſcriptam, orare & offerre, pro ſe & pro populo: declarare ſimpliciter & absque contentionibus Articulos fidei, Præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, opera charitatis, & ſimilia. Quod ſi quam in his, & aliis ſimilibus rebus difficultatem habuerint, conſulant Superiores ſuos, vel Doctores Viros Catholicos, cum charitate.

DE VERBO DEI.

Fides igitur duplex eſt: Actualis, & habitualis. Et hæc quidem etiam in duplici ratione ſubſiſtit. Nam alia infuſa dicitur, uti quam puer rationis adhuc expers, Spiritus Sancti gratia aſſequitur per Baptiſmum, cum aliis virtutibus & donis. Acquiſita autem ex pluribus credendi actibus generatur: ſive illius hæc incrementum ſit [quia ab Spiritu Sancto quoque procedit] ſive quid aliud, non refert. Nam Marc. ult. prædicabant Apoſtoli Domino cooperante, & ſermonem confirmante, ſequentibus ſignis. Ex prædicatione Verbi Dei fit Actualis fides, quod dicimus credere. Id docet Apoſtolus illa eleganti gradatione Rom. 10. Quomodo invocabunt, in quem non crediderunt? aut quomodo credent ei, quem non audiverunt? Quomodo autem audient ſine prædicante? Quomodo vero prædicabunt, niſi mittantur? ſicut ſcriptum eſt: Quam ſpecioſi pedes Evangelizantium pacem, Evangelizantium bona! Sed non omnes obediunt Evangelio. Eſaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui noſtro? Ergo Fides ex auditu: Auditus autem per Verbum Chriſti. Hæc Paulus. Ex quibus patet, fidem de Chriſto (Actualem ſcilicet) non eſſe unquam, niſi audiatur Verbum Chriſti. Eſt autem auditus quidam interior per inſpirationem, vel revelationem occultam, de qua David: Audiam, quid loquatur in me Dominus: alius exterior. Ad exteriorem hunc fit Dei Verbum tribus modis. Uno per Deum ipſum loquentem homini: ut quando Verbum Domini factum fuit ad Adam, Cain, Abraham, Moſen, & alios. Alio modo per Dei Miniſtros: ut cum Prophetæ ea referebant, quæ a Deo acceperant. Dicebant enim: Audi Iſrael, hæc dicit Dominus. Sed hoc Dei Verbum nobis adminiſtratur duobus etiam modis: per Scripturam Sacram: & per traditionem Eccleſiæ non ſcriptam, Ubi doctrina fidei, & eorum, quæ nobis neceſſaria ſunt ad ſalutem, tanquam per manus tradita absque literis, inde ab Apoſtolis, & primis Eccleſiæ Ducibus ad nos pervenit. Itaque niſi Scripturis Sanctis credamus, & Eccleſiæ Matris noſtræ traditionibus; ſalvi eſſe non poſſumus.

SCRIPTURÆ SACRÆ.

Dicitur Scriptura Sacra Verbum Dei, quoniam Spiritu Dei facta eſt: ſicut verbum hominis dicimus, quod Spiritu hominis ſit. Jerem. 1. Ecce dedi verba mea in ore tuo. Et Evangeliſtæ ſolent ita loqui: Sicut dictum eſt a Domino per Prophetam. 2. Petr. 1. Non enim humana voluntate allata eſt aliquando Prophetia, ſed Spiritu Sancto inſpirati, loquuti ſunt Sancti Dei homines. Scripturæ ergo Sanctæ, ſeu Canonicæ ſunt, quæ Spiritu Sancto dictante exceptæ ſunt. Pſalm. 44. Lingua mea calamus ſcribæ velociter ſcribentis. Sed earum multiplex ſenſus eſſe ſolet. Primo literalis: ut qui vel ex proprietate verborum, vel uſitato tropo, ſe ſtatim offert, alius ſpiritualis, vel myſticus: quem Hieronym. allegoricum nominat. Alii Doctores myſticum hunc, ſive ſpiritualem, in tres ſeparant, & horum unum vocant Allegoricum, quando ſcilicet res novi Teſtamenti ſignificatur in veteri, aliqua metaphora: Anagogicum, qui de futuro regno præfigurat: Tropologicum, qui mores inſtruit.

Dicuntur autem Scripturæ Sanctæ, ſicut & ſanctæ Leges, & ſancti muri: quia violari non debent. Ideo Deuteron. 4. Non addetis ad verbum, quod vobis loquor, nec auferetis ex eo. &c. 12. Nec addas quicquam, nec minuas. Nihil tamen prohibet, quin Scripturæ mens declarari poſſit per libros alios. Nam Exod. 12. 20. 23. 24. Quædam addita reperimus a Moſe, veluti de faſciculo hyſſopi, & aſperſione: de igne non accendendo die Sabbati, de pœna mortis violanti Sabbatum: & (quod non erat in decalogo) addidit, Deum tuum timebis, & illi ſoli ſervies, & per nomen illius jurabis. Hæc enim, & alia invenias expoſita, quæ non erant ſcripta prius: ſed non erant præter illa, quæ didicerat a Deo Moſes. Sic auctum fuit volumen Bibliorum paulatim. Quia non ſimul & ſemel omnia revelata fuerant Eccleſiæ Dei. Et multa quoque ſunt in Literis Sanctis obſcura, quæ non licet cuiquam pro ſuo arbi-

trio interpretari. 2. Petr. 3. Sicut & chariſſimus frater noſter Paulus ſecundum datam ſibi ſapientiam ſcripſit vobis, ſicut & in omnibus Epiſtolis, loquens in eis de his. In quibus ſunt quædam difficilia intellectu: quæ indocti & inſtabiles depravant, ſicut & cæteras ſcripturas, ad ſuam ipſorum perditionem. Hanc igitur ob cauſam dicitur, ſcripturas eodem Spiritu eſſe interpretandas, quo conditæ ſint: nempe Dei, & Prophetico. Quare & in Eccleſia primitiva interpretes ejus dici conſuevere, Prophetæ. 1. Corinth. 14. B. Clemens Epiſt. 4. ad Eccleſiam Hieroſol. monet, ut Lex Dei, cum legitur, non ſecundum propriam ingenii virtutem, aut intelligentiam legatur, vel doceatur. Nam hæretici omnes ex Scripturis fundamentum ſuorum errorum petunt: Diaboli exemplo, qui Dominum authoritate Scripturarum ſeducere tentavit. Timotheum ſuum Apoſtolos alloquens: Qui ab infantia, inquit, Sacras Literas didiciſti, quæ te poſſunt inſtruere ad ſalutem per fidem, quæ eſt in Chriſto JEſu. Quaſi dicat, ſine fide non proſunt ad ſalutem: nec ſine lumine fidei intelligi poſſunt. Niſi crediderit is, inquit, Eſa. 6. non intelligetis. Faciles ergo ſunt, cum a Deo declarantur. Hinc impudentia coarguitur hæreticorum. Nam ſi adeo faciles ſunt: quæro, cur inter ſe ſuper eis diſſentiunt ipſi? Non ſic profecto Petrus Apoſtolus, 2. Pet. 3. Nemo igitur proprio ſenſu has interpretetur. Verum ubi difficile quid acciderit, referat ad Eccleſiam. Ita juſſerunt Patres. Clem. ad Jacob. c. 7. Tertull. de præſcrip. Hieron. ad Damaſum, Aug. contra Ep. funda. Et res patet ex Exod. 18. Deuter. 7. Matth. 10. 22. Malach. 2. 1. Timot. 3.

Dicuntur nonnunquam etiam ſcripta Pontificum & Doctorum Sanctorum, Sacræ Scripturæ: ſed ad hoc, ut diſtinguantur a prophanis. Sic Jus Canonicum lex Divina, Imperatorium vero Civile, a Juſtiniano in Auth. (*f*)

TRADITIONES.

NOn ſemper intrinſecus illuminatione Deus inſpirat, quæ nos ſcire vult, nec omnia in Literis Sacris reperiuntur explicita: ſed per aliorum ſæpe nos doctrinam inſtruit: ut aliis acceptam feramus noſtram inſtitutionem. Sic Moſen a ſocero doceri voluit: Paulum ab Anania: Cornelium a Petro: Eunuchum Candacis a Philippo. Multos etiam per afflictiones admonet, reſipiſcentiæ: ſed hoc non ſine illis aliis. Nam ad diſcernendum Verbum Dei, requiritur primo lumen fidei, quod ab Spiritu Sancto datur: Miraculorum certitudo: Eccleſiæ conſenſus. Nam ſi contra, quam tenet Eccleſia, doceat, qui miracula operetur, explodendus erit. Et qui novam doctrinam in religione adferunt, ſine miraculorum certitudine, explodendi. Moſes enim quantis cum miraculis legem ſuam tulit? Noe ſuam, quæ tamen lex naturæ erat, liberatis a diluvio filiis accepit. Et Abraham circumciſionis, concepto miraculoſe Iſaac. Chriſtus, Si opera, inquit, non feciſſem, quæ alius nemo poteſt facere, peccatum non haberent. Chriſti Lex præterea legem Moſaicam perfecit, in quo erat infirma. Hæc naturæ munimen fuit: concupiſcentiam enim neſciebam, niſi lex diceret, Non concupiſces. Naturæ denique lex Divinæ rationis imago eſt: Nunc ergo ſi vel authoritate magna Angelus de cœlo, vel miraculis editis quibuscunque alius, contra traditam ab Apoſtolis & a Chriſto doctrinam, evangelizet, Anathema eſto. Miracula enim fiunt a Deo in confirmationem veritatis: quia Deus mentiri non poteſt. Ergo falſa exiſtimato miracula, & illuſiones, fraudesque diaboli, vel malorum hominum, ſi contra quam accepimus ab Eccleſia, tibi quis per res ſtupendas perſuadere aliquid moliatur. State, inquit, & tenete traditiones, quæ didiciſtis, ſive per ſermonem, ſive per epiſtolam. Et alibi: Laudo vos fratres, quod mei memores eſtis: & ſicut tradidi vobis præcepta mea, teneatis. Hinc patet, inquit Chryſ., non omnia per epiſtolam, ſed multa etiam ſine literis Apoſtolos Chriſti tradidiſſe. Eadem vero fide digna ſunt tam illa, quam iſta. Et ſubdit Ambroſii ſententiam Traditio eſt: nihil quæras amplius. Origenes in Epiſt. ad Titum, Hæreticum eſſe, ait, qui Chriſto credere ſe profitetur, & tamen aliud credit, quam traditio Eccleſiaſtica habeat. Traditiones Apoſtolus (Tertulliano interprete de præſcrip.) depoſitum vocat. O Timothee, depoſitum cuſtodi, devitans profanas vocum novitates & oppoſitiones falſi nominis ſcientiæ. Eſt itaque traditio hæc, de qua loquimur, doctrina Eccleſiaſtica Verbi Dei: tanquam per manus viva voce, de animo in animum transfuſa, & communi fidelium conſenſu recepta. Et quanquam Scriptura Sacra poſſit traditio appellari: nos tamen doctrinæ cauſa diſtinguimus, ſicut & Sancti Doctores diſtinxere. Commendatur nobis, Hierem 31. Tradam in cordibus eorum, &c. Eccl. 8. Non te prætereat narratio ſeniorum: ipſi enim didicerunt a Patribus ſuis. Proverb. 22. Ne tranſeamus terminos antiquos. 2. Theſſal. 2. State & tenete traditiones. 1. Corinth. 11. Ritum orandi & Euchariſtiæ traditionibus contineri docetur. Cæ-

(*f*) Auth. I. Ut Clerici. de Juramento calum. c. 1. c. Cum diverſis. de Privil. in 6. glo. c. Ex diligenti. de Simonia.

Cæterum doctrina sic per manus tradita, & de animo in animum [ut loquitur Dionysius] transfusa, duplex invenitur. Una Fidei est, altera consuetudinis. De hac Tertullianus antiquissimus, in lib. De corona militis. Objicientibus, inquit, nobis hæreticis, quonam scripturæ loco demonstremus hæc (scilicet Eucharistiæ Sacramentum non de aliorum manu, quam Præsidentium sumere: Oblationes pro defunctis, Pro natalitiis annua die facere: Dominico die jejunium nefas ducere, vel geniculis adorare: eadem a Paschate ad Pentecosten jejunii immunitate gaudere: ad omnem progressum atque promotum frontem signaculo Crucis terere) & horum, & aliarum disciplinarum, si legem Scripturarum postules, invenias nullam. Traditio tibi prætenditur auctrix, consuetudo confirmatrix, & fides observatrix. Traditio est, [ait etiam Basilius] nihil quæras amplius. Multa enim tradi oportuit Prælatis Ecclesiæ, & Successoribus, quæ literis non expediebat mandare: ne margaritas projicerent ante porcos. Prodita quidem vulgo nimium tremenda mysteria, in contemptum jam venere. Propter ritus itaque ab Ecclesia huc usque servatos, legendi sunt Patres antiqui: si non ad authoritatem, saltem ad antiquitatem, ut loquitur Hieronymus. De rebus autem credendis prior fuit traditio, quam scriptura: quia Ecclesia aliquando sine scriptura fuit. Ante Mosen Patriarchæ fidem Dei coluerunt, & sacrificia obtulerunt. Christus Dominus nihil scripsit. Et Apostoli ante descripta Evangelia viva voce Christum prædicarunt. Luc. 1. Sicut, inquit, tradiderunt nobis, qui ab initio ipsi viderunt. Nec nunc quidem omnia sunt expressa Sacris Literis, quæ Christianam doctrinam spectant: ut de Baptismo parvulorum: de Mariæ perpetua virginitate: de processione Spiritus Sancti a Filio: de Trinitatis personarum una essentia: & aliis multis, quæ non negant nunc, nisi hæretici. Quærit D. Augustinus, (g) Si consuetudo adversatur Sacræ Scripturæ, quid agam? Respondet idem, Scripturam sequendam. Non enim dixit Dominus, Ego sum consuetudo, sed: Ego sum veritas. Sed tu Pastor Ecclesiæ, si quid tale tibi accidat, refer ad Prælatum, vel ad Synodum. De variis etiam particularium Ecclesiarum ritibus interrogatus ab eodem Augustino Ambrosius, nullam esse meliorem disciplinam, respondit, quam, ut eo modo agamus, quo agere viderimus Ecclesiam, ad quam venerimus: ne cui simus offendiculo. Sunt enim traditiones aliæ generales totius Ecclesiæ universalis: aliæ particulares singularum, aliæ quoque multarum. Author est idem Aug. lib. 3. de Bapt. parv. & Epist. 18. cont. Donat.

DE LIBRIS CANONICIS, & de prohibitis.

NEcessarium omnino duxerunt Patres (ut tanquam a tritico separarent zizania) librorum catalogum, solenni more Ecclesiæ, describere, tam veteris, quam novi Testamenti: idem nobis hic faciendum censemus, ut in promptu habeant Viri Ecclesiastici, & distincte, omnes & singulos, quos pro Sacra & Canonica Bibliorum scriptura Synodus Tridentina suscepit. Sunt autem infra scripti Testamenti veteris: Quinque Mosis, id est, Genesis, Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium, Josue postea, Judicum, Ruth, Quatuor Regum, Duo Paralipomenon, Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Neemias, Tobias, Judith, Hester, Job, Psalterium Davidicum centum & quinquaginta Psalmorum, Parabolæ, Ecclesiastes, Canticum canticorum, Sapientia, Ecclesiasticus, Isaias, Jeremias, [cum Baruch] Ezechiel, Daniel: Duodecim Prophetæ minores, id est, Ozea, Joel, Amos, Abdias, Jonas, Micheas, Naum, Abacuch, Sophonias, Aggæus, Zacharias, Malachias: Duo Maccabæorum, primus & secundus.

Testamenti novi sunt: Quatuor Evangelia, secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem: Actus Apostolorum a Luca Evangelista conscripti, Quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli, ad Romanos, duæ ad Corinthios, ad Galatas, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses, duæ ad Timotheum, ad Titum, ad Philemonem, ad Hebræos, Petri Apostoli duæ, Joannis Apostoli tres, Jacobi Apostoli una, Judæ Apostoli una, & Apocalypsis Joannis Apostoli.

STATUTUM I.

HOrum Librorum Sacrorum veterem ac vulgatam editionem solum veneramur, & in Officio Ecclesiastico, publicis lectionibus, & expositionibus, pro Authentica habendam declaramus: Cæteras vero eorum voluminum integras versiones in vernaculum, vel latinum idioma, sic prohibemus, ut nisi licentia in scriptis obtenta, nemo habere audeat Biblia vernacu-

(g) Aug. lib. 3. de Bapt. parvul.

nacula, vel ab aliquo alio traducta, ſub pœna excommunicationis : quia omnes depravatæ ſunt ab hæreticis.

II.

Hæreſiarcharum libros omnes, cujuscunque argumenti vel tituli fuerint, prohibemus : veluti Lutheri, Stancari, Serveti, Zuinglii, Calvini, Pacimontani, Zuenfeldii, Bucceri, Davidis Georgii, Rinchii, Petrobuſii, Valdonis, Brentii, & ſimilium, qui hæreticorum duces fuere. Aliorum quoque hæreticorum libri, qui de Religione ex profeſſo tractant, omnes damnantur. Sed qui aliis de rebus, & non de Religione : Authores autem eorum hæreticos fuiſſe conſtat, ſine licentia in ſcriptis obtenta nemo habeat.

III.

Prohibemus libros omnes incantationum, vel ſortilegiorum, atque ſuperſtitionum. Item qui res laſcivas, atque obſcœnas ex profeſſo narrant, aut docent. Ab Ethnicorum autem hujusmodi prælectionibus (licet doctorum & elegantium) arceatur ætas puerilis.

IV.

Libros de rebus ſacris ſine nomine Authoris, niſi examinatos prius, probatosque ab Ordinario, edere, vendere, aut apud ſe retinere, nemo audeat, ſub pœna anathematis. Eosdem in locis ſuſpectis impreſſos prohibemus, eadem pœna.

DE HÆRESI & HÆRETICIS.

IN multis rebus errare nullum, aut minimum peccatum eſt, ut ait Auguſtinus [*b*] : Sed hæreſis graviſſimum peccatum eſt. Melius erat illis, inquit Petrus Apoſtolus, (*i*) non cognoſcere viam juſtitiæ, quam poſt agnitionem retrorſum converti ab eo, quod illis traditum eſt, ſancto mandato. Dicendum ergo, quid ſit hæreſis, quis hæreticus vel ſchiſmaticus, quæ propoſitio hæretica, quæ ſapiens hæreſim, quæ ſcandaloſa, blaſphema, temeraria, erronea, abſurda. Quin etiam quo modo vitandi hæretici, atque agnoſcendi. Sunt namque hæc omnia Paſtoribus ſcitu valde neceſſaria, non ſolum Prælatis majoribus, ſed etiam aliis Viris Eccleſiaſticis.

Hæreſis Græce, (id eſt, electio) Latine ſecta dicitur. Quales præcipuæ fuerunt olim quatuor Philoſophorum : ſcilicet Stoicorum, Epicureorum, Academicorum, & Peripateticorum. Horum namque unusquiſque ſuam eligebat opinionem & doctrinam, quam pertinaciter tuebatur. Hinc merito factum, ut inter Chriſtianos, ſi quis contra communem opinionem omnium credentium obſtinate ſentit (hoc eſt contra fidem Catholicam) hunc hæreticum, id eſt, ſectarium, & factioſum nominamus. Definiunt ergo Doctores, hæreſim, dogma falſum, fidei Catholicæ contrarium. Sed ne Judæos, Mahumetanos, & Paganos (qui omnes contra fidem Catholicam ſentiunt) inter hæreticos ponamus, qui potius infideles, quam hæretici dici ſolent : addendum aliquid eſt huic definitioni, nimirum, In eo, qui Chriſtianam fidem profeſſus eſt. (*k*) Itaque, niſi Religionem Chriſti profeſſus fuerit quis, hæreticus dici non poſſit. Quare deductis omnibus jam proprietatibus, ſic definiemus hæreticum, Qui poſt ſuſceptam Religionem Chriſtianam, Chriſti fidem in genere profitendo, aliquam in ſpecie opinionem Catholicæ fidei contrariam pertinaciter tenet.

Ex his habemus, quinque requiri, ut quis proprie hæreticus dici poſſit. Primum, quod ſit fidem Catholicam profeſſus, non Paganus, vel omnino infidelis. Secundum, quod credat aliquid fidei noſtræ Chriſtianæ contrarium. Nam ſi omnia poſt veritatem agnitam neget, apoſtata vocatur. Is fuit Imperator ille nefandus Julianus. Tertium, quod errorem habeat in intellectu. Alioqui enim agens aliquid, vel proferens impium, & contra veritatem Catholicam, non ex errore opinionis, ſed vel ex ira, vel libidine, vel metu, vel alia paſſione motus, non ſtatim dicitur hæreticus, licet graviſſime peccet. Quamquam certe poſſet tanquam hæreticus aliquando puniri, ob aliquas circumſtantias. Ut Judæus, ſi poſt Baptiſma ſuſceptum redeat ad cæremonias Judaicas : & qui ſemel hæreſim abjuravit, ſi eandem deprehendatur aſſerere : omnes hujusmodi, quod hæreſim in opinione habere adhuc videantur [non enim paſſione moti videntur magis ſenſitivæ partis, quam opinione intellectivæ) tanquam hæretici condemnantur. Quarto requiritur, quod ſit de his, quæ ſunt fidei vel bonorum morum ad aſſequendam vitam æternam. Nam in aliis ſi quid aliter, quam ſe res habeat, ſentia-

(*b*) Aug. encher. cap. 20.
(*k*) Car. de turre crem. lib. 4. de pot. Pap.
(*i*) 2. Petr. 2.
S. Th. 2. 2. q. 11.

ſentiamus, non magnum periculum eſt. Quinto & ultimo, quod errorem pertinaciter defendat. Eam ob rem dicebat idem B. Auguſtinus (*k*): Errare potero, hæreticus non ero. Namque hæreſis electio eſt: & hæreticus privatæ adhæret opinioni, peculiaremque ſententiam tuetur, contempta communi. Unde & paradoxon etiam Græce vocari poteſt hæreſis, id eſt, admirabile: nam & admirabile hoc, quod Paradoxum dicitur, contra communem opinionem eſt. Cæterum licet parum inter ſe differant: tamen aliis in rebus inveniri poteſt Paradoxum, quam in fide. Quod ſi in fide aliquando etiam contingat, non ſtatim hæreſis dicitur: niſi voluntaris electio ſubſit. Id ſignificare voluit Cicero (*l*), Cato, inquit, perfectus mea ſententia Stoicus, ea ſentit, quæ non ſane probantur in vulgus: & in ea eſt hæreſi, quæ nullum ſequitur florem orationis.

Inter ſchiſma vero & hæreſim hoc intereſt, quod hoc perverſum dogma habet: ſchiſma autem ſeparationem facit ab unitate Eccleſiæ, & unius obedientia Prælati. Dictio enim Græca eſt, id eſt, ſciſſura, ſectio, diviſio, diſſidium, diſſenſio. At vero ſchiſmaticorum quidem hæc natura eſſe dicitur, ut hæreſim illico aliquam excogitent, quo ab Eccleſia videantur jure receſſiſſe. Ita nos docuit D. Hieronymus (*m*), & experientia didicimus noſtra hac tempeſtate: & in Jeroboam (*n*), Rege Iſrael, exemplum habemus evidentiſſimum.

Sed ut caput hoc concludamus, apponenda eſt ſententia D. Auguſtini in lib. de Baptiſmo contra Donatiſtas. Si aliquis, inquit, jam hoc ſentiat de Chriſto, quod Photinus opinatus eſt, & in Eccleſia Catholica baptizatur, & hoc credit eſſe fidem Catholicam: nondum dico eſſe hæreticum, niſi manifeſta doctrina Catholicæ fidei reſiſtere maluerit, & illud, quod tenebat, elegerit. Ex his inferunt, ne peccare quidem idiotam, quem ignorantia excuſat. Quod non omnes æque teneantur ad omnia intelligenda. Plebi rudi ſufficit articulos Symboli explicite credidiſſe: non item aliis.

DE PROPOSITIONE HÆRETICA, & ejus differentiis.

EST ergo veritas fidei noſtræ Catholicæ revelata a Deo, in ſe primum, vel in ſuo antecedente. In ſe quidem, ut Sacra Biblia: in ſuo antecedente, ut quæ ex Bibliis Sacris neceſſariæ deducuntur. Quamobrem non in eodem gradu veritatis Catholicæ neceſſario credendæ eſt, quod ex verbis ſacris deducitur, atque id, quod eſt in ipſis expreſſum. Et ideo quicquid directe & per ſe contradicit Sacræ Scripturæ, (novi vel veteris Teſtamenti) hæreticum eſt in primo gradu. Sunt in alio gradu traditiones a temporibus Apoſtolorum receptæ. Deinde Conciliorum univerſalium in fide definitiones: tum ſi quæ ſunt ſimiles Sedis Apoſtolicæ: ac denique Doctorum Eccleſiæ, ubi inter ſe conveniunt. Contra hæc omnia ſentire, hæreticum eſt in ſuo gradu. Dicuntur enim Pontificum & Doctorum Sacræ Scripturæ, ut ſupra docuimus.

Sapere autem hæreſim, dicitur illa propoſitio, quæ adjuncta alia propoſitione vera, vel quæ negari non poſſit, infert propoſitionem vere hæreticam. Ut ſi quis dicat Gregor. XIII. non eſſe Papam, ſaperet hæreſim: quia Gregorius habetur rite electus a Collegio. Qui autem rite electus eſt, vere eſt Papa. c. In nomine Domini. 23. 4. diſt. c. De evitanda. De elect. c. Ubi periculum. eo. lib. 6.

Propoſitio impertinens dicitur, quæ nec ſequitur neceſſario, nec repugnat veritati Catholicæ. Exempli cauſa, Si quis aſſerat vel neget B. Joſeph fuiſſe mortuum tempore Paſſionis Domini. Hoc enim nihil refert ad fidem Catholicam. Et ea de re diſputant aliquando Doctores inter ſe. Quamquam certe impertinens omnis illa dicitur, quæ nec infertur ex ante dictis, nec aliquid ante dictorum infert.

Propoſitio temeraria eſt, quæ nulla ratione vel authoritate ſubſiſtit. Ut ſi quis dicat, anno proximo futurum eſſe finem mundi. Erronea, quæ falſa tanquam vera aſſerit vel negat: ubi qui aſſerit vel negat ſe verum loqui putat. Ille enim proprie errare dicitur, qui ſe ſcire æſtimat, quod tamen neſcit. c. Quamvis. 38. diſt. Qui error, ſi contra fidem eſſet, tunc hæreſis diceretur, non ſolum error.

Propoſitio injurioſa, ſeu contumelioſa, quæ honori vel dignitati perſonæ, vel ordinis & gradus alicujus detrahit.

Scandaloſa, ſeu piarum aurium offenſiva, quæ præbet auditoribus occaſionem ruinæ, & caſus in hæreſim, vel in peccatum mortale. Hujus generis ſunt, quæ quamvis cum determinatione aliqua, vel reſtrictione veræ ſint: tamen ſimpliciter & abſolute ſumptæ, videntur favere hæreticis, cum aliter loqui ſoleant Catholici. Ut ſi quis diceret ſimpliciter, Patrem majorem eſſe Filio

(*k*) Auguſt. de lib. arb. l. 3. & Ench. c. 13.
(*l*) Parad. c. 1.
(*m*) Hier. in ep. Tit. c. 3.
(*n*) 3. Reg. 12.

Digitized by Google

in Divinis. Furari non esse magnum peccatum.

Schismatica, quæ ad seditionem & inobedientiam spectat.

Impia, quæ contra charitatem Deo debitam, vel Sanctis, vel patriæ, vel parentibus.

Blasphema, quæ contra honorem Dei: ut quæ directe vel indirecte contumeliam Deo infert, vel Sanctis ejus, vel Sacramentis Ecclesiæ. Et etiam omnis illa, quæ Deo tribuit, quæ non conveniunt, vel demit ei, quæ conveniunt, vel creaturæ tribuit, quod Dei proprium sit. Blasphemia enim Græce, contumelia est latine. Pœna autem blasphemi, mixti fori est, nisi hæresim habeat admixtam. Quia si contra fidem Catholicam aliquid proferatur: jam juris Ecclesiastici fit, & ad Inquisitores pertinet.

Absurda denique erit, quæ a sensu communi abhorret.

Eadem autem simul & male sonans esse potest, & sapiens hæresim, & blasphema, & schismatica, & temeraria, & scandalosa, & absurda.

QUOD VITANDI SUNT HÆretici, & revelandi.

EX jure Civili, pertinacium hæreticorum pœna capitalis est, seu mortis. l. Arriani. C. De hæreticis. l. Ultimum supplicium. ff. De pœnis. Jure autem Canonico & Divino excommunicati sunt, & ab omnibus vitandi. Id docet Apostolus Paulus multis in locis. Ad Tit. 3. Hæreticum hominem post unam & secundam correptionem devita. Rom. 16. Rogo vos fratres, observetis eos, qui dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab eis. 2. Thess. 3. Denunciamus vobis in nomine Domini, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinate, & non secundum traditionem, quam acceperunt a nobis. 1. Corinth. 6. Si quis non obedit verbo nostro, per Epistolam hunc notate: & ne commisceamini cum illo. 2. Corinth. 6. Nolite jugum ducere cum infidelibus. Esa. 52. Recedite, recedite, & polluti nolite tangere. Narratur historia in lib. 3. Regum [o] notanda, de Viro Dei & Prophera, qui missus a Deo ad Jeroboam Regem Israel schismaticum, cum contra Dei præceptum, panem in terra Israel comedisset, rediens, a Leone interemptus in via est. De Beato Antonio scribit Athanasius, nunquam se miscuisse schismaticorum conviviis, nec Manichæis, aut aliis hæreticis verba amice largitum, nisi quæ possent eos ab errore revocare: dicens, tales amicitias esse animæ perditionem. Leo primus, in Ecclesia celeberrimus Pontifex multa scripsit (p) de vitandis hæreticis. Cyprianus Martyr constantissimus, Nulla cum talibus commercia copulentur, inquit, convivia vel colloquia misceantur: & simus ab eis tam separati, quam de Ecclesia sunt profugi. Qui unitati & paci Christi inimicus est, nobiscum non potest cohærere. Si cum precibus & satisfactionibus veniant, audiantur: si maledicta & minas ingerant, respuantur. Apostolus Tito (q) scribit, ut tales deviteț, cum sint proprio judicio condemnati. Cætera vitia (inquit Hieronymus in hunc locum) & criminosi reliqui per Sacerdotes ab Ecclesia repelluntur: hæretici sententiam ipsi in se ipsos ferunt, suo arbitrio ab Ecclesia recedentes: quæ recessio, propriæ conscientiæ videtur esse damnatio. Ideo videtur Joannes (r) dicere: Ex nobis exierunt, sed non erant ex nobis. Et Paulus, (s) Non sumus nos filii subtractionis, in perditionem: sed fidei, in acquisitionem animæ. Plura ad Constantium Lucifer Episcopus.

Ex his omnibus probatur, non ab re pro excommunicatis haberi omnes, qui cum hæreticis participant, non solum manifestis, sed etiam suspectis de hæresi: qui vocati scilicet, & ad arbitrium Episcopi purgari noluerint. Et excommunicantur illi, qui scienter tradunt Ecclesiasticæ sepulturæ fautores hæreticorum, & defensores, receptatores, credentes. Dicuntur autem credentes, qui hæreticorum doctrinam implicite laudant, aut personas. Nam si explicite doctrinam probent: jam non tantum credentes hæreticis, sed vere hæretici dicentur. Receptatores vocamus, qui hæreticos recipiunt in domibus suis, vel terris, semel vel pluries, publice vel occulte, ne videantur a populo, vel capiantur. Non autem, si causa hospitii, vel convivii publice. Fautores vero, qui publica authoritate fungentes, punire, vel expellere condemnatos ab Ecclesia negligunt. Privati autem, si celant eosdem hæreticos, postquam juraverint indicare, sunt excommunicati. Sed in Hispania statutum est, omnes scientes, & non revelantes, esse excommunicatos, & reos criminis. Excommunicati sunt etiam a jure, qui eos laudant, vel excusant, alunt, fovent. Defensores sunt, qui resistunt, ne in manus Judicum deveniant, puniendi ob hæresim, vel examinandi. Omnes hi excommunicati sunt ipso facto.

Non

(o) 3. Reg. 13. (p) Lib. Epist. 3. & 4. (q) Tit. 3. (r) 1. Joan. 2. (s) Heb. 10.

Digitized by Google

Non immerito igitur Leo idem Sanctiſſimus, non ſolum vitandos eſſe docuit, ſed etiam Presbyteris prodendos. Quia, inquit, qui tales non prodendos putant, in judicio Dei invenientur rei de ſilentio, etiam ſi non contaminentur aſſenſu. Et idem ſermone 4. De collectis: Magna pietas eſt prodere latebras impiorum; & in eis debellare diabolum, cui ſerviunt. Contra quos omnem terrarum orbem, & totam ubique Eccleſiam decet fidei arma corripere. Cavendi ſunt, ne noceant: prodendi, nequa civitatis noſtræ in parte ſubſiſtant,&c.

Sed hæc omnia intelligenda ſunt de nominative expreſſis, & notoriis: quia vere hæretici difficile dignoſcuntur. Veniunt [inquit Salvator] in veſtimentis ovium: intus autem ſunt lupi rapaces. Sed ut eos cognoſcamus,ſubdit: Ex fructibus eorum, cognoſcetis eos. Interrogare poſſet quis ex verbis Chriſti, Quid? an ex operibus ſecundum vitia vel virtutes? veluti continentiæ, charitatis, devotionis: ut ſi hæc præ ſe ferant bonæ, ſanæque eſſe doctrinæ arbitremur? Nequaquam. Quoniam Pelagius hæreticus nobiliſſimus præter cæteros,opera oſtentare poterunt perfecti hominis in vita ſua: Sed quid ait Chriſtus? Nunquid colligunt de ſpinis uvas, aut de tribulis ficus? Ex verbis his Domini ſuſpectos habere debemus omnes eos, qui novitates docent in fide. Siquidem hi non Chriſtum, ſed ſe ipſos prædicant: & gloriam propriam quæruntur. Ideo ex ſe ipſis loquuntur, id eſt, ſuam, non Dei doctrinam tradunt. Nota quæſo: & mali cum ipſi ſint, omnisque homo mendax: ſequitur & arborem & fructum malos eſſe. Non enim producunt ſpinæ uvas, nec humana ambitio Dei ſapientiam. Dicebat Salvator Dominus: Qui a ſemetipſo loquitur, gloriam propriam quærit: mea doctrina non eſt mea: ſed ejus, qui miſit me [t]. Hæc Chriſtus. Sed iſti, quid? ita Chryſoſtomus, vel Auguſtinus: ſed ego aliter. Hactenus ita ſenſerunt idiotæ: ſed ego tenebras excutiam. Verum Apoſtolus novatores iſtos procul abigendos cenſuit, & a novitate doctrinæ dehortatur Timotheum ſuum.(u) Depoſitum, inquit, cuſtodi, devitans profanas vocum novitates. Huic quidem novo, maloque fructui junctus eſt alius: licentia nimia in ſententiis ſuis. Contra hanc Jacobus Apoſtolus (x): Si quis putat ſe Religioſum eſſe, non refrænans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, hujus vana eſt religio. Junctus & alius eſt non minus malus: Impatientia reprehenſionis. Neque enim ſe corrigi ſuſtinet hæreticus, ut patet ad Tit. 3.

Noverint ergo Eccleſiarum Paſtores, hoc differre fidei doctrinam ab humanis & ſæcularibus diſciplinis, quod in his rerum novarum inventores in pretio ſunt: in præceptis & doctrina pietatis, omnis novitas ſuſpecta habetur. Cæterum ne temere quemvis de hæreſi accuſent: regulas obſervanto ſupra poſitas. Et quod propter ſolam mentalem hæreſim neminem putent excommunicatum, niſi extrinſecus illa appareat. Nam occulta illa eſt per ſe. Nec de ea loquitur Concilium Trident. cum ſolum Epiſcopum poſſe abſolvere determinat: verum de ea, quæ probari non poteſt. Alioqui de per ſe occulta quilibet Sacerdos poteſt.

DE ORATIONE DOMINICA.

Pater noſter.

SIcut Fides Symboli frequenti meditatione confirmatur: ſic Spes Orationis Dominicæ frequenti uſu. Nam ſi nomen ſpectes Patris, quod in præfatione poſitum eſt: quis non in ſpem erigatur, omniaque & regnum (etiam ipſum Patris) tanquam filiis præparatum, non ſperet? Reliqua etiam, quæ Salvator nos poſtulare docet, magnam in ea fiduciam eſſe collocandam innuit. Idcirco eam ſemper in ore tenebimus, & in corde. Qua de cauſa Patres eam quotidianam appellarunt. Delet enim hæc (ut eorum verbis utamur [y]) minima & quotidiana peccata. Delet & illa, a quibus vita fidelium, etiam ſcelerata geſta pœnitendo in melius diſcedit mutata. Ad ejus ergo declarationem pergamus. De oratione autem generaliter ſuo loco dicemus. Nomen Patris ideo Deo convenit, quia Creator noſter eſt, & Rector & Redemptor. Hæc pro populo fideli Sacerdos in Miſſæ Sacrificio agnoſcens, cantat alta voce: Præceptis ſalutaribus moniti, & Divina inſtitutione formati, audemus dicere: Pater noſter. Nam Apoſtolus ad Rom. 8. Non accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed accepiſtis Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus Abba Pater. Joan. 1. Dedit eis poteſtatem filios Dei fieri, & 1. Joan. 3. Videte qualem Charitatem dedit nobis Pater, ut filii Dei nominemus, & ſimus.

Qui es in Cœlis.

QUanquam Deus præſens adeſt locis omnibus & rebus, nullis terminis definitus: (dicit enim per Propheram, Nunquid non cœlum & terram ego impleo? Et in Pſal-

(t) Joan. 7. (u) 1. Timo. 6. (x) Jacob. 1.
(y) Conc. Tolet. 4. cap. 9. ex Auguſt. in Enchir.

Pſalmis, Si aſcendero in cœlum, tu illic es: Si deſcendero in infernum, ades) tamen in Divinis Scripturis ſæpe dicitur habere ſedem ſuam in cœlo: quod cœli ſint nobiliſſima pars mundi, in ſublimi orbe poſiti, nulliquo corruptioni obnoxii, ſed conſtantes, & inferiora hæc influxu, curſuque ſuo gubernantes, incorruptibiles, vi & pulchritudine, magnitudineque præſtantes. In quibus elucet maxima ejus potentia, ſapientia, & majeſtas, ſicut interpretatur Salomon 2. Paralip. 6. Tu exaudies de cœlo, de ſublimi ſcilicet, inquit, habitaculo tuo. & rurſum: Exaudies de cœlo, hoc eſt, de firmo habitaculo tuo. Cumque omnia, quæ a Deo poſtulamus, cum bonis cœleſtibus jungenda ſint, & ad eum finem dirigenda, ſicut ſcribit Apoſtolus ad Coloſſ. 5. Si conſurrexiſtis cum Chriſto, quæ ſurſum ſunt, quærite, non quæ ſuper terram. Nam terrena & corruptibilia contemnentes, ad Deum, qui Spiritus eſt incorruptibilis, aſpiramus. Ideo cœlum Dei ſedes dicitur: & nos orantes Deum ad cœlum oculos tollimus, quia cœli ſupra hæc omnia poſiti cernuntur, ſicut & Deus ſuper omnia eſt immotus in ſe permanens.

Sanctificetur nomen tuum.

OBſervanda diligenter eſt forma orandi hæc, quam Dominus noſter & Advocatus Dei Filius, Verbum Patris, & Sapientia ſumma, quique ſemper exauditus eſt pro ſua reverentia, præſcripſit. Invenias hic partes omnes, & qualitates perfectæ orationis, quas viri contemplationi dediti retinuerunt. Quibus, ſi animum intendas, maximum accipies fructum ex oratione. Sunt autem hæ: Gratiarum actio, meditatio, oblatio, poſtulatio, contritio, deprecatio: cum charitate, fide, ſpe, & perſeverantia. Et Gratiarum quidem actio hic eſt: *Sanctificetur nomen tuum*: Meditatio, *Adveniat regnum tuum*. Et quia in orando multa meditari oportet, ideo iteratur meditatio in illis verbis: *Sicut in cœlo & in terra*. Tertia eſt oblatio: *Fiat voluntas tua*. Quarta poſtulatio, *Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie*. Quinta eſt contritio & pœnitentia de peccatis: *Dimitte nobis debita noſtra*, &c. Sexta deprecatio: *Ne nos inducas in tentationem*, &c. Charitas erga Deum in tribus illis articulis exprimitur, per quos Dei gloriam poſtulamus: Videlicet, ſanctificationem nominis Dei, adventum regni ejus, & obedientiam exhibendam ab omnibus voluntati ejus. Fidem & fiduciam, ſive ſpem in præfatione profitemur, Pater noſter: Deprecatio denique illa, quæ in fine facta eſt [*Et ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo*] perſeverantiam docet eſſe neceſſariam, ut oratio noſtra impetret, quæ poſtulemus. Omnia hæc ſub orandi forma paraphraſtice & lingua vernacula, habes in libello a nobis correcto Officii Beatæ Mariæ, vulgo: *Heures de noſtre Dame à l'uſage de Beſançon*. Charitatis ergo ordo poſtulat, ut Dei gloriam primo, & ante omnia deſideremus. Quoniam ſupra omnia Deus diligendus eſt. Gloriam, inquam, non qua beatus in ſe ille eſt, (hoc ei non deeſt) ſed ut ab hominibus colatur, magnificetur, glorioſus agnoſcatur, & prædicetur. Hoc enim ſignificat Verbum ſanctificare in hoc loco, honorare, glorificare, pio cultu & ſolemni celebrare. Ut Levit. 10. Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi. Cultus iſte latriæ dicitur & exhibetur, primo quidem fide, ſpe, & charitate: deinde voce, ut hymnis, canticis, & orationibus: tertio corpore, ut genu flectendo, erigendo, adorando: quarto bonis externis, ut thurificationibus, luminaribus, corollis, donariis, decimis, & ſimilibus rebus, animi pietatem coram Deo & Angelis ejus atque hominibus, conteſtantibus. Conſiderantes igitur beneficia, quæ a Deo accepimus, gratias agendo, votis omnibus deſideramus, ut pro dignitate ſua laudetur & glorificetur ab hominibus: ut gentibus omnibus innoteſcat nomen Dei noſtri: ut ad fidei Chriſtianæ confeſſionem nationes omnes conveniant: ut virtute Sancti Nominis ejus, quod invocatum eſt ſuper nos, mundentur peccatores ab impuris cogitationibus & operibus malis, & ſancti ſint ſicut ipſe ſanctus, id eſt, purus & mundus eſt. Denique ut luceat lux noſtra coram hominibus, ut videntes opera noſtra bona, glorificent Patrem, qui in cœlis eſt. Conſiderantes enim converſationem noſtram bonam, quam habemus inter gentes, glorificabunt Deum.

Adveniat regnum tuum.

HIc contemplatio fieri debet ex conſideratione futuræ fælicitatis. Cui ſi calamitoſam hujus vitæ conditionem opponamus: ſic ut ex una parte ſtatus noſtri miſerias, ex altera ſummam illius Patriæ cœleſtis & paternæ domus beatitudinem, bonorumque omnium inenarrabiles divitias, meditemur: mirum concipiemus amorem & deſiderium Regni cœleſtis. Ex meditatione autem hac, devotio generatur: ſine qua muta eſt, & ſine ſenſu oratio. Sed de oratione & devotione quidem poſtea. Nunc dicant ſimplices Clerici, verbum hoc: Regnum Dei, varia ſignificare in Scriptura Sacra. Significat Dei potentiam & providentiam, quibus omnia ille regit & moderatur. Sic dicitur Eſther 13. Domine Deus Rex omnipo-

nipotens: in ditione enim tua cuncta sunt posita. Significat singularem illam curam & providentiam, qua Deus tuetur specialiter pios ac sanctos homines. Sic dicitur Psal. 22. Dominus regit me, & nihil mihi deerit. Et Isaiæ 33. Dominus Rex noster, ipse salvabit nos. Regnum hoc Christus dicit Pilato non esse de hoc mundo: quia non a mundo acceperat, sed a Deo Patre. Psal. 2. Ego autem constitutus sum Rex ab eo super Sion montem Sanctum ejus: & sequitur, Prædicans præceptum ejus. Namque Regnum hoc Dei [ut inquit (z) Apostolus] est justitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto, id est, fides, spes, charitas: per quas virtutes, regni ejus participes efficimur, Deo subjecti in omnibus, & consecrati per sanctam religionem & gratiam. De hoc regno (quod justitia justificatorum est) dixit Christus: Regnum Dei intra vos est. Itaque qui in gratia Dei sunt per justitiam & gratiam gratum facientem: illi in regno Dei sunt. Quanquam & per fidem regnat Christus in omnibus, qui in gremio Ecclesiæ Catholicæ manent. Ergo gratia Dei regnum Dei dicitur, & fides etiam regnum Dei est. Sed per excellentiam regnum Dei gloria æterna: de quo Christus, Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum a constitutione mundi. & Joan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Et, Domine memento mei, quum veneris in regnum tuum. Petimus ergo uno modo, ut regnum Dei, quod est Ecclesia Christi, propagetur: conversis ad fidem Catholicam infidelibus. Petimus etiam, ut regnum Dei (id est, gratia) veniat ad eos, qui per peccata sua ab Deo distracti sunt. Petimus denique, ut solus regnet in nobis in gloria æterna & felicitate, quam nec oculus vidit, nec auris audivit, nec in cor hominis ascendit.

Fiat voluntas tua sicut in cælo, & in terra.

HÆc est tertia pars Orationis Dominicæ, in qua oblatio fit omnium actionum nostrarum animi, & corporis, & rerum: atque adeo nostri: ut his omnibus Deus utatur pro sua voluntate, non nostra, nisi grata sibi fuerit. [a] Non enim alii intrabunt in regnum cœlorum, nisi qui fecerint voluntatem Patris cœlestis. Si quid igitur in nobis boni est, cum a Deo sit, Deo offeramus, ut in eo fiat voluntas Dei. Si pauper sis, infirmus, ignobilis, abjectus, feras æquo animo: judiciumque tuum Divinæ subjiciens voluntati, dicito: Fiat voluntas tua. Consilium capiens in rebus agendis, invoca Dei auxilium, & dicito: Fiat voluntas tua. Orans pro te, vel alio quocunque, ut exaudiaris, dicito: Fiat voluntas tua. Meditans vel creationem, vel redemptionem nostram, vel justificationem, sic hæc omnia accepta refer Deo cum gratiorum actione, ut frustra nunquam collata tibi videantur: sed sicut ex Dei voluntate facta sunt, sic & facta esse gaudens, & in his conservari cupiens, dicito: Fiat voluntas tua. Fiat quoque voluntas tua per universum orbem terræ, sicut fieri credimus in cœlo. Hoc est, optamus, ut tibi sic obediatur ab hominibus in hac vita mortali, sicut in cœlesti patria coleris ab Angelis & beatis animabus. Quemadmodum illi sponte & cum gaudio tibi obtemperant, sic omnes mortales tibi pareant in hoc mundo, te colant & adorent non inviti. Particula hæc meditationis denuo materiam præbet, ut in consideratione officiorum, quæ Deo Sancti exhibent in cœlo, & peccatorum, quæ committunt homines in terra commorantes, cum oramus, devotionem in nobis augeamus & spem. O quam clarus est (canit Ecclesia nostra) sydereus locus Paradisi, in quo Sanctorum animæ gaudentes, triumphant cum Angelis, & alternis vocibus concrepantes, jubilant collaudantes Deum.

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.

HÆc jam mera postulatio est. Postulandi autem ea, quæ nobis necessaria sunt, formam hinc habemus, cum dicitur: *Da nobis hodie.* Primo quidem, ut non de nobis solum solicitos esse debere sciamus, (cum quid a Deo poscimus:) sed etiam de aliis. Ut in cura propriæ utilitatis, unusquisque de proximo suo etiam laboret. Mandavit enim Deus unicuique de proximo suo. [b] Bona quoque temporalia, quæ a Deo accipimus, in pauperum usus partienda putemus. Esurientium namque panis est [inquit Ambrosius] quem tu detines: nudorum indumentum est, quod tu recludis. Discimus deinde memores esse nostræ infirmitatis. Quid enim magis vanum? ut in dieculam vitam traducamus, egere cibo continuo! Docemur etiam, non esse curandum de crastino. Sufficit enim diei malitia sua. Aviculæ, licet solicitæ cibum quærant pro tempore necessarium: securæ tamen sunt futuri. Et formica exemplum præbet prudentiæ. Quæ colligere ac servare datur, ea bona non negligit: Pigri atque ignavi, illa eadem perire sinunt.

Per panem ergo nostrum primo intelligimus cibum, & potum, & vestitum, & domum,

(z) Rom. 14. (a) Matth. 7. (b) Eccl. 17.

domum, & medicinam, & alia omnia, quæcunque ad tuendam, tolerandamque vitam corporis noſtri neceſſaria habentur. *Noſtrum*, enim nobis neceſſarium ſignificabit. Ut Proverb. 30. Tribue tantum victui meo neceſſaria. Significabit etiam non fraude, furto, vel injuria quæſitum: ſed jure. Nam quæ malis artibus parta ſunt, illa noſtra non ſunt: cum ſint reſtitutioni obnoxia. Labores manuum tuarum, quia manducabis, beatus es (inquit David) & bene tibi erit. Quotidianum, id eſt, communem, non exquiſitum, non nimis delicatum, non multiplicem: qui magis ad luxum, quam ad replendam indigentiam conducat. Noſtri enim corporis natura fluida cum ſit, & caduca, ad ſubſtantiæ ſuæ reparationem alimento indiget aſſiduo: ciboque ac potu refici optat quotidie. Hunc ſenſum dictio Græca declarat ἐπιούσιον, quaſi diceret reparandæ ſubſtantiæ (quæ aſſidue defluit) apponendum. Sed hactenus de pane corporali dictum ſit. Eſt alius panis, qui de cœlo deſcendit: Corpus Chriſti in Euchariſtia: quo paſti ac ſaginati in hoc mundo, ad vitam reſurgemus æternam. Dici autem poteſt quotidianus, quod quotidie in Eccleſia conficitur: vel quod frequenter ſumendus veniat. Idcirco D. Ambroſius parum devotos increpat his verbis: Si quotidianus eſt panis, cur poſt annum illum ſumis? Aliter adhuc ſpiritualis cibus eſt Verbum Dei: proprium ac peculiare alimentum fidei & animæ: cujus ſæpe fame vexantur homines propter peccata ſua: ut eſt apud Prophetam (*c*) Amos. Emittam famem in terram: non famem panis, neque ſitim aquæ, ſed audiendi Verbum Domini.

Et dimitte nobis debita noſtra.

ET ſi dolor de peccatis præparatio eſt ad orationem: non contra naturam orationis tamen eſt, ſi & in principio, & in medio, & in fine meditationum omnium piarum reſumatur: cum memoria delictorum noſtrorum ſubinde recurrat, nec quisquam ſit, qui ab ea eximi poſſit. Omnes enim peccavimus: (*d*) nec eſt homo juſtus in terra, qui faciat bonum, & non peccet. Quis poteſt dicere, Mundum eſt cor meum: Purus ſum a peccato? Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt, inquit B. Joannes. Sed bene ſperemus, fideles. Nam qui peccata dimittit, ipſe idem poſtulare veniam docet. Chirographum decreti, quod contra nos erat, ſublatum eſt. Chriſtus ipſe peccata noſtra tulit. Debita noſtra ipſe exolvit. Dicit enim per Prophetam: Quæ non rapui, tunc exolvebam. Sed poſtulanda venia cum contritione: alioqui hæc nunquam obtineatur. Ad contritionem autem habendam hæc facient: Conſideratio turpitudinis atque fœditatis peccati: indignitas conditionis humanæ. Quam, inquam, indignum facinus, quod homo (cinis, lutum, putredo, fœtor, & fœditas) incomprehenſibilem Dei Majeſtatem audeat offendere: a quo procreati & liberati ſumus. Ex alia parte vero conſideremus, in cujus Domini nos ſervitutem peccando addiximus. Diaboli, principis tenebrarum, regis ſuperbiæ, patris mendacii. Vide, inquit apud Jeremiam (*e*), quia malum & amarum eſt, reliquiſſe Dominum Deum tuum, & non eſſe timorem mei apud te, dicit Dominus Deus exercituum. Conſiderabimus denique, quod cum debitores nos ipſi conſtituerimus per peccatum, tamen ſolvere per nos non poſſumus. Ideoque ad fontem miſericordiæ confugiendum Divinæ: & per Paſſionem Domini noſtri veniam petendam ex imo corde dicendo: Dimitte nobis debita noſtra.

Sicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

VIde hanc conditionem, Paſtor, ut odia & ſimultates diſſuadeas plebi tuæ. Nam veniam a Deo petimus: injuriam igitur noſtram proximo condonemus. Si [*f*] dimiſeritis (ait Dominus) hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra. Si autem non dimiſeritis hominibus: quid aliud ſequitur, niſi nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra? Tanti officii neceſſitatem demonſtravit Chriſtus Salvator noſter in illa, quæ eſt apud Lucam (*g*) luculentiſſima parabola hominis regis, & duorum ſervorum, quibuscum Rex ponere rationem voluit: horum enim unus, cui omnia remiſerat Rex, alterum ſuffocabat, exigendo decem denarios ſibi debitos. Ob quam inhumanitatem in carcerem miſſus fuit. Quin etiam proprium hoc legis eſt Evangelicæ mandatum, ut diligamus inimicos noſtros: ut ſi eſurierit inimicus tuus, cibes illum: ſi ſitierit, potes. Et apud Marcum: Cum ſtabitis ad orandum, dimittite, ſi quid habetis adverſus aliquem, ut & Pater veſter, qui in cœlis eſt, dimittat vobis peccata veſtra. Et Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, & recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adverſum te: relinque ibi munus tuum. Obſervent hæc, oro, Miniſtri omnes altaris. Caveant, obſecro, diſſidiis aſſueti, ne abſque reconciliatione cum fratre

(*c*) Amos 8. (*d*) Eccle. 7. Prov. 20. 1. Joan. 1. (*e*) Jerem. 2.
(*f*) Matth. 6. (*g*) Luc. 18.

fratre accedant ad altare. In Concilio ſiquidem Carthaginenſi oblationes diſſidentium fratrum neque in Sacrario, neque in Gazophylacio recipiendas eſſe, ſtatutum fuit. Quanto ergo minus ferendum, quod ad Sacrificium tremendum Chriſti venias, vix dum efferveſcente rixa? In dilectione proximi, ſimilitudo efflorescit Divinæ bonitatis. Ille enim morte Filii ſui unigeniti, reconciliari ſibi genus hominum elegit. Sic Matth. 5. hortatur Dominus: Orate pro perſequentibus & calumniantibus vos, ut ſitis Filii Patris veſtri, qui in cœlis eſt.

Et ne nos inducas in tentationem.

ULtima Orationis Dominicæ pars deprecationem continet periculorum, & malorum omnium, pœnæ & culpæ, quibus vita undique noſtra obſidetur. Nam qui omnibus momentis in periculo tentationis verſamur, æquum eſt, ut aſſidue oremus: *Ne nos inducas in tentationem.* Si namque vel momentum unum a Dei præſidio, & Angelorum ejus deſeramur, mox incidemus in manus diaboli, qui tanquam leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret. Infirmitas noſtra magna eſt: caro infirma: infirma memoria: infirma intelligentia: infirma voluntas: infirmi ſenſus: infirmæ vires omnes, quas natura dedit. Quare neceſſe eſt cadere in tentationibus multis hominem deſtitutum ope Divina. Exemplo nobis ſunt Apoſtoli. Et Petrus ipſe. Omnes ante tentationem animoſi: ſed Chriſti corporali præſentia deſtituti in illius paſſione, ad minimam tentationem defecere.

Non docet autem hic petere, ne tentemur (*b*): ſed ne in tentationem inducamur. Nam tentatio ſæpe utilis eſt. Beatus vir, inquit (*i*), qui ſuffert tentationem, quoniam cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ, quam repromiſit Deus diligentibus ſe. Videndum ergo hoc loco eſt, quid tentatio ſit, & quid induci in tentationem. Tentare (ut eſt in uſu) eſt periculum facere de aliquo, ut ab eo exprimamus aliquid, quod ſcire cupimus. Sed hic tentandi modus non cadit in Deum: quia omnia nuda ſunt & aperta oculis ejus. Eſt aliud tentandi genus, cum de longe progrediendo, aliud quid quæritur oblique, ut aliud obtineatur. Idque poteſt & in bonam & in malam partem fieri. Ut in bonam quidem, quando tentatur virtus alicujus ad hoc, ut illa cognita & præmio donata, exemplo eſſe poſſit aliis, unde laudem conſequantur & virtus, & virtutis remunerator. Hoc modo Deus tentat aliquando. Ut Deut. 13. Tentat vos Dominus veſter, ut palam fiat, utrum diligatis eum, an non. Hoc modo tentavit Dominus (*k*) Abraham, quando filium immolare juſſit. Sed in malam partem tentantur homines, cum ad peccatum vel exitium aliquod inde impelluntur. Quod proprium diaboli eſt: (*l*) Deus autem intentator malorum eſt. Tentat autem diabolus multis modis. Nunc intrinſecus animi affectus & paſſiones accendens: nunc extrinſecus, res ad eaſdem animi commotiones idoneas ſubminiſtrans, jucundas vel moleſtas. Uti nunc per malos homines, nunc per res alias naturales occaſiones ſuggerens cadendi. Quales ſunt hæretici, falſi doctores, inimici, lenones, meretrices, ſicarii, latrones, paraſiti, adulatores, delatores, cupediarii, proxenetæ, & alii id genus. Induci autem dicimur in tentationem (id eſt, tentationi ſuccumbere) duobus modis. Primo, cum in id ruimus malum, in quod, tentando nos, aliquis impellit. Atque hoc quidem modo Deus neminem tentat. Secundo, cum is, qui impedire poteſt, ne ſuccumbas, non impedit. Hoc modo Deus tentari ſinit & bonos & malos: Sed ſua gratia quosdam non deſerit, alios interdum juſto judicio (ſceleribus ipſorum id exigentibus) ſibi ipſis relictos cadere permittit: ita ut peccatum pœna peccati dicatur. Tertio, inducere nos in tentationem dicitur Deus, quando beneficiis, quæ nobis ad ſalutem ille dedit, nos ad perniciem noſtram abutimur, illo permittente: ut dotibus ingenii, bonis corporis, & fortunæ. Sic Exod. 47. Indurabo, inquit, cor Pharaonis. Eſa. 6. Excæca cor populi hujus. Rom. 1. Tradidit illos in reprobum ſenſum: id eſt, permiſit indurari, excæcari, tradi. Atque hæc quidem hactenus ex Catechiſmo & Doctoribus Scholaſticis. Alia quædam in eodem Catechiſmo invenies, facientia ad exhortationem & conſolationem infirmorum agonizantium, & in tentationibus quibuscunque.

Sed libera nos a malo, Amen.

POteſt in hoc ultimo articulo Orationis Dominicæ, tanquam in Epilogo deprecatio fieri omnium malorum, quæ nobis accidere poſſunt. Quam etiam cum Chriſtus Magiſter noſter, doceat: eam habere ſemper debemus in ore, atque in mente, ubicumque mali quid immineat: ſive ab aqua, ſive ab igne, ſive a fulgure, a grandine, bello, peſte, fame, ab inſidiis, a criminibus, ab inimicis, & aliis quibuscumque: a quibus omnibus liberare invocantes ſe, ſolet Deus omnipotens. Et inter alia magnæ conſolationi

(*b*) Ex Catech. Rom. (*i*) Jacob. 1. (*k*) Gene. 22. (*l*) Jacob. 1.

tioni ſunt afflictis Pſalmi Davidici, ut Pſalm. 33. Benedicam Dominum in omni tempore. Et Pſalm. 106. Confiteantur Domino omnes miſericordiæ ejus. In hoc Pſalmo graphice enarrat David, quomodo liberare ſoleat ſuos Deus a periculis & tribulationibus quibuscumque: veluti ab errore viæ, a carcere, ab infirmitate, naufragio, exilio, ſterilitate terræ, a tyrannide malorum Principum. In quibus (inquit) clamaverunt ad Dominum cum tribularentur: & de neceſſitatibus eorum liberavit eos. Confiteantur Domino miſericordiæ ejus, & mirabilia ejus filiis hominum. Cæterum, quia in principio hujus expoſitionis diximus commorationem fieri in hoc membro: unamque eſſe deprecationem in tota hac diaſtole, Ne nos inducas in tentationem, ſed libera nos a malo: ut hujus ſententiæ cauſas intelligas, ſcito vocem Græcam eſſe ἀπὸ τοῦ πονηροῦ. Gallice: *Du mauvais & meſchant.* Ideo & magnus Baſilius, & Chryſoſtomus, & Auguſtinus, & alii de diabolo interpretantur & intelligunt: de malo, inquam, dæmone, qui nobis uſque inſidiatur & male cupit. Quare cum generaliter dixerimus, Ne inducas nos in tentationem: (quia maximæ quæque tentationes nobis fiunt a dæmone) non immerito certe in eadem ſententia & oratione perſeverantes addimus, Sed libera nos a malo, hoc eſt, a malo diabolo, malorumque authore, Amen. De voce (Amen) ſupra in Symbolo ſigni Crucis. Atque hæc quidem ſatis hoc loco: plura de oratione & devotione ſuo loco.

STATUTUM I.

STatuimus igitur, & ordinamus, ut Paſtores doceant diligenter, & exponant frequenter Orationem hanc Dominicam: hortantes omnes (a maximo uſque ad minimum) ut teneant eam memoriter. Et ſciant veram eſſe orandi formam traditam nobis a Chriſto. Alioqui pro Catholicis non eſſe habendos, qui quotidie eam non dixerint.

DE SALUTATIONE ANGELICA.

MARIA Virgo DEI Genitrix, Mater Chriſti Beatiſſima, compellari ſolet ſpes noſtra: non ſane, ut cui ſalutis noſtræ meritum adſcribamus, (hic enim ſolus eſt Chriſtus JEſus, qui ſalvum facit populum ſuum a peccatis eorum) ſed qui peccatorum conſcientia deterriti non audemus aliquando ſine interceſſore Deum interpellare: ejus gratia confiſi, qua apud filium valet, non veremur petere veniam delictorum: ſperantes nos ejus precibus & meritis juvari, & apud filium admitti: ut quam ſibi Matrem electam, præ omnibus ille dilexit, & magnificavit.

Gratiſſima igitur Salutatione Gabrielis Archangeli frequenter veteri more Eccleſiæ Virginem Sacratiſſimam [gratias agentes Deo de Filii ſui Incarnatione] alloquamur: *Ave Maria, gratia plena, Dominus tecum. Benedicta tu in mulieribus.* Ex verbis Elizabeth adjicientes, *Et benedictus fructus ventris tui.* Et ex Eccleſiæ ritu, *JEſus Chriſtus, Amen.*

Et quamvis hac Salutatione ſufficienter petitur, quicquid impetrare cupimus ab eo, qui vota noſtra & cogitationes novit: tamen addi ſolet, non absque pietate, *Sancta Maria, Dei Genitrix Virgo, ora pro nobis peccatoribus, Amen.* Nec raro experti ſunt Chriſtiani Divinum auxilium contra hoſtes fidei per hanc orationem, quam fideles genibus flexis dicere conſueverunt ad ſignum campanulæ ſub noctem.

Hac oratione fidem profitemur Incarnationis Filii Dei: in ſpem erigimur veniæ peccatorum noſtrorum per Chriſtum: & laudes Mariæ magnificantes, in amorem Divinæ Trinitatis Patris, & Filii, & Spiritus Sancti accendimur. Contra hæreticos etiam confitemur ejus virginitatem & partum, & gratiam, qua valet apud Deum Patrem: ut merito a nobis invocari ſoleat.

STATUTUM I.

STatuimus igitur, & ordinamus, atque præcipimus, ut Curati doceant & hortentur ſuos Parochianos dicere Salutationem hanc Angelicam ſingulis diebus cum aliis ſuis orationibus: maxime vero, quoties audierint dari ſignum per campanulam hora veſpertina.

L'ORAISON DOMINICALE, expoſée en vulgaire.

PAter noſter.) *Noſtre Pere. O Dieu tout puiſſant, je t'apelle Pere, ainſi que noſtre Seigneur JEſus Chriſt m'a enſeigné de prier: non ſeulement pour recognoiſtre vrayement, que Tu es noſtre Createur, qui nous as enge-*

Digitized by Google

engendre, & faict de rien: mais encore à celle fin, que mes prieres soyent accompaignées de foy, d'esperance, & charité. Car si Tu es nostre Pere, ne refuseras ce que scais estre pour le prouffit de tes enfans. Et je l'espere ainsi. Nous serions aussi meschans enfans, & desprouveuz de sens, si ne t'aimions de bon cueur, estant nostre Pere. Et si n'avions l'amitié à nostre prochain, que bons enfans d'un mesme Pere doivent avoir entre eux: comme oserions nous Te prier avec asseurance? Tu nous rejecterois, comme enfans supposez, ne Te ressemblans en rien. Doncques puis que Tu es nostre Pere, & nous sommes Tes enfans, nous Te supplions, au nom de JEsus Christ ton filz naturel & nostre frere par adoption: ne refuse point nostre priere.

Qui es in cœlis.) *Qui es és cieux. Je leve mes yeux, & mes mains au ciel: & là je contemple Ta majesté: bien que par essence, puissance, & presence Tu sois par tout. Car je ne veoy en ce monde lieu plus noble, ne creature plus admirable, que le ciel. Duquel outre sa resplendeur & mouvemens admirables, toutes choses corporelles nous voyons estre gouvernées cy bas.*

Sanctificetur Nomen tuum.) *Ton nom soit sanctifié. Pour les biens, que recevons de Ta grace & bonté, je Te rens graces: desirant, que Ton nom & honneur soyent celebrés par tous les hommes. Pour certain Tu es sainct, & la fontaine de toute saincteté: mais les hommes n'entendans la verité, souvent Te blasphement & deshonnorent. Ceux qui sont deputez pour le Divin service, ne font rien moings: nostre meschante vie Te faict estre mesprisé, & Ta doctrine en est calumniée entre les infideles, superstitieux, heretiques & mescreans. Fais doncques, que Ton nom soit honoré & beny par tout, avec la cognoissance que Ton Esprit Sainct donnera de Ta majesté & gloire.*

Adveniat regnum tuum.) *Ton royaume advienne. Quand je pense aux miseres de ce monde, & d'autre costé je considere la beatitude & royaume du ciel, que nous as preparé, & promis: je suis ravy du desir de le veoir. Commence doncques par Ta grace, regir & gouverner nos cœurs en ce monde, nous delivrant de la tyrannie du pechè, à celle fin que puissions bien tost parvenir au royaume de la vie eternelle: & r'amene au troupeau de Ton fils JEsus Christ tous ceux, que Tu as preparé à icelluy.*

Fiat voluntas tua.) *Ta volonté soit faicte. Je T'offre mon ame, mon corps, tous les biens, que Tu m'as donné: les remettant tous à Ta disposition & bonne volonté. Enseigne moy ce que Tu veux, que je face.*

Sicut in cœlo & in terra.) *Ainsi en la terre comme au Ciel. Retournant à contempler la gloire de Ton royaume celeste, & considerant l'honneur, l'obeissance, la charité, que les Anges & esprits bienheureux Te portent: & d'autre part les pechez & desobeissance, que je cognoy au monde: O que je vouldrois, que Tu fusses obey par tout l'univers, comme Tu es au Ciel.*

Panem nostrum quotidianum da nobis hodie.) *Donne nous aujourd'huy nostre pain quotidian. Or je Te prie & demande, non pas pour moy seulement, mais pour mon prochain aussi: ny Te demande chose par curiosité, ou volupté superflue, mais ce qui nous est necessaire au jour la journée, c'est nostre nourriture simplement, & ce qu'il faut pour nostre vie corporelle & debile: tant qu'il Te plaict, que nous arrestions en ce mortel monde. Et comme nostre ame aussi a besoin d'estre souvent repue spirituellement: donne luy souvent Ton pain mystique. Donne nous, dis je, la grace de recevoir souvent le Sacrement de ton Corps precieux, duquel nous prenons l'estre supernaturel. Oste nous aussi la faim de ta parolle, par bonne & saine doctrine: qui est une autre norriture de nostre esprit.*

Et dimitte nobis debita nostra.) *Et remect nous nos debtes. Avec repentences, & douleurs, je m'accuse de tant d'offenses, & pechez, que j'ay commis contre Toy & Ton honneur. Je declare mon ingratitude. Je n'ay rendu le fruict des graces & biens, que Tu m'as faict. Je confesse mon debt. Je suis tenu justement à reparation condigne. Mais, helas! Je n'ay moyen d'y satisfaire, ny personne de nous. Pardonne nous: use envers nous de misericorde.*

Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.) *Comme nous les remettons à nos debteurs. Nous pardonnons à Tous ceux, qui pareillement nous sont obligez, & les quictons de leur offense pour l'amour de Toy: Nous le Te promettons. Nous ne serons cruels exacteurs, ny oppresseurs de pauvres: car leurs clameurs montent au ciel. Nous ne chercherons point nostre vengence: car Ton benoit Fils JEsus, nous a dict plusieurs foys, que*

ſi ne pardonnons à autruy, Tu ne nous pardonneras point. Et a commandé, que nous aymiſſions, non ſeulement nos amys, mais auſſi nos ennemys: & qu'en ce faiſant, nous monſtrerions, que ſommes Tes vrays enfans. Je penſe bien ſouvent en cela: & propoſe me reconcilier à mon frere Chreſtien: meſmes avant que faire aucune offrande ou oraiſon, ſi je m'apperçois, qu'il ait juſte querelle contre moy.

Et ne nos inducas in tentationem.) *Et ne nous induy point en tentation. Noſtre vie eſt environnée de tant de dangers, [je dis tant ſpirituels, que corporels] que ſi un ſeul moment Tu nous delaiſſes, incontinant trebucherons en peché, ou en quelque malheur. Le diable veille nuict & jour, pour nous ſurprendre: Noſtre chair eſt foible: les vanitez du monde ſe preſentent à tout inſtant: qui ne tombera doncques? Qui ſe pourra garder de peché, ſi de Ta grace ne nous ſouſtiens? Ne permets donc, que les mauvaiſes tentations nous ſurmontent: ne nous laiſſe ſuccomber en icelles, ou tomber aux perils d'icelles.*

Sed libera nos a malo.) *Mais delivre nous du mal. En ſomme, mon Dieu, je Te prie contregarde de tous dangers & inconveniens noſtre ame & noſtre corps, noſtre bonne renommée, & tous les biens que de Ta liberalité nous as donné. Et pource que par la malice du diable (noſtre capital ennemy) toutes ſortes d'eſcandales nous ſont propoſez: nous Te ſupplions, delivre nous des mains de ce meſchant, cautcleux & mauvais Satan.*

Amen.) *Amen. Je le dis de bon cœur, & en verité: & t'en requiers, par ton benoit fils JEſus Chriſt, (lequel eſt la meſme & infaillible verité) exauce ma priere: qu'il ſoit ainſi, comme nous en avons la confidence.*

LA SALUTATION ANGELIQUE.

AVE MARIA.) *Salut & joye Marie. Je Te ſalue volentiers & honore, des meſmes parolles que l'Ange Gabriel uſa, quand envoyé de la part de la Saincte Trinité, t'annonça l'Incarnation du Fils de Dieu, le Verbe eternel. Car je tiens que n'adreſſant à toy, je ne ſcaurois dire mot plus agreable, que celuy, par lequel toute joye, & tout bien, eſt venu au monde.*

Gratia plena.) *Pleine de grace. Non ſans cauſe l'Ange Te ſalua par un tel mot. Car Tu es pleine de grace, & lieſſe: Tu es toute belle & gratieuſe. Il n'y a faute en toy aucune, ne peché. Et pource Dieu juſtement t'a choiſie pour ſon eſpouſe, & a voulu que ſon Fils unique fuſt conceu en toy. Le Sainct Eſprit t'a ſanctifice, & ſi vamplie de ſes dons de grace, que je ne penſe trouver creature, qui ſoit plus agreable à Dieu, que toy. Et ſi JEſus Chriſt, autheur de ta grace & juſtice, eſt en ton ſainct ventre: qui m'empeſchera de t'appeller pleine de grace?*

Dominus tecum.) *Le Seigneur avec toy. Noſtre Seigneur eſt par grace en ton ame: & il ſera corporellement en ton corps ſanctifié: & t'aſſiſtera en toutes choſes. Pource je Te ſalue de rechef en ceſte façon, (accouſtumee aux Patriarches & Prophetes) comme deſirant que Dieu ſoit touſiours avec toy, ainſi qu'il eſt.*

Benedicta tu in mulieribus.) *Tu es benite entre les femmes. Tu es bien heureuſe ſur tout le gendre fœminim. Et bien heureuſe Te diront toutes les generations.*

Et benedictus fructus ventris tui.) *Et beny le fruict de ton ventre. Juſques icy j'ay recité les paroles de l'Ange. Maintenant j'uſeray de celles, que Te dict ta parente, Saincte Elizabeth. Tu es benite, & benit eſt le fruict de ton ventre, qui eſt JEſus Chriſt noſtre Sauveur. Je le benys, glorifie, & adore, comme mon vray Dieu.*

Sancta MARIA Mater DEI.) *Saincte Marie mere de Dieu. Je t'invoque Marie mere de Dieu. Combien que ton fils ſelon la Divine nature n'a point de mere: (ſeulement ſon Pere celeſte) toutesfois, pour l'union de la nature humaine avec la Divine [eſtant Dieu & homme] nay de ta perſonne, il t'a meritoirement honorce de ce nom de mere de Dieu.*

Ora pro nobis peccatoribus.) *Prie pour nous pecheurs. Par ceſte tant magnifique Salutation nous pouvons demander à Dieu toutes choſes: [qui entend ſans paroles auſſi bien, que par paroles, noſtre intention & deſir] neanmoings ſelon l'ancienne couſtume & loxable de l'Egliſe, je te requiers auſſi, que Tu pries pour nous pauvres & miſerables pecheurs. Car comme honteux de noſtre infamie, n'oſons nous approcher de Dieu, craignans ſon ire: mais toy qui luy es ſi agreable, ſoys noſtre advocate. Propoſe noſtre demande devant ſa majeſté, Amen.*

DE

DE PRÆCEPTIS DECALOGI.

Sicut diximus fidem augeri & ſtabiliri frequenti meditatione Symboli, & ſpem Oratione Dominica : ſic etiam charitatem ſervare cupientes, aſſidue meditari nos oportet in Præceptis Decalogi. Finis enim legis eſt charitas. (*m*)

Hæc decem Præcepta Dei in veteri teſtamento data fuerunt Moyſi & populo Iſraelitico in monte Sinai, in duabus illis tabulis lapideis, de quibus in Exodo & Deuteron. [*n*] In prima tabula numerant Sancti Doctores tria præcepta, quibus docemur, quales nos præſtare debemus erga Deum : in ſecunda vero ſeptem, quales erga proximum. Quanquam Hebræi ultimum ex duobus faciunt, & primum ſeparant in duo : videlicet, Ego ſum Dominus, eſt præfatio. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde, &c. &, Non adorabis Deum alienum, primum præceptum. Secundum, Non facies tibi ſculptile, ut adores, &c. Sic numerant quatuor in prima tabula, & ſex in ſecunda. De vi autem, & utilitate, atque neceſſitate hujus legis, lege Catech. Romanum. Sed tu in lege Moſaica ſcito, præcepta quædam fuiſſe moralia, quæ naturalis ratio nos docet, & naturæ leges appellamus : qualia ſunt Decem hæc. Alia erant cæremonialia, de ritu colendi Dei : quæ antiquata ſunt. Alia judicialia, quæ in judiciis obſervabant Judæi.

PRIMÆ TABULÆ PRÆCEPTA.

PRIMUM.

EGo ſum Dominus DEUS tuus. Non habebis Deos alienos coram me. Non facies tibi ſculptile, neque ſimilitudinem, &c. non adorabis ea, id eſt, ut adores ea.

II.

Non aſſumes nomen Dei tui in vanum.

III.

Memento, ut diem Sabbati ſanctifices.

SECUNDÆ TABULÆ PRÆCEPTA.

IV.

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram.

V.

Non occides.

VI.

Non mœchaberis.

VII.

Non furtum facies.

VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

IX.

Non concupiſces uxorem proximi tui.

X.

Non domum, non agrum, non ſervum, non ancillam, non bovem, non aſinum, & univerſa, quæ illius ſunt.

PRimum Præceptum declaravit Chriſtus: Dominum Deum tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Et rurſum, Spiritus eſt Deus, & eos, qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Apoſtolus quoque: Scimus, quia nihil eſt idolum in mundo, & quod nullus eſt Deus, niſi unus. Prohibetur hoc præcepto omnis idololatria, & ſuperſtitio Deorum vanorum.

Item prohibentur obſervationes omnes ſuperſtitioſæ, & artes magicæ, atque divinatoriæ: ut ariolorum, aruſpicum, & quorundam aſtrologorum, qui juxta vias gentium a ſignis cœli metuunt. In his ſiquidem omnibus ſuperſtitioſi relicto Deo, (quem tota mente colere deberent per Fidem, Spem, & Charitatem,) Fidem adhibent authori, patrique mendacii diabolo, cui in Baptiſmo renunciarunt.

Item exigitur a nobis hoc præcepto, ut nullam prorſus creaturam, quantumvis excellentem, pro Deo habeamus : ſolum autem unum, verum, æternum, immenſumque Deum credamus, & confiteamur: cui ſummus honor, & ſingularis ille cultus latriæ tribuitur : hoc eſt, in quem credimus, in quem ſperamus, quem ſupra omnia (ut ſummum bonum) diligimus.

Hunc ergo ſupra omnia colamus, invocemus, adoremus, amemus, & revereamur: unum quidem in ſubſtantia, ſed trinum in perſonis, Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum. Sanctos tamen colimus veneratione duliæ: & invocamus absque peccato idololatriæ: veluti amicos electos Chriſti, qui noſtra fœlicitate gaudent, & pro nobis orant: ut ſunt Angeli, & Sanctorum animæ in cœlo. Nam (ut tradit D. Auguſtinus) populus Chriſtianus memorias Martyrum religioſa

(*m*) 1. Timo. 1. (*n*) Exod. 20. Deuter. 5. Exod. 32. 34. Deuter. 9. 10.

Digitized by Google

gioſa ſolemnitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & ut meritis eorum conſocietur, atque orationibus adjuvetur. Non ergo ethnicorum more adoramus Sanctos, tamquam Deos: quamquam etiam Dii appellantur aliquando. Sed unum ſcimus Sanctum Sanctorum Deum, Omnipotentem, qui in Sanctis ſuis vult honorari: qui per Sanctos, & propter ipſos multa largitur mortalibus, & parcit ſæpe immerentibus, ut patet de Abraham, Iſaac, Jacob, David, Hieremia: quos etiam defunctos profuiſſe vivis legimus. Quare non immerito Doctores Eccleſiæ, Sanctos appellant Patronos, Interceſſores, Suffragatores, & ſimilibus epithetis. Dicitur enim Apocalypſ. 8. Et aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sanctorum. & c. 5. Habentes citharas & phialas aureas plenas odoramentorum, quæ ſunt orationes Sanctorum, quod declaravit Raphael, Tob. 12. Cum orabas, inquit, orationem tuam ego offerebam Domino. Invocavit quoque Angelos Jacob, Geneſ. 48. & Geneſ. 32.

Corpora quoque Sanctorum, quæ Templa fuerunt Spiritus Sancti, & Reliquias alias, deoſculamur, & veneratione proſequimur: non aliter, quam ex amoris abundantia ſolet ſponſi abſentis nova nupta veſtes, & res alias ab eo miſſas, vel relictas: quod & ſponſo gratiſſimum eſſe ſolet, quando tam multa cognoſcit amoris ſigna. Sic & Deus multos exaudivit ad ſepulchra Martyrum ſe invocantes: multa edidit miracula in gratiam Sanctorum: ita ut dæmones expellantur, infirmi ſanentur, corpora Sanctorum tacta vel venerata (ut D. Nazianzenus loquitur) eadem præſtent, quæ & ſanctæ animæ.

Uſum quoque imaginum Apoſtolica traditione acceptum inſtar librorum laicis & idiotis eſſe Sancti Patres tradiderunt, ubi Redemptionis noſtræ myſteria, & Sanctorum facta leguntur: ita ut quæ ſenſibus non percipimus, pia mente veneremur: non ipſos quidem lapides, aut ligna (nullo ſenſu prædita) ſed prototypum ipſum, & id, quod per imaginem repræſentatur. Si quærat aliquis, ubi invenitur adorandam eſſe imaginem Chriſti? reſponde: ubi dicitur, Adorent eum omnes Angeli ejus. Siquidem imago & prototypon, unum ſunt: non utique natura, ſed relatione & σχέσει, id eſt, habitu. Nam licet æquivoce dicantur nomina rerum atque imaginum: nomina tamen ſunt eadem. Et in imagine Regis, Regem quaſi intuemur. Et Deum verum in crucifixi forma adoramus. Jam enim qui Dei nullam ſimilitudinem facere poteramus, poſtquam Deus homo factus eſt JEſus Chriſtus: nihil prohibet quominus Chriſti imaginem nunc faciamus, & adoremus. Audito nomine JEſu, omne genu flectitur: [quia Chriſto debetur ille honos] ita viſa ejus effigie, & alio paſſionis ejus pariter certo monumento, humiliamur. Audito nomine Cæſaris, caput aperimus: cur non item conſpecta Virginis glorioſæ imagine? Si Philoſophis præcellentibus & ducibus fortiſſimis, viris & mulieribus claris, tabulæ atque ſtatuæ ponuntur: quid minus meruere Martyres & Virgines ſacræ, ac Confeſſores alii, quorum exemplis Eccleſia Chriſti ad hunc uſque diem decoratur?

Non profecto ſimpliciter prohibentur hoc loco imagines: ſed imagines gentilium Deorum, ut colantur. Non tulit Deus præceptum contra præceptum, nec in eo fuit unquam, eſt, & non: quod certe feciſſet, ſi omnino atque ſimpliciter, rerum imagines prohibuiſſet. Siquidem, Num. 21. ſerpentem æneum in deſerto fieri juſſit, quem Moyſes exaltavit in figuram Chriſti, ut Joannes docet ipſius Chriſti teſtimonio. Et Exod. 25. Duo Cherubin fieri mandat, de medio eorum reſponſa daturus. Salomon Dei juſſu bovis & aquilæ, & hominis, & Cherubin ſimulachra conflavit: Si idololatriæ cauſa eſſent omnes imagines, putas mandaturum DEUM?

STATUTUM I.

STatuimus, & ordinamus, ut Curati ſingulis diebus Dominicis declarent excommunicatos omnes ariolos, ſortilegos, divinos & magicos: qui artes a dæmone inventas exercent. Item omnes hæreticos & ſchismaticos, & fautores eorum. Et in crimine hæreſis occultæ, ſolis Epiſcopis eſſe reſervatam abſolutionem, non etiam Vicariis.

II.

Curati doceant populum, ſolum Deum adorandum adoratione latriæ: Sanctos vero dulia colendos, qui non ſunt ipſi Deus, ſed ſervi Dei, & creaturæ ejus: quorum interceſſione & ſuffragiis juvari poſſumus, & poſtulamus.

III.

Imagines quoque doceant Curati & Paſtores non eſſe ſuperſtitioſe colendas: luminaria, thurificationes, genuflexiones, & ſimiles honores, qui exhibentur ipſis, in prototypum referendos

Digitized by Google

dos esse : sicut Sancta Generalis septima Synodus & Patres docuerunt.

IV.

Inventas de novo Reliquias venerari non liceat, nisi a Sede Apostolica, atque Ordinaria approbatas. (o)

SECUNDUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non assumes Nomen Dei tui in vanum.

HOc secundum Præceptum declaravit Salvator, quando præcepit non jurare omnino, neque per cœlum, neque per terram, neque per Hierusalem, neque per caput nostrum: sed tantum ut sit sermo noster, est est, non non. Nam quod his abundantius est, a malo est. Quæ Christi verba faciunt Judæorum falsam opinionem fuisse, ut putarent, quocunque modo bonum esse jurare, etiam in familiari sermone, dummodo id citra mendacium fieret. Sed fallebantur. Nam præceptum Dei est: Non assumes nomen Dei in vanum: id est, temere, sine consilio, vel contra veritatem. Magna enim irrogatur injuria Deo, quem vanitatis tuæ testem profers: putans eum vel latere, quæ dicis, quæ insciliæ nota est: vel probare, quæ est improbitatis.

Itaque quatuor modis contra hoc præceptum peccatur. Primo quando nomen blasphematur per execrationes Dei, Mariæ Virginis, & Sanctorum: ut in gravi dolore, & in ludo fieri videmus, cum injuria maxima Divinitatis: cum tamen in Oratione Dominica, ut sanctificetur nomen Dei postulemus: & Sacræ Literæ adeo ab hoc scelere abhorrendum innuant, ut ne verbum blasphemare quidem aliquando ponant, sed pro eo contrarium, nempe benedicere, ut Job. 1. & 2. 3. Reg. 21.

Item quando quis jurat per diabolum, vel per Mahometem, vel per idolum, aut Deum gentium: blasphemiam committit: quia cultum latriæ Deo debitum, per juramentum impendit creaturis. [p] Secundo peccatur, quando cum juramento falsum aliquid affirmamus, vel negamus. Item peccant in hoc præceptum, qui temere absque consideratione jurant, & se devovent diabolo. De quibus Sapiens: Non assuescat os tuum jurationi. (q) Vir enim multum jurans replebitur iniquitate, & a domo ejus non recedet plaga.

Peccant & in hoc præceptum, qui vota Deo facta, aut fidem proximo datam, non servant: quia nomen Dei in vanum acceperunt. Displicet Deo infidelis & stulta promissio, inquit idem Sapiens. (r)

Peccant & qui Sacram Scripturam, in qua nomen Dei celebratur, ad sensum prophanum vel hæreticum detorquent. Non pollues nomen Dei tui. Levit. 19.

Non damnatur tamen jusjurandum omnino: maxime si habeat illas conditiones, quas requirit Propheta Hieremias, nempe ut fiat in judicio, justitia, & veritate, omnis enim controversiæ finis ad confirmationem & juramentum: & Psal. 62. Laudabuntur omnes, qui jurant in eo. Est jusjurandum (teste (s) Cicerone) affirmatio religiosa. Quod autem affirmate, quasi Deo teste, promiseris, id tenendum est. De dispensatione juramenti infra.

TERTIUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Memento, ut diem Sabbati sanctifices.

PEr Sabbatum intelligimus in lege Evangelica, non feriam septimam, & ultimam hebdomadis, [ut in lege Mosaica, quod fuit cæremoniale] sed diem Dominicam, in qua Christus resurrexit: quæ prima erat feria post Sabbatum, & primum Sabbatum, vel prima Sabbati appellata. In hoc debet animus noster curis hujus mundi vacuus, ad cultum Dei interiorem & exteriorem se transferre: illic quiescere: Divina meditari, & Sacra tractare: Missam audire & Concionem: Eucharistiam devote sumere, & Deum per pœnitentiam & orationem demereri. Nam quomodo observari debeat hoc præceptum, & quomodo in ipsum peccetur, voces ipsæ declarant. Nam Sabbatum quietem significat Hebræis, ac cessationem: & sanctificare est sancte, religiose, devote, pieque celebrare, atque adimplere.

Peccatur ergo contra hoc præceptum duobus modis: primo per quodcunque opus servile absque necessitate factum: puta opus mechanicum, & per negocium sæculare, tam in foro judiciali, quam mercatorum. (t)

Deinde peccatur, quando in diebus Festis, & ad pietatem institutis [in quibus tota debe-

(o) Innoc. III. de Reliq. & Ven. (p) S. Thom. 2. 2. q. 13. & q. 89.
(q) Eccles. 23. (r) Eccles. 5. (s) 3. Offic. (t) Levit. 23.

debemus ad animæ ſalutem attendere] luxuriæ, ebrietati, ludo, maledictis, rapinis, cædibus, fraudibus & dolis, aliisque vitiis & peccatis indulgetur. Nam per hæc non ſanctificatur Sabbatum, ſed potius polluitur. (u)

Cum ſit vero nomen Sabbati etiam generale, per ipſum nos intelligimus quoque Feſta omnia, ab Eccleſia inſtituta & præcepta, tam ad honorem Sanctorum, quam ad memoriam noſtræ Redemptionis: in quibus populus in Eccleſiam convenire debet ad audiendum Verbum Dei, pſallendum & ſacrificandum Deo, orandum, & opera charitatis exercendum omnis generis. Multum enim facit ad charitatem augendam in populo ipſa feſti celebritas, & fidelium cœtus: ubi ſe mutuo vident, ſalutant, alloquuntur, una Deum orant, & quaſi communi voce compellant: Coimus [inquit Tertullianus] in cœtum & aggregationem, ut ad Deum quaſi manu facta precationibus ambiamus. Sanctorum feſta celebrare hortatur Apoſtolus Heb. 13. Mementote Præpoſitorum veſtrorum, qui vobis loquuti ſunt Verbum Dei: quorum intuentes exitum, converſationis imitemini fidem. Sed de Feſtis & computo Eccleſiæ, infra in 4. Præcepto Eccleſiæ.

QUARTUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Honora Patrem tuum & Matrem tuam, ut ſis longævus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

HOc primum eſt præceptum ſecundæ tabulæ, in qua ponuntur ea, quæ ad charitatem proximi pertinent, & ad tuendam humanam ſocietatem. Nam ſuperiora eo ſpectant, ut verum Deo cultum exhibeamus, interiorem & exteriorem, privatim & publice: ſequentia, quo modo nos erga homines habere debeamus.

Declarat autem Chriſtus, quis eſt hic honor, quem parentibus debemus. Non ſane verbo tenus honorare, revereri, & obedire jubemur: ſed curam etiam habere eorum, & eos alere. Exemplo quoque ſuo docuit, quando ſubditus fuit eis: ut teſtatur Lucas Evangeliſta. (x)

Hoc præcepto commendatur nobis pietas, & obſervantia erga parentes noſtros, & omnes eos, quibus debemus obedientiam: quales ſunt Prælati Eccleſiæ, & omnes, quos vocamus Patres Spirituales: Superiores quoque temporales, quacunque in dignitate conſtituti ſunt: & qui privatim noſtri curam gerunt, ut tutores, pedagogos, maritum uxor.

Hoc ſolum præceptum habet adnexam repromiſſionem. Nam & e contrario qui parentibus ſuis non obedierunt, infælices multos habemus in Sacris Literis. Ut Cham, qui patrem ſuum deriſit, maledictus fuit in ſemine ſuo. Ruben quoque maledictus. Filii Heli, qui patris monita noluerunt audire, mox bello interfecti ſunt. Abſalon, qui patrem eſt perſequutus, male periit. Filii duo Sennacherib parricidæ, non pervenerunt ad regnum Patris. Benedictiones autem, quas conſequuntur, qui pietatem erga parentes colunt, lege Eccleſi. 3. cap. Et maledictiones quoque, Levit. 20. Deut. 27. & Proverb. 19. 20. 28.

Ad amandum parentes noſtros inducunt hæc. Quod ab iis vita nobis data eſt: iis Deus uſus eſt, uti nobis animum, mentemque impertiret: ab iis ad Sacramenta deducti ſumus & ad religionem: ad humanum cultum & civilem inſtituti: ad morum integritatem eruditi. Item quod tanto nos ipſi amore proſequuti ſint & affectu, ut nullum laborem, nullum periculum, nullam moleſtiam pro nobis detrectaverint. Et ſicut filii debent obedire parentibus per omnia [ut B. Paulus docet] ſic etiam parentes debent erga filios paternam charitatem oſtendere, bona eorum procurare, ſpiritualia & corporalia: nec eos ad iracundiam nimium provocare, & maritus ſuam uxorem, ut carnem ſuam diligere tenetur. (y)

Patet ex his, quomodo peccetur contra hoc quartum præceptum: nimirum non ſubminiſtrando neceſſaria, non obediendo, non honorando, non amando: & contra offendendo, exacerbando, mœrore afficiendo (verbo & facto) occaſionem dando peccandi.

QUINTUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non occides.

DEclaravit hujus præcepti vim Salvator noſter, quando non ſolum homicidium, ſed convitium & iram, & odium omne, & vindictæ cupiditatem prohibuit. Qui odit fratrem ſuum, homicida eſt, inquit B. Joannes [z]: & Paulus: Nulli malum pro malo reddentes. (a) Item, Non vos defendentes, chariſſimi: ſed date locum iræ. Scriptum

(u) De Feriis. c. 1. & c. fin. S. Antonin. 2. part. tit. 9. c. 7.
(x) Luc. 2.
(y) Coloſſ. 3. Epheſ. 6. 1. Cor. 12.
(z) Joan. 3.
(a) Rom. 13.

Digitized by Google

tum eſt enim: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus.

Ex quo facile inferuntur duo: unum, quod per hoc præceptum non adimitur gladius Principi ſæculari, & Magiſtratui: qui non odio, vel ira, propriam injuriam ulciſcitur, ſed Reipublicæ ſtudet & tranquillitati communi. Magiſtratus enim, vel Princeps, noxios occidendo, maxime obſervat præceptum hoc: Non occides; quia ſupplicüs nocentium tutior fit innocentium vita. Pſalm. 110. In matutino interficiebam omnes peccatores terræ. Similiter & milites in bello, qui hoſtibus reipub. & pacis perturbatoribus vitam adimunt, præcepto obtemperant.

Alterum eſt, quod omnis læſio corporalis ſibi, vel proximo illata, privata authoritate, & ex odio vel tædio privato [ſive id fiat opere, ſive conſilio] peccatum eſt contra legem Dei.

Eſt peccatum homicidii unum ex iis quatuor, quæ dicuntur clamare in cœlum. Dicuntur autem clamantia in cœlum, quia præ aliis fere ſemper manifeſte hæc ulciſcitur Deus, de cœlo mittens vindictam, cladibus, bellis, vaſtationibus, everſionibus urbium ac regionum: & viri ſanguinum fere, non dimidiant dies ſuos.

Homicidam voluntarium, qui ſæculi leges evaſiſſet, circa vitæ finem tantum volebant Patres ad communionem admitti: (*b*) & eouſque pœnitentiam agere, quoad pœnitentia crimen diluiſſet. Lex autem civilis mori jubet. l. Qui cædem. ad leg. Juliam, de ſicar.

STATUTUM I.

CUratus ideo non abſolvat in confeſſione ſine noſtra licentia eum, qui hominem occiderit: nec etiam cum noſtra licentia, niſi is omne damnum reſtituerit filiis, vel hæredibus occiſi, aut velit reſtituere. Eodem modo tenetur ad reſtitutionem, qui vulneravit, licet non occiderit. Damnum a Judice æſtimatur, vel a bono viro.

SEXTUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non mœchaberis.

HOc præcepto non ſolum prohibentur craſſæ illæ, ac fœdæ libidinum ſpecies (quas ſupra enumeravimus) fornicatio, adulterium, ſtuprum, raptus, incæſtus, & (quod vel dictu horrendum eſt) peccatum contra naturam: ſed etiam omnis carnalis immunditia. Eph. 5. Et cogitationes, aſpectus, tactus, ſermo, habitus, inceſſus: & quicquid incitare poteſt ad libidinem. Fornicatio (inquit Apoſtolus) & omnis immunditia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas. Et B. Petrus ad conjugatos: Viri ſimiliter cohabitantes ſecundum ſcientiam, quaſi infirmiori vaſculo muliebri impartientes honorem.

Quam grave peccatum ſit ſcortatio, ex eo patere poteſt, quod Apoſtolus cum fornicariis Chriſtianis prohibet cibum ſumere, aut conſuetudinem habere, tanquam excommunicatis. Facit amor carnalis hominem apoſtatare a Deo, & inſtar pecudis, ſenſui obedire, rationis judicio obſeſſo a paſſione. Exempla habes in Davide & Salomone præter alios. Adulterium vero leges Civiles (*c*) capite cenſuerunt plectendum. Jam quid cenſendum de illo peccato eſt, quod non ſolum rectæ rationi & juſtitiæ repugnat, ſed etiam ordinem naturæ pervertit? Plura quære in titulo de Peccatis.

STATUTUM I.

COnfitentem de enormi peccato, & nefando, remittat Curatus ad Pœnitentiarium noſtrum.

SEPTIMUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non furtum facies.

EX definitione furti forte intelligi poſſit omnis hujus præcepti vis & materia. Definitur: contrectatio rei alienæ, invito Domino: addunt quidam, doloſa, vel fraudulenta, ad acquirendum Dominium, ſeu proprietatem, vel poſſeſſionem, vel uſum. [*d*]

Sed uno verbo complexus eſt Chriſtus, qua maxime ratione hoc præceptum adimplere queamus. Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, & vos facite illis. Et Apoſtolus, Qui furabatur, jam non furetur: magis autem laboret operando manibus ſuis, quod bonum eſt: ut habeat, unde tribuat neceſſitatem patienti. Quantum ergo abeſt a lege Chriſti & Dei, qui non tantum non elargitur ſua, ſicut tenetur, ſed rapit aliena? Pro-

(*b*) Conc. Ancyr. & Agathen. & Turon. (*c*) L. Patri. ad leg. Juli. de adult.
(*d*) L. 1. ff. de fur. in inſtitu. de oblig. quæ ex delict. naſc.

Prohibetur per hoc præceptum omnis rei alienæ contrectatio, & uſurpatio: ſicut per furtum, rapinam, uſuras, lucra injuſta, dolum malum: & per quosvis contractus, quibus Chriſtiana charitas læditur, & proximus fraude circumvenitur: quocumque titulo pallietur contractus.

Et tenetur ad reſtitutionem quicumque rem alienam ita retinet. Quia non remittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. (e) Propter quod periculoſum eſt hoc peccatum, ubi ſemel commiſſum eſt: quia difficile poteſt Confeſſor extorquere reſtitutionem a pœnitente, poſtquam is in ſuos uſus converterit rem alienam. Quamquam non ſemper oportet eandem reſtituere, modo ſatisfiat læſo. Contingit enim ſæpenumero, rem non eſſe amplius in poteſtate ipſius, qui cepit: ſæpe etiam, ut læſus condonet, & remittat, aut acceptum ferat.

Contingit autem, ad reſtitutionem nos teneri, quando rem alienam injuria ceperimus, & quando debemus ex contractu, ex lege, vel ſtatuto, ex ſententia Judicis, ex teſtamento, vel ultima voluntate: ex delicto, vel quaſi delicto. Quæ omnia prudentiæ Paſtoris relinquenda ſunt, ne omnia perſequamur. Plura quære in titulo de Peccatis avaritiæ.

OCTAVUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non loqueris contra proximum tuum falſum teſtimonium.

PRohibuit Deus, ne proximum offendamus in corpore, per quintum mandatum: ne in perſonis neceſſariis, per ſextum: ne in bonis & opibus, per ſeptimum: hic, ne in fama etiam, prohibet. Quamquam per præceptum hoc proprius intelligendum eſt prohiberi damnum omne, quod proximo infertur, præſtando falſo teſtimonio in judicio, vel omittendo præſtari: ſed ex conſequenti intellige omne mendacium, detractionem, ſuſurrationem, deriſionem, contumeliam, judicium temerarium. Lingua modicum quidem membrum eſt, ſed magna exaltat. Ecce quantus ignis (f) quam magnam ſilvam incendit. Non erit criminator, neque ſuſurro in populo, ait Dominus. De aſſentatione Pſalm. 140. Oleum peccatoris non impinguet caput meum. Detrahere autem, vel detrahentem audire, utrum damnabilius ſit, non facile conſtat. Et tenetur, qui ſic nocuerit proximo, ad reſtitutionem: ſive in bonis nocuerit, ſive in fama. Et magis etiam ad reſtitutionem famæ, quam pecuniæ: quia melius nomen bonum, quam divitiæ multæ. Contra præceptum hoc etiam peccat, qui de ſeipſo detrahit, cum ſit ſibi quisque proximus, & Eccleſiam iſte lædit, cujus membra ſumus omnes. Quare fugiendum eſt omne genus mendacii, cujus pater diabolus eſt. Perdes omnes, inquit, qui loquuntur mendacium. Nec ſe excuſare quisquam putet, quod prodeſſe velit per mendacium: quia hæc prudentia carnis mors eſt. Primum, inquit Dominus, quærite Regnum Dei, & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Ideo nunquam mentiendum: multo minus cum damno proximi.

STATUTUM I.

DEbet ergo, qui famæ alterius detraxerit per mendacium, reparare, contitendo de ſuo mendacio. Quin etiam ſi verum dixerit, debet tamen retractare aliquo modo, ne proximum infamet. Secus eſt in denuntiatione, vel accuſatione juridiciali: in qua ratio habetur utilitatis publicæ & animarum: non ſolum privati commodi, aut compendii alicujus.

NONUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non concupiſces domum proximi tui.

DECIMUM PRÆCEPTUM DECALOGI,

Non deſiderabis uxorem ejus.

DIfferentia horum duorum præceptorum in hoc conſiſtit: quod nonum utilitatis & commodorum deſiderium reprimit: decimum voluptatis. Quare ex iis, quæ bona dicuntur a Philoſophis [ut honeſtum, utile, delectabile,] ſolum honeſtum licet appetere ſemper: reliqua non item. Non utique quod mala ſit omnis concupiſcentia: ſiquidem cibum & potum appetimus naturaliter: & cum frigemus, calefieri: nec in his peccamus, niſi ea concupiſcamus, quæ ſpiritui & rationi repugnent, vel legi Divinæ.

Duo hæc præcepta non ſolum manum cohibendam docent, ſed etiam animum. Quod proprium legis Divinæ eſt. Humanæ enim leges opus tantum externum prohibent, & pœnam tantum corporalem infligunt: ſed Divi-

(e) Aug. Epiſtol. ad Macedo. c. 14. q. 6. c. Si res. c. Sæpe. de reſt. ſpol. (f) Jacob. 3.

Digitized by Google

Divinæ, æternæ mortis reatum. Quia radix & ſemen mali operis eſt concupiſcentia, ut Salvator inquit. De corde exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ.

In ſexto mandato prohibetur actus exterior carnis: hic interior concupiſcentia. Qui enim viderit mulierem ad concupiſcendum eam, [*g*] jam mœchatus eſt in corde ſuo. In ſeptimo prohibetur rei alienæ uſurpatio, & detentio; hic uſurpandæ atque habendæ cupiditas: quoniam radix omnium malorum eſt cupiditas, & philargyria: quam quidam appetentes erraverunt a fide, [*h*] & inſeruerunt ſe doloribus multis.

Quapropter omnes actiones, tendentes vel ad adulterium, vel ad furtum, his duobus præceptis damnantur, etiam ſi finem non fuerint conſequutæ: ut ſolicitatio pudicæ mulieris, [vel alteri jam deſponſatæ] lenocinium, ſaltationes, & momi propter ea tantum facti. Poſſent enim recreationis honeſtæ cauſa ſine peccato mortali fieri choreæ, & luſus alii. Item cibi & pharmaca ad explendam Venerem ſumpta: & alia ſimilia, quæ ex fine rationem accipiunt boni & mali. Idem eſto judicium de actionibus, a cupiditate rei alienæ procedentibus. Quare non ſine juſta cauſa prohibita eſt Clericis alea. Raro enim contingit, ut expers fiat avaritiæ: præter alia mala, quæ ſecum defert. Prohibitæ eisdem etiam artes ſordidæ omnes, ut perfectioris doctrinæ exemplum præbeant.

Omnia ſecundæ tabulæ præcepta uno verbo complectitur Salvator (*i*): Omnia quæcunque vultis, ut faciant vobis homines, hæc & vos facite illis. Quod tanquam legi naturali conſonum, Tobias [*k*] jam antea dixerat: Quod tibi ab alio fieri non vis, alteri ne feceris.

STATUTUM I.

STatuimus, & ordinamus, ut ſingulis diebus Dominicis Curati populo enarrent decem hæc Præcepta Dei, lingua vernacula, ut ab omnibus intelligi queant.

II.

Exponant etiam, quando res poſtulaverit, pœnam ſimul & præmium, quæ Dominus propoſuit, cum hæc præcepta daret. Dixit (*l*) enim: Ego ſum Dominus Deus tuus zelotes, viſitans iniquitatem Patrum in tertiam & quartam generationem eorum, qui oderunt me: & faciens miſericordiam in millia iis, qui diligunt me, & cuſtodiunt præcepta mea. Cujus loci declarationem in eodem Catechismo Romano invenient.

DE PRÆCEPTIS ECCLESIÆ.

IN virtute obedientiæ, quam ex Chriſti præcepto (*m*) debemus Prælatis noſtris, [Nam qui vos audit, me audit, qui vos ſpernit, me ſpernit, inquit.] & ex conſuetudinis Eccleſiaſticæ obſervantia [Perambulabat enim Paulus Syriam & Ciliciam, confirmans Eccleſias, præcipiens cuſtodire præcepta Apoſtolorum & Seniorum] Chriſtiani omnes tenentur adimplere præcepta Eccleſiæ: ea, quæ ab Apoſtolis tradita, tanquam per manus accepimus a Majoribus noſtris: & ea, quæ pro tempore videntur, judicio Prælatorum neceſſaria, vel utilia populo Chriſtiano. Sed dixerit aliquis, Apoſtolus contra docet: Pretio empti eſtis: nolite fieri ſervi hominum. Sunt hæc hominum traditiones contra libertatem Evangelii. Reſponde ad hæc & ſimilia, libertate nos donatos a Chriſto: non carnali, ſed a peccato. Alioqui nec præcepta Decalogi nos ſervare oporteret: nec ſervos Dominis ſuis obedire. Hoc eſt velamen maliciæ, habere libertatem, ut B. Petrus loquitur: Nolite fieri ſervi hominum. Non more humano ſervos eſſe, jubet Apoſtolus, qui metu pœnæ obediunt: ſed ſervos ſpirituales Dei: juſtitiæ ex charitate ſervientes. Sic enim Chriſtus dilexit nos, ut proprio ſanguine redemerit. (*n*)

Sunt autem quinque propoſita omnibus fidelibus generaliter, quæ vulgo appellantur quinque Mandata Eccleſiæ. Unum eſt de audienda Miſſa diebus Feſtis: Alterum de obſervatione Feſtorum: Tertium de obſervandis Jejuniis: Quartum de Confitendo ſemel ſaltem in anno: Quintum de ſumenda Communione, ſaltem in Paſchate. Addunt de ſolvendis Decimis: atque etiam de non celebrandis Nuptiis tempore prohibito. Sed illa quinque, ut magis decantata ſunt, ita inculcanda magis.

Brevis

(*g*) Matth. 5. (*h*) 1. Tim. 6. (*i*) Matth. 7. (*k*) Tob. 4.
(*l*) Exod. 20. (*m*) Matth. 10. Luc. 10. Joan. 13.
(*n*) 1. Corin. 7. 1. Petr. 3. Epheſ. 6.

Digitized by Google

Brevis expoſitio Myſteriorum Miſſæ.

PRæceptum Eccleſiæ primum ponit hic de audienda Miſſa integre omnibus diebus Dominicis, & Feſtis: nec ſine magna ratione: quoniam cum ſint iſti dies cultui Divino dedicati, in ipſis nos debemus orationi vacare, & contemplationi: pœnitentiæ quoque, operibusque pietatis exerceri. Sed ut ſimplices aliquam hujus rei notitiam aſſequantur, pauca hic ex myſteriis Miſſæ recitabimus, ſecundum ritum Eccleſiæ Occidentalis, noſtræ communem. Nam Græci a nobis differunt: & a Græcis Æthiopes: & Mediolani alium ſervant ordinem atque ritum cæremoniarum a noſtro: & Toleti, in officio Muthzarabe (o), ab utroque multum diſſimilem invenias: in accidentalibus quidem, ſed non in eſſentialibus. Per nomen autem Miſſæ, quod novum non eſt in Eccleſia, [ut patet ex Concil. Carthag. 4.] intelligimus oblationem, & ſacrificium Corporis & Sanguinis Domini, in myſterium factum: ſive nomen ſit Hebraicum Miſſah, quod ſignificat munus & oblationem, & elevationem, Deut. cap. 16., ſive Latinum. Et poſſet quidem eſſe verbale, Miſſa, pro miſſio, ſive dimiſſio: ſicut olim remiſſa, & remiſſio, dicebant Patres. Nam Apuleius morem etiam fuiſſe ait idolorum cultoribus, ut peracta re divina, converſus ad plebem Sacerdos diceret: λαῶις ἄφεσις, id eſt, populis miſſio. Sic ſentit Iſidorus. Poteſtque eſſe participium, ut recitat Magiſt. ſentent. 4. diſt. 13. vel quod ex veteri ritu Eccleſiæ facta Communione, Diaconus alta voce pronuncians munera illa Sacra a Sacerdote miſſa eſſe jam ad Deum, vel ad eos omnes, qui erant communicaturi, dimitteret populum in pace. Nam Juſtinus in 2. Apolog. dari per Diaconos Euchariſtiam dicit iis, qui aderant: ad abſentes autem per eosdem deferri. Græci vocant liturgiam: ex cap. 13. Act. Apoſt. ubi legimus: λειτουργούντων δὲ αὐτῶν τῷ κυρίῳ. id eſt, Miniſtrantibus autem illis Domino & jejunantibus, dixit Spiritus Sanctus, ſegregate, &c. Itaque liturgia diceretur miniſterium publicum, Divinus cultus, rei Sacræ publica adminiſtratio, ex C. 13. & 15. ad Rom. Hebr. 8. Dionyſius vocat hierurgiam. Ignatius Thyſiam, id eſt, Sacrificium. Idem Ignatius, & Euſebius, & Juſtinianus, ſanctam Proſcomidem, id eſt, Oblationem. Malach. 1. legitur: Ab ortu Solis, &c. & Pſalmo 39. Sacrificium & oblationem, pro nomine, oblatio. Hebræa habent miuha: quod dicunt ſignificare oblationem factam ex farina. Irenæus autem, & Juſtinus, locum Malachiæ de Miſſa absque dubio intelligunt. Ignatius meminit hujus Sacrificii in ep. ad Eph. Dionyſius in multis locis. Cypr. lib. 1. ep. 2. & 9. Concil. Nicæn. c. 14. Iren. li. 4. Juſt. contra Appia. Auguſt. De ejus ordine multa in epiſtola ad Paulinum. Paulus promiſit ſe traditurum. 1. Corint. 11. Clemens lib. 2. & plenius lib. Conſt. Apoſtol.

Quandoquidem Miſſa eſt quædam repræſentatio, & expreſſio Paſſionis Chriſti: ideo contemplanda in primis indumenta, quibus ornatus Sacerdos prodit ad celebrandum. Amictus, velamen ſignificat, quo faciem JESU venerandam operiebant Judæi, illudentes ei in domo Caiphæ, & dicentes: Prophetiza nobis, quis eſt, qui te percuſſit. Alba veſtis illa eſt, cum qua remiſit Herodes illum, tanquam innocentem & ſtultum: Cingulum, vincula ſignificat: Manipulus, cathenas: Stola (ſeu orarium) Crucem, quam humeris ſuſtulit. Planeta, ſeu caſula, veſtem purpuream, & Mitra, ſeu thiara, coronam ſpineam. Uſos autem fuiſſe in primitiva Eccleſia Sacerdotes myſticis indumentis, docent Petalon Joannis, Infulæ Tertulliani, Colobion Jacobi, & Stephani, & Euphromii, Stolæ Macharii.

Progreſſus ad gremium Altaris Sacerdos, Confeſſionem generalem facit omnium ſuo-

(o) Hoc nomine illud intelligitur officium, quod Mozarabicum, ſeu Moſarabicum paſſim appellatur. Hanc illi denominationem tunc inditam credunt, quando Mauri Hiſpanias invaſerunt. Cum enim eo tempore Chriſtiani, qui ſedes ſuas noluerunt deſerere in locis, quos Mauri occupaverant, mixti Arabibus viverent, ſua illis tributa pendentes, Mixtarabes, itemque Muzarabes & Moſarabes dici cœpere, ut quidam volunt.

Reipſa illud officium Gothicum fuit, quo utebantur Chriſtiani, Arabum dominio ſubjecti. Unde & inſcribi ſolet *Officium Gothicum, ſive mixtum ſecundum Regulam B. Iſidori.*

Vide *Gloſſar. du Cange Tom. II.* & *Diſſertationem P. Emmanuelis de Azevedo e Soc. JESU, de antiquis Eccleſiarum Occidentis ritibus* &c. quam refert *P. Franciſc. Anton. Zaccarias* ejusd. Societ. in edita a ſe *Claudii Fleury Diſciplina Populi Dei in novo Teſtamento.* Tom. I.

Cujusmodi autem fuerit Mozarabicum illud officium, docent præ cæteris *Alvarus Gomezius L. 2. de rebus geſt. Cardinal. Ximenii*, & *Cardin. Bona L. 1. rerum Liturgicarum C. 11.*

Digitized by Google

ſuorum peccatorum: & eodem modo populus ſuorum quoque peccatorum: poſtulantque hi, ut Sacerdos pro ſe oret, & omnes Sancti, Sacerdos vero abſolutionem in Chriſti merito impendit omnibus.

Chorus & populus cantant Introitum, ſignificantes voces & prædictiones Prophetarum de adventu Chriſti. Ideo hæc fere ex Propheta aliquo ſumitur cum Pſalmo Davidis, & verſiculo illo: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto.* Ex quo facile credas, olim Pſalmos integros cantari ſolitos, dum populus conveniret ad officium hoc. Hic interea incenſum adoleri, teſtis eſt Dionyſius.

Deinde populus advenienti jam Chriſto, alta voce ſupplicat, Græco ſermone utens: *Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon*, triplicando: *Domine miſerere, Chriſte miſerere.*

Et tanquam exauditus, gratias agens alta voce cantare incipit: *Gloria in excelſis Deo*, quod tamen non ante cantat Chorus, quam a Sacerdote excitatus, & quaſi admonitus de Chriſti adventu: ab Angelis namque Paſtores certiores facti fuerunt de nato Chriſto.

Hoc Hymno dicto, Sacerdos orationem unam vel plures facit ad Deum Patrem per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum: ſalutato prius populo, *Dominus vobiſcum.* Cui populus reſpondet ſimili reſalutatione: *Et cum ſpiritu tuo.* Et hortatur populum, *Oremus.* Finita oratione reſpondet populus dictione Hebraica, *Amen.* Et dicuntur iſtæ orationes, Collectæ: propterea, quod ſub iſtis fiebant collectæ pecuniæ, & eleemoſynæ, quæ dabantur a fidelibus, diebus Dominicis in uſus pauperum Miniſtrorum Eccleſiæ, ſicut diſpoſuit Apoſtolus Paulus. Nam panis & vini oblatio ad myſteria, in Offertorio fieri debet, ubi aliud offerri prohibitum eſt Can. 28. Sextæ Synodi.

Per lectionem Epiſtolæ, doctrinam accipimus diſciplinæ Chriſtianæ, & pietatis, tam ex veteri aliquando Teſtamento, quam ex novo, quam populus auſcultare debet attente, & memoriæ mandare.

Cantatur (veluti acclamatio quædam a populo) Reſponſorium cum verſu, & lingua Hebraica, *Alleluja*, (id eſt, *Laudate Dominum*) vel Tractus in diebus jejunii: quod meditationem habet Divinæ Legis: & dicitur Graduale, a cantus genere.

Poſt cantus iſtos Diaconus legit Evangelium alta & intelligibili voce: in quo continetur hiſtoria vitæ, mortis, & reſurrectionis Chriſti.

Recitato Evangelio, incipit Sacerdos Symbolum Fidei, & populus proſequitur Fidei confeſſionem, *Credo in unum Deum*, &c.

Hactenus omnia ad præparandum populum in devotione geruntur: quæ vero ſequuntur, ad Sacrificium maxime ſpectant, quamquam certe de Sacrificio eſſe omnia dicuntur, quæ circa illud fiunt. Eſt autem Miſſa Sacrificium, non ſolum Sacramentum. Incruentum quidem: quia in commemorationem fit illius Sacrificii, quod ſemel factum eſt in ara Crucis, cum ſanguinis effuſione. Dominus enim cum Corpus ſuum daret diſcipulis, dixit: *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem.* Itaque Corpus Domini, quod accipiebant tunc Apoſtoli, prius fuit pro peccatis oblatum, & deinde pro alimento Spirituali, & Sacramento manducatum. Nos ergo facientes, quod juſſit Dominus, idem offerimus prius, & deinde manducamus: quod eſt proprium Sacrificii. In Sacrificio enim primo offertur hoſtia: deinde mactatur, & intingitur: poſtea diſtribuitur iis, qui participes eſſe debent Sacrificii. Chriſtus ſemel mactatus eſt pro nobis, & ſanguine tinctus. Nos mactationis ejus memoriam in myſterio hoc tremendo celebrantes, hoſtiam eandem offerimus: & in actione tanquam mactamus, incruentam tamen, ſicut & incruentam manducamus ac bibimus. Qui ergo ſine oblatione & ſacrificio manducant panem, & bibunt vinum in ſuis cœnis, illi non ſane faciunt, quod Dominus inſtituit: quia non vere ſacrificant, nec offerunt corpus ejus Deo Patri. Adde, quod facere, ſacrificare eſt, tam in Literis Sacris, quam profanis.

Rurſus ergo Sacerdos ſalutat populum, & ad orandum hortatur, *Dominus vobiſcum, Oremus.*

Et cantantibus Miniſtris chori Tractum ex veteri vel novo teſtamento (quod dicitur Offertorium) populus offert Deo, & præſentat Sacerdoti (vel ejus Miniſtro) oblationem ſuam panis & vini, vel (quod jam fieri nunc ſolet) pecuniæ, pro cujusque devotione.

Facta oblatione, & paratis ſuper altare pane, & calice, Sacerdos manus abluit, ad tanti myſterii ſe præparans celebrationem, & offert: & deinde converſus ad populum poſtulat, *Orate pro me, ut meum ac veſtrum Sacrificium acceptum ſiat apud Dominum:* Et magno cum ſilentio omnium, ſecrete orat. Orationis ſecretæ fine ſilentium rumpit, *Per omnia ſæcula ſæculorum:* & reſpondet populus, *Amen*: ea voce vota ſua cum orationibus Sacerdotis jungi deſiderans. Hic tertio ſalutat ad excitandum populum ad attentionem: & poſtulat, ut animum elevent

ad

Digitized by Google

ad Deum, & gratias agant. Populo igitur annuente, jam quaſi Spiritu Dei plenus Sacerdos, elatior fit, & congratulando alta voce manibus & oculis in cœlum ſublatis incipit: *Vere dignum & juſtum eſt, æquum & ſalutare.*

Præfationem iſtam excipit ſtatim populus, vel chorus pro populo (Angelorum primum referens cœleſtes cantus) *Sanctus, Sanctus, Sanctus Dominus Deus Sabaoth*, id eſt, Deus exercituum: deinde puerorum Iſraelitarum, qui Salvatori ingredienti urbem Hieruſalem acclamabant: *Oſanna in excelſis.* Quæ vox erat ovationis & triumphi, apud Hebræos.

Hinc iterum ſilente populo, Sacerdos myſteria peragit Conſecrationis, quæ vocatur actio: omnia agens & dicens cum timore, voce ſubmiſſa, tanquam ſecrete: ne ab omnibus intelligatur. Sunt enim hæc myſteria tremenda: nec revelanda omnibus: non paganis infidelibus, non excommunicatis, non catechumenis, non energumenis: ſed fidelibus tantum, rite in Chriſto initiatis: ut docuit olim magnus ille Dionyſius Areopagita. Priustamen Sacerdos commendat Deo Prælatos, & Principes, & ſpecialiter, quos ſibi videtur: & generaliter omnes aſſiſtentes, & omnes fideles Chriſtianos, *quorum fides Deo cognita eſt, & nota devotio:* pro quibus ſacrificium offert, & qui offerunt communicando, & memoriam venerando Beatiſſimæ Virginis Mariæ, & omnium Sanctorum. Poſt conſecrationem quoque pro Defunctis orat, qui ſunt participes mortis Chriſti, quæ in hoc Sacramento annunciatur. Pro ſe etiam orat Sacerdos, & pro omnibus peccatoribus famulis Dei, in miſericordia Dei ſperantibus, memoriam repetens Apoſtolorum quorundam, & Martyrum: omnia tamen per Chriſtum, & cum Chriſto, & in Chriſto. Quare ut oratio a Deo exaudiatur, formam orandi a Domino præſcriptam, alta voce, ſilentium denuo rumpens, cum fine orationis ſecretioris adjungit: *Pater noſter*, quam populus abſolvit, ſequutus tacite præeuntem Sacerdotem.

Crucem ſuper Sacramentum ante & poſt conſecrationem, multis modis facit: in myſterio Trinitatis, Deitatis, & Humanitatis, Incarnationis, Nativitatis, Paſſionis, Reſurrectionis, & Aſcenſionis Domini. Et quia in actione hac potiſſimum mactationis myſteria repræſentantur: ideo fiunt Cruces in memoriam plagarum quinque, & rurſum quinque effuſionum ſanguinis. Tollit in altum Sacramentum: & ut Patri hoſtiam Filii ſui offerat, & ut ſub ſpeciebus ipſis, tam ipſe Sacerdos, quam alii omnes aſſiſtentes, Chriſtum Deum & hominem, Salvatorem noſtrum, adorent. Idcirco Sacerdos oculos in cœlum levat: & populus pectora ſua tundendo, pro peccatis ſuis offerri hoſtiam profitetur, accuſans culpam propriam, & veniam poſcens ab eo, quem tamquam in Cruce ſublatum adorat. Morem vero hunc oſtendendi aſſiſtentibus Sacramenti, a primitiva Eccleſia acceptum eſſe, conſtat ex Dionyſio Areopagita.

Poſt hæc hoſtiam in duas partes dividit, quia per mortem ſeparata eſt anima a corpore. Quia vero in Chriſto Divinitati fuit ſemper juncta humanitas, ideo iterum tribus partibus factis ex hoſtia [quibus ſignificantur Divinitas, anima, & corpus] unam in calicem mittit, ut panis vino intingatur. Fuit namque mos olim, pueris & infirmis dare intinctum panem conſecratum: nunc duplici videtur fieri myſterio. Nam & Corpus ſignificare poteſt, quod in Cruce ſanguine proprio & aqua tinctum fuit, & animam, quæ deſcendit ad inferos. Sergius quoque Papa aliam cauſam aſſignat. Hoc faciendo (tanquam Patres in limbo poſitos) populum ſalutat Sacerdos, triplici Cruce benedicens: *Pax Domini ſit ſemper vobiſcum.* Populus quoque ſub perſona Patrum, qui erant in limbo, Chriſtum alloquitur: *Agnus Dei, qui tollis peccata mundi, miſerere nobis.*

Hoc loco Sacerdos Communionem ſumit, & alii, qui parati ſunt, & volunt Sacrificii participes fieri Sacramentaliter: idque cum ſilentio.

Communione facta, Sacerdos tertium ſilentium rumpendo, excitat populum ad gratias agendum Deo, per orationem, quæ dicitur Poſtcommunio. Quibus actis, rurſum ſalutat & dimittit populum.

Itaque in Miſſa, & Sacramentum fit, & Sacrificium. Sacrificium vocat Ignatius, uti diximus. Et Apoſtolus menſam, altare: Græce thyſiaſterium. Habemus altare, de qu~, &c. Heb. 2. Et in fragmentis Nicæni Synodi poni dicitur in Sacra hac menſa Agnum Dei ſine mactatione mactatum a Sacerdotibus. Immolatur ergo agnus, ut in Sacrificio: & Sacra peraguntur in myſterio, id eſt, Sacramento. Alterum Dominicæ cœnæ ſymbolum eſt: alterum mortis. Qui cœnæ tantum figuram faciunt, illi non faciunt, quod Dominus juſſit. Quia ſi cœnam tantum adnunciant, non tamen mortem Domini. At mortis memoriam fieri juſſit. Hanc facit Eccleſia. Siquidem hoſtiæ illius immenſæ virtutis, quam Chriſtus in Cruce obtulit, ſymbola ſignaque fuerunt Sacrificia veteris teſtamenti: Novi autem, Sacrificium hoc incruentum, quod non modo Euchariſticum eſt, ſed

&

d by Googl

& Propitiatorium: id eſt, quo Deum nobis propitium, placatumque reddimus. Idemque Sacrificium pro gratiarum actione fit, & pro peccatorum remiſſione. Omnis enim Sacerdos conſtituitur, ut offerat dona & Sacrificia pro peccatis, inquit Apoſt. Heb. 5. Nec tantum pro vivis (docet Chryſ.) ſed etiam pro defunctis. Hom. 69. ad pop. Antioch. & ex verbis Lucæ 22. patere poteſt. Dicit enim, quod accepto pane gratias egit, & fregit, deditque eis, dicens ✠ *Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur*: (id eſt, offertur, Eph. 5. *Qui tradidit ſemetipſum pro nobis oblationem & hoſtiam*) & ſequitur: *Hoc facite in meam commemorationem*, (nempe quod ego facio: ſcilicet gratias agite, frangite, offerte & ſumite] pro vobis. Si ergo facere juſſit pro nobis, certe non tantum vivis, ſed etiam defunctis fidelibus. Nam pro omnibus mortuus eſt Chriſtus, & vivis & defunctis.

Hæc ſummatim decerpta ex aliis multis & inenarrabilibus, hujus tremendi Sacrificii myſteriis, vobis Curatis expoſita voluimus, ne prorſus ignari tanti muneris, nihil vos magni agere poſthac arbitremini, & negligenter Sacra faciatis: cum ſit nihil hic ſine maxima ratione ordinatum, ad repræſentandam Paſſionem Chriſti, vel diſpoſitionem Corporis ejus myſtici, cui applicatur: vel ad reverentiam & devotionem tanti Sacramenti. Quanquam enim pauca ſunt de eſſentia ejus a Chriſto tradita, & multa ante & poſt Conſecrationem, a Patribus & Apoſtolis addita ad inſtructionem populi, & excitandam devotionem aſſiſtentium: omnia tamen cum reverentia, quam maxima poſſumus, & timore agenda cenſeto. Reliqua quære in Sacramento Euchariſtiæ. Nunc hortabuntur ſuos Curati, ut Sacrificio huic tremendo reverenter aſſiſtant, meditantes aliquid vel de vita Chriſti, vel de peccatis propriis, vel de gloria cæleſti, de Sanctorum victoriis, malorum pœnis, & aliis ſimilibus rebus devotis.

STATUTUM I.

OB reverentiam tanti Myſterii amoveri jubemus ſubſellia mulierum a Presbyterio & a Choro, ſi qua inveniantur in Eccleſiis, hoc eſt, juxta Altare majus, vel intra cancellos Chori.

II.

Expectent, ſi fieri poteſt, benedictionem Presbyteri, ne Eccleſiæ ordinem perturbent: (p) non enim interfuiſſe Myſteriis videtur, qui antequam dimittatur, receſſit. Nec ſpiritualem Communionem recepit, qui Communionem Sacramentalem Sacerdotis non expectavit.

SECUNDUM ET TERTIUM PRÆCEPTUM ECCLESIÆ.

SAcerdoti proprio annis ſaltem ſingulis peccata tua confitetor. Et Sacroſanctam Euchariſtiam, ad minimum ſemel in anno, circa feſtum Paſchæ ſumito. (q)

ECcleſia eos, qui in Paſchate, Pentecoſte, & Natali Domini, non communicaſſent, ne inter Catholicos quidem habuit aliquando (r): ſed nunc indulgentior (quando charitas refrixit) ſufficere arbitrata eſt, modo ſemel in anno omnes utriusque ſexus, uſum rationis habentes, peccata ſua Parocho, aut ex illius permiſſione, alii idoneo Sacerdoti, confiteantur: datam & acceptam pœnitentiam adimpleant: & ad minimum in Paſchate Sacramentum Euchariſtiæ ſumant: niſi forſan ex conſilio, ob aliquam cauſam rationabilem, aliquantisper ab hujusmodi ſumptione abſtinendum putaverint.

STATUTUM I.

HÆc negligentem, dum vivit, ab Eccleſiæ communione, & mortuum Eccleſiaſtica ſepultura arcendum eſſe, ſtatuimus.

QUARTUM PRÆCEPTUM ECCLESIÆ,

De Feſtis, & Computo Eccleſiaſtico

DE quarto Præcepto Eccleſiæ, quo tenentur omnes fideles, etiam Divina lege, Feſta colere, dictum abunde eſt ſupra in tertio Præcepto Decalogi. Sed quam neceſſaria ſit Sacerdoti cognitio dierum Feſtorum, & Calendarii, vel unum verbum docet in lege: *Memento*, (inquit) *ut diem Sabbati ſanctifices*. Quaſi velit: Meditare, idque frequenter, & cogita diligenter, antequam feriæ, quas

(p) Ex Concil. Ancyran. c. 2. & Apoſtolorum c. 9.
(q) Ex Conc. Later. c. 21. & de Pœnit. & Remiſſ. c. Omnis utriusque ſexus.
(r) Concil. Agath. Conc. Eliber. Conc. Turon. De conſ. diſtin. 2.

Digitized by Google

quas obſervari oportet, veniant: ne per incuriam, aut oblivionem tuam, dies Divino cultui deſtinati, prætermittantur. Licet enim natura ipſa doceat, Deo aliquem aliquando cultum præſtandum eſſe: quando autem, quibusve diebus præſtandus ſit, non præſcripſit. Qui vero poſiti a Majoribus ſunt, excidere ſolent. Quotus enim quisque eſt, qui non hic fallatur? quis non frequenter diem Jovis, pro die Mercurii accepit? aut alium pro alio? Quod ſi hac in re Sacerdos aberret: populus, qui aliud agit, a quo reducetur? Hæc cauſa eſt, cur apud omnes gentes in more ſemper fuit, ut penes Sacerdotes tantum judicium relinqueretur Faſtorum & nefaſtorum dierum: menſiumque, & annorum fines a Sacerdotibus ponerentur.

Hoc eſt, cur computum tradimus Eccleſiaſticis. Regulas, inquam, Calendarii Eccleſiaſtici.(s) Nempe, ut docere populum ſciant Feſtos, ac non Feſtos dies: & ad munera multa in victu quotidiano & ſocietate hominum neceſſaria, admonere populum de temporum vicibus atque revolutione. Accedit ad hanc cauſam obligatio Horarum Canonicarum. Cujus etiam hæc vis eſt, atque utilitas: ut quamvis officium Eccleſiaſticum tradi potuerit continuum, & uniforme: tamen ut memoriam coleremus aſſiduam dierum, & menſium, & temporum anni; ſic ordinatum ſuis ubique locis eſt, ut & preces, & lectiones, & cantica, & cantus, & modi, pro diebus & horis diſtinguerentur, & varia ſubinde fierent: ut attentiores redderemur ad rem, quæ facile excidit, & elabitur. Si enim penſum idem, vel eodem modo, quotidie perſolvere ſufficeret, nulla varietate percepta: ſane anni recurrentis dies ſæpe oſcitando prætercurreremus. Nunc varietas & obligatio, attentos reddunt.

Sed dicet forte aliquis: Paulus (t) dies prohibet obſervari, & menſes, & tempora, & annos. Prohibet quidem ſuperſtitioſe obſervare: ut ſtulti nunc multi Almanachiſtæ faciunt: qui atros dies, & infelices ducunt, Idibus aut Calendis proximos. Certe Ovidius ipſe ab eventu dicit, non a natura, iſtos omen accepiſſe:

— Illis nam Roma diebus
Damna ſub adverſo triſtia Marte tulit.

Nos autem & dies & menſes, Solisque & Lunæ motus, ſic obſervamus, ſicut a Deo creata ſunt: ut eſſent in ſigna, & dies, & tempora, & annos.

Computus ergo, utcunque Latina vox, a computare uſurpatum eſt, pro arte inveniendi Feſta mobilia præcipue. Immobilia enim ſingulis anni diebus aſcripta ſunt in Calendario. Quamquam & horum quoque verſus quidam traduntur, memoriæ cauſa: ſed alii ab aliis. Et eorum ratio atque ars eſt, cum litera Dominicali inveſtigare quoto die menſis, & qua feria hebdomadæ, veniat Feſtum: quoniam ſyllabæ numerant dies menſium, & invento die, litera diei feriam demonſtrat hebdomadis. Vulgo fiunt verſus, Cilio Janus Epi. &c.

In anno ſolari ſunt 365. dies cum ſex horis. Ideo quarto quoque anno addimus diem unum ſexto Calendas Martii [id eſt, 24. Februarii) unde dictus biſſextus: quia eo anno ſub eadem litera F. numeramus bis, ſexto Calendas Martii. Et fiunt tunc dies anni 366. Et mutatur litera Dominicalis. Datur enim eidem literæ F. feria etiam ſequens.

Menſes ſunt duodecim: ſed numerus dierum menſium non idem eſt. Siquidem Februarius habet dies 28. & in biſſexto 29. Quatuor hi: Junius, Aprilis, September, & November 30. Reliqui, videlicet, Martius, Majus, Julius, Auguſtus, October, December habent 31. Quare ſufficit meminiſſe illorum quatuor, hoc verſu:

Junius, Aprilis, Septem, Novemque trigenos.

Diem incipiunt Aſtrologi a meridie: Babylonii ab ortu Solis: Hebræi ab occaſu: nos in omnibus eum metimur a media nocte: ſed Feſtivitates a primis Veſperis incipimus. Romani, & plerique Itali, horas numerant 24. ab occaſu Solis ad alterum occaſum.

Prima dies menſis dicitur a Latinis Calendæ, a calata (id eſt, vocata) plebe: Græcis eſt Neomenia, id eſt, Novilunium. Incipiebant enim pleræque nationes olim menſes a prima Luna poſt conjunctionem. Plenilunium Græca voce appellarunt etiam Latini Idus: tanquam ſpecici, & formæ Lunæ perfectæ diem. Nonæ vero ſignificant nonum diem ante Plenilunium. Sed hæc nomenclatura, cum ad menſes ſolares translata ſit, a prima certe nominum ratione deflexit. Vocamusque Calendas, & Nonas, & Idus, non ad Lunæ formam vel motum, ſed ad dierum numerum menſis cujusque ſolaris reſpicientes.

Primum menſem anni Romani faciunt Januarium: & vulgus hunc ordinem tenet. Sed Aſtrologi Martium, quia ab æquinoctio verno auſpicantur. Galli morem Eccleſiæ antiquum retinentes, a Paſchate ordiuntur: & hactenus nos ſequuti ſumus in noſtra Dioiceſi.

(s) De regulis his monendus es Lector, ut obſerves, easdem traditas fuiſſe ante Gregorianam Calendarii emendationem. Synodus enim hæc celebrata eſt anno 1571: Calendarii vero emendatio Gregoriana ſecuta fuit anno 1582. *Vide, quæ de anno & ejus partibus prænotata ſunt in Parte Hiemali Breviarii Romani.* (t) Gal. 4.

Digitized by Google

ceſi. Sed ex hac differentia fit, ut non ſit idem annus omnibus biſſextilis : quoniam cum dies biſſexti cadat inter Januarium & Februarium, idem iis, qui annum a Januario inchoant, biſſextilis erit, aliis non biſſextilis. Quod ignorare non oportet.

Cyclus Literæ Dominicalis.

g	f	e	d	b	a	g	f	d	c	b	a	f	e	d
			c				e				g			
c	a	g	f	e	c	b	a	g	e	d	c	b		
b				d				f				a		

Literæ Dominicales ſunt ſeptem A. b. c. d. e. f. g. quia ſeptem ſunt dies in hebdomada, hiſce 7. literis notati. Septem Planetis dedicabant gentiles, Soli, Lunæ, Marti, Mercurio, Jovi, Veneri, & Saturno. Nos diem Dominicam appellamus primam, ab Apoſtolis edocti: & Romana dictione, 2. 3. 4. 5. 6. ferias: nimirum ut a peccatis, & operibus iniquis, feriemur ſemper. Septimam autem, Hebraice, Sabbathum. Sed ſingulis annis mutantur harum literarum dies. Nam quæ hoc anno notabat diem Dominicam, ſequenti anno indicabit diem Lunæ. Ad inveniendum ergo, qua litera quovis anno dies Dominica ſignetur, circulus factus eſt ipſarum literarum, qui conſtat ex 28. partibus. In quibus literas ſic collocamus, ut quarto quoque loco binæ reperiantur. Retrocedendo tamen. Nam & ſingulis annis retrocedunt hæ a ſuis feriis: propterea quod ultima Decembris eadem eſt, quæ prima Januarii, ſcilicet A. Facilitatis cauſa in 28. manus ſiniſtræ articulis diſponito, incipiendo in baſi auricularis digiti, introrſum, ut in figura.

Manus interior.

13 f	14 e	15 d	16 c b
17 a	18 g	19 f	20 e d
21 c	22 b	23 a	24 g f
25 e	26 d	27 c	28 b a

Manus exterior.

12 g a	11 b	10 c	9 d
8 e f	7 g	6 a	5 b
4 c d	3 e	2 f	1 g

Ad inveſtigandum autem quolibet anno quæ ſit litera Dominicalis, ponamus finem hunc in anno Domini 1564. qui biſſextilis fuit. In prima autem ſede diſponendo literas in manu: numero annorum Chriſti additis 4 aggregatum divide per 28. Quod reliquum eſt, ordinato per articulos manus, incipiendo nunc ab ultima ſede: locum inventum preme pollice ejusdem manus, donec literas diſponendo (uti juſſimus) ad eum articulum perveneris, quem premis pollice. Litera ſic Dominicali inventa, diem alium quemlibet menſis noveris. Nam ſi ſit ea (verbi gratia) A: cum prima menſis Januarii ſit A: ſequitur dati anni primam Januarii eſſe Dominicam: ſecundam Lunæ, &c. Sed expedit memoria tenere menſis cujusque primam literam. Hoc docebunt primæ literæ ſyllabarum harum, *Adam degebat eger coſia defert.*

Cyclus Aurei numeri Decemnovenalis.

Alter Cyclus dicitur Aurei numeri, quod aureis literis, ob dignitatem, & uſum inveſtigandi Novilunia, diſtributus fuit in Calendario. Sic enim diſpoſitus eſt, ut ubicunque anni currentis numerus eſt, illic Lunæ conjunctionem cum Sole fieri declaret. Quamquam certe jam, labentibus annis, antiqua ejus diſpoſitio multum a veris conjunctionibus defecit. Ad inveſtigandum autem hunc numerum divide numerum annorum Chriſti, (uno addito) per 19. quod reliquum eſt, numerum anni aureum notabit. Sufficietque nunc abjeciſſe 1500. diviſo reliquo. Nam æquatum fuit cum 1500.

Quoniam igitur numerus iſte ſic in Calendario diſtributus eſt, ut cujuslibet anni ſignet Novilunia: fueritque præceptum a Domino in lege, ut 14. Luna primi menſis manducaretur Agnus Paſchalis: nos Canonem Concilii Nicæni retinentes [qui æquinoctium in menſe Martio jam declinante poſuit] quærimus primo Aureum numerum anni currentis, in Martio: & ab eo loco numeramus 14.; ſequenti quidem die Dominico Paſcha noſtrum eſſe deberet: ſed ne cum Judæis impiis ſolennitatem hanc celebremus, ſi Luna 15. ceciderit in Dominica, transferimus celebritatem in proximam Dominicam ſequentem.

Quamquam autem invento die Paſchatis facile eſt reliqua mobilia Feſta reperire: tamen Septuageſimam primum ſolemus inveſtigare: venit enim ſtatim in anni principio, nempe vel in Januario, vel in Februario: unde & ſolennitates aliæ aperiuntur. Quæramus igitur, antequam finiatur annus Aureum numerum, qui proxime præcedit feſtum Epiphaniæ: (hic enim plerumque eſt anni præcedentis) ab eo numero dies 40. Dominica ſequens hos dies 40. erit Septuageſima, niſi annus ſit biſſextilis. In biſſexto enim oportet numerare 41. Dominicæ ſequentes Septuageſimam ſunt Sexageſima, Quinquageſima, Quadrageſima, [quæ dicitur

Brandonum] Dominica ſecunda Quadrageſimæ, quæ Reminiſcere: tertia, quæ Oculi: quarta, Lætare: quinta, quæ In paſſione: ſexta, quæ In ramis Palmarum. Hinc Paſcha. Et a Paſchate prima Dominica Quaſimodo, vel in Albis: ſecunda, Miſericordia: tertia, Jubilate: quarta, Cantate: quinta, Vocem: & hæc quidem eſt ante Aſcenſionem. Sequitur enim Aſcenſio die Jovis. Poſtea Dominica intra octavas Aſcenſionis: deinde Pentecoſtes. Sequitur Feſtum Trinitatis, & intra octavas Trinitatis, feria quinta, Feſtum Euchariſtiæ. Intra vero octavas Euchariſtiæ, Dominica incidens, dicitur Dominica prima poſt Trinitatem: & alio etiam nomine [licet improprie] Dominica prima poſt octavas Euchariſtiæ. Sed Dominica prima Adventus ſemper proxima eſt feſto Sancti Andreæ, ſive ea in Decembri veniat, ſive in Novembri.

Eſt alius adhuc tertius Cyclus, quem vocant Indictionis: locorum 15. Incipit a Septembri: nempe ab æquinoctio Autumnali. Hunc invenies, additis 3. numero annorum Chriſti. Nos tam literæ Dominicalis, quam numerorum, Aurei, & Indictionis, finem ponamus in anno 1564., qui ſublatis 1500. relinquit 64. Ergo anno Domini 1564. fuit annus biſſexti, literarum AB: Cyclus Lunæ 7. & idem Indictionis.

Atque hæc quidem hactenus Curatis, & Eccleſiarum Rectoribus ſcitu neceſſaria tradidimus. Verum ut aliis quoque, quantum hic opus eſt, & res patitur, pro more noſtro ſatisfaciamus: licet curioſa quis ea ducat, & nimium exquiſita: non tamen omnino vel inutilia, vel impertinenti a, trademus, ſi quem juvat cœleſtium orbium motus noſſe. Quæ ſigna ſunt diei Feſti & ævi.

Canon Feſtorum mobilium.

COmponitur tabula hac modo. Prima columna datur Septuageſimæ, a 18. Januarii ad 21. Febr. cum ſuis literis Dominicalibus Calendarii. Nam currente numero aureo XVI. & litera D: Paſcha fit 22. Martii, & Septuageſima 9. hebdomadibus ante fit 18. Januarii. Altera columna datur diei Cinerum, a 4. Febr. ad 10. Mart. Tertia Paſchati, a 22. Mart. ad 25. Aprilis. Quarta Aſcenſioni, a 30. April. ad 3. Junii. Diſpones autem ſemel Aureum numerum, ſic ut ad primam literam, quæ eſt D. ponatur V. & ſupra hunc, XVI. Reliquos eodem ordine repones, quo diſpoſiti inveniuntur ubique. Facta in hanc formam tabula, quære numerum aureum anni, & ſubtus eum literam Dominicalem ejusdem anni: non eam quidem cui numerus appoſitus eſt, ſed quæ proxime ſequitur. Huic reſpondent e regione Feſta anni, niſi is biſſextilis fiet: Tunc enim literam ſecundam anni accipies, propter Feſta, quæ poſt diem biſſexti veniunt.

		Septuageſima.	Cinerum.	Paſcha	Aſcenſio.	Pentecoſte.
xvj.						
v.	d	18. Jan.	4. Feb.	22 Ma.	30 Ap.	10 Ma.
	e	19	5	23	1 Maji	11
xiij.	f	20	6	24	2	12
ij.	g	21	7	25	3	13
	A	22	8	26	4	14
x.	b	23	9	27	5	15
	c	24	10	28	6	16
xviij	d	25	11	29	7	17
vij.	e	26	12	30	8	18
	f	27	13	31	9	19
xv.	g	28	14	1. Apr.	10	20
iiij.	A	29	15	2	11	21
	b	30	16	3	12	22
xij.	c	31	17	4	13	23
j.	d	1. Feb.	18	5	14	24
	e	2	19	6	15	25
ix.	f	3	20	7	16	26
	g	4	21	8	17	27
xvij.	A	5	22	9	18	28
vj.	b	6	23	10	19	29
	c	7	24	11	20	30
xiiij.	d	8	25	12	21	31
iij.	e	9	26	13	22	1. Jun.
	f	10	27	14	23	2
xj.	g	11	28	15	24	3
	A	12	1 Mar.	16	25	4
xix.	b	13	2	17	26	5
viij.	c	14	3	18	27	6
	d	15	4	19	28	7
	e	16	5	20	29	8
	f	17	6	21	30	9
	g	18	7	22	31	10
	A	19	8	23	1. Jun.	11
	b	20	9	24	2	12
	c	21	10	25	3	13

Cum in Calendariis ita diſpoſitus inveniatur numerus Aureus, ut Lunæ locum non amplius monſtret: (Lunationes enim quinque jam dies anticipantur.) Primum quæret aliquis, unde hæc mutatio? Deinde, unde fit, ut menſes noſtri non conveniant, neque cum Græcis, neque cum Arabicis, neque cum Ægyptiacis, neque cum Judaicis? ac ne cum Romanis quidem antiquis? An quia æquinoctia translata temporibus ſunt? æquari namque cum altero non poterit, quocum in principio, & fine non convenit. An quia Lunæ motus non congruit omnino cum Aureo numero? Nam ſi lunatio-

tiones non redeunt eædem, nec anni lunares fient iidem: nec menſes ipſi, quibus anni definiuntur lunares. Hic error, paulatim ſurrepens, magnas in Eccleſia olim excitavit difficultates: quando alii alio tempore Paſcha celebrarent. Sed decretum fuit tandem in Niceno Concilio, & in Romano, ſub Conſtantino Imp., celebrandum id fore ſemper a 14. Luna primi menſis uſque ad 21. ut Dominica dies coruſcaret. Et quia eo tempore [circa annum ſcilicet 325.] æquinoctium erat in 21. Martii: Ideo proximam illi diei Lunam ſemper poſtea ſumpſere. Et Euſebius (vel quisquis fuit ille, cui mandatum fuerat negotium) numerum hunc in Calendario diſpoſuit cum Ægyptiis. Sed error ſub Theodoſio ſeniore rurſum apparuit. Quare Theophilus Alexand. Epiſcopus, circulum alium cœpit Ogdoadum, incipiens a conſulatu Antonii & Syagrii. Sed neque hic ſatisfecit [ut conſtat ex Leone I.] & ad Cæſareum reditum eſt. Anno igitur 532. ſub Juſtiniano, cognito errore primo ex eo, quod cum Ægyptiis & Hebræis (qui annum inchoarent ab æquinoctio autumnali) diſpoſuiſſet cyclum, non cum Romanis: data fuit denuo Provincia Dionyſio exiguo, Abb. Rom. Is aliud nihil egit, quam quod remiſit initium hujusce numeri, ab æquinoctio Autumnali, ad Vernum. Atque in hunc modum diſpoſitus hucusque remanſit. Quamquam in Breviario Pii V. reductum invenias nunc ad locum conjunctionum noſtri ſæculi, a Januario inchoando.

De annis ergo, & menſibus, pauca accipe: plura enim & quæſitiora apud alios invenias. Annus notter Romanus, ſecundum motum Solis per Zodiacum accipitur. Hujus circuitus fit diebus 365. & quadrante: non tamen præciſe. Nam ſi ad amuſſim finiretur, non mutarentur Æquinoctia. Atqui reperitur notter communis Alfonſino major, & Ptholemaico: [t] ut in 134. communibus annis, demendus veniat dies unus. Hinc eſt, quod nunc æquinoctium, quod tempore Nicæni Concilii in 22. Martii ponebatur, fiat 10. Mar. in anno biſſextili, & in aliis 11. Quin etiam compertum fuit, quod cum anni medii ſignent æquinoctium in ingreſſu ſigni Arietis: jam tamen verum æquinoctium dies aliquot præterlabatur: nimirum quando Sol eſt in ſectione Æquatoris & Eclipticæ. Nam noſtris temporibus, ob titubationem octavi orbis, ſectio hæc in 26. gradu Piſcium eſt: & æquinoctium nunc verum inter 5. & 6. Martii accidit. Fitque ex motu octavæ Sphæræ, ut annorum quantitas etiam ipſa varietur, licet modice. Major enim aliquando eſt, aliquando minor, & in 3500. annis Romanis addere oportet dies 16. quia minores ſunt totidem veris, ex quo cœpit caput Arietis aſcendere a latitudine Boreali. Sequitur ex his, quod ad retinendum perpetuo diem ingreſſus Solis in Arietem, oportet in anno 134. omittere biſſextum. Hoc enim die majores ſunt anni 134. communes, totidem veris.

Hæc de anno ſolari. Annus autem lunaris minor ſolari eſt, diebus undecim, quas vocant Epactas. Conſtat enim 12. Lunæ circuitibus, ſeu lunationibus, quas menſes, a Mene, [id eſt, Luna] etiam Latini dixerunt. Cum redeat enim Luna ad Solem diebus 29. horis 12. minutis 44. & ſecundis 3. duodecies ſumpta quantitas hæc (omiſſis interea minutis) dies complet 354. Atqui ſolaris annus, uti diximus, habet dies 365. hor 6. ergo diebus 11. minor hic erit annus, vero. Quare, ut æquentur ambo, mos eſt his, qui lunares tenent, tertio plerumque anno menſem unum addere lunarem. Sic tertius annus habet 13. menſes: & vocatur Embolimæus, vel embolimicus: dierum 384. & menſis additus, dicitur Græce quidem Embolimicus, Hebraice autem adjectus Adar. Nam Adar ultimus eſt menſis. Ergo lunarium quantitatem ut æquarent, tam Græci, quam Arabes, & Hebræi, aliis 29. dies, aliis 30. dedere, alternatim. Et hos quidem plenos, illos cavos appellarunt Latini: ſicut & annos 154. dierum, Synodicos, alios Embolimæos Græci. Sed Ægyptii, qui ſolari anno utuntur, 12. menſes anni, faciunt 30. dierum ſingulos: addentes ultimo dies 5. ut fiant 365. Elegerunt tamen Romani potius alternatim plenos & cavos: nempe alios 30. dierum, alios 31. Excepto Februario [ut diximus] 28. dierum: in cujus fine quarto quoque anno addatur dies unus, propter quadrantem reliquum. Alioqui enim, ſi prætermitteretur intercalatio, non redirent menſes iidem ante annum 1465., quem magnum antiqui vocarunt, & cynicum, id eſt, caniculare, ut refert Cenſorinus.

Scito tamen, in Scriptura Sacra annos fieri dierum 360. & menſes 30., quod patet ex Geneſ. c. 7. & 8. & Apoc. 11. Author etiam eſt Philo lib. de Opif. mundi. & Origen. hom. 4 ſuper Num. & Hippolitus lib. de Conſtr. mundi. Sed profecto contemplanda hic vis illa Divina Septenarii primi numeri pleni: cujus cuncta periodo tempora definuntur. In cyclo 19. facere coguntur Hebræi 7. embolimicos, reſtantibus diebus 4. hor. 8. helakim 876. hujusmodi momentis conſtat hora 1080. Jam in tekupha 91. dies finiuntur, & 7. horæ cum dimidia, at 91. per 7. dividuntur. Rurſum 4. hebdomadis in menſe abjectis, reſtant 1. 12. 793. multiplica in menſes 12. relictis hebdomadibus, reſtant 4. 8. 476. e cyclo 19. ablatis hebdomadibus, reſtant 2. 16. 595. Cyclus autem Solis major

(t) Habet enim Alfonſi dies 365. ho. 5. min. 49. 2'. 16. Ptholomæi autem 365. 5. 55. 12.

eſt, quam Lunæ hora 1. 485. & ablatis 8 cyclo Solis hebdomadibus, reſtant dies 19. diei $\frac{1}{4}$ hor. 6. ſuntque reliqui 2. dies 18. horæ. Collectis omnibus cyclis, & diebus, & horis, & momentis, abjectisque hebdomadibus, ſemper recurrunt lunationes & tekuphæ. Merito ergo finitur Sabbatum diebus 7., & olim Jubilæum annis 7., & magnum Jubilæum 7. hebdomadibus annorum. Nam & ſeptimo anno dierum 360., ſi 7. ſextas menſis, & dies 7. (qui ex quadrantibus 7. paulo minus excreverunt) addas: fient in eo menſes 13. & dies 7. ſolennitatis. Qui adhuc quia major eſt 6. horis fere: omiſſis horis aliquot, quæ ex minutis illis colliguntur, quibus annus communis major eſt vero: demendo in ſingulis quinquagetimis diem unum, fiet, ut poſt annum 350. redeant iidem dies: quæ eſt alia hebdomas. Et forte anno 700. omnia exequantur. De anno magno variæ ſunt ſententiæ. Omnes fere reditu omnium Stellarum ad locum aliquem definiri voluere. Ariſtarchus annis finit 2484. Arretes Dirrachius 5552. Herodotus 10800. Dion 13984. Orpheus 120000. Caſſandrus 3600000. Alii nunquam in ſe reverti putant.

Menſes ergo ante captivitatem Babylonicam Hebræi numeris tantum notarunt, ab æquinoctio Verno. Et Romanis de patre ſuo Romulus Martium primum indixit anni menſem. Docet nomenclatura horum: Quintilis, Sextilis, September, November, December. Addidiſſe fertur Numa Pompilius Januarium & Februarium: & anni initium in bruma poſuiſſe. Ex quo nata controverſia apud Scriptores Latinos de menſium Romanorum numero. Alii enim decem a principio fuiſſe ajunt: ut Varro, & Suetonius. Alii duodecim, ut Feneſtella & Licinius Macer. Nec mirum videri debet, quod inter Authores, in componendis peregrinis menſibus cum Romanis, raro conveniat. Multæ enim cauſæ ſunt. Tres tamen præcipuæ. Una, quod alii Solares ſumerent, alii Lunares menſes: & embolimicos confunderent cum ſynodicis. Altera, quod non ab eodem cardine omnes inchoarent annum. Tertia, eſt cardinum mutatio: hoc eſt, æquinoctiorum & ſolſtitiorum. Adde, quod ex Sacris Scriptoribus alii Macedonicos (qui cum Hebræis multum convenirent) uſurparunt: alii Alexandrinis atque Ægyptiacis uſi ſunt. Ex his factum eſt, ut bruma, quod olim ante Chriſtum natum quingentis annis, erat initium Januarii, nunc ſit 11. Decembris: & quod Aprilis initium, ſit nunc 10. Martii. Hæc ratio eſt, cur Epiphanius contra hæreſes l. 1. Auguſto apponit Thyrſi Hebræorum, & merſſori Ægyptiorum, & gorpieona Macedonum, & appelleona Græcorum. Chriſtiani nunc in civilibus negotiis initium plerique faciunt a Nativitate Domini: Alii a Reſurrectione, ut Galli, & nos in Dioiceſi noſtra hactenus. Sed officium Eccleſiaſticum omnes ordinamus ab Adventu. Et ſane, ſi rem attentius conſideremus, veriſimilius eſt Apoſtolos, recenti memoria tenentes Chriſti paſſionem, mortem & reſurrectionem, a paſſione & reſurrectione tempora prædicationis ſuæ, & apoſtolatus, rerumque aliarum ordinem deduxiſſe, quam a nativitate. Nam & mos idem diu perſeveravit: fuitque curæ multis in Eccleſiis, ut in die Epiphaniæ indiceretur Paſcha. Quin & in formatis diem hunc, quaſi ſymbolum communionis, poni aliquando voluerunt. Patet diſt. 13. Siquidem creatum eo die mundum: & eo in virginali utero conceptum Dei Filium arbitramur, licet aliter Judæi: & ſtata dies myſterio ſit Incarnationis, 25. Martii. In Cancellaria Rom. ab Incarnatione numeratur. Sed undecunque incipiamus, profecto neceſſe eſt alterutros deficere: nimirum quanta fuit Domini noſtri ætas in paſſione. De annis mundi non una eſt ſententia. Judæi a creatione ad Chriſtum ponunt annos 376. (*u*) dies 4. Sed ex Joſepho aliter ſentiant.

Paſſum autem Dominum, Patres Eccleſiæ in Nicæno Concilio tenuerunt 8. Cal. Aprilis. Idem Tertullianus, Cyrillus, Chryſoſtomus, Hieronymus, Auguſtinus, Caſſiodorus. Sed Lactantius lib. 4. cap. 10. de vera Sapientia, de Tiberio loquens: Cujus anno, inquit, XV. id eſt, duobus Geminis conſſ. ante diem x. Cal. Aprilium Judæi Chriſtum cruci affixerunt. Epiphanius autem xiiij. Calen. April. crucifixum, ſed natum 5. Januarii. Paulus Mittelburgenſis paſſum colligit Prid. Calen. Aprilis. Paulus Burgenſis, iij. Nonas Aprilis. Videtur enim anno illo ſumptum diem Paſchatis ex aureo numero præcedentis anni, qui in principium Aprilis mittebat Plenilunium. Tradit autem idem Burgenſis Dominum feciſſe Paſcha eo anno, uno die antequam Judæi fecerint. Rationes adducit has. Quod Plenilunium contigerit feria 5. (*x*) hora 19. cum minutis aliquot: Solere

(*u*) Manifeſtus hic error eſt, ut conſideranti patet. De vera ratione annorum, qui a creatione Mundi uſque ad diluvium, indeque uſque ad Chriſtum interceſſere, vide interpretes. Tirinus ab Orbe condito ad diluvium annos numerat 1656., uſque ad Chriſtum vero annos 4000. *Vide Chronicum Sacrum Tirini Cap. 7. 8. & 47. ante Tom. I. Comment. in Vet. & Nov. Teſtam.*

(*x*) Erat hæc 14. Luna: in cujus veſpera præcedente, id eſt, Jovis, quæ in diem Veneris incidebat (a veſpera enim dies inchoabant) cœnavit cum Diſcipulis juxta legis præceptum. Die autem 15. quievit in ſepulchro: & 16. reſurrexit.

Solere autem Judæos transferre tunc ſolennitatem in diem ſequentem, quoties ſuperaret horas 18. Diebus quoque Veneris, & Mercurii, & Lunæ, prohiberi Feſtivitatis magnæ celebrationem. Quare cum veniſſet eo anno Paſcha die Veneris, dilatum fuit in Sabbatum. Azymorum tamen ſolennitas incepit die Jovis, ad veſperam: in qua licet Judæi non manducaſſent agnum, nihilominus diligentia magna (ut Divino parerent præcepto) & lucernis accenſis, panis fermentati quicquid eſſet in domibus, eliminabant. Hæc haberi dicunt ex traditione Patrum: in quo certe irritam fecerunt legem Dei. Quæ ſi vera ſunt, magna afferunt myſteria. Nam ſi ſic eſt, profecto Salvator non ſolum Paſcha fecit ſecundum legem Moſaicam Luna 14., ſed etiam ſe ipſum obtulit (Agnum certe verum, in lege figuratum, pro peccatis mactandum) eo ipſo die, quo Judæi in figura eundem comedebant. Sabbato quoque quievit in ſepulchro. Quies enim in Sabbato jubebatur. Primaque Sabbati (id eſt, die Dominica) reſurrexit, ut legis antiquæ completa hebdomada, novam inchoaret. Cæterum Epiphanius multo aliter. Ait enim Judæos anticipaſſe Paſcha eo anno, videlicet tertiam veſperam, pro quinta celebrantes. De conſulibus etiam, ſub quibus paſſus eſt Dominus (unde & magna incertitudo de ætate ejus) aliter ſentit, quam cæteri omnes. Res autem videtur ſic habere. Quoniam anno decimo quinto Tiberii Cæſaris, conſolatus duorum Geminorum ſucceſſit (hos fuiſſe dicunt C. Rubellionem, vel Rutellium, & C. Rufum) & eo anno, hoc eſt, ætatis Chriſti 30. Chriſtum paſſum fuiſſe dixerunt antiqui Tertullianus, Julius Africanus, & Lactantius: Hinc factum eſt, ut Auguſtinus, & Oroſius, & alii plerique, paſſum ſub Geminis affirmarint. Sed Epiphanius contra, poſt conſulatum Geminorum, atque etiam Rufi & Rubellionis, ſub Vinitio, ſcilicet, & Longino Conſulibus, paſſum, uti diximus, natumque annos 32. & dies 74. nondum completo anno 33. Sic paſſus eſt Dominus, ex hac ſententia, anno Tiberii 18. Hanc ſequuntur Euſebius, Eutropius, Caſſiodorus, Honorius Auguſtudunenſis, Beda, Joannes Monachus, Jornandes, & alii. Conſtat enim ex Evangelica hiſtoria, tribus feſtivitatibus Paſchalibus ſupervixiſſe Dominum poſt Baptiſmum Joannis. Non ergo mortuus fuit anno 30. quo baptizatus fuerat. Hanc difficultatem attulit conſularium annorum incertitudo.

Sed ſatis de numero, & initio annorum Chriſti. Redeamus ad Lunares annos. Dictum quidem eſt, annum Solis, qui 365. diebus cum quadrante conſtet, majorem eſſe, quam Lunarem, Epactis 11. Cumque per Epactas æquari non poſſint exacte, (redit enim Luna ad Solem diebus 29. hor. 12. m. 44. ſec. 3.) idcirco quamvis tertio quoque anno addito uno menſe embolimico videantur coire: tamen deprehenſum fuit olim longius eſſe procedendum: & periodi finem fieri viſum eſt anno nono. Circulum vocarunt henneaterida, id eſt, novennalem. Hujus ultimo anno appellente, Pithia agebantur Delphis. Simili namque ritu in Elide, quarto quoque anno (cui noſter biſſextilis ſucceſſit) agon fieri ſolebat Jovi Olympico, [unde Olympiades] & Romæ Capitolino, ludi ſeculares. Hunc circulum lunarem, novennalem tenuerunt multo tempore Romani, & etiam Hebræi: ſed accepto a Chaldæis, ſub Julio Cæſare, decemnovennali aureo numero, valere alterum ſiverunt. Et Judæi cum lunaribus annis utentes, Novennali ſæpius deciperentur: uſurpare quoque poſtea coacti ſunt decemnovennalem. In qua periodo annis his intercalare ſolent emboliſmos, 3. 6. 8. 11. 14. 17. 19. Ea enim videtur fuiſſe cauſa, cur celebrarent non raro Paſcha ante æquinoctium, ſicut & eorum error ab Eccleſiæ Prælatis ſæpe damnatus eſt. Ægyptiorum poſtea & Chaldæorum inventus eſt circulus 25. annorum, ut refert Ptholomæus, lib. 6. cap. 3. mag. Conſt. Quo ſpatio fiunt Lunationes 309. reſtante hora 1. m. 8. 2'. 18. Ob has minutias, ne hic quidem circulus ſtare poteſt. Arabes ergo, qui & ipſi lunaribus annis utuntur, Cyclum faciunt 30. annorum: intercalantes tertio quoque anno, menſem ex Epactis 11. Hoc circuitu fiunt Lunationes 360. diebus 10631. M. 18. 2'. 15. Quare neque hic numerus Lunæ coitum demonſtrat exacte. Nos Romanum ſemper tenemus aureum 19. Quem licet præcedant Lunationes 235. hora una, M. 28. 2'. 3. 3'. 15. (non enim complentur horæ 18., ſed 16 m. 3. 2'. 56. 3'. 45. ſicut obſervatum fuit ſæpius in meridiano Alexandrino) tamen addito alio circulo 16. aureorum circulorum, quo dies unus remittatur: item alio biſſextilium, ut anno 134. omittatur intercalatio biſſextilis: certe in longum tempus ſervari poterit henneadecateris Romana, & Eccleſiaſtica. Cum fiant enim Lunationes 235. diebus 6939. hor. 16. m. 31. 2'. 56. 3'. 45. anni autem 19. Romani, diebus 6939. hor. 18. ſequitur neceſſario differentiam excreſcere in 16. periodis, in diem unum. Quare non ſine cauſa in annis 304. repertus eſt receſſiſſe Aureus numerus die uno, a locis ſuis. Auferamus ergo nos in 304. annis diem unum, ob Lunæ motum, & in 134. alium, ob motum Solis medium: absque dubio Luminarium conjunctiones habebimus: & ex conjunctionibus, ætates alias Dianæ. Ergo licet Arabum cyclus exactior cæteris

teris ſit : nos, qui Romanis utimur ubique annis, retinere poſſumus Aureum numerum, nec unquam fallemur.

Regula inveniendi ætatem Lunæ per Epactas, memoriter quovis tempore.

MUltiplica anni tui currentis numerum aureum per xi. multiplicationi adde quotus eſt menſis tuus a Martio : (ab hoc enim menſe incipiunt Aſtrologi) ab aggregato rejice xxx. quoties potes. Reſiduum indicabit tibi diem veræ conjunctionis. Nec unquam falleris, modo teneas memoria anni currentis numerum aureum. Si vero diem ſcire cupis Novilunii Eccleſiaſtici, ſive Nicæni, ex quo deducuntur Feſta mobilia : adde quinque dies inventis. Eſt enim hic tardior vero.

Nomina Menſium, & ordo, apud Nationes aliquot.

Romani incipiunt a Bruma menſes Solares.

1 Januarius, 2 Februarius, 3 Martius, 4 Aprilis,
5 Majus, 6 Junius, 7 Julius, 8 Auguſtus, 9 September,
10 October, 11 November, 12 December.

Ægyptii Solares, ab Æquinoctio Autumnali ordiuntur.

1 Thoth: 2 Phaophi: 3 Athyr: 4 Choiac: 5 Tybi,
6 Mechir: 7 Phamenoth: 8 Pharmuthi: 9 Pachon:
10 Payni: 11 Epiphi: 12 Meſore.

Hebræi Lunares ab Æquinoctio Verno.

1 Niſan: 2 Aiar: 3 Civan: 4 Thamuz: 5 Ab: 6 Elul:
7 Thiſri: 8 Maresvan: 9 Ciſliu: 10 Tebeth:
11 Sebat: 12 Adar.

Macedones Lunares, ſicut Hebræi, ab Æquinoctio Verno.

1 Xanthicus: 2 Artemiſius: 3 Deytius, & Dæſius:
4 Panemus: 5 Lous: 6 Gorpiæus: 7 Hyperberetæus:
8 Dius: 9 Apellæus: 10 Audynæus: 11 Peritius:
12 Dyſtrius.

Athenienſes, Lunares annos a Solſtitio Æſtivo inchoabant.

1 Hecatombeon: 2 Metagitnion: 3 Bœdromion:
4 Mæmacterion: 5 Pyanepſion: 6 Antheſterion:
7 Poſedeon: 8 Gamelion: 9 Elaphebolion:
10 Mounychion: 11 Thargelion:
12 Scirrophorion.

ORdinem hunc a Theodoro Gaza ſumptum imprimis habe : licet is cum Romanis non ſatis congruat. Sed ſi rationem habes initiorum, facile erit omnes inter ſe componere. Illud quoque ſcire oportet: apud Authores antiquos alios ſæpe cum aliarum gentium aliis mixtos fuiſſe. Nam Pyanepſion dictus eſt Beotice apud Heſiodum Damatrios: & Mæmacterion, Alalcomenos: Metagitnion, Panemos: Hecatombeon, Cronios, & Hippodromios: Thargeleon, Phyſios: Poſſedeon, Lenæon, & Buceros. Et idem Macedonibus dictus Audynæos, & Nechion : & Beotice, Harmæos, & Athice, Gameleon. Elaphebolion apud Thucydidem Gereſtios, unde & Macedonibus, Geritios.

Satis multa de Calculo : nunc de Feſtis immobilibus noſtræ Dioiceſis, quæ de præcepto coluntur, hæc accipe.

IN JANUARIO.

A 1 Feſtum Circumciſionis Domini.
F 6 Epiphania.
C 17 Antonii Abbatis.
A 22 Vincentii Martyris.
D 25 Converſio S. Pauli.

IN FEBRUARIO.

E 2 Purificatio Beatæ Mariæ Virginis.
D 22 Cathedra Sancti Petri.
F 24 Matthiæ Apoſtoli.

IN MARTIO.

G 25 Annuntiatio Dominica, quæ facta eſt B. Mariæ Virgini, de Incarnatione Domini.

Si Feſtum hoc venerit in die Jovis hebdomadæ Sanctæ, vel ſequentibus, uſque ad Quaſimodo, transfertur ejus officium poſt octavas Paſchæ : quia toto iſto tempore non fit officium de aliquo Sancto, licet Feſtum celebretur a populo.

IN

IN APRILI.

A 23 Georgii Martyris.
C 25 Marci Evangeliſtæ.

Paſcha frequenter venit in hoc menſe: & habet octavas, nec fit de aliquo Sancto infra octavas.

IN MAJO.

B 1 Philippi & Jacobi Apoſtolorum.
D 3 Inventionis S. Crucis.
F 5 Dedicatio Eccleſiæ S. Joannis
G 6 Joannis ante Portam Latinam.

Feſtum Dedicationis Eccleſiæ S. Joannis celebratur in Eccleſia Cathedrali, & in Eccleſiis nondum dedicatis, quæ ſunt in Dioiceſi noſtra: aliæ vero dedicatæ, ſuas Dedicationes celebrent. Et habet octavas.

Feſtum Aſcenſionis frequenter venit in hoc menſe, & habet octavas: fit tamen de Sanctis occurrentibus infra dictas octavas. Litaniæ (ſive Rogationes) fiunt diebus Lunæ, Martis, & Mercurii ante Aſcenſionem, & abſtinetur a carnibus: & in die Lunæ ſequenti poſt Aſcenſionem, incipit Synodus, quæ dicitur Maji.

Frequenter quoque venit Feſtum Pentecoſtes, quod celebrari debet cum duobus diebus ſequentibus. Habet octavas: nec fit de aliquo Feſto infra octavas, ſed transferuntur Feſta novem lectionum.

Diebus Mercurii, Veneris & Sabbati poſt Feſtum Pentecoſtes, celebrantur jejunia Quatuor Temporum. Et Dominica prima poſt Pentecoſten fit Feſtum Sanctæ Trinitatis.

Et die Jovis poſt Feſtum Trinitatis, fit Feſtum de Sacramento Corporis Chriſti, quod habet octavas. Et nota, quod dies Dominica poſt Feſtum Corporis Chriſti, tamen ipſa computata, eſt hactenus prima Dominica poſt octavas Euchariſtiæ: quantum attinet ad Evangelia, & hiſtorias, uſque ad Adventum.

IN JUNIO.

C 6 Claudii Archi-Epiſcopi Biſunt.
A 11 Barnabæ Apoſtoli.
G 24 Ferreoli & Ferrucii Martyrum Paſſio.
G 24 Nativitas B. Joannis Baptiſtæ.
E 29 Sanctorum Petri & Pauli Apoſtolorum Paſſio.

IN JULIO.

G 22 Mariæ Magdalenæ.
C 25 Jacobi Apoſtoli.

IN AUGUSTO.

C 1 Petri ad Vincula.
E 3 Inventio B. Stephani Proto-Martyris.
E 10 Laurentii Martyris.
C 15 Aſſumptio B. Mariæ Virginis.
E 24 Bartholomæi Apoſtoli.
C 29 Decollatio Sancti Joannis Baptiſtæ.

IN SEPTEMBRI.

E 8 Nativitas B. Mariæ Virginis.
E 14 Exaltatio S. Crucis.
E 21 Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ.
F 29 Michaelis Archangeli.

In hoc menſe Septembri diebus Mercurii, Veneris & Sabbati, poſt Exaltationem S. Crucis, celebrantur jejunia Quatuor temporum.

IN OCTOBRI.

D 4 Sancti Franciſci.
D 18 Lucæ Evangeliſtæ.
G 28 Simonis & Judæ Apoſtolorum.

In hoc menſe Octobri celebratur Synodus Autumni, die Mercurii poſt Feſtum S. Lucæ, & incipit die Martis.

IN NOVEMBRI.

D 1 Solemnitas Omnium Sanctorum.
E 2 Commemoratio Defunctorum, celebratur uſque ad meridiem.
G 11 Martini Epiſcopi.
E 30 Andreæ Apoſtoli.

Si Feſtum Omnium Sanctorum veniat in die Sabbati, tunc Commemoratio Defunctorum fit die Lunæ, juxta ritum Eccleſiæ Romanæ.

Notandum quoque, quod primam Dominicam Adventus dat nobis feſtum

Digitized by Google

S. Andreæ, eam ſcilicet, quæ proxima reperitur, ſive præcedat hæc, ſive ſequatur. Eandem Dominicam inveſtigant alii a die XXVI., quæ Craſtina S. Catharinæ: ſequentem Dominicam accipientes, & hoc facilius eſt.

IN DECEMBRI.

D 6 Sancti Nicolai.
F 8 Conceptio Beatæ Mariæ Virginis.
C 21 Thomæ Apoſtoli Paſſio.
B 25 Nativitas Domini.
C 26 Stephani Protomartyris Paſſio.
D 27 Joannis Evangeliſtæ natalis.
E 28 Sanctorum Innocentium Paſſio.

In hoc menſe Decembri, diebus Mercurii, Veneris & Sabbati, poſt feſtum S. Luciæ (quod eſt XIII. menſis) celebrantur jejunia Quatuor temporum.

Generaliter in omni menſe.

Omnes dies Dominici, feſtum Patroni cujuslibet Eccleſiæ in ſua Eccleſia, & Dedicationes particulares Eccleſiarum, in ſuis Parochiis duntaxat. Alia vero Feſta, quæ conſueverunt fieri ex devotione, annunciabunt Curati, ut ſcire poſſint Parochiani, quando illa venerint, & ea celebrare, ſi voluerint.

V. PRÆCEPTUM ECCLESIÆ.

De Jejunio.

STATUTUM I.

JEjunia ex Præcepto Eccleſiæ obſervanda in hac Dioceſi ſunt hæc. Primum in ſingulis hebdomadis abſtineatur ab eſu carnium diebus Veneris & Sabbati, in memoriam mortis & ſepulturæ Chriſti.

II.

Jejunandum in feriis Quatuor temporum uſque ad horam nonam, vel uſque ad meridiem: abſtinendumque ab eſu carnium. Sunt autem feriæ iſtæ dies Mercurii, Veneris & Sabbati ſequentes Dominicam ſecundam Quadrageſimæ, quæ dicitur Brandones, feſtum Pentecoſtes, Exaltationis S. Crucis, & S. Luciæ.

III.

Eodem modo jejunandum in Vigiliis Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, Nativitatis Beati Joannis Baptiſtæ, Paſſionis Petri & Pauli, Matthæi, Andreæ, & Laurentii Martyris, Simonis & Judæ Apoſtolorum. Unde verſus:

Petrus & Andreas, & cum Laurente Joannes,
Simon, Matthæus abſtineant dapibus.
Omnes Sancti, Aſſumptio Virginis, natus
JESUS,
Et Pentecoſte, temporibusque quater.
Tempora jume faces, Crux ebria, Lucia,
Pneuma,
Inde tribus feriis, dicito jejunium.

IV.

Jejunium Quadrageſimale debet obſervari, abſtinendo ab ovis & lacticiniis, & carnibus: in aliis autem jejuniis licet uti ovis & lacticiniis. Sed generaliter in omnibus jejuniis abſtinendum eſt a carnibus.

V.

Jejuniorum tempore ſumenda eſt refectio ſemel in die duntaxat, hora nona, quam meridianam nunc interpretamur, vel circa illam horam.

Hora nona naturalis, & juxta Sacram Scripturam, tertia eſt poſt meridiem, qua olim fideles cibum capiebant. Sed tendente mundo ad finem, cum charitas frigeſcat, multa remittuntur de rigore veteris obſervantiæ.

VI.

Diebus Dominicis prohibitum eſt jejunare: quia ſuperſtitionem ſaperet gentilium. Eodem modo, tam jejunia, quam Feſta ſuperſtitionis Judaicæ, vel Mahometicæ, prohibentur ſub excommunicationis pœna.

Sed de Jejunio amplius infra.

Cum propoſita fuiſſet quæſtio in collatione quadam Synodali, quid ſentiendum videretur de iis, qui per noſtram Dioceſin, non ſine ſuperſtitionis nota, diem Sabbati poſt meridiem, in honorem (ut ajebant) B. Ma-

B. Mariæ in otio obſervarent: Sabbatum enim colere judaizare eſt: in honorem autem B. Virginis (ſi Eccleſiæ traditionem ſequi vellent) non ſero, ſed manc officium facit Eccleſia diebus Sabbati: ſed cum a Majoribus ſuis accepiſſe ſe ritum hunc contenderent: qui certe non ut Sabbatum in honorem Mariæ colerent, ſed ut diei Dominicæ feſtum inchoarent, (qui eſt Eccleſiæ ritus ſolennis) ante veſperas ab agro redibant, ut ſolennitatibus Feſtorum intereſſent, quæ omnes a primis incipiunt veſperis: Nos ut ſuperſtitionis cauſam tolleremus, quando per mulierculas fraude ſubmiſſas, & fanaticos homines, populus noſter ſeducebatur, ſtatuendum duximus, ſicut ſequitur:

VII.

Statuimus & ordinamus, cuſtodiendam omnino eſſe eorum, inter quos vivimus, inoffenſam ſocietatem. Et quod B. Auguſtinus in Epiſtola ad Caſulanum de jejunio diei Dominicæ tradidit, hoc nos ad otium Sabbati transferamus. Nam ſicut malum eſt homini, qui per ſcandalum manducat: (ut docet Apoſtolus) ita malum eſt homini, qui per ſcandalum jejunat. Et ſicut malum eſt homini, qui per offenſionem operatur: ita malum eſt homini, qui per offenſionem vacat. Quare his diebus quando per ſomnia, & vanas revelationes quarundam fæminarum, ſuperſtitioſi aliqui noſtræ Dioiceſis ſine cauſa dogmatizare ceperunt, quod quaſi ſacra ſolennitate ſtatuta otium obſervari debeat in pomeridiana parte Sabbati: (etiam ſi ſuam hanc obſervationem a Judaiſmo alienam eſſe contendant) tamen, ne majus malum incurratur in ſcandalo, quam bonum percipi poſſet ex merito, Prohibemus omnibus & ſingulis noſtræ Dioiceſis, ne quis poſt hac vacandum eſſe aſſerat, aut ſtudioſe ſic vacet in Sabbato: niſi cum Feſta celebrat Eccleſia. Laudamus tamen omnes eos, qui in honorem diei Dominicæ, Veſperis & Officio Eccleſiaſtico Sabbati, & aliorum Profeſtorum dierum, interſunt cum Catholicis.

DE DECIMIS ET OBLATIONIBUS.

INter præcepta Eccleſiæ ponunt plerique mandatum de ſolvendis Decimis. Sed multis Canoniſtis videntur Decimæ eſſe de jure Divino: ex verbis illis Decreti, 16. q. 1. Decimas Divinæ legis ſanxit authoritas, Sacerdotibus & Levitis eſſe reddendas. Et ex c. Parochianos. ext. de Decimis. Scribitur enim Levit. 27. Omnes Decimæ terræ, ſive de frugibus, ſive de pomis arborum, Domini ſunt. Et poſtea: Omnium Decimarum ovis, & bovis, & capræ (quæ ſub Paſtoris virga tranſeunt) quicquid Decimum venerit, ſanctificabitur Domino.

Sed hujus quæſtionis difficultatem ſolvit D. Thomas in diverſis locis. Ejus verba ſubjiciamus ex 2. 2. q. 88. art. 1. Decimæ, inquit, in veteri lege dabantur ad ſuſtentationem Miniſtrorum Dei. Unde dicitur Malach. 3. Inferte omnem decimationem in horreum meum: ut ſit cibus in domo mea: unde præceptum de ſolutione Decimarum partim quidem erat morale, (indictum naturali ratione) partim autem judiciale, ex Divina inſtitutione robur habens. Quod enim eis, qui Divino cultui miniſtrabant ad ſalutem populi, populus neceſſaria victus miniſtraret, ratio dictat naturalis: ſicut & iis, qui communi utilitati invigilant: ſcilicet Principibus, & militibus, & aliis hujusmodi, ſtipendia victus debentur a populo. Apoſtolus hoc probat. 1. Corinth. 9. Per humanas conſuetudines, dicens: Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Sed determinatio certæ partis exhibendæ Miniſtris Divini cultus, non eſt de jure naturali: ſed eſt introducta inſtitutione Divina, ſecundum conditionem illius populi, cui lex dabatur: qui cum in 12. tribus eſſet diviſus, undecima tribus, (ſcilicet Levitica Miniſteriis Divinis mancipata) poſſeſſiones non habebat. Quare æquum erat, ut undecim aliæ tribus decimam partem ſuorum proventuum Levitis darent, ut hi viverent honorabilius. Fuit quoque determinatio hæc decimæ partis, judicialis, propter transgreſſores præcepti: non cæremonialis. Cæremonialia namque ſolum ad ſignificandum aliquid futurum inſtituta fuerunt, quæ jam ceſſarunt: judicialia autem de novo conſtitui poſſunt. Ita determinatio decimæ partis ſolvendæ tempore novæ legis inſtituta eſt ſecundum quandam humanitatem, authoritate Eccleſiæ: ut ſcilicet non minus populus novæ legis, Miniſtris novi teſtamenti exhiberet, quam populus veteris exhibebat: cum populus novæ legis ad majora obligetur, ſecundum illud Matth. 5. Niſi abundaverit juſtitia veſtra: & cum Miniſtri novi teſtamenti ſint majoris dignitatis, quam Miniſtri veteris: ut probat Apoſtolus 2. Corinth. 3. Sic ergo patet, quod homines tenentur ad ſolutionem Decimarum, partim quidem ex naturali, partim etiam ex inſtitutione Eccleſiæ: quæ penſatis

oportunitatibus temporum & perſonarum, poſſit aliam partem determinare ſolvendam. Hæc Thomas. Addit etiam in argumentis, præceptum de ſolutione Decimarum, quantum ad id, quod erat morale, datum fuiſſe in Evangelio, Matth. 10. Dignus eſt operarius mercede ſua. & 1. Corinth. 9. Quis militat ſuis ſtipendiis unquam? Quis paſcit gregem, & de lacte gregis non manducat? Si nos vobis ſpiritualia ſeminamus, magnum eſt, ſi carnalia veſtra metamus? Neſcitis, quoniam qui in Sacrario operantur, quæ de Sacrario ſunt, edunt: & qui altario deſerviunt, cum altario participant? Ita & Dominus ordinavit iis, qui Evangelium annunciant, de Evangelio vivere. Et Galat. 6. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, & qui ſe catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare: Deus non irridetur. Addit idem: Debent autem Eccleſiæ Miniſtri majorem curam habere ſpiritualium bonorum in populo promovendorum, quam temporalium colligendorum. Apoſtolus enim noluit uti poteſtate ſibi a Domino tradita accipiendi illa ſtipendia ſui laboris: ne daretur aliquod impedimentum Evangelio. Ait enim, Sed non uſi ſumus hac poteſtate: ſed omnia ſuſtinemus, ne quod offendiculum demus Evangelio Chriſti. Sic Miniſtri Eccleſiæ, ſi ſine ſcandalo exigere Decimas non poſſunt, [ut propter deſuetudinem, aut aliam cauſam interceptas] non requirunt. Nec tamen ſunt in ſtatu damnationis, qui non ſolvunt in locis illis, in quibus Eccleſia non petit: niſi forte propter obſtinationem animi. Ut ſi haberent voluntatem non ſolvendi, etiam ſi ab eis peterentur. Tunc enim peccant, ſubtrahentes Miniſtris Dei neceſſaria, & Deo univerſalis Dominii cauſa debitum tributum.

Primitias enim, atque Decimas Deo offerunt Chriſtiani, non ſolum gratitudinis cauſa, pro iis, quæ ab eo acceperunt, (tanquam bonorum omnium datori) ſed etiam in ſignum univerſalis Dominii, quod ſupra nos ille gerit Deus Omnipotens. Ut ergo omnia ei accepta referant homines: certe alia pars dari non conveniebat, ut videtur, qua gratitudinem erga datorem oſtenderent magis, quam ſit Decima. Denarius enim numerus univerſalitatem notat: quoniam aliorum numerorum limes eſt, & cardo, in quem omnes alii numeri revolvuntur. Ubi ſi tertiam, vel quartam partem redderent, non omnia ſe debere profiterentur. Sed hac in re conſuetudo loci approbata ſequenda eſt ubique, ne quis infirmorum ſcandalizetur.

Sequitur ex his, quæ dicta ſunt, ſolis Clericis curam animarum habentibus, per ſe competere jus hoc percipiendi Decimas, & oblationes. Quoniam jus hoc ſpirituale eſt. Conſequitur enim debitum illud, quo Miniſtris debentur ſumptus de miniſterio Sacramentorum, & doctrinæ, & hoſpitalitatis: quæ ex officio Clerici curam animarum habentes diſpenſare tenentur. Idcirco etiam oblationes omnes, quæ Capellis, vel Cruci, aut imagini fiunt, Curati Eccleſiæ Parochialis ſunt: non Capellani: ac multo minus laicorum: niſi Epiſcopus ipſe celebret in Parochia. Tunc enim Epiſcopi erunt, non Curati. Doctores in c. Paſtoralis. De iis, quæ ſi. a præl. & glo. in l. Statuæ. ff. de uſuf.

Sed res ipſæ, quæ nomine Decimarum dantur, quia corporales ſunt, nihil prohibet etiam Laicis, nedum Religioſis, poſſe deberi: debito jure manente Eccleſiæ. Hinc factum eſt, ut in Lateranenſi Concilio ſub Alexandro III. Papa, Anno 1180. Multæ Decimæ datæ fuerint per orbem Chriſtianum generoſis militibus, propter bellum, quod gerebatur tunc temporis cum infidelibus Mahometanis. Capitula quoque Eccleſiarum Cathedralium ex eo videntur eſſe capacia juris Decimarum: quod eorum Canonici in miniſterio ſint aſſiduo, Coadjutores Epiſcoporum.

Ex his ſequitur, Decimas nullo modo præſcribi poſſe a laicis. De præſcrip. cauſ. Nec a Clericis, Parochiam non habentibus. eo. De quarta. Nec a Religioſis, Parochiam non habentibus. 16. q. 1. Placuit. Quod ſi præſcribantur contra Parochiam unam ab alia, in aliquo prædio: non extenduntur propterea ad aliud, quod de novo colitur. ext. eod. Cum contingat. ff. de pact. l. Si unus. §. Ante omnia.

Sequitur etiam, quod qui Decimas tenent in feudum, non recipiunt Decimas novalium, quia debentur Eccleſiæ Parochiali: niſi forte ſint Religioſi, ex privilegio Decimas recipientes. ext. eod. Tua nobis. ex parte. &, Cum contingat.

Sequitur inſuper, quod pauper laicus tenetur ſolvere etiam diviti Clerico habenti, unde ſuſtentetur: quia jam debitum factum eſt. Ita idem S. Thomas quol. 6. art. 10. Nec propter opinionem, quam quis habere poteſt de vita reprehenſibili Sacerdotis, ideo eas debet retrahere. ext. eod. Tua nobis. Si vero ſcienter ſolvat ei, qui violenter Eccleſiam occupat, non excuſatur: niſi vel metu id agat, vel ille, qui Eccleſiam occupat, a Prælato toleretur, non contradicente.

Si igitur quæras, quinam tenentur ad ſolvendum Decimas, & quando, & de quibus rebus, & in qua quantitate: dicimus conſuetudinem in his potiſſime obſervandam in uno quoque loco. Sed diſtinguendum.

dum. Siquidem aliæ ſunt perſonales, aliæ prædiales. Et prædiales quidem de iis dantur, quæ in prædiis proveniunt: Ut ex vino, tritico, & aliis. Perſonales, quæ ex opera vel induſtria perſonæ: Ut ex artificio, militia, venatione, & ſimilibus, Mixtæ ſunt, quæ ex animalibus: quia partim ex paſcuis, partim ex cura Paſtorum exiſtunt.

Ubi ergo non ſunt prædiales, dantur perſonales. Sed non recipiantur de rebus reſtitutioni obnoxiis: Ut quæ ex furto, vel uſura partæ ſint. Nam immolantis ex iniquo, (ait ſapiens Eccleſiaſt. 34.) oblatio eſt immunda. Neque ex turpi quæſtu, ut de meretricio, hiſtrionatu, & ſimilibus, (Deuteron. 23. Non offeres mercedem proſtibuli.) quando ex peccato notorio quæſtus provenit: ne videatur Eccleſia velle approbare peccatum. Ideo ſi a peccato deſtiterint hi, & pœnituerint: licebit accipere. Thom. 2.2. q. 88. art. 2.

Et perſonales quidem dari oportet Eccleſiæ Parochiali, vel baptiſmali, in qua Divina recipis Sacramenta. 16. q. 1. Prædiales autem, in cujus Parochiatu prædia ſita ſunt. De Paroch. c. ult. 16. q. 1. De Decimis.

Hilari vultu dantor. Nam Eccleſiaſt. 35. dicitur: In omni dato, fac hilarem vultum tuum: & in exultatione ſanctifica Decimas tuas.

Mox quoque collectis frugibus. Nam ſi tardaveris, peccatum erit. ext. Cum homines. Et, Tua nobis. Et Aug. ſerm. 219. Exod. 22. Decimas, & primitias tuas non tardabis offerre Domino.

Cumque jus Decimarum ſit morale, & a natura inditum, tenentur omnes laici ad eas: niſi ſe immunes oſtendant. c. A nobis. Et quaſi ex debito compelli poſſunt per cenſuras. Judex autem ſummarie, & de plano procedet. c. Diſpendioſam. de Judiciis. in Clem.

Differunt ergo hæc nomina inter ſe: Decimæ, Primitiæ, & Oblatio. Namque oblationes Deo immediate fiunt, & voluntariæ ſunt. Primitiæ autem, in quantum offeruntur, quoque voluntariæ ſunt in quantitate: licet, ut Hieronymus refert in Ezech. & Malach. 3. Magiſtri Synagogæ intra Quadrageſimam, & Sexageſimam, primitias redegiſſent. Sed & oblationes, & primitiæ, nunc, quamvis de ſe liberæ ſint: tamen, ut Theologi docent, ſub præcepto poſſunt aliquo modo venire aliquando. Veluti bonus denarius quem vocant, & panis benedictus per turnum, mortuaria, & ſimilia. Verum, uti diximus, in omnibus his ſtandum eſt conſuetudini approbatæ. Nam conſuetudo vim præcepti habet.

STATUTUM I.

PRæcipit igitur Sancta Synodus omnibus, cujuscunque gradus, & conditionis ſint, ad quos Decimarum ſolutio ſpectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in poſterum Cathedrali, aut quibuscumque aliis Eccleſiis, vel perſonis, quibus legitime debentur, integre perſolvant. Qui vero eas aut ſubtrahunt, aut impediunt, excommunicentur: nec ab hoc crimine, niſi plena reſtitutione ſecuta, abſolvantur.

SERMON DE S. AUGUSTIN Des Diſmes.

FReres treſchers, par la grace de JESUS Chriſt les jours des moiſſons ſont venus. Pource rendant graces a Dieu, qui les nous a donnez, penſons aux diſmes, qu'il nous faut offrir. Que dis je, offrir? ains qu'il nous faut rendre. Car Dieu ne deſdaigne point repeter de nous un dixieme, nous ayant donné le toutage, qui n'eſt pas pour luy toutesfois, mais pour nous. Ainſi l'a il promis par le Prophete, diſant: Pourtez en mes greniers tout le diſme: à fin qu'il y aye du vivre en ma maiſon. Et eſpreuvez moy en cela, dict le Seigneur, ſi je ne vous ouvre les cataractes du Ciel & ne vous donne du fruict en abondance. Voylu comme nous avons preuve, que les diſmes profitent plus a nous, qu'à Dieu. O hommes fols & inſenſez, commanda jamais Dieu choſes meſchantes? Vous a il dict choſes pourquoy ne doive eſtre oy? Il dict, Tu ne tarderas de m'offrir les premiers fruicts de ta grange & de ton preſſoir. Donc ſi c'eſt un peché, donner tard les diſmes, de combien ſera il plus grand, n'en donner point? encores dict-il, Honore ton Seigneur Dieu de tes juſtes labeurs: offre luy des fruicts de ta juſtice: à fin que tes greniers ſoyent remplis de froment, & tes preſſoirs auſſi abondent de vin. Tu n'acomplis cecy pour rien: veu que tu le recevras bien toſt avec uſure. Tu me demanderas paravanture, à quoy profite ce que Dieu reçoit pour rendre? Tu demanderas encores à quoy profite ce, que lon donne aux pauvres? Si tu me croys, c'eſt pour toy. Sy en fais doubte, tu l'as perdu. Les diſmes (croyez moy, freres) c'eſt un tribut de pauvres ames. Rendez donc le tribut aux pauvres: & offrez

aux presbtres les libations. Et si tu n'as disme de fruicts terriens, comme un laboureur: Dieu attend dismes de tout ce, qui te nourrit. Car tout ce que ton esprit gaigne, est à Dieu, soit en guerre, soit en negotiation, soit en artifice ou mestier. Autre chose nous payons pour la terre: autre pour recompence de l'usage de nostre vie. Rens le donc, ô homme, pource que tu le possedes: rens le pourtant qu'as merité naistre. Car il dict, Donneront chacun d'eux la rançon de leurs ames: Et n'y aura en eux ny maladie, ny desastre. Vayla comme pourras apprendre des saincts escritures les cautions de ton Seigneur, par lesquelles il te promet, que si donnes les dismes, non seulement tu recevras abondance de fruicts, mais encores tu obtiendras la santé du corps. Tes granges seront remplies, dict il, de froment, & tes pressoirs d'abondance de vin espancheront. Et n'y aura maladie, ny desastre. Si rendant les dismes tu peux meriter les choses terriennes & celestes: pourquoy te deffraudes tu par avarice de double benediction? Escoute donc homme mortel & indevot: Tu scais bien que tout ce, que tu reçois, vient de Dieu, & tu ne l'accommodes point des choses, qu'il a creees? Le Seigneur Dieu n'en a pas besoing. Il ne demande premiation, mais l'honneur. Il ne demande rien du tien que tu luy bailles. Il ne desdaigne poinct demander les premices & dismes: & tu les denies, avaricieux? Qu'est ce que tu ferois, si luy prenoit les neuf parties, & te laissoit seulement la dixieme pour toy? Certes cecy est desia advenu, puysque tes moissons sont faillies, pour avoir Dieu retiré sa benediction: & la gresle a abattu ta vigne, ou elle a esté coulée du magnin. Comme comptes tu, avaricieux? Tu as perdu les neuf parties, pour n'avoir voulu donner la dixieme. On scait bien ce que tu n'as point donné. Toutesfois Dieu le demande. C'est la coustumie de Dieu nostre Seigneur tresjuste, que si tu ne luy bailles le disme, tu seras remis à la dixieme partie. Car il est escrit, le Seigneur dict, Pource que les dismes de vos champs, les premices de la terres sont avec vous: mais je le voy & vous me pensez tromper: la diretion sera en vos tresors & dedans vos maisons. Tu seras contraint donner au Soldet sans pitie ce que tu refuses aux presbtres. Dict encores nostre Seigneur tout puissant, Convertissez vous a moy, & je vous ouvriray les Cataractes du ciel, & espancheray ma benediction sur vous, & ne corrompray point les fruicts de vostre terre, ny la vigne sera malade en vostre champ: & serez beays entre toutes gens. Dieu est prest tousiours pour faire du bien: mais il est empesché par la malice des hommes, qui veullent bien, que Dieu leur baille tout, & eux ne veullent rien offrir de ce qui leur semble, qu'ils doivent tenir & posseder. Que feriez vous si Dieu disoit, L'homme, que j'ay faict, est à moy: mienne est la terre, que tu labeures: la semence, que tu y mets, est à moy: les bestes, que tu fais travailler, sont miennes: les pluyes, les vens, la chaleur du Soleil, tout cela est à moy. Puis que tous les elemens, qui te font vivre, sont à moy: tu qui ne fais autres chose, qu'y mettre la main, ne meritois à grand peine encores la dixieme partie. Toutesfois pource que Dieu Omnipotent par sa bonté nous paist, il donne au laboureur pour recompence un present tresample. Il luy donne tout: & se reserve seullement le disme. Trompeur ingrat & desloyal, je te conviendray par la voix de Dieu. Voicy l'an desia fini: rens au Seigneur le loyer de ce, qu'il a faict pouvoir. Rachepte toy homme pendant que tu vis. Rachepte toy toy mesme pendant que tu peux. Rachepte toy (dis-je) pendant que tu as en tes mains le pris. Rachepte toy, à fin que quant la mort avaricieuse te prendra, tu ne perdes le tout ensemble, assavoir la vie & le pris. Tu n'as point de cause de laisser cecy à ta femme, qui peut estre prendra un autre mary. Et toy femme n'as cause de le laisser à ton mary: car il desire avoir une autre femme. Tu recommandes en vain tes soucis à tes parens & amis: personne d'eux ne te rachaptera fidellement apres la mort, puis que tu n'as voulu te rachepter toy-mesme en ta vie. Mets en bas de sur tes espaules le fardeau d'avarice. Mesprise ceste maistresse avarice tresveuelle: laquelle te pressant d'un joug tresdur, ne permet que tu reçoives le joug de JEsus Christ. Car comme le joug d'avarice deprime la personne à l'enfer: ainsi le joug de JEsus Christ l'esleve au ciel. Les dismes sont requis d'obligation: & qui ne les veut donner, il invahit le bien d'autruy: & tant de pauvres, qui meurent de faim au lieu où tu habites, pour non leur avoir faict du bien, de tant d'omicides seras coulpable devant le tribunal du juge eternel, pource que tu as retenu à ton prouffit ce que Dieu a laissé pour les pauvres. Donc qui desire gaigner le pris, ou pardon de ses pechez, qu'il rende le disme, & des neuf parties qu'il mette son estude à donner l'aumosne aux pauvres, de telle sorte toutesfois, que tout ce qui restera, excepté son

vivre

vivre moderé, & veſtement raiſonnable, ne ſoit reſervé à diſſolution, mais qu'il ſoit remis au treſor celeſte par aumoſnes des pauvres. Car tout ce, que Dieu nous a donné de plus qu'il ne faut, il le nous a envoyé pour diſtribuer aux autres, non pas pour nous ſeullement. Et ſi ne le donnons, nous invahiſons le bien d'autruy.

DE OPERIBUS SATISfactoriis, & Meritoriis.

DE Satisfactione, tertia ſcilicet parte Pœnitentiæ, quæ a Sacerdote imponitur confitenti, ſuo loco dicemus: nunc opus ſatisfactorium appellamus illud, quodcumque pro peccatis commiſſis perſolvimus Deo: & quo radices peccatorum, cauſasque quaſi excidimus. Eſt autem notandum, quod peccata noſtra duo conſequuntur: macula & pœna, id eſt, culpa, [qua Deus offenſus manet] & reatus, id eſt, obligatio ad pœnam. Culpa ſi remittatur, remittitur & reatus, quantum ad pœnam æternam inferni: ſed non ſtatim pœna omnis, quin reparatio aliqua fieri debeat illatæ injuriæ: quia nec bonum irremuneratum, nec malum ullum a Deo impunitum eſſe poteſt, qui juſtus eſt & juſtitias dilexit. Non ſatis eſt, ſagittam e corpore extrahi, ſed plaga quoque a ſagitta inflicta ſananda eſt. Sic ab anima noſtra per pœnitentiam culpa amota, neceſſe eſt ad plagam & reliquias peccati, curam adhiberi. Itaque pœnam temporalem ſponte ſumimus de nobis ipſis in hoc mundo, ne in æternum damnemur. Nam ſi nos ipſos dijudicaremus, non utique judicaremur a Domino. Unde & meritoria dicimus hæc opera vitæ æternæ, quatenus cum Spiritus Sancti gratia juncta ſunt. Joan. 4. Aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.

Eſſe autem bona opera, meritoria, tam ſpiritualium, quam corporalium bonorum, ſenſus ipſe communis docet, & ea fuit ſemper opinio in Eccleſia Catholica. Quamvis enim ex propriis viribus noſtris ſine Dei gratia nihil valeamus, ſed Deus det nobis velle & perficere pro ſua voluntate, & ſint omnes juſtitiæ noſtræ (ſi cum Dei juſtitia comparentur) tanquam immundiciæ: & cum fecerimus omnia, quæ præcepta ſunt nobis, (*a*) neceſſe ſit fateri, quod ſervi inutiles ſumus, quod ea tantum, quæ debuimus facere, fecimus: nec condignæ (*b*) ſint paſſiones hujus mundi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis: multaque alia adferantur contra hanc doctrinam: tamen adeo multa extant teſtimonia Sacræ Scripturæ in contrarium, ut neceſſe ſit cum B. Auguſtino (*c*) ſentire, quod quando Deus opera noſtra remunerat, tunc ſua dona coronat. Quapropter ſoli Deo debetur gloria. Si quid quoque nobis propter opera noſtra confert boni Deus, vel temporalis, vel ſpiritualis, hoc ex gratia ſua & mera liberalitate confert, non ex obligatione alia, quam quod ita promiſerit. Qua ex doctrina fidem noſtram, & ſpem, & charitatem, bene agendo confirmamus, & animum mirum in modum conſolamur, & quietum reddimus, ſcientes, Deum fidelem eſſe in verbis ſuis, & juſtum in omnibus operibus ſuis. Gratia quoque Dei, qua opera noſtra ornata ſunt, & ex qua procedunt, vita æterna eſt. Hic eſt fons ille aquæ vivæ ſalientis in vitam æternam, uti diximus.

Quare non ſolum meritoria ſunt apud Deum noſtra opera in fide & charitate facta: ſed cum ſpe mercedis & præmii fieri poſſunt ab homine: quanquam non prima, ſed ſecunda intentione. Prius enim ad honorem Dei omnia agere debemus, ſive manducantes, ſive bibentes, ut docet Apoſtolus. (*d*) Hanc expectat fidelis, non tanquam ſervus: ſervus enim non manet in domo in æternum, ſed tanquam filius & hæres, qui in timore ſalutem ſuam operatur, ne a paterna gratia effluat. Servus temporalem mercedem ex officio ſuo expectat, vel certe ex inobedientia plagas & verbera: gratiæ herilis non adeo cupidus. Idcirco Theologi meriti duplicem rationem ponunt. Aliud enim vocant de condigno, aliud de congruo. Et in illo quidem juſtitiæ intelligunt, quaſi commutativæ, exactam rationem. Et hoc modo indignæ paſſiones noſtræ ſunt: nec quisquam hominum ſic meretur apud Deum. De congruo autem meremur: quia Deus liberalis eſt, & ſe ipſum negare non poteſt, qui mercedem pro bonis operibus promiſit.

Loca Scripturæ, quæ ad hanc rem faciunt, ut in promptu habeat Curatus, ſi opus fuerit, aliqua afferamus.

Abundate in omni opere bono, ſcientes, quod labor veſter non eſt inanis in Domino. Non enim injuſtus eſt Deus, ut obliviſcatur operis veſtri. 1. Corint. 15.

Matth. 10. Quicumque potum dederit uni ex minimis iſtis, calicem aquæ frigidæ tantum in nomine diſcipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem ſuam.

16. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis: & tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus.

25.

(*a*) Luc. 17. (*b*) 1. Cor. 3. Philip. 2. (*c*) Ad Sextum Presb. (*d*) 1. Cor. 10.

Digitized by Google

25. Venite Benedicti,&c. Eſurivi enim; & dediſtis mihi, &c.

Act.10. De Cornelio dicitur,quod aſcenderunt orationes ejus & eleemoſinæ in memoriam in conſpectu Dei.

Matth.6. Docet Dominus orare non in publico, ſed in abſcondito, ut Pater, qui videt, reddat tibi.

7. Qui facit voluntatem Patris mei, ipſe intrabit in regnum cœlorum.

5. Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra copioſa eſt in cœlis.

19. Sunt, qui ſe caſtraverunt propter regnum Dei. Et omnis, qui reliquerit patrem, aut matrem, &c. centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

Si vis ad vitam ingredi, ſerva mandata.

Rom. 2. Gloria & honor omni operanti bonum, &c. Qui reddet unicuique ſecundum opera ſua.

Phil. 2. Cum metu & tremore, veſtram operamini ſalutem.

2. Tim. 4. Bonum certamen certavi, curſum conſummavi, fidem ſervavi. In reliquo repoſita eſt mihi corona juſtitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die, juſtus Judex.

Heb. 6. Nolite amittere confidentiam veſtram, quæ magnam habet remunerationem.

10. Ut facientes voluntatem Dei,reportetis repromiſſionem.

Jacob. 1. Si permanſerit in lege,&c. Factor operis,&c.

Jacob. 2. Videns, quod ex operibus juſtificatur homo?

2. Pet. 1. Hæc ſi vobis adſunt, non vacuos conſtituent vos in Domini cognitione.

Pſ. 119. Inclinavi cor meum ad faciendas juſtificationes tuas propter retributionem.

Pſal. 7. Secundum puritatem manuum mearum retribuet mihi.

Pſal. 18. Servus tuus cuſtodit ea, & in cuſtodiendis illis retributio multa.

Ezech. 8. Juſtitia juſti ſuper eum, & impietas impii ſuper eum. In juſtitia, quam operatus eſt, viver.

Daniel. Peccata tua eleemoſynis redime. Sed hæc ſufficiant.

Cum ergo omne, quod eſt in mundo, ſit vel concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ: ad cujuscunque peccati extirpandas radices tria inveniuntur opera aptiſſima, *Oratio*, *Jejunium*, & *Eleemoſyna*. Nam bona, quæ concupiſcimus, vel ſunt animi, vel corporis, vel (ut loquuntur) fortunæ, id eſt, commodorum externorum. Contra carnis petulantiam medicina eſt jejunium. Contra ſuperbiam, Oratio. Contra pleonexiam Eleemoſyna. Præterea ſi eos etiam, qui peccatis noſtris offenduntur, ſpectemus: Deum oratione placabimus: proximo eleemoſyna ſatisfaciemus: nos ipſos jejunio caſtigabimus. De his ergo paucis jam dicendum eſt: & primum de Jejunio.

De JEJUNIO.

JEjunii nomen parum in uſu fuit Scriptoribus prophanis: ideo non mirum, ſi aliqui falluntur, idem exiſtimantes Jejunium, quod ſobrietatem. Sed poteſt quidem ſobrius quis eſſe, qui tamen non erit jejunus.

Propter multas cauſas, & graviſſimas, Eccleſia præcipit jejunari. Primo enim peccatorum veniam per jejunia nos caſtigantes meremur. Si nos ipſos [inquit (*e*) Apoſtolus] judicaremus, non utique judicaremur. Et apud Joelem (*f*) Dominus: Convertimini ad me in toto corde veſtro, in jejunio, & fletu, & planctu, &c.

Secundo prodeſt ad mortificationem carnis, ne peccato obediamus: ſicut Paulus [*g*] ait, Caſtigo corpus meum, & in ſervitutem redigo, ne, cum aliis prædicavero, ipſe reprobus efficiar.

Tertio, ut mens a deſideriis carnalibus libera ad Deum facilius elevetur: & obtineat, quæ petierit. Sic (*b*) Daniel per jejunium meruit exaudiri.

Quarto, ut noſtra parcimonia pauperum neceſſitatibus ſubveniamus. Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna,quam congregare Theſauros. Tobiæ 12.

Fit etiam naturali quodam modo, ut ſolennitates Feſtorum, quas læti agere debemus, ut Paſchæ, & aliorum, poſt ipſa jejunia agamus multo lætiores.

Itaque Apoſtoli nihil pene arduum, & ſanctum ſine hujus ſanctæ virtutis exercitio auſpicati leguntur. Cum jejunio dimiſerunt Paulum & Barnabam: (*i*) Paulus & Barnabas cum ordinaſſent Presbyteros Lyſtris, & Lycaoniæ: & Paulus de ſe loquitur [*k*], in fame, & ſiti, & jejuniis multis. Centurionis

(*e*) 1.Cor.8. (*f*) Joel.2. (*g*) 1.Cor.9. (*b*) Dan.12.
(*i*) Act.14. (*k*) 2.Cor.11.

Digitized by Google

nis jejunia leguntur in Actis (l) Apoſtolorum. Petrum Apoſtolum frequenter jejunaſſe, & baptizatis a ſe jejunare triduo præcepiſſe, tradit S. Clemens. Non eſt ergo ſola ſobrietas jejunium.

Magnum & generale jejunium D. Auguſtinus vocat, abſtinere ab iniquitatibus, & illicitis voluptatibus.

Sed Eccleſiaſticum, de quo loquimur, eſt abſtinentia ad tempus a licitis cibis: non quidem averſione creaturæ Dei, quæ bona eſt, ſi cum gratiarum actione ſumatur: ſed pietatis cauſa, ad domandam carnem, ut ſpiritui ſubjiciatur: ad fructus dignos pœnitentiæ præſtandos: ad exercendam obedientiam: ad Dei gratiam demum conſequendam. Non enim dixit Apoſtolus, nihil rejiciendum ſimpliciter: ſed quod cum gratiarum actione ſumitur. Quod ſi non ſumatur cum gratiarum actione, & obedientia, rejiciendum eſt.

Abſtinentia carnium diebus Veneris & Sabbati quoddam eſt jejunium, quod Tertullianus vocat portionale. Abſtinentia omnis cibi uſque ad horam meridianam in Quadrageſima, Quatuor temporibus, & Vigiliis ſolennitatum, majus eſt jejunium. Quale faciebat Daniel, etiam majus eſt jejunium.

Majus eſt illud Heliæ. Et majus illud Salvatoris, quadraginta dierum ſpatio nec edentis, nec bibentis. Sed hoc Chriſti jejunium ſupra vires noſtras imitari non quimus. Alia nihil prohibet. Et nos nimium delicatos, quos neque Joannis Baptiſtæ abſtinentiæ, nec Patrum ξηροφαγίας (id eſt, aridi cibi) nec Græcorum vigiliarum exempla movent. Sed diſputationem de jejunio majorem, contra Centuriatores habes lib. 5. Turriani.

DE ORATIONE ET DEVOTIONE.

ADEO multi hucusque de Oratione ſcripſerunt veteres ac novi Authores; ut merito dubitare debeamus, num præſtet nihil de ea hic ſcribere, ne minus pauca narrando, expectationem piorum hominum fallamus, cum multa dici poſſent: an potius, pauca referre, ne nihil habeant ii, in quo ſe exerceant, quibus aliorum non vacat legere monumenta. Sed bene eſt. Nam labor, quem in compilando libro hoc ſuſcepimus, eo reſpicit, ut ſumma capita tantum tradamus, & præcipuæ doctrinæ Eccleſiaſticæ.

Quam vero neceſſe ſit, ut Paſtores tradant orandi formam atque doctrinam; & cura ſalutis ovium, & Chriſti, atque Apoſtolorum exempla, atque lex, ſuadere debent. Obſeſſis enim nobis undique tot periculis, quæ hoſtes aſſidui intentant, [Diabolus, Caro, & Mundus] in oratione ſola ſalutem poſitam habemus. Propterea Dominus noſter JEſus Chriſtus, ſuos, quos diligebat, in anguſtia animi conſtitutos hortatur; Vigilate & orate, ut non intretis in tentationem (m). Inter opera autem meritoria gratiæ & vitæ æternæ: quid majus? quid præſtantius, quam oratio? Eſt oratio Dei cultus maxime proprie, & religionis actus. Per orationem memoria tenet opera Chriſti. Oratione accenditur Dei amor, vitæque hujus contemptus roboratur. Orationis quaſi lumine, mens humana illuſtratur; & ad adorandam Majeſtatem DEI Omnipotentis tanquam manu ducitur. Hic Fides, hic Spes, Charitas, timor Domini, pœnitentia peccatorum, gratiarum actio; notitia ſui ipſius, voluptatum faſtidium, propoſitum vitæ melioris, deſiderium etiam patiendi omnia pro Chriſto. Quas non in oratione invenias ſummas, atque heroicas virtutes: ſi hominem deificat, & ob conſuetudinem cum Deo, Deo ſimilem facit? Sicut ex doctorum & ſapientum, atque elegantium virorum familiaritate, etiam ruſtici & rudes elegantes in ſermone, victuque evadunt: & quod natura negavit, conſuetudo docet: ſic qui frequenter orat, quia cum Deo frequenter eſt & loquitur, Deique utitur quaſi familiaritate: unus ſpiritus efficitur cum eo. Nam qui adhæret Domino, (inquit (n) Apoſtolus) unus ſpiritus eſt.

Adde, quod oratio machinæ inſtar attractricis eſt, ad impetrandum omnia, quæ cupimus. Nam ſi Deus natura benignus eſt, ut credimus, & bonorum omnium largitor liberalis: accedentem ad ſe, paratum agere, & optantem quæcunque juſſerit: confitentem quoque de infirmitate ſua, & Dei Majeſtatem ſuſpicientem: ad fores Divinæ pietatis proſtratum, cum perſeverantia clamantem, & cum Chananea petentem aliquid de micis, quæ cadunt de menſa largitatis ejus: nonne exaudiet? Si cum inimici eſſemus, pro nobis mortuus eſt: quid negaturus eſt iis, quos juſtificavit? Si Patres etiam mali, norunt bona dare filiis ſuis: quidni Pater cœleſtis? Si Judices iniqui, victi importunitate, cauſam pauperis agnoſcunt: quid non faciet Deus, cui grata eſt juſtitia? Oculi Domini ſuper juſtos, & aures ejus ad preces eorum. Porro autem de voluptate, quæ in ora-

(l) Act. 10. (m) Marc. 14. Luc. 21. (n) 1. Cor. 6.

Digitized by Google

oratione eſt, lege D. Aug. in Solilo. c. 25. & Bernardum in cant. ſerm. 35. & ad Eugenium lib. 1.

Supereſt Satisfactio. Siquidem proprietas hæc cauſa eſt, ut de oratione agamus hoc loco. Sicut peccata, quæ in corpore contraximus, jejunio vindicamus, & aliis laboribus: quæ contra charitatem proximi, reſtituit eleemoſyna: ſic quod mente & animo in Deum deliquimus, oratione jubemur reparare. Eſtque non aliter Oratio fructus animæ Deo Domino debitus: quam corporis eſt jejunium, & opum eleemoſyna. Jubemur enim Deum, a quo omnia habemus, ex toto corde, totis viribus, ex tota ſubſtantia honorare. Jubemur Deo gratias agere; fidem apud eum teſtari, effundere ſpem coram eo, & charitatem charitate demereri. Oratio omnia hæc facit. Sed hæc ſufficiant. Qui plura deſiderat, legat Bonaventuram.

Teneamus ergo orationem opus eſſe, & meritorium, & ſatisfactorium, & impetratorium.

Sed dicet aliquis: Quid vocas orationem? plerique enim elevationem mentis in Deum eſſe tradunt. An non orationes dicuntur illæ Sacerdotum, quæ fiunt in Eccleſiis? Cum quis absque animi attentione dicit Orationem Dominicam, an non orat? Reſpondeo duplicem eſſe; & eam quidem, quæ mente fit ad obtinendum aliquid a Deo, maxime hanc eſſe. Quæ vero ſola voce absque ulla attentione, in actu vel habitu, a Propheta reprehenditur. Populus, inquit, hic labiis me honorat, cor eorum autem longe eſt a me.

Ergo ut cum fructu oremus, multa requiruntur. Neceſſe eſt primum, ex corde preces prodeant: non ex labiis tantum, ut videantur ab hominibus. Hoc certe hypocritæ faciunt. Præcipiebat Dominus, Matth. 6. Tu autem cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauſo oſtio ora Patrem tuum in abſcondito. Non utique prohibet orationes publicas, quæ in templo fiebant: ſed ut cum fructu oremus, excludi cogitationes vanas jubet, quæ attentionem diſtrahunt. His fores cordis noſtri occludi volebat. In conclavi ſoli cum ſolo loquamur. Si ergo in foro, vel in via, nihil aliud, quam Deum cogitemus: in cubiculo profecto orare dicemur.

Cæterum, quia imbecillitas humana non ſuſtinet longam attentionem in actu: ne abjiciamus propterea ſpem. Habitualis omnia ſupplebit. Eam ob rem Eccleſia Catholica Horas Canonicas inchoat hoc modo: *Deus in adjutorium meum intende.* Et Eccleſiaſt. 18. Ante orationem præpara animam tuam: & noli eſſe quaſi homo, qui tentat Deum. Hujus nulla poteſt tam brevis eſſe oratio, quin de multiloquio contemnatur. Longa vel brevis non ex verborum numero, ſed ex devotione & affectu judicatur. Chriſtus prolixe oravit: imo in oratione pernoctavit. Idem tamen ait: Cum oratis, nolite multum loqui. Fratres in Ægypto, frequentes potius, quam longas faciebant orationes, ne attentio in longis deficeret. Ut enim corporalis cibus tunc maxime prodeſt, cum fames præcedit: ſic oratio cum devotio accedit. In Eccleſia poſt Pſalmos, Lectiones in omnibus horis adhibemus: poſt Lectiones, chori cantus; poſt hæc tandem orationes, & gratiarum actiones: neque has quidem absque præfatione ad attentionem, cum Sacerdos ait, Dominus vobiscum, Oremus.

Cum igitur hæc ita ſint, dicendum aliquid etiam nobis eſt de Devotione.

Eſt devotio propenſio quædam voluntatis, ad ſe, ſuaque omnia offerendum in Divino cultu. Hæc ex oratione & conſideratione generatur. Docet enim experientia, ex oratione profundiore prodire hominem lætum, alacremque; paratum ad omnia agenda, vel ſubeunda, etiam extrema propter Deum. Unde devotionem poſſis etiam promptitudinem dicere, atque alacritatem ad bene agendum. Contemplationis autem (ſive conſiderationis) duo proponuntur objecta oppoſita, in quæ mentis acies fixa ſæpius, virtutem hanc parit, quam vocamus devotionem. Unum ex parte Dei eſt, alterum ex noſtra. Et in illo quidem Deum intuemur per ſe, vel ejus beneficia collata nobis. In nobis autem mœſti conſideramus imperfectiones noſtras.

In Deo itaque primo ſe offerunt Bonitas ejus immenſa, Miſericordia, Juſtitia, Charitas, Claritas, Pulchritudo, Potentia, Sapientia, Æternitas, Perfectio, Gloria, atque alia attributa, & notiones: quibus te gaudere pium eſt. Et beatus ſane eſt, qui ex animo dicere poſſit: *O le grand bien, que je poſſede, veu que mon Dieu poſſede une gloire immenſe & tant de bien! car je le tiens pour mien: comme je l'aime plus que moy meſme.*

Deinde ſe offerunt beneficia, quæ nobis confert: veluti Creatio, Redemptio, Paſſioque Chriſti, Baptismus, Corporis & Sanguinis myſterium, inſpirationes ſanctæ, & vocationes aſſiduæ; Longanimitas & Patientia erga delicta noſtra: quod nos a periculis aliquando imminentibus præſervarit: quod ab anguſtiis animi, & magnis ſolicitudinibus præter ſpem liberarit: quod Angelorum nos cuſtodiæ nobiliſſimæ commiſerit. Atque hæc quidem & ſimilia ex Deo conſiderationis objecta ſunt. Ex

Digitized by Google

Ex nobis autem unum eſt, Noſce teipſum, veluti conſiderare miſeriam noſtram, imperfectiones animi & corporis. Incolatum noſtrum procul a Patria cœleſti: delicta tam præterita, quam præſentia: promptitudinem ac facilitatem peccandi: impotentiam animi: corporis fœdos motus. Perpendimus appetitus noſtri perverſitatem, qui non tam moveri ſolemus commodis vel incommodis ſpiritualibus, quam corporalibus: virtutum tantam inopiam, & vitiorum copiam; ut tanquam nullo, vel homine, vel Angelo ſpectante, vivamus. Adde his vulnera liberi arbitrii: quæ ſunt cæcitas, debilitas, concupiſcentia. Quantus in judicio ſtupor & in ſenſu? quod perinde, ac ſi nihil ſentiremus, nihil horreſcimus fœtores peccati: non cernimus tenebras ignorantiæ: non guſtamus acerbitatem Divinæ indignationis: nec ad vocem Paſtoris aures adhibemus, nos admonentis aſſidue, & ad oſtium cordis noſtri pulſantis, ut expergiſcamur.

Et quod maxime meditatione dignum eſt, quod Dei inimicitias gratiæ prætulerimus peccando: aliumque Deum in locum ejus collocando: ventrem ſcilicet, vel opes, vel honores, vel delitias hujus mundi.

Meditationes ergo hæ, cum oratione conjunctæ, devotionem pariunt, matrem virtutum maximarum. In his profecto exerceri convenit Religioſos. Non in curis ſæculi, [quia ſe a ſæculo ſequeſtrarunt] neque in jactantia generis: qui cuculla, & habitu univerſo, ſe alios eſſe profitentur, quam nobiles. Neque in ſapientia: quia pro ſtultis [imo pro abjectamentis hujus mundi] haberi velle ſe promittunt. Aut certe fateantur apoſtatiam: quia fidem & profeſſionem, ſuam fefellere. Exiſtiment indignum eſſe nomine religioſi, vel ſpiritualis, qui vel ſemel tantum in die non meditatur. Sed hæc ad Regulares. Clerici autem alii, qui quotidie tenentur ad Horas, (ne ſine fructu cantent) meditentur quoque ipſi aliquid in ſingulis Horis. Sanctæ quoque mulieres, [quando ad Roſarium preces multiplicant] meminerint aliquid meditari ſanctum oportere, quo devotio augeatur in eis. Denique quisquis ad perfectionem vitæ ſpiritualis pervenire deſiderat, ſi ſinguli diebus horam aliquam ſelectam det contemplationi: & in eo conſilio perſtet aliquo tempore: fiet abſque dubio, ut cum conſolationis quadam ſingulari ſuavitate, mortificatis perturbationibus omnibus, in virum perfectum evadat, Angelorum vita cœleſti fruens jam in hoc mortali mundo. Nam conſideratio clavis eſt cœli & inferni. Hic pœnas damnatorum patefaciendo, timorem Dei docet: illic gloriam beatorum contemplantes ad bravium æternæ retributionis agit, atque ſtimulat. Meditatio ergo amorem & timorem gignit. Amorem ex bonitate Dei: timorem ex periculo damnationis. Et utrumque præſtat, ut in vitæ innocentia perſeveremus. Ne abſit igitur orationi, nec Sacramentis, nec Sacræ Lectioni, nec Pſalmodiæ devotio. Et puta, quod ob hanc rem pro foribus Eccleſiæ aqua benedicta propoſita eſt: nimirum ut per pœnitentiam cogitemus illico de peccatis noſtris, antequam ad orandum accedamus. Sed de partibus Orationis ſupra in *Sanctificetur nomen tuum.*

Devotionis internæ ſigna ſunt & effecta, elevatio manuum, pectoris percuſſio: & honeſtus omnis, ac decorus habitus, geſtusque corporis ſupplicantis.

Ex his, quæ dicta ſunt, reſponde ad illas quæſtiones: Quis orandus ſit, & quo tempore orandum, quo loco, quo modo, qua de cauſa.

Quis orandus.

Cum omne bonum a Deo ſit: ad Deum tanquam bonorum omnium datorem, dirigenda oratio noſtra eſt primo. Nam licet natura ſit immutabilis Dei, nec prece noſtra moveri poſſit a natura ſua: diſponit tamen nos oratio: & ille præveniendo aſpirat. Quia, quid oremus, neſcimus: ſed Spiritus Sanctus docet nos, ut Apoſtolus Rom. 8. Quare oratio diſponit nos ad hoc, ut dona Dei recipiamus & gratiam. Pſalm. 80. Dilata os tuum, & implebo illud. Quidam funi nautico compararunt. Dum namque littori alligatum funem ad ſe trahunt nautæ, ipſi ad litus appellunt, littoris columna ſtante immota.

Non ergo orandi Sancti, [dicet aliquis] ne Deo honorem detrahamus. Unde hæc concluſio? Nos gratiam & dona a Deo impetramus ſæpe per Sanctos. Si quia Deus immutabilis eſt, ideo fruſtra Sanctos interpellamus: fruſtra etiam Deum oremus, quia ſemper immutabilis eſt. Abſit blasphemia. Sancti Dei amici ſunt. Multa in illorum gratiam, & honorem, facta tenet Eccleſia; & fieri etiam quotidie videmus. Gratiam & gloriam dabit Dominus. Dare quoque potuit veſtibus & oſſibus Sanctorum, ut tacta morbos ſanarent, & dæmones expellerent applicata. Exemplis hujus rei plena eſt hiſtoria. Deum ergo orando dicimus, *Miſerere nobis*: ſed Sanctos, *Ora pro nobis:* & aliquando, ut miſericordia moti intercedant pro nobis. Ipſi quoque orationes noſtras Deo repræſentant nobiſcum orantes. Apocalyp. 8. Data ſunt Angelo incenſa multa, ut daret de orationibus Sanctorum: & aſcendit fumus incenſorum de orationibus Sancto-

rum de manu Angeli coram Deo. Si ergo orans coram Sancto aliquo Orationem Dominicam dixeris: puta te a Sancto petere, ut orationem tuam Deo ille offerat, & repræsentet.

Quo tempore.

Quæris adhuc, quo tempore orandum. Semper: sicut docuerunt Christus & Apostoli. Ope Divina semper indigemus: & cum sit oratio Dei cultus veræ latriæ, dicebat Psalmographus, Benedicam Dominum in omni tempore: semper laus ejus in ore meo. Et Paulus 1. Corinth. 5. Semper gaudete; sine intermissione orate, id est, beatam vitam sine intermissione desiderate. Sic interpretatur D. Augustinus Epistola 121., ubi addit: Sed ideo ab aliis curis & negotiis, quibus desiderium quodammodo tepescit, certis horis ad negotium orandi mentem revocamus: verbis orationis nos ipsos admonentes in id, quod desideramus intendere: ne quod tepescere ceperat, omnino frigescat: & ne penitus extinguatur, nisi crebrius inflammetur. Hæc ille. Sic diebus festis & jejuniorum potius ad orandum convocat suos Ecclesia; & Horas Canonicas instituit: in quibus (tanquam ad judicium) causam dicturi accedimus, & vitæ nostræ rationem reddituri.

Quo loco.

Nec aliter quidem respondendum est de loco. Nam licet Deus in omni loco orantes audiat, qui omnia complet: distinguendum tamen est, num de privata quæris oratione, an de publica. Hanc in loco orationi dedicato fieri convenit & communi. Nam & Christus & Apostoli, in Templum ascendebant oraturi. Privata autem facta in Ecclesia ideo commendatur, quod & exemplo aliorum deprecantium augetur devotio, & aspectu Imaginum, Reliquiarum, & Corporis Domini præsentia, & Spiritus Sancti assistentis gratia, ut S. Maximus docet in lib. de Ecclesiastica Mystagogia. In Templo quoque rariora occurrunt rerum mundanarum objecta. Propterea Domus Orationis vocabitur. Nullus tamen locus est tam publicus, nec forum tam frequens, nec tempus tam occupatum, nec occupatio tam insolens: in quibus nequeas, si velis, mentem elevare ad Deum, & de Deo, rebusque sacris meditari. Quod est oratio.

Qua lingua.

Idem de idiomate, vel lingua dicendum est. Novit enim Deus, quæ postulare decernimus, antequam postulemus: imo etiam antequam cogitemus. Quare intelligencia verborum non sic necessaria est, quasi ad persuadendum Deo: sed intentio requiritur. Quamquam augetur hæc sæpenumero intelligentia. Et nisi satietatem sane parerent idiotis, & contemptum, lingua vernacula sæpius repetita: facile pateremur utramque, & Dominicam *Pater noster*, & Salutationem, *Ave Maria*, in eandem versa tradi: quoniam a plurimis expetuntur. Sed religio est. Tanta enim debetur his reverentia atque religio, (cum propter mysteriorum copiam, tum propter authoris dignitatem) ut in ipsa eadem lingua pure, in qua primum Ecclesiæ nostræ Latinæ tradita sunt, nisi paraphrastice in his meditemur, usque in finem sæculi retinenda putemus: ne quid novitas verborum, afferat, quod pietas antiquæ traditionis non admittat. Nam neque a Deo vocalis tantum oratio intelligitur: quin imo Anna, 1. Reg. 1. Exaudiebatur, cum labia solum moveret. Orandum namque est in spiritu, & veritate, ut tradidit (o) Salvator noster Samaritanæ: & pauper citharœdus ad fores nostras mendicans: sono sambucæ petit eleemosynam, & intelligitur.

Quo gestu.

Gestum, atque habitum corporis devotio præscribit. Genuflexio tamen maxime propria videtur ex eo, quod latriæ opus sit oratio. Scriptum est enim, [p] Vivo ego, dicit Dominus, Mihi flectetur omne genu, & omnis lingua confitebitur Deo. Philip. 2. In nomine Jesu omne genu flectatur. Sic de S. Jacobo fratre Domini legitur, ob assiduum orandi usum, genua illi in camelorum speciem occalluisse: Dominus tamen aliquando humi prostratus oravit: aliquando oculis in cœlum sublatis: aliquando & manibus. Publicanus apud Lucam stans a longe, nec oculos levabat ad cœlum, sed percutiebat pectus, dicens: Propitius esto. Daniel (q) in jejunio, & sacco, & cinere, humiliatus, faciem vertebat ad Dominum. David [r] decumbens, lachrymis rigabat stratum suum & lectum. Helias sedens, pluviam orando (s) impetravit. Et Ecclesiæ ritu solemni post Dominicam Resurrectionem, & in omnibus diebus Dominicis, stantes oramus, traditione Patrum vetustissima: quia tempus illud est lætitiæ. Sed levamus in cœlum manus, ne confundamur propter opera nostra: auxilium & misericordiam implorantes. Nam manus junctæ, & in cœlum extensæ, magnæ devotionis testes atque humilitatis fiunt: separatæ palmæ fiduciæ, speciem præbent. Hoc gestu Christum in Cruce repræsentans canit antistes hym-

(o) Joan. 4. (p) Rom. 14. (q) Dan. 9. (r) Psalm. 6.
(s) 3. Reg. 17.

Digitized by Google

hymnum illum in Miſſa, quem dicimus præfationem. Tundere autem quid eſt (inquit [t] Auguſtinus) niſi arguere, quod latet in pectore : & evidenti pulſu occultum caſtigare peccatum? [u] Ad Orientem convertimur, unde cœlum ſurgit, ut admoneatur animus ad naturam excellentiorem ſe convertere, id eſt, ad Dominum.

Qualitas.

Supereſt qualitas maxime requiſita: ut cum fiducia fiat obtinendi, quæ poſcimus: (Matth. 21. Omnia quæcunque petieritis credentes in oratione, accipietis) vel certe aliquid aliud magis neceſſarium nobis. Quæ res facit, ut in oratione perſeveretur. Nam ſi non ſtatim annuit Deus: in cauſa aliquando eſt, quod injuſte petamus, aliquando probare vult patientiam noſtram : aliquando exercere nos contra ignaviam. Et ſicut docet B. Auguſtin. quædam negat propitius Deus, quæ concedit iratus.

Cauſa.

Cauſa, ſi ſimpliciter bona eſt, ſimpliciter poſtuletur: ut gloria Dei, peccatorum remiſſio, Dei amor, fidei incrementum, & ſimilia. Hæc enim Deo grata ſunt. 1. Joan. 5. Hæc eſt fiducia, quam habemus ad Deum: quia quodcunque petierimus ſecundum voluntatem ejus, audit nos. Si vero indifferens, (ut ſunt ſanitas, divitiæ, ſcientia, aeris ſerenitas) cum conditione petenda eſt: ſicut Chriſtus oravit, Matth. 26. Pater, ſi poſſibile eſt, tranſeat a me calix iſte. Cumque nihil optandum ſit, quod Deo gratum non ſit: ita nihil petendum, niſi quod Deus velit. Dic: Domine Deus, da mihi, quod vis.

Ut ergo exaudiamur, Oremus cum humilitate : quia oratio humiliantis ſe nubes penetrabit: Eccleſiaſt. 37. Oremus cum fide, nihil hæſitantes: quia, qui hæſitat, ſimilis eſt fluctui maris. Jacob. 1. Oremus cum ſpe, credendo quod accipiemus. Marc. 2. Oremus cum Charitate: quia qui obturat aurem ſuam ad clamorem pauperis, (x) & ipſe orabit, & non exaudietur. Sine operibus Charitatis arida dicitur oratio a Cypriano. Bona eſt oratio cum jejunio & eleemoſyna: Tob. 12. Oremus ſine ira, & diſceptatione : impedit enim ira charitatem. Oremus cum perſeverantia, qua etiam mali vinci ſolent. Luc. 18. Et pœniteat nos peccatorum: quia qui ad iniquitatem reſpicit, non exaudietur. Pſal. 63. Eſa. 1. Job. 35. 1. Joan. 3.

Cæterum orandi & meditandi exercitationem non parum utilem diſcere poteris ex preculis, & entologiis, & aliis operibus Ludo. Bloſii, & Petri de Alcantara, & de Granata Hiſpanorum, quas horis Beatæ Mariæ nuper impreſſis nos adjecimus.

STATUTUM I.

JUxta Patrum Statuta prohibemus omnibus Curatis, Presbyteris, atque aliis in Ordine Eccleſiaſtico conſtitutis, ſub gravi pœna arbitraria: ne in Eccleſia novis orationibus, aut collectis a ſe, vel ab alio excogitatis, & inventis, ullo modo utantur. (y) Sed his ſolum, quas Prædeceſſores tradiderunt, vel quæ ab Illis, vel a Nobis probatæ fuerint, & admiſſæ : ne ſub ſpecie pietatis, contra fidem Catholicam aliquid inducatur in Eccleſiam Dei.

DE ROSARIO, SIVE CORONA B. MARIÆ.

ROſarium B. Mariæ, ejusque uſum, qui ad pie meditandum inventus fuit, ignorari a Clericis non decet. Turpe enim eſt, eos latere, quod ex plebe multi ſciunt. Maxime nunc, qui in ea tempora incidimus, quando pietatis omnia exercitia a carnalibus hominibus irridentur. Sed carnalis homo non percipit ea, quæ ſunt Spiritus Dei. Roſarium ergo noſtrum ex baccis conſtat pluribus, in modum coronæ conſertis, atque ordinatis. Et harum quidem quinquaginta minores bacculæ per decades connexæ ſunt, aliis quinque majusculis diſtinctæ. Hinc coronæ nomen apud multas gentes Galli vocant *Chapellet*. Triplex quidem fingitur hæc corona: una frondium virentium, atque lætantium : quales olim plectebantur bene meritis, ex lauro, vel hedera, vel myrto. Altera Spinarum, moleſtior erat: veluti civica ex pino, junipero, quercu. Tertia eſt roſarum, & liliorum : plena delitiarum, & gloriæ. Hinc nomen Roſarii dictum eſt.

Ex tribus hiſce coronis (ſi jungantur ſimul) fient xv. decades baccularum, hoc eſt, cl. globuli. Qui numerus, cum ſit idem cum numero Pſalmorum in Pſalterio David, formam orandi in Roſario, dicere ſolemus, Pſalterium Beatæ Mariæ.

Ut igitur numerorum hujusmodi rationem teneas: quamquam meditationis materia generaliter, & proprie in myſteriis inve-

(t) Aug. de ver. Domini, ſer. 8. & hom. 50. c. 8. (u) Idem de ſer. Domini, c. 9.
(x) Prover. 12. (y) Conc. Mileu. c. 12.

Digitized by Google

veniatur, quæ continentur in Symbolo fidei, quæ & a piis atque ſpiritualibus hominibus ad uſum Roſarii, ſæpe applicantur: tamen Virgini Sacræ devoti, quales plerique ſunt Chriſtiani, ſciant pro xv. decadibus, xv. proponi nobis cogitanda myſteria, ex quibus Dei Mater Benedicta varie affecta diverſis temporibus fuit, præter alia. Quinque læta ſunt. Hæc repræſentantur per frondium coronam. Alia quinque triſtia, quæ per alteram. Alia glorioſa, quæ per roſas, & flores.

Itaque dicendo ſemel *Pater noſter*, & decies *Ave Maria*, interea dum verba hæc, os, linguaque tua, voce ſubmiſſa, formant, (ſive id continenter, ſive intermiſſe fiat) cogitato myſterium Annunciationis: quando Gabriel Angelus ſalutavit Virginem Mariam. Conſidera gaudium illud Mariæ: Et cum ea gaude etiam tu, ſi eam amas. Gratias quoque Deo age de beneficio nobis collato per Incarnationem Filii Dei. Atque hoc quidem eſt primum myſterium ex jucundis. Alterum eſt Viſitationis. In hoc ſecundo recoles ſancta illa colloquia, quæ inter ſe miſcebant Maria & Elizabeth. Dicebat hæc: Benedicta tu inter mulieres. Et Maria canebat: Magnificat anima mea Dominum, &c. Tertium eſt, Nativitatis Domini, ubi ſe offerunt contemplanda multa: ut erga infantem natum officia Angelorum, & Joſeph: Paſtorum colloquia, & concurſus: cantus gloriæ cœleſtes: paupertas tugurii: Magorum adventus, & alia. Quartum eſt, Præſentationis infantis in Templo: quando ſenex ille Sanctus Simeon, accipiens puerum in ulnas ſuas, cecinit ore prophetico: Nunc dimittis ſervum tuum, Domine, &c. Quintum, quando Maria filium ſuum, xii. annos natum, invenit in Templo diſputantem cum legis Doctoribus. Hæc igitur quinque vocantur jucunda myſteria. In quibus comprehendes reliqua vitæ Chriſti.

Alia quinque Paſſionem Chriſti habent, & mœroris plena ſunt. Primum quidem, quando Dominus in horto Oliveti pernoctans in oratione, antequam caperetur, præ dolore triſtitiaque ſudorem emittebat ſanguinis decurrentis uſque ad terram. Secundum autem, quando flagellabatur ab impiis ſatellitibus & Judæis. Tertium, quando ſpinis coronantes caput ejus, atque arundine percutientes: faciemque colaphis ac ſputis deformantes, Miniſtri Sacerdotum, omnis generis probra excogitabant, ut Filium Dei Omnipotentis glorioſum, populo irridendum, contemnendumque redderent, atque exhiberent. Quartum, quando bajulans ſibi Crucem ductus fuit Agnus ille manſuetus extra civitatem: cui in via occurrerunt mulieres flentes ac lamentantes: inter quas creditur Mater fuiſſe, juſto affecta dolore. Quintum, quando in monte Calvariæ crucifixus eſt, mortuus, & ſepultus. Hic meditari licet, quanta fuit peccati primi gravitas, quod tali ſupplicio oportuit expiari: quantaque ingratitudo noſtra, quos Dei charitas non movet. Atque deinceps de peccatis noſtris, de inferno, de judicio, & ſuppliciis, quæ diabolo & peccatoribus parata ſunt, licebit cogitare aliquid ad ſalutem.

Alia quinque Glorioſa dicimus: atque ideo tanquam ex roſis plectimus hanc coronam. Inter ea primum ſe offert Reſurrectio Chriſti glorioſa. Deinde, Aſcenſio. Tertio, miſſio Spiritus Sancti, in die Pentecoſtes. Quarto, Virginis Beatæ Aſſumptio. Poſt omnia denique beatitudo illa ſuprema, tam ipſius Virginis, quam Sanctorum omnium, in vita æterna.

Formam hanc, orandi ſimul & meditandi acceptam ferimus Beato Dominico: qui Vir Sanctiſſimus, quantum valeret aſſidua oratio cum meditatione, perpendens; primo loco Orationis Dominicæ, ac Salutationis Angelicæ vices, ordine numeriſque diſtinxit: ut ſine ſatietate poſſes orando perſeverare. Sed ne ore tantum, & non ex corde etiam iſta fierent: exempla adjunxit meditationum: quæ ad certum hunc numerum, ordinemque redegit, atque diſtribuit. Spiritualis hæc exercitatio magni momenti eſt ad devotionem. Sic enim ſubſidio ſibi ſunt, meditatio orationi, & rurſum oratio meditationi: ut cum orando myſteria cogitamus, illa cogitando propenſius oremus. Juvat viciſſitudo temporum, numero hoc verborum commenſurata. Orationis autem Dominicæ, atque Salutationis Angelicæ, ſi verba alicunde aſſumenda erant, quæ inveniri, quam illa, pretioſiora? quæ aptiora? Memoriam natura ſua confirmant ordo & numerus: Intellectum ad attentionem excitant verba: conſideratio autem beneficiorum Dei, tam multorum, tum charitatem erga Deum accendit, tum etiam amorem erga Matrem ejus glorioſam alit. Qua conſolatione animi quæ major eſſe poteſt?

Non immerito igitur Pontifices multi Roſarium hoc Indulgentiis donarunt. Nam ſi librorum multorum lectio, ſi Imaginum Sanctarum aſpectus, ſi Templorum viſitatio, ſi Reliquiarum veneratio, & aliæ multæ dari occaſiones abſque Roſariis poſſunt, quibus humana mens ad pie meditandum induci ſoleat: nulla tamen ſic ubique, ſemperque in promptu eſſe poteſt, atque Roſarium.

Docebunt ergo Curati uſum illius: maxime eos, qui literas non norunt: ut Chriſtiani

Digitized by Google

ſtiani omnes frequenter orent, & pie meditentur. Erunt hæ veluti alæ duæ, quarum remigio facile evolabimus in cœlum.

DE ELEEMOSYNA.

NOn diligamus verbo, neque lingua, ſed opere & veritate. (z) Nam qui habuerit ſubſtantiam hujus mundi, & viderit fratrem ſuum neceſſe habere, & clauſerit viſcera ſua ab eo: quomodo charitas Dei manet in eo? (a) Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Jucundus homo, (b) qui miſeretur & commodat.

Signum dilectionis, exhibitio eſt operis. Opera iſta charitatis dicuntur Eleemoſyna, id eſt, miſericordiæ opera. Et alia quidem ſpiritualia ſunt, alia corporalia: utraque ſeptenario numero comprehenſa ſunt.

Septem opera miſericordiæ corporalia hoc verſu continentur:

Viſito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.

1. Sed D. Baſilius primum opus miſericordiæ ſtatuit, *Paſcere eſurientem.* Et certe neceſſitas maleſuadæ famis, ſeverior eſt ferro, & ad multa compellit hominem, quæ alias non eſſent licita.

2. *Potare ſitientem.* In quo etiam calix aquæ frigidæ ex charitate datus, mercedem habebit.

3. *Veſtire nudos.* Ad hoc etiam natura compellimur, cum ob noſtræ carnis infirmitatem, nos pudet turpitudinis alienæ. Cum videris nudum, operi eum, (inquit (c) Propheta) & carnem tuam ne deſpexeris.

4. *Redimere captivos*, præcipue Chriſtianos, quos infidelium ſævitia captos detinet: in quo Filium Dei imitamur, nos a ſervitute diaboli redimentem.

5. *Colligere hoſpitem*, hoc eſt, pauperes, & peregrinos hoſpitio excipere: exemplo magni Patriarchæ Abraham, juſti Loth, Raab meretricis. Quod intelligendum, ſicut & alia pro qualitate perſonarum & neceſſitate, & facultatibus propriis.

6. *Viſitare infirmos*: nempe ut eos re & verbo conſolemur, & de ſalute moneamus: quoniam in magna infirmitate ſenſibus & ratione debilitatis, homo indiget conſilio, & conſolatione majori.

7. *Sepelire mortuos*, quam ſit laudabile oſtendit Raphael Archangelus Tobiæ 12. & David 1. Reg. 2. & natura ad hoc nos incitat, ut mortuorum corpora religioſe condamus. Sed de ſepultura & ſuffragiis pro defunctis infra, in 4. noviſſ.

STATUTUM I.

CUrati hortentur fideles, ut eleemoſynis redimant peccata. Nam ſicut aqua extinguit ignem, ſic eleemoſyna reſiſtit peccatis. In imponendis quoque pœnitentiis, eleemoſynam commendent, cum oratione & jejunio. Quia oratio cum jejunio, & eleemoſyna a morte liberat: & ipſa eſt, quæ purgat peccata.

OPERA MISERICORDIÆ *Spiritualia.*

CUm duplicis naturæ ſimus (corporeæ ſcilicet & ſpiritualis) omnes illas ſpecies charitatis erga proximum bifariam, hoc eſt, non ſolum corporaliter, ſed ſpiritualiter implere debemus; ſi ſinceram charitatem præſtare volumus, & filii Dei nuncupari. Hæ verſiculo continentur:

Conſule, ſuade, doce, ſolare, remitte, fer, ora.

1. Primum ergo, Conſilio juva proximum ſalutari. Si tibi intellectus eſt, (inquit Sapiens) reſponde proximo.

2. Doce ignorantem. Qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi Stellæ fulgebunt in perpetuas æternitates. Daniel 12. vide Jac. 5.

3. Suade, id eſt, corripe delinquentem. Nam ſi te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Matth. 18. Sed corripe, ut fratrem, & noli quaſi inimicum exiſtimare. 2. Theſſ. 4.

4. Conſolare poſitos in anguſtia & tribulatione, exemplo Chriſti. Luc. 4. 2. Cor. 1.

5. Remitte offenſam, & acceptam injuriam delinquenti. Chriſtus ita nos admonet: Si dimiſeritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis Pater veſter cœleſtis delicta veſtra: Si autem non dimiſeritis hominibus, nec Pater veſter dimittet vobis peccata veſtra. Vide Matth. 6. & Marc. 11. Epheſ. 4. Coloſ. 3. Et Patres in Concilio Carthaginenſi quarto, oblationes diſſidentium fratrum neque in Sacrario, neque in gazophylacio recipi voluerunt. Qui accipit myſterium unitatis, (inquit B. Aug.) & non tenet vinculum pacis: non myſterium accipit pro ſe, ſed teſtimonium contra ſe. Serm. de infant.

6. Fer

(z) 1. Joan. 3. (a) Luc. 16. (b) Pſal. 111. (c) Eſa. 58.

Digitized by Google

6. Fer patienter fratris infirmitatem atque imperfectionem. Debemus nos firmiores (inquit Apoſtolus Rom. 15.) imbecillitates infirmorum ſuſtinere, & non nobis placere. Et Chriſtus Matth. 5. Ego autem dico vobis, non reſiſtere malo: ſed ſi quis te percuſſerit in maxillam tuam dexteram, præbe illi & alteram.

7. Orate pro perſequentibus vos & calumniantibus. Denique benefacere iis, qui oderunt nos, Chriſtus monet Matth. 5. ut ſimus filii Patris noſtri, qui in cælis eſt. Et exemplo docuit in Cruce, orans Patrem, ut ignoſceret iis, a quibus crucifigebatur. Et Stephanus plenus gratia & Spiritu Sancto, & charitate magiſtrum imitatus eſt. Act. 7.

FORMULA CONSOLATIONIS Gallice.

INter ſpiritualis officia miſericordiæ conſolatio potiſſima eſt. Cum quia ſæpiſſime ſuſcipienda, tum quia alia in ſe recipit. Idcirco formulam ejus vulgari idiomate accipe, pro negotio commutandam.

Celuy auroit le cœur bien dur, ou le ſens bien ſtupide, qui ne ſentiroit en ſon cœur le deſaſtre, inconvenient au dommage, &c. Car il eſt grand: pour telle & telle raiſon, (quas deducet.) *Et s'il y a perſonne qui s'en doive reſentir, ce ſera moy, pour telle & telle raiſon. Mais quand je conſidere, qu'il n'y a en ce monde que miſeres & calamitez, & que noſtre vie n'eſt qu'une fumee, ou une petite nuee tranſportee par les vents en l'air: il faut que je me conſole. Car il me ſemble que nous devons touſiours eſtre reſolus de n'avoir jamais rien de bien en noſtre vie: ains tout mal, tribulations, troubles, agitations, malheur & miſere. Par ainſi ne nous eſbayrons de choſe qui nous advienne.*

De ſorte qu'à bien conſiderer n'y a rien plus miſerable que la vie de l'homme, ſi n'eſtoit l'eſpoir qu'il a de la vie eternelle. Je voudrois ſçavoir s'il y a homme au monde de bonne ſouvenance, qui me puiſſe dire, qu'il ayt paſſé un jour entier en toute ſa vie ſans regret, là où nous en paſſons tant & tant ſans joye.

Et ne faut dire, que ceux que l'on repute bien heureux, le ſoyent pour cela: be qu'ils diroyent bien autrement s'ils eſtoyent interroguez à part. Ny que ce ſoit à un ou deux que les grands maux adviennent. Car il n'eſt homme ſe reputant ſi miſerable, que s'il luy eſtoit propoſé de mettre tous les maux de ceux qui ſont en la ville en un monceau avec les ſiens, pour les diſtribuer, puis apres egalement à tous: il n'aymaſt mieux ſe garder les ſiens, que d'en eſtre pourveu à ſa part en portion du monceau commun. Perſonne n'eſt reputee heureuſe, ou malheureuſe, que par comparaiſon. Par comparaiſon, dis je, à d'autres plus ou moins heureux ou malheureux. Pourtant il nous faut prendre tout en bonne part. Meſmes que les tribulations & perſequutions qui nous tourmentent, ſont vrays indices de l'ire de Dieu contre nos pechez. Car pour autant que Dieu ne nous veult perdre, il nous envoye des advertiſſemens pour nous convertir à faire penitence en ce monde, à fin que ne ſoyons damnez en l'autre. Et nous punit icy temporellement, à fin qu'il ne treuve en nous qu'il doive punir eternellement, ou en purgatoire. Il eſt couſtumier d'exercer la diſcipline, avant que proceder au jugement. Et par ainſi bien ſouvent il donne du fouet à celuy, qu'il ayme.

L'on s'abuſe penſant, que Dieu punit indifferemment les juſtes & injuſtes, bons & mauvais: comme ſi Dieu fuſt injuſte. Mais comme il n'y a perſonne, qui ſe puiſſe venter d'eſtre ſans peché, il nous faut auſſi penſer, que ſi nous avons quelque adverſité, (pour grande qu'elle ſoit) encores eſt elle moindre, que n'eſt l'iniquité de nos pechez: eſtant la Majeſté Divine que nous meſpriſons & offenſons, digne d'honneur & crainčte infinie.

Et faut auſſi penſer, que les adverſitez & afflictions des gens de bien ſervent d'exercices. Et quant Dieu faičt, ou permeč, que nous ſoyons affligez, il monſtre qu'il eſt miſericordieux. Car vous trouverez touſiours qu'il ne denie pas ſon ayde, ny nous envoye jamais tentation, que nous ne la puiſſions ſurmonter avec la confidence de ſa grace. Par le contraire quant nous ſommes elevez en ceſte vie mondaine par les biens, faveurs, & plaiſirs du monde, & que nous nous enyurons de nos delices: lors oubliez de noſtre bon Pere, tombons communement aux abyſmes de tous vices & pechez. Car comme aveuglez d'une fumiere de gloire, ou ravis de paſſion charnelle, ou regardans ailleurs, & pourchaſſans d'accroiſtre nos biens temporels, ne voyons point devant nous la foſſe & la place de noſtre ruine & malheur.

Il s'enſuit donc, que les miſeres & tribulations de ce monde, ſont les apprentiſſages de

de ceux, que Dieu veut ſauver: & nous faut croire, qu'il n'eſt jamais plus pres de nous, que quant nos maux nous ſont intollerables. Et quant tout ſera dict & rabbatu, encores perſonne de nous n'a ſouffert pour ſes pechez ce que noſtre bon JEſus a pour les noſtres. Contemplons, je vous prie, ſa dure paſſion, ſa croix, ſes opprobres, ſon innocence & ſa charité, & ne trouverons mal que ne doivions pour l'amour de luy porter patiemment. Nous ayme il plus, que ſes Sainctz Martyrs? S'il n'a pardonné à ſes principaux amys, quelle impatience eſt la noſtre pauvres pecheurs? Et pourtant nous nous devons conſoler en toutes nos tribulations, penſans que par la patience & bon eſpoir ne ſerons jamais confus, moyennant que nous prenions la patience par le bon but: c'eſt à ſcavoir avec foy & charité cordiale: car c'eſt le chemin d'aller à la gloire eternelle, que noſtre Paſteur JEſus Chriſt nous a monſtré. Et ſi les miſeres & calamitez que nous ſouffrons en ce monde, ſont enſeignements de l'aſſiſtence de Dieu pres de nous: ceux qui n'ont adverſité aucune, doivent bien craindre, qu'ils ne ſoyent bien loin de luy. Il nous exorte à porter noſtre croix, & de le ſuivre. Suivons le doncque, & portons noſtre croix, & prenons patiemment les tribulations venans de la main de Dieu pour noſtre bien. Faiſans autrement, nous ſerions ſemblables aux frenetiques, qui jettent par terre tout ce que les medecins leur portent pour leur ſalut. Mettons noſtre eſpoir & confidence entierement en Dieu. C'eſt noſtre Pere: il nous ayme plus, que nous ne ſçaurions entendre, ni penſer. Tout ce qu'il faict, il le faict pour le mieux. Et prions noſtre bon Patron Sainct N. d'eſtre noſtre interceſſeur vers luy: pour certain Dieu nous aydera. Dequoy je le ſupplie.

Verſibus res hæc comprehenſa olim eſt, cur tribulationes mittantur.

Ut probet, aut purget, vel puniat, aut mereatur,
Aut Chriſti ut pateat gloria, pœna datur.
Job probat, inclinat Paulum, ſeſe manifeſtat
In cæco, purgat Mariam, ſed punit Heroden.

DE CONSILIIS EVANGELICIS.

COnſilium apud Theologos, eſt ſuaſio melioris boni, ad quod alioqui non obligamur: eoque differt a præcepto. Nam ſicut docet Hieronymus contra Jovinianum, & ad Euſtochium de cuſtodienda virginitate, ubi conſilium datur, offerentis arbitrium eſt: ubi præceptum, neceſſitas eſt ſervitutis. In lege veteri data ſunt præcepta: in Evangelica ſuperadduntur conſilia: quia perfectorum ſunt hæc, ut a Chriſto didicimus. Si vis, inquit, perfectus eſſe, vade, vende omnia, quæ habes, &c. Nos præcepta revocant a rebus illicitis: ſed conſilia etiam a conceſſis. Nam ſi diligenter expendas, conſilia de iis dantur, quæ neque lege præcepta ſunt; neque in alteram partem determinata; ſed quæ media dici conſueverunt, multum conducentia ad melius quippiam: ad hoc ſcilicet, ut homo prorſus Deo ſerviat, & ſine impedimento eidem obſequatur.

Sunt autem tria conſilia præcipue, ſcilicet caſtitatis, paupertatis & obedientiæ. Primum adverſatur concupiſcentiæ carnis: alterum concupiſcentiæ oculorum: tertium, ſuperbiæ. Ac de caſtitate quidem primo agamus, & de cælibatu Sacerdotum.

DE VOTO CASTITATIS.

CAſtitas eſt religioſa munditia, ac puritas a rebus venereis. Et triplex quidem invenitur: Virginalis: vidualis, & conjugalis. De hac ultima Horatius: Metuens alterius viri certo fœdere caſtitas. Caſtitas a continentia etiam differre videtur apud Paulum Gal. 5. ut Primaſius docet, quod continentia pro tempore ſit: caſtitas perpetua. Pudicitia ſignificat animi conſtantiam adverſus aphrodiſia. Qua ratione merito Tertullianus ædituum & antiſtitem Templi Spiritus Sancti, (quod ſumus nos) appellat pudicitiam. Virginalis caſtitas eſt continentia atque integritas corporis & animi: Vidualis autem, antea experta venerem fuit. De quibus Chriſtus: Sunt eunuchi, qui ſe caſtraverunt propter Regnum Dei, id eſt, ſua ſponte (ſimpliciter, vel voto,) ſe addixerunt ad eam vitæ rationem atque ſtatum, qui non admittit generandi uſum. Hoc vitæ genus Latini cælibatum vocant. Eſt enim cælebs, tam qui ſemper uxore caruit, quam qui nunc caret.

De ſervanda caſtitate ac cælibatu conſilium habetur Matth. 19. cum dixiſſent Apoſtoli: Si ita eſt cauſa hominis cum uxore, non expedit nubere. Reſpondit JEſus, Non omnes capiunt verbum iſtud, ſed quibus datum eſt. Sunt enim eunuchi, qui de matris utero ſic nati ſunt: eunuchi, qui facti ſunt ab hominibus: & ſunt eunuchi, qui ſe ipſos caſtraverunt propter regnum cœlo-

rum. Qui poteſt capere capiat. Paulus in prima ad Corinth 7. Bonum eſt homini, mulierem non tangere. Et certe ſi bonum non eſſet, mulierem non tangere; non exegiſſet Achimelech (*d*) a David, num mundi eſſent pueri ejus a mulieribus. Et Exod 19. ait Moyſes ad populum: Eſtote parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris. Ingreſſuro quoque Sacerdoti ad Dominum per vices ſuas, ab uxore ſequeſtrabatur. Ergo bonum eſt homini, mulierem non tangere: nec ſolum Sacerdoti id bonum abſolute eſt.

At dices, Geneſ. 2. habetur: Non eſt bonum, inquit Deus, hominem eſſe ſolum: & rurſum: Creſcite & multiplicamini, & replete terram. Ad hæc omnes Sancti Doctores reſpondent, terram tunc replendam fuiſſe in exordio mundi: nunc per Chriſti doctrinam cœlum. Sed adjicies, Lex 12. Tabularum habet, Cælibes eſſe prohibento. Ergo naturalis hoc ratio dictat. Reſpondeo, Tanquam reipub. peſtes equidem putarem a repub. ejiciendos, quos videmus multos in cælibatu turpiter atque impudice vivere. Contra iſtos condita illa lex, quam & Evangelica eatenus confirmat, dicens: Melius eſt nubere, quam uri. Addes adhuc: Quis poteſt capere verbum hoc? Nam Salomon ait: Continens eſſe non poſſum, niſi Deus dederit. Reſpondeo, Si donum Dei eſt, petas ab eo: quia dat omnibus affluenter, & non improperat Deus. Jacob. 2. Si pergas adhuc: Sanctum eſt conjugium & torus immaculatus. Reſpondeo, Sanctior eſt virginitas. Nam lucerna, quamvis lucida ſit de ſe, tamen Soli comparata, obſcura eſt & tenebroſa. Deus autem ſicut prohibet mala, ſic præcipit bona, & conſulit meliora.

Et bonum abſolute, quia abſolute optabile propter multas utilitates, quas affert in eodem loco Apoſtolus. Joan. in Apoc. c. 14. Virgines extollit & agnum ſequi ait: quia virgines fuerint, nunquam cum mulieribus coinquinati. JEſus Chriſtus Agnus merito appellatur latina voce, quæ Græce ſignificat purum & caſtum. Et virgo fuit, & virginis filius. Et Præcurſorem virginem habere voluit. Et Clariſſimos in veteri Teſtamento reperimus Heliam, Heliſeum, Danielem, & quos inter virgines quoque numerat D. Ignatius (*e*), Melchiſedech, Joſue, Jeremiam. Et poſt Chriſtum, ut ait Hieronymus ad Pammachium, Apoſtoli vel virgines fuerunt, vel ſaltem poſt nuptias continentes. Epiſcopi, Presbyteri, Diaconi, aut virgines eliguntur, aut vidui, aut poſt conſecrationem pudici perſeverant. Ergo licet melius ſit nubere, quam uri: melius eſt tamen continere, quam nubere. Conſilium autem de re meliore datur ei, qui capere poteſt.

DE CÆLIBATU SACERDOTUM.

QUam neceſſaria res ſit in Divino miniſterio cælibatus, duabus rationibus efficitur: Una eſt mundities corporis, quam miniſtratio requirit. Mundam, ait (*f*) Tertullianus, proponi oportet aram Domini. Altera animi tranquillitas & quies a curis, & a ſolicitudine hujus mundi: vacuum ſane eſſe decet eum, qui rerum cæleſtium Doctor eſt & Procurator. At qui uxorem habet, diviſus eſt, ait Apoſtolus. Propter illam dicitur Eſaiæ 5. Mundamini, qui fertis vaſa Domini: atqui cohabitatio illa uxoria non poteſt fieri ſine libidinis fœditate, atque immunditia. Ergo impedimento erit uxor Miniſtro Eccleſiæ, ne ſemper fungi poſſit miniſterio. Item 1. Reg. 21. Non licuit de panibus propoſitionis ſumere, niſi iis, qui a mulieribus mundi erant. Et Apoſtolus, ut orationi quis vacare poſſit, jubet ab uxoris conſuetudine ceſſare ad tempus. Quanto magis ergo decet, ut qui ad myſterium Corporis & Sanguinis pretioſi Domini noſtri aſſiſtunt & orant, (imo & conficiunt, diſpenſant, & ſumunt) mundos eſſe a mulieribus: & vaſa ſua in ſanctificatione & honore ſervare, non in deſiderii poteſtate? Ideo lex Moſaica (*g*) jubebat Agnum Paſchalem edere lumbis præcinctis: & Levitas tempore vicis ſuæ in templo manere ſeorſum ab uxoribus & familia. Ad alteram rationem facit, quod Apoſtolus Petrus (*b*) Presbyteris & Paſtoribus omnem ſolicitudinem juber deponere. Paulus autem 1. Corinth. 7. Curas & ſolicitudines in conjugio eſſe docet: quas qui enumerare velit, nunquam profecto finem faciet: præter pericula Sacrilegii, Simoniæ, & ſexcentorum ſcelerum, quæ liberorum horum curam ſequerentur, ſi Sacerdotibus nunc liceret liberis dare operam. Nam Levitici Sacerdotes, qui ſuis ſuccedebant parentibus, nihil in partem hanc peccare poterant: ne quis veteris exemplo legis nobis obſtrepat, ſed exemplo potius ſapiat, miſerabilis Eccleſiæ Græcorum: quæ cælibatui renuncians victa ſua nativa incontinentia, nunc ſqualida gemit ſub infidelium tyrannide. Quare non immerito Eccleſia Latina hactenus cælibatum colunt. Et inde ab Apoſtolis, tanquam per manus tradi-

(*d*) 1. Reg. 21. (*e*) Epiſtola 5. ad Philadel. (*f*) Tertul. lib. 1. ad uxorem.
(*g*) Levit. 8. (*b*) 1. Petr. 5.

Digitized by Google

traditione accepta, nullum ad Sacros Ordines admittit, qui continentiam ſervare non voveat, atque expreſſe vel tacite pudicitiam mentis & corporis DEO Opt. & Chriſto Domino in manibus Epiſcopi non conſecret. Nec unquam in Eccleſia Catholica conceſſum fuiſſe invenias, ut Sacerdotes poſt ſuſceptum Ordinem Matrimonia celebrarent: licet propter penuriam Miniſtrorum aliquando conjugati, promoti fuerint. Qui tamen uxoribus poſtea utebantur, non niſi tanquam ſororibus.

Et quia ſunt, quibus novum & inutile videtur mandatum hoc; lege authores, quos hic citabimus. Præter alios Sixtus II. Pontifex lib. 1. de Caſtitate, c. 7. ait: Omnes Diſcipuli Domini aut continentes fuerunt, aut virgines. Sed antea Clemens, Petri Diſcipulus Epiſt. 2. ad Jacobum fratrem Domini: Si poſt ordinationem contigerit Miniſtro, proprium cubile uxoris invadere, Sacrarii non intret limina, nec Sacrificii portitor, nec altare contingat, nec ab offerentibus holocauſta oblationem ſuſcipiat: nec ad Dominici Corporis portionem accedat. Epiphanius adverſus Catharos: Sed omnino dices mihi: In nonnullis locis Sacerdotes, Diaconos, Hypodiaconos dare adhuc operam liberis: at hoc non ex Canone (ſcilicet Niceni Conc.) ſed ex vitio, atque ignavia hominum ejus temporis profectum eſt. Euſebius lib. 1. demonſt. Secundum leges novi teſtamenti non omnino prohibitum eſt dare operam liberis: verum qui ſunt Sacri Ordinis & Monachi, abſtinere debent a concubitu uxorum. Idem docet Gregorius Niſſenus in lib. de Virginitate. Origenes in 3. c. Joelis. Illius tantummodo offerre indeſinens Sacrificium, qui indeſinenter & perpetuo ſe voverit caſtitati. Idem Homil. 33. in Num. Chryſoſt. Homil. 2. de patientia Job, & Hom. 7. in Matth. cap. 2. Cyrillus, Ephrem Syrus, Arator, Dionyſius, Ambroſius, Hieronymus, Auguſtinus, Maximus, Leo I., Innocentius I., Hiſtorici omnes, & Concilia innumera: ut Canones Apoſtolorum, cap. 2. Agathenſe Conc., Conc. Romanum ſub Sylveſtro, Elibertinum, Chalcedonenſe, Arelatenſe, Chartaginenſe 2. & 3., Bracharen., Antiſſiodoren., Toletanum 4. & 9., Meldenſe, Africanum, Neocæſarien. &c.

Quod ſi aliqua ex his & aliis, quæ afferri poſſunt, eludant ſuis ſophiſmatis hæretici, nunquam tamen omnia. Quoniam hæc eſt doctrina Eccleſiæ & Spiritus Sancti. Alia, dæmonum impurorum, & Nicolaitarum hæreticorum.

Sed inquiunt, apud Græcos non ſervatur cælibatus iſte. Reſpondemus, elanguiſſe continentiam apud eos, quam Majores rigide obſervarunt, ut ex Græcis Doctoribus & Hiſtoriis fit manifeſtum. Ab initio non fuerat ſic. Et hinc eſt, quod in aliis a Catholica Eccleſia cum defecerint, tanquam ſchiſmatici audiendi non ſunt, nec imitandi. Nam nec Baſilii & Patrum temporibus fiebat.

Addunt Sapient. 8. Nemo continens eſſe poteſt, niſi Deus dederit. Qualis hæc argumentatio? Ergo nemo poteſt? Fides Dei quoque donum eſt, nec quisquam credere poteſt, niſi Deus dederit: ergo nemone poteſt fidelis eſſe? Excuſationes ſunt hæ in peccatis. Contra eos, qui dicebant eſſe contra naturam, acriter pugnavit olim S. Sixtus Pontifex III. Reſpondemus gratiam non deeſſe facienti, quod in ſe eſt. 1. Corinth. 1. In omnibus divites facti eſtis in illo, in omni verbo & omni ſcientia, ſicut teſtimonium Chriſti confirmatum eſt in vobis, ut vobis nihil deſit in ulla gratia. Philip. 4. Omnia poſſum in eo, qui me confortat. Non ego, ſed gratia Dei mecum. Jacob. 1. Deus dat omnibus affluenter, & non improperat. Petite igitur ſapientiam, & dabitur vobis. Ambroſius (*i*) contra eos, qui propter infirmitatem putabant, non eſſe vovendam caſtitatem, inquit: Ergo nemo militet, ne aliquando vincatur: nec pedis utatur beneficio, qui gradiendi periculum reformidat. Auguſtinus: (*k*) Caſti non ſumus, non quia non poſſumus, ſed quia non volumus. Et in Pſalm. 131. Qui te hortatur, ut voveas, ipſe adjuvabit, ut reddas. Oratio illa Saræ, Tob. 3. magnæ conſolationis erit, ubi dicitur: Hoc pro certo habet omnis, qui colit te, quod vita ejus, ſi in probatione fuerit, coronabitur; ſi autem in tribulatione, liberabitur: & ſi in corruptione fuerit, ad miſericordiam tuam venire licebit.

Si omnes velint, [inquiunt] a concubitu abſtinere: unde ſubſiſtet genus humanum? Reſpondet Aug. (*l*) Utinam omnes hoc velint, duntaxat in fide & charitate: quia multo citius Dei Civitas impleretur: & acceleraretur terminus ſæculi.

Fortiſſime (ut videntur) diſſuadeant legem de cælibatu libidines fœdæ, ac nefandæ Sacerdotum. Sed dic mihi: Quodnam eſt tantum ſcelus, quod non contra legem Dei committatur? Abrogentur ergo leges Dei: quia multi ſunt perjuri in orbe, homicidæ, adulteri, fures. Lex bona & ſancta eſt: malus, qui contra agit.

Urgent

(*i*) Lib. de Viduis. (*k*) Lib. 2. c. 17. de Meritis & peccator. remiſſ.
(*l*) Lib. de bono conjug.

Urgent ex Can. 13. Sextæ Synodi, ubi damnantur, qui hæc Sacerdotum conjugia prohibebant. Reſponde, Canones illos non eſſe Sextæ Synodi, ut patet ex primo cap. ſed multo poſt Synodum illam confectos fuiſſe ab hoſtibus Eccleſiæ Romanæ. De Triburienti autem Concilio non eſt curandum, quia ſolum eſt, & nullius authoritatis.

Reſtat Paphnutii magnum elogium, & maximi momenti [ut exiſtimant] chria: qui cum ipſe a nuptiis ſemper longe abhorruiſſet: tamen pro conjugio Saderdotum in Concilio Nicæno peroravit, ut eſt in hiſt. Tripartita apud Socratem & Sozomenum.

Sed primo fides hujus hiſtoriæ ſit penes authores, quorum hic ab Eccleſia Catholica rejicitur, ut author eſt (*m*) S. Gregorius. Socrates autem ſe Novatianum eſſe profitetur. Deinde, ſi ita ſenſiſſet Paphnutius, (ut iſti exiſtimant) contra Concilii Decreta ſenſiſſet: in cujus Canon. 3. prohibetur, ut ne Epiſcopo, neque Presbytero, neque Diacono, neque ulli prorſus Clerico liceat, habere mulierem in domo, niſi forte matrem, aut ſororem, aut materteram, aut eas ſolum perſonas, quæ ab omni ſuſpicione alienæ eſſent: uxores autem nullo modo, ſicut docet Baſilius in Epiſtola ad Gregorium Presbyterum. Tertio etſi hiſtorici illi verum narrent: nihil tamen ad nos, ut docet Claud. D'eſpenſeus Gallus. Nam Paphnutius expreſſe ſentit, non eſſe permittendum, ut nuptias inirent ii, qui in Ordine Sacro jam eſſent conſtituti: aliis autem, qui uxores jam haberent, quando tempus illud de continentia antiqua multum jam remiſerat, cum juberent Patres ſeveriores ſeparari jam maritos a ſuis uxoribus, ne majus malum ſequeretur ex incontinentia, retineri uxores debere cenſuit iis, qui uxoribus uti antea ſolebant. Atque idem fortaſſe conceſſit Gregorius, [quando Septentrionales multæ nationes, opera Bonifacii Epiſcopi, & Irtelli Lulli Presbyteri ad fidem converterentur] ut indulgentia hac erga Miniſtros Eccleſiæ, tenellas in fidei doctrina plantas conſervaret.

STATUTUM I.

ERgo ſi quis dixerit (*n*) Clericos in Sacris Ordinibus conſtitutos, vel Regulares, caſtitatem ſolemniter profeſſos, poſſe Matrimonium contrahere, contractumque validum eſſe, non obſtante Lege Eccleſiaſtica, vel voto: & oppoſitum nihil aliud eſſe, quam damnare Matrimonium: poſſeque omnes contrahere Matrimonium, qui non ſentiunt ſe caſtitatis (etiamſi voverint) habere donum, Anathema ſit: cum Deus id certe petentibus non deneget, nec patiatur nos ſupra id, quod poſſumus, tentari.

DE PAUPERTATE EVANGELICA.

DEI Doctrina vel prohibet mala (ut in omnibus præceptis negativis,) veluti: Non mœchaberis. Non furtum facies: vel præcipit bona, (ut in affirmativis,) Honora Patrem; Memento, ut diem Sabbati ſanctifices: vel conſulit meliora, ut: Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia, &c. Cum enim juvenis ille [qui Dominum conſulebat, quid agendo vitam æternam poſſideret] mandata Dei affirmativa & negativa omnia ſe cuſtodiſſe [o] reſpondiſſet: JEſus intuitus eum, dixit ei, Unum tibi deeſt: (& apud Matthæum, ait illi JEſus: ſi vis perfectus eſſe] vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & habebis theſaurum in cœlo, & veni, ſequere me. Cum audiviſſet autem adoleſcens verbum, abiit triſtis; erat enim habens multas poſſeſſiones. JEſus autem dixit Diſcipulis ſuis: Quam difficile, qui pecunias habent, in regnum Dei intrabunt: id eſt, qui confidunt in pecuniis. Marcus enim interpretatur, facilius Camelum per foramen acus tranſire, quam divitem intrare in regnum Dei.

Ergo ut ab hac difficultate nos extricemus, conſulit, ut a nobis abdicemus omne ſtudium divitiarum. Nam, qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes multas. Radix enim omnium malorum eſt avaritia, pecuniæque cupiditas. Cumque radicem hanc nemo facilius extirpare poſſit, quam qui nihil habere proprium decreverit; Luc. 14. dicit Dominus: Qui non renuntiaverit omnibus, quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Hinc eſt, ut qui perfectionis doctrinæ Evangelicæ normam tenere volunt: ii faciant votum paupertatis. Quod multitudo credentium in Chriſtum mox poſt Chriſti Aſcenſionem ſuſcepit, Act. 4. & 5. omnia bona ſua conferens in commune: nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat, ſed erant illis omnia communia. Divitiæ ſpinis comparantur a Domino, quæ ſuffocant bonum ſemen. Sed audiamus D. Hieronymum ab Demetriadem epiſt. 8.

Dicunt

(*m*) Lib. 6. Epiſtolarum.
(*n*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 9.
(*o*) Matth. 19. Marc. 10. Luc. 18.

Dicunt Apoſtoli omnia, quæ ſua fuerant, ſe reliquiſſe, & mercedem pro hac virtute audacter expoſcunt. Quibus reſpondit Dominus: Omnis, qui relinquit domum, aut fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. O quanta beatitudo, pro parvis magna recipere, æterna pro brevibus, pro morituris ſemper viventia: & habere Dominum debitorem! Si qua autem vidua habet liberos, (& maxime ſi nobilis familiæ eſt) egentes filios non dimittat, ſed ex æquitate eos juvet, ut & meminerit primum animæ ſuæ, & ipſam putet eſſe de filiis, & partiatur potius cum liberis, quam omnia filiis derelinquat. Imo Chriſtum liberorum ſuorum faciat cohæredem. Reſpondebis, Difficile eſt: durum eſt, & contra naturam. Sed Dominum audias tibi reſpondentem. Qui poteſt capere capiat: & ſi vis eſſe perfecta: non tibi jugum neceſſitatis imponit, ſed poteſtati tuæ liberum concedit arbitrium. Vis eſſe perfecta & primo ſtare veſtigio dignitatis, fac, quod fecerunt Apoſtoli: vende omnia, quæ habes, & da pauperibus, & ſequere Salvatorem: & nudam, ſolamque Crucem, nuda ſequaris & ſola. Non vis eſſe perfecta, ſed ſecundum vis tenere gradum virtutis: dimitte omnia, quæcunque habes, da filiis, da propinquis: nemo te reprehendit, ſi inferiora ſecteris, dummodo illam ſcias tibi jure prælatam, quæ elegerit prima. Dices, Hoc Apoſtolorum eſt & virorum: mulierem autem nobilem non poſſe omnia vendere, quæ multis adjumentis hujus vitæ indigeat. Audi igitur Apoſtolum commonentem: Non ut aliis refrigerium, vobis autem tribulatio: ſed ex æqualitate: veſtra abundantia illorum ſuſtineat inopiam, (p) ut & illorum abundantia veſtræ inopiæ ſit ſupplementum. Unde inquit Dominus, Qui habet duas tunicas, (q) det alteram non habenti. Ananias, & Saphyra, (r) Apoſtoli meruere ſententiam, quia ſua invide reſervarunt. Ergone (inquies) puniendus eſt, qui ſua non dederit? Minime. Ideo enim ii puniti ſunt, quia mentiri voluerunt Spiritui Sancto: & reſervantes neceſſaria victui ſuo, quaſi perfecte ſeculo renunciantes, vanam gloriam ſectabantur. Alioqui licebat libere dare, vel non dare. Quanquam ei, qui cupiat eſſe perfectus, præſens paupertas futuris divitiis compenſanda ſit. Hæc Hieronymus.

Auguſtinus ad Hilarium, Quibus autem non provenit corona martyrii, neque illius perfectionis de vendendis rebus ſuis conſilium tam grande, tamque præclarum receperunt, & tamen a damnabilibus immunes criminibus, eſurientem Chriſtum paverunt, ſitienti potum dederunt, nudum veſtierunt, peregrinantem ſuſceperunt: non ſedebunt quidem cum Chriſto ſublimiter judicaturi, ſed ad ipſius dexteram ſtabunt, miſericorditer judicandi: (Beati enim miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur: & judicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam) ſuperexaltat autem miſericordia judicium. Proinde iſti deſinant contra Scripturas loqui; & in ſuis exhortationibus ad majora ſic excitent, ut minora non damnent. Et in 17. lib. De civitate Dei, c. 4. de terra ergo ſuſcitatus eſt ſupra omnes divites ille pauper, & de illo ſtercore erectus eſt ſupra omnes opulentos ille inops, ut ſedeat cum potentibus populi, quibus ait: Sedebitis ſuper duodecim ſedes: & ſedem gloriæ hæreditatem dans eis. Dixerant enim potentes illi, Ecce nos dimiſimus omnia, & ſecuti ſumuste. Hoc votum potentiſſimum voverant. Sed unde hoc eis, niſi ab illo, de quo hic continuo dictum eſt: Dans votum voventi? Alioqui ex illis eſſent potentibus, quorum infirmatus eſt arcus. Dans, inquit, votum voventi. Non enim Domino quisquam, quicquam ratum voveret, niſi qui ab illo acciperet, quod voveret. Hæc Aug.

Ex duabus his authoritatibus doctrinam capere poterit Curatus, quoties conſuletur ſuper hac voluntaria paupertate ſuſcipienda propter Chriſtum.

DE OBEDIENTIA & STATU Monachorum.

OBedientia eſt ſpontanea adimpletio voluntatis alienæ. Sed hujus votum abnegatio propriæ voluntatis deliberata, Deoque promiſſa. Duo autem ſunt, quæ præter cætera votum obedientiæ ſuadent. Primum pietas & erga Deum amor. Nam ille, qui omnibus in rebus obedire Deo decrevit, quia non ſemper de voluntate ejus nobis conſtat, loco Dei hominem ſibi proponit; ad cujus imperium, tanquam Dei oracula, arbitrii ſui voluntatem aſtringit: adeo ut in rebus adiaphoris [id eſt, quæ de ſe, nec bonæ, nec malæ ſunt] nihil agere, quod ille prohibeat, nec omittere, quod jubeat, velit. Magnum quidem perfectioris vitæ argumentum. Quid enim majus, quam nihil agere pro ſua voluntate? In hac una virtute ſita eſt humilitas, virtutum omnium fundamentum. Hoc eſt Chriſti conſilium, Matth. 16. Marc. 8. Si quis vult me ſequi, abne-

(p) 2. Cor. 8. (q) Luc. 3. 6. (r) Act. 15.

abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me. Hoc eſt ſeipſum denegare, ut non quæcunque volumus, illa faciamus. Ex Philoſopho namque integerrimo, Epicteto, diſcimus, nihil eſſe hominis proprium, niſi mentem atque voluntatem: reliqua, quæ extra nos ſunt, noſtra non ſunt. Quæ melior adhuc victima Deo offerri poteſt? In aliis caro aliena mactatur, hic nos ipſos Deo ſacrificamus. Quamquam re vera voluntas noſtra, noſtra eſſe non debet, ſed Dei, qui eam creavit. Quare quisquis voluntatem ſuam ſervat, ut ſuam, is Deo furripit, quod jure Dei eſt.

Sed notandum ex D. Bernardo (*r*), quod quædam ſunt pure bona, quædam pure mala. In his nulla debetur obedientia, quoniam nec illa omittenda ſunt, etiam ſi prohibeantur: nec iſta, vel cum jubentur, committenda. Interea ſunt media quædam, quæ pro tempore, vel perſona, & mala poſſunt eſſe, & bona. In his lex eſt obedientiæ. Pure bona ſunt Fides, Spes, Charitas. Pure mala furtum, ſacrilegium, adulterium. Media ſunt vigilare, ſcribere, legere, & ſimilia. Cæterum eorum, quæ media dicimus, quædam in purorum malorum, vel bonorum conditionem aliquando tranſeunt. Nam conjugium, cum & fieri liceat, & non fieri: tamen factum tenet, nec ſolvi poteſt. Et propria poſſidere ſæculari homini medium eſt: ſed Monacho purum malum.

Altera ergo voti obedientiæ cauſa, eſt timor delinquendi. Scimus enim, quia non eſt in homine, [*s*] ut dirigat greſſus ſuos. Idcirco diffidentes noſtris viribus & judicio noſtro, malumus ex ejus præſcripto agere, qui Dei locum teneat, quam ex noſtro arbitrio: ne cum venerit ſeverus Judex, cauſam vitæ a nobis noſtro arbitrio geſtæ dicere diſtrictius cogamur. Quare non immerito Hieronymus (*t*) primam in Monachis confœderationem dicit eſſe, obedire Majoribus. Nam Monaſteriorum omnium inſtituta, abſque obedientia corruunt: vitam cælibem poteſt quivis domi ſuæ colere, poteſt & paupertatem: ſed virtutem obedientiæ, non niſi qui ſub antiſtite aliquo & communi capite degat.

Cæterum & ſi plura alia inveniantur conſilia Evangelica, veluti de dilectione inimici, [intellige cum Theologis, quantum ad effectus amicitiæ voluntarios): de manſuetudine, & patientia: Si quis te percuſſerit in unam maxillam, præbe & alteram. De ceſſione ſui juris: Qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimitte ei & pallium. Et de liberalitate, Qui petit a te, da ei: & volenti mutuare a te, ne avertas. Et de ſimplicitate ſermonis, Sit ſermo veſter, eſt, eſt, non, non. Et de eruendo oculo, ſi ſcandalizet nos: de juſtitia facienda ſecreto: de vitanda ſolicitudine in victu procurando: de correctione fraterna: & ſi alia ſunt præterea, tamen his tribus conſiliis, quæ declaravimus, facile omnia comprehendas: videlicet de Obedientia, Caſtitate, & Paupertate. Horum diſciplina Monachorum Collegia inſtituit: non nunc primum quidem, ſed a tempore Apoſtolorum. Hujus rei teſtis eſt locupletiſſimus Philo Judæus, quem citant Euſebius l. 2. hiſtor. cap. 17. Hieronymus de viris illuſt. Nicephorus lib. 2. cap. 16. ut facile cernas in Monachorum reformatorum vita Eccleſiam eorum, qui primo crediderant in Chriſtum, [*u*] ubi nihil cujusquam proprium ſit; nullus inter eos dives, nullus pauper, patrimonium egentibus dividatur, orationi vacetur & pſalmodiæ, doctrinæ quoque & continentiæ. Sane ſi hujus inſtituti altius primordia repetamus, Filii Prophetarum appellati ſunt 4. Reg. 6. qui locum ſibi ad habitandum conſtruere petierant ab Eliſæo. Sed Dionyſius Areopagita c. 6. Hierar. ordinem Monachorum ſublimiorem initiandorum vocat: & profeſſionis formam deſcribit, quam faciebant jam eo tempore Religioſi. Quamquam tempore D. Auguſtini nomen Monachorum explodere, atque ab Eccleſia eliminare conati ſint etiam hæretici. Ad quos ille reſpondit: [*x*] Sunt & Monachi falſi, & nos tales novimus: ſed non periit pia fraternitas propter eos, qui profitentur, quod non ſunt. Tam, inquit, ſunt Monachi falſi, quam & Clerici falſi, & fideles falſi.

Tria diſtinguit Iſidorus genera Monachorum; cui ideo fidem adhibendam cenſemus, quod ejus ætate plurimum vigeret hoc inſtitutum: Unum Cœnobitarum, id eſt, in commune ſimul viventium. Secundum Heremitarum, qui procul ab hominum conſuetudine, loca deſerta & vaſtas ſolitudines incolebant, herbis victitantes, vel pane ſolo & aqua. Tertium genus vocat Anachoritarum, qui antea probati in cœnobio, poſtea permittebantur ſoli degere in locis remotis. Videtur ab his Prioratus noſtros rurales habuiſſe originem & honorem primum. Sed o Deus bone! quam nunc aliter hæc.

DE VOTO.

DEuter. 23. dicitur: Cum votum voveris Deo tuo, non tardabis reddere. Si

(*r*) Epiſt. 7. ad Oldam Monach. (*s*) Prov. 20. (*t*) Ad Euſtoc. Epiſt. 22.
(*u*) Act. 4. & 5. (*x*) In Pſal. 131.

Si nolueris polliceri, ſine peccato eris: Quod autem ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſervabis. Liberum ita eſt vovere; ſed reddere, poſtquam voveris, neceſſarium. Ananias & Saphyra mortem meriti ſunt, quia, quod voverant, non reddiderunt. Vovere, eſt Deo ſanéte promittere: unde & votum voluntatem, & deſiderium aliquando ſignificat, quod ea maxime optamus, propter quæ Deo vota facimus. Sed definitur: promiſſio facta Deo, cum deliberatione, de bono aliquo, vel meliori bono. Et vocatur bonum hoc, ſupererogationis: quia non ſub præcepto cadat, ſed ſub conſilio. Quare votum de malo non ſolum non obligat, ſed etiam grave peccatum eſt. Et requiruntur præterea tria ad hoc, ut votum teneat: deliberatio, propoſitum, & promiſſio. Factum ſine deliberatione, non obligat, niſi forte ex congruo, ſi res bona ſit: non quale illud Jephthe (y) indiſcretæ promiſſionis: & cujusvis temulenti hominis. Quod propter metum illatum ab hominibus fit, quia propoſiti voluntate caret, non obligat. Secus ſi timor eſſet a caſu, vel a natura: ut in infirmitate gravi, & in magna maris tempeſtate. In illis igitur, in quibus electio imperfecta fuerit, tutius eſt, diſpenſationem obtinere. Nam licet plena non ſit deliberatio, non ideo ſine electione fuerunt. Alioqui non diceretur peccare ebrius, vel alius, qui vel ex ebrietate, vel ira hominem occideret. Imperfecta enim electio, electio tamen eſt. Ideo adeatur ſuperior, ſi adiri poſſit, quandocunque commutatio vel diſpenſatio facienda videtur. Propria enim authoritate facienda non eſt. Non enim liberatur debitor, ſolvens rem meliorem, niſi ſolvat, quod debet. Sed ſi certum ſit, rem eſſe malam, vel inutilem, vel impedientem majus bonum, poterit. Deut. 23. dicitur: Cum votum voveris Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum.

Regula Sanct. Thomæ [z] eſt tenenda hic: Quicquid votum faciendum impediret, ſi prius fuiſſet: voto facto, obligationem tollit. Item illa, quæ in omni voto intelligitur, conditio: Si potero.

Quare ejus, qui vovet, quod ſine alterius licentia complere non poteſt, irritatur promiſſio ab eo, a quo dependet: ut ſi Clericus longam peregrinationem voveat ſine conſenſu Prælati. Sic Religioſi vota omnia irritare poteſt Prælatus ejus: filiorum impuberum pater, & tutor: uxoris maritus: ſervi Dominus. Quod ſi ſemel irritum factum fuerit votum, nunquam de cætero obligat: propter regulam illam: Obligatio ſemel extincta, non reviviſcit. C. De remiſſ. pign. l. Cum ex cauſa.

Impubes votum religionis ſuſcipere non poteſt: ne de conſenſu quidem patris. Quod ſi fecerit, non tenetur, ne poſt ipſam quidem poſtea pubertatem.

Religioſus obſervare vovens regulam ſui ordinis, ita eam obſervare tenetur, ſicut illa habet: hoc eſt, præcepta ut præcepta, & conſilia ut conſilia.

Alter conjugum rato, & non conſummato Matrimonio, vovere poteſt, atque ingredi religionem, ſine conſenſu ſponſæ: non autem conſummato.

Votum inſuper aliud ſolenne eſt, quod cum ſolennitate fit, ut profeſſio Religionis & Ordinis Sacri. Aliud ſimplex, quod ſine ſolennitate aliqua. Item aliud abſolutum, aliud conditionatum, Si Deus tibi aliquid, quod optas, conceſſerit.

Cauſæ diſpenſandi in votis tres aſſignantur. Prima, ſi id ſit malum, vel inutile, vel majoris boni impeditivum. Commutandi vero in aliud cauſa eſt, impoſſibilitas exequendi, vel major utilitas.

Abſolvit ergo Sacerdos de transgreſſione voti cujuscunque: ſed non diſpenſat, niſi qui poteſtatem habet majorem in Eccleſia.

Papa diſpenſat in omni voto, niſi per quod ſit aliquis conſecratus Deo, quale eſt votum ſolenne Religionis: (a) quia quod ſemel Domino conſecratum eſt, non poteſt in alios uſus converti. Epiſcopi autem diſpenſare poſſunt in aliis votis omnibus, demptis quatuor, quæ Papæ reſervantur: videlicet Continentiæ perpetuæ, ac Religionis, & tribus aliquando votis peregrinationum, nempe terræ ſanctæ (ubi cum infidelibus bellum geritur) liminum Sancti Petri & Jacobi in Compoſtella. Hæc amplius videris in Summa Sylveſtrina.

DE DISPENSATIONE.

EX his, quæ dicentur, apparebit diſpenſationem indulgentiam eſſe largo modo ſumpto vocabulo: præterquam quod indulgentia propter commiſſa delicta diſpenſatur: Diſpenſatio autem ad hoc indulgetur, ut non imputetur ad peccatum, quod committitur. Eſt enim diſpenſatio licentia, ſeu permiſſio contra rigorem juris: juris inquam præcipientis vel prohibentis aliquid. Veluti jubet lex feſtum celebrari vel jejunium. Item

(y) Jud. 12. (z) S. Tho. 4. diſtinct. 38. (a) De ſtat. Monachorum. c. Cum ad Monaſterium.

Digitized by Google

Item prohibet ordinari homicidam. Contra hæc fieri posse facit dispensatio. Vovit quis castitatem: dispensat Pontifex alicujus utilitatis vel necessitatis causa. Juravit alius in stipulando servare contractum: dispensatur, si læsio enormis videatur, vel contra jus facta. Prohibentur nuptiæ in gradibus nonnullis ultra legem naturæ, ut charitas Christiana necessitudinibus augeatur. Prohibentur diebus jejuniorum, & quibusdam solemnibus: quod vacandum tunc sit orationi. Sed relaxatur prohibitio ob urgentem aliquam necessitatem. Caveat ergo Dispensator, ne temere legem relaxet. Namque Apostolus (*b*) Timotheum contestatur coram DEO & Angelis ejus, ut hæc custodiat: sine præjudicio, nihil faciens, in alteram partem declinando.

Sed ut licita sit dispensatio, duo requiruntur: (*c*) unum ex parte dantis, nempe potestas: alterum ex parte petentis, scilicet causa justa. Quare si impetratur ob falsam causam, vel tacita veritate, nulla est dispensatio. c. 2. De filis Presb. & c. Non potest, de Præben. libr. 6. Quæ vero sint causæ justæ, regula dari non potest generalis [inquit Sylvester] quoniam dari oporteret innumeras. Ideo standum esse dicit judicio boni viri. Sed causæ duæ generales attendi solent: necessitas & utilitas. His duabus remittuntur leges omnes. Ambrosius sane, & Cyprianus neophyti ordinati fuerunt contra legem: quia non deerat humanitas; nec metuendum erat, ne in superbiam elati in judicium inciderent, quo diabolus judicatus est. Cum Sacerdote, ut Matrimonium contrahat, dispensatum fuit ex causa publicæ utilitatis: (ut ait Cajetanus in quodl. 12.) cum Remigio Monacho & Sacerdote. Unde nata Petronilla, hæres regni Aragoniæ, quæ nupsit Raymundo, Comiti Barchinoniæ. Celestinus quoque tertius dispensavit cum Constantia, filia Rogerii, Sanctimoniali quinquagenaria Panormi, quæ nupsit Henrico V. unde natus Fredericus II. Et Alexander VI. cum filio suo. Disputant de hac re Canonistæ. Bal. in l. rescripta. C. de præci. imp. off. glos. c. de illo. 32. dist. Inn. in c. Placet. de conver. conjug. Abb. in c. Cum olim. de Cler. conjug. &c. Quapropter si sola Principis voluntas sufficit ad dispensandum: in inferiore necessaria est causæ cognitio. Alioqui enim non dispensatio, sed dissipatio fiet: & puniendus veniet dispensator: Licet dispensatio teneat, quamdiu non revocabitur a Superiore.

Queri solet, an dispensati sine causa legitima sit tuta conscientia quo ad Deum? Respondent Doctores cum distinctione. Si dispensans sit inferior, conscientia dispensati tuta non est, nec quo ad Deum, nec quo ad Ecclesiam: quia dispensatio facta sit sine cognitione causæ. Sed Papa quidem in his, quæ sunt juris positivi, sine causa dispensare potest: non autem in illis, quæ sunt juris Divini: ut in voto, juramento, & similibus. Justa tamen causa dispensante Summo Pontifice, tenet dispensatio, etiam tuta conscientia dispensati.

Est ergo primum dispensatio relaxatio præcepti aliquid injungentis Superioris, vel prohibentis: deinde obligationis Deo factæ, ut voti: tertio obligationis cum jurejurando factæ proximo.

Cum autem dispensandi facilitate, eo ventum sit in nostra Dioicesi, ut contractuum jam sit prope nulla fides: nulla pacta non irritentur, modo quis se læsum fuisse asserat, sæpe rei veritate tacita: nec simplices modo, & idiotæ huc confugiant, sed etiam, tanquam ad subterfugium cuilibet paratum (æquis & iniquis etiam omnibus) senes, potentes, Sacerdotes, Doctores juris, pacta & conventa, opportunitate dispensationum rescindant: (quod non ad decipientium, sed ad deceptorum salutem inventum est) iniquitatis dicentes vinculum esse non debere jusjurandum. Quasi iniquitas sit ei, qui vult tecum in judicio contendere, & tunicam tuam tollere, dimittere ei & pallium, ut tollatur amplius occasio agendi inique;

STATUTUM I.

STatuimus & ordinamus, & in posterum agere decrevimus, quod dispensationes juramenti minoribus ætate, & simplicibus atque idiotis personis, de quarum simplicitate nobis fides facta fuerit, dabuntur in forma jam solita & usitata. Sed literatis & divitibus (quos non ita facile decipi posse judicaverimus) non nisi vocata parte summarie, vel communicato libello supplici: sine strepitu judicii, re considerata pie, ex æquo & bono. In juramentis quoque temerariis & iniquis, quæ fas non est servare, vel servari omnino non possunt, (ne quis in lege Evangelica Christi perplexus esse dicatur) injungetur salutaris pœnitentia ante absolutionem vel dispensationem, ne jurisjurandi maneat impune violata Religio. In iis autem, quæ propter nuptias & Matrimonia celebran-

(*b*) 2. Tim. 3. (*c*) Trid. 24. c. 18. cap. 1. de Voto.

branda, aut res alias ſanctas facta fuerint (quoniam ſi peccaverit vir in virum, placari poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?) ſatisfactio imponetur aliqua in Dei honorem, vel Eccleſiæ utilitatem.

II.

Voti diſpenſationem ſolemnis, ad Sedem Apoſtolicam remittimus.

III.

Licet Epiſcopi (*d*) poſſint in irregularitatibus illis & ſuſpenſionibus diſpenſare, quæ proveniunt ex delicto occulto: non tamen in ea, quæ ex homicidio voluntario: nec in ea, quæ ad forum jam contentioſum ducta ſit.

IV.

Si quis intra gradus prohibitos (*e*) ſcienter Matrimonium contrahere præſumpſerit, ſeparetur: & ſpe diſpenſationis conſequendæ careat.

V.

Declarat Concilium (*f*) Trid. diſpenſationes gratioſas non prius ſortiri debere effectum ſuum, quam cognitum ſit ab Epiſcopis, eas non ſubjacere vitio ſubreptionis. (*g*) Idem de commutationibus ultimarum voluntatum, & de gratiis obtentis.

DE INDULGENTIIS.

QUamvis nomen Indulgentiarum non ita dudum innotuerit; res tamen ipſa ſemper uſitata fuit in Eccleſia, a primordio ejus: & qui eas inutiles eſſe dixerit, vel easdem concedendi poteſtatem, in Eccleſia negaverit, anathemate damnatur in Concil. Trid. Cujus rei cognitio cum ſit maxime neceſſaria Paſtoribus: præſertim hoc tempore, quando tantam inde videmus iliadem malorum prodiiſſe (authore Martino Luthero in Germania) & incendium, cui extinguendo ſolam e cœlo opem ſperare liceat; nos paucis & dilucide, quantum in nobis eſt, [Deo juvante] de nomine, vi, uſuque earum dicamus: relictis in medio difficultatibus aliis, quæ parum faciunt ad ædificationem.

Nomen Indulgentiæ unde.

INdulgentia dicta eſt ab indulgere, id eſt, blande permittere, concedere, condonare: Græce χαρίζεσθαι. Quo verbo uſus eſt Apoſtolus multis in locis. In 2. Cor. 2. Nam ego ſi quid donavi (εἴ τι κεχάρισμαι) in perſona Chriſti propter vos. & eodem cap. Ut e contrario magis donetis, & conſolemini: id eſt, non ſolum indulgeatis, & patienter feratis alios, ſed & conſolemini, & ad ſpem veniæ erigatis. Et c. 12. Donate mihi hanc injuriam: id eſt, ignoſcite, indulgete. Et Coloſſ. 2. Donans vobis omnia delicta, delens, quod adverſum vos erat chirographum decreti. Et c. 3. Supportantes invicem, & donantes vobismetipſis, ſi quis adverſus aliquem habet querelam, ſicut & Dominus donavit vobis. Et Eph. 4. Donantes invicem, ſicut Chriſtus donavit vobis. Et Chriſtus Luc. 7. Non habentibus illis unde ſolverent, donavit utrisque: ubi de remiſſione peccatorum loquitur Evangeliſta. In omnibus his locis verbum eſt χαρίζεσθαι, a gratia deductum. Ex quibus colligi poteſt indulgentiam merito ſumi ab Eccleſia pro venia & remiſſione peccati, relaxationeque cujuscunque obligationis, quæ ex gratia fit, non ex merito. Nec ab ea differt, quod Quintilianus (*b*) ait, Mollis illa educatio, quam indulgentiam vocamus, nervos omnes & mentis, & corporis frangit. Nam in molli educatione illa, omnia condonamus, ad quæ tenerentur pueri, ſeverius aliquanto inſtituendi. Nec ſi blanda Patrum ſegnes facit indulgentia natos, atque ideo injuſta eſt: ideo & indulgentia Dei injuſta. Non enim ſicut videt homo, & Deus videt.

Ubi Sacra Scriptura docet uſum Indulg. & virtutem.

SEd ex omnibus his locis maxime facit ad rem noſtram cap. illud. 2. Cor. 2. Cum enim Apoſtolus juſſiſſet inceſtuoſum illum fornicatorem excommunicari, tradique Satanæ, (ſicut habetur ex priore Epiſtola ad eosdem Corinth. c. 5.) hic, ut videtur, factus certior de ejus pœnitentia, conſolatur Corinthios, & gratulatur eis, quod bene acceperint ſuam correptionem. Quare & ipſe in gratiam eorum, qui illi indulgeri voluerunt, veniam dat reſipiſcenti. Idque non propria quidem authoritate, ſed in perſona Chriſti, tanquam Chriſti Miniſter. Sic enim in hac eadem 2. cap. 5. dicit: Quoniam quidem Deus erat in Chriſto mundum reconcilians

(*d*) Trid. Seſſ. 24. cap. 6. (*e*) Ead. 24. c. 5. (*f*) 24. c. 5.
(*g*) 13. cap. 5. (*b*) Lib. 1.

Digitized by Google

cilians ſibi, non reputans illis delicta ipſorum: & poſuit in nobis verbum reconciliationis. Jam hic non reputare alicui peccatum, aliud non eſt, quam indulgere: & ponere in nobis verbum reconciliationis, ex phraſi Hebraica, quid, quam dare nobis poteſtatem reconciliandi alios? partim quidem exhortando, (ſicut ſequitur) Deo exhortante per nos: partim etiam puniendo, ſicut in eodem Cap. Epiſtolæ primæ: Ego quidem abſens corpore, præſens autem ſpiritu, jam judicavi ut præſens eum, qui ſic operatus eſt, in nomine Domini noſtri JEſu Chriſti, congregatis vobis, & meo ſpiritu, cum virtute Domini noſtri JEſu tradere hujusmodi hominem Satanæ in interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus ſit in die Domini noſtri JEſu Chriſti. Et in 2. Cor. c. 10. In promptu habentes ulciſci omnem inobedientiam, cum impleta fuerit veſtra obedientia. Patet ergo, qua authoritate uſus fuerit Paulus tam puniendo, quam indulgendo, erga fornicatorem Corinthium. Jam ergo hic c. 2. poſterioris Epiſtolæ rogat, ut in bonam partem accipiant ſeveritatem, qua in illum uſus erat: quoniam juſto dolore motus fecerat, non ut contriſtaret eos, quin potius ut partem in ſe ſuſciperet mœroris ipſorum, & eos mœſtitia levaret aliquo modo. Et ut recipiant ad communionem eundem illum, ſubdit: Sufficit illi, qui ejusmodi eſt, objurgatio hæc, quæ fit a pluribus. Quaſi diceret: Satis pœnarum dedit: indulgete, & conſolamini, ne forte abundantiori triſtitia abſorbeatur. Nam & ego donavi (id eſt, indulſi) propter vos. Et confirmate eum in charitate: ne circumveniamur a Satana, cui traditus ille fuit. Ne a Satana uſurpemur, qui plura ſemper occupare cupit: nec his contentus eſſe ſolet. Scimus enim, quid tentator ille cogitet diabolus. Atque hic quidem ſenſus verborum Pauli. Jam diſcamus ex hoc loco uſum indulgentiarum. Si Corinthius ille non fuiſſet converſus a peccato per pœnitentiam: non dediſſet profecto ei Paulus veniam: quia pœna ei debebatur ex juſtitia. Cum igitur condonet ei peccatum, ſequitur dimiſſa culpa peccati, reſtitiſſe pœnam ſublatæ culpæ debitam: quam condonat Apoſtolus in perſona Chriſti: id eſt, ac ſi Chriſtus ipſe donaſſet, ut dicit gl.

Eccleſiæ Miniſter remittit peccato debitam, commutando.

CUm ſit igitur data poteſtas a Chriſto remittendi peccata, Matth 17. & 18. per peccatum autem homo duo hæc incurrat, culpam, & reatum, ſeu obligationem ad pœnam aliquam: culpam vero ſolus dimittat Deus, qui ſolus dat gratiam: pœnam aliquando ſolvat peccator per ſatisfactionem, quæ pars eſt pœnitentiæ: ſæpius quoque ſolvendo non ſit, vel propter gravitatem peccati, vel quod morte intercipiatur: Poteſt ergo Miniſter Eccleſiæ culpam, Deo authore, remittere, & pœnam condonare. Nam ſi homo, quamdiu pœnæ obnoxius eſt, a Cœli gloria excluditur: niſi impedimentum hoc tollatur, nunquam Cœlum ingredietur. Sed Petro datæ ſunt claves regni cœlorum: ergo poteſt Petrus & Succeſſores Petri impedimentum hoc auferre virtute clavium, & pœnam condonare. Jam ſi pergamus, culpa mortalis peccati virtute Sacramenti pœnitentiæ deletur. (Quorum remiſeritis, inquit, peccata, remittuntur eis) pœnam vero non omnino remitti juſtum eſt, ne peccetur impune) ſed quæ æterna eſt, in aliam temporalem commutari convenit, perſolvendam vel in hoc ſæculo, vel in alio. Sic Sacerdos pœnitenti peccatori opus aliquod imponit pium, in ſatisfactionem delicti, & injuriæ Deo, vel proximo illatæ: non utique pro merito culpæ commiſſæ, cui æterna debetur, (ob offenſionem Divinæ Majeſtatis, infinitæ & inæſtimabilis) ſed per indulgentiam, commutando in aliam tolerabiliorem, confiſus de Chriſti miſericordia, & merito infinito: cujus legatione & vice fungitur ſuper terram; poteſtatem gerens aperiendi, & claudendi regnum cœlorum, juxta clavem ſcientiæ ſuæ: & diſpenſandi de pretio immenſo paſſionum ejus: quas tanquam in theſauro quodam repoſitas ad ſubveniendum miſeris omnibus ſervat Eccleſia, Sponſa Filii Dei dilectiſſima: additis etiam iis, quæ Sancti in vita ſua paſſi ſunt, plus quam peccata eorum commeruiſſent.

De Theſauro Eccleſiæ.

UNde Doctores Theologi, & Canoniſtæ omnes, dicunt, quod pœnitentiæ noſtræ compenſantur per pœnas Chriſti & Sanctorum; dum ex theſauro illo conceditur alicui, quaſi pretium pœnale, unde ſolvat Deo debitam pro ſuis peccatis pœnitentiam. Sunt quidem paſſiones Sanctorum conſummatio paſſionum Chriſti, ut ex Paulo diſcimus Coloſſ. 1. Qui nunc gaudeo in paſſionibus pro vobis, & adimpleo ea, quæ deſunt paſſionum Chriſti in carne mea pro corpore ejus, quod eſt Eccleſia: cujus factus ſum ego Miniſter ſecundum diſpenſationem Dei. Ex hoc loco D. Auguſtinus in Pſalm. 61. Theſaurum Eccleſiæ intellexit, quem vocat paratoria, dicens: Paſſiones Chriſti non in ſolo Chriſto. Si enim Chriſtum intelligas caput & corpus; paſſiones Chriſti, non in ſolo Chriſto: imo paſſiones Chriſti, non niſi in Chriſto. Si autem Chriſtum intelligas ſolum

lum caput: paſſiones Chriſti non in ſolo Chriſto, imo in ſolo capite: unde dicit quoddam membrum ejus Paulus Apoſtolus: ut ſupplcam, quæ deſunt preſſurarum Chriſti in carne mea? Si ergo in membris Chriſti es, &c. quicquid pateris ab eis, qui non ſunt in membris Chriſti, deerat paſſionibus Chriſti, qui paſſus eſt in capite noſtro, & patitur in membris ſuis, id eſt, in nobis ipſis ad communem hanc quaſi rempublicam: nam quisque pro modulo noſtro exolvimus, quod debemus: & pro poſſe virium noſtrarum, quaſi canonem paſſionum inferimus paratoria plenaria. Hæc S. Auguſtinus. Nam quod Sanctorum merita aliis proſint, patet, Geneſ. 26. Abraham profuit Iſaac: & Jacob docuit invocare nomen ſuum nepotes. Gen. 48. Et Moyſes, Recordare, inquit, Abraham & Iſaac & Jacob. Deut. 32. & David, 3. Reg. 12. 4. Reg. 19. Eſa. 37. Ezech. 14. Sed hæc merita ſunt particularia: nos de illis loquimur, quæ in commune, cum Chriſti merito, ſervantur ad Eccleſiæ ædificationem. Ergo notandum, quod ſupra diximus, juſtum non eſſe, ut pœna omnis peccato debita gratis omnino condonetur. Chriſtus enim pro nobis ideo paſſus eſt, ut juſtitia Dei impleretur in nobis: factusque eſt pro nobis hoſtia, ut pro iniquitatibus noſtris ſatisfaceret, quæ impunitæ manere non debuerunt. Nihilominus tamen gratiæ ſuus locus relictus eſt. Nam non tantum paſſus eſt, ut nos Patri reconciliaret, & in gratiam ejus reduceret, cujus antea inimici eramus: [plenus ipſe gratiæ & veritatis] ſed etiam ut auferret chirographum decreti, quod erat contrarium nobis, id eſt, obligationem ad pœnam æternam. Et fuit ejus meritum infinitum: quia non pro noſtris tantum paſſus eſt peccatis, ſed etiam pro totius mundi. Hæc merita dicuntur theſauri ſpirituales Eccleſiæ per metaphoram.

In quibus etiam merita ponuntur omnium Sanctorum, qui pro Deo majores pœnas dederunt, quam pro delictis ſuis, ab Abel juſto, ad nos uſque. Siquidem juſti plures extiterunt: qui quod nulla, vel pauca, atque ea minima deliquerint: vel nulli, vel certe minimæ, obnoxii fuiſſe pœnæ putandi ſunt. Utinam appenderentur peccata mea, (dicebat (*i*) Job) quibus iram merui; & calamitas, quam patior, in ſtatera: quaſi arena maris hæc gravior appareret. Maria Virgo nihil commiſit: at quantos illa dolores toleravit? Joannes ab utero matris ſanctificatus, quam vixit auſtere? Paulus adimplet in carne ſua, quæ deerant paſſionum Chriſti. Mariæ Magdalenæ dimiſſa fuerunt peccata, ut teſtatus eſt Chriſtus: ſed poſtea quam auſtere vixit in ſolitudine. Ergo cum ſcimus omnes unum corpus in Chriſto, membra corporis ejus, cujus communionis ratione participes omnes ſumus, alter alterius meritorum: non dubium eſt, poſſe aliorum merita aliis applicari, quæ ſatisfactoria fuerunt: non utique ad merendam gratiam, (hoc Chriſti proprium eſt, de cujus plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia) ſed ad ſatisfactionem debiti, & noxæ ſolutionem.

Atque hæc eſt communis opinio Theologorum, & Canoniſtarum, in c. Indulgentiæ. de Pœnit. & rem. lib. 6. & Clem. unica de Reliq. & ven. Sanctor. & in c. Quod autem. Nec obſtat, quod objiciunt Angelus in ſua Sum. cum Fran. de Mairo. & Durandus, & Lutherani, Quod non ſunt condignæ paſſiones hujus mundi ad futuram gloriam: nam Petr. de Palude jam ante diſſolverat hoc argumentum. Opus enim pœnale juſti hominis conſiderari poteſt dupliciter: ut meritorium. Et ſic non tranſit perſonam merentis, quia ſolus Chriſtus pro aliis meruit: cæteri plus acceperunt, quam meruerunt. Aliter ut ſatisfactorium. Et ſic ſunt multi plus paſſi, quam meriti: plusque ſatisfecerunt, ſive exolverunt, quam debuerunt. Horum certe paſſiones communicari poſſunt aliis: non modo propter communionem ejusdem corporis & ſympathiam, ſed etiam propterea, quod ita volebant Sancti: ut docent verba Pauli Coloſſ. 1. Et ita determinatum fuit a Clemente Sexto in Extr. Unigenitus. Et de poteſtate diſpenſandi hujus theſauri, Conc. Trid. in fine, & Later. & Vien. & Baſil.

Nomen Jubilæi, & Cruciatæ & veniæ.

CUm eſſent igitur olim in Eccleſia certæ definitæ atque conſtitutæ ſingulis criminibus, & delictis pœnæ, ſeu pœnitentiæ; veluti pro uno mortali ſeptem annorum; imo & aliquibus totius vitæ; (ut videre eſt in antiquiſſimis Conciliis) videntesque aliquando Patres, eorum, qui damnati erant, & pœnitentiam agebant, obedientiam, & contritionem, ſoliti eſſent eos ad Communionem recipere ante tempus per indulgentiam, & quaſi per acceptilationem a debito abſolvere; remittebant obligationem injunctæ pœnitentiæ totius, vel in parte. In pœnitentia, inquit Auguſtinus, non tam menſura temporis, quam doloris attendenda eſt: &

(*i*) Job. 6.

Digitized by Google

& Nicænum Conc. digne pœnitentes humanius voluit tractari. Et si moderni Pontifices antiquorum rigorem Canonum super lapsos Sacerdotes remittere nequirent, Christiana Religio officio Sacerdotum destitueretur: cum nisi lapsi pene nulli Sacerdotes reperiantur, quos antiqui Canones deponebant, Hincmarus Archi-Episcopus Remensis ait. Hinc ergo cepisse videtur nomen Indulgentiæ, quo nunc utimur. Hinc usus ille Indulgentiarum annorum & dierum. Hinc nomen veniæ, [quam vulgo perdonanciam Itali] quod venia daretur de reliquo tempore. Hinc & nomen Jubilæi: quod instar liberationis a servitute, & remissionis debitorum omnium, (qualis in lege Mosaica septimo quoque anno atque Quinquagesimo fiebant.) Pontifices Romani Apostolorum limina visitantibus, omnium indulgebant veniam peccatorum: id est, omnium pœnitentiarum injunctarum pro peccatis. Quod primum fecisse traduntBonifacium octavum, & perpetuum constituisse in centesimum quemque annum: ut habetur Extr. c. Antiquorum. Sed postea Clemens sext. ad Quinquagesimum reduxit: Ext. Unigenitus. Denique Paulus secundus, ob hominum vitæ brevitatem, ad vigesimum quintum. Neque vero tantum pœnitentiæ injunctæ condonari ceperunt in Jubilæo, sed etiam censuræ a jure illatæ, & vota emissa, & obligationes quædam Ecclesiasticæ: ut celebrandi in loco privato, edendi lacticinia diebus prohibitis, & similia. Hinc & Cruciatæ dictæ: quod ut ad ferendum subsidium Christianis in terra sancta, bellum contra infideles gerentibus, multos animarent; indulgentias hujusmodi dabant Pontifices omnibus, qui illi militiæ se ascriberent. Eratque militiæ ejus signum & tessera, Crux vestibus assuta, alicujus coloris diversi a veste. Sed postea sub Leone X. cruciatam vocari vidimus indulgentias similes, concessas omnibus, qui certam pecuniam elargirentur in bellum contra Turcas. Hæ latratus horrendos excitaverunt in Germania, contra Pontificem, propter Quæstorum abusus. Et quia necdum abusus illi Quæstorum amoveri potuerunt: Conc. Trid. ne nomen quidem audiri posthac Quæstorum jussit.

Definitio Indulgentiarum.

EX his, quæ hactenus probavimus, elici potest definitio Indulgentiæ hæc: Dispensatio thesauri Spiritualis Ecclesiæ, in remissionem pœnarum temporalium, quæ debentur vel ex peccato, vel ex voto, vel ex præcepto. Nam quod quidam definiunt, Remissionem pœnæ temporalis pro actualibus peccatis debitæ extra Sacramentum factam ex thesauri Ecclesiæ dispensatione; non probaretur S. Thomæ: qui non tam remissionem esse vult, quam commutationem. Alii Relaxationem dicunt: sed neque id probatur: quia licet a pœna non omnino absolvat (quando opus aliquod injungit) tamen Indulgentiæ plenariæ ad omnes pœnas peccato debitas conferuntur. Sylvester definit donationem alicujus sumpti de thesauro Spirituali Ecclesiæ, factam peccatori, ut inde satisfiat Deo pœnarum creditori. Sed neque hæc probatur, ut omittam, quod nemo Latinus eam intelliget. Nam potius condonatio pœnæ est, facta per dispensationem, quam relaxatio, & in definitione differentiam sumit author pro genere. Quin etiam dari posse non subditis suaderet: quod est contra Alexand. III. qui non prodesse autumat, nisi de licentia Judicis. Cajetanus in opusculis definitionem non infeliciter traxit ex verbis ejusdem Alexandri & Innocentii, Ext. de Pœn. & rem. c. Cum ex eo, & c. Quod autem. In quibus videtur Indulgentiam esse absolutionem, sive remissionem judicialem, pertinentem ad forum pœnitentiæ, & de pœnitentiis injunctis. Est, inquit, absolutio ab injuncta pœnitentia in foro pœnitentiali. Sed neque per hanc definitionem omnem vim complexus est Cajetanus Indulgentiarum, quæ in usu sunt: quoniam vota sæpius commutant; & multa permittunt, quæ alioqui non licerent. Unde & proprie nomen acceperunt Indulgentiæ. Neque enim pro peccato solum & semper, pœnam debitam compensant: quamvis ad eam principio respexerint. Quare possumus & absolutionem, & compensationem, & distributionem, & dispensationem, & relaxationem, & commutationem, & communicationem, & condonationem, & veniam, & remissionem: ac pari ratione potestatem remittendi, commutandi, relaxandi, ac similem, (juxta Bullæ verba atque formam) vel peccata, vel vota, vel obligationem. Sed quia primum & principale officium earum est, remittere pœnam debitam peccatis: votorum autem commutatio, electio Confessoris, absolutio a censuris (& similia) secundario tanquam adnexa concedi solent: primusque Indulgentiarum usus fuit condonandi pœnitentias injunctas a Sacerdotibus: ideo sufficere poterit hæc diffinitio: Absolutio vel remissio a pœnis peccatis debitis in foro pœnitentiali: id est, quæ debentur in foro pœnitentiali: sive per Sacerdotem injunctæ fuerint, sive a jure præscriptæ, sive ex æquitate & justitia Divina præscribendæ.

Indul-

Indulgentiæ plenariæ & perpetuæ.

HAbes etiam ex his alias eſſe perpetuas, alias ad tempus: & alias plenarias, & alias determinatas in parte: omnino ſecundum Bullæ, qua conceduntur, verba & formam. Nam ſi de injunctis tantum pœnitentiis loquatur; non extendes ad alias. Et ſi de peccatis confeſſis, non de non confeſſis putato te abſolutum. Quia tantum valent, quantum ſonant Indulgentiæ. Plenaria ſimpliciter & abſolute conceſſa, abſolvit ab omnibus, & in hoc & in futuro ſæculo. Cum ergo ponitur in Bulla numerus annorum, vel dierum: & præterea etiam quarentenæ aliquot: intellige per quarentenas, numerum dierum illorum, in quibus acerbior aliqua pœnitentia impoſita erat: veluti quod feria ſexta, vel quarta, a vino vel ſale abſtineretur. Si ſine reſtrictione loquantur, valent Indulgentiæ & quantum ad forum Eccleſiæ, & quantum ad forum Dei, ad remiſſionem pœnæ reſiduæ poſt contritionem & confeſſionem, & abſolutionem: ſive ſit injuncta, ſive non. Et ita docet Sylveſter ex Thoma, & omnibus Doctoribus, præter Cajetanum.

Nec verum eſt, quod vulgo putant, ſi cui impoſita ſit pœnitentia x. annorum, quam non impleat in hoc mundo: torquendum eum relinqui in purgatorio eodem ſpatio decem annorum. Siquidem purgatorii dolores eo majores multo ſunt, quam hujus ſæculi: tum ex ſenſus, tum ex deſiderii viſionis Divinæ intenſione majori.

An proſint defunctis per modum ſuffragii.

SAnct. Thomas in 4. diſtinct. 45. docet Indulgentias prodeſſe defunctis in purgatorio, ſi id in Bulla ipſarum contineatur, non aliter. Sed quæri ſolet, quomodo proſint defunctis, extra ſtatum poſitis merendi? Propter argumentum hoc dicunt Doctores, vivis dari per modum abſolutionis: ſed mortuis per modum ſuffragii. Certe Latinis ſuffragium (translatum a poſterioribus pedibus quadrupedum) illa ſententia dicitur, vel votum, quod in favorem alicujus datur: juvando, confirmandoque alterius ſententiam, qui prior dixit. Sed Theologi rem ſimilitudine declarant. Si quis propter debitum (verbi gratia, centum aureorum) detineatur in carcere, vel in trireme: amicus autem ejus, ſumpta pecunia ex theſauro publico, cujus adminiſtrationem habet, ſolvat pro eo: liberatur quidem ille e carcere: quia pro debito ſatisfactum eſt. Sed diverſis rationibus, a Judice quidem per juſtitiam, poteſtate jurisdictionis: ab amico autem per ſuffragium, id eſt, per ſubventionem favorabilem. Simili modo Papa, ut Judex, liberat viventem in ſæculo, abſolvendo eum a reatu pœnæ: ſed mortuum per modum ſuffragii, offerendo id pro mortuo, quo liberatur a pœnis purgatorii, tanquam diſpenſator publici theſauri. Vivi quoque per modum ſuffragii, proſunt mortuis: quia faciendo id, quod Indulgentiæ Bulla jubet, ipſi ex theſauro eodem ſibi conceſſum præmium largiuntur liberaliter & ex charitate pro mortuis. Sic in Indulgentia agnoſcimus juſtitiam & gratiam. Juſtitiam, inquam, in ſatisfactione: ſed gratiam in acceptatione. Sed controverſia eſt, an exiſtens in peccato mortali poſſit pro mortuis impetrare indulgentiam. Gabriel affirmat: alii negant. Sed ratio hujus eſt, quia opus id, cum ſit ſatisfactorium, & fiat nomine Eccleſiæ, quæ ſemper eſt in gratia, licet Miniſter ſit extra gratiam, ſufficit gratia Eccleſiæ. Sicut ſi ſervus eleemoſynam pro Domino dederit cum peccato, non obeſt Domino jubenti cum charitate.

Quæ requiruntur, ut valeant Indulgentiæ.

IDeo videndum, quæ requiruntur ad hoc, ut Indulgentiæ validæ ſint. Sunt hæc tria: Authoritas conferentis, charitas accipientis, & cauſa pia, id eſt, Dei honor, & Eccleſiæ ac proximi utilitas. Si unum aliquod ex his deſit, fruſtra conceduntur, & indiſcretæ vocantur ab Alexandro III.

Quis poteſt conferre.

SOlus Papa poteſt Indulgentias dare ex plenitudine poteſtatis. Quoniam ei ſoli commiſſa eſt univerſalis Eccleſiæ cura. In hac enim, & non in particularibus Eccleſiis ſervatur indiviſe theſaurus meritorum Chriſti. Eſt enim Chriſtus Caput Eccleſiæ univerſalis, in quo ſunt omnes theſauri ſapientiæ & ſcientiæ abſconditi. Epiſcopi autem Indulgentias dant ex commiſſione tantum, & non niſi in ſibi ſubditos: nec majores, quam 40. dierum, & in Dedicationibus Eccleſiarum, unius anni. Archi-Epiſcopus poteſt easdem in tota ſua Provincia. Hæc habentur Ext. c. Cum ex eo. c. Modo. c. Noſtro. 24. q. 1. quodcunque de exceſſib. Prælat. c. Accedentibus.

Quale eſſe debet opus Indulgentiæ.

ALterum, quod requiritur, eſt, ut cauſa, propter quam conceduntur Indulgen-

tiæ, ſit pia. Omnis enim poteſtas Miniſtrorum Eccleſiæ data eſt ad ædificationem. Cum ergo datur aliquid, [veluti in fabricam Eccleſiæ] ne exiſtimes dari temporale pro ſpirituali: quoniam cauſa finalis ſpiritualis eſt, nempe honor Dei. Et quando in Hoſpitale, ſubventio proximi indigentis reſpicitur. Nec eſſe debet opus, quod imponitur alias neceſſarium. Nam nemo Indulgentiam mereatur ex eo, quod injuriam remittat ſibi illatam: quia tenetur jam ad hoc ex præcepto Chriſti.

Illud quoque tradunt Doctores, quod ſi indeterminate aliquid injungatur ab Indulgentia, [veluti ſi dicant, Porrigentibus manus adjutrices fabricæ Eccleſiæ] intelligendum eſt, ſicut congruit. Namque ſi pauper dando obolum, totam conſequitur, non ita dives: non enim videtur dives auxilium dediſſe, dando obolum tantum. Lucrabitur tamen pro tanta parte. Secus eſſet, ſi determinaſſent quantitatem. Ita ſentiunt Thomas & Bonavent. quanquam aliter alii: quia vicini urbis cum minori difficultate veniunt ad Jubilæum, quam peregrini alii: nec minorem conſequuntur Indulgentiam, licet mereantur minus.

Cum certum, quid præcipitur, [veluti viſitare Eccleſiam a veſpera in veſperam] ſemel tantum Indulgentia potiere. Sed ſi perpetua eſſet: tunc quoties eandem Eccleſiam viſitabis. Ita ſentit Thom. & Doctores Canonici, in c. fi. de Pœn. & re. lib. 6. & Ab. & Fel. in tract. de Indulg.

An exiſtens in peccato mortali poſſit eas obtinere.

TErtium, quod requiritur, eſt, ut ſimus in charitate: nam exiſtenti in peccato mortali non proſunt. Idcirco in omni fere Bulla ponuntur verba hæc: Vere pœnitentibus. Ratio eſt primum, quia oportet pium eſſe opus, quod imponitur (ut dictum eſt) ergo ex charitate: alioqui non eſſet cauſa legitima Indulgentiæ. Deinde eſſe debet idem etiam meritorium: nam ex eo veniam ſperamus pœnæ debitæ pro peccatis. Atqui ſine charitate nemo mereri poteſt. Tertio Indulgentiæ ad forum ſpectant pœnitentiale, ſicut dictum eſt. Sed partes pœnitentiæ ſunt contritio, confeſſio & ſatisfactio: quarum hæc [ſatisfactio] per diſpenſationem Indulgentiæ ſuppletur: confeſſio fieri ante & poſtea poteſt. Reſtat ergo contritio neceſſaria, ut culpa deleatur. Atqui deleta culpa, charitas infunditur. Itaque charitas neceſſaria eſt, tam ut finis operis, quam ut forma meriti: & ex parte cauſæ efficientis, quæ contritionem exigit, requiſita: Quin & ex parte ſubjecti præſuppoſita. Siquidem pœna, quæ per Indulgentiam remittitur, non æterna eſt, [mortali peccato debita] ſed temporalis, quæ vel deleta culpa relinquebatur pro mortali: vel certe pro veniali culpa reſervata erat. Ergo charitas neceſſario requiritur ad obtinendam Indulgentiam.

Sed diſputatur a Sylveſtro, an requiratur charitas actualis. Et tandem cum Archi-Diacono ſentit, pium eſſe credere, quod recedente fictione, poſſimus conſequi effectum Indulgentiæ. De confeſſione idem omnes ſentiunt, ut cum in Bulla dicitur, Pœnitentibus & confeſſis, ſufficiat ſatisfeciſſe nos Eccleſiaſtico præcepto de confitendo ſemel in anno, cum propoſito ſemper ſatisfaciendi: niſi tamen expreſſe jubeatur in Bulla, ut confiteamur, vel interpretative: Ut cum ſumere jubemur Euchariſtiam. Et ratio quidem horum eſt; quia Indulgentia præſupponit, remiſſam eſſe culpam, ſaltem per contritionem. Neque hoc principaliter intendunt ſemper Indulgentiæ, ſcilicet, ut confiteamur, ſed potius, ut opus aliquod agamus pium, propter quod datæ ſunt. Atque hæc quidem eſt communis opinio Theologorum & Canoniſtarum: quamquam Cajetanus objiciat ſequi ex hoc, quod eodem modo ſufficeret ſemel pœnituiſſe, ſicut & ſemel confeſſum eſſe. Utrumque enim affirmativum præceptum eſt, quod non obligat pro ſemper. Item ſequeretur, quod qui aliquo ex annis elapſis confeſſus non fuiſſet, privaretur ſpe conſequendæ Indulgentiæ: non enim confeſſus eſt ſecundum juris formam. Cæterum utcunque requiratur confeſſio, vel non: certe contritio ſemper neceſſaria, non ſolum de peccatis mortalibus, ſed etiam de venialibus. Quoniam nunquam condonatur pœna, niſi remiſſa culpa, quæ ſine contritione non remittitur: ne venialium quidem. Licet hæc deleri dicantur per Orationem Dominicam, per confeſſionem generalem, per aquam benedictam, per benedictionem Epiſcopi, & ſimilia: ſed non ſine contritione omnino.

Ex communi opinione ſequitur fieri poſſe confeſſionem laico, ſi aliter Bulla non loquatur. Sequitur etiam nullam eſſe certam formam abſolutionis: quia ſine forma & ſine Miniſtro obtineri talis Indulgentia poſſet. Confeſſor tamen, ſi velit, poteſt hac forma uti:

Authoritate Apoſtolica mihi commiſſa, concedo tibi Indulgen-

gentiam omnium peccatorum tuorum. (†)

An durent poſt mortem concedentis.

DAta Indulgentia durat poſt mortem concedentis, etiam ſi particulari perſonæ data ſit. Probant Canoniſtæ per reg. Decet a Principe beneficium eſſe manſurum, lib. 6. Innoc. III. c. Quod translatum. de off. leg. & alii c. Cum ad hoc. de Cler. non reſid.

Concluſio.

ATque hæc quidem hactenus didactice: pro more, & ſtylo eorum, a quibus ſumpta ſunt. Nos autem, ne ſimus in eis nimium curioſi. Credamus nos omnes in peccatis eſſe: ideoque gratia Chriſti indigere.

(†) Eruditus Lector facile perſpiciet, varia in hac ſectione referri, quæ declarationibus Pontificum, communi hodiedum Doctorum Catholicorum ſenſui, praxique fidelium repugnent. Similia alibi ſparſim in Inſtitutionibus, quæ Synodalibus his Statutis Biſuntinis adjectæ ſunt, reperiuntur: quod ſemel, ne nimium illis tribuatur, monuiſſe ſufficiat.

De inſtituenda, cujus ſupra facta eſt mentio, pro impetrandis Indulgentiis, confeſſione, ſubjungo Decretum duplex, a Sacra Congregatione, Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita editum: primum quidem anno 1759. alterum vero anno 1763. utrumque ſub SSmo Domino Noſtro Papa Clemente XIII. Quæ vero de Confeſſione Laico facienda dicuntur ſub finem, certum eſt apud Catholicos, quod neque de Confeſſione neceſſaria, neque de Sacramentali intelligi poſſint.

DECRETUM

Sacræ Congregationis, Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitæ.

UT Chriſti fideles ſcire poſſint, quid ſibi tenendum foret pro acquirendis Indulgentiis, in ſententiarum varietate ſuper intelligentia verborum: qui vere pœnitentes, confeſſi, ac Sacra Communione refecti Eccleſiam viſitaverint; *quæ Indulgentiarum Brevibus inſeri ſolent*: *In Sacra Congregatione, Indulgentiis, Sacrisque Reliquiis præpoſita, diſcuſſis die* 31. *Martii proximi præteriti nonnullis dubiis, eadem Sacra Congregatio fuit in voto, Confeſſionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiarum conſecutione, peragi omnino debere, etiam ab iis, qui ſibi lethalis peccati conſcii non ſunt; nec non præfatam confeſſionem ſuffragari etiam poſſe, ſi expleatur in vigilia Feſtivitatis. Quod autem ad Eccleſiæ viſitationem ſpectat, eam impleri poſſe ſive ante, ſive poſt aliorum piorum operum implementum.*

Factaque de iis per me infra ſcriptum ejuſdem Sacræ Congregationis Secretarium relatione SSmo Domino Noſtro; Sanctitas Sua ejuſdem Sacræ Congregationis Votum benigne approbavit, illudque publicari mandavit, quibuscunque in contrarium facientibus non obſtantibus.

Datum die 19. *Maji* 1759.

Fr. J. Card. PORTOCARRERO Præfectus.

A. E. Vice-Comes Sacræ Congregat. Indulgent. Secretarius.

ROMÆ M. DCCLIX.

Ex Typographia Reverendæ Cameræ Apoſtolicæ.

DECRETUM

Sacræ Congregationis, Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſitæ.

QUum Sacra Congregatio Indulgentiis, & Sacris Reliquiis præpoſita, die 31. *menſis Martii anno* 1759. *fuerit in voto, Confeſſionem Sacramentalem, quando in Brevibus apponitur pro Indulgentiæ conſecutione, peragi omnino debere, etiam ab his, qui ſibi Lethalis peccati conſcii non ſunt; nec non præfatam Confeſſionem ſuffragari etiam poſſe, ſi in vigilia Feſtivitatis expleatur, Votumque Congregationis Sanctiſſimus D. N. CLEMENS Papa XIII. benigne approbaverit, illudque typis publicari ſub datum* 19. *Maji prædicti anni mandaverit*

Digitized by Google

re. Credamus in Eccleſia claves eſſe regni cœlorum; easque commiſſas Petro. Sectemur charitatem, quæ omnia credit, omniaque ſperat. Nam ſi Patrem habemus Deum; ſi ejus dilectionem ambimus, qui bonorum omnium fons & origo eſt: plura ab eo ſperare profecto licebit, quam mens humana cogitet.

DE PECCATIS.

Et primo de Originali.

QUoniam Sacramenta Eccleſiæ tanquam remedia quædam contra peccata inſtituta ſunt: ſcire debet Paſtor Eccleſiæ, quid ſit peccatum, & quæ ejus genera, ut medicinam faciat juxta morbi qualitatem. Eſt peccatum iniquitas: & omnis, qui peccatum facit, iniquitatem facit, teſte B. Joanne (*k*). Deflectit enim a juſtitia, & regula legis æternæ, quæ eſt Dei voluntas. Hinc D. Auguſtinus (*l*) ex lege Dei definitionem peccati dedit: Quod peccatum eſt, dictum, factum, vel concupitum contra legem Dei.

Peccati genus duplex eſt, aliud dicitur actuale, aliud originale. Peccatum actuale, in actione, vel omiſſione conſiſtit: ut furtum, adulterium, negligentia, inobedientia.

Peccatum vero originale illud appellatur, quod per originem ex peccato primi Parentis omnes contraximus. Deus enim hominem ab initio rectum creavit, ad imaginem & ſimilitudinem ſuam, cum gratia, & juſtitia originali: per quam ratio, & intellectus ejus, & voluntas, atque appetitus, omnes denique facultates, tanta inter ſe concordia, conſenſuque conſtabant, ut inferiores ſuperioribus parerent; caro ſpiritui non repugnaret, & mens tota in Creatorem ſuum conjecta, obedientiam perfectam ultro libereque præſtaret.

Verum primus ille noſter Parens, [*m*] contempta lege Dei & præcepto, quod Deus ſibi dederat, ne ex ligno ſcientiæ boni & mali veſceretur, & decepta a ſerpente Eva, arbitrii libertate peccavit, & Deo Creatori ſuo inobedientem ſe præſtitit: quapropter juſtitiam illam originalem, & gratiam, qua orna-

---

daverit; quam plures ſupplices Libelli tum Regularium Communitatum, & præſertim Monialium, tum etiam Parochorum, & nonnullorum Epiſcoporum pro ſuis Diœceſibus porrecti ſunt, quibus maxima exponebatur difficultas, quæ interdum, imo perſæpe incidit pro Sacramentali Confeſſione, ſive in Feſto, vel ad minus in vigilia peragendo. Quamobrem, ut adeo proficuus Indulgentiarum theſaurus reddatur fidelibus accommode comparandus, enixis precibus ſupplicabant Sanctitati Suæ, ut opportuno aliquo remedio de Apoſtolica Benignitate providere dignaretur: Quibus precibus ad prædictam Sacram Congregationem remiſſis, propoſitum in ea fuit dubium An, & quomodo ſit conſulendum SSmo ſuper præfati Decreti executione, vel declaratione in caſu &c. Et reſponſum fuit, Conſulendum Sanctiſſimo D. N., ut concedere dignetur Indultum omnibus Chriſti fidelibus, qui frequenti peccatorum Confeſſione, animam ſtudentes expiare, ſemel ſaltem in hebdomada ad Sacramentum Pœnitentiæ accedere, niſi legitime impediantur, conſueverunt; & nullius letbalis culpæ a ſe poſt peractam ultimam Confeſſionem commiſſæ, ſibi conſcii ſunt: ut omnes, & quascunque Indulgentias conſequi poſſint, etiam ſine actuali Confeſſione, quæ cæteroquin juxta præfati Decreti definitionem ad eas lucrandas neceſſaria eſſet. Nibil tamen innovando circa Indulgentias Jubilæi tam ordinarii, quam extraordinarii, aliasque ad inſtar Jubilæi conceſſas, pro quibus aſſequendis, ſicut & alia opera injuncta, ita & Sacramentalis Confeſſio, tempore in earum conceſſione præſcripto peragantur.

Et facta per me infra ſcriptum Ejusdem Sacræ Congregationis Secretarium de præmiſſis omnibus Sanctiſſimo Dno Noſtro relatione, Sanctitas Sua piis bonorum deſideriis ac votis ſatisfacere, & Indulgentiarum gratias, iis potiſſimum, qui pie, ſancteque vivendo, donis Divinæ Miſericordiæ digniores efficiuntur, elargiri quam maxime cupiens, benigne annuit, & præfatum Indultum in forma ſupra ſcripta expediri, & publicari mandavit, quibuscunque in contrarium non obſtantibus.

Datum ex Secretaria S. Congregationis Indulgentiarum die nona Decembris MDCCLXIII.

N. Cardinalis ANTONELLUS Præfectus.

J. de Comitibus Sacræ Congregationis Indulgentiarum Secretarius.

ROMÆ ex Typographia Rev. Cameræ Apoſtolicæ MDCCLXIII.

(*k*) 1. Joan. 3. (*l*) Aug. ad Bonif. & Con. Epi. (*m*) Geneſ. 2.

Digitized by Google

ornatus ipſe erat, & filios cum eodem ornamento geniturus, miſere, fœdeque amiſit. Itaque averſus a Deo ſummo bono, & ad creaturas converſus, Dei amorem exuens, amorem ſui induit, factus propenſus & prónus in omne malum, per naturæ ſuæ corruptionem, hoc eſt, per ignorantiam in mente, & concupiſcentiam in carne, legi Dei repugnantem, & captivantem eum in lege peccati.

Vitium ergo hoc & malum, in nos ita transmiſſum eſt, ut ſicut futuri eramus per nativitatem hæredes juſtitiæ, & rectitudinis illius paternæ: ſic nunc privati eadem gratia, obnoxii maneamus peccato illius, amiſſa ſpe hæreditatis æternæ & gloriæ cœleſtis: cum virium naturalium magna perturbatione, ut ſuperioribus facultatibus inferiores (quæ parere debuerant) ſæpius rebellent, imo etiam imperent & dominentur in nobis, niſi gratia Dei præveniamur.

Sic præter ſitim, famem, dolores, morbos, & mortem, alia duo contraximus ex peccato primi parentis: carentiam juſtitiæ originalis, quam habere debueramus: & concupiſcentiam, quæ rationi rectæ contrariatur: quam & alio nomine fomitem peccati appellamus. Hac cauſa dicimur naſci omnes filii iræ, concipi in iniquitatibus & peccatis. Nam per unum hominem peccatum in mundum intravit, & per peccatum mors.

Sed per Chriſtum JEſum reconciliationem accepimus, (*n*) qui nos Deo Patri reconciliavit in Sanguine ſuo, factus nobis juſtitia, ſanctificatio, & redemptio: qui paſſione ſua delevit chirographum illud decreti, quod erat contrarium nobis. Deletur enim per Baptiſmum hoc peccatum originale, ita ut gratiam Dei conſequamur: & rebellio illa membrorum non imputetur ad peccatum, niſi conſentiamus ei. Nam concupiſcentia, ſeu fomes non alia ratione dicitur peccatum ab Apoſtolo, quam quod ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat.

Ergo omnes (etiam unius diei infans) indigent gratia Dei, & per aquam & Spiritum renaſci: quia omnes illius primi peccati cauſa morti obnoxii, & peccatores conſtituti fuimus apud Deum. Et niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poterit intrare in regnum Dei.

DE PECCATO MORTALI & Veniali.

PEccatum actuale (ſeu perſonale) a nobis committitur, & noſtra culpa. Undè peccatum adeo voluntarium eſſe dicitur, ut ſi non eſſet voluntarium, non eſſet peccatum. (*o*)

Hoc duplex invenitur, Mortale ſcilicet, & veniale. Dicitur quidem mortale, quia, qui talia agunt, digni ſunt morte, nec regnum Dei poſſidebunt. Et quia etiam per peccatum mortale gratia Dei & charitas amittitur, per quam vivit anima. Veniale vero, quia venia non caret, & ſi pœna dignum ſit.

Sunt ergo peccata non quidem æqualia omnia, ut quidam Stoici hæretici arbitrantur: ſed alia aliis graviora, quanto magis vel minus committuntur contra charitatem Dei, vel proximi. Docet Chriſtus Matth. 5. Qui dixerit fratri ſuo Racha, &c. Et B. Jacobus, [*p*] Unusquisque tentatur, a concupiſcentia ſua abſtractus & illectus. Deinde concupiſcentia, cum conceperit, parit peccatum: peccatum vero, cum conſummatum fuerit, generat mortem. Et B. Paulus, (*q*) graviora ab aliis ſejunxit, cum dixit: Fornicatio autem, & omnis immunditia, & avaritia, nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos: aut turpitudo, aut ſtultiloquium, aut ſcurrilitas, quæ ad rem non pertinent: ſed magis gratiarum actio. Hoc enim ſcitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus, aut avarus (quod eſt idolorum ſervitus) non habebit hæreditatem in Regno Chriſti & Dei.

Conſiſtit quidem peccatum mortale in offenſa Divinæ amicitiæ: quia dum peccator mavult ſuam voluntatem explere, quam Dei, Dei amicitiam rejicit, nec pro ultimo fine & ſummo bono eum agnoſcit, & retinet. Qui non diligit, (inquit B. Joannes) manet in morte. Idcirco dicebat David: Tibi ſoli peccavi, & malum coram te feci. Contra vero, homo in Charitate Dei manens, Deum rebus omnibus amandis proponit, & præfert, quantum humanæ datur infirmitati: imo præ charitate Dei, omnia pericula & adverſa contemnit, in Dei charitate manere deſiderans.

Veniale autem non dirimit, aut ſolvit Divinam amicitiam: quia (ut plerique Theologi tradunt) non contra, ſed potius præter Divina præcepta & voluntatem Dei fiunt: quando ſcilicet peccamus, non deſerendo principium & finem, qui Deus eſt, nec excludendo ejus charitatem, ſed remittendo dilectionis ejus fervorem, & prætermittendo modum rectitudinis colendi Dei. Inter hæc ponuntur motus illi appetitus ſenſitivi, qui non ſtatim reprimuntur: item riſus immoderа-

(*n*) Rom. 5. (*o*) Auguſt. de Ver. releg. lib. 14. & lib. 1. retra. c. 13.
(*p*) Jacob. 1. (*q*) Eph. 5.

Digitized by Google

deratior: joci vani & inutiles: cibus & potus ſupra neceſſitatem naturæ: dormitatio in dicendis horis, & in orando: lites non juſtitiæ aut pietatis cauſa ſuſceptæ: & ſimilia innumera, propter quæ non offenditur charitas Dei, nec proximi, nec ſui ipſius. Unde fornicatio peccatum mortale eſt: nam qui fornicatur, in corpus ſuum peccat, teſte (r) Apoſtolo. Peccat etiam in Chriſtum omnis Chriſtianus, qui contumelia afficit corpus ſuum: quoniam membra corporis Chriſti ſumens, tradit ea meretrici, & ludibrio Satanæ. Non ſumus noſtri, inquit Tertullianus, ſed pretio empti ſanguine Dei. Lædentes igitur carnem iſtam, eum lædimus. Ad uxor. lib. 2.

Et conſiderandum Curato, quod eadem peccata, vel ejusdem generis, quæ natura levia ſunt, & venialia, poſſunt mortalia fieri, propter circumſtantias loci, temporis, perſonæ, cauſæ, modi: & quando contra conſcientiam. Nam talis intentio eſt, quæ avertit a Deo. Item quando placent, & crebro iterantur, peccata venialia fieri poſſunt mortalia: (*) ut docet B. Auguſtinus in Enchiridio: & Eccleſiaſticus, Qui modica ſpernit, paulatim decidet.

Cum ſit ergo peccatum omne iniquitas, ut ex B. Joanne didicimus: ſequitur, quod nunquam licet peccare. Nam ſi liceret, malum non eſſet. Nec propter bonum quidem: Nam non ſunt facienda mala, ut veniant bona. Sed dices forte, Ex duobus malis, minus eſt eligendum, teſte Ariſt. in Top. & docet Gratianus diſtin. 13. & Chryſo. homil. 27. ad pop. Antioch. Loth quoque, vir juſtus, filias expoſuit libidini Sodomitarum, ut eos a nefando ſcelere reduceret. Lupanaria permittuntur in civitatibus, & jurare per falſos Deos, infideles: quia minus malum rationem habet boni. Reſpondetur ex communi opinione Theologorum, nunquam licere tibi male agere, neque ut majus bonum aſſequaris, neque ut majus malum vites. Nec tantummodo admittendum peccatum non eſt, ut majus in te vites peccatum: ſed neque ut in alio. Huc pertinet (s) Pauli ſententia, non eſſe facienda mala, ut veniant bona. Sed controverſia eſt, num liceat alteri conſulere minus malum, ut vitetur majus. Videretur enim malum non eſſe, ſi liceret. Ex altera parte dicitur, minus malum rationem habere boni. Dominicus Soto reſtrictionem adhibet: nempe, quando quis certo animo conſtituit peccatum gravius admittere: necalia [**] potes eum a peccato avertere, quam oblato alio minori peccato: tunc licet minus offerre. Tibi autem nunquam licet, in gratiam cujusquam committere peccatum. Sed uti alieno peccato in bonum finem etiam Deus ſolet. Itaque docet idem Soto, quotiescunque tu id, quod petis, juſte ab alio fieri poteſt, & bona cauſa petis; (quamquam ſcias alterum male eſſe acturum) licet tibi tuo jure uti. Si vero ille non poteſt illud idem bene agere ac juſte: non licet tibi. Exemplum prioris eſto in uſura. Poteſt namque fœnerator tibi mutuare ſuam pecuniam, ſi velit, ſine fœnore. Exemplum alterius: ſi peteres ab amico, ut furetur, quo tibi ſubveniat, vel ut inimicum tuum occidat. Hæc enim bene fieri non poſſunt. Factum vero Loth excuſare vix audent Theologi. Licet Ambroſius (t) zelum ejus excuſet, & Petrus eum juſtum dicat. Neque enim decebat illud, quod propoſuit, cum filiarum ſuarum chariſſimarum dedecore admitti. Idcirco B. Auguſtinus perturbationi cenſet, non conſilio, tribuendum. 14. diſtin. cap. Quod.

DE SEPTEM PECCATIS capitalibus.

SEptem a D. Gregorio (u) enumerantur vitia, ſeu peccata mortalia, aliter etiam capitalia nuncupata, quod ab his (tanquam ex fontibus quibusdam) alia peccata emanent & naſcantur: vel quod ad hæc alia omnia referantur, & ſub ipſis contineantur, tanquam ſub generibus ſuis. Siquidem fornicatio, adulterium, ſtuprum, immundus ſermo, moroſa cogitatio, ex uno fonte libidinis procedunt, qui dicitur luxuria: & ſub uno nomine continentur luxuriæ.

Itaque poteſt eſſe hoc nomen luxuria, nomen vitii, in animo, & habitus naturalis, vel acquiſiti: & poteſt eſſe nomen generale peccati libidinis, quod committatur opere, ore, vel cogitatione. Unde ſequitur, quod poteſt peccatum luxuriæ eſſe aliquando veniale: licet frequentius ſit mortale. Nam in conjugio (ut D. Auguſtinus docet) committi ſolent hujusmodi venialia.

Sunt peccata capitalia hæc: Superbia, Invidia, Ira, Avaritia, Luxuria, Gula & Acedia, id eſt, Pigritia. Quorum memoriam ordine tenebit ſimplex Sacerdos, ſi in fronte ponat ſuperbiam, in oculis invidiam, in ore gulam, in corde iram, in renibus luxuriam, in manibus avaritiam, & in pedibus pigritiam.

Hæc ordine noſſe debet, & eorum differentias ſcire: ut ſibi cavere poſſit Deo auxi-

(r) 1. Cor. 9. (*) Intellige, quod diſponant ad mortalia. (s) Rom. 3.
[**] *Supple*: via, vel ratione. (t) Amb. lib. de Patriarch. (u) Greg. lib. 30. mor.

auxiliante, & alios etiam docere, quomodo cavere poſſint. Quare ut nihil a nobis deſiderent ſimplices Parochi Sacerdotes, ſingula peccata hæc ita tractabimus, ut primo loco ſententias aliquot paræneticas ex Sacris Literis proponamus, quas in ore ſemper habere poſſint. Deinde definitionem ipſius peccati ex communi Schola Theologorum. Tertio filias, quas vocant. Quarto ad deteſtationem vitii, ſimilitudinem aliquam, qua peccati turpitudo exprimitur. Denique conſilium familiare, quod in confeſſione dabunt Sacerdotes confitentibus ſibi, ut vitium vitare facilius queant. Quanquam unum eſt & optimum conſilium, Chriſti vitam Salvatoris noſtri ſemper præ oculis habere, & aſſidue meditari. Verum propterea, quod non a Deo ſumus omnes ſpirituales: viſum eſt craſſiori doctrina utendum.

SUPERBIA.

INitium omnis peccati ſuperbia eſt. Eccleſ. 10. Odibilis coram Deo & hominibus eſt ſuperbia. Ibidem, Deus ſuperbis reſiſtit, humilibus autem dat gratiam. Jacob. 4.

Ideo Chriſtus JEſus humilitatem merito nobis præter cætera commendavit.

Definitio ſuperbiæ.

SUperbia eſt amor inordinatus propriæ excellentiæ: vel [ut clarius dicamus] Superbia eſt vitium inclinans ad amorem propriæ celſitudinis, & excellentiæ, perverſe: veluti ad deſiderium honoris, quæ eſt ambitio: officiorum, quæ eſt præſumptio: gloriæ, quæ dicitur vana gloria: atque hæc omnia perverſe, hoc eſt, ſine meritis propriis aut virtutibus, & cum contemptu legis Divinæ. [x]

Filiæ ſuperbiæ.

HInc filiæ ſuperbiæ naſcuntur: inobedientia, contentiones, pertinacia, diſcordiæ, curioſitas, hypocriſis, jactantia. Et quidem cætera, quæ deſiderantur ab hominibus, aliquid habere videntur ſecum utilitatis & commodi: Superbia vero nil, niſi curas, labores, pericula, vanitatemque promittit: & in acquirendis iis, quæ cupit, atque retinendis, pari afficit moleſtia.

Similitudo.

ESt dulce venenum gloria, & ſpecioſus fumus: in quem cum ingrederis, obcæcaris. Eſt & gloria crocodilus: fugientem ſequitur, & ſequentem ſe fugit, ſicut etiam umbra corpus.

Conſilium contra ſuperbiam.

COnſilium contra ſuperbiam eſt, conſiderare naturæ noſtræ conditionem, & infirmitatem: quorum vita ſit adeo brevis, adeoque multis obnoxia caſibus & miſeriis. Deinde quam multi præſtent nobis ingenio, genere, forma, viribus, divitiis, & aliis rebus unde gloriamur, & inſoleſcimus. Contra vero, quam multa habeamus mala & vitia, quæ a multis ignorantur.

INVIDIA.

PUtredo oſſium invidia. Prov. 14.

Invidia diaboli, mors introivit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte ipſius. Sap. 2. Cain, qui ex maligno erat, occidit fratrem ſuum, ſcilicet, Abel. Propter quid occidit eum? quoniam opera ejus maligna erant, fratris autem ejus juſta. 1. Joan. 3.

Qui ruina lætatur alterius, non erit impunitus. Prov. 17.

An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Matth. 20.

Definitio invidiæ.

INvidia definitur: Odium fœlicitatis alienæ: & a Damaſceno: Triſtitia de bonis alienis. Habet vitium hoc odium proximi, quatenus eo ſe putat inferiorem eſſe honore, opibus, ſcientia, gratia, & virtute aliqua. Inſtigat & ad detrahendum famæ ejus, tum ſecreto, tum etiam publice, & coram omnibus: unde fit, ut doleat de fœlici ſucceſſu proximi, & lætetur de infœlici: peccatum ſane oppoſitum ex diametro charitati proximi.

Filiæ invidiæ.

ITaque invidia parit odium, ſuſurrationem, detractionem, lætitiam de adverſis, & afflictionem ac mœrorem de rebus proſperis ſuorum æqualium.

Similitudo.

SImilem nonnulli faciunt anguillæ, alii hydræ, quod utrumque horum ignavum eſt animal, degens in luto & cœno paluſtri: luto paſcitur, bullasque ex profundo emittit, & vaporem atque halitum peſtiferum. Sic invidus animo eſt abjecto, & vili, ex imo corde verba proferens cum veneno peſtifero. Sepulchrum patens eſt guttur eorum: linguis ſuis doloſe agebant: Venenum aſpidum ſub labiis eorum. (y)

Con-

(x) S. Thom. 2. 2. q. 162. art. 1. (y) Pſal. 13.

Conſilium.

CONſulet Sacerdos, ut peccator multorum hominum conditiones conſideret, quos adverſa fortuna indigne premit: non autem fœliciores. Sic fiet ex comparatione ſui (quod innumeros ſe infœliciores viderit, ut pauperis ſurgant animi jacentes. (z)

I R A.

IRa viri juſtitiam Dei non operatur. Jacob. 1.

Fatuus ſtatim indicat iram ſuam. Proverb. 12.

Homo iracundus incendit litem. Eccle. 28.

Ego autem dico vobis, quia omnis, qui iraſcitur fratri ſuo, reus erit judicio: qui dixerit racha, reus erit concilio: qui dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Matth. 5.

Iraſcimini, & nolite peccare: ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram. Nolite locum dare diabolo. Epheſ. 4.

Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Jacob. 1.

Molle verbum frangit iram: ſermo durus ſuſcitat furorem. Prov. 1.

Definitio iræ.

IRa appetitus eſt inflammatus ad vindictam. Poteſt paſſio naturalis eſſe in facultate iraſcibili: nec erit peccatum, ſi legi Dei non repugnet aut rationi. (a) Sed peccatum eſt, quando contra rationem, vel perverſe vindictam appetit. Itaque hoc vitium damnatur, quatenus inclinat ad ſumendam vindictam inordinate: vel ad negandum colloquium, per quendam mentis tumorem: vel ad convitium proferendum, & vel etiam cum Dei blaſphemia excandeſcendum.

Filiæ.

ITaque ejus filiæ ſiunt, clamores, blaſphemiæ, contumeliæ, rixæ, indignatio, tumor mentis, ita quod loqui dedignetur iratus, & inflatus contra proximum incedat. Peccata omnia contra charitatem proximi & Dei. Quia Charitas patiens eſt, benigna eſt: Charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur &c. omnia ſuffert, omnia credit, omnia ſperat, omnia ſuſtinet. (b)

Similitudo.

IRa furor brevis eſt: animum rege. Qui niſi paret, (c)

Imperat. Ea mentem etiam ſapientis ita perturbat, ut niſi advertas antea, nihil differas ab ſtulto. Nam ubi ſemel iracundia animum occupaverit, ratio omnis & judicium confunduntur. Et veluti, quum magno fumo obruta eſt domus, portæ & exitus non apparent, qua incendium evadatur: ſic obſidente ira mentem hominis, nulla patet via judicio rationis ad reprimendum furorem.

Conſilium.

IDcirco cavendum multo ante, ne ira in mentem irrumpat, & conſilium videtur optimum contra iram, (præter multa, quæ Plutarchus, & alii tradiderunt) ut aſſuefias, quoties iraſceris, cogitare tantum hoc: *Ego iraſcor.* Nam ſi iſtud memineris, nihil ages, vel loqueris, vel certe, ſi quid egeris, non erit cum magna impotentia. Sed præſtat nihil agere aut loqui, quando iraſceris.

G U L A.

PRopter crapulam multi obierunt: qui autem abſtinens eſt, adjiciet vitam. Eccl. 27.

Qui diligit epulas, in egeſtate erit. Qui amat vinum & pinguia, non ditabitur. Proverb. 21.

Attendite vobis, ne forte graventur corda veſtra in crapula & ebrietate, & curis hujus ſæculi. Luc. 2.

Sicut in die, honeſte ambulemus: non in comeſſationibus & ebrietatibus. Rom. 13.

Definitio gulæ.

SIcut de ira dictum eſt, poteſt etiam appetitus cibi & potus non eſſe peccatum, ſi naturæ & rationi non diſſentiat: ſed ſi immoderatus ſit, hoc eſt, ſi ad edendum, vel bibendum immodice inclinet; tunc multa ex ſe mala gignit: aut ſi in cibo & potu quis fœlicitatem conſtituat, [quales quidam Epicuri de grege porci, quorum Deus venter eſt, (d) & gloria in confuſione ipſorum] certe peccatum eſt mortale. Tales enim Dei præcepta non verentur transgredi, & violare: modo gulæ ſatisfaciant & abdomini.

Filiæ gulæ.

EX crapula & ebrietate quam multa mala ſequantur, nemo non novit: præter illa, quæ paſſim videmus, ineptam lætitiam, ſtultiloquium, ſcurrilitatem, immunditiam, ſenſus bebetudinem.

Simi-

(z) Seneca. In Hecuba. (a) S. Tho. 1. 2. q. 23. art. 3. & 4. & q. 42.
(b) 1. Cor. 13. (c) Horatius. (d) Phil. 3.

Digitized by Google

Similitudo.

Nutriendum eſt corpus noſtrum tanquam jumentum, ut ſpiritui ſerviat: non ut laſcivia excutiat ſeſſorem. Nam ſicut in pugna, ſi quis alteri auxilio veniat, illi victoriam parit: ſic caro carni addita, & ſanguis ſanguini, facile ſpiritum expugnant, & rationem Deo obedire præcipientem proſternunt.

Conſilium

UNum conſilium ſupereſt, Vitare commeſſationes: & in menſa recordari, quod debemus cum gratiarum actione cibum ſumere, & pauperum Chriſti miſereri.

LUXURIA.

QUi adhæret meretrici, unum corpus efficitur. 1. Corinth. 6.

Neſcitis, quia corpora veſtra membra ſunt Chriſti. Ibidem.

Fornicatio, & vinum, & ebrietas auferunt cor. Oſee 4.

Nunquid poteſt homo abſcondere ignem in ſinu ſuo, ut veſtimenta ſua non ardeant? Proverb. 6.

Pretium ſcorti vix eſt unius panis, & animam viri pretioſam capit. Prov. 3.

Omnis mulier, quæ eſt fornicaria, quaſi ſtercus in via ab omnibus prætereuntibus conculcabitur. Eccleſiaſt. 9.

Fugite fornicationem. Omne enim peccatum, quodcunque fecerit homo, extra corpus ſuum eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat.

Omnis, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo. Matth. 5.

Definitio luxuriæ.

LUxuria, vel luxus nomen generale eſt apud morales Philoſophos, ad omnem ſuperfluitatem, ut venereorum, cibi, potus, veſtimentorum, & rerum aliarum. Sed hic ſumitur pro vitio & peccato Veneris tantum. Eſtque luxuria actus, vel inclinatio inordinata in rebus venereis: & poteſt eſſe inordinatio in circumſtantiis, vel in ipſo genere actus. Propter circumſtantias quidem peccare poſſunt venialiter conjugati: ſed in genere quædam ſunt ſemper mortalia: ut fornicatio, adulterium, ſtuprum, raptus, inceſtus, peccatum contra naturam.

Filiæ luxuriæ.

QUi adulter eſt [inquit (e) Salomon] propter cordis inopiam, perdet animam ſuam: turpitudinem & ignominiam congregabit ſibi: & opprobrium illius non delebitur. Unde hujus peccati luxuriæ filiæ appellantur cæcitas mentis, inconſideratio, inconſtantia, præcipitatio, amor ſui, odium Dei, amor præſentis ſæculi, deſperatio futuri.

Similitudo.

OMnem voluptatem corporalem Philoſophi ſimilem eſſe tradiderunt monſtris quibusdam, quæ Poetæ vocant Sirenes: quod hæ pulchra facie & cantu ſuaviſſimo adblandientes, poſteriora corporis haberent fœdiſſima: & homines cantu allectos miſere devorarent. Sed præcipue vitium hoc luxuriæ, primum facie arridet, multa ſuavitate: ſed poſteriora ejus (id eſt, finis) plena ſunt amaritudine; hoc eſt, infamia, periculis, infirmitatibus, & miſeria.

Conſilium.

COnſilium erit optimum, ut jejunio interficiat hanc beſtiam, ſicut jejuni ſaliva dicitur extinguere ſerpentes. Deinde ut amoris oblivionem, quacunque ratione poſſit, quærat. Quod fiet, ſi mutato loco alio procul recedat: ſi conſuetudinem habeat cum hominibus ab amore alienis: numquam ſit ſolus, cum amoris eſt adhuc recens memoria, nec otioſus; ſed lectione vel negotiis ſemper occupetur. Literas, & omnia monumenta, per quæ poſſit in memoriam revocari amor, comburat, aut aliter perdat. Quod facile factu erit, ſi conſideret fraudes, mendacia, perfidiam, & alia, quæ in ea, quam amat, expertus eſt. Item ſi conſideret imperfectiones corporis, vel animi, vel fortunæ illius, & conditionis. Denique orationibus poſtulet a Deo (f) ſapientiam & caſtitatem: ſine quo caſti eſſe non poſſumus.

PIGRITIA.

MUlta vitia docuit otium. Eccleſiaſt. 7.

Vade ad formicam, o piger, & conſidera vias ejus, & diſce ſapientiam. Proverb. 6.

Vult & non vult piger. 13.

Propter frigus piger arare noluit: mendicabit ergo æſtate. 20.

Regnum cœlorum vim patitur. Matt. 11.

Omnem palmitem in me non ferentem fructum tollet eum. Joan. 15.

Vigilate, quia neſcitis diem, neque horam. Matth. 25.

Definitio pigritiæ.

ACedia, ut nomen Græcum ſonat, proprie incuria eſt & negligentia: ſed ſicut

(e) Proverb. 6. (f) Sapient. 8.

cut huic loco convenit, eſt triſtitia, vel tædium de mandato Dei implendo : ita ut ſit quidam langor, ſeu faſtidium & dejectio animi in exercitatione virtutum. Quapropter cum aliquis faſtidit præcepta Dei, aut triſtatur audiendo, quod Deus vult nos per multas tribulationes ingredi regnum cœlorum, aut aliud ſimile, peccatum committit mortale & graviſſimum, & (ut quidam dicunt) proximum odio Dei. Si negligentia ſit in adimplendis mandatis Divinis, tunc peculiariter peccatum erit contrarium illi mandato, quod negligitur, ſed a fonte manans hujus pigritiæ, vel acediæ.

Filiæ.

HUjus filiæ ſunt deſperatio, puſillanimitas, torpor, malitia, id eſt, voluntas machinandi malum. [f] Homo enim ignavus, dum victu indiget, expectans vanam ſpem, [ut ait Heſiodus] multa mala & flagitia animo concipit, unde vitam trahat. Indignatio, ſeu rancor, id eſt, invetteratum odium contra eos, qui virtutem laudant, & ad bona ſpiritualia hortantur. Evagatio mentis, ad res cogitandum & agendum illicitas. Quia cum neceſſe ſit, ut animus aliquid agat ſemper, ne a motu vacet, in otio deſidens, ſtatim delabitur ab honeſtis cogitationibus ad turpes.

Similitudo.

IGnavi homines & pigri, ſimiles dicuntur chamæleonti, qui oſcitans veſcitur, & follicans ruminat de vento cibos. Alii aſinis comparant, qui niſi fuſtibus compulſi, nihil agunt.

Conſilium.

IGnavis & deſidibus, præcipiebant naſturtium: forte ut eorum dormitantem animum & frigiditate torpentem, excitarent. Sed hoc proverbium fortaſſe per allegoriam inventum eſt. Illud magis probandum, quod quidam Philoſophi præcipiebant, in optimis quibusque rebus nos exerceri debere, quamvis initio videantur difficiles: quia aſſuefactione fiant faciles. Sed in rebus ſpiritualibus adimplendis, imploranda ſemper Divina gratia, ut det nobis velle & perficere pro ſua voluntate.

AVARITIA.

AVaritia eſt idolorum ſervitus. Epheſ. 5. Radix omnium malorum eſt cupiditas. 1. Tim. 6.

Beatus dives, qui inventus eſt ſine macula. Eccleſiaſt. 31.

Ignis in domo impii, theſauri iniquitatis. Mich. 6.

Avaritia nec nominetur in vobis, ſicut decet Sanctos. Corinth. 6.

Fornicatores, adulteri, & avari regnum Dei non poſſidebunt. Ibidem.

Definitio avaritiæ.

AVaritia eſt immoderatus amor habendi. Et in duos actus fertur vitioſos : Vel enim deficimus in dando, vel excedimus in accipiendo (g). Et peccatum eſt mortale, quoties admittitur cum injuria proximi, vel contra charitatem Dei : veluti contra præceptum charitatis erga proximum, quia non ſatis eſt nihil alienum rapere, ſed opus eſt etiam indigentiam proximi ſublevare. Eſurivi [inquit (b) Chriſtus] & non dediſtis mihi manducare. Concupiſcentia etiam inordinata rei alienæ peccatum mortale eſt, & contra legem Dei: Non concupiſces rem proximi tui. Teſaurizatio etiam ſupra, quam neceſſe ſit, aut in malum finem. Potest tamen aliquis ſine peccato theſaurizare, ut parentes filiis & futuræ neceſſitati: quod opus eſt prudentiæ. Quin etiam ut in ſtatu altiori poſſit Deo melius ſervire, juxta ſibi datum talentum. Qui opes deſiderat vel colligit, poteſt fieri, ut non peccet. Voluptas nimia & gloriatio in divitiis, peccatum eſt mortale, & idololatria, quam vocat Apoſtolus. Nam qui ſic affectus eſt, (quoniam fidem, ſpem & dilectionem, quam Deo debemus, in pecunia collocat] pecuniam pro Deo habet. Quod cum plerumque contingat: ideo difficile eſt divitem intrare (i) in regnum cœlorum. Cæterum licet prodigalitas avaritiæ opponatur, nihilo tamen minus peccatum mortale eſt prodigalitas : ut cum quis ſine ratione, & cum damno alterius, & obligatione [qua ad aliud tenetur] neglecta, pecuniam effundit : ſicut quidam Beneficiati, qui bona pauperum, quorum curam habere deberent, in vanos uſus prodigunt, peccant mortaliter.

Filiæ.

EX mala hac, corruptaque radice, mali fructus producuntur, nempe obduratio cordis, hoc eſt, inhumanitas & immiſericordia erga egenos, inquietudo mentis, hoc eſt, deſiderium acquirendi irrequietum, violentia, fraus, fallacia, perjurium, proditio. (k)

Simi-

(f) Greg. lib. 31. mor. (g) Vide S. Tho. 2. 2. q. 118. & 119. & ejus com.
(b) Matth. 6. (i) Matth. 19. (k) Greg. 31. d. S. Tho. 2. 2. q. 118. art. 17.

Digitized by Google

Similitudo.

MOrbus hic avaritiæ (qui in acquirendo insatiabilis est) comparatur hydropisi: in qua quo plus sunt potæ, plus sitiuntur aquæ. Quatenus vero in erogando deficit, nec partis uti audet: avari opes similes habentur cœnæ pollincturæ, ubi cum sint omnia lauta & splendida, & abunde apposita: sola tamen deest lætitia, propter quam parari solent epulæ copiosius. Quis enim sanæ mentis rideat in funere?

Consilium.

UT ergo cura hac & lethali morbo liberis, Christus monet, Luc. 12. Videte & cavete ab avaritia, quia non est vita cujusquam in abundantia eorum, quæ possidet. Scito, quod nihil attuleris in hunc mundum: nihil etiam auferes. Considera etiam, quod te Ecclesiasticus [*l*] monet: Multos perdidit aurum, & in specie ipsius perditio illorum. Nam qui volunt divites fieri [inquit (*m*) Apostolus] incidunt in tentationem & in laqueum diaboli, & desideria multa & nociva: quæ mergunt homines in interitum. Sed conare tantum in arte tua, & professione te diligentem præstare, & justum, & sine fraude: nihil tibi deerit. Filios tuos arte aliqua instrue: disciplinam existimans certam & solidam hæreditatem. Fuge aleam & concertationes sortis. Si mercaturam exerces; scito pondus, & pondus, hoc est, impostutam omnem, odibilem esse Deo: quin & deprehensam ab hominibus exitio magno esse autori suo. Potest tamen mercator propter utilitatem communem, & ad finem honestum (puta ad sustentationem domus suæ, vel pauperum) suam artem exercere, & tanquam pro stipendio laboris, vilius emere, & carius vendere; dummodo vitet monopolia, nec excedat rationem, quam dare potest tempus & locus: quia res una potest pluris æstimari, & minoris propter varias causas, si non excedatur communis & solitus valor: quem habere certum est aliquam latitudinem, nec in indivisibili consistere. Nam propter penuriam rei necessariæ ad vitam humanam (ut cibi, vestimenti, habitationis & similium) pretium augetur. Res non necessarias, & ad solam voluptatem emptoris comparatas, & quas emptor non ignoret aliunde posse haberi [quia nulli fit injuria nec privatim, nec publice] vendi licet, quanti maximi possunt: alioqui enim, si aliunde haberi res possit minoris multo, (quia emptor deceptum postea se existimat) certe alteri fecisti, quod tibi factum nolles. Item propter damnum, quod accipit ex venditione venditor, ut gratificetur amico, potest rem suam pluris facere: ne ex beneficio damnum faciat, re sua postea indigens. Turpe Lucrum etiam putato, si sine necessitate, sed sola cupiditate, tempore messis aut vindemiæ vilius emas, venditurus carius. Vocatur hoc monopolium. Denique abstineas ab omnibus illis contractibus, ex quibus solent homines ex divitibus & opulentis, fieri pauperes & egeni. Tales enim omnes sunt illiciti agentibus ex se, & patientibus damnosi. Hoc consilio fugies, usuram, versuram, cambia sicca, figuratas seu fictas venditiones, & similes omnes hirundines patrimoniorum.

PECCATA CLAMANTIA in Cœlum.

SUnt quædam peccata, quæ ob insignem, manifestamque præ cæteris nequitiam ac perversitatem, clamare dicuntur in cœlum: quasi iram, ultionemque Divinam accersentia. Ac neque unquam impune fiunt: nam clades omnes, bella, vastationes urbium, & populorum, in vindictam eorum, qui talia agunt, e cœlo mittuntur. In Sacris Literis quatuor invenias. Sunt hæc: Homicidium voluntarium: peccatum Sodomiticum: oppressio pauperum: merces operarii retenta. De homicidio quidem Genes. 4. exemplum habes. Occiso a Cain fratre, dixit Dominus ad Cain, Vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra: de Sodomia autem Gen. 18. Clamor Sodomorum & Gomorrhæorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum, &c. De pauperum oppressione, Exod. 22. Advenam non contristabis, neque affliges, &c. Viduæ & pupillo non nocebis. Si læseritis eos, vociferabuntur ad me, & ego exaudiam clamorem eorum, & indignabitur furor meus, &c. De mercede denique retenta operarii, Deut. 24. Non negabis mercedem indigentis, & pauperis fratris tui, sed eadem die reddes ei pretium laboris sui ante Solis occasum, quia pauper est, & ex eo sustentat animam suam: ne clamet contra te ad Deum, & reputetur tibi in peccatum. Jacob. 5. Ecce merces operariorum, qui messuerunt regiones vestras, quæ fraudata est a vobis, clamat: & clamor eorum in aures Domini Sabaoth.

Homicidium nunquam relinquitur inultum. Unde scriptum est: Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginem quippe Dei factus est homo. Et Christus Matth. 26. Omnes, qui acceperint gladium, gladio peribunt. Viri

(*l*) Eccli. 8. & 31. (*m*) 1. Tim. 1.

Viri ſanguinum & doloſi non dimidiabunt dies ſuos. Erat olim in Eccleſia conſtituta pœnitentia homicidæ, ut niſi in exitu vitæ, non admitteretur ad communionem: ſed in perpetua pœnitentia vitam tranſigeret. Sed poſtea relaxata fuit aliquantulum propter hominum infirmitatem ea pœna: & in Concilio Triburienſi, 40. dierum pœnitentia injungitur, nempe 40. illis diebus in pane & aqua & ſale vivere: nudis pedibus incedere: lineis veſtibus non uti: uxorem non tangere: vehiculo non ferri: cum aliis Chriſtianis non communicare. Peracta hac pœnitentia, adhuc annum expectare oportebat, ut ad Eccleſiam accedere poſſet pœnitens. Nec ideo etiam ad Communionem admittebatur ſtatim poſt annum: ſed expectare rurſum oportebat ſeptem annos. Tum demum, ſi obediens inventus fuiſſet, Communione Sacræ Euchariſtiæ frui dabatur, facta ſolenni reconciliatione. (*n*)

Sodomia, nefandum flagitium, quod natura etiam belluarum abhorret, non modo Lex (*o*) Divina, ſed etiam Civilis [*p*] morte condemnat: Qui dormierit cum maſculo coitu femineo, uterque operatus eſt nefas: morte moriatur. Sit ſanguis eorum ſuper eos. Qui cum jumento & pecore coierit, morte moriatur. Pecus quoque occidite. Mulier, quæ ſuccubuerit cuilibet jumento, ſimul interficietur cum eo. Sanguis eorum ſuper eos. Hæc in lege Moſaica. Nunc igni traduntur, ne corpora eorum remaneant in natura, qui corporis naturam ſceleris abominatione corruperunt. Mollicies & immundicia omnis, grave peccatum eſt. Onam filius Judæ, qui ne prolem ſuſcitaret fratri ſuo, ſemen fundebat in terram, pœnas dedit pro ſcelere: Gen. 38. Niſi Philoſophorum quidam Cynicus extitiſſet (inquit (*q*) B. Hieronymus) qui doceret omnem titillationem carnis, & fluxum ſeminis, in qualicunque attritu, tactuque venereo, in tempore non vitandum: & nonnulli ſapientes ſæculi in hanc turpem & erubeſcendam hæreſim conſenſiſſent: nunquam Apoſtolus ad fornicationem etiam omnem immundiciam copulaſſet, Epheſ. 5.

Pauperum oppreſſio Judicum perverſorum crimen eſt maxime, & omnium eorum, qui erga pauperes ſe reddunt inimitiores, negando debita, vel exigendo crudelius. Contra quam inhumanitatem univerſa declamat Scriptura. [*r*]

Merces operarii retenta, effuſioni ſanguinis comparatur. Eccleſiaſt. 7. & c. 34. dicit: Servus ſenſatus ſit tibi dilectus, quaſi anima tua. Non defraudes eum libertate: neque inopem derelinquas. Et Tob. 4. Non morabitur opus mercenarii tui apud te uſque mane.

STATUTUM I.

HOmicidam ſine noſtra, vel Pœnitentiarii noſtri reconciliatione, nullus Presbyter ad Communionem admittat.

II.

Infantem qui opprimendo, vel aliter, extinxerit, mittatur in die Cinerum ad Eccleſiam Metropolitanam.

III.

Nefando flagitio Sodomiæ corruptos, ne quis tentet abſolvere: ſed remittantur ad Ordinarium.

DE USURA.

QUintum inter peccata clamantia in cœlum nonnulli ponunt uſuram. Scribitur enim eodem c. 22. Exod. Si pecuniam mutuam dederis populo meo pauperi, qui habitat tecum, non urgebis eum, quaſi exactor, nec uſuris opprimes. Si pignus acceperis a proximo veſtimentum ejus, ante Solis occaſum reddes ei: ipſum eſt enim ſolum, quo operitur, indumentum carnis ejus. Si clamaverit ad me, exaudiam eum: quia miſericors ſum. Deteſtantur autem Sacræ Literæ Uſuram multis (*s*) in locis: & gentibus omnibus inviſa ſemper fuit. Fur apud Romanos cum dupli pœna puniretur, fœnerator quadupli fiebat reus, Catone teſte, qui & apud Ciceronem, hominem occidere, eſſe ait fœnerari.

Dicitur uſura ab uſu, reſpectu quidem ejus, qui re mutuo accepta utitur: Fœnus autem, a fœtura, (quaſi fœnum) reſpectu fœneratoris. Namque ſicut dormienti Domino fœnum in prato ſuccreſcit; ſic dormienti fœneratori fœnus in uſura. Græcis dicitur τόκος, a gignendo. Quod cum contra rei naturam ſit, ut metalla pariant: non mirum videri debet, quod ſemina nunc terræ nihil producant, vigentibus paſſim in populo uſuris. Hæc eadem dicitur Hebræis neſech. id eſt, morſus. Quam metaphorum videtur non ignoraſſe Græcus Ariſtophanes

---

(*n*) Conc. Ancyr. c. 22. Epan. c. 31. Conc. Tribur. c. 54. 55. 56. 57. 68.
(*o*) Lev. 20. Exod. 22. (*p*) L. Cum vero nubit. ca. Ad leg. Juliam de adul.
(*q*) Hier. in c. 5. ad Eph. (*r*) Eſa. 1. Zac. 7. Jer. 27. 29. Pſal. 95.
(*s*) Exod. 22. Levit. 25. Deut. 23. 29. Nehem. 5. Pſal. 14. 54. 71. Prov. 28. Ezech. 18.

phanes; quando Strepſiadem, fœnore preſſum, inducit ſubinde exclamantem in lecto, morderi ſe ab uſuris, & excirari a ſomno. D. Chryſoſtomus pariter in Matth. c. 5. Similem eſſe ait morſui Aſpidis. Nam qui ab aſpide percutiuntur, præ voluptate ſomno ſe dedunt, & cum ſuavitate ſoporis moriuntur, veneno ſerpente per membra omnia dormientis; ſic qui mutuum accepit ſub fœnore, beneficium quidem aliquantiſper ſentit, ſed uſura per ejus facultates interea graſſando, omnes conſumit, & in ſe convertit. Sed ut Curati miſeros ab hoc ære alieno deterreant, legant Homil. Baſilii, in Pſal. 14.

Verum quia ignorare non decet eosdem, an liceat dare unquam ſub uſura, vel cenſu aliquo: ſcito aliter paulo ſumi hoc nomen a Theologis (præſertim Scholaſticis) quam a legum Profeſſoribus. Hi quidem largius accipiunt, pro acceſſione, vel augmento ſucceſſive appoſito ſorti principali pecuniæ (vel rei alterius) debitæ ſecundum proportionem ſortis, & temporis, ſeu moræ, ſub qua ratione reditus & penſiones omnes collocant. Theologi autem omne pretium conſtitutum pro mortuo (ſive ſemel ſolvendum, ſive ſucceſſive, id eſt, ſive præſtituta die, ſive non præſtituta) uſuram vocant, eamque generaliter condemnant. Dicitur enim in Conc. Agath. uſuram eſſe, ubi amplius requiritur, quam quod datur. Et Auguſt. in Pſalm. 36. Si plus quam dederis, expectes accipere, fœnerator es: quicquid illud ſit, ſive pecunia, ſive vinum, ſive triticum. Negare autem hujusmodi uſuram non eſſe peccatum, hæreſis eſt jam damnata in Conc. Vien. ſub Clemente V. Nam ratio juſtitiæ vetat, ut pretium de nihilo accipias: de uſu ſcilicet rei, quæ uſu conſumitur. Qui equum locat, vel domum, rei locatæ uſum tradit, ſed non dominium: ideo poteſt pro uſu earum rerum aliquid exigere. Qui vero pecuniam, vel rem aliam uſu abſumendam; ſibi nihil reſervat. Perit enim res ipſa cum uſu ſuo, & uſus una cum re ipſa. Et fieri quidem neceſſe eſt, ut qui acceptis decem aureis (verbi gratia) obligatur ad reddendum ultra ſortem, quinque: is obligetur ad reddendum eandem ſummam bis: quod iniquum eſt. Si dices, gratiam referendam eſſe pro beneficio, concedo: ſed gratis referendam, non pacta mercede: alioqui certe gratia non erit, ſed mercatura perverſa, & rapina. Tantum hoc diſtat a conſilio Chriſti, [t] ut ne idem, vel æquale ejus quidem, quod mutuo dederis, expectandum conſulat. Nam & Ethnici hoc faciunt, æqualia tantum expectantes. Tu gratiam vendis? Ubi Chriſtiana perfectio? ubi charitas? Dices adhuc: Si malum eſſet ex ſe, non permitteretur in lege [u] Moſaica, ut extraneis fœnerarent Judæi. Hoc argumentum ſe ipſum evertit. Nam quod permittit lex, de ſe bonum non videtur. Permiſit libellum repudii: permittuntur in civitate lupanaria: ſed ad evitandum majora mala. Dices adhuc; Gratiam referre vult amicus. Potes accipere: ſed vide, ne vel ille referat invitus; vel tu remunerationis ſpe mutuaveris. Nam ſi ſic, non evades crimen uſuræ: ſaltem mentalis. Sit regula generalis: Si contractus habet rationem mutui, propter quod promittatur aliquod pretium: dicito uſurarium. Sed aureorum ſummam potes commodato dare amico, ad oſtentationem, vel ad alium uſum, conſtituto pretio: non tamen erit mutuum; quia non tranſtuliſti ejus dominium. Contractus quoque ſocietatis non transferunt dominium: quoniam ſocietatis pecunia ſociorum periculo perit. Ob hanc cauſam non licebit tibi pecuniam conferre in ſocietatem, ea conditione, ut tibi ſalva maneat capitalis. Videlicet, ut non exponatur tuo periculo, ſicut ſociorum. Sic enim non ſocietas eſſet, ſed mutuum. Eadem cauſa, ſi oves vel armenta des in ſocietatem, & Paſtori imponas ſubire periculum earum, uſurarius diceris.

Atque hæc quidem hactenus Theologice. Legiſtæ autem cenſus etiam omnes & reditus, ſub uſuris ponunt. Horum alii reales ſunt (ut qui ſupra rem certam fundati: vulgo vocant foncerias rentas) alii perſonales: qui perſonæ generali obligatione bonorum contrahuntur. Hos noſtri vocant rentas viagerias, alii vagas, alii volantes. Alii ſunt fœneratorii reditus omnino: qui ſupra pignus conſtituuntur. Quanquam vero legibus Civilibus non prohibeantur abſolute atque ſimpliciter uſuræ: non permittuntur tamen omnes, nec omnibus eædem. Quin infames habentur, qui uſuras uſurarum ſumunt, vide propterea ff. de Uſuris. l. Placuit. & l. Uti nullo. C. & l. Improbum. & l. Quibus cauſis. & l. Eos.

Genus hoc ſuperfœtantium uſurarum, lex Civilis improbum fœnus nominat: Græci ἀνοσιώτατον: noſtri tocomoron, Græce: id eſt, uſuræ inſaniam: peccatum ſane graviſſimum, & in republica non ferendum omnino.

Erant autem licitæ uſuræ centeſimæ, quæ & dragmales dicebantur: pendentes videlicet ſingulis menſibus unum, pro centum mutuo acceptis. Fructificabant hæ 12. pro 100.

(t) Luc. 6. (u) Deut. 23.

100. in annos ſingulos. Sed non concedebantur, niſi in negotiis trajectitiis: tanquam præmium periculi perdendæ ſortis in mari. Cenſebantur enim graviſſimæ omnium: idcirco finito negotio, ceſſabant. Mercatoribus autem, actu mercaturam facientibus (lucri ceſſantis cauſa) concedebatur centeſimæ hujus, bes: nimirum, quæ in annos redderet 8. pro 100. Nobilibus vero, triens tantum, id eſt 4. aliis ſemis, id eſt, 6.

Perſonarum diſtinctio optimo jure facta fuerat. Siquidem mutuandi inter cives liberalitas, atque beneficentia, optanda eſt in ſocietate humana. At vero æquum non eſt, alterum alterius damno ditari. Quod ſane fieret, niſi pro damno, & (ut vocant) intereſſe creditoris, aliquid debitor refunderet. Penſanda igitur fuit perſonarum differentia: & quibus præſentis pecuniæ uſus magis neceſſarius eſt, (vel damni emergentis cauſa, vel lucri ceſſantis) his plus debeatur, quam aliis. Exemplum eſto damni emergentis: Paratam ſi habeo pecuniam ad reparandum ædes meas, quæ ruinam minantur, vel ad comparandum triticum, alendæ familiæ neceſſarium: tuque interea precibus a me extorques mutuam illam pecuniam: & ædes ruunt, vel annona fit carior: beneficium certe meum mihi in damno erit. Pariter lucrum mihi ceſſabit, niſi pecuniam reddas in tempore, quo mercaturam ſum facturus. Nemo autem tenetur de proprio facere beneficium, & ex ſuo damno commoda facere aliena. c. Precariæ. 10. qu. 2. & 2. Cor. 8. Non ut aliis ſit remiſſio, vobis autem tribulatio.

Ex definitione igitur Legiſtarum colliges, quid differat uſura Theologorum a legali. Hæc ſiquidem ſucceſſive debetur ſecundum proportionem ſortis capitalis & temporis, uti diximus: ſive annuatim, ſive menſtruatim. Et duplex quidem reperitur: una, quæ jam pene exolevit, licet conceſſa olim: altera, quæ nunc in uſu eſt, vocatur cenſus, & reditus, & renta vulgo. In illa obligabatur debitor ad reddendam ſortem cum uſuris: in cenſu, ad ſolvendas uſuras tantum: non ſortem, niſi velit redimere obligationem: quia pecunia ſortis integre alienatur hic per emptionem cenſus. Item uſuræ illæ, cum primum æquabant ſortem, ceſſabant: cenſus ſunt perpetui.

Hinc orta quæſtio inter Doctores, an liciti eſſent ceuſus iſti perſonales, & rentæ volantes. Fuerunt enim, qui damnarent: videntur enim non minus iniqui, quam contractus alii uſurarii: quia non minus contra naturam pecuniæ in his nummi emuntur nummis, & pecunia pro pretio pecuniæ datur, quam in illis. Imo (quod gravius eſt) in his acceſſio procedit infinite: in illis æquata ſorte finitur. Cæterum Martinus V. & Calixtus III. Pontifices Romani, licitos reſponderunt. Nam ſi obligare me poſſum ad ſolvendum penſionem aliquam: cur vendere obligationem non potero? Si cum pacto redimendi ſortem obligarer, non venditio certe eſſet, ſed mutuatio cum fœnore. Cum igitur compertum fuerit expedire reipub. ut aliquid detur mutuantibus ad compenſationem uſus alienæ pecuniæ: cenſus hæc obligatio, (uſuræ honeſtior ratio) inventa eſt: per emptionem, & venditionem reditus annui, redimibilis perpetuo a debitore. Sed cave tu lector, ne hinc pallium ſumas improbæ uſuræ. Deus videt omnia. Leges quoque municipales, ne licentia hæc emendi cenſus perpetuos, alimentum daret avaritiæ, limites poſuere, quos impune non tranſibis. Carolus V. Imperator memoriæ æternæ, ne excederet 8. pro centum, cavit in Burgundia. Antea definiti fuerant in Francia ad duodecimam ſortis.

Frumentarios autem cenſus, qui pro pecunia conſtituti fuerunt; quia variante ſubinde caritate, varie taxari contingebat a Judicibus, ut intra limites legis determinarentur: ſancitum fuit in Gallia, ut optio ſit debitoris ſolvere in ære ad duodecimam partem ſortis; vel in tritico, quantum tritici eſt in obligatione. Apud alios remiſſa eſt ad decimam quartam. Quod ſi debitor per aliquot annos ceſſaverit ſolvere: non propterea tenetur ad pœnam quanti plurimi: (fieret enim nova acceſſio in rebus acceſſoriis, quod lex vetat) ſed reductio fiet ad communem æſtimationem totius temporis moræ.

Ex his Curati decident multos caſus conſcientiæ. Uſurarium dicent eum, qui emendo cenſum 8. librarum pro centum, ſtatim retinet octo, primæ penſionis. Nam tanto minoris emit, quam lex permittit.

Omnis quoque conditio redimendæ ſortis intra tempus certum (quomodocunque coloretur) uſuraria eſt: & in ſortem numerari facit ſoluta jam arreragia. Paciſci tamen cum debitore, quod niſi præſtito die ſortem reſtituat, teneatur ad cenſum (modo id ne fiat in fraudem tegendæ uſuræ) nihil prohibet. Non tenetur enim cum injuria, pecunia ſua carere creditor invitus. Quare diſtinguere ſolent hic Doctores: Si lucratoria eſt uſura, vel compenſatoria, vel punitoria: Lucratoriam damnant: quia lucri tantum cauſa contrahitur. Compenſatoria juſta eſt, ſi lucri ceſſantis vel damni emergentis juſta inſit cauſa. Punitoria vero non ob lucrum creditoris, ſed propter moram debitoris infligitur.

Si

Si rem fructiferam pignori accepisti, teneris fructus reddere, deductis tamen expensis. (x) Parum namque differt a turpissimo, Judaicoque fœnore, quo pignore dato pecunia sumitur ad usuram.

Vendere carius justo, expectandæ solutionis causa: vel vilius vendere, anticipatæ: usura est: si non formalis, at certe interpretativa. (y) Sed pretia rerum scito non consistere in indivisibili: ne temere hic Judices de justitia vel injustitia pretiorum.

Uno igitur verbo dices omnes contractus usurarios quocunque pallio tegantur, qui vel censum majorem imponunt debitori, quam de jure emi concessum est: vel ad restitutionem obligant sortis, nullo damno emergente, vel lucro cessante creditori.

De monte pietatis dubitarunt nonnulli: nam a formali usura non videtur differre. Sed Pius II. Papa, & Concilium deinde Lateran. sub Leone decimo approbarunt. Et habita quidem fuit ratio tenuitatis usurarum, quæ sunt unum pro viginti: deinde, quod nihil hic lucri faciat creditor. Omnes enim fructus in hospitalis, & pauperum usum insumuntur. Sed ut intelligas hæc, Præfecti hospitalis pecuniam pauperum his duabus conditionibus locant. Prima, ut debitor pignus det sufficiens: altera, ut id vendi possit intra tempus. Et usuræ currunt menstruæ, duodecimæ partis vigesimæ.

Dicet forte aliquis: Si peccatum est in his, peccabit ergo, qui mutuum accipit. Causam namque peccandi dat: qui autem consentiunt facientibus, non modo qui agunt, digni sunt morte. Rom. 10. Ad hanc quæstionem distinguunt aliqui, Si alter paratus non est dare fœnori, non licet eum ad hoc inducere: si vero paratus est, licet. Quia uti alieno peccato in bonum non prohibetur. Sicut Judex juramento per falsos Deos utitur hominis infidelis. Urgebis forte adhuc, Non sunt facienda mala, ut eveniant bona. Ad hoc respondimus supra, Tit. De peccato. Pœnas porro usurariorum habes apud Sylvest. usura.

STATUTUM I.

USurarii ne absolvantur, nisi facta prius restitutione lucri excedentis & iniqui: vel certe serio promissa.

DE PECCATO IN SPIRITUM SANCTUM.

PEccatum in Spiritum Sanctum gravissimum est, quod Salvator noster, nec in hoc sæculo, nec in alio dicit remitti: & Joannes: Est peccatum ad mortem: non pro illo [inquit] dico, ut roget quis. (z)

Sex ponuntur species peccati in Spiritum Sanctum, quæ & peccata Blasphemiæ appellantur, & irremissibilia: non quod remitti non possint, aut quod omnino non unquam remittantur a Deo, si quis perfectam de his contritionem habeat: [Deus enim nemini suam misericordiam negat contrito] sed ideo dicuntur irremissibilia, quia ex se peccata hujusmodi contra causam & rationem veniæ pugnant, quæ est pœnitentia: & Spiritui Sancto, qui fons est misericordiæ, adversantur. Sunt autem hæc:

1. Præsumptio: qualis hæreticorum, qui putant se absque ullis meritis salvari: Deo justitiam detrahentes.

2. Desperatio de misericordia Dei: qualis Judæ proditoris, & Cain.

3. Impugnatio veritatis agnitæ: qualis fuit Judæorum, qui opera Christi manifestissima tribuebant principi dæmoniorum. Talis etiam fuit Jamnæ & Mambræ, qui Mosi restiterunt: talis etiam hæreticorum, qui nolunt veritatem intelligere.

4. Invidentia fraternæ gratiæ. Hac primus Cain diabolum (cujus invidia peccatum in mundum introivit] imitatus est, molestе ferens fratrem suum a Deo diligi. Saul contra Davidem: quia videret, quod esset Dominus cum David. Item omnes, qui piorum hominum sanctam conversationem criminantur, & quæ dona Spiritus sunt Sancti, perverse & malitiose interpretantur.

5. Obstinatio in peccato: ut qui perseverant in peccato, & statuunt ab eo, non desistere in futurum rejectis omnibus admonitionibus: ut populus Israeliticus, quando ductus est in captivitatem. 4. Reg. 14.

Item Sedechias, qui non erubuit faciem Prophetæ, loquentis ex ore Domini. 2. Paral. 36.

6. Finalis impœnitentia. Hæc nunquam de peccato pœnitere statuit, ut qui gloriantur cum malefecerint, & exultant in rebus pessimis. Hos solet mors cum æterna

(x) C. 1. de Usu. (y) S. Tho. 2. 2. q. 78.
(z) Theod. in 2. Sent. d. 43. Matth. 2. Marc. 3.

na damnatione intercipere. Talis forte Herodes Agrippa, Act. 12.

Ex his patet unum esse proprie, & per se, peccatum irremissibile, finalem impœnitentiam: reliqua, non nisi in quantum ad hanc pertinent, & in hanc definiuntur, vocantur irremissibilia. Illa enim ante vitæ finem deleri possunt per pœnitentiam: quamquam difficulter, quia, uti diximus, contra causam veniæ pugnant, atque ab ea longe recedunt, quæ est pœnitentia. Siquidem peccatum ex ignorantia (quod contra Filium Dei committi dicitur) remissibile est: quia errore cognito, sequitur pœnitentia. Quod ex passione, & animi impotentia contra Patrem patratum est: extincta passione, & quasi luce Solis depulsa caligine, damnat recta ratio. At vero, ubi hæc desunt, in Spiritum Sanctum peccatur: & pœnitentiæ raro locus conceditur. Quoniam melius hic nihil videtur: & resipiscentiæ viæ omnes fere obstruuntur ei, qui ex certa scientia male agit, nec facinoris sui damna sentit.

DE GRATIA SPIRITUS Sancti.

GRatia Dei, inquit D. Aug. (*a*) donum Dei est: donum autem maximum ipse Spiritus Sanctus est: & ideo gratia dicitur, quia gratis datur. Sed duplex gratia ponitur a Theologis. Una dicitur gratis data, alia gratum faciens. De illa dicit Apostolus, (*b*) Divisiones gratiarum sunt: idem autem Spiritus. Et sequitur: Alii quidem datur per Spiritum sermo sapientiæ, alii sermo scientiæ secundum eundem Spiritum, alteri fides in eodem Spiritu, alii gratia sanitatum in uno Spiritu, alii operatio virtutum, alii Prophetia, alii discretio spirituum, alii gratia linguarum, alii interpretatio sermonum: hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult.

Alia, quæ dicitur gratum faciens, Dei charitatem significat, & benevolentiam: per quam homo justus fit, & regno cœlorum dignus. Huic peccata omnia mortalia cedunt. Hæc arrhabo Spiritus Dei dicitur ad Corinthios, (*c*) id est, pignus futuræ gloriæ. Et ad Rom. 5. Spes autem non confundit, quia charitas Dei diffusa est in cordibus nostris, per Spiritum Sanctum, qui datus est nobis.

Datus autem Spiritus Sanctus est in die (*d*) Pentecostes visibiliter. Datus nobis est deinceps singulis, in Baptismo, & Confirmatione. Datus etiam Apostolis (*e*) post resurrectionem: quando insufflavit, & dixit: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, &c. Verum cum sit Spiritus Sanctus Deus, (Credimus enim in Spiritum Sanctum, qui ex Patre Filioque procedit, qui cum Patre & Filio simul adoratur: & ita definitum in magnis illis 4. Conciliis fuit, Nicæno, Constant., Ephesino, & Chalcedonensi: quia baptizari nos Christus jussit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: & Ananiam mentitum Deo pronunciavit Petrus (*f*): & 1. Cor. 3. corpora nostra Templa Spiritus Sancti dicuntur) quæstio aliquando mota fuit, quomodo datus nobis est Spiritus, in substantia suane, an in donis suis, & charismatibus?

Bessarion Cardinalis, genere Græcus, Latine doctissimus, plurimis Sanctorum Patrum authoritatibus & scriptis probare nititur, eum ipsum Spiritum Sanctum, quem tertiam in Trinitate personam credimus, vere & realiter habitare in nobis, non tantum per charismata, sed per substantiam. Et adfert præcipue verba Cyrilli in epistola septima ad Herminm, qui ad gratiam Spiritus omnia referebat, quæ de hac re dicuntur. Et inter alia verba Patris Cyrilli, hæc subdit: Si gratia esset distincta a substantia Spiritus, dixisset sane Moyses: Sufflavit Creator omnium gratiam per Spiritum vitæ: & Christus dixisset, Accipite gratiam per mysterium Spiritus. Sed illic dictum est, Spiritus vitæ: hic vero per Salvatorem: Spiritus Sanctus, ipsum procul dubio Spiritum credentium animabus emittentem. Postea, Templa vero Dei, nec non dii & vocamur & sumus: Qua de causa quæras ab adversariis: si gratia participamus nuda & non subsistente? At non ita se veritas habet. Templa namque existentis & subsistentis Spiritus sumus. Idem in Joan. c. 1. Si Deus ex Deo secundum naturam, & Spiritus, quo & per fidem in Christo participamus, dii nos etiam efficimur, tanquam jam in nobis habentes Deum, secundum illud, Inhabitabo & inambulabo in eis. Quo namque modo Templa Dei essemus, nisi Spiritus natura Deus esset? Hæc ex Bessarione. Videntur autem & plerique antiquorum in hac fuisse sententia: maxime Basilius, quem idem Bessarion adfert dicentem, insufflatum Spiritum a Christo discipulis, qui & cum Patre & Filio commorabatur in creatione. Et libr. 3. contra Eunomium: Principatus, & Potestates, & omnis creatura, cum ex attentione & diligentia sanctificatæ sint, non jure naturæ sanctæ dicerentur. Appetentes enim bonum secundum amoris, quem

(*a*) De verb. Domini. ser. 61. & de gratia & lib. arb. cap. 9. (*b*) 1. Cor. 12.
(*c*) 2. Cor. 5. (*d*) Act. 1. (*e*) Joan. 20. (*f*) Act. 5.

quem ad Deum habent, proportionem, ſanctitatis menſuræ participant: & ſicuti ferrum, quod in medio ignis jacet, ferri naturam non amiſit, vehementi tamen ignis actione ignitum, cum univerſam ignis naturam in ſe ipſum acceperit, & colore & actione ad ignem tranſit: ſic ſanctæ. Virtutes ex communicatione, quam cum illo habent, qui natura Sanctus eſt, per totam ſuam ſubſtantiam acceptam jam & quaſi innatam ſanctificationem habuit: diverſitas tamen ipſius a Spiritu Sancto eſt, quod Spiritus natura Sanctus eſt: illis vero participatione ineſt ſanctificatio. Poſtea pergit probare Spiritum Sanctum eſſe Deum, ex eo, quod D. Joannes (*g*) ſcribit: Ex hoc ſcimus, quod in nobis eſt, ex Spiritu, quem dedit nobis. Nam ſi Deus dicitur habitare in nobis per Spiritum, non eſt ergo expers Divinitatis Spiritus. Similia multa reperias apud eundem: Et quidem niſi diligenter & cum judicio rem tractes, error videatur Eunomii, & eorum, quos vocarunt pneumatomachos: qui Spiritum Sanctum dicebant eſſe creaturam, non Deum, niſi abuſive, propter energiam, id eſt, efficaciam. Dicebant enim hæretici illi ſolam eſſe virtutem ſanctificativam. Refert Epiphanius, qui etiam locis quibusdam dari nobis Spiritum Sanctum opinatur, Deum verum adorandum, & per Spiritum ipſum dona: veluti ſcientiæ, ſermonis, ſanitatum, prophetiæ. Hæreſi enim 74. lib. 3. ſic loquitur de Spiritu Sancto: Non alienus ſanctificationis, non diſtans nomenclatura, non alienus doni: Sed unus Deus, una fides, unus Dominus, &c. D. Auguſtinus (*b*) ejusdem plane videtur fuiſſe ſententiæ: maxime in lib. de Trinitate. Cujus authoritate ſubnixus (*i*) Magiſter ſent. eum ipſum ſenſit Spiritum Sanctum (qui a Patre, Filioque procedit) noſtram eſſe charitatem, & dilectionem, qua Deum diligimus. Loca vero Scripturarum, quæ pro hac faciunt, multa ſunt: maxime 2. Corint. 6. Quis autem conſenſus Templo Dei cum idolis? vos enim eſtis Templum Dei vivi, ſicut dicit Deus: Quoniam inhabitabo in illis, & inambulabo inter eos, & ero illorum Deus. Id enim niſi de Spiritu Sancto nequit intelligi. 1. Joan. c. 4. In hoc cognoſcimus, quia in ipſo manemus, & ipſe in nobis, quia de Spiritu ſuo dedit nobis. Item, Vos ex Deo eſtis filioli, & viciſtis eum, quoniam major eſt, qui in vobis eſt. Et rurſum, Deus enim charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet. Joan. 7. Nondum erat Spiritus datus, quia nondum JEſus erat glorificatus. Et c. 14. ubi loquitur de Spiritu Paracleto: Vos autem cognoſcetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Rom. 8. Non enim accepiſtis Spiritum ſervitutis iterum in timore, ſed Spiritum adoptionis Dei, in quo clamamus Abba Pater: & ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus, &c. Atque hæc quidem ſatis pro illa ſententia.

Ambroſius (*k*) autem aperte docet Spiritum pro gratia ſpirituali poni: ſicut Apoſtolus dicit, Spiritus poſtulat pro nobis, &c. Licet idem habitare dicat in nobis Deum Patrem, & Deum Filium: ſicut dicitur, Ad eum veniemus, & apud eum manſionem faciemus. Chryſoſt. hom. de Spiritu Sancto, ait: Quando Spiritus Sanctus dicitur mitti, non de Divinitate eſt ſermo, ſed de donis ejus: non enim mittitur Divinitas, nec Filius dicitur miſſus a Patre ſecundum Deitatem. Probat ex Luc. 24. Manete in Hieruſalem, donec induamini virtute ex alto. Hieronym. ad Hedibiam prorſus de gratiis Spiritus Sancti ea intelligenda putat: ut cum Apoſtolus dicit, Spiritum nolite extinguere, & ſimilia. Nec alium modum agnoſcit ſchola. Nam ſi dicitur nobis datus Spiritus Sanctus, aut procedere in creaturam: creatura certe non habet rationem ſubjecti: ut ſic nobis detur, vel ponatur in nobis, ſicut calor in corpore. Cum ſit enim Chriſtus Sanctus ipſe ſuppoſitum, & res per ſe ſubſiſtens, nec in ſubjecto dicitur, nec datur in unitatem ſimplicitatemque ſuppoſiti: Quid enim id aliud eſſet, quam alia Spiritus Sancti incarnatio? Datur ergo nobis Spiritus, per donum aliquod ſpirituale: & merito eſt rejecta opinio Lombardi, (*l*) qui Deum ipſum eſſe ſenſerat charitatem & dilectionem, qua Deum diligimus: cum ſit Dei donum potius, & doni donum, ut Aug. loquitur 15. de Trin. c. 19. Quia Spiritus Sanctus donum dicitur. Datur autem Spiritus Sanctus, rei amatæ director, & gubernator, & protector: qui cuſtodit, dirigit, protegit, docet, tanquam tutor pupillum, quem ſuſcipit. Sic datur nobis. Et uno quidem modo per gratiam, alio per auxilium externum, & favorem. Priori modo Beſeleel (*m*) architectus tabernaculi, impletus fuit Spiritu Dei, ſapientia, & intelligentia. Per favorem Chriſtus nobiſcum eſt uſque ad conſummationem ſæculi. Utroque modo fuit cum Stephano, qui plenus gratia, & Spiritu Sancto, faciebat &c. Habitat etiam per fidem (*n*) in cordibus noſtris: tam quia fides Dei donum eſt, quam quia per fidem recolimus Dei memoriam in animis noſtris, ſicut habere in animo dicimur, quem amamus. Ac de hac quidem

(*g*) 1. Joan. 3. & 4. (*b*) Lib. 7. c. 7. (*i*) Magiſt. lib. 1. d. 17.
(*k*) Ambr. lib. 3. de Spir. S. cap. 12. Tom. 5. (*l*) Diſt. 17. l. 1. ſent.
(*m*) Exod. 31. (*n*) Epheſ. 3.

quæſtione hactenus. Et Sanctos illos Patres, qui aliter videntur loquuti, pura ad aſſerendam Spiritus Sancti Divinitatem ea attuliſſe. Non quod ſentirent, donum Spiritus Sancti eſſe Deum: ſic enim creatura eſſet, non Creator.

Eſt ergo gratia qualitas quædam ſpiritualis, a Deo creata in anima noſtra, & habitus infuſus a Deo in animæ potentia. Nam ſi ex odio in amorem, vel ex amore in odium venimus Dei: id non mutatione aliqua fit Dei, ſed noſtri. Ego Deus, [o] inquit, & non mutor. Vocatur hæc gratum faciens juſtitia: quia per eam juſtificatur homo formaliter. Dicitur pignus vitæ æternæ: quia gratia Dei vita æterna. Et quia ſolus Deus eſt, qui juſtificat impium per gratiam: ideo & a ſolo Deo gratia confertur. Gratiam & gloriam dabit Dominus, inquit [p] David. Ex quo fit, ut opera noſtra in gratia facta, meritoria ſint vitæ æternæ. Dicunt non differre a charitate realiter, quia Dei amor eſt: & Deo charum reddit, qui eam habet. Dicitur libertas, quia liberat a ſervitute Diaboli, & peccati. Dicitur, ſicut ſupra docuimus, Spiritus Sanctus, quia donum eſt appropriatum tertiæ perſonæ in Trinitate. Unde & Templa efficimur Spiritus Sancti. Quare cum peccato mortali eſſe nunquam poteſt: quis enim conſenſus Dei cum idolis? Alia dona poſſunt. Quo fit, ut docet Aug. [q] ut quidam indigni vita æterna & regno cœlorum, aſpergantur tamen quibusdam Spiritus Sancti muneribus, non habentes charitatem: ſed nihil eis proſunt.

Dividitur rurſum Gratia Dei a D. Auguſtino [r] in prævenientem, & ſubſequentem, ſeu cooperantem. Nam ſine Deo nihil boni poſſumus, inquit, neque incipere, neque perficere, ut incipiamus, enim dictum eſt: Miſericordia ejus prævenier me: ut perficiamus, dictum eſt: Miſericordia ejus ſubſequetur me. Bonum propoſitum hominis adjuvat ſubſequens gratia: ſed nec ipſum eſſet, niſi præcederet gratia. Eſa. 26. Omnia opera noſtra operatus es in nobis Domine. 1. Cor. 15. Non ego, ſed gratia Dei mecum. 1. Cor. 3. Dei enim Coadjutores ſumus. 1. Cor. 2. Nemo poteſt dicere JEſus, niſi in Spiritu Sancto. 1. Cor. 3. Non quod ſimus ſufficientes aliquid cogitare ex nobis. Joan. 6. Nemo poteſt venire ad me, niſi Pater meus traxerit eum. Rom. 10. Non eſt volentis, neque currentis, ſed miſerentis Dei. Sequitur ergo, ut poſtquam ex Dei gratia boni quippiam agere cœperimus: ſine ejus gratia, ſpecialique auxilio, non poſſimus in bono perſeverare. Idcirco idem Apoſtolus, Phil. 2. Deus eſt, qui operatur in nobis velle, & perficere pro ſua voluntate. Atque hæc eſt Catholica doctrina.

Sed inſurgunt hic male ſani homines. Si ſine Dei gratia bene agere non poſſum, fruſtra ergo quæritur. Nemo peccat in eo, quod vitare non poteſt. Quaſi vero non paratus ſemper ſit Deus ad ferendam opem. Ego ad oſtium ſto, & pulſo, ait, Apoc. 3. & Proverb. 1. Vocavi, & renuiſtis: deſpexiſtis omne conſilium meum. Dic ſodes, ſi in foveam imprudens delapſus eſſes, ex qua non poſſes exire per te ipſum: alio quopiam tibi porrigente manum, per quem poſſes: opem reſpuendo, nonne eſſes accuſandus? Si Divinæ admonitioni, vel inſpirationi, vel attractioni non conſentis: per te profecto ſtat, quo minus recte agas. Perditio tua ex te Iſrael, tantum auxilium tuum ex me. (s)

Nec ſi indurare aliquem aliquando dicitur Deus, id per ſe & proprie interpretemur. Deus enim intentator malorum eſt. Alioqui peccaret ipſe, qui cauſa peccandi eſſet: & culpa careret homo, qui non libera voluntate ageret. Verum indurare corda ſic dicitur, ſicut indulgentia nimia parentes ſæpe faciunt deteriores ſuos liberos. Et ſol eodem calore indurat lutum, & emollit ceram. Hæc ſententia eſt (t) Origenis, Baſilii, Chryſoſtomi, Hieronymi, atque aliorum. Quamquam peccatorum tanta aliquando exiſtit gravitas, ac multitudo: ut gratiæ mereatur omne auxilium amittere. Eam ob rem tradi deprehenduntur aliqui in reprobum ſenſum: quia ſublata gratia [quaſi liberi habenis] in omne flagitium ruunt præcipites. Pſalm. 80. Dimiſi eos ſecundum deſideria cordis eorum: ibunt in inventionibus ſuis. Tertull. contra Marcio. l. 2. Greg. in Job. 30. c. 11. & Aug. paſſim.

DE GRATIA PRÆDESTINAtionis, & Reprobatione.

DIſputationi de gratia juſti hominis, & obdurationi peccatoris proxima eſt de prædeſtinatione ac reprobatione. Locus ſane arduus & difficilis, nec parum periculoſus. Sed quia hac tranſeundum nobis eſt, cum nos cum Dei auxilio ita prætercurremus, ut quæ tuto dici poſſint, in illis ſententiam libere ponamus: cætera ad Eccleſiæ deter-

(o) Malach. 3. (p) Pſal. 83. (q) Auguſt. ad Simpl. lib. 2.
(r) Aug. lib. 2. contra epi. Pelag. c. 9. (s) Hiere. 17.
(t) Orig. Periarch. lib. 3. Baſil. hom. 9. Hexa. Chryſ. in 9. c. Ro. Hieron. in 7. Eccleſi.

Digitized by Google

determinationem remittamus : cujus eſt de dubiis certos reddere credentes. Ac tota quidem hujus rei difficultas, ex duabus ſententiis exiſtit. Una eſt, quæ cauſam nullam agnoſcit in homine, vel ſalutis, vel damnationis. Altera ex diverſo, merita eſſe præviſa ab æterno tenet, cur a Deo alii electi fuerint, alii reprobati. Quæ autem ſuadent priorem, multa ſunt. Probant enim nos eſſe in manu Dei, non ſecus quam lutum in manu figuli. Sed multa ſecum fert incommoda ea opinio. Tollit enim liberum arbitrium : acceptionem perſonarum in Deo probat: obſcurat Dei miſericordiam: inducit denique Atheiſmum, & Epicuræorum impietatem confirmat. Ex altera reſurgit Pelagiana hæreſis. Namque ſalutis, ac damnationis cujusque cauſam refert ad liberum hominis arbitrium, ut ille.

Pro illa tamen ſtant, quæ ſcribit Apoſtolus ad Rom. 9. De Jacob & Eſau: qui antequam nati fuiſſent, aut aliquid boni egiſſent, aut mali, dictum eſt, Jacob dilexi, Eſau autem odio habui. Et Rom. 8. Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſcivit & prædeſtinavit, &c. & ſequitur epiphonema : Si Deus pro nobis, quis contra nos? cap. 9. Nunquid dicit figmentum ei, qui ſe fingit, Cur me feciſti ſic? idem Deuteron. 33. & Hierem. 8. Item Rom. 11. Reliquiæ ſecundum electionem gratiæ ſalvæ factæ ſunt. Epheſ. 1. Elegit nos ante mundi conſtitutionem. 2. Timoth. 1. Vocavit nos, &c. non ſecundum opera noſtra, ſed ſecundum propoſitum, &c. & c. 2. Firmum fundamentum Dei ſtat, novit Dominus, qui ſunt ſui. Exemplum quoque de vaſis aureis & fictilibus, quam vim habet apud aliquos? quamquam ſimilitudo illa parum juvat, ſi legas, quod ſequitur: Si quis mundaverit ſe ab iſtis, fiet vas in honorem. Addunt c. 1. ep. 1. Petri : Benedictus Deus, qui, &c. Matth. 11. Ita Pater: quia ſic placitum ante te. & 13. Ut videntes non videant. Joan. 6. & 8. Omne, quod dat mihi Pater, &c. & 15. Non vos me elegiſtis, ſed ego, &c. & 17. Manifeſtavi iis, &c. nec orat, niſi pro iis, quos &c. Exod. 4. Et ſequentibus narratur obduratio Pharaonis. In Pſalmis multa ſunt & in Eſaia. [u] Eccleſiaſt. 7. Nemo poteſt corrigere, quem Deus deſpexerit. Proverb. 16. Omnia propter ſe operatus eſt, etiam impium. Sapien. 4. Raptus eſt, ne malitia, &c. Alia multa præter hæc afferri poſſunt, quia voluntati ejus quis reſiſtit?

Sed ex altera parte ubique clamant Scripturæ non eſſe perſonarum acceptorem Deum. Quod ſi ſic, cur hunc magis, quam illum eligit? Item 1. Timoth. 2. dicitur velle omnes homines ſalvos fieri. Et additur ratio, quia unus Deus, unus & mediator Dei & hominum, Chriſtus JEſus. Ergo ſi multi pereunt, peccatum in cauſa eſt, cum ſit ſultorum infinitus numerus. Matth. 23. Quoties volui congregare, ſicut gallina pullos ſuos, & noluiſti. Luc. 19. Venit ſalvum facere, quod perierat. 2. Petr. 3. Non tardat Deus promiſſionem ſuam, ſed patienter agit propter vos, nolens aliquos perire. Geneſ. 4. Si bene egeris, recipies: ſi autem male, &c. &c. 14. Propter decem juſtos peperciſſet civitati. Exod. 33. Qui mihi peccaverit, eum delebo. Eſa. 65. Expandi tota die manus, &c. Hierem. 7. Vocavi, & non audiſtis, & 18. Si pœnitentiam egerit, &c. Ezech. 18. Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur. Juſtitia juſti ſuper eum. & 33. Nolo mortem peccatoris. Oſee 13. Perditio tua ex te. Jon. 4. Tu doles ſuper hedera, & ego non parcam Ninive civitati? Proverb. 1. Vocavi, & renuiſtis, ego quoque in interitu veſtro ridebo. Sapien. 12. Miſereris omnium, diſſimulans peccata: & nihil odiſti eorum, quæ feciſti. Eccleſiaſt. 15. Non dixeris per Deum abeſt. Non dicas ille me explanavit: non enim neceſſarii ei ſunt impii. Et ſequitur: Deus ab initio conſtituit hominem, & reliquit eum in manu conſilii ſui.

Sequitur itaque (ſi Deus non eſt acceptor perſonarum) & prædeſtinationis, ſive electionis, & reprobationis cauſas in hominibus fuiſſe prævias a Deo, propter quas alii ad vitam, alii ad mortem deſtinati fuerint ab æterno. Nam parabola de ſemente juxta terræ, in quam ceciderat, naturam, fructum docet proveniſſe. Et paratum, ait Dominus, regnum iis, qui opera charitatis exhibuere: aliis in ignem mittendis. Et videtur quidem Paulus ad Rom. 8. Ideo dixiſſe, quos præſcivit & prædeſtinavit: id eſt, illos prædeſtinavit, quos præſcivit: id eſt, quorum opera bona prænovit.

In hanc ſententiam inclinaſſe videntur antiqui. Juſtinus martyr Deum ait prænoviſſe improbos obſtinato fore animo: Quin etiam Dei præſcientiam non eſſe cauſam rerum futurarum, ſed a diverſo. Idem Origenes, ad Rom. 8. 12. 9. Chryſoſtomus hom. 16. in ep. ad Rom. & aliis locis aperte tradit Deum prænoviſſe eos, qui digni ſunt corona vel ſupplicio. Item Damaſcenus & Theophylactus. D. Ambroſius per hanc rerum præſcientiam vindicari vult Deum ab acceptione perſonarum. Hieronymus in eandem, ſi ejus eſt opus, & ad Galatas, expreſſiſſime docet Deum hunc diligere, quem ſcit futurum eſſe juſtum, odiſſe vero, quem peccatorem.

(u) Pſal. 32. 43. 46. 77. 148. Eſa. 4. 6. 14. 45.

ed by Google

rem. Placuit hæc eadem ſententia etiam nunc multis: & ideo dilectum fuiſſe ajunt Jacob, odioque habitum Eſau, quia præno-verit Dominus, quales futuri eſſent. Et ad illa tam multa, quæ in Bibliis videntur, tribuere omnia Dei præſcientiæ ac prædeſtinationi: reſpondent illa velle innuere, quod Deus falli non poteſt in iis, quæ ab æterno novit: ut neque plures, neque pauciores ſalventur, quam ipſe vidit. Et vas, quod dicitur in manu figuli: Hierem. 18. citra figuli voluntatem diſſipatum videri. Et quamvis Apoſtolus non reſpondeat interrogationi illi (cur adhuc quæritur?) propterea quod reprimere volebat audaciam importuni interrogatoris: tamen ad Timoth. 1. c. 1. ſatisfecit, cum ait: Miſericordiam conſequutus ſum, quia ignorans feci. Et eodem modo reſpondit Deus Moyſi: Miſerebor (*x*) cujus miſerebor. Quaſi dicat: Non tuum eſt hoc ſcire. Non ſemper expedit, ut ſervus ſciat Domini ſui conſilia. Sic Sancti illi Ambroſius & Chryſoſtomus.

Collidentibus itaque inter ſe duabus his ſententiis B. Auguſtinus, (*y*) ſuo more medius incedens, rem diſtinxit: & ſalvari quidem prædeſtinatos ait Dei gratia, quam dat electis ſuis: reliquos autem juſte damnari: quod cum in illa peccatorum maſſa ex primi parentis peccato culpabiles inveniantur, queri non debeant, ſi aliis electis, alii ſibi relinquantur. Tali enim res humanas agitare Deum judicio, ut debitas pœnas aut juſte reddat, aut miſericorditer donet: nec audere debitor poteſt creditorem arguere iniquitatis, ſi alteri donans, ab eo, quod debebat, exegerit. Sic Aug. multis in locis ad peccatum originale referens, quod multi non ſint electi.

Sed ſubſiſtit adhuc eadem quæſtio. Quæratur enim; Cur hunc potius, quam illum ex eadem maſſa eligit? cur dicitur velle omnes ſalvos fieri? cur addita ratio ab Apoſtolo rei hujus eſt, quod eſt unus Deus, ſi non idem eſt omnibus? Præterea Angelorum alii electi fuerunt, alii reprobati: ergo reprobationis cauſa non eſt peccatum originale, quia non erat hoc in Angelis. Imo etiam ex iis, qui a peccato originali per Baptismum mundati ſunt, multi damnantur. Non ergo reprobati propter illud peccatum. Ergo acceptionem perſonarum non potes evadere: quoniam omnibus in eadem conditione peccati prævisis, hic eligitur, alter reprobatur.

Sanctus Thomas in opere contra gentiles, Deum perpetuo pulſare ad januam cordis noſtri, ait: eosque ad ſalutem perducere, qui ſibi aperiunt: reliquos in cæcitate relinquere. Quare ſua culpa, non tantum originali, ſed etiam actuali hac (quia non aperiunt) damnari. Nam licet omnium corda ſic moveat Deus, ut duritiam mollire poſſit: tamen ſunt, qui novam adhuc duritiam apponunt. Hi dicuntur præſciti: quia ſupplicio æterno obnoxii præſciuntur. Alii ad ſalutem deliguntur: non propter opera ſua, vel voluntatem: ſed Dei gratia, quæ voluntates eorum anteit. Et ſane Patres omnes antiqui (z) ſic de Dei providentia ſenſerunt, ut auxilium & gratiam dari omnibus putarint, neceſſariam ad ſalutem. Nam qui præcepta poſuit ſub pœna obſervanda, niſi ea concedat, ſine quibus obſervari illa nequeunt, vel condonare oportet omittenti, vel iniquum eſſe, ſi infert iram. Quo pacto volabit avis, ſi alas detrahis? D. Hieron. (*a*) vel etiam perditis ipſis ait dari gratiam. Namque & Deus proprio Filio ſuo non pepercit. Sed uti diximus B. Aug. non omnibus dari ſufficientem ad ſalutem prædeſtinatorum ſenſit: nec teneri Deum, ut det alicui. Quis enim prior illi dedit, & retribuetur ei? ad adimplenda vero præcepta ſua, omnibus præſto adeſſe, non negat. Sed non hæc illi eſt gratia prædeſtinationis. Prædeſtinatio illi eſt Dei voluntas & propoſitum dandi vitam æternam, & media omnia conducentia ad illam: non omnibus quidem, ſed iis, quos ex illa maſſa corruptionis elegit. Itaque electio prior eſt prædeſtinatorum, deinde prædeſtinatio, poſt hæc prædeſtinationis illorum prævisio.

Doctrinam Sancti Thomæ de addita duritia Contarenus Cardinalis ſimilitudine declaravit. Sicut lateres ad ædificium præparati, quia graves natura ſunt, nunquam ſuapte vi aſcendant in murum, niſi ab aliquo tollantur: ſi vero præditos judicio fingamus & voluntate quadam, ut aſcendere nolint, & ne attollantur, nova gravitate reſiſtant: Sic licet ex nobis ſine Dei ope nihil poſſumus, adjuti tamen Dei gratia omnia poſſumus: ſed ſi reſiſtamus Spiritui Sancto, & duritiei noſtræ, duritiam addamus, culpa noſtra fuerit. Rem hanc in colluctantibus experimur adhuc evidentius. Nam, ut uterque gravis ſit: tamen ab Hercule ſublatus Antheus, in altum vincebatur: qui ſi majorem gravitatem potuiſſet addere, non fuiſſet a matre terra evulſus, neque ab Hercule victus, ut eſt in fabulis. Utimur re fabuloſa ad argumenti evidentiam.

Sed

(*x*) Exod. 33. (*y*) De prædeſtin. c. 3. & epiſt. 105.
(z) Chryſoſt. hom. 32. in 19. Matth. Ambroſ. in Pſal. 118. & de vocat. gent. c. 9. Cypr. lib. 4. ep. 7. Origen. 1. Periarch. Baſil. hom. Quod Deus.
(*a*) Hieron. in Eccleſ. 7.

Sed neque ſimilitudo hæc ſatisfacit. Extat enim adhuc duplex difficultas. Utramque docet idem Contarenus. Una eſt, quod videtur in electis, qui novam duriciam non apponunt, actus aliquis motionem præcedere gratiæ Dei : ſaltem privativus. Nam cum poſſint reſiſtere, non reſiſtunt. Hoc repugnat iis, quæ de gratia Dei dicta ſunt, ut videtur. Altera, quod voluntas Divina minus efficax in juvandis reprobis, quam electis videretur, quod impium eſt: vel certe redit eadem perſonarum acceptio.

Joannes Damaſcenus, quem ſequuntur multi, duas voluntates in Deo ponit: unam vocat antecedentem, alteram conſequentem. Antecedens eſt, qua vult omnes homines ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire: quæ Divinæ gratiæ operatio eſt in nobis ſufficiens ad conſequendam ſalutem, ſi ei non reſiſtatur. Per conſequentem condemnat eos, qui gratiam hanc repudiant : ſervat autem eos, qui recipiunt, & cum ea fructum faciunt. Aliter eædem voluntates dicuntur, ſigni, & beneplaciti.

Sed neque hæc explere poſſunt animum hominis multa ſciſcitantem. Inſurgit enim hic humana arrogantia, & urget: ſi prædeſtinatus es, quid ſatagis? nonne quicquid agas, ſalvabere? & ſi reprobatus, quid prodeſt virtus? vana eſt ſolicitudo. Fruere bonis præſentibus. Nam quæ ſemel in illa Divina, ſimplicique ſapientia, atque immutabili, definita, conſtitutaque ſunt, non amplius conſilio ſubjacent hominis, vel providentiæ. Hæc eſt, lector optime, hæreticorum ratio. Græce dicamus ἀργὸς λόγος: qua nec ægrotus medicum accerſet, nec agricola ſementem faciet, nec ardentibus quis ædibus incendium extinguere curabit. Definitum enim in Divina præſcientia dicet, an extinguetur incendium: & quos fructus ſit, vel non ſit percepturus agricola : & lectone ſurget, vel non ſurget ægrotus. Et alia multa, quæ afferre ſolita fuit apud Philoſophos quæſtio de futuro contingenti. Equidem niſi hac tempeſtate talia apud plebem ſcandala diſſeminata fuiſſent: ut etiam ſint, quos non pudet affirmare prædeſtinatum peccare non poſſe : imo quod etiam abſurdius eſt, ejus peccata Deo placere, præter alias horrendas plurimas blaſphemias : abſtinuiſſemus ſine dubio ab hac de prædeſtinatione, diſputatione. Nam temeritatis maximæ eſt, ea in vulgus afferere, quæ non intelligas : & vanitatis extremæ, ea publice tradere, quæ vulgus percipere non poſſit. Sed ut teneant Paſtores noſtri, quibus reſiſtant vicinis quibusdam importunis, pauca hæc accipiant, ſub cenſura tamen Sedis Apoſtolicæ. Tenendum pro certo eſt, Deum rerum omnium principium, ſimplici unaque actione omnia, quæ ſunt, producere, atque conſervare : ejusque actionem idcirco nullo tempore, nec temporis parte aliqua contineri. Namque in illa naturæ Divinæ Majeſtate non eſt, quod quæras, vel fuit, vel erit: tantum invenias eſſe & eſt nullius temporis viciſſitudine comprehenſa. Quam ob rem B. Auguſtinus, Divinitas, inquit, omnibus rebus & antiquior eſt, & junior. Antiquior quidem, non quod fuerit, ſed quia eſt ante res omnes: junior vero, quia eſt, non erit poſt res omnes, ad extremum ultimi judicii diem. Dei ergo effectrix rerum ratio ſimpliciſſima eſt, una, immutabilis, & infinita : quæ in æternitate operatur omnia, quæ ſunt, fuerunt, atque erunt. In illo EST, Divinæ cauſæ, continentur omnes cauſæ, neceſſariæ, contingentes, liberæ, coactæ, certæ, caſuales. Sed ad eſſe Dei hoc ineffabile, intellectus humanus ex ſe ipſo non poteſt attolli : quod rebus corporeis & ſenſibilibus immerſus, omnia cum tempore & materia & loco cogitat, & cognoſcit. Ac ſumus quidem in hoc mundo viſibili non diſſimiles fratribus illis, qui apud Platonem ſibi adnexi ſedebant in antro Trophonii. Qui cum umbras rerum ſolum in antro viderent, reliqua quæ ſub cælo fieri, atque eſſe narrabantur, omnia umbras eſſe putabant : & inſanire alios dicebant, qui aliter ſenſiſſent: Sic certe ſumus nos, cum de Divinis, ſupernisque diſſerimus, ſic de illis loquimur atque cogitamus, atque de his, quæ in mundo inferiori, ac materiali fiunt. Quare cum quis de prædeſtinatione verba facit, illico ad res notas reſpicimus : & de Divina virtute (licet immenſa) perinde putamus, atque de ea, quæ ad determinatos effectus naturæ ordine procedit. Dicimus quidem in ſenſu compoſito (quod verum eſt) unum aliquem hominem, quem digito oſtendimus, vel ſalvandum, vel damnandum eſſe : ſed neque ſalvum adhuc, neque damnatum audemus affirmare. Et tamen EST illud Divinum, æternumque, in quo ſalus illius hominis decreta eſt, omnia, quæ ſunt, & fuerunt, & quæ erunt, complectitur, & excedit : nullo ipſum comprehenſum tempore. Et quia in verbo hoc prædeſtinationis aliquid prius cogitamus, & aliud poſterius, [qui nos elegit, inquit Apoſtolus, ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus, &c.] & in cauſis, quarum definitus eſt effectus, neceſſitatem naturæ ponere ſolemus, in aliis contingentiam : ideo in prædeſtinatione neceſſitatem Divini decreti, cum libertate arbitrii conducentes, tanquam in præcipitium aliquod deducti, & barathri voraginem intuiti, tanta vertigine corripimur : ut in terram quaſi proſtrati, ſolam terram cogitemus. Hac ideo voragine de-

territus Apoſtolus, exclamat: O altitudo divitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quam incomprehenſibilia ſunt judicia ejus, & inveſtigabiles viæ ejus! Nam ſi ſine pœnitentia ſunt dona Dei & vocatio: certe igitur, qui prædeſtinati ſunt, finem conſequentur. Si vero liberum arbitrium: ergo peccare poſſunt, & a fine illo decidere: aut certe peccatum eis non imputabitur.

Tenendum igitur ſecundo eſt, primam illam, æternamque rerum omnium cauſam, ſingulis ſuos fines præſcripſiſſe, & ad eos conſequendos media dediſſe commoda, & conducentia. Sic quos prædeſtinavit & vocavit, inquit Apoſtolus. Rebus etiam quibusdam fines & media propoſuit excellentiora, & ſupra naturam earum, ut in animantibus quibusdam videmus mirabilia. Ut docentur equi, & canes, & elephanti quædam agere, quaſi ratione utentes, quod ſupra naturam brutorum eſt. Produxit quoque Deus hominem rectum. Addidit autem (quod ſupra naturam hominis erat) gratiam, qua Deo charus erat: juſtitiam originalem, qua inferiores animæ facultates rationi parebant. Dedit ſcientiam rerum omnium naturalium: dedit prophetiæ Spiritum, & multa alia. Quin & capacem fecit Divinæ atque æternæ fœlicitatis. Ad hæc enim, niſi collata a Deo ſpecialiter fuiſſent, non poterat vi ſua pervenire natura primi hominis Adam. Quin etiam hic, qui cum perfectione maxima naturæ humanæ creatus fuerat, ingratus tantis beneficiis, non ſolum illa amiſit, quæ ſupra naturam acceperat: ſed etiam in iis, quæ naturæ propria erant, damnum fecit maximum. Nam relicto ſummo fine, qui Deus eſt, ad res caducas animum convertit: ad quas mutæ inſtar pecudis inhians, comparatus eſt jumentis inſipientibus, & ſimilis factus eſt eis. Licet enim libero ſimus a natura arbitrio, ægro tamen adeo, & tanquam ſaucio; ut ad bene agendum ſemper indigeamus gratia Dei.

Tenendum tertio, quod licet uni tantum fini addictam & infixam voluntatem quis habeat [veluti Angeli boni, ſummo bono: diabolus & damnati, malo] non ideo tamen libertate arbitrii, vel ii, vel illi privati ſunt: quia utrique proprio impulſu, proprioque judicio, atque electione, non alieno agunt: & ex multis & variis finem conſequendi rationibus, eam tenent & conſectantur, quam maxime probant. Hæc optime perſequutus eſt idem Contarenus.

Ex his igitur tria eliciemus fundamenta doctrinæ præſentis. Primum, quod liberum eſt hominis arbitrium, poteſt quivis ſanæ mentis non ſolum male, ſed etiam recte agere cum Deo, ſi velit. Hoc enim ſubruto fundamento, quis vitam inſtituet ex Chriſti legibus, & doctrina? Majorem locum habeant, neceſſe erit dogmata Epicuri, aut Philoxeni: quam Chriſti, aut Apoſtolorum. Secundum eſt, quod cum libertate arbitrii non pugnat non poſſe peccare. Secus enim non fuiſſet ſuæ voluntatis Salvator noſter JEſus Chriſtus. Tertium eſt, quod perire nequeunt (id eſt, infallibiliter ſalvabuntur) omnes illi, qui ſecundum Dei æternum propoſitum electi & vocati ſunt. Iis enim omnia cooperantur in bonum. Roman. 8. Fundamentum, inquit 2. Timot. 2. firmum ſtat: novit Dominus, qui ſunt ſui. Et Joan. 10. Non peribunt in æternum, & non rapiet eos quisquam de manu Domini. & 17. Pater ſancte, ſerva eos in nomine tuo. Et alio loco: Ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis. Nam ſi fuiſſent ex nobis, manſiſſent utique nobiscum. Quartum, quod ſunt nonnulli electi & prædeſtinati: quibus ut vaſis miſericordiæ Deus uti voluit, ad oſtendendum ſuæ gloriæ, & Majeſtatis immenſæ divitias. Ideoque ſine ullis operibus electi ſunt, & ſine meritis prædeſtinati. Epheſ. 1. Sicut elegit nos in ipſo ante mundi conſtitutionem, ut eſſemus ſancti & immaculati in conſpectu ejus in charitate: qui prædeſtinavit nos in adoptionem filiorum per JEſum Chriſtum in ipſum, ſecundum propoſitum voluntatis ſuæ, in laudem gloriæ gratiæ ſuæ, in qua gratificavit nos in dilecto filio ſuo. Et Chriſtus: Multi ſunt vocati, pauci vero electi. (b) Quintum, quod qui prædeſtinatus eſt, poteſt peccare. Peccavit enim Paulus, perſequens Eccleſiam Dei. Peccavit David, & extra Dei gratiam fuit. Nam gratia Dei donum eſt in homine: non in Deo paſſio, vel motus aliquis, qui immutabilis eſt. Sextum, quod neminem Deus ab ſpe fœlicitatis & gloriæ prædeſtinatorum, quam diu in hoc mundo ſumus, abjecit. Quinimo dedit omnibus hominibus, quæ neceſſaria ſunt & conducentia ad hunc finem. Quanquam non omnibus eadem, vel æqualia, quoniam multos reliquit tanquam in communi grege, in naturæ communi ordine & ratione: omnia tamen ad gloriam ſuam dirigendo. Univerſa, inquit Sapiens, propter ſemetipſum operatus eſt Dominus (c): impium quoque ad diem malum. Quia pœna impii in gloriam juſtitiæ Divinæ cedit. Neque enim juſtum eſt, nec decet, ut omnes eodem honore ſubditos dignetur Princeps: quia Majeſtas in diſtinctione graduum, dignitatumque cernitur. Et in magna domo multa vaſa. Atque hoc nunc erit ſeptimum poſtulatum. Ultimum ſit, quod nomen prædeſtinationis, ordina-

(b) Matth. 20. (c) Proverb. 16.

dinationem notat ad aliquid, quod in intentione prædeſtinantis eſt, antequam fiat. In gratia ergo prædeſtinationis duo conſiderantur. Unum eſt, æternum Dei propoſitum, de quo jam egimus: alterum ſunt media conducentia ad beatitudinem. Deus dare ſolet hæc electis ſuis; ut ſunt vocatio, juſtificatio, perſeverantia, & ſimilia. Non omnes autem quicunque vocati ſunt, ſunt etiam electi: nec omnes in accepta juſtitia perſeverant uſque in finem. Quapropter licet in propoſito Dei æterno multi ad Chriſti gratiam & fidem (qui ſtatus electorum eſt) ſint prædeſtinati: non omnes tamen ii ſunt ad fœlicitatem æternam. Quia ex iis, qui fidem Chriſti receperunt, & charismatum ejus dona, quique filii Dei, ſecundum præſentem (ut dicitur) juſtitiam, facti fuerunt: non aliter multi ad vitam æternam prædeſtinati ſunt, quam ſi compatiantur Chriſto, & in fide permaneant, nec indignos ſe reddant hæreditate paterna. Huc pertinet illud Apocalyp. 3. Tene, quod habes, & nemo accipiat coronam tuam. Si namque omnia (ut quidam volunt) neceſſitate, ex illo Dei propoſito evenirent: quis, rogo, huic quæſtioni reſpondeat: Hic prædeſtinatus eſt, ergo timere nihil debet, ne coronam ſibi quis accipiat? Quod ſi non eſt prædeſtinatus: quorſum hortatur, Tene, quod habes? nihil namque habet. Ergo utrumvis dicas (vel prædeſtinatum, vel non prædeſtinatum) nugatoria eſſet admonitio, Tene, quod habes.

Quare recens quidam author (*d*) non male ſentiendum putat, quod Deus neminem, antequam delictis propriis pœnam commerentem viderit, ſupplicio præparaverit æterno: vel (ut loquimur) præſciverit, aut reprobaverit. Quamquam gratis omnino multos ad gloriam ſuam prædeſtinavit: & ex non prædeſtinatis ſimpliciter, multos rurſum coronabit: quos ſcilicet non ſpeciali illa prærogativa, gratiaque elegit. Sic author hic particularem prædeſtinationem, ſimplicem & abſolutam ponit: univerſaliorem, ſub conditione. Doctrinam hanc, quia nondum ſit [quod ſciam] a Sede Apoſtolica approbata (cui omnia noſtra ſubjicimus, & a cujus regula ne latum quidem unguem declinare velle proteſtamur) non equidem, ut ratam atque infallibilem afferimus hoc loco: ſed tantum, ut Epicureis illis, & eorum Sophiſmatis, quod reſpondere poſſis, habeas: ſicut agimus in Scholis, quando argumenti fallaciam prodimus data inſtantia. Qui ergo ſic reſpondendo, prædeſtinationem generalem, ad adoptionem filiorum Dei, & particularem, ad gloriam æternam referant: ii non ſumunt verbum prædeſtinationis ſimpliciter & abſolute, ſicut ſumi ſolet a Theologis pro propoſito Divino dandi fœlicitatem, & media ad eam: ſed determinate ad aliquid: ut certe nomen ipſum importat; & in Sacris Literis ſemper ad aliquid refertur. Itaque generalis illa erit; Qui prædeſtinavit nos, ut eſſemus ſancti & immaculati: quamquam non omnes in ſanctitate permanſuri ſimus. Nam quemadmodum nec populus Iſrael ſimpliciter electus, nec omnes ſimpliciter progenies Abrahæ: ſic nec omnes Chriſtiani ſimpliciter electi ſunt: ſed qui compatientur Chriſto, & in fide ejus perſeverabunt, ſalvabuntur. De populo Iſrael dicit Apoſtolus: Non omnes, qui ſunt ex Iſrael, ii ſunt Iſraelitæ: nec qui ſunt ſemen Abrahæ, omnes filii. Idem tamen Paulo ante innuit omnibus factas eſſe promiſſiones. Optabam anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, inquit, (*e*) qui ſunt cognati mei ſecundum carnem: qui ſunt Iſraelitæ: quorum adoptio eſt filiorum, & gloria, & teſtamentum, & legislatio, & obſequium, & promiſſa. Hic enim Judæorum ſortem deplorat: ut quibus eſſent factæ promiſſiones, indigni tamen reperirentur promiſſionibus, & adoptione: quamvis non taliter fecerit omni nationi. Namque populus ille, licet habuerit hanc electionis gratiam, atque adoptionis, non omnes tamen conſequuti ſunt effectum adoptionis. Quia alia fuit electio, & adoptio totius populi illius in generali, [quem multis beneficiis & prærogativis gratiis proſequutus Deus eſt] alia ſingulorum ex populo. Eodem modo Corinthios (uti Chriſtianos jam) ſanctos appellat: In quibus tamen erant peccatis graviſſimis obnoxii nonnulli. Particularis autem illa eſt, de qua dixit Dominus: Non peribunt in æternum. [*f*] Et: Pater ſancte, ſerva eos, [*g*] & Apoſtolus: Omnia cooperantur in bonum iis, qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, (*b*) &c. Et, Fundamentum firmum ſtat: novit Dominus, qui ſunt ſui. Et de utriſque dicitur: Ex nobis exierunt, quia non erant ex nobis. Sententia quidem hæc non abhorret a ſenſu communi, neque a Sacra Scriptura: & pacem atque tranquillitatem aliquam afferre poteſt animo multa ſciſcitanti. Sed, amice, te etiam atque etiam monemus, ne plus ſapias, quam oportet ſapere. Puta Dei ſapientiam ineffabilem eſſe, tuique ingenioli anguſtiis comprehendi non poſſe. Quid ni? qui ne ea quidem, quæ quotidie cernimus, atque adeo manibus tractamus, aſſequitur? Non dicam noſtram ipſam mentem, qua ſapimus, qua providemus, qua hæc ipſa agimus, quæ nunc legis.

(*d*) Cathar. Polytus. (*e*) Rom. 9. (*f*) Joan. 10. 17. (*g*) Rom. 8.
(*b*) 1. Tim. 2.

legis. Hanc enim, quis videt ? aut plane qualis, aut ubi ſit, quis ſentire poteſt ? Omitto illa, quæ a nobis remota, magno cum miraculo fiunt in cœlo , in aere , in mari. Cujus Philoſophi ſententia dum probata manet, de ratione viſus? Quis demonſtravit hactenus Magnetis illam tam conſpicuam vim? quis animorum motus? Quis motus corporis noſtri ? Quis graviratem lapidis? Quis cauſam ejus impetus , quo procul a projiciente defertur jaculum? Omitto diſputationes de republica, de bello, de moribus, de officiis. Omitto incrementa Synapii, & differentias formarum. Omitto denique, ne aliud dicam , calcei tui attritionem. Nam neque hoc quidem ſatis notum eſt ? Quid magis noſſe exiſtimamur , quam objecta ipſa ſenſuum ? Ea, inquam, quæ ipſa per ſe naturalibus facultatibus percipiuntur? Hinc, velut e prima ſcaturigine , demonſtrationes humanæ ſapientiæ ſua exordia ſumunt , & inde auſpicantur. At vero, quid obſcurius? Quid incertius, ſi Pyrronicas illas, & aliorum Academicorum diſputationes noſti ? Quid magis obnoxium contradictioni ? Si album quid dixeris , ille falli oculum tuum argumentabitur. Si ſphæricum , offendet ille anguloſum. Cum videberis tibi quieſcere , motu agitaberis. Quæ videbuntur tibi circumduci , ea maxime ſtabunt. Quid ergo demens? minimam naturæ lucem ferre non poſſumus : & miraris, ſi ad immenſam caligant oculi? Age ergo. Miſſam faciamus inquirendi curioſitatem. Timeamus in Eſau ſeveritatem judicii: in Jacob electionis gratiam agnoſcamus. Sinamus juſtum Abel occidere : ſervari Cain parricidam: Irum in mendicitate agere: Cræſum opibus gravari. Nam & qui apibus dedit ſolertiam : idem muſcas & fucos condidit inertes. Quorum omnium, & ſi cauſæ nobis ignotæ ſunt : nihil tamen ſine Dei nutu, ſineve æquitate ſumma , ſummaque ratione contingit. Itaque pro iis, quæ diſcis, gratus eſto: ob ea, quæ ignoras, ne ſis ægro animo: compertum habens, nihil citra rationem accidere , etiam ſi rationes hujuſmodi te lateant. Dei myſteria [quantum ad captum noſtrum attinet] duorum videntur eſſe generum. Unum eorum, quæ neceſſe eſt pro ſalute noſtra, ut cognoſcantur: Alterum arcanum, reconditum , & minime ſcitu neceſſarium. Quæ etiam duo ita ſapientiſſimus diſpenſavit: ut quæ ſciri neceſſe eſt, ea ſine magno ſtudio noſtro aut labore diſcantur: alia autem (id eſt, non neceſſaria) a noſtro conſpectu remotiſſima ſunt. Nec modus tamen in inquirendis his , nec finis ullus invenitur. Non diſſimile fit in victu. Nam quæ natura corpori maxime neceſſaria produxit , ea in promptu cunctis proponuntur animantibus, cœlum, terra, aer, aqua, fruges: ſupervacua vero, & quibus ſine magno detrimento carere licet, longiſſime a nobis poſita abſunt. Adeo ut niſi cum vitæ periculo ad victum nunquam perquirantur: raræ aves, feræque, & piſces admirandæ magnitudinis : purpura, gemmæ, & in terræ viſceribus delitescens aurum. Cogitanti aliquando Divo Antonio [ut referunt] de ſtatu mundi: quomodo alii fideles eſſent, alii infideles, reſponſum fuit: Antoni, Antoni, cogita de ſalute tua: Deus ſatis potens eſt & ſapiens, ut mundum regat absque te. (*bb*)

STATUTUM I.

GRatiam Dei prædicabunt Curati, & commendabunt populis : ut ab ea in omnibus rebus ſemper dependeant: de prædeſtinatione autem & præſcientia Dei æterna, ne loquantur ad plebem.

DE SIGNIS GRATIÆ DEI.

NEmo debet de Prædeſtinatione ſua, vel gratia præſumere: nec etiam de ſalute deſperare. Quanquam eſſe poſſint aliqui certi de ea, ex privilegio Dei. Quantum ad primum dicitur Eccleſiaſtici 9. Nemo ſcit, odio, an amore dignus ſit : ſed omnia in futurum ſervantur incerta. Job. 9. Si venerit ad me, non videbo eum : ſi abierit, non intelligam. Idem : Si ſimplex fuero , hoc ipſum ignorabit anima mea. 1. Cor. 4. Nihil mihi conſcius ſum, ſed non in hoc juſtificatus ſum. Nam Luc. 17. Cum feceritis omnia, quæ præcepta ſunt vobis, dicite adhuc, quia ſervi inutiles ſumus. Quia (Rom. 8.) non ſunt condignæ paſſiones hujus mundi. Et Pſal. 142. Quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens.

Ex his ſequitur , quam ſint perniciosæ hæreſes noſtri temporis. Sunt enim quidem ſchismatici, qui certos de prædeſtinatione eſſe jubent omnes eos , qui ſecum a Fide Eccleſiæ Catholicæ Romanæ deficiant. Debuerant potius de damnatione. Nam quæ ipſi faciunt, indicia ſunt reprobationis. Docemus autem nos, credendum eſſe verbo Dei: non utique ſecuros eſſe vel gloriari, ſicut ille Phariſæus, (*i*) qui alios præ ſe peccatores ducebat. Beatus Petrus ſatagere nos potius, & ſolicite quærere ſalutem per bona opera conſulit : quod faciendo, inquit, [*k*] non pecca-

(*bb*) Gerſon. I. Serm. de S. Ant. (*i*) Luc. 18. (*k*) 2. Pet. 1.

Digitized by Google

peccabitis aliquando. Cæterum nihil prohibet, quin poſſit aliquis per revelationem certus fieri. Paulo enim dictum eſt: Sufficit tibi gratia mea. (*l*) & ad Timoth. ſcribens, ait: Scio cui credidi: & certus ſum, quia potens eſt depoſitum meum ſervare in illam diem. [*m*] & 2. Cor. 13. Nunquid experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur Chriſtus?

Verum ad confirmandos in ſpe animos fluctuantes metu: tum etiam ad meliora ſemper incitandos; Caput hoc unum lege libri De perfectione charitatis Dionyſii Cartuſiani, quod Gallice quidam reddiderunt.

Signes par leſquels on conjecture ſi quelqu'un eſt en charité.

PAR la Loy commune perſonne ne peut ſçavoir ces ſignes, pour en avoir une certitude. Ce neantmoins il y a quelques exercices ſpirituels, par leſquels on peut conjecturer, que celuy qui eſt frequent & aſſidu en iceux, & y perſevere juſques à la fin, eſt en Charité. Pour exemple: Conſidere ſoigneuſement en toy, ſi tu as touſiours, ou au moins le plus ſouvent Dieu devant tes yeux, en toutes tes penſees, parolles & actions: le croyant preſent en tout lieu, & ſcrutateur, & ſondeur des reins & des cœurs (n) *de toutes perſonnes, à raiſon dequoy tu luy portes humblement honneur & reverence en toute place: cela eſt un tresbon ſigne, que tu n'es ſans charité.*

De rechef, c'eſt un bon ſigne que tu as quelque eſtincelle de charité, & que tu n'es hors de la grace de Dieu, ſi tu parles volontiers à Dieu, par devotes prieres & meditations: ſi tu prens plaiſir à parler de luy en toute compagnie: ſi tu oys volontiers parler de luy en predications & leçons. Plus ſi tu contemples & regardes volontiers Dieu en ſes œuvres admirables, & au Venerable Sacrement de l'Autel, luy en rendant graces. Si pareillement tu viſites volontiers les lieux, eſquels Dieu eſt le plus ſouvent trouvé, comme es Egliſes, Chapelles des Saincts, & autres lieux ſacrez. Outre ſi (ſelon la couſtume d'amis) tu envoyes ſouvent au Seigneur ton Dieu preſens de Saincts ſouſpirs, geniſſemens, & larmes de devotion & ferventes oraiſons. Et ſi d'autre part, tu reçois gracieuſement les dons, deſquels il honnore couſtumierement les ſiens, c'eſt à ſavoir, reproches, injures, mocqueries, travaux, douleurs, maladies, & toute ſorte d'adverſité corporelle ou ſpirituelle: attendu que ce n'eſt grande œuvre de rendre grace par benefices & proſperitez, veu que meſmes les Gentils & Idolatres ont ceſte couſtume de n'eſtre ingrats des biens, qu'on leur a faict: ains recognoiſſent & remercient leurs amis & bienfacteurs. Ce pendant tu pourras avoir ceſte confiance, que tu n'es entierement ſans la grace de charité. Pareillement ſi tu as joye & lieſſe, quand tu oys louer Dieu par ſes fideles: & d'ailleurs es merveilleuſement deſplaiſant & faſché, quand tu le vois deshonnorer par les pecheurs: cela eſt un grand argument, que tu as quelque choſe de charité.

Semblablement ſi tu te reſiouis de bon cœur, du bien & proſperité de ton prochain, comme de ta propre felicité: & que tu ayes dueil & compaſſion de la miſere d'autruy, tant corporelle que ſpirituelle, à ſavoir de ſes maladies, infirmitez & tentations comme des tiennes propres: cela te ſoit en bon ſigne que tu n'es du tout vuide de charité. De rechef ſi tu es zelateur du ſalut des ames, attirant à Dieu tous ceux, que tu peux par oraiſon, parole & bon exemple, tantoſt les reprenant, tantoſt les priant & ſuppliant, à ce que Dieu ſoit loué en tous: c'eſt un argument de quelque charité qui eſt en toy. D'avantage ſi tu t'eſvertues [ſelon ta puiſſance] de ſuivre JESUS Chriſt en vertus, meſmement en celles qu'il t'a enſeigné de parole & d'exemple, ſavoir eſt, manſuetude & humilité: c'eſt un evident ſigne, que tu es ſon Fils, attendu que les Enfans doivent reſſembler à leurs Peres: & cela ne ſe faict ſans notable grace de charité. Et ſi outre les ſignes precedens, tu ſens encores en toy celuy qui s'enſuyt, c'eſt à ſavoir, que pour l'honneur de Dieu tu aymes de vray amour & non feinct ne ſimulé ton ennemy: ne te dueillant ny reſentant des torts & injures qu'il t'a faict: mais que pluſtoſt eſtant paſſionné du danger auquel il eſt, (pour l'offenſe à toy faicte) tu pries de cœur affectionné pour la remiſſion de ſon peché: tu pourras avoir grande eſperance, que tu n'es du tout ſans charité.

DE SEPTEM DONIS SPIRITUS SANCTI

SEptiformis Dei Spiritus Sancti dona per Eſaiam Prophetam enumerantur. Quæ con-

(*l*) 2. Cor. 12. (*m*) 2. Tim. 1. (*n*) Pſal. 7.

Digitized by Google

contra ſeptem peccata capitalia generaliter nos corroborant & munire poſſunt. Egredietur, inquit, (o) virga de radice Jeſſe, & flos de radice ejus aſcendet : & requieſcet ſuper eum Spiritus Domini, Spiritus ſapientiæ & intellectus: Spiritus conſilii, & fortitudinis: Spiritus ſcientiæ, & pietatis: & replebit eum Spiritus timoris Domini. Hæc dona Dei ſunt : quæ veluti ſeptem lucernæ ab Auſtro ardentes, Aquilonares tenebras (inquit Hieronymus) expellunt in tabernaculo Domini. Hæc nemo utiliter accipit, niſi in Eccleſia Catholica, quæ Corpus Chriſti eſt. Nam ſine charitate nihil proſunt : qui Eccleſiæ unitatem non tenet, in charitate non eſt.

Itaque contra ſuperbiam poſtulemus Spiritum timoris Domini : contra invidiam, Spiritum pietatis : contra iram, Spiritum ſcientiæ : contra pigritiam, Spiritum fortitudinis: contra avaritiam, Spiritum conſilii: contra gulam, Spiritum intellectus: contra luxuriam, Spiritum ſapientiæ.

Comparat ſeptem hæc dona Spiritus, cum ſeptem beatitudinibus Auguſtinus in ſermone de Sanctis, 17. & docet, quomodo timor Domini, qui in ultimo loco poſitus eſt, (reſpondens tamen primæ beatitudini) ſit initium ſapientiæ. Sed Bernardus copioſius in tractatu de donis Spiritus Sancti. Quamquam numerus beatitudinum non reſpondet: nam Spiritus Sancti dona ſeptem apud Eſaiam invenit Origenes: in Hebræo nunc non invenitur nomen pietatis. Et ſex tantum eo loci, conjugatione tripla numerantur.

Sapientia lumen mentis eſt, quo illuſtrati Deum cognoſcimus & veneramur. Intellectus facilitas ad percipiendum omnia, quæ nobis neceſſaria ſunt ad ſalutem. Fortitudo conſtantia animi in periculis & perſequutionibus, quam conſilium, id eſt, conſultandi vis prudens a Deo data moderatur & regit. Scientia aſcenſus erga ea, quæ doctrina continet pietatis. Pietas autem affectus ad cultum Dei. Initium his omnibus præbet timor Dei. Sed quia nihil horum ſine Chriſto habere poſſumus: (in quo fuit plenitudo Divinitatis) ideo in eo dicitur Spiritus horum donorum dator manere.

Porro autem donorum Spiritus Sancti ea vis eſt, ut per illa virtutes omnes facilius exerceamus Spiritui Sancto. Sunt enim habitus in anima, quibus homo perficitur ad obediendum prompte. Qui credit in me (inquit) flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. (p) Hoc autem dixit de Spiritu, quem accepturi erant credentes in eum, id eſt, de donis gratiæ Spiritus Sancti. Ex hiſce donis ſpirituales efficimur & filii Dei. Nam qui Spiritu Dei aguntur, hi ſunt filii Dei. (q)

Fructus Spiritus Sancti.

EX his Spiritus Sancti donis fructus ſequuntur Deo grati & ſuaves. Videlicet, charitas, gaudium, pax, patientia, benignitas, bonitas, longanimitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas. Adverſus hæc non eſt lex. Contra vero opera carnis ſunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſervitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, diſſentiones, ſectæ, invidiæ, homicidia, ebrietates, comeſſationes, & his ſimilia. Hæc Paulus. (r) Cum ex fructu cognoſcatur arbor, jam unusquisque ſodes ſcrutetur in ſe, num ſequatur magis carnem, an Spiritum Dei: ut ſi ſecundum carnem ſe vivere deprehendat, muret mores : alioqui morietur. Si enim (inquit Apoſtolus) ſecundum carnem vixeritis (s), moriemini. Si autem ſpiritu facta carnis mortificaveritis, vivetis. Paulo ante dedimus ſigna gratiæ : eadem ex fructibus his Spiritus Sancti ſumimus, & ex fructibus carnis. Cæterum aliter vivere ſecundum carnem definire potes, facere quicquid lubet. Ut dormire quando vis, & quantum vis : edere & bibere, quod vis, & quando vis : veſtiri quomodo vis, &c. Sed Chriſtus non venit, inquit, facere voluntatem ſuam.

De octo Beatitudinibus.

MAtthæi 5. ſcribitur Dominum in monte docuiſſe diſcipulos ſuos his verbis: Beati pauperes, &c.

Lucæ autem 6. quatuor tantum ponuntur; Beati pauperes, Beati, qui nunc eſuritis, Beati, qui nunc fletis, Beati eritis, cum vos oderint homines &c. ſed in his quatuor ille octo continentur, ut docet Ambroſius.

Beatum dicimus eum, qui ſummo bono opinione noſtra fruitur: unde divites vulgus beatos nominat, & intemperans, eos, qui corporis voluptatibus pro libidine potiuntur. Sed falluntur. Vera beatitudo in viſione Dei eſt, & Chriſti ejus, quam in regno cœlorum ſperare poſſunt, non qui rebus optatis in hoc ſæculo potiuntur, ſed magis, quos miſeros vulgus exiſtimat in hac vita.

Sed ne quis fallatur, non omnis, qui ea, quæ hic narrantur, patitur, felix erit : ſed qui pro Chriſto in fide. Nam multi hære-

(o) Eſa. 11. (p) Joan. 7. (q) Rom. 8. (r) Gal. 5. (s) Rom. 8.

hæretici nomine Chriſtiano, animas decipientes, multa talia patiuntur : ſed ideo excluduntur ab iſta mercede, quia non dictum eſt tantum, Beati, qui perſequutionem patiuntur; ſed additum eſt, Propter juſtitiam. Ubi autem ſana fides non eſt, non poteſt eſſe juſtitia: quia juſtus ex fide vivit. (*t*)

Doctrinam hanc beatitudinum ideo tradere debent Curati, ut intelligat populus primum, nobis propoſitam eſſe vitam beatam, ſi Chriſti ſequamur veſtigia : deinde quod corona proponitur & merces, non ſi credamus tantum, ſed ſi laboremus & compatiamur Chriſto. [*u*] Quoniam, ut S. Jacobus docet, Beatus vir, qui ſuffert tentationem, quoniam, cum probatus fuerit, accipiet coronam vitæ.

De gloria & vita æterna plura inferius dicentur.

DE QUATUOR NOVISSIMIS, Morte, Judicio, Inferno, & Vita æterna.

ECcleſiaſticus cap. 7. In omnibus (inquit) operibus tuis memorare noviſſima tua, & in æternum non peccabis.

Ultima hæc (ſive noviſſima) a Theologis plerisque ponuntur quatuor : Mors, Judicium, Infernus, & Gloria cœleſtis. Hæc ſæpius repetita memoria cum teneant hominem inter ſpem, metumque dubium : cautiorem in vita reddunt, & ſibi magis attendentem, nec proſperis efferri, vel rebus ſinunt adverſis frangi, ſed ubique decorum ſervare, officiumque tueri faciunt.

Hinc enim [ut de Morte primum agamus] ſi valetudo, vel ætas ſpem promittunt vitæ longioris: illinc tamen caſus innumeri, quos ſubiri omnino in horas videmus, mortis mille ſpecies proponunt ob oculos. Quare cogitatio de Morte digna Philoſopho ſemper habita eſt : imo vera Philoſophia, ſi credimus (*x*) Platoni. Quis enim adeo felix, vel contra miſer, ſub hoc cœlo degit, qui cum vitæ annos conſiderat, moriendique neceſſitatem, non protinus utrumque, & fœlicitatem & miſeriam perinde ducat momentaneum neſcio quid, nec ulla ex parte firmum ? Ubi, quæſo, ſunt Imperatores illi tam multi ? Somnium: quanquam Imperatorum [umbrarum dico] catalogus deſcriptus extat apud multos. Ubi ſunt illi tam multi Reges Hiſpaniæ, Galliæ, Angliæ, Ungariæ, Italiæ, Africæ, Ægypti, Syriæ, Ponti ? Ubi illorum opes ? ubi exercitus ? ubi gloriæ ? Nemo illa noſtrum vidit. Inſtar fabulæ eſt, quod de uno aliquo narratur. Deſcende paulatim ex illis ad Principes, cives, agricolas : omnes hi ad mortem, tanquam flumina ad mare, curſu præcipiti properando devenerunt. In quo & formam, & nomen non aliter amiſerunt, quam in mari flumina tam magna, quam parva ſolent. Homo vanitati ſimilis factus eſt: dies ejus ſicut umbra prætereunt. Rex hodie eſt, & cras morietur. Et cum morietur homo, hæreditabit ſerpentes, & beſtias, & vermes.

Cum ſit autem morte nihil certius: tamen hora mortis nihil incertius. Vigilate ergo [ait Dominus] & eſtote parati : quia qua hora non putatis, filius hominis veniet. Et certe cæcitas illa multorum reprehendenda ſæpe venit a Paſtoribus: qui ad extremum vitæ ſpiritum differunt tam de anima ſua & corpore, quam de bonis acquiſitis diſponere : quando nec ſenſus integri recte deliberare, nec aſſiſtentium inhiantium hæreditatibus importunitas libere quicquam conſtituere patiuntur. Quantas vero turbas relinquunt hæredibus, qui decedunt inteſtati? Quantas quoque lites, qui male teſtati ? Simile quid patimur circa mortem, quod pueri circa ſomnum. Iis licet neceſſarius ſit ſomnus, tamen niſi victi & pene proſtrati ſomno, nunquam lectum petunt : ſic licet mors neceſſaria nobis ſit, & ad quietem malorum & ad gloriæ fruitionem, tamen niſi morbo victus extremo, & prope animam agens, ad bene moriendum nemo ſe comparat. Sed de meditatione mortis, in libello precum ſcriptum eſt.

Tria igitur hoc loco circa infirmum agenda, antequam vita defungatur, quæ Curatos ſcire oportet: videlicet formam teſtamenti, leges ſervandas in ceſſione bonorum, & doctrinam bene moriendi. Poſt hæc Statuta reponemus de Sepulturis. Nam de forma adminiſtrandi Sacramenti Pœnitentiæ infirmo, & Sacræ Euchariſtiæ, atque Unctionis extremæ, omnia ſuis locis deſcripta invenies.

DE JUDICIO EXTREMO.

DE Judicio extremo [quod alterum noviſſimorum eſt] ita loquitur Dominus Matth. 16. Filius hominis venturus eſt in gloria Patris ſui cum Angelis ſuis. Tunc reddet unicuique ſecundum opera ejus. Et Apoſtolus 2. Cor. 5. Omnes nos manifeſtari opor-

(*t*) Auguſt. in libr. 1. c. 9. de ſermone Domini in monte. (*u*) Rom. 8. Jacob. 1.
(*x*) Plat. de anima.

oportet ante tribunal Chriſti, ut referat unusquisque propria corporis prout geſſit, ſive bonum, ſive malum. Et 14. Omnes ſtabimus ante tribunal Chriſti. Itaque unusquisque noſtrum pro ſe rationem reddet Deo.

Sed notandum, quod in Scripturis Sacris duplex invenitur adventus Domini, & duplex etiam Judicium. Unus adventus eſt, cum ſalutis noſtræ cauſa carnem aſſumpſit. Alter erit in conſummatione ſæculi, quando ad judicandum homines veniet. Hic adventus dicitur: Dies Domini. Qui quidem dies ut impiis & iniquis horrendus erit, ſic Sanctis optabilis, expectantibus beatam ſpem & adventum gloriæ magni Dei, qui reformabit corpus humilitatis noſtræ configuratum corpori claritatis ſuæ. Sed duo tempora ſunt, in quibus unumquemque noſtrum neceſſe eſt in conſpectum Domini venire, & ſingularum tam cogitationum, quam operum & verborum rationem reddere, & Judicis ſententiam ſubire. Unum eſt, cum unusquisque migrat e vita. Mox enim ſiſtitur ad Dei tribunal, ubi de omnibus, quæ geſſit, quæſtio juſtiſſima habetur. Hoc privatum judicium vocatur. Alterum eſt generale & extremum, quod in fine ſæculorum de omnibus fiet hominibus, ut omnes intelligant Dei ſummam juſtitiam & æquitatem, & cauſas cognoſcant, quarum ignoratione multi, de Dei juſtitia hæſitant, videntes bonis aliquando male, malis autem bene eſſe. Sunt multa delicta, quorum autores fuiſſe jam vita defunctos non debet impune eſſe, ut hæreſes, & alia, quæ poſt mortem inventorum non ſtatim adimpleri ſolent. De hoc extremo judicio Pſal. 95. Eſa. 3. Daniel. 12. Paulus Timot. 4. & Chriſtus Matth. 25. abunde loquutus eſt.

Quis Judex.

CHriſto Domino non ſolum ut Deo, ſed etiam ut homini, hoc judicium datum eſſe Sacræ Literæ declarant. Quamvis enim judicandi poteſtas omnibus Sanctæ Trinitatis perſonis communis ſit; præcipue tamen Filio tribuimus, cui & ſapientiam convenire profitemur. Quod autem ut homo mundum judicaturus ſit, docet Joan. 5. Sicut, inquit, habet vitam in ſemetipſo, & poteſtatem dedit ei, judicium facere, quia Filius hominis eſt. Et æquum eſt, ut Judicem oculis videant judicandi, & audire auribus poſſint, & ut, quem iniqui opprobriis afficerunt, judicantem cum Majeſtate agnoſcant. Quia ipſe eſt, qui conſtitutus eſt a Deo Judex vivorum & mortuorum. Tunc erit Judex cauſæ tuæ, qui nunc eſt teſtis vitæ tuæ.

Qui judicandi.

DUæ ſunt differentiæ, vel ordines hominum in hoc extremo judicio, ſcilicet electorum & reproborum. (y) Qui tamen in quatuor dividuntur. Nam perfectorum ordo unus cum Domino judicabit: alius judicabitur: ſed uterque regnabit poſtea cum Chriſto. Ordines quoque reproborum duo erunt. Nam qui in Eccleſia nunc ſunt mali, judicandi venient & damnandi: qui vero extra Eccleſiam reperti fuerint obiiſſe, non judicandi erunt, ſed ſolum damnandi. Ergo qui nunc nequiter opprimuntur, (inquit B. Greg.) tunc ſuper oppreſſores ſuos Judices erunt. Judicium pauperibus tribuit Job. Et Matth. 19. Amen dico vobis, quod vos, qui reliquiſtis omnia, & ſequuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in Sede Majeſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, judicantes duodecim tribus Iſrael. Judicandi autem & damnandi ex altera parte venient illi, quibus dicetur a Domino: Eſurivi, & non dediſtis mihi manducare; ſitivi &c. Qui peribunt non judicandi, ſunt illi, de quibus Propheta ait: Non reſurgunt impii in judicio: & de quibus Dominus, Qui autem non credit, jam judicatus eſt: & Paulus, Qui ſine lege peccaverunt, ſine lege peribunt. Itaque reſurgent omnes infideles, ſed ad tormentum, non ad judicium. Profeſſionem vero fidei retinentes, ſed profeſſionis opera non habentes, redarguentur & peribunt. Qui denique nec fidei Sacramenta tenuerunt, increpationem Judicis in extrema examinatione non audient: quia præjudicati infidelitatis ſuæ tenebris, ejus, quem deſpexerunt, redargutionem non merentur.

Tempus judicii extremi.

QUando futurum ſit, omnino ignoratur. Sic enim ait (z) Dominus: De die autem illo nemo ſcit, neque Angeli, ſed Pater ſolus. D. Auguſtinus (a) ait: Fruſtra annos, qui huic ſæculo remanent, computare ac definire conemur, cum hoc ſcire non eſſe noſtrum, ex ore veritatis audiamus: quos tamen alii quadringentos, alii quingentos, & alii etiam mille ab Aſcenſu Domini ad ejus ultimum adventum compleri poſſe dixerunt. Sed conjecturis utuntur humanis: non ab eis certum aliquid de Scripturæ Canonicæ veritate profertur. Hæc Auguſt. Quæ omnia vir eruditiſſimus non ſine cauſa attu-

(y) Iſidor. lib. 1. c. 30. de ſummo bono.
(a) Civit. lib. 18.
(z) Matth. 25. 24.

Digitized by Google

attulit: nam antiqui illi Patres & Scriptores Eccleſiaſtici, ut Tertullianus, Lactantius, Irenæus &c. inſtare ſuo tempore omnes putabant diem judicii. Quod Irenæus libr. 5. multis probare nitebatur. Cum enim mundum ſex diebus creatum ſciret, & mille anni ſint in conſpectu Dei (*b*) ſicut dies unus: horam pro quingentis annis ſumendam exiſtimabat. Methodius, Euſebius, Beda, & alii idem ſenſerunt.

Fabuloſi quoque Judæi ex libro ſuo Seder olam 6000. dant durationi mundi. Cumque anno Chriſti nuper elapſo 1502. a fabulis ſuis faſcinati, omnes cujuscunque ætatis & ſexus jejuniis afflixiſſent, ludibrio omnibus gentibus fuere: quia nihil eorum accidit, quæ ſperabant.

Has Judæorum fabulas Germani quidam Semijudæi pro Prophetia Eliæ acceperunt. Et ignorantes earum, non Eliam Thesbitem Prophetam, ſed Thalmudicum authorem eſſe: durationi mundi ſex millia tribuunt, ſic diſtincta, ut legis naturæ fuerint duo millia, Moſaicæ alia duo, & Chriſti alia duo. Aſtrologi quidam ſeptem millia ex motu parvi circuli octavæ Sphæræ conjectant: ſicut alii multo majorem numerum. Alii rurſum magis myſtice philoſophantes, a nativitate Chriſti ad mundi finem numerant 1700. annos, ſicut a creatione ajunt ad diluvium 34. Jubilæa enumerantur ex Philone, ut ſicut per aquam fuit olim iniquitas mortalium in 34. Jubilæo poſt primum Adam: ita delebitur per ignem trigeſimo quarto Jubilæo poſt ſecundum Adam. Nam Chriſtus, inquiunt, de die judicii loquens, remittit ad Danielem Prophetam: Daniel autem c. 12. prædicit maledictionem ultimam poſt dies 1335. ab egreſſu verbi. Ait enim: Et a tempore cum ablatum fuerit juge ſacrificium, & poſita fuerit abominatio in deſolationem, dies mille ducenti nonaginta. Beatus, qui expectat & pervenit ad uſque dies mille trecentos triginta quinque. Dies iſti (ut putant) pro annis ſumpti eam faciunt ſummam annorum.

Sed fruſtra torquentur omnes, qui hæc inveſtigare hactenus conati ſunt, & in errores plurimos inciderunt: quia, quod ſciri nefas eſt, inquirere tentarunt. Deus enim in ſua hæc poſuit poteſtate: & Danieli dictum eſt: Vade Daniel, quia clauſi ſunt, ſignatique ſermones uſque ad præfinitum tempus. Ideo præſtat nos ſemper paratos exhibere, ut ſemper vigilemus: quam ad tempus aliquod, tanquam certum, reſpicientes, cum aliis multis inſanire. Hoc ignorari voluit Deus, ut ſemper parati eſſemus. Nec ſi dicatur cito venturus dies judicii, ideo falſum putemus, ſi non cito videatur venire: quoniam ſi ad æternitatem reſpiciamus, mox erit, quandocunque erit.

Tamen ante judicium generale hæc tria inter alia præcipue veniunt notanda: prædicatio Evangelii per univerſum mundum: diſceſſio (id eſt, apoſtaſia) ab Eccleſia, vel ab Imperio Romano, & Antichriſtus. Per fidei prædicationem convertentur Iſraelitæ in fine ſæculi. De Antichriſto, & Apoſtaſia dicit Apoſt. 2. Timoth. 2. Niſi venerit diſceſſio primum, & revelatus fuerit homo peccati, filius perditionis, qui adverſatur & extollitur ſupra id, quod dicitur Deus: cujus adventus ſecundum operationem Satanæ in omnibus ſignis, &c. Et Matth. 24. Ego veni in nomine Patris mei, & non recepiſtis me: Venier alius in nomine ſuo, & illum recipietis. De origine autem Antichriſti, & aliis rebus ejus contrariis omnino Chriſto, Damaſcenus lib. 4. c. 27.

Venient & Elias Thesbites, & Enoch: quos, ut Theologi contemplatores ajunt, occidet Antichriſtus. Sed ipſe occidetur ſpiritu oris Chriſti. Fiet ſeparatio bonorum a malis, tanquam agnorum ab hœdis: & orbis univerſi conflagratio. Nam elementorum qualitates, quæ corporibus noſtris corruptibilibus congruebant, ardendo penitus interibunt: atque ipſa ſubſtantia eas qualitates habebit, quæ corporibus immortalibus convenient. Ante omnia hæc, fides multorum deficiet, ut docet Chriſtus. Luc. 18. Matth. 24. & Paul. 1. Timoth. 4. Magna erit bellorum commotio. Matth. 24. Marc. 13. Luc. 21. Tertio fames: Quarto peſtis: Quinto terræ motus. Hæc oportet fieri, ſed non ſtatim finis. Erunt enim etiam ſigna in Sole, & Luna, & Stellis: & ignis denique conflagratio.

Quo loco.

JOelis 3. Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Joſaphat, & diſceptabo cum eis, &c. Infra, Conſurgant & aſcendant gentes in vallem Joſaphat: quia ibi ſedebo, ut judicem omnes gentes in circuitu. Ex his verbis locum judicio extremo putarunt deſignatum in Judæa. Sed ſicut tempus nemo novit, niſi Deus, ſic neque locum quis temere definire debet. Nam & dictio Hæbraica Joſaphat, ſonat, Judicium Domini: & inferius eodem capite dicitur: Juxta eſt dies Domini in valle conciſionis Heb.

Quale

(*b*) Pſal. 89.

Quale & quomodo fiet Judicium.

SOphoniæ 1. Juxta eſt dies Domini magnus, juxta eſt, & velox nimis. Vox diei Domini amara : tribulabitur ibi fortis. Dies iræ, dies illa tribulationis & anguſtiæ, dies calamitatis & miſeriæ, dies tenebrarum & caliginis, dies nebulæ & turbinis, dies tubæ & clangoris. Et Dominus apud Matthæum : Cum venerit Filius hominis, &c. (c)

Notanda ſunt ergo quatuor judicii generalis myſteria. Primum eſt trina citatio: ſed bina jam præceſſit. Per Prophetas enim vocavit Proverb. 11. Vocavi, & renuiſtis. Deinde per Apoſtolos Luc. 14. Miſit ſervos ſuos hora cœnæ. Tertia erit, in voce tubæ peremptoria : de qua B. Hieronymus dicebat: Sive comedam, ſive bibam, ſive quid aliud faciam, ſemper inſonare videtur auribus meis illa terribilis tuba, & verba, Surgite mortui, venite ad judicium. Secundum myſterium eſt ſeparatio, quæ fiet tanquam ovium ab hœdis, bonorum a malis. Tertium, examinatio & diſcuſſio omnium actionum ſingulorum. Ultimum, retributio pro meritis ſingulorum.

In die Judicii extremi nihil, niſi opera noſtra bona juvabunt: Futurum eſt enim, ut unusquisque noſtrum & actus ſuos, & cogitationes ante tribunal Judicis tremendi afferat. Contremiſcit cor, & renes mei reſolvuntur, quoties cogito revelandas eſſe cogitationes meas, & ſermones atque actiones meas in illo die. Sicut arbores fructiferæ primo fructum concipiunt intra ſe, poſtea proferunt extrinſecus ſecundum propriam cujusque naturam & folia & fructus : ſic in die illa terribili omnes homines quæcunque bona vel mala geſſerunt in hoc ſæculo occulte, ibi quaſi fructus proprios ante Tribunal Domini proferent. Juſti quidem bonos & jucundos : Sancti ſimiliter ſuaviſſimos, & omnibus gratiarum floribus ornatos : Martyres vero ſuppliciorum & pœnarum fructus patientiæ glorioſos: Monachi autem ſanctæ converſationis ſuæ, id eſt, continentiæ, humilitatis, vigiliarum, orationum, & obedientiæ immarceſſibiles fructus. Peccatores vero impii ac prophani proferent turpiſſimos & execrandos, cum confuſione, & ululatu, & luctu. Tremendum eſt judicium, in quo ſine teſtibus omnia manifeſta erunt. Ibi aſſiſtent millia millium Angelorum & Archangelorum: ibi juſtorum chori Patriarcharum, Prophetarum, Apoſtolorum, Martyrum, Virginum, & omnium omnino agmina Sanctorum. Beatus homo, qui invenerit fiduciam in illa hora, & qui audierit vocem illam : Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi. Apparebit Crux lucidiſſima in cœlo adventum Chriſti ſignificans ad judicium, quæ inimicos quidem Crucis terrore & confuſione replebit, fideles autem gaudio atque lætitia. Accedent tubæ, quarum ſonitu terribili, omnes, qui in monumentis ſunt, excitabuntur. Cœleſtis juſſu Regis terra mortuos ſuos reddet : mare itidem. Quicquid humanorum corporum vel beſtia rapuit, vel piſcis voravit, vel avis diſcerpſit, in ſtatum ſuum priſtinum remeabit. Omnes in ictu oculi reſurgent, & ante tribunal ſiſtentur. Qui ſtatus erit mentis miſeris, [fratres] cum viderint igneum fluvium ab ortu Solis ad occaſum, procumbentes montes & culmina devorantem, omniaque, quæ in terris ſunt, conſumentem? cum ſidera de cœlo cadent, cum Sol & Luna deficient & in ſanguinem vertentur? cum cœlum ſicut liber aliquis complicabitur? cum viderint Angelos huc atque illuc curſitantes cum feſtinatione, & electos Dei ex quatuor angulis mundi congregantes? Cum viderint ſonum ſublime Judicis terribilis & ſeveri? cum viderint aperiri libros illos, in quibus deſcripta ſunt cujusque hominis facta, verba, atque cogitationes? O quantus erit gemitus, quam miſerabiles lacrymæ, cum oculis noſtris videbimus hinc cœlorum regnum, illinc æterna inferni ſupplicia. Tunc ſeparabuntur boni a malis, ſicut oves ab hœdis, Epiſcopi ab Epiſcopis, Presbyteri ab aliis Presbyteris, uxor a marito. Ingemiſcent Principes & Reges, nudi & miſeri diſcurrent: namque opes & majeſtas nulla illic Principum movebit Judicem æternum. Quæ in corpore exiſtentes geſſerint bona vel mala, recipient. Dicet enim Dominus: Ego te, o homo, de limo terræ manibus meis formavi: ego animi & corporis bonis ornavi: pro te paſſus ſum : irridentium palmas & ſputa ſuſcepi: acetum cum felle bibi : flagellis cæſus ſum, ſpinis coronatus, cruci affixus, vulnere perfoſſus : ut tu eripereris morti, animam in tormentis dimiſi. En clavorum veſtigia, quibus affixus pependi. En perfoſſum vulneribus latus. Suſcepi dolores tuos, ut gloriam tibi darem. Cur quod pro te pertuli, perdidiſti? Cur ingrate redemptionis tuæ munera renuiſti? Et quia ad medicamenta pœnitentiæ confugere noluiſti, ab audiru malo non mereberis liberari : Ite maledicti in ignem æternum, &c.

Ut ergo hæc tam dura & tam terribilia ante illud tribunal æterni Judicis audire non merea-

(c) Jerem. 20. Joel. 2. Amos 4. Matth. 25.

mereamur, dum adhuc licet, & cum Dei adjutorio in poteſtate noſtra eſt, conſideremus conſcientias noſtras, & ſi aliqua crimina, vel peccata capitalia, nec dum eleemoſynis vel orationibus purgata, nobis adhuc dominari cognoſcimus: portum pœnitentiæ, devictis peccatorum fluctibus, Chriſto juvante, intrare feſtinemus. An ignoras, eos, qui Judicem mitigare volunt, non ipſo in examine cauſæ, ſed priusquam judicii ingrediatur locum, benevolum ſibi faciunt? Ergo præoccupemus faciem ejus, & dicamus: Ne intres in judicium cum ſervo tuo, Domine, quia non juſtificabitur in conſpectu tuo omnis vivens. Si juſtus vix ſalvabitur, impius & peccator ubi apparebunt?

STATUTUM I.

PRohibemus prognoſticationes de die judicii extremi, quas ad dementandos homines, falſi ſæpe Prophetæ ex Sacris Literis, in ſuum ſenſum detortis, vel ex motuum cœleſtium calculatione, neſcio, qua comminiſcuntur.

DE INFERNO, ET POENA Damnatorum.

SI eſſe Sanctorum animas in cœlo credimus, oportet omnino, credamus & iniquorum animas eſſe in inferno: quia ex retributione æternæ juſtitiæ, ex qua juſti gloriantur, neceſſe eſt, ut & injuſti crucientur. Ideo Matth. 23. Chriſtus monet nos extremi judicii, quando dicetur iis, qui a ſiniſtris erunt: Diſcedite a me maledicti in ignem æternum, qui paratus eſt diabolo & angelis ejus. Et ibunt hi in ſupplicium æternum: juſti autem in vitam æternam.

Inferorum locus creditur eſſe ſub terra, ſecundum illud Eſaiæ 41.: Infernus ſubter conturbatus eſt in occurſum adventus ejus. Et c. 7. Pete tibi ſignum a Domino in profundum inferni, vel in excelſum ſupra. Quanquam omnis locus reprobis eſt pœnalis, qui ſemper ſecum deferunt cruciatum, & ubique contra ſe tormentum incurrunt. Hieronym. ſuper illud Matth. 12. Sicut fuit Jonas in ventre ceti, &c. dicit infernum eſſe in medio terræ, ſicut cor eſt in medio animalis. Quare ſentiunt pii Doctores, terram in medio ſui cavam eſſe, ibique habere plura receptacula: præſertim vero quatuor. Unum intra alia, qui damnatorum locus ſit. Alterum, puerorum limbum, qui ſine Baptiſmate vel circumciſione deceſſerunt: quem ideo limbum vocarunt, quod inſtar limbi planiſperii ambiat pœnarum locum. Tertium, Purgatorii. Quartum, Patrum veteris teſtamenti, quem Chriſtus poſt mortem ſuam evacuavit.

De pœnis autem inferni ex rerum corporalium, quas videmus in hoc mundo comparatione & ſimilitudine Sancti Doctores multa tradidere: ut horrore intolerabilis ſupplicii nos a peccatis & impietate revocarent. Sed putandum minora profecto eſſe, quæ dicuntur omnia, quam res ipſa habeat, cum & Sacræ Literæ ſupra terribilia omnia eas exaggerarint. Auguſt. (*d*) Hujus pœnæ & ignis illius potentiam nulla vox exponere, nullus poterit ſermo explicare. Nihil eſt enim in rebus corruptibilibus, quod conferri poſſit incorruptibilibus, ſive bonis, ſive malis.

Idem tamen duo principalia dicit eſſe tormenta in inferno: frigus intolerabile, & calorem ignis inextinguibilem. Unde in Evangelio dicitur: Illic erit fletus & ſtridor dentium. Et Job. 24. De aquis nivium tranſibunt in calorem nimium. Innocentius III. in lib. De contemptu mundi: Prima pœna, inquit, eſt ignis: ſecunda frigoris. De eo dixit Dominus: Ibi erit fletus & ſtridor dentium, propter frigus. Tertia erit fœtor. De his tribus dicitur in Pſalmo, [*e*] Ignis, ſulphur & Spiritus procellarum, pars calicis eorum. Quarta, vermes indeficientes. Unde Eſaias, (*f*) Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Quinta, mallei percutientes. Unde (*g*) Salomon: Parata ſunt damnationis judicia blaſphematoribus, & percutientes mallei ſtultorum corporibus. Sexta, tenebræ palpabiles exteriores & interiores. Unde (*b*) Job: Terra miſeriæ & tenebrarum: ubi umbra mortis, &c. Vadam ad terram tenebroſam & opertam mortis caligine. Septima confuſio peccatorum. Tunc enim (ut legitur in Daniele) libri aperti: id eſt, conſcientiæ hominum erunt omnibus manifeſtæ. Octava, horribilis viſio dæmonum. Nona, igneæ catenæ, quibus impii conſtringentur. Singula enim membra pro ſuis peccatis ſuſtinebunt ſua tormenta: ut in eo puniantur, in quo peccaverunt. Scriptum eſt enim: Per quæ peccat homo, per ea puniatur. Nec erit æqualis omnium pœna: ſed ſicut ſunt pecca-

(*d*) Serm. de temp. 181. (*e*) Pſal. 10. (*f*) Eſai. ult. (*g*) Prover. 19.
(*b*) Job. 10.

peccatorum differentiæ, ſic erunt & cruciatuum. Aliter cruciatur adulter, aliter fornicator, aliter homicida, aliter fur, aliter ebrioſus, aliter mendax, aliter perjurus, aliter hæreticus, aliter apoſtata. Unus eſt gehennæ ignis, ait Gregorius, ſed non uno modo cruciat peccatores. Uniuscujusque, quantum exigit culpa, tantum illic ſentitur pœna. Ut ergo in ſumma dicamus, triplici pœna puniuntur damnati in inferno, etiam ante judicium extremum: prima dicitur pœna damni, quia privantur viſione Dei beatifica. Secunda ſenſus, quia licet animæ illic ſenſus corporeos non habeant, ſentiunt tamen ab igne impreſſionem qualitatis cujusdam afflictivæ ſecundum qualitatem peccati. Tertia dicitur vermis, quem remorſum conſcientiæ vocamus. Vexantur enim damnati aſſiduo illo tortore conſcientiæ, pœnitentes, ſed fruſtra, quod ita ſe a Deo averterint in vita ſua, & ad malum converterint, nec de peccato pœnitentiam, cum poterant, egerint. Poſt judicium autem univerſale, quando corpora receperint, multo majore cruciatu afficientur: quia in ſingulis ſenſibus corporeis patientur. Nec tamen deficient. Ignis enim inextinguibilis erit: quia non ipſe extinguetur, nec eos, quos ſuſcipiet, extinguet, aut perimet: talis a Deo creatus ab origine mundi, qui nec lignis alitur, nec flatu indiget, ut ſuccendatur. Scriptum eſt enim: (*i*) Devorabit eum ignis, qui non ſuccenditur. Ardebit autem, & non lucebit ultrix flamma illa vitiorum, inquit B. Gregorius: Concremationem habet, & lumen non habet. Hinc eſt enim, quod Veritas dicit: Diſcedite maledicti in ignem æternum. [*k*] Et: Ligate ejus manus, & projicite in tenebras exteriores. Quanquam, ut ſentit Iſidorus, eatenus lucere poterit, ut oſtendat impiis, unde doleant, non unde gaudeant.

Sed quæras adhuc, qui fieri poteſt, ut rem incorpoream ignis corporeus teneat? Reſpondet idem Gregorius: (*l*) Si viventis hominis tenetur in corpore incorporeus ſpiritus: cur non poſt mortem corporeo igne teneatur? Et ſi ſpiritus malus, qui incorporeus eſt, ab igne torquendus reſervatur, cur non & anima?

De pœna autem dæmonum ſic Theologi tradunt. Quod in ſupplicio ſemper ſunt: nec ſi poſt judicium majori pœna eſſentiali punientur, accidentali tamen graviore non torquebuntur: eo quod omnes, qui modo ſunt in aere caliginoſo, & aliis locis, ubi hominum genus vexant, poſt judicium detrudentur in tartarum in perpetuum, quod graviſſimum erit eis, propterea quod non licebit eis nocere amplius hominibus. Hoc enim, ut videtur ex cap. 8. Matth. maxime torquet eos. Clamabant enim: Fili David, quid tibi & nobis? Veniſti ante tempus (ſcilicet judicii) torquere nos: cum aliud ſupplicium de illis non ſumeret Dominus, quam quod impediebat energiam eorum. Erunt tamen executores judicii extremi, ſicut interpretatur Hieronymus illud Matth. 13. Exibunt Angeli (hoc eſt, dæmones executores) & ſeparabunt malos de medio juſtorum. Juſtum eſt enim, ut cum homines peccatores ipſi ſe dæmonibus ſubdiderint peccando, ſubjiciantur etiam eisdem in pœnis peccatorum.

Apud inferos ponitur limbus puerorum, qui ſine Baptismate (ut diximus) decedunt. Sed pœna horum eſt tantum pœna damni; quod viſione Dei beata privantur. Senſus nulla pœna torquentur: propterea quod actu propriæ voluntatis caruerunt. Fruentur quidem (ut quidam volunt) contemplatione rerum naturalium, ſed procul a regno Dei, & hæreditate Chriſti.

Purgatorium quoque dicitur infernus, cum canit Eccleſia: Libera animas fidelium defunctorum a pœnis inferni, & de profundo lacu. Sicut etiam limbus Patrum, ad quem Chriſtus deſcendit, dicitur infernus, vel inferi: ut articulo fidei confitemur deſcendiſſe eum ad inferos.

Probant autem Theologi purgatorium eſſe, primum univerſalis Eccleſiæ conſenſu, deinde hac ratione: Cum contingat aliquando exiſtentem in gratia Dei, defungi vita, non ſoluta pœna temporali peccatis antea commiſſis debita: neceſſe eſt locum vel tempus reſtare, ut ſatisfaciat, antequam ingrediatur civitatem ſanctam Hieruſalem: in qua nihil intrare poteſt coinquinatum. Alias enim injuria fieret Divinæ juſtitiæ: vel enim maneret peccatum impunitum, vel exiſtens in gratia Dei ſine novo peccato excluderetur a regno Dei. Hæc eſt Eccleſiæ Catholicæ doctrina multum pia & utilis populo Chriſtiano: quam poſt alia Concilia, Oecumenicum Tridentinum confirmavit. Nam & Sacræ Literæ eam probant & Doctores Sancti. Malach. 3. Ecce venit, (in hora mortis ſcilicet) & quis ſtabit ad videndum eum? Ipſe enim quaſi ignis conflans, & quaſi herba fullonum: & ſedebit conflans & mundans argentum, & purgabit filios Levi. 2. Maccab. 12. Sancta & ſalubris eſt, &c. Matth. 12. Verbum, quod quis dixerit contra Spiritum Sanctum, non remittitur nec in hoc ſæculo, nec in alio. 1. Pet. 3. In quo iis, qui in carcere erant, Spiritu veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquando, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noe. Non enim

(*i*) Job. 20. (*k*) Matth. 25. (*l*) Greg. lib. 4. dialo.

enim de damnatis hoc dicitur: ad eos enim non descendit Christus. Nec de sinu Abrahæ: quia non increduli fuerunt. Ergo de purgatorio. Apocal. 5. Joannes vidit subtus terram animas benedicentes Deum. Quod non potest de damnatis intelligi, quia superbia eorum ascendit semper: neque de Patriarchis, quia non erant amplius tunc sub terra: neque de pueris, quia non cognoscunt Christum. Ergo de iis, qui sunt in purgatorio. Paulus ad Corinth. Fundamentum aliud nemo potest ponere, quam quod positum est, quod est Christus JEsus, &c. Sequitur, Uniuscujusque opus quale sit ignis probabit, &c. Si cujus opus arserit, detrimentum patietur: ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem. Hæc verba Pauli licet principaliter de doctrina fidei intelligantur: Hieronymus tamen contra Jovinianum, (*m*) aurum & argentum & lapides pretiosos ad bona opera: lignum & stipulam ad mala refert. Et Theodoretus in eum locum inquit: Hunc ignem credimus esse purgatorium, in quo animæ tanquam aurum in conflatorio purgantur. August. in sermone de Sanctis loquens de peccatis venialibus: Quicquid de istis peccatis a nobis redemptum non fuerit, illo igne purgandum est, de quo inquit Apostolus: Quia in igne purgabitur. Ambrosius in hunc locum: Ideo autem dixit, sic tamen quasi per ignem, ut salus hæc non sine pœna sit. Ostendit salvum quidem illum futurum, sed pœnas ignis passurum, ut per ignem purgatus fiat salvus: & non sicut perfidi æterno igne in perpetuum torqueantur. Locum Zachariæ, c. 9. Basilius de purgatorio interpretatur, ubi dicitur: Eduxisti eos de lacu, in quo non erat aqua. Nec prodest negantibus purgatorium, quod Apocal. 14. dicitur: Beatos esse, qui in Domino moriuntur, quod requiescant a laboribus: requiescent enim aliquando. Nec argumentum valet: Omnes nos manifestari oportet, &c. Ergo si liberarentur orationibus vivorum, locus esset merito. Nam August. eos meruisse ait, ut precibus vivorum juvarentur, quod intellige, quando a Sacerdotibus absolutionem petierunt: ut infertur ex Dionysio.

Falsum est, quod hæretici, ut suum errorem tueantur, ajunt, D. Augustinum dubitasse, an esset purgatorium: id nusquam inveniant, nisi in suis fortasse falsis indicibus. Nam Augustinus (*n*) passim docet in suis libris, rem serio tractans, aliam sententiam. Falsum quoque, quod ajunt, Græcos negare purgatorium. Non negant Græci purgatorium: sed per ignem fieri, & ignem esse, quo animæ in purgatorio affligantur: hoc contra Latinos negant aliqui ex eis, sicut elici potest ex actis Conc. Florentini. Et Ugo quidem de S. Victore nullum admittit locum determinatum esse purgationi animarum: sed esse probabilius, ait, ut in iis potissimum locis pœnas sustineant illæ animæ, in quibus culpam commisere: sicut multis id documentis probatum esse ait. Et Gregorius in 4. Dialogorum scribit de Paschasio Cardinali, quod in thermis pœnas purgatorii sustineret. Sed Ricardus de media Villa hanc difficultatem sic componit, quod de lege communi, animæ fidelium in gratia Dei defunctorum, pro peccatis venialibus, & etiam pro illis mortalibus, quorum sufficientem pœnitentiam non egerunt, in loco ad hoc deputato pœnas luunt: licet ex aliquibus causis specialibus, alii alibi purgentur, ut viventibus aliquid nuncient, vel ut suffragia pro se impetrent: & ut patiendo, ubi peccaverunt, Dei justitiam sensibiliter manifestent. Vide Petrum de Palude, 4. d. 21. q. 1. & Bonaventuram 4. d. 20. ar. 1. q. 2.

Sed hæc forte, ut curiosa nimis sciri licet a Curato, non omnia expedit exponi populo. Illud curæ erit, quicquid ad ædificationem facit: quibus rationibus charitas augeatur erga fideles defunctos: quibus pœnarum, præmiorumque fides fiat simpliciter: quibus resurrectionis omnium spes confirmetur. Hæc sunt nostri muneris. Quæstiones autem nondum ab Ecclesia decisas, devita.

DE INCOMPREHENSIBILI gloria beatitudinis æternæ.

PErfecta beatitudo [*o*] in eo sita est, ut post hoc exilium, in Dei gloriam translati & assumpti, Deum clare videamus, amemus, ac æterna fruitione possideamus. Etenim supra omnia Deus ipse essentiale præmium est: quod ubi nacti erimus ac possederimus, tunc omnia summo ac excellentissimo modo perfecta & consummata erunt. Tunc Deum in perenni charitate cognoscemus, & intima cum delectatione amabimus, & sine ulla defatigatione laudes, gratiasque ei semper agemus. Singuli autem Sancti speciale suum habebunt præmium pro dignitate & sanctitate sua. Quiliber de aliorum beatitudine perinde, ut de propria, gaudebit ac gratulabitur. Erit autem in illa beata vita omnimoda

(*m*) Lib. 1. (*n*) Tom. 2. fol. 110. Tomo 4. de cura pro mor. c. 1. & q. 11. Ad dulci. Tom. 10. de verb. Apo. 34. Lib. 2. de Sacramentis. par. 15. c. 7. 4. Sent. d. 21. art. 1. q. 3. (*o*) Ex Joanne Rusbochio.

ſapientia, omnimoda poteſtas: quandoquidem Reges erimus & filii Dei, & quicquid libuerit, faciemus. Erit omnigena opulentia, eaque longe ultra, quam capere poſſumus, abundabit. Ad hæc erit pulchritudo ſempiterna & immarceſſibilis: Itemque æterna & imperturbabilis pax. Denique erit ibidem omnium affluentia divitiarum, omnigenarum influxus delitiarum, omnis boni acceſſus, atque florida juventus omnis expers mortalitatis. Nihil ibi erit, quod quemquam male habere, aut moleſtia afficere queat: abundabit autem, quicquid poſſit adferre lætitiam. Atque iſtud gaudium, iſta beatitudo, tam multiplex erit, ut nec enumerari, nec menſura comprehendi, nec cogitari, nec verbis exprimi, nec ulla demum ratione ſatis oſtendi queat. Major eſt enim & cumulatior, quam vel ſpe, vel deſiderio, vel cunctis ſimul viribus noſtris capere queamus. Enimvero Deus ipſe incomprehenſibilis, & immenſus noſtrum vult eſſe præmium, noſtrum gaudium. Contuebimur Divinæ ſapientiæ ſpeculum, in quo quicquid unquam factum eſt, quod nos exhilarare queat, relucebit. Contemplabimur corporalem, glorioſamque faciem ipſius Domini JEſu, & ejus gratiſſimam vocem audiemus, unde cor, omnesque ſenſus noſtri illius gloria complebuntur: atque ita præ gaudio & amore nos in eum, & ipſe in nos colliqueſcet. Conſpiciemus & beatiſſimam, dulciſſimamque ejus Genitricem Virginem Mariam, unaque Spiritus Angelicos, & omnes Sanctos, qui nobiscum perenni Deum laude, atque amore proſequentur. Præclariſſimus Sancti Spiritus odor nos penetrabit, omni balſamo & quibuscunque aromatibus longe ſuavior: qui etiam nos extra nosipſos in æternam Dei trahet & rapiet charitatem. Guſtabimus ſempiternam bonitatem Dei omni melle dulciorem, eaque paſcemur ac cibabimur, & ejus perpetua fame ac ſiti tenebimur: ſicque fiet, ut perennem eſuriem etiam perpetua cibatio comitetur, ſemperque renovetur; quæ eſt vita æterna. Amore comprehendemus, & ab amore comprehendemur, denique poſſidebimus, & viciſſim a Deo poſſidebimur in unitate, Deoque perfruemur: & illi uniti in beatitudine quieſcemus. Quæ quidem fruitio & quies in ſupereſſentiali Divinitatis ſubſtantia, altiſſimum beatitudinis fundum eſt: ſiquidem hic ſupra famem in ſatietatem abſorbebimur.

Atque hæc quidem hactenus ex pio quodam viro.

Supereſt, ut pauca ſolita methodo tradamus: præterea, quæ ſupra de octo beatitudinibus, quibus loca Scripturæ Sanctæ de hac re interpretando, populum poſſint in ſana Eccleſiæ doctrina Paſtores inſtituere. Beatitudo ſumitur aliquando pro via & diſpoſitione ad beatitudinem, ut: Beati pauperes ſpiritu, &c. Beatus vir, qui non abiit in concilio impiorum. Et fides hoc modo dicitur aliquando vita æterna. Joan. 3. Qui credit in Filium, habet vitam æternam, & (juxta interpretationem Cyrilli & Hilarii) Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti JEſum Chriſtum. Alio modo proprie, ut: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Beatitudinem definit Boetius, ſtatum omnium bonorum aggregatione perfectum. Ambroſius, Claram notitiam cum laude. Auguſtinus lib. 1. de Trinitate dicit, contemplationem præmitti, quæ actionum omnium finis eſt, atque æterna perfectio gaudiorum.

Ex his dicimus, Sanctorum fœliciratem claram Dei viſionem eſſe cum laude. Unde duplex gloria infertur eſſentialis & accidentalis. Eſſentialis eſt viſio Divinæ eſſentiæ, qui & denarius diurnus [o] appellatur. Accidentalis in multis aliis bonis conſiſtit pro meritorum cujusque ratione. Sic eſſentialis appellatur aurea corona. Accidentalis aureola, & dotes tam animæ, quam corporis, quæ ab eſſentiali illa efflореſcunt.

Duabus autem de cauſis dicitur corona. Prima eſt dignitatis Regiæ, qua beati donantur. Et hæc eſt aurea. Altera victoriæ, qua nemo coronabitur, niſi qui legitime certaverit. Et laurea dici poteſt: quali victores in triumpho coronati incedunt. Ferunt victores quoque in manibus ſuis palmas, induti veſte candida. Ideo dicitur Apoc. 7. Poſthæc vidi turbam magnam, &c. amicti ſtolis albis: & palmæ in manibus eorum. Nec ſolum victoriæ ſignum eſt veſtis alba, ſed etiam innocentiæ, quam in Baptiſmo mundati ab omni peccato accepimus. Virginum corona (aureola appellata) gloria eſt de incorruptione corporis, atteſtante mentis integritatem. Martyrum, de victoria tormentorum pro Chriſti nomine. Prædicatorum vero, de victoria doctrinæ Catholicæ. Sic propter tres potentias animæ [concupiſcibilem ſcilicet, & iraſcibilem, & rationalem] heroice, fortiterque domitas, atque exercitas, tres coronæ propoſitæ ſunt piis hominibus. Quod ſi pro meritis dari coronas putamus, non ita ſenties, ut meritum reſpondeat generi operis, ſed radici charitatis: quoniam non ſunt condignæ paſſiones hujus mundi ad futuram gloriam, quæ revelabitur in nobis. Ideo Chriſtus ad opera charitatis ſpectans, dicet: Venite benedicti Patris mei, poſſi-

(o) Matth. 20.

tized by Google

poſſidete regnum. Eſurivi enim, & dediſtis mihi manducare, &c.

Dotes ergo gloriæ aliæ erunt corporis, aliæ animæ. Et corporis quidem ſunt quatuor: claritas, agilitas, ſubtilitas, & impaſſibilitas. De quibus loquitur Apoſtolus 1. Corinth. 15. Seminatur corpus in corruptione, ſurget in incorruptione: ſeminatur in ignobilitate, ſurget in gloria. Vide reliqua in illo cap. Et Sap. 3. Fulgebunt juſti, & tanquam ſcintillæ in arundineto diſcurrent. Si quæris, cur vocentur hæc dona gloriæ, dotes; duæ cauſæ ſunt, una, quod bona poſt reſurrectionem ornabunt nos, ſicut ornari dicimur in hac vita bonis naturæ, ut forma, viribus judicii, ac memoriæ fœlicitate. Altera, quod ſicut mulier nuptui data, quo majorem affert dotem marito, eo honoratior eſt: ita erit fidelis anima in regno cœlorum. De claritate corporum glorioſorum, præter alia loca, habes Matth. 13. Fulgebunt juſti, ſicut Sol. Eſa. 30. & 1. Cor. 15. Stella differt a ſtella in claritate: ſic & reſurrectio mortuorum. Hanc declaravit Dominus noſter Matth. 17. in Transfiguratione. De agilitate autem exemplum dedit ambulando ſuper mare, Marc. 6. De ſubtilitate, quando clauſo ſepulchro reſurrexit, & integra virginitate matris natus eſt, Luc. 2. Impaſſibilem quoque ſe docuit, quando ſe manducandum tradidit diſcipulis, Matth. 26. &c.

Dotes animæ ſunt tres, in quibus vera ſita eſt beatitudo: Cognitio Dei, dilectio, & fruitio. De cognitione dicitur 2. Cor. 13. Tunc cognoſcam, ſicut cognitus ſum. Cognoſcemus enim clare Dei naturam, ſapientiam, potentiam, bonitatem: & in eo omnia alia. Hæc Dei cognitio nos mirum in modum trahet in ejus amorem. Quare Joan. 17. dicebat Chriſtus, Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant te ſolum Deum verum. Pſal. 16. Satiabor, cum apparuerit gloria tua. Videbimus autem clare & evidenter, quæ nunc in hac vita tantum credimus, & in ænigmate cognoſcimus: veluti quomodo æternus eſt, unus in ſubſtantia, trinus in perſonis: quomodo Filius a Patre naſcitur, & Spiritus Sanctus ab utroque procedit: quomodo Divinitas immenſa cum humanitate Chriſti unita fuit. Cognoſcemus omnia, quæ lumine ſupernaturali revelabuntur nobis opera Dei, & judicia, & rerum naturalium cauſas atque effectus; de quibus anxie ſe torquent Philoſophi in hac vita. Omnia denique, quæ nunc latent, in gloria patebunt nobis: idque cum voluptate, & lætitia inenarrabili. Et cognoſcemus quidem omnia hæc in Deo, per Deum ipſum, qui lumen intellectus noſtri erit. Pſal. 35. In lumine tuo videbimus lumen, id eſt (ut interpretantur aliqui) Deum Patrem in Deo Filio, & Filium in Patre Deo, & Spiritum Sanctum in utroque. Dicit enim Apoſtolus: Tunc cognoſcam, ſicut cognitus ſum. (p) Deus autem cognoſcit nos per ſe: Sic ergo Deum cognoſcemus per Deum ipſum. Hæc eſt gloria & fœlicitas ſumma. Jere. 9. Qui gloriatur, in hoc glorietur, ſe ſcire & noſſe me. Joan. 17. Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcam te ſolum Deum, id eſt, videam, ut communiter accipitur.

Beati ergo diligunt Deum perfecta charitate, non qua nunc diligimus imperfecte. Quem cum habeant, eo fruuntur. Nam frui, aliud non eſt, quam rem amatam poſſidere, & in ipſa quieſcere. Propterea Chriſtus, cum de dilectione verba feciſſet Joan 15. ſubdit: Hæc loquutus ſum vobis, ut gaudium meum in vobis ſit, & gaudium veſtrum impleatur. Gaudium namque filii Dei eſt, Patrem ſuum amare, & ab eo mutuo amari, in quibus & amans, & amatus, & amor ipſe idem ſunt, una eſſentia, una natura, una voluntas. Sic Deum amando anima beata ad Deum trahitur, & Deum ad ſe trahit. Quia qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo: (q) quoniam Deus charitas eſt. Ergo ex dilectione hac fit beata fruitio: id eſt, delectatio & voluptas ſuaviſſima ex conjunctione intellectus noſtri & affectus omnis cum Deo. Complacebit ſibi tenerrime anima beata contemplando chariſſimi ſui Dei immenſam gloriam, admirabilem pulchritudinem, ſummam bonitatem, inexhauſtam ſapientiam, ac denique præcipuam erga ſe charitatem atque amorem. Laudabit Deum, gratias agendo, cum ſe viderit in cœtu, atque concilio Sanctorum, liberam ab eorum, qui in inferno ſunt, damnatione. Gaudebit de gloria & fœlicitate non ſolum ſua, ſed etiam aliorum omnium Beatorum. Ad quam nos perducere dignetur Dominus noſter JEſus Chriſtus, cum Patre & Spiritu Sancto regnans in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE OFFICIIS MORIENTIbus neceſſariis.

MOrti proximis omni ope ſubveniri decet. Tunc enim conſilio, ſi unquam, indigent quam maxime. Hinc enim morbi doloribus, illinc ſolicitudine eorum, quæ relinquunt in mundo, vexati, vix quæ agenda ſunt, vel pro ſalute animæ, vel pro ſuis, advertunt. Ideo dum ſenſibus ſunt integris ad

(p) 2. Cor. 13. (q) 1. Joan. 4.

ad disponendum de bonis suis, inducendi sunt ad testamenti confectionem: aut certe si alieno ære onusti sint, cedant bonis, ne excommunicati decedant ex hoc mundo. Hoc enim miseris remedium unum restat, ne contumaces erga Ecclesiam habeantur & iniqui. Post hæc, sepositis curis omnibus sæculi, ad meditandum deducantur de salute animæ, & ad suscipienda Sacramenta Pœnitentiæ, Eucharistiæ, atque Unctionis extremæ. Sed primum de Testamento agamus. Et ut idiotæ etiam rem intelligant, lingua omnia trademus vernacula.

DU TESTAMENT.

POur la validité d'un Testament nuncupatif, est requis le nombre de sept tesmoings masles & majeurs de quatorze ans, avec le Notaire, lesquels (Notaire & tesmoings) convient estre priez & requis par le Testateur: & le doit dire le Notaire en la fin de son instrument dudit testament, ainsi: Tesmoins à ce priez & requis.

Et si c'estoit en temps de peste, le Curé ou Vicaire du lieu (à faute de Notaire) pourroit recevoir ledict testament, y appellant trois tesmoins, si plus il n'en peut avoir: car en ce cas vaudroit le testament.

Aussi est il requis que le Testateur face institution d'heritiers: & qu'il nomme de sa bouche son heritier, ou ses heritiers.

Item que s'il y a enfans, un ou plusieurs, que à un chacun d'iceux soit donné & legué quelque chose à tiltre d'institution, au cas que le testateur ne les feroit (ou aucun d'eux) heritiers universel ou universels. De mesme en fera, s'il y a posthum, ou posthumes: car il en faut user comme des desia nez, pour la validité dudict testament.

Du Testament nuncupatif peut estre la forme suyvante.

AU nom de la Saincte & Indivisee Trinité du Pere, du Fils, & du Sainct Esprit, Amen. Je N. de N. laboureur (ou marchant, ou de mestier, qu'il est) considerant que par tribut de nature, convient à un chacun mourir & rendre l'esprit à son souverain Createur, pendant que de la grace je suis sain, de sens, & de pensee, combien que je sois constitué en griefue maladie du corps, desirant non decceder de ce monde en l'autre, sans avoir testé & disposé des biens, qu'il a pleu à mon souverain Createur & Redempteur me prester: Je fais mon testament & ordonnance de derriere volonté, comme s'ensuit. Premierement je rends & recommande mon ame à mon souverain Createur & Redempteur des maintenant, & quant elle sortira de mon corps, à ce que par le merite de la Saincte Passion de Jesus Christ, & par l'intercession de la benoiste & glorieuse Vierge Marie & de tous les Saincts & Saincles de Paradis, il luy plaise la recevoir en son Royaume de Paradis. Item j'eslis la sepulture de mon corps en l'Eglise, ou cimitiere dudict N. au lieu & place où sont inhumez mes Predecesseurs. Item je donne & legue à N. Hic ponuntur legata, quæ testator fieri jubet, sive pia, sive alia: & post ipsa legata dicetur: *Et au demeurant de tous & singuliers mes biens, desquels je n'ay testé ou disposé, testeray ou disposeray cy apres, je fais, nomme de ma propre bouche & institue mon heritier universel (s'il n'y a qu'un heritier) ou mes heritiers universels, chacun par egale part, & portion (s'il y en a deux ou plusieurs) moyennant qu'ils seront tenus appaiser & payer mes debts, & accomplir tout ce mien testament, duquel je nomme Executeur N. Et veux que mondict present testament s'il ne vaut par forme de & comme testament nuncupatif, vaille comme codicille, ou autrement par les meilleurs voyes, droit, forme, & maniere qu'il peut & doit mieux valoir: remettant sur ce toute rigueur du droit civil, & implorant la benignité du droit Canon. Ce fut faict & passé audict lieu de N. en la maison de moy testateur; en la chambre regardant sur N. par devant discrete personne N. Notaire de la Court dudict Seigneur Official de Besançon, & en presence de N. N. N. N. N. N. N. tesmoins à ce specialement priez & requis: le... Jour du mois de N. l'an, &c.*

STATUTUM I.

QUoniam Episcopi executores sunt omnium piarum voluntatum, ideo ne pia decedentium legata per hæredum iniquitatem maneant inutilia: cum quis facto testamento obierit, Curati moneant hæredes de publicatione testamenti. Quod si neglexerint, referent Procuratori nostro, vel Decano rurali.

De

Digitized by Google

DE CESSIONE BONORUM, aut cautione, quæ fit ab infirmis in articulo mortis.

STATUTUM I.

CUrati, ſi quos habeant Parochianos infirmos excommunicatos, qui in infirmitate volunt confiteri & abſolvi, mediante ceſſione bonorum ſuorum ad opus creditorum ſuorum, aut interveniente cautione idonea: miniſtrentur eis Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & extremæ Unctionis.

II.

Infirmus igitur, qui eſt excommunicationis ſententia innodatus a Canone, ſive a jure, ſi petat humiliter & devote abſolutionem, debet abſolvi ſub hac forma, ac præcepto, quod ſi Dominus dederit ei vitam, ſtatim, & quam cito potuerit, poſt recuperatam ſanitatem, ibit ad illum, a quo erat abſolvendus, ſuſcepturus mandatum ejus ſuper illis, pro quibus erat excommunicatus. Quod ſi non fecerit, ſtatim relabetur in priſtinam ſententiam.

III.

Infirmus excommunicatus a Judice, ſive ab homine, pro delicto ſeu debito, ſi petat humiliter & devote abſolutionem a prædicta ſententia, debet abſolvi: ita tamen, quod primo det pignora, vel cautionem idoneam, videlicet reſponſalem ſufficientem vel juratoriam, quod parebit mandatis Eccleſiæ & ſatisfaciet creditoribus, ſeu his, ad quorum inſtantiam excommunicatus erat.

IV.

Si pignora dederit infirmus, illa recipiat Sacerdos Parochialis ad manus ſuas, & fideliter deſcribat, ut de eis rationem reddere poſſit tempore debito ad opus illorum, quorum interereit: & illum abſolvat: injungendo ei (ut ſupra dictum eſt) quod ſi ſupervixerit, ſatisfaciet Eccleſiæ & ſuis creditoribus. Alioquin eo ipſo, poſtquam evaſerit mortis periculum pro illa vice, (licet infirmitas longius duraverit) in priſtinam ſententiam relapſus ſit: & pro tali relapſo habeatur & teneatur.

V.

Si infirmus cautionem (id eſt, reſponſalem) pro debito dare voluerit, Sacerdos non recipiat, niſi talis reſponſalis idoneus ſit, & potens pro ſatisfaciendo: quia alias facile eſſet illudere creditoribus.

VI.

Is, qui cautionem, ſeu reſponſalem ſe conſtituerit pro debitore infirmo excommunicato, moneatur ſub excommunicationis pœna, ut infra quindecim dies poſt deceſſum infirmi (ſi ex illa infirmitate moriatur) ſatisfaciat creditoribus, qui illum tenebant excommunicatum. Quod ſi non fecerit, elapſis dictis quindecim diebus, talis reſponſalis denuncietur excommunicatus pro debito dicti infirmi, ad inſtantiam dictorum creditorum.

VII.

Sive cautionem præſtiterit infirmus, ſive ceſſionem bonorum fecerit, repræſentetur illa in ſcriptis in forma debita per Sacerdotem Parochialem, qui illam receperit, infra quadraginta dies a die obitus dicti infirmi excommunicati, Officiali Curiæ noſtræ Biſuntinenſis, ſub pœna arbitraria, ſi negligens fuerit.

VIII.

Si infirmus, poſt cautionem, vel ceſſionem præſtitam in forma prædicta, humiliter & animo contrito petierit Sacram Euchariſtiam ſibi dari: illam recipere poterit.

IX.

Si vero infirmus uſum loquendi perdiderit, ita ut cautionem, ſeu ceſſionem prædictam præſtare non poſſit, tamen ſigna contritionis oſtendit, elevando manus junctas ad cœlum, percutiendo pectus, & alia hujusmodi ſigna contritionis faciendo, abſolvi debet a prædicta ſententia excommunicationis, & Euchariſtia Sacra ſibi dari, atque etiam ſepultura: ſed hæc, dummodo parentes, liberi, aut amici ejus, ad quos

quos bona ejus venire debent, dent pignora, fidejuſſores, aut idoneos reſponſales de ſatisfaciendo illis, ad quorum inſtantiam dictus infirmus excommunicatus erat, ſi pro tunc deceſſerit ab humanis.

X.

Si autem dictus infirmus nihil intelligat, ſed amiſerit uſum rationis: veruntamen ſi conſtet Sacerdoti, quod in eo ſigna contritionis & pœnitentiæ præceſſerint, debet abſolvi & communicari: recepta prius cautione per pignora, vel fidejuſſores, aut reſponſales idoneos de ſatisfaciendo, ut in proximo præcedenti articulo dictum eſt.

XI.

Statuta Prædeceſſorum noſtrorum Archi-Epiſcoporum Biſunt. contra ſuſtinentes ſententiam excommunicationis per annum & ultra, confirmando, &, quatenus opus eſt, innovando, prohibemus diſtricte ſub gravi pœna arbitraria eleemoſynæ noſtræ applicanda, ne excommunicati, qui per annum continuum & ultra ſententiam excommunicationis ſuſtinuerint, ſi decedant, ſepeliantur in Eccleſiis, aut Cœmiteriis: licet in infirmitate ceſſionem bonorum ſuorum fecerint, aut cautionem dederint, ut ſupra: niſi prius abſolutionem meruerint, de conſenſu creditorum ſuorum, & de noſtra, aut Vicarii noſtro Generalis licentia ſpeciali proceſſerit. Ut per hoc magis timeatur Eccleſiaſtica cenſura, & creditoribus ſatisfiat de debito, & ipſi excommunicati in vita procurent abſolvi: ne poſt eorum obitum creditores affici videantur injuria. Nec literæ aliæ de non obſtante ſufficient, quæ aliquando obtineri ſolent ſubreptitiæ: ſed fiant ſub ſigillo Cameræ noſtræ, in cera rubra.

DOCTRINA MORIENDI IN DOMINO.

MAgni meriti opus eſt, infirmos viſitare: majus opus adhuc, eis opem ferre. Quod ſi ad vitam æternam conſilio tuo perducas, quid eſſe poteſt Deo gratius? nam Dei charitas in tali opere regnat præcipua. Igitur extremum hoc officii doceamus. Joannes Gerſon quatuor doctrinæ moriendi capita dedit: quæ quia magnæ energiæ videntur, ſummatim nos Gallice reponemus. Ea ſunt exhortationes, interrogationes, orationes, & obſervationes: quas prudens Paſtor, & alius quivis conſolator, habita ratione perſonæ & temporis, contrahet, vel dilatabit pro ſuo judicio. Habebit autem cautionem hanc ſemper, ut a caducis rebus & temporalibus laborantem avertat, & ad Deum, atque ad cœleſtis patriæ deſiderium convertat: ut deſideret, quantum obtineri poſſit, Deo ac Domino ſuo dulciſſimo gratias agere, eundemque perpetuo in cœlis laudare, & perfecte amare.

Exhortations ou mourant.

COnſidere, mon bon ami, la condition de noſtre pauvre vie, comme tous ſommes en la main de Dieu.

Quant il luy plait, il nous appelle, & quant il luy plait nous laiſſe, &c. Encor nous faict il plus grande grace, quand il nous oſte de ce monde, auquel n'a autre choſe que douleurs, ſoucis & larmes.

Tenez pour certain, que ne ſommes, que pelerins en ce monde, & n'avons que noſtre paſſade, pour y faire ce que Dieu nous commande, & quelque œuvre digne de louange envers Dieu, &c.

Rendez graces à Dieu, qui vous donne congnoiſſance de luy, & ne vous a laiſſé ſurprendre de la mort, devant que, &c.

Souvenez vous, que vous avez commis beaucoup de pechez: De quoy vous repentez, pour avoir offensé Dieu, voſtre doux & gracieux Pere, &c.

Priez Dieu, qu'il prenne en remiſſion de vos pechez ceſte maladie, qui vous tient en ſi grande peine, à celle fin que ne ſoyez damné en enfer. Car tous les maux & douleurs de ce monde ne ſont à comparer, &c. Et ſi vous les prenez en patience pour l'amour de luy, croyez qu'il vous pardonnera. Autrement ſi vous vous deſpitez, il y a danger que vous ne le faſchiez &c.

C'eſt maintenant l'heure, qu'il vous faut penſer au ſalut de voſtre ame, &c. Car vous n'eſtes certain d'avoir le loiſir d'y penſer apres ce peu de temps, que Dieu vous donne de bon ſens, &c.

Laiſſez à part tous autres penſemens & tous autres ſoucis &c. car il vous faut à ceſte heure laiſſer toutes choſes, &c.

Re-

Digitized by Google

Recommandez vous à Dieu, & recommandez luy tous vos affaires: car il eſt bon & ſaige pour vous y ſatisfaire, &c.

Ne voulez vous prier les aſſiſtans icy qu'ils prient Dieu pour vous?

Or mettons nous tretous à genoux, & prions Dieu, &c.

Interrogations au mourant.

VOulez vous vivre & mourir en la confeſſion de la foy Catholique? Ne demandez vous pas pardon à Dieu de vos pechez, &c.

N'avez vous pas propos de changer voſtre vie, ſi Dieu vous laiſſe? &c. Et ne priez Dieu qu'il vous maintienne par ſa grace en tel propos & bonne volonté? &c.

Avez vous encores quelque remords de conſcience pour quelque pechè, que n'ayez confeſſé? &c.

Voudriez vous bien vous ſouvenir de tout pour le confeſſer? &c.

Ne voulez vous rendre & reſtituer tout ce, que pouvez avoir de l'autruy? Et ſi ne pouvez, il faut ceder. Voulez vous faire ceſſion? &c. Mais il faut crier mercy à Dieu & aux hommes, auſquels avez porté intereſt.

Ne pardonnez vous de bon cœur à tous, &c. & ce pour Dieu?

Ne demandez vous pardon à tous, &c.

Obſervationes in moriente.

SI infirmus nondum recepit Sacramentum Euchariſtiæ: vide, an velit recipere.

Si non reſponderit ſufficienter interrogationibus factis: inſtabimus admonendo.

Si ſit excommunicatus, ſubmittat ſe ordinationi Eccleſiæ, & abſolvatur juxta Statuta.

Si non inſtet hora mortis, legantur coram eo hiſtoriæ piæ, vel orationes, quibus antea delectari ſolebat, vel interpretationes Præceptorum Dei: ut meditetur in eis, vel ſi quid oblitus ſit, ut confiteatur factus memor.

Conſulemus tandem, ut meditetur de gloria Dei & Sanctæ Trinitatis, & Angelorum, & Sanctorum, qui ſunt in cœlo: meditetur de vita & morte Chriſti cum delectatione.

Præſentetur imago Crucifixi.

Removeantur amici carnales.

Nec fiat mentio abſentium amicorum, vel inimicorum.

Non detur ſpes nimia vitæ, aut convaleſcentiæ.

Nec permittatur cum Diabolo diſputare confidens in Chriſti paſſione & miſericordia, quæ major eſt, quam ſint iniquitates omnes.

Orationes morientis.

MOn Dieu tout puiſſant, tout miſericordieux, ayez pitié de moy.

Pere celeſte, je vous crie miſericorde.

In manus tuas commendo ſpiritum meum.

Mon doux JEſus aidés moy.

Sauveur du monde, Fils de Dieu, mon Redempteur, par le merite de voſtre benoiſte Paſſion recevés moy au nombre de vos eſleuz.

O mon Seigneur & mon frere, je me donne à vous, ne me refuſez point: je recours à vous, ne me rejettez point.

Donnez moy voſtre paradis, vous n'en ſerez plus pauvre, ny voſtre royaume plus eſtroict, ny vos amis moins honorez.

Roy des Roys, je vous demande paradis, non pas par mes merites, mais par le merite de voſtre Paſſion. Vous avés vacheté ce pauvre & miſerable ſerf de peché, & eſclave de malheur.

Vous m'avés acquis par voſtre pretieux ſang le Royaume: baillés le moy donc, & bien toſt.

In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.

O Sainct Eſprit, fontaine de grace Divine, vray conſolateur, aidés moy. C'eſt l'heure maintenant, que j'ay grand beſoin de voſtre grace. Secourés moy, que le malin Eſprit ne me ſurmonte. Sanctifiés moy. Alumés mes entrailles du feu de voſtre amour. Donnés moy ferme foy, & eſperance avec charité perfecte.

Ne permettés point, que je ſois puni & tormenté, ſelon mes demerites: car je ſerois damné eternellement ſans le grand abiſme de voſtre miſericorde.

In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.

Ad Mariam Virginem, & Sanctos.

O Royne glorieuſe, je vous ſalve.
Je vous recommande mes prieres.

Soyés mon Advocate vers voſtre benoiſt Fils JEſus.

O Anges de Dieu, Eſprits bien heureux, aſſiſtés moy.

Defendés moy de Sathan & de ſes embuſches.

O mon bon Ange, ne m'abandonnés point. Et pardonnés moy, ſi je n'ay ſuivi vos bons admonneſtemens.

O Sainct N. mon bon Patron & Advocat, je vous ay ſouvent invoqué en ma vie, c'eſt l'heure maintenant plus que jamais, que je vous prie.

Deus in adjutorium meum intende: Domine ad adjuvandum me feſtina. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto, ſicut erat in principio, & nunc, & ſemper, & in ſæcula ſæculorum, Amen.

DE SEPULTURA ET EXEquiis Defunctorum. (r)

SAncte ac religioſe ſepeliendi mortuos ritus ſolennis tam in novo, quam in veteri Teſtamento commendatur. Saram uxorem ſuam magnifico condidit ſepulchro Abraham Geneſ. 23. Et de ſepultura Abrahæ ſcribitur Geneſ. 25. De Jacob Geneſ. 49. De Moyſe Deuteron. 34. De ſepultura Saulis laudat David viros Jabes 2. Reg. 2. Laudat Tobiam Angelus de ſepultura, quam ille impendebat defunctis, Tob. 12. In novo Teſtamento exponitur ab Evangeliſtis (*s*) diligenter officium hoc Chriſto Domino exhibitum a Nicodemo & Joſepho ab Arimathia, qui corpus illius in ſindone munda, & centum libris aromatum, in ſepulcro novo de petra exciſo ſepelierunt. Et Magdalenam laudat Chriſtus Matth. 26. Quod unguentum pretioſum illud ſervaſſet ad ſepeliendum ſe. Beatus Dionyſius, c. ult. Eccleſiaſticæ Hierarchiæ recitat ritum & cæremonias, quas ſervabant Apoſtoli ſepeliendo ſuos. Hiſtoriæ denique Sanctorum Martyrum curam hanc ſepeliendorum mortuorum aperte docent. Quare & nos pietatis officium hoc commendamus. Ait enim Auguſtinus (*t*): Solennitatem ſepulturæ obſervatam fuiſſe propter vivos & mortuos. Propter vivos quidem quadruplici ratione. Prima eſt naturalis horror: quando ex aſpectu corporum hominum tabeſcentium oculi offenduntur, & fœtore inficiuntur ſani. Secunda ratio eſt Fidei profeſſio noſtræ, qui reſurrectionem ſperamus. Nam ſicut, qui locum aliquem, aut rem, ſe recuperaturum aliquando ſperat, is diligenter eam notat & curat: ſic Sancti Patres fidem atque ſpem reſurrectionis quam habebant, hoc officio oſtendebant, curantes diligenter & cum honore fidelium ſuorum ſepulturam. Unde idem Auguſtinus 1. de Civit. docet, Jacob & Joſeph, aliosque Patres veteris Teſtamenti voluiſſe in terra promiſſionis ſepeliri, ubi credebant Chriſtum naſciturum, cujus & reſurrectio eſſet cauſa reſurrectionis noſtræ. Tertia ratio eſt, ut honore juſto afficiamus inſtrumenta miſericordiæ. Nam corpora Sanctorum templa fuerunt & vaſa Spiritus Sancti. Quarta eſt utilitas viventium: quando occaſio datur multis accedendi ad monumentum, ubi conditionis humanæ admonemur, ex memoria defuncti. Alloquitur enim quodam modo viatorem ſepultus, cum Eccleſiaſtico: (*u*) Mihi heri, & tibi hodie. Præter hæc etiam ſepultura inter alia opera miſericordiæ merito recenſetur, quod in ea preces & ſuffragia fiunt pro defuncto, & eleemoſynæ dantur pauperibus. Unde Damaſcenus in Sermone de Innocentibus verba Athanaſii referens, ait: Licet in arca, qui in pietate conſummatus eſt, poſitus fuerit, ne renuas oleum & ceras, Deum in ſepulcro invocantes: accepta enim ſunt iſta Deo, & multam ab eo recipientia retributionem. Et Auguſtinus (*x*) docet, quod quodam vitæ genere acquiritur, dum in hoc corpore vivimus, ut aliquid juvent iſta nos defunctos, ſecundum ea, quæ per corpus geſſimus in vita.

Sed quærat aliquis, quomodo liberari poſſint animæ defunctorum a pœnis purgatorii? Reſpondet Card., eas liberari duobus modis, vel per ſatisfactionem propriam (adimpleta ſcilicet pœna pro peccatis, a juſtitia Dei impoſita) vel per ſuffragia vivorum. Sed hæc quidem quatuor modis, ut docet B. Gregorius in 4. Dialogorum, Oblationibus Sacerdotum, precibus Sanctorum, eleemoſynis amicorum, & jejunio cognatorum. Idem tamen Cardinalis quatuor hæc ad duo reducit, ſcilicet, ad modum meriti, & ad modum ſuffragii: quæ nimirum inter ſe multum differunt. Nam meritum innititur juſtitiæ, ſuffragium vero liberalitati. Per modum ergo meriti ſuffragia vivorum proſunt animabus defunctorum vel ad expiationem pœnæ, vel ad augmentum gloriæ, ſeu præmii. Juxta illud, (*y*) Particeps ego ſum omnium timentium te. Nam & Sancti gaudent

(r) Ex Card. Aræ cœli de Pœnitentia. (s) Matt. 27. Marc. 15. Luc. 23. Joan. 19.
(t) Lib. de cura pro mor. ag. (u) Eccli. 38. (x) Eod. de cura. pro mor.
(y) Pſal. 118.

dent ob ſalutem noſtram, Luc. 15. Ad expiationem ergo pœnæ defuncti proſunt pia opera viventium facta in Dei gratia, quando qui ea faciunt, ad remedium defuncti applicari intendunt, & ita pro defuncto illa faciunt. Sic enim opera vivorum fiunt propria defunctorum, pro quibus fiunt. Hujus argumenti fundamentum ſumitur ex 1. Corint. 12. ubi Paulus Eccleſiam dicit eſſe unum corpus in Chriſto. Nam ſicut in corpore ſunt multa membra, quorum alterum alteri ſuffragatur, & operam ſuam præſtat: ſic fideles omnes per gratiam & charitatem Chriſto conjuncti, & ab eo tanquam capite, vitam ſpiritualem accipientes, aliis fidelibus, eidem capiti Chriſto unitis, mutuam opetam præſtant, & ſuffragantur. Animæ autem in purgatorio poſitæ, nequaquam ſeparatæ ſunt a capite Eccleſiæ, nec a corpore. Permanent enim in fide, ſpe, & charitate Chriſti, ferentes patienter pro ſuis delictis Divinam juſtitiam: quæ certe non eſt rigoroſior, quam humana eſſe ſolet. Si ergo inter homines captus aliquis pro debito eſt, alius pro eo poteſt ſatisfacere: quidni igitur exiſtens in gratia obtineat amico ſuo, ſicut & ſibi obtineret, veniam? Nec refert, viventes ſint, aut mortui illi, quibus applicantur: dummodo juncti ſint in charitate, quæ nunquam excidit. Nec ſuffragia modo facta ab iis, qui ſunt in gratia, proſunt defunctis, ſed etiam Eccleſiæ ſuffragia, quæ fieri ſolita ſunt ab iis, qui ſunt in gratia, facta per Sacerdotes & Miniſtros in peccato mortali exiſtentes, quæ non ut peccatores exequuntur, ſed tanquam Eccleſiæ Miniſtri, cujus perſonam gerunt, veluti celebrando Miſſam, vel Vigilias decantando, & exequias perſolvendo: ille enim facere intelligitur, in cujus nomine faciunt, ut ait Dionyſius in lib. Eccleſ. Hierar. Peccatum enim ſervi non impedit meritum Domini, cujus nomine & juſſu eleemoſynam ille facit. Atque hactenus quidem tractavit Cardinalis ſuffragii meritum. Sed per modum ſuffragii ſuffragia prodeſſe, & vivis & defunctis tradit: quando orationes Sanctorum, qui ſunt in Patria cœleſti, atque etiam vivorum, applicantur defunctis, vel etiam vivis: atque indulgentiæ. Sed de Indulgentiis infra agemus.

Supereſt, ut reliqua Eccleſiæ præcepta de Sepulturis exequamur. Primum, quod quilibet, tam maſculus, quam fœmina, ætatis ſufficientis, non profeſſus religionem, habens uſum liberi arbitrii, poteſt ſibi eligere ſepulturam: etiam uxor ſine conſenſu viri, & filius, vel filia ſine conſenſu parentum. Servis autem & filiis impuberibus & uxori, Domini & parentes & maritus eligunt, etiam ſi poſt annos pubertatis moriantur, non electa ſepultura. Electio autem ſepulturæ non poteſt fieri extra Cæmeterium, vel Eccleſiam. Probatio quoque electionis fieri poteſt per teſtes, & per ſigna. Nam ſi Pater filio elegerit, & ipſe nulla facta electione moriatur, cenſetur eandem ſibi elegiſſe. [z]

Secundum eſt, quod ſi quis teſtamento elegit ſepulturam, & ratione ejus aliquid legaverit Eccleſiæ, in qua ſepeliri decreverat, veluti ornamenta, aut alia ad exequiarum cultum pertinentia, ut oblationes, & ſimilia; ſi poſtea mutet ſepulturam non mutato teſtamento, cenſetur mutaſſe etiam legatum illud.

Tertium, quod non debet vendi, vel aliquid exigi pro ea, nec pro actu, ſeu officio Clericorum; propter ſuſpicionem Simoniæ: gratis tamen oblata recipi poſſunt. Licet locus ſepulchri, ſicut & calix conſecratus materialiter vendi poſſunt: nihil tamen pro benedictione, aut conſecratione recipere fas eſt. Abraham enim emit agrum ſpeluncæ duplicis in poſſeſſionem ſepulchri, Gen. 23.

Quartum eſt, quod jus ſepulturæ competit Eccleſiis Parochialibus, licet ex privilegio concedatur domibus Mendicantium. Clem. Dudum, de Sepulturis.

Quintum, quod hæretici, & infideles, & filii Chriſtianorum non baptizati, ſepeliri non debent in loco ſacro: nec mortui in torneamentis, aut deſperati, vel raptores. Suſpenſi vero, aut aliter ſupplicio extremo affecti, qui non mortui fuerint impœnitentes, de licentia Judicis poſſunt. Leproſi Chriſtiani de conſuetudine ſepeliuntur in cæmeterio ſeparato, benedicto tamen. Excommunicati, donec obtinuerint abſolutionem, in terra prophana ſepeliuntur: poſt adeptam vero abſolutionem, ſi videtur Prælato, transferri poſſunt in locum benedictum.

STATUTUM I.

SI quis inteſtatus deceſſerit, vel non electa ſepultura: apud Eccleſiam ſuam Parochialem, in qua vivens recepit Eccleſiaſtica Sacramenta, ſepeliatur.

II.

Defunctus, qui elegit ſepeliri apud aliam Eccleſiam, quam apud Eccleſiam ſuam Parochialem: repræſentetur in Eccleſia Parochiali, in cujus Parochiatu defunctus eſt, & in qua Sacramenta Eccleſiaſtica ſuſcepit, ut in ea ultimum vale

(z) C. Licet. de Sepul. in 6. C. Nullus. & c. Non æſtimemus 13. q. 2.

faciat, antequam deferatur in Eccleſiam, in qua elegit ſepeliri : quæcunque fuerit illa Eccleſia, in qua elegit ſepulturam, ſive ſit ſæcularis , vel regularis cujuscunque ordinis, ſive mendicantium, ſive non mendicantium. Alioqui interdicta ſit per præſentes Eccleſiaſtica ſepultura tali defuncto, & facultas Eccleſiæ, in qua elegit ſepeliri, illum ſepeliendi : ſub pœna interdicti Eccleſiaſtici.

III.

Sepultura non denegetur defuncto per Sacerdotem Parochialem propter non ſolutionem jurium funeralium : ſed ſine mora aut contradictione devote ſecundum ritum Eccleſiæ impendatur.

IV.

Et ſi eidem Sacerdoti ſecundum piam & laudabilem conſuetudinem debitum fuerit, ſine ſtrepitu & figura judicii, noſtra auctoritate , ſeu Vicarii noſtri Generalis, & Officialis conſequi poterit : ſi per hæredes defuncti negatum fuerit ei.

V.

Idem ſtatuimus & ordinamus obſervandum fore in aliis Sacramentis Eccleſiaſticis, & pro adminiſtratione eorundem.

Forma literarum Teſtimonialium de bono Statu.

COnſtitutum fuit in Laodicenſi Concilio, ne quis laicus (ne dum Clericus) ad peregrinandum proficiſceretur ſine licentia & formatis, id eſt, dimiſſoriis literis. Harum conceptio tradita fuit in Concilio Niceno. Differunt tamen formatæ a commendatitiis & pacificis, quod formatæ a ſolis Epiſcopis dantur : & vocantur dimiſſoriæ. [a]

Curatus Eccleſiæ Parochialis de Abbemanco, in Decanatu de Rubeomonte Biſuntinn. Dioiceſis, Omnibus Curatis & Presbyteris, curam & regimen animarum habentibus , ad quos præſentes literæ pervenerint, Salutem & Dei gratiam. Probus atque honeſtus vir N. profectionem ſuſcepturus, & iter ad Sanctum Claudium religionis ergo ; a nobis poſtulavit teſtimonium de ſuo ſtatu: quod nos per præſentes damus, fidemque vobis facimus, quod nullo eſt excommunicationis ſententiæ vinculo innodatus, ſed eſt bonæ famæ & converſationis : nec ſcimus in eo aliquod impedimentum Canonicum,propter quod debeant ei denegari Eccleſiaſtica Sacramenta, aut ſepultura, vel omnino detardari. Quare vobis dictum N. commendamus per Chriſti charitatem, ut eundo vel redeundo, cum ad vos diverterit, eum excipiatis tanquam vere Chriſtianum & Catholicum: eique Sacramenta & & ſepulturam, ſi petierit, impendatis, excepto Matrimonio. Datum die . . . menſis . . . Anno, &c.

DE TRIBUS HOSTIBUS NOſtris, Carne, Mundo & Diabolo.

CARO.

CAnitur in Eccleſia diebus feſtis Martyrum & Confeſſorum :

Caro, Mundus, Dæmonia:
Diverſa movent prælia :
Incurſu tot phantaſmatum
Turbatur cordis Sabbatum.

Cum tribus his nobis certamen eſt aſſiduum: quibus cum Dei gratia ſuperatis, propoſita eſt nobis corona gloriæ. Conjurant autem hæc in perniciem animæ hominis; ſic ut unum illorum aliquando ſolum ab arce mentis ac rationis deturbet hominem, aliquando duo, aliquando tria : quamquam ſemper omnia concurrunt in conſummationem peccati. Res autem tota ſic procedit. Appetitus noſter depravatus jungi optat cum aliqua voluptate hujus mundi, quæ ſe menti noſtræ offert inſtar meretricis proſtitutæ. Diabolus autem veluti leno quidam, ſolicite procurat eorum cum peccato conjunctionem : non ob aliam mercedem, quam mortem hominis, quam expectat ex tali lenocinio: ſive id pollicitationibus agat, ſive terroribus. Per carnem igitur intelligimus concupiſcentiam & fomitem peccati, qui ad Divinæ legis prævaricationem aſſidue nos ſtimulat, & impellit hoſtis domeſticus. De hoc Apoſtolus Rom. 7. Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato: quod enim operor,non intelligo. Non enim quod volo bonum , hoc ago , ſed quod odi malum, illud facio. Et iterum, Scio enim, quia non habitat in me, hoc eſt, in carne mea, bonum. Nam velle adjacet mihi, perficere autem bonum, non invenio. Et iterum, Video aliam legem in membris meis,

(a) De Conſ. d. 5. c. Non oportet. diſt. 73. 68. d. c. Eccleſiis.

Digitized by Google

meis, &c. Infœlix ego homo, quis me liberabit a corpore mortis hujus. Gratia Dei per JEſum Chriſtum Dominum noſtrum.

MUNDUS.

PEr mundum intelligimus, opes, honores, voluptates, proſpera atque adverſa, quæ mundus habet, & propter quæ homo inſipiens legem Dei prævaricatur. Quibus certe nihil vanius eſt, ſi ad futurum ſæculum, quod nos poſt hanc vitam manet, reſpiciamus: nihil miſerius, ſi ad calamitates, quibus obruitur: nihil deteſtabilius, ſi ad ſcelera, quæ in eo committuntur. Mundi amatoribus hæc bona videntur, comeſſationes, concubitus, ludi, choreæ, cantus, ſales, plauſus, ſpectacula, venationes, luctæ, lavacra, deambulationes, unguenta, honores, dignitates, victoriæ, triumphi, ſalutationes, præeminentiæ, lucra, divitiæ, poſſeſſiones, & ſimilia: quæ tamen trahunt poſt ſe malorum ingentium iliadem. Sequuntur enim hæc, ebrietates, fornicationes, ſtupra, adulteria, incæſtus, veneficia, homicidia, proditiones, animoſitates, mendacia, furta, rapinæ, uſuræ, fraudes, invidiæ, vindictæ, rixæ, odia, ſimultates, contentiones, vulnera, lites, ſectæ, falſa teſtimonia, ſacrilegia, oppreſſiones, detractiones, æmulationes, & alia. Inopinati jam caſus ex altera parte terrent: infamia angit, infirmitas atterit, fames & frigus cruciant, frangit egeſtas, dolores torquent, mortis timor exanimat. Age jam, niſi omnino deſipiens, quis mundum hunc amet? Quis non potius pietatis ſtudia ſectetur? Vis ſcire, quid ſpiritalis vita ferat? Audi Apoſtolum: fructus autem ſpiritus ſunt, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.

Sciens ergo Dominus noſter JEſus ſuperbenedictus, mundum hunc viſibilem in maligno poſitum eſſe, & laudabiliter in Deo vivere volentibus eſſe contrarium, ad ejus contemptum, primum exemplo ſuo, deinde propoſita mercede hortatus eſt. Primo nullam ejus habere dignatus eſt ſubſtantiam in vita ſua, non agros, non vineas, non oliveta, non poſſeſſiones, non aurum, non gemmas, non ad commorandum ædes. Mercede autem duplici, quando Matth. 19. dicit: Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, vel ſorores, vel patrem, aut matrem, aut uxorem, aut filios, aut agros, propter nomen meum, centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit. Nolite diligere mundum [inquit (*b*) B. Joannes] neque ea, quæ in mundo ſunt. Mundus tranſit & concupiſcentia ejus. Qui autem facit voluntatem Dei, manet in æternum. Et (*c*) Paulus, Nolite conformari huic ſæculo: ſed reformamini in novitate ſenſus veſtri, ut probetis, quæ ſit voluntas Dei. Et alibi: Chriſtus mihi crucifixus eſt, & ego mundo. Mundus fallax eſt: multa promittit, ſed nihil præſtat. Filii hominum [inquit Propheta David] uſquequo gravi corde, ut quid diligitis vanitatem, & quæritis mendacium? Quicquid enim in mundo eſt, vel eſt concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ. Hæc autem omnia vanitas, (*d*) & afflictio ſpiritus. Avarus non repletur pecunia: gloria fugientem ſequitur: voluptas concupita anxietatis plena eſt; ſatiata, pœnitentiæ: ut omittamus malorum lernam, quam ſecum omnia hæc, dum petuntur, ferunt. Unde & ſapientiores Philoſophi plurimi, ac Poetæ, in bonis reponenda hæc non putarunt, quæ incerta eſſent, & quæ nec bonum habentem ſe facerent, nec beatum; ſed miſerum ſæpius & infœlicem. Hæc dicuntur a Philoſophis bona fortunæ: quæ vitrea certe eſt: nam cum ſplendet, frangitur. Munera fortunæ inſidiæ ſunt. Chriſti conſilium, quod tutius eſt, accipiamus: Ne ſoliciti ſitis animæ veſtræ, (*e*) quid manducetis; nec corpori veſtro, quid induamini: ſcit enim Pater veſter, quia his indigetis. Quærite primum regnum Dei & juſtitiam ejus: & hæc omnia adjicientur vobis. Videntur mundo fœlices eſſe divites, quaſi rerum omnium copia affluentes: At, inquit Ambroſius (*f*), tu, quantis abundent, vides; quantis egeant, non vides. Non opibus mentes hominum, curæque levantur. Quocirca vir ſapiens nec extollitur, ſi bona hæc fortunæ adſint: nec deprimitur valde, ſi abſint. Quoniam magis opinione, quam re vera, bona ſunt, quæ bona videntur ſtultis.

DIABOLUS.

AUctor, & princeps omnium peccatorum, diabolus eſt, teſte Auguſtino contra duas Epiſtolas Petiliani. Et Sap. 2. Invidia diaboli mors intravit in orbem terrarum. Imitantur autem illum, qui ſunt ex parte illius. Unde autem tanta iniquitas in diabolo, accurate Laurent. Juſtinianus, in faſciculo (*g*) amoris. Ex originalis, inquit, cauſa delicti tenebrarum princeps ſuum in mundo dilatavit imperium, ſolis tantummodo Divinæ legis prævaricatoribus præſidens: quia in juſtorum ſede, coæterna Deo ſapientia præſideat. Hinc livore ſuccenſus inimi-

(*b*) 1. Joan. 2. (*c*) Rom. 12. (*d*) Eccl. 1. (*e*) Matth. 6.
(*f*) 6. Hexam. c. 8. (*g*) Cap. 11.

inimicatur eidem: & cum ſentit aliquem, juſtitiæ ſemitas ingredi velle, diro certamine tentationum illum appetit. Confunditur etiam, cum in carne paſſibili videt hominem inter tot mundi diſcrimina cuſtodire conditoris ſui obedientiam, quam in cœlo poſitus ipſe ſervare neglexit. Implacabiſi quoque odio & livore tabeſcit, quoties illuc homines aſcendere conſpicit, unde turpiter ipſe ſuperbiendo deſcendit.

Paret igitur ſe ad diaboli perferendas inſidias, quisquis legi Dei parere decrevit. Fili, accedens ad ſervitutem Dei, ſta in juſtitia & timore: & præpara animam tuam ad tentationem, inquit [*b*] Sapiens. Quis ergo tam demens, qui pacem in hoc mundo ſperare velit? Mundus, (hoc eſt, mundi amantes) membra ſunt diaboli: nos ergo odio habebunt, & uſque perſequentur. Ipſe diabolus, ut Dei laudes e mundo procul eliminet, in juſtos omnes debacchatur, per quos Dei laudes celebrantur: perſequitur in ſervis Dominum, & in fidelibus Chriſtum. In profeſſoribus veritatis, &c. Hactenus ex Juſtiniano.

Quin etiam ſi veterum monumenta legas, illorum præſertim Philoſophorum, qui dæmonum ſunt diligentius ſcrutati myſteria; invenies profecto eos in hac ſententia, ut in perniciem hominum omnia moliri dæmones putent: nunc illecebris voluptatum, nunc mendaciis oraculorum, nunc etiam vi manifeſta. Unde Porphyrius (*i*) apud Euſebium: Dæmones vitiis dediti, quicquid mali excogitare, atque efficere poſſunt, libenter aggrediuntur: violenti enim omnino, atque ſimulatores cum ſint, privatique luce meliore, inſidioſe aggrediuntur: nunc occulte adulantes, modo manifeſte cogentes. Et paulo poſt: Alliciunt enim multos ardore cupiditatum, divitiarum, potentiæ, voluptatum, inanis præterea appetitu gloriæ. Unde ſeditiones, rixæ, bellaque naſcuntur. Hæc ille.

Reges & Principes ad ſibi, non ſolum ſervos, ſed filios etiam chariſſimos ſacrificandum atque jugulandum inducebant: tanta hominum cæcitate atque vecordia, ut quamvis ſcirent, eos in reſponſis ſuis (vel quod conjectura conſequi futura non poſſent) mentiri, vel (quod aliud non poſſent) de ſua ignorantia fateri: tamen ad ſcelerata delubra, lucos, atque ſpeluncas, rerum cognoſcendarum ſpe futurarum, turmatim ventitarent gentiles, ſuperſtitionibus nefandis dementati.

Atque his etiam omnibus modis, quos enarravimus, mendaciſſimus ille diabolus Filium Dei ipſum (*k*) tentavit. Primum ſceleſtus ille veterator veritus non fuit, JEſum Dominum, in aera ſublatum, transferre in pinnaculum templi; & rurſum in montem excelſum valde: quod ei permiſit Deus ad noſtram inſtructionem. Illecebris ad voluptatem, ſicut alios de vulgo ſolet, etiam Dei Filium illicere conatus eſt. Si Filius Dei es, [inquit] fac, ut lapides iſti panes fiant. Quaſi more meretricio diceret: Cur voluptati non indulges? cur te fame conficis? cur te maceras? Depone iſtam religionem. Indulge genio. Potes enim: & te decet: & res poſtulat. Ecquis reprehendet Dei Filium fameſcentem, rebus uti conceſſis? Hoc diaboli lenocinium fuit. Rurſum inanis gloriæ vento tentavit præcipitare. Sic enim etiam ſolet multos in pericula mittere ſola inanis gloriæ oſtentatione. Magni Filius Dei es, inquit; age igitur, quæ te decent: magna ſcilicet, heroica: ſtupenda, horrendaque, quæ videantur cæteris. Projice te deorſum. Nihil time. Degeneres animos timor arguit. Famuli etiam patris tui, & tota familia auxilio erit. Non patientur te cadere. Pro te pectora ſua objicient periculo. Manibus ſuis portabunt te. His, ac ſimilibus oraculis ſolebant dæmones ad nefanda quæque atque horrenda incitare olim mortales: quibus plenæ ſunt Poetarum tragœdiæ. Reſtabat ſuperſtitioſa idololatria: Hac etiam Dei Filium improbus tentator, ſicut olim genus hominum fere univerſum induxerat, ad ſe adorandum (o facinus audax) tentare non erubuit. Siquidem cupiditate rerum accenſos quam multos inflammavit? Quot hominum myriades ad idolorum ſervitutem & impietatem traxit? Quid non promiſit, ut pro Deo haberetur Dei hoſtis? ut pro benefico maleficus?

Dicimus ergo diabolum lenonis inſtar ad voluptates appetendas ſolicitare, ſed non gratis utique. Mundi namque commoda quam maxime poteſt, fucata, & quaſi corollis ornata, oſtentat, & promittit, modo velimus ea agere, quæ ipſe requirit. Si vis, inquit, illas ædes obtinere, ſuppone falſum teſtamentum: ſi potiri illa muliere, occide virum. Hæc merces lenocinii. Quanquam certe tanto flagrat odio in hominem diabolus: ut licet ea omnia facias, quæ ille conſulit, raro tamen potiaris re concupita: quod hanc etiam tibi infenſus ille hoſtis invideat voluptatem. Atque hic unus eſt nocendi modus. Aperta autem vi, inſtar feræ truculentæ hominem ſæpe aggreditur & vexat: ut cum arreptitios, ſeu dæmoniacos, torquet: cum corpora morbis affligit: cum bonis omnibus ſpoliat, vel fama, vel amicis, vel etiam vita: cum grandines & fulgura concitat: cum mare turbat, montes ex imo

(*b*) Eccli. 2. (*i*) De Præpa. l. 4. c. 11. (*k*) Matth. 4.

imo evertit: incendia & ſtrages facit. Quanquam nihil horum ſine permiſſione & juſſu Dei. Pſal. 77. Miſit in eos iram indignationis ſuæ: indignationem & iram & tribulationem, immiſſiones per angelos malos. Diabolus enim, licet inemendabilis ſit, & omnino malus: tamen juſſu Dei, tanquam lictor & carnifex, peccatoribus pœnas infligens, occaſionem dat aliis, ut recte vivant. Eſt ergo executor Divinæ juſtitiæ. Ob hanc vim tantam atque potentiam, quam habet in hoc mundo, dicitur mundi Princeps, Deus hujus ſæculi, 2. Cor. 4. Fortis armatus, Luc. 11. Paulus & Sancti ſæpe tanquam mancipio, utuntur diabolo. Unde mos tradendi Satanæ fuit in Eccleſia primitiva magni terroris contra inobedientes. Quos (*l*) tradidi, inquit Satanæ, ut diſcant non blasphemare. Ejusdem quoque expellendi poteſtas, quæ Apoſtolis & Diſcipulis data fuit a Domino, [*m*] magnam comparavit Chriſti fidelibus authoritatem. Hæc omnia ſciunt plerique veſtrum, [inquit (*n*) Arnobius] dæmones de ſe fateri, quoties a nobis, & meritis verborum, & orationis incendiis, de corporibus exiguntur, victi dolore, quod ſunt, loquuntur. Et Cyprianus Demetrio, O ſi audire eos velles & videre, quando a nobis adjurantur: torquentur ſpiritualibus flagris, verborum tormentis de obſeſſis corporibus ejiciuntur, ejulantes & gementes voce humana: veni & cognoſce vera, quæ dicimus. (*o*) Tertullianus: Dæmonas, id eſt, genios adjurare conſuevimus, ut illos de hominibus exigamus. Et alibi: (*p*) Enimvero cur dæmonia affirmamus eſſe? quaſi non & probemus, qui ea ſoli de corporibus ejicimus? Lactantius, (*q*) Maximis ſæpe ululatibus editis verberari ſe & ardere, jamque exire proclamant. Negantibus Arrianis (ſicut & nunc nonnulli negant) dæmonum ad monumenta Sanctorum, & ſuffragia, clamores & confeſſiones vera eſſe tormenta, ſed ficta, compoſitaque ludibria aſſerentes, S. Ambroſius (*r*) ſic loquitur: Audivi multa componi, hoc umquam nemo finxit, aut dæmoniacum eſſe ſe ſimulavit: quid illud, quod ita eos exagitari videmus, quibus manus imponuntur? ubi hic locus fraudi? ubi ſuſpicio ſimulandi?

Confitendum igitur eſt, Satanam poſſe multa incommoda ferre hominibus: qui, ut loquitur (*s*) Auguſtinus, animam invadit extrinſecus, ſenſusque conturbat, & hominibus furores infert. Poteſt tempeſtates & procellas in aere movere, ut patet Job. 1. & 2. ubi impetrata licentia a Deo (poſtquam Sabæi 500. juga boum & 500. aſinas abegiſſent) ignem de cœlo miſit, qui ſeptem millia camelorum conſumpſit: & ventum, qui ruina domus filias ſeptem, & tres filios Job, cum famulis oppreſſit. Hæc narrantur in Scriptura Sacra: licet enim corporea natura non obediat ad nutum Angelis (neque bonis, neque malis) ad ſuſceptionem formæ eſſentialis, ſed Deo ſoli, qui creavit eam: tamen ad motum localem ſpirituali paret naturæ. Indicium ſumas ex homine. Membra enim hominis ad ſolum imperium voluntatis moventur. Venti ergo, & grandines, ex vaporibus coeuntibus cum generentur: poteſt ea procurare dæmon, adductis ex variis locis terræ exhalationibus, vel vaporibus multis, in unum locum. Ex his etiam ſequitur, non eſſe omnino pro fabulis habenda, quæ ab ſtrigis & maleficis [quæ membra & vaſa diabolica ſunt] dicuntur fieri. Nam Deo propter juſtas cauſas, & ſibi notas, permittente, & omnia diabolo ſua opera perpetrante, lædere poſſunt homines in corpore, & in bonis, in uſu rationis, & in vita, & in fama. Hæc enim omnia poteſt dæmon, ut patet Job. 1. & 2. In fama, ut cum ſcelera occulta manifeſtat malorum hominum: vel juſtis infamiæ notam inurit fraudulenter: [*t*] ſicut quando ſe Sanctum Epiſcopum Silanum eſſe mentiebatur, cum impudica muliere cubantem, ut Virum Sanctum de impudicitia traduceret apud populum.

Uſum rationis perturbare docent arreptitii, ſeu energumeni, de quibus ſupra, & in hiſtoria Evangelica frequens mentio. Quod vita privent homines Deo permittente, patet Tob. 6. quando ſeptem viros indignos conjugio Saræ malus genius ſuffocavit. Quod in corpore animalis loquatur, docet ſerpentis tentatio in Geneſi: & quod ſub diverſorum animalium figuris appareat, tentationes Sancti Antonii.

Quæ igitur patrare dicuntur maleficæ mulieres, dæmonis opera ſunt, ad mulierum illarum preces obtemperantis. Quanquam & ipſæ propriis manibus infantes necare poſſunt, & faſcinare oculis. Nam naturalis etiam aſpectus malevolæ anus noxius eſt: ut tradit S. Thomas 1. q. 117. art. 3. quoniam ex forti imaginatione animæ immutantur ſpiritus, quorum ex oculis fluxus eſt plurimus. Unde, rogo, fit, ut morbo oculorum laborans, aliis ſæpe morbum communicet: & menſtruatæ inficiant ſpecula? Pueri autem,

(*l*) 1. Tim. 1. (*m*) Matth. 10. Luc. 10. Marc. 3. 16. (*n*) Lib. 8. contra gentes.
(*o*) In Apolo. 1. 32. 37. (*p*) De anima c. 33. (*q*) Lib. 2. ca. 6. 18. lib. 4.
(*r*) Serm. 91. (*s*) Lib. de vita beata. (*t*) In vita D. Hieronym.

tem, utpote teneri natura facile afficiuntur. Eſt aliud genus faſcini: ludificatio ſenſuum: ut cum pro homine lupum, vel aliud quid oculis oſtendit dæmon. Idque duplici poteſt modo agere: uno intrinſecus immutando phantaſiam hominis, & ſenſus: alio extrinſecus, adaptato corpore aliquo ſimili, aut ex aere formato. Vide Aug. l. de Civit. 18. c. 17. 18. De hac faſcinatione loquitur ad Galatas Apoſtolus: Quis vos faſcinavit, inquiens, veritati non obedire? Hoc modo viſiones multæ Sanctis Viris, & ſceleratis etiam factæ ſunt a diabolo: qui ſe aliquando (u) transfigurat in Angelum lucis. Sic maleficæ illæ Strigæ, Lamiæ, & Bruxiæ, inviſibiliter feruntur, quando Deus id patitur in majorem ipſarum damnationem. Portantur aliquando per aera. Neque enim digniores ſunt, quam Dominus ipſe, qui ſe portari paſſus ab illo eſt ſuper pinnaculum templi. Reddunt aliquando impotentes viros ad Venerem, ex pacto, quod cum diabolo fecere. In quo ille quidem promiſſis ſtare non differt, non ſtudio veritatis ac bonæ fidei, [qui mendax eſt & perfidus ab initio] ſed ut ad eadem fœdera nefanda alios alliciat, cum promiſſis ſtare comperiatur. Et quia pactum hujusmodi cum ſignis quibusdam fieri ſolet, (veluti imagine cerea, vel acu curvata, vel ſimili) ideo docet Scotus curandum eſſe, ut tale ſignum quam citiſſime deſtruatur. Et addit ad hæc Gabriel Biel, dæmones habere cum maleficis ſic pacta ſua, ut dum verba aliqua proferuntur tali modo, vel tali tempore, vel loco, acum incurvent, vel aliud quid ſimile agant, ad quod ſequatur effectus: non vi verborum, vel rerum, quas tractant malefici, ſed dæmonis, qui ut leo diſcurrit per elementa omnia, omnesque naturas, ad rem illam facientes, per gloſſam in c. 7. Exodi. Non caret enim ille peritia rerum naturalium: ut plantarum, lapidum, metallorum. Nec ſi hæc omnia fiunt a diabolo, ideo impune eſſe debet ipſis maleficis: Quinimo legibus Civilibus plectuntur propter perfidiam, & opus diabolicum, cui inſerviunt. L. fin. C. de Maleficiis.

Præterea ut omni ex parte malas iſtas mulieres corrumpat hoſtis ille humani generis: ſub aſſumpto virili corpore & figura, eas ſibi ſupponit, & quaſi conſtuprat. (x) Qua de improbitate Aug. lib. 15. de Civitate, c. 23. loquens, non negat Sylvanos & Faunos (quos vulgo Incubos vocant) improbos ſæpe extitiſſe mulieribus: & earum appetiiſſe, & peregiſſe concubitum. Et quosdam dæmones, quos duſios Galli nuncupant, hanc aſſidue immunditiam, & tentare & efficere, plures, talesque, inquit, aſſeverant, ut hoc negaſſe impudentiæ videatur.

Sed putant multi, quæ de Strigis dicuntur, omnia vana eſſe, imaginaria, & phantaſtica, nec omnino credenda: ut quod fere idiotæ ſint hæ mulierculæ, mania potius, aut melancholia laborantes, quam judicio præditæ. Tum vero præcipue, quod in c. Epiſcopi, 26. q. 5. hæreticum eſſe dicatur, fidem his adhibere mulieribus, quæ dicunt ſe cum Diana, & Herodiade, nocte equitare ſuper beſtias quasdam, multaque terrarum ſpatia intempeſtæ noctis ſilentio pertranſire: eaque illuſiones eſſe & phantaſmata, a diabolo irrogata: atque ideo in ſpiritu, non in corpore geri. Eadem Aug. lib. de Spiritu & anima. c. 28.

Verum quando experientia harum rerum ſæpe a viris ſapientiſſimis comprobata eſt, potius negare oporteret & dæmones eſſe, & Angelos, more Saducæorum. Non deſunt enim etiamnum Saducæi. Verum, ut Arnal. Alberti [y] declarat, caput illud cauſæ 26. q. 5. impietatem damnat, quam malæ illæ mulieres aſtruebant: nempe Dianam eſſe deam, cum idolum nihil ſit: & Herodiadem, ſceleſtam iliam mulierem, quæ in tartara conjecta eſt, ad luſus cum hiſce venire: & quod creaturam dicerent a diabolo mutari in ſpeciem aliam. Hæc enim omnia falſa ſunt, & mera ſomnia.

Ex hoc tamen capite colligere licet, multa ſæpe hujusmodi mulieres maleficas pati in phantaſia, quæ re vera non fiunt in corpore: ut duplici errore plectantur impiæ illæ. Aliæ cauſæ ad excuſationem cujuscunque maleficii facere poſſent: ſed magis credendum probationibus evidentiſſimis, quam dubitationibus incertiſſimis.

Supereſt quæſtiuncula una, Utrum liceat uti colloquio, vel opera dæmonum ad aliquid non malum, nec ad malum finem? Ex Cajetano in quæſtionem 90. Sancti Thomæ 2. 2. ſic dicemus. Cum Apoſtolus ſcribit (z): Nolo vos fieri ſocios dæmoniorum: nec invocare, nec venerari dæmones, nec ullo modo cum illis nos paciſci voluit. Cum autem contingat cum arreptitiis aliquando bonos viros loqui; & idem Thomas ſecunda ſecundæ quæſtione 95. artic. 4. dicat, inquirere aliquid a dæmone ſponte occurrente, quandoque licere propter utilitatem aliorum: diſtinguendum eſt: Tanquam cum hoſte noſtro ſi agamus, peccatum non erit: quia hoſtiliter ad eos nos ſemper habere oportet. Sic in exorciſmis & orationibus alloquimur diabolum: Ergo maledicte diabole &c. Compellendo etiam Divina poteſtate alloqui poſſu-

(u) 2. Cor. 11.
(x) De incubis & ſuccubis glo. in Cle. 18.
(y) De aſſer. 1. ath. & here. 4. 25.
(z) 1. Cor. 2.

poſſumus, aut præcipiendo, ut ſe prodant, ut loquantur &c. ſicut diſcimus ex B. Cypriano, (a) & aliis Sanctis, qui vel ex revelatione, vel ſpeciali inſtinctu aliquid imperarunt diabolo. Ut Beatus Jacobus per dæmonem legitur venire feciſſe ad ſe Hermogenem. Et de S. Antidio multa hujusmodi traduntur : cui gratia data fuit ſupra ſpiritus malignos: quoniam Deus & Angeli boni dæmonibus utuntur tanquam ſervis & captivis ſuis. Aliter vero, id eſt, non tanquam hoſtibus, nulla ſit conventio. Eſt enim hoſtis Dei, & patriæ cæleſtis, & noſter: qui ab obſtinata voluntate inimicitiarum nunquam recedit. Poteſt tamen peccatum fieri veniale: veluti, ſi quis ex levitate, vel curioſitate, non credens, ſe Divinam offendere Majeſtatem, vel charitatem, cum occurrente dæmone in aſſumpto corpore, vel arreptitio homine per modum tranſeuntis loquatur, inquirat leve aliquid leviter: credendo eum eſſe ſemper mendacem. Unde colligitur, cur Dominus tacere juſſit, Luc. 4. Mar. 13. ut ne etiam vera dicentibus credamus.

Spiritus ſunt erroris 1. Joan. 8. aſtutia ſeducentes. 2. Cor. 11. Miniſtri mendacii. 3. Reg. 2. 3. & 2. Paral. 18. Vanum autem omnino eſt, putare eos cogi per ſuperſtitiones vanas & obſervationes: quoniam liberæ voluntatis ſunt : non per lapides vel herbas, vel etiam verba : quamvis ſe cogi fingant per incantationes, & alia deliramenta hominum perditorum. Sed nemo cum diabolo unquam commercium habuit, qui non tandem ignominioſe deceptus ſit. Exemplum habes in Saule, Joſia, Juliano apoſtata. Et contra in Sancto Antonio, antagoniſta diaboli invictiſſimo.

Quicunque autem cæremonias in Eccleſia damnant, plane deſipiunt. Res eſt, qua religio fovetur: quaque ſublata oblivioni tradatur pietas neceſſe ſit. Figuræ etenim & ſimilitudines rerum viſibilium, ad inviſibilium amorem & conſiderationem excitant: veluti eloquentia quædam doctrinæ ſalutaris, ut docet Aug. (d) Deus enim vel ſacrificiis, vel Sacramentis olim non egebat, nec modo eget ullo modo: ſed ea voluit, ut ſigna ſalutis celebrantes, utilia nobis officia ſalutis exerceremus. Sic genua flectimus : orantes manus in cælum tendimus : ſolo etiam proſternimur : licet Deo nota ſit alioqui voluntas noſtra. Sed per hæc excitatur homo ad orandum humilius, atque ferventius. Et mirum eſt, cur non omnia ſimul Sacramenta tollant, qui cæremonias tollendas putant. Namque Sacramenta ritus ſacri ſunt. An confertur apud ipſos Baptiſma ſine ritu; an cœna? anne orantes flectunt genua? anne conventus faciunt ſolemnes ? Sed excæcantur odio : & quæ ſenſu percipiunt, mentis oculo non vident. Nos autem Eccleſiæ ritus obſervabimus. Hos nobis tanquam per manus tradidere Apoſtoli. Nam ut multos acceperint a Sacris Bibliis olim Patres: ad bonam eorum partem uſu atque imitatione conſtituerunt, quæ tenere ac revereri decet, ſicut diximus de traditionibus. Jubet Apoſtolus, puras levare manus in orationibus: ut ſtantes autem aliquando oremus, nuſquam præcipit. Per manus impoſitionem Miniſtros conſtitui, in multis locis docet Scriptura: Chriſma Sanctum in Eccleſia conſecrare, traditionis habetur Apoſtolicæ. Nec tamen Chriſmatis conſecratio, vel ſtantium oratio non magis, quam manuum impoſitio, vel levatio, quamdiu Chriſti Eccleſia in terris peregrinabitur militans, abrogabuntur.

DE CÆREMONIIS, SEU Ritibus Sacris.

OMnis approbata conſuetudo ac mos, dicitur ritus: quaſi ratus, id eſt, certus, firmus, & conſtans : Sed Sacros Latini appellarunt cæremonias, ſive a carendo, ut tradit (b) Gellius, ſive a Cære oppido, ut Livius. Hinc D. Auguſtinus (c) retractavit, quod voce hac aliquando uſus fuerit, quæ in Literis Sacris non inveniretur. Quanquam ſi a carendo deduceretur, nihil deprecatur. Sed nomen uſu jam tritum eſt & factum familiare, undecunque deductum ſit.

ECCLESIA.

Ἐκκλησία Græce, Latine eſt evocatio, concio, convocatio, congregatio, cœtus. Sumitur non raro pro templo ipſo & loco, ubi fit congregatio: ut Judith. 6. Sæpe etiam pro toto Clero & Miniſtris Eccleſiæ, quod ſit ea pars Eccleſiæ potiſſima : ut Deut. 23. Definitur ergo Eccleſia, congregatio fidelium : vel univerſitas credentium in Chriſtum, qui ſub iisdem Sacramentis, & eadem doctrina Apoſtolica degunt. Cyprianus (e) definit: Plebs Sacerdoti adunata & Paſtori ſuo grex adhærens. Olim ſub lege dicebatur Synagoga, id eſt, congre-

(a) Ad Demetrium Cecilium. (b) Gell. lib. 4. c. 9. (c) S. Aug. retra. lib. 2. c. 37.
(d) Aug. Epiſt. 119. ad Janua. c. 7. Idem ad Marcell. Epiſt. 5. Idem de cura pro mortuis. c. 5. (e) Cyp. libr. 4. epiſt. 9.

congregatio, ſeu coadunatio: verum per Chriſtum ipſum in libertatem Evangelii vocata, non amplius Synagoga, ſed Eccleſia, id eſt, evocatio dicitur. Vocati enim ſumus in ſpem & adoptionem filiorum Dei, per Chriſtum, per Apoſtolos, per Spiritus Sancti inſpirationes. Paulus ideo multis in locis vocationis verbo uſus reperitur. Gal. 5. Vos in libertatem vocati eſtis. 1. Cor. Vocatis Sanctis. Rom. 11. Sine pœnitentia ſunt dona Dei & vocatio.

Hæc igitur Dei Eccleſia dicitur in Symbolo, Una, Sancta, Catholica, & Apoſtolica. Ac primum quidem una: quia unus Deus, una Fides, unum Baptiſma. Una eſt columba mea, una eſt ſpecioſa mea. Cant. 6. Hujus unum Caput Chriſtus eſt: inviſibile nunc nobis, ſed viſibile eſt Petri Succeſſor Pontifex: quem Chriſtus Dominus ſuæ poteſtatis Vicarium atque Miniſtrum viſibilem viſibili Eccleſiæ præfecit. Hic ſedem ſuam Romæ poſuit. Ex quo primatum Romanæ Eccleſiæ Patres agnoverunt in Conc. Niceno, c. 6. & antea Can. Apoſt. 34. & omnes Catholici a primo ad ultimum. Ad Sedem Romanam referunt Eccleſiarum omnium Prælati cauſas, controverſiasque omnes doctrinæ. Et merito quidem. Namque dictum Petro fuit (cum fidei mirabilem illam confeſſionem feciſſet: Tu es Chriſtus, Filius Dei.) Tu es Petrus: & ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam: & portæ inferi non prævalebunt adverſus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum &c. Et Luc. 22. Ego rogavi pro te, ut non deficiat fides tua: & tu aliquando converſus confirma fratres tuos. Ob hæc dicunt Doctores Catholici, Eccleſiam Chriſti fundatam eſſe ſupra petram hanc. Si namque Petrus confirmare debuit fratres ſuos: qui poteſtatem habet confirmandi, nonne fundamentum eſt? Certe in fundamento firmatur ædificium. Ad hanc ſimilitudinem alludens Dominus Joan. 1. nomen ejus, quod fuerat ante Simon, mutavit in Cephas, id eſt, Petra, ſeu Petrus, Chaldaice. Et in loco citato Matth. 16. cur Petram vocarit, cauſam ſubdit: Et ſuper hanc petram ædificabo Eccleſiam meam. Nec obſtat, quod Paulus ait: Fundamentum aliud nemo poteſt ponere, quod eſt Chriſtus JEſus. Alioqui enim neque lucis nomen, neque Sacerdotis alii competere poſſet, quam Chriſto, neque claves habere: quod falſum eſt. Donat quidem Chriſtus dignitates ſuas: non quod inde maneat ipſe exhauſtus & vacuus: ſed habens largiter: de plenitudine ejus omnes accipiunt. vide Baſil. in ſerm. de Pœnitentia, & recentiores multos. Ergo ſicut largitus eſt Petro claves regni cælorum propter confeſſionem illam ſublimem fidei, quam nec caro, nec ſanguis ei revelaverat: ſic & Eccleſiæ ſuæ petram & fundamentum poſuit: ſupra quam Eccleſiæ omnes, quæ ædificatæ non fuerint, corruent omnino, nec Eccleſiæ Chriſti eſſe poterunt. Hæc hactenus. Ergo Eccleſia unum corpus in uno Spiritu dicitur Epheſ. 4. Nec alia eſt nunc, quam quæ fuit olim, ac erit poſt mundi conſummationem, ſicut una eſt arbor, & una vinea, & una civitas: licet alii aliis cives ſuccedant, & arboris rami. Sicut nec alius homo eſt, qui fuit antea infans, deinde puer, nunc autem vir.

Dicitur deinde Sancta, non quod Sancti & Electi ſolum, aut juſti in ea, non etiam peccatores inveniantur: ſed quia Deo conſecrata eſt in Sanguine Chriſti, & ſanctificata: & quia Caput habet Chriſtum ipſum, Sanctum Sanctorum, & theſaurum meritorum ejus: & quia extra eam non eſt ſalus, nec ſanctitas. Sola enim hæc legitimum ſervat Sacrificii cultum, & juſtificationem Sacramentalem. Non ab re igitur ſimilis facta eſt ſagenæ miſſæ in mare, & ex omni genere piſcium congreganti; & areæ, in qua triticum cum paleis mixtum eſt; & decem virginibus, quarum quinque fatuæ erant; & arcæ Noe, in qua munda & immunda animalia contenta fuere; & magnæ domui, in qua ſunt vaſa aurea, & argentea, ſicut Auguſt. & Cyprianus, & alii interpretati ſunt. Quod ſi aliquando in ſacris eloquiis vocatur munda, ſine macula, ſine ruga, tota pulchra: de illa ejus parte intellige, quæ cum Chriſto jam regnat, & quæ poſt mundi conſummationem in æternum regnabit: cum tradiderit Dominus regnum Deo & Patri: quæ & ideo triumphans appellatur, quod ſuperatis hoſtibus ſuis, ſcilicet carne, mundo, & diabolo, ſecura pace, gloriaque immortali potitur. Sed quæ in hoc mundo verſatur, purgationem faciens quotidie veterum delictorum, cui ſemper pugnandum eſt, militans dicitur. In hac parte ſunt, uti diximus, mixti cum bonis mali & peccatores. Et ſicut in vite non omnes palmites fructum ferunt: & in corpore membrum eſſe poteſt aridum, vel ſine ſenſu: ſic nec omnium, qui intra Eccleſiam ſunt, opera bona invenientur in die judicii: cum ſit tamen Chriſtus ipſe vitis, & nos palmites: ſed extra Eccleſiam nulla inveniantur opera, digna vita æterna. Pſalm. 28. Adorate Dominum in atrio ſancto ejus. Extra atrium ſanctum (ait Baſilius) non oportet adorare Dominum, hoc eſt, non excedere congregationem Eccleſiæ, & per ſeipſum Synagogam, aut ſectam auſpicari, qui vere Divinum cultum debet perficere. Sed quærat forte aliquis: Qui ſunt extra Eccleſiam? Reſponde: Primo infideles: ii intra Eccleſiam nunquam fuerunt. Deinde hæretici: hi ab

Eccle-

Eccleſia ſua ſponte receſſerunt. Tertio excommunicati: hi ab ea ejecti ſunt. Sequitur ex his, quod etiam ſi Paſtores Eccleſiæ mali ſint, & iniqui, non ideo deſinunt eſſe membra Eccleſiæ, & vere Prælati, niſi ab Eccleſia ſeparentur.

Dicitur tertio in utroque Symbolo: Catholica græce, id eſt, univerſalis, & perpetua, ſicut vocem interpretatu Quintilianus. Notat autem univerſitatem & nationum, & ſæculorum. Pſalm. 144. Regnum meum regnum omnium ſæculorum, & Dominatio mea in omni generatione & generationem. Et Pſalm. 21. Apud te laus mea in Eccleſia magna. Auguſtinus: Eccleſia magna quid eſt, Fratres? nunquid exigua pars orbis terrarum Eccleſia magna eſt? Eccleſia magna totus orbis eſt. Omnes fideles, qui ab Adam fuerunt, & futuri ſunt, ad hanc Eccleſiam pertinent, quæ ſuper fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum fundata eſt in illo lapide angulari, qui fecit utraque unum, & pacem iis, qui prope, & iis, qui longe. Et contra Petilianum, ideo Catholicam dici, ait, quia palmites ſuos in omnia tempora, in omnia loca, omnemque nationem extendat.

Dicitur denique in Symbolo majori: Apoſtolica. Hæc ei proprietas ideo competit, quod inde ab Apoſtolis revelata Chriſti gratia ad hæc uſque tempora, legitima ſucceſſione Miniſtrorum pervenit. Primo enim poſt Chriſti aſcenſionem Spiritus Sanctus, qui Eccleſiam gubernat, Apoſtolis datus eſt. Deinde & credentibus per ipſos Apoſtolos. De eo, quod additur (Sanctorum communionem) infra agemus in titulo de Sententia excommunicationis.

Ex his quatuor Eccleſiæ proprietatibus duo licet colligere. Unum eſt, quod Eccleſia errare non poteſt, intellige in fidei doctrina & morum: regitur enim ab uno Spiritu Sancto, ubicunque fuerit. Eo duce quis erraverit? Quare obediendum Eccleſiæ eſt, niſi velis tanquam ethnicus reputari. Proverb. ultim. Conſerva, fili mi, præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ. Chriſtus ad Apoſtolos, tanquam Eccleſiæ Prælatos, ait: Qui vos ſpernit, me ſpernit: & qui vos audit, me audit. Et Paulus: (*f*) Scitis, quæ præcepta tradiderim vobis: itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit, ſed Deum. Et Dominus: (*g*) Super cathedram Moyſi ſederunt Scribæ & Phariſæi, quæ dicunt, facite, ſecundum opera illorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Idcirco ſcribebat Paulus (*h*) Timotheo: Si tardavero, ut ſcias, quomodo oporteat te in domo Domini converſari, quæ eſt Eccleſia Dei vivi, columna & firmamentum veritatis. Dicunt Doctores Eccleſiam in iis, quæ juris ſunt, pertinentia ad fidem, & bonos mores, errare non poſſe: ſed in iis, quæ facti, nihil prohibet. Hinc fit, ut cum ſecundum allegata, & probata judicet, rem aliquando vel perſonam ei adjudicet, cui non debeatur.

Alterum, quod ex illis quatuor proprietatibus diſcas, eſt, quod Eccleſia non eſt [ut quidam falluntur] res ficta, & imaginaria tantum; ſed viſibilis & cognita, [alioqui enim quomodo referrentur ad eam, quæ referri oporteret? quomodo obediretur ei, quam nemo ſciret?] ut ne pro vera Eccleſia ſequaris Synagogas ſchismaticorum. Habes enim hic ſigna certa veræ Eccleſiæ. Sed audi, quam diſertis hoc ipſum verbis docuit Beatus Auguſtinus in libro contra epiſt. Fundamenti, cap. 9.:

Ut ergo omittam ſapientiam, quam eſſe in Eccleſia Catholica non creditis: multa ſunt alia, quæ in ejus gremio me juſtiſſime teneant. Tenet conſenſio populorum, atque gentium. Tenet authoritas miraculis inchoata, ſpe nutrita, charitate aucta, vetuſtate firmata. Tenet ab ipſa Sede Petri Apoſtoli (cui Dominus paſcendas oves ſuas poſt reſurrectionem commendavit) uſque ad præſentem Epiſcopatum, ſucceſſio Sacerdotum. Tenet poſtremo ipſum Catholicæ nomen: quod non ſine cauſa inter tam multas hæreſes ſic ita Eccleſia obtinuit: ut cum omnes hæretici ſe Catholicos dici velint, quærenti tamen peregrino alicui, ubi ad Catholicam conveniatur, nullus hæreticorum Baſilicam ſuam, vel domum audeat oſtendere.

Vides, quam diſerte Auguſtinus quatuor illas proprietates (Unam, Sanctam, Catholicam, & Apoſtolicam) per conſenſum, authoritatem, univerſitatem, ſucceſſionem expoſuit: quibus vera Eccleſia a falſis dignoſcatur. Quoniam igitur hæreticis in more ſemper fuit, uſurpare ſibi nomen Eccleſiæ: dicentibus, Hic eſt Chriſtus, non illic, ſicut jam futurum prædixerat Dominus, Matth. 24.; ideo obſervanda hæc, quæ tradit Auguſtinus. Quæ licet ſufficere poſſint ſingula: tamen præter cætera, ſucceſſio Paſtorum legitima, atque Miniſtrorum (quam ante Auguſtinum, etiam [*i*] Irenæus, & Tertullianus objecerunt ſuis hæreticis) continuata ab Apoſtolis, & a Chriſto, ad noſtra uſque tempora, ſine intermiſſione ordinantium & ordinatorum, obturare poterit omnium obloquentium, & contradicentium ora. Quare rejiciendus omnis homo, qui

(*f*) 1. Theſſ. 4. (*g*) Matth. 24. (*h*) 1. Tim. 3.
(*i*) Iren. lib. 1. c. 15. & 4. & l. 4. c. 42. Tertul. de præſ. Ang. col. 3. diei.

non legitime vocatus, nec a ſuperioribus Ordinariis miſſus, nomen ſibi Paſtoris, aut Doctoris Eccleſiæ uſurpaverit. Canticorum primo rogat ſponſum ſuum Eccleſia: Indica mihi ubi paſcas, ubi cubes in meridie: ne vagari incipiam poſt greges ſodalium tuorum. Et reſpondet: Si ignoras te, o pulcherrima inter mulieres: egredere, & abi poſt veſtigia gregum, & paſce hœdos tuos juxta tabernacula Paſtorum. De aliis dicitur: Ego non mittebam eos, & ipſi currebant. Et Apoſtolus Rom. 10. Quomodo prædicabunt, niſi mittantur? Nam ſi qui mittunt, poteſtatem mittendi non habent: quomodo dignoſcentur a legitime electis, intruſi?

Dantur alia ſigna veræ Eccleſiæ: veluti continuum Miſſæ Sacrificium, quod prædictum erat a Malach. cap. 1: Continua prædicatio Evangelii, ſicut promiſerat Dominus Joan. 17. & Matth. 28. Diſſidia hæreticorum, qui, ut Jerem. 2. foderunt ſibi cisternas diſſipatas, quæ continere non valent aquas: Apoſtaſia multorum. 1. Petr. 1.: Perſecutio, quam patitur ab Agar, id eſt, Agarenis, Turcis & Arabibus Mahometiſtis: de qua Paulus Galat. 4.: Invidia & odium Judæorum, de quibus Deuteron. 32. & Rom. 10.: Latibula hæreticorum, cum ſit Eccleſia ſupra montem poſita, & lumen ſuper candelabrum, Luc. 2. De miraculis meminit Auguſt. jam ſupra & lib. 9. cap. 7. confeſſ. & de Civitate lib. 22. cap. 9.

Sacramentorum denique uſus ſeparat vere Catholicos ab ſchismaticis, & hæreticis, præſertim in iis, quæ ſunt eſſentialia. Unde merito quidam tria eſſe tradit, quæ perſeverare aliquem in Eccleſia Catholica docent: Confeſſionem rectæ fidei, Sacramentorum communionem, & conſentium in ordine hierarchico juxta inſtituta tradita divinitus.

Ex jam ergo expoſitis proprietatibus nomina ſortita eſt varia Eccleſia Chriſti. Dicitur enim Corpus Chriſti. Epheſ. 1. Coloſſ. 1.: quia in Spiritu Chriſti coaluit. Dicitur regnum Dei, propter leges & politiam ejus, Matth. 5. 23. Dicitur Sponſa Chriſti, propter fidem mutuo datam, & prolem in ea ſuſceptam, Epheſ. 5. Dicitur amica ejus, Cantic. 1. dicitur columba, propter ſimplicitatem & gemitus aſſiduos: turtur, propter caſtitatem: civitas, exercitus, hortus, vinea, mons. Etiam Apocalyp. 12. Mulier amicta ſole, &c. ubi militantis hujus deſcribuntur labores: & cap. 21. Civitas Sancta Hieruſalem, deſcendens de cœlo, triumphans proponitur.

DE TEMPLO.

TEmplum, quod Eccleſiam vocarunt Patres, quod domus Dei eſt, quod domus orationis a Chriſto dictum eſt, ut locus re vera ſanctus, devote adeundum eſt, teſte Auguſtino, (k) ideo magna cum religione dedicari oportet: non a quocunque, ſed ab Epiſcopo: ædificari autem ſic, ut ad altare orantes, convertantur ad orientem, ad Chriſtum ſcilicet, ſolem in animabus noſtris orientem, quique aſcendit ad orientem. Formam quoque ut plurimum navis damus ex Clementis Decreto, ut admoneamur, nos tanquam navi vectos in Eccleſia aſſidue fluctuare. Templi Salomonis oſtium ad orientem ſpectabat, & in æquinoctio Sol oriens mane ſubito illud illuſtrabat uſque ad Sancta Sanctorum. Sed nos alio reſpicimus. Cœmeterium (l) non debet majus eſſe, quam laterum quatuor quadragenorum paſſuum: nec minus, quam trigenorum: nec ſine altari: (procul ab Eccleſia ſi fuerit) ut vere religioſus eſſe locus poſſit: & in ea re Sanctorum exempla ſequamur, qui ad ſepulturas Martyrum Eccleſias ædificabant.

Jure ideirco optimo tanta immunitate gaudet Eccleſia, & libertate: quam qui violant, excommunicantur a jure. Sed ſcito immunitatem dici exemptionem loci ſacri: libertatem vero perſonæ, in ſe, & in iis, quibus libere utitur, docet Benedictus XI. in extr. c. Inter cunctas. Sed Canones libertatis Eccleſiæ invenies in Summula Cajetani, de excommunicatione.

Si ſcire vis, quoties ædificatum fuit templum in Hieruſalem: Primum a Salomone in Monte Moria: deinde poſt reditum a captivitate Babylonica reſtauratum a Zorobabel. In cujus reædificatione conſumpti fuerunt 46. anni. Antiochus hoc profanavit: ſed purgatum fuit a Maccabæo, repoſito altari, ſicut erat prius. Deinde dirutum & reædificatum ab Herode: factumque multo magnificentius, quam eſſet antea: ad ſimilitudinem illius primi Salomonis, ut ipſe ajebat. Hujus lapides & ſtructuram, mirabundi oſtendebant Chriſto diſcipuli ejus, cujus ne lapidem quidem manſurum ſuper lapidem reſpondit. (m)

STATUTUM I.

UBi ob locorum diſtantiam, vel difficultatem populus ægre poteſt ad Eccleſiam Parochialem convenire,

(k) Auguſt. ad Creſc. l. 4. c. 40. & Ep. ad Bonifac. 187. De dogm. Eccleſ. & aliis in locis Conc. Hipp. De conſ. d. 3.
(l) Part. 1. leg. Hiſp.
(m) 3. Reg. Agge. 1. Eſd. 1. 4. Joan. 6. Macca. 2. cap. 10. Joſep. 2. 14. Matt. 24.

gitized by Google

nire, novas Parochias etiam invitis Rectoribus erigemus. In quibus vero populus numeroſior eſt, cogentur Rectores ſecum alios Presbyteros aſſumere, qui ſufficiant Sacramentis adminiſtrandis, & cultui Divino celebrando. Et ubi magna erit Eccleſiæ paupertas, plures in unam convertemus, ſed ſine præjudicio tamen obtinentium.

Transferemus quoque Beneficia ſimplicia ex Eccleſiis, quæ vetuſtate, vel alias collapſæ, nequeant reſtaurari, in alias, cum eisdem oneribus & emolumentis. Sed Parochiales reſici procurentur ex fructibus ipſarum Eccleſiarum, vel Parochianorum. Quod ſi nimia egeſtate omnes laborent, ad viciniores, vel matrices transferantur.

SUPER ECCLESIIS POLLUTIS Anno 1569.

CAlamitatis recens memoria, quam a nonnullis exercitum Volfangi Gemini pontis, Ducis Palatini ſequentibus in menſe Martio proximo accepimus, omnes movere debet: præcipue vero nos Eccleſiæ Miniſtros, quorum odio flagrantes hæretici bonam Biſuntinæ Dioceſis partem, cæde, incendio, atque ruina devaſtarunt. Nullum namque exemplum ab his prætermiſſum eſt ſævitiæ in Dei Miniſtros. Et videntur certe in hoc tantum conveniſſe, ut memoriam Chriſti omnem extinguant. Nam JEſu Chriſti Redemptoris, & glorioſæ Matris ejus, atque Sanctorum, imagines contumelioſe fregerunt: Eccleſias, & domos Divino cultui dicatas incenderunt: Sacerdotes trucidarunt: Altaria diruerunt: Sepulchra everterunt: Sacra omnia profanarunt. Et, quod horrendum dictu eſt, nefariis manibus ſuis Sacroſanctum JEſu Chriſti Domini noſtri Corpus arripientes, perque pavimenta projectantes, pedibus inſultando conculcarunt. Et ne quid etiam omitterent impietatis, Baptiſteria (quæ ad ablutionem peccati & munditiam animæ in Eccleſiis præparantur) in uſus illi non tantum ſordidos verterunt, ſed & ſtercore repleverunt & ſordibus. Hæc illi. Sed eorum mens, & conſcientia cum ſordida ſit, & immunda, polluere ipſos tantum authores tantorum ſcelerum potuit: Eccleſia Sancta, Chriſti Sanguine mundata, quanto majora ab infidelibus probra ſuſtiner, tanto glorioſior evadit: & quanto magis conculcatur ab hoſtibus, tanto nitidior ſolet ac fulgentior conſurgere. Iſti occidunt corpus, ſed animam non poſſunt occidere. Eccleſias violant, ſed Templi Dei violatoribus nunquam proſpere ſucceſſit. Cæterum quia ſuper hoc tanto ſcandalo maxima pars Dioceſis nunc turbata eſt: & in multis incerti, quid agere debeant Viri Eccleſiaſtici remedia poſcunt, & Prælati ſententiam;

STATUTUM I.

IDcirco Paſtores omnes, & Miniſtros Eccleſiarum noſtræ Dioceſis monemus, & hortamur in Domino, ut plebes ſuas, & populos ſibi ſubditos, tum in concionibus, tum in privatis confeſſionibus, hæc doceant, & ſimilia, prout Spiritus Sanctus dabit: Hortentur omnes in fidei conſtantia manere: a vitiis abſtinere, & peccatis: maxime vero mortalibus, propter quæ venit ira Dei. Perpendentes ſecum ſinguli, & conſcientiam quisque ſuam examinantes, quod ſi pro commiſſis noſtris nos punire Dominus decreviſſet: multo graviora his commeruimus. Sed ſperemus magis in eo, & in Chriſto JEſu: qui lavit nos a peccatis noſtris in ſanguine ſuo, ut ſimus ſancti & immaculati in conſpectu ejus.

II.

Prohibemus ergo imprimis, ne Miſſæ in altaribus fractis, nec in Eccleſiis, ruina vel incendio vaſtatis, aut pollutis, Divina celebrentur: nec in earum Cœmiteriis ſepeliantur fideles, donec reconciliata hæc omnia ſint Epiſcopali benedictione. Reconciliationem autem per omnia illa loca brevi facturus eſt R. D. Suffraganeus, viſitando ſicut incepit, & ſine ſumptu, quantum poterit.

III.

Pollutas autem Eccleſias declaramus, & Cœmiteria denuo conſecranda, in quibus hæretici, vel excommunicati (quales ſunt iſti hoſtes fidei Catholicæ) ſepulti fuerint: deinde in quibus cædes factæ, vel ſanguis violenter effuſus, vel Veneris quæcunque opera perpetrata. Quarum quoque altare loco motum eſt, vel altaris reliquiæ extractæ: omnes hujusmodi reconciliatione

Digitized by Google

tione indigent. Sed in quibus equi, boves, ſues, aut alia animalia, ſtabulata fuerint: vel in quibus ipſi milites, ſive propter ſuas neceſſitates, ſive in contumeliam loci ſacri turpe, aut fœdum quidvis commiſerint: hæc poterunt pro hac vice tantum Sacerdos, Curatus, vel Decanus, & Abbas, vel Prior in Regularibus, propter populi ſcandalum expiare cum aqua Gregoriana, ſeu exorcizata.

IV.

Ciboria & fontes Baptiſmi mundentur diligenter: hoc enim ſufficiet, niſi populus nova malit facere. Quoniam ſicut hæc ipſa non conſecrantur ab Epiſcopo, ſic neque polluta declarantur ab Eccleſia. Super altare autem fractum poterit tabula marmorea conſecrata (altare vocant portatile) parari, atque in ea Miſſa celebrari, donec Eccleſiæ ipſæ reſtaurentur: & ubi pollutum ſit Cœmeterium, non polluta Eccleſia; permittitur nunc, ut in Eccleſia ſepeliantur fideles, qui hinc ad duos menſes vita deceſſerint.

V.

Atque hæc quantum ad reconciliationem locorum Sacrorum. Pro adminiſtratione autem Sacramentorum, quam ceſſaſſe hoc vaſtationis tempore in multis locis dolendum eſt: hæc, quæ ſequuntur, obſervanto.

VI.

Imprimis parvuli (qui baptizati non ſunt) baptizentur ſtatim, vel in propria Eccleſia, vel in alia, niſi polluta ſit. Et communicabunt ſibi mutuo Curati non ſolum Eccleſias, ſed alia omnia ad hæc neceſſaria, benigne & ſine ſpe ulla quæſtus. Ubi vero vaſtati ſunt Sacri Fontes, poterit nihilominus benedictio ſolemnis fieri in vaſe mundo, ſuper altare, vel loco convenienti, intra Eccleſiam ſervando.

VII.

Euchariſtiæ quoque & Pœnitentiæ Sacramenta, qui in hoc Paſchate propter eadem impedimenta non receperunt, confiteantur jam propriis Sacerdotibus: & Dominica proxima communicentur: niſi majoris excommunicationis ſententia ſint innodati. Alias enim expectandum eis erit remedium ſalubre abſolutionis, vel ſuſpenſionis. Cumque dies quadrageſimalis jejunii jam omnino transacti nunc ſint, & jejunium ſolverit ubique Eccleſia: declaramus, licuiſſe his veſci carnibus, & aliis omnibus, licet adhuc confeſſi non fuerint. Quamquam decebit maxime, qui confiteri deliberant, ut ob reverentiam ſuſcipiendi Corporis Domini, die aliquo ſe præparent antea cum jejunio.

VIII.

Matrimonii denique benedictio in Eccleſia fiat non polluta, ſicut res aliæ omnes ſacræ.

IX.

Intelligant autem Curati, quod Eccleſia polluta, pollutum quoque habetur cœmeterium, non contra; quia pollui poteſt cœmeterium, non polluta Eccleſia. Quare ſi qua eſt Capella, vel ædificium aliud honeſtum, quod hujusmodi ſacrilegorum manus, vimque evaſerit: poterunt Venerabiles Abbates, & Religioſi, ac Curati, & Cappellani, atque alii ad Divinum officium deputati (viri, atque fœminæ) Horas Canonicas, & preces facere in eo. Non autem in polluta.

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

SAcramentum Latine, Græce dicitur Myſterium. Et hoc quidem generaliter ſignificat, quicquid ſub figura rem continet admirabilem: ut Dan. 2. Eph. 1. & 5. Col. 1. 1. Tim. 3. Apoc. 2. Nos arctius accipimus, pro ſigno rei Sacræ. Eſtque Sacramentum (ut ex Divo Auguſtino, & aliis ſumpſerunt Theologi) inviſibilis gratiæ viſibilis forma. Dominus enim noſter JEſus Chriſtus novum ſuum populum non ſolum notis quibusdam exterius, colligari in unam ſocietatem & congregationem voluit, numero pauciſſimis, obſervatione facillimis, ſignificatione præſtantiſſimis: ſed etiam myſteriis, hoc eſt, cæremoniis, & ſignaculis ſanctificantibus, ſibi devotos initiari, atque dedicari ſibi: Sanctificantibus, inquam, non propria quidem rerum externarum virtute, aut meri-

merito Miniſtri: ſed Domini inſtituentis, atque ſecretius operantis. Itaque quamvis deceat bonum eſſe Sacramentorum Miniſtrum: tamen malus poteſt ea utiliter, digne ſuſcipientibus, diſpenſare, faciens ea, quæ ex Chriſti inſtitutione Eccleſia declaravit. Atque hoc eſt, quod dicunt ex opere operato gratiam conferre: non operantis Miniſtri vi, vel ſuſcipientis. [n]

Sunt Sacramenta Eccleſiæ Catholicæ ſeptem: ſcilicet, Baptiſmus, Confirmatio, Euchariſtia, Pœnitentia, Extrema Unctio, Ordo, & Matrimonium. Et unum quodque horum ſuæ inſtitutionis cauſam habet: vimque ſuam rebus, quibus conficitur, velut in ænigmate oſtendit. Siquidem Baptismum inſtituit Chriſtus, ut per illud regeneremur in novam creaturam, qui antea eramus filii iræ: & ſit lavacrum noſtræ regenerationis, abluendo nos a ſordibus peccati originalis. Per Sacramentum Confirmationis datur Spiritus Sanctus ad robur & conſtantiam, & conſervationem gratiæ acceptæ in Baptismo. In cujus rei ſignum unguntur veluti athletæ, & in mala percutiuntur. Euchariſtia nos paſcit alimonia Corporis & Sanguinis Domini. Pœnitentia in remedium inſtituta eſt, ſi quando in crimen & peccatum incidimus: ut hac, veluti in naufragio ſecunda tabula apprehenſa, ſalvemur. Per extremam Unctionem ſubſidium animæ, & corpori habemus in articulo mortis (tempore illo periculoſiſſimo) contra hoſtis iniqui tela ignita: & ſi in peccatis ſumus, remittuntur nobis. Ordinibus Sacris gratiam quoque accipimus, qua ad miniſteria Eccleſiæ obeunda apti efficimur, habiles & idonei. Matrimonium honorabile, & thorus immaculatus: ſi in Chriſto fiat, gratiam confert, & efficit, ut ipſis conjugibus legitimus congreſſus non imputetur ad culpam. Nullum denique eſt, cujus virtus, vel juſtitia non eſſe incipiat in ſumente absque impedimento, vel non augeatur incepta, vel non reparetur amiſſa. Atque hæc quidem vis eſt Sacramentorum. Multæ dantur præterea cauſæ congruentes a Theologis inſtitutionis Sacramentorum, quæ brevitatis cauſa omittimus.

Ex quo patet, non tantum duo eſſe ponenda Sacramenta: licet D. Auguſt. Epiſt. 118. & lib. 3. de doctr. chr. c. 9. aliter videatur quibusdam ſentire. Nam de duobus Baptisma & Euchariſtia, ita ſæpe loquitur, ut duo hæc neceſſaria omnibus affirmet, etiam infantibus. Nec in his locis alia ſecluſit, dicendo: Et ſi quid aliud in Script. Can. commendatur, &c. Hoc uno verbo dictum ſit contra adverſarios Eccleſiæ.

Nec illud repetamus, quod in unoquoque Sacramento duo ſunt ſpectanda. [o] Unum eſt, externum Sacramenti ſignum, influens oculis & auribus: alterum vero res Sacramenti, hoc eſt, Divina & ſpiritualis illa vis, quæ per Sacramentum efficitur, & ſignificatur. In ſigno rurſum duæ res adhibentur: una materialis, analogiam aliquam habens ad id, quod fieri per Sacramentum creditur: altera eſt verbum, quod id ipſum ſignificat expreſſe. Ut in Baptismo [quo a peccato tanquam lavamur] aqua eſt materiale ſignum: verba ſunt hæc: Ego te baptizo &c. quæ tanquam forma addita materiæ Sacramenti ſubſtantiam perficiunt. Effectus eſt in Baptiſmo mundatio a peccato, & character impreſſus: quanquam certe non omnia Sacramenta imprimunt characterem, ut neque omnia reiterari poſſunt.

Et quanquam Sacramenta ſalutem operantur, quam fieri ſignificant: non ideo tamen Catholici in Sacramentis ipſis acquieſcimus, ſed in Chriſto, qui Sacramentorum author exiſtit. Ea nos pro inſtrumentis habemus, & vaſis quibusdam, per quæ Dei gratia & Chriſti meritum, applicantur. Applicantur, inquam, via ordinaria: nam & ſine Sacramento res Sacramenti dari a Deo poteſt, per privilegium: & ſignum viſibile fieri absque vera ſanctificatione in ponente obicem peccati, vel ficte accedente. Doctrina eſt D. Auguſtini in multis locis. Nec deſinunt propterea eſſe Sacramenta, quod effectu careant: nam qui non dijudicat Corpus Domini, non tamen non manducat illud.

De differentia porro Sacramentorum novæ legis atque veteris, ſic loquitur Aug. in Pſal. 73. quod illa ſalutem dant, hæc Salvatorem promittebant, quia umbra erant, corpus autem Chriſti. Ideo dicimus nos Sacramenta novæ legis ex opere operato juſtificare: illa per fidem: quia opus erant perfectæ religionis.

Ex hoc igitur, quod actus eſſent ex virtute veræ religionis, meritoria cenſenda fuerunt. Auguſt. quoque lib. de pecc. orig. cap. 30. datam ait circumciſionem ad abluendum peccatum orig. ſicut Baptiſmum. Idem ait Greg. lib. 4. Moral. c. 2. An vero ex vi ſua peccata eluerent, hoc opus hic labor eſt. Juſtinus argumentatur: Si ex vi ſua circumciſio dediſſet gratiam, non fuiſſet data ſolis maſculis, ſed etiam fœminis. Quare in ſignum tantum datam fuiſſe ait, non in ſalutem. Idem Origenes, Tertul., Cypr., Chry. Nam carnalia erant, & egena, & infirma elementa, & umbra, quæ neminem ad

(n) Cypr. ſerm. de Cœna. Aug. lib. 3. contra Donat. c. 10. & lib. 5. c. 19.
(o) Aug. Epiſt. 23. & de Catech. rud. c. 26.

ad perfectum adducere potuerunt, ut Apoſtolus teſtatur. Miniſtri quoque eorum literæ occidentis erant, nos vero Spiritus vivificantis. Atque hæc quidem obiter. Nunc ad propoſitam materiam redeamus, & ad ea, quæ requiruntur in adminiſtratione Sacramentorum.

Intentionem requiri intellige non actualem ſemper, ſed ſufficit virtualis: quæ tunc adeſſe dicitur, cum actio noſtra ab alia intentione præcedente procedit. Ut ſi quis Miſſam celebrare, & pro aliquo orare decrevit: omnia, quæ ab hac deliberatione poſtea ſequuntur, & ſi actuali intentione ac voluntate careant, non tamen virtuali, quæ ſatis eſt.

Quantum vero ad cæremonias, & ritum attinet, quoniam Eccleſia ſola eſt, quæ a Chriſto Sacramentorum theſaurum accepit, & verum ac legitimum uſum eorum tenet, & novit: idcirco Miniſter in omnibus ſe Eccleſiæ conformabit, non ſolum in iis, quæ ſunt eſſentialia Sacramentorum: ſed etiam in accidentalibus, quæ plerumque ſignificationis cauſa, aut pietatis excitandæ gratia, inſtituta ſunt, aut ex veteri traditione Apoſtolorum accepta: & aliquando etiam mutata, pro ædificatione fidelium. (*p*)

STATUTUM I.

DEbet Miniſter Sacramenti intentionem habere agendi illud, quod Chriſtus inſtituit, & Eccleſia facit.

II.

In his omnibus, quæ ad ritum & cæremonias pertinent, mutare aliquid nemo privatus audeat, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordine: ſi id ignavia, vel ignorantia, aut alio vitio commiſerit. Nam ex pertinacia hoc faciens, tanquam ſchiſmaticus punietur: quod Eccleſiæ ſenſum perturbet.

III.

Quia igitur in Sacramentis aliud videtur oculis, atque aliud agitur Divina gratia ſecretius; ne tanta Dei beneficia ignorentur, aut putentur otioſa eſſe ſpectacula, nec ſuo habeantur in honore, aut indigne tractentur: inſtruendus eſt populus in cujuslibet adminiſtratione, ubi commode fieri poterit: frequenter etiam docendus in concionibus, ubi inciderit locus: quid in Sacramenti cujusque collatione agatur: quis ſit ejus fructus: quid velint ſigna externa: quomodo Dei virtus præſens inviſibiliter eis adſit: quomodo etiam digne vel indigne percipiantur, & ſimilia.

DE BAPTISMO.

SAcramentum Baptiſmi, janua dici ſolet omnium Sacramentorum: quia nullum confertur aliud Sacramentum ante Baptiſmum: inſtitutum quidem a Chriſto, ut ablueret nos a peccatis, ſanctificaret, & juſtificaret. Hoc Sacramentum facit, ut conſequamur remiſſionem peccatorum noſtrorum, originalis, ſcilicet, & actualium, ſi actuale aliquod commiſerit quis ante Baptiſmum. Per hoc nos Chriſtum induimus: per hoc filii efficimur Dei, & fratres Chriſti per adoptionem, atque hæredes regni cœlorum. Nec ſine Baptiſmo quis ſalutem conſequi poteſt, ſive adultus ſit, ſive parvulus. Alios multos effectus recenſet Aug. lib. contra Jul. c. 2. & Chryſ. de Bapt.

Baptiſmus tamen triplex eſt: flaminis, fluminis, & ſanguinis. De Baptiſmo autem fluminis hic intendimus tractare, & non de aliis: quia alii per analogiam ad hunc dicuntur. Unus enim Deus eſt, una fides, unum Baptiſma. Martyrum paſſio, Baptiſmus dicitur ſanguinis. Flaminis eſt Spiritus Sancti. Act. 1. cap. Baptiſmi autem fluminis, ſive aquæ, nomina multa recitat Chryſ. hom. 4. ad baptizandos.

In hoc Sacramento Baptiſmi quædam ſunt de ſubſtantia: alia de ſolennitate ſolum: quæ ſi omittantur, nihilominus verus eſſe poteſt Baptiſmus: licet peccet mortaliter, qui ea omittit, ut ſupra dictum eſt. Sine ſubſtantialibus autem eſſe non poteſt Baptiſmus.

De ſubſtantia hujus Sacramenti ſunt quinque, & neceſſaria omnino. Primum expreſſio formæ vocalis, quæ eſt hæc: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Vel lingua vernacula ab idiotis: *Je te baptize au nom du Pere, & du Fils, & du Saint Eſprit.*

Secundum eſt ablutio vel elementum aquæ fontis, vel fluminis, vel putei, vel pluviæ, vel nivis reſolutæ, vel maris, vel paludis, vel lacus, ſive frigidæ, ſive calidæ: quæ ablutio fiat vel in toto corpore, vel in parte corporis digniore ſcilicet, ut in capite.

Tertium eſt, quod ablutio illa fiat uno & eodem tempore, quando forma verborum

(*p*) Tertul. l. de Baptiſ. Refor. Cler. ſub Carolo.

Digitized by Google

rum ſupradicta exprimitur: non ante, nec poſt, neque ſic, ut unus puerum abluat, alter verba proferat: ſed unus & idem teneat, altera manu puerum & abluat, & verba proferat.

Quartum eſt intentio faciendi id, quod facit Eccleſia: & ſpecialiter hic in Baptiſmo eſt, ut baptizandus abluatur a peccato originali, & aliis omnibus peccatis, ſi adultus fuerit. In quo etiam (adulto ſcilicet) requiritur ſimilis intentio: quoniam ab invitis non recipitur aliquod Sacramentum. Quapropter quæri ſolet, an poſſint invitis parentibus, in quorum poteſtate ſunt, baptizari pueri. Communis opinio eſt, non debere fieri, ſed factum tenere.

Quintum eſt fides explicita, vel implicita ipſius baptizandi: quoniam in adultis requiritur fides propria: in parvulis vero fides aliena ſufficit, ſcilicet ſuſceptorum, qui totius Eccleſiæ nomine pro eis abrenunciant, credunt, & ſpondent. Quanquam videtur nonnullis non magis requiri fidem in ſuſceptore, quam in baptizatore.

Parvuli enim in fide Eccleſiæ baptizantur. Sed Chriſtus JEſus reſpiciens fidem offerentium infantes, ut eos tangeret, complexatus, dixit illorum eſſe regnum cœlorum. Ex hoc videtur (*q*) Juſtinus, qui Auguſtino dicuntur ſemper Suſceptores, vocaſſe Offerentes: Tertull. (*r*) Sponſores: Nos vulgo Patrinos, a Dionyſio (*s*) ſumpto vocabulo, quaſi genitores ſecundarios appellamus.

Atque hæc quidem omnia neceſſaria ſunt ad verum Baptiſma. Sunt alia octo de ſolennitate, ſignificantia res, quæ in Baptiſmo fiunt. Unde Verſus:

Chriſma, ſal, atque oleum, cereus, chriſmale, ſaliva,
Flatus, crux: virtus baptiſmatis inde notatur.

Siquidem ex veteri traditione, & ritu Eccleſiæ, duo præcedere debent Baptiſmum: Catechiſmus, & exorciſmus. Antequam enim baptizandi ſiſterentur ante fontem baptiſmalem, [quod fieri ſolebat in Sabbato Sancto Paſchæ, & Pentecoſtes] aliquo tempore antea, ante fores Eccleſiæ inſtituebantur, ac docebantur rudimenta fidei, elementaque doctrinæ Chriſtianæ, & vitæ melioris: quæ inſtitutio dicitur Catehiſmus: & ipſi, qui edocti baptizari poſtulabant, competentes & catechumeni: id eſt, audientes: & pœnitentes, ſeu reſipiſcentes propter vitæ converſionem, & jejunia, & orationes, quibus vacabant. Dicebantur etiam ſignati, quod ſigno Crucis frequenter ſignarentur.

Dant hic baptizandi ſua nomina, tanquam novæ militiæ ſe Sacramento obligantes: abrenunciant diabolo, & pompis, atque operibus ejus, tam verbo, quam geſtu exſufflantes in illius deteſtationem: & ſignaculo crucis ſæpius impreſſo, armantur contra diabolum: qui virgam, qua percuſſus eſt, ſemper timet. Salem dabat Miniſter catechumenis inter ſolennes Paſchales dies: (non Sacramentum) quia ſapientia condiri oportet deinceps actiones, & cogitationes hominis Chriſtiani, quem Baptiſmus a corruptione, & fœtore peccati liberavit. Dabatur quoque panis benedictus, ſive ſanctificatus, qui panis dicebatur catechumenorum, & figura corporis Chriſti: ſed non corpus ipſum.

Exorciſmo, id eſt, adjuratione, (qui ſermo increpatorius eſt ſpiritus immundi) per manus impoſitionem & Crucis ſignum, tanquam flagello, expellitur diabolus: in cujus poteſtate eramus propter peccatum. Et licet nunc orationes, adjurationesque ſimul mixtæ habeantur cum Catechiſmo: tamen olim fiebant per totam Quadrageſimam: maxime vero quarta feria poſt Dominicam Quadrageſimæ de Lætare: & quinta feria majoris hebdomadæ fidem reddebant verbis conceptis, ſicut didicerant. Alii etiam octo diebus ante Paſcha. Vocabant myſterium hoc, apertionem aurium: quia in hoc tangit Sacerdos luto ex ſaliva aures, & nares: ut catechumenus præparetur ad audiendum legem Domini, & orandum. Ubi rurſum abrenunciant Satanæ, facta renunciatione convertuntur ab occidente in orientem, quaſi a diabolo ad Chriſtum.

Exorciſmis factis, introducuntur baptizandi in Eccleſiam, & unguntur oleo catechumenorum in pectore, tanquam athletæ Chriſti: & inter ſcapulas, ut patienter ferre poſſint labores & ærumnas hujus vitæ pro Chriſto. Et rurſum, antequam baptizentur, dant ſua nomina: rurſumque profitentur fidem, juxta interrogationem Sacerdotis. Sic fieri ſolet, quando recenſentur milites poſt magnum certamen.

Paratus ergo Sacerdos abluere, interrogat ſemel, iterum, & tertio: Vis baptizari? quia nemo invitus baptizari debet. Quod ſi velit, abluitur in nomine Patris, &c. Poſt hæc tandem ungitur Chriſmate in vertice, tanquam in Regem & Sacerdotem, & veſte candida induitur: quia quicunque in Chriſto baptizati ſunt, Chriſtum induerunt. Et lampadem accipit offerendam myſteriis: ad ſignificandum lumen fidei, qua illuminatus eſt per Baptiſma. Quare Sancti Patres (præſertim Græci) Sacramentum Baptiſmi, præter

(*q*) Juſtin. q. 56. (*r*) Tertull. de Baptiſm. (*s*) Dion. de Bapt.

ter alia nomina, quæ recitat Chryſoſt., ſæpe Sacramentum luminarium appellarunt; & Paulus illuminatos, baptizatos: quia Baptiſmus in nocte Sancti Paſchæ, cereo Paſchali, & multis luminibus illuſtrata celebrabatur, quando magna ſolennitate fontem baptiſmalem, cum ſanctis precibus, & cum cereo Paſchali, invocatione Sancti Spiritus, & cum Chriſmate conſecrabant. Quod etiam obſervavit ſemper Eccleſia, inde ab initio, ad noſtra uſque tempora. Chriſmate enim ſignificatur Spiritus Sancti gratia: ut intelligamus (ſicut Sanctus Hieronymus ait) non aquam eſſe, quæ lavat animam, ſed lavari eam potius a Spiritu Sancto, ut alios lavare ſpiritualiter poſſit. Et ideo Auguſtinus: Unde iſta tanta virtus aquæ, ut corpus tangat, & cor abluat, niſi faciente verbo? Non quia dicitur, ſed quia creditur. Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud virtus manens. Per cereum Paſchalem accenſum & deductum ſuper fontem in Crucis modum, ſignificatur hoc vere agi in Baptiſmo, quod præfiguratum Apoſtolus tradit fuiſſe, in tranſitu maris rubri, per columnam nubis, quæ interdiu velamento erat contra ardorem Solis, & noctu ſyderei ſplendoris vicem gerebat peregrinis.

Fiebant adhuc plures olim cæremoniæ in Baptiſmo, ut majoribus, pluribusque actionibus devincerentur, devinctosque ſe eſſe agnoſcerent baptizati. Lavabantur ſiquidem eorum pedes: dabatur eis lac & mel, tanquam infantibus recens natis. Ad quod reſpexiſſe videtur Apoſtolus Heb. 6. & 10. ubi renovari poſſe negat aliquem per pœnitentiam: id eſt, baptizari denuo. De trina immerſione uſus apud nos abolevit, non item apud Anglos. Fiebat autem in myſterium Trinitatis, ut docet Baſilius. Videtur hic ritus primum ceſſaſſe in Hiſpania, propter Arrianos, qui tres naturas in Trinitate per trinam immerſionem ſignari volebant.

Fontem baptismalem nos Baptiſterium, a Græcis vocamus. Qui etiam aliter nominant κολυμβήθραν: id eſt, lavatorium, vel natatorium. Dionyſius, μήτρα τῆς υἱοθεσίας, matrem adoptionis. Alii φωτισήριον, ab illuminatione. Ambroſius regenerationis Sacrarium.

De Baptiſmo Joannis, & Circumciſione, & de pueris ſine Baptiſmo decedentibus.

CÆterum hic duæ exiſtunt res examinandæ: Baptiſmus Joannis, & Circumciſio: habent enim affinitatem magnam cum Baptiſmo Chriſti. Ac primum quidem quæritur, quo differat ab hoc, Joannis Baptiſma: quid quoque valebat Circumciſio: & quæſtio ex his emergens, quid dicendum de pueris ſine Baptiſmo decedentibus. Quanquam perplexæ quæſtiones ſunt, & quibus implicari curioſius non expedit Curatos: tamen ut ſapientibus & inſipientibus morem geramus, quia lectorum non idem genius unquam reperitur; Ad primam dicimus: Sicut fuit Joannes præcurſor Chriſti: ſic ejus Baptiſma fuiſſe veluti Catechiſmum quendam, præparantem diſcipulos ejus ad Chriſti Baptiſmum: nec gratiam contuliſſe, nec abſtuliſſe peccata. Ego [inquiebat] baptizo in aqua. Et ſequitur: Qui miſit me baptizare in aqua, ille dixit mihi: Super quem videris Spiritum deſcendentem, & manentem ſuper eum, hic eſt, qui baptizat in Spiritu Sancto. Quaſi dicat: Ego corpus lavo: ſed ille ſpiritum mundabit. Et Dominus JEſus: Joannes quidem baptizavit aqua: vos autem baptizabimini Spiritu Sancto. Ergo gratiam non conferebat, ſed præparabat ad gratiam: & pœnitentiæ profeſſionem in illo faciebant baptizati, in remiſſionem peccatorum, quam obtinere ſe ſperarent per Chriſtum. Quare & Baptiſmus pœnitentiæ dictus eſt, ſicut etiam Chriſti Baptiſmus: ſed diverſa ratione. Ille ad pœnitentiam invitabat: id eſt, non ſolum ad mutandam vitam in melius, ſed ad agendum fructus dignos pœnitentiæ. Hic autem antequam recipiatur, pœnitere oportet candidatos. Hic quoque in remiſſionem ſumitur: quia in eo peccata omnia remittuntur. Ille quoque ideo in remiſſionem, quod hortaretur ad pœnitentiam, ut remiſſionem obtinerent. Quare nec Sacramentum exiſtimandum volunt: licet quidam aliter ſenſerint. Ex his multum probabile colligitur, baptizatum fuiſſe Joannem a Chriſto, poſtquam Chriſtum ipſe baptizaſſet. Dicit enim: Sine modo: quaſi velit: Poſtea ego, quod meum erit, faciam. Siquidem Apoſtoli, quos in Joannis Baptiſmo tantum baptizatos intellexerunt, baptizarunt in nomine Domini JESU. Act. 19. Aliis tantum manus impoſuerunt, qui in nomine JEſu baptizati erant. Act. 8. Ob hanc rem proprie appellatur Baptiſmus Chriſti lavacrum regenerationis: illud Baptiſma pœnitentiæ. Scripſerunt multi de hac materia: Cyrillus in Joan. c. 1. Auguſt. contra Donat. lib. 5. c. 9. & ſeq. contra epiſt. Petil. l. 2. c. 37. Hieron. in Joel. c. 2. & contra Lucif. Damaſcenus lib. 4. Theol. c. 10. Chryſ. in Matth. hom. 14. Beda in Matth. 3.

Quando ergo Apoſtoli baptizati fuerint a Chriſto (renaſci enim & ipſos oportuit) variant ſententiæ. Vide Tertull. de Bapt. Aug. de orig. animæ. lib. 3. c. 9. lib. 5. contra Donat. c. 10. Chryſ. in Act. c. 1.

Ad

Ad quæſtionem igitur de pueris non baptizatis, reſpondet (*t*) D. Auguſtinus: Quisquis dixerit, quod in Chriſto vivificabuntur etiam pueri, qui ſine Sacramenti ejus participatione de hac vita exeunt: hic contra Apoſtolicam prædicationem venit, Rom. 4. Judicium ex uno in omnes in condemnationem. Cæterum ne quis putet iniquiorem fuiſſe Auguſtinum erga pueros ſic decedentes, videat, quæ antea Origenes lib. 6. in Epiſt. ad Rom. & Dionyſius Hierar. c. ult. Pelagiana hæreſis eſt dicere, quod pueri etiam ſine Baptiſmatis decedentes gratia poſſint præmiis vitæ æternæ donari. Nam illud palam eſt, quod loquitur [*u*] Chriſtus: Niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto, non poteſt introire in regnum Dei. Si fides parentum (ut hæretici arbitrantur) liberaret nunc a peccato & a morte liberos eorum: liberaſſet profecto eadem ratione & filios Abrahæ non circumciſos. Sed aliter docet Scriptura: Maſculus cujus præputii caro circumciſa non fuerit, peribit de populo meo. At [inquiunt] ſi parentes ſancti ſunt, & filii ſancti erunt, ut videtur ex 1. Cor. 7. O argutam rationem! Quaſi vero unius ſemper modi dicatur ſanctificatio. Primi Reg. 21. Vaſa puerorum David ſancta dicuntur: id eſt, munda ab ea re, qua de Sacerdos loquebatur. Sic ſanctum dicimus, quod ſine macula, vel nota eſt. Sic filios illic ſanctos, id eſt, ſine nota vel macula illegitimorum intellige: & virum infidelem a muliere fideli ſanctificari, ut in honorem conjugii, non obſit fideli conſuetudo infidelis: & catechumeni ſecundum modum quendam ſanctificantur: & quod accipiunt, inquit B. Auguſt., quamvis non eſt corpus Chriſti, ſanctum tamen eſt: & cibum ſanctificari verbo Dei author eſt Apoſtolus. Quare Apoſtolus (*x*) illic non de juſtitiæ ſanctificatione, aut gratiæ Dei loquitur: neque enim filii eo loco ſancti magis dicuntur, quam vir infidelis [quem ſanctificari per mulierem docet] niſi fidem habeat in Chriſto. Poteſt quidem ſalvare omnes Deus: quoniam virtus ejus Divina non eſt alligata Sacramentis. Sed quamdiu legitur Chriſti Evangelium [niſi aliter revelatum fuerit] perire omnes pronunciabimus, quos ſine lavacro regenerationis mors intempeſta occuparit. At, inquies, quod apud nos valet aqua Baptiſmi, teſte magno Gregorio, hoc agebat apud veteres, vel pro parvulis ſola fides, vel pro majoribus virtus ſacrificii, [ſive oblationis] vel pro his, qui ex Abrahæ ſtirpe prodierant, myſterium circumciſionis: Ergo a fortiori nunc, qui ſub gratia, ſi deeſt Baptiſmus, fides ſufficiet parentum. Namque remedium nunquam defuit contra peccatum orig. In Lege naturæ Sacrificia & Oblationes erant: in Moſaica Circumciſio: in Evangelica Baptiſmus. Ergo in utero periclitantibus nullum ne erit ſolatium? Reſponde cum Paulo (*y*): Quam incomprehenſibilia ſunt judicia Dei! Sanctificavit certe aliquos Deus ex utero: ſed privilegio paucorum. Dictum Gregorii, quod citavit Gratianus, (*z*) non magni fit a Durando: qui Judæorum filios opinatur ante circumciſionem ſalvari: non per ſolam fidem tamen parentum, ſed per fidem, & ſignum aliquod exterius. [*a*] Sequi videtur is Alexandrum de Ales. Eum ſequitur Adrianus ſextus: hunc etiam (*b*) Cajetanus. Hanc ſententiam refert S. Thom. in quodlib. 6. art. 4. Sed non ſubſiſtit: quia non invenitur præceptum aliquod ſignum fuiſſe aliud, præter circumciſionem. Idem Bonavent. & Richard. Biel. (*c*) Soto autem acriter hic pugnat cum Cajetano: aliis licet parcens. (*d*)

Idem S. Bonaventura rem hanc ingenioſe diſtinguit. Proponit enim conſiderandum triplicem hominis ſtatum. Unus eſt in utero matris: alter extra uterum, in infantia: tertius in ætate jam adulta. In primo, ſoli Deo notus eſt: in ſecundo, notus eſt Deo & Eccleſiæ: in tertio, & Deo, & Eccleſiæ, & ſibi ipſi. Exiſtens in primo ab uno Deo ſolum ſalvari poteſt, cui ſoli notus eſt: in ſecundo, per Eccleſiæ Sacramenta: in tertio etiam per fidem propriam, ubi copia deeſt Sacramenti. Sed requiritur in adulto præter Sacramentum etiam fides propria, quæ in puero ſufficit aliena: nempe Eccleſiæ cum Sacramento.

De Circumciſione autem hæc ſcire convenit. Data fuit circumciſio Abrahæ in ſignum juſtitiæ fidei, & in fœdus, quod percuti Deus voluit cum eo: ut eſſet memoriale fidei, per quam meruerat Abraham, adhuc in præputio exiſtens, ut ſibi ſervarentur promiſſiones. Rom. 4. Signum accepit circumciſionis, ſignaculum juſtitiæ fidei, quæ fuerat in præputio. Gen. 17. Circumdetis carnem præputii veſtri, ut ſit in ſignum fœderis inter me & vos: eritque pactum in carne veſtra in fœdus æternum.

Habes inſtitutionem & originem Circumciſionis: ſed cur in ea parte fieret, multæ dantur cauſæ. Una eſt, ut per occultum membrum, in quo figura quædam cordis occulta eſt, occulta mentis atque cordis cir-

(*t*) De fide ad Pet. (*u*) Joan. 3. (*x*) 1. Tim. 4.
(*y*) Rom. 11. (*z*) 4. Sent. d. 1. q. 8. (*a*) 4. de Sacramentis.
(*b*) In 3. part. S. Thom. q. 68. 4. Sent. d. 1. art. 11. (*c*) Biel. 4. d. 4. q. 2.
(*d*) Soto. libr. 2. de natura & gratia. cap. 10. 4. d. 5. q. 1.

cumciſio ſignaretur. Sic enim Apoſtolus: Non quæ in carne eſt circumciſio, ſed circumciſio cordis in Spiritu, non litera. Altera, quod ſicut per circumciſionem expiabatur tunc peccatum originale: ſic fieret in ea parte ſignum ejus, & tanquam cauterium imprimeretur, unde propagationis morbus ſumit originem. Atque ob hanc cauſam fœminæ ejus non fuerunt capaces. Quia generandi vis in viro eſt maxime, non ſic in fœmina. Quare etiam illud factum eſt, ut ſuccedente Baptiſmo Chriſti, nocua ſit circumciſio. Galat. 5. Si circumcidimini, Chriſtus vobis nihil prodeſt. Fuit & alia cauſa. Dei namque populum electum ſymbolo aliquo diſtingui oportuit, cum in bello ab hoſtibus, tum a cæteris gentibus in pace. Quapropter in deſerto, cum ſoli agerent Iſraelitæ, circumcidi ceſſarunt 40. annis. Nulla vero pars corporis notam poterat accipere, quam hæc, vel cum minori incommodo, vel cum minori turpitudine: quæ ſemper ſepoſita ſervatur ſolicite ab hominum aſpectu. Turcæ adhuc, & Mahometani omnes, ſe ab Abraham & Sara oriundos jactantes (unde Saraceni) circumciduntur: non octavo quidem die, ſed pubertatis anno primo. Porro id ne ignorent idiotæ, nos circumciſos vocamus, a reciſa pelle, recutitos: Horatius ut pelle diminutos, vocat apellas, & curtos.

SEQUUNTUR CAPITA QUÆdam ex veteri Statuto in tit. de Baptiſmo.

STATUTUM I.

BAptiſmus, Confirmatio, & Ordo nunquam iterantur, id eſt, non conferuntur uni perſonæ ſingulari niſi ſemel, ſeu unica vice: quia quodlibet ipſorum imprimit characterem indelebilem in anima.

Character in præſenti propoſito, eſt quædam qualitas & facultas ſpiritualis: per quam ſuſcipiens Sacramentum poteſt aliquid facere vel recipere, quod non poterat antea. Et ideo dicitur ſignum ſpirituale, diſtinguens eum, qui Sacramentum accepit ab aliis. Meminit D. Auguſtinus characteris in multis locis, præcipue contra Donatiſtas. Et videtur Eccleſia notionem accepiſſe hujus rei ex c. 1. Epiſt. 2. ad Cor. 11. & 4. ad Eph.

II.

Baptiſmi materia, qua utimur in Eccleſia, eſt aqua, ſimplex, naturalis (ſeu elementalis) benedicta, ſeu ſanctificata ſolenniter, ſecundum ritum Eccleſiæ in Sabbato Sancto Paſchæ, & Sabbato Pentecoſtes.

III.

Baptiſmus tamen adminiſtrari poteſt in caſu neceſſitatis aqua naturali, elementali, pura & ſimplici, non benedicta ſeu ſanctificata ſolenniter.

IV.

Baptiſmus non debet fieri in ſaliva, in aqua roſacea, ardenti, vel alia artificiali, nec in cerviſia aut vino: ſed in lixivio fieri poteſt, ſi alia aqua non poſſet inveniri, quia aqua eſt naturalis colata per cineres: ſicut in aqua naturali & pura, quæ per venas ſulfureas tranſit.

V.

Baptiſmi forma hæc eſt: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Quæ omnino debet obſervari, nihil addendo, minuendo, transferendo vel immutando de eadem: ut tollatur omnis dubietas, vel opinionum diverſitas. Ea uno contextu debet proferri, ita ut non ſit, aut fiat interruptio notabilis per longam pauſam, & moram temporis. Quanquam verborum corruptio non vitiat Sacramentum, modo ſenſus maneat: virtus enim verbi tanta eſt (Auguſtino teſte) ut juſtum faciat, non quia dicitur, ſed quia creditur.

VI.

Miniſter Baptiſmi proprius, ſpecialis, & ordinarius, eſt Sacerdos, extra caſum neceſſitatis: ſed in caſu neceſſitatis, omnis alia perſona ſive fuerit vir, ſive mulier, ſive fidelis, ſive infidelis, Judæus, Paganus, hæreticus, poſſunt baptizare: dummodo baptizent in aqua, & verba debite proferant, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia.

Eccleſiaſtici olim Canones non niſi Epiſcopo & Presbytero dabant hoc miniſterium: propter Eccleſiæ honorem: quo ſalva pax

pax eſt, inquit Tertullianus. Sed in neceſſitate Eunuchus a Philippo Diacono baptizatus fuit, & a Laurentio multi. Ananias quoque Paulum baptizavit. Ab hæreticis baptizatos, non eſſe baptizandos iterum, definivit Conc. Nicænum. Quare non refert qualem doctrinam is habeat, modo in nomine Patris, &c. Auguſt. contra Donar. li. 3. c. 14. licet dubitaverit aliquando antea de eo Miniſtro, qui ipſe baptizatus non eſſet. [e]

VII.

Pater & mater infantis in extrema neceſſitate poſſunt baptizare infantem ſuum : ſi non ſit alia perſona præſens, quæ baptizare ſciat, aut poſſit, & non alias.

VIII.

Doceant Curati obſtetrices & ſuos Parochianos, integre, fideliter, & devote proferre verba formæ Baptiſmi in vulgari ſermone, *Je te baptize au nom du Pere, & du Fils, & du Saint Eſprit*, Amen: ut miniſtrare poſſint illud in forma Eccleſiæ, ſi caſus neceſſitatis emerſerit. Et doceant eas, quod ſimul cum prolatione verborum debent tenere infantem, & immergere illum in aquam ſecundum conſuetudinem Eccleſiæ ſuæ, & quod habeant intentionem baptizandi ſecundum ordinationem univerſalis Catholicæ Eccleſiæ.

IX.

Conſuetudo Eccleſiæ eſt obſervanda in Baptiſmo, quo ad immerſionem vel aſperſionem; videlicet, quod ubi eſt conſuetudo, quod puer immergatur in aquam, debet immergi: niſi timor eſſet de vita ex cauſa rationabili & evidenti. Et ubi eſt conſuetudo, quod aſpergatur, ſive effundatur aqua ſuper caput ſine immerſione, illa etiam obſervanda eſt.

X.

Si puer dolore partus appareat vivus eſſe in utero matris, nec poteſt exire totus, ſed apparet una pars corporis: Si caput apparet, debet baptizari, quia in capite vigent omnes ſenſus hominis exteriores & interiores. Si autem pes & manus appareant, & non caput, (ſi conſtet de vita, & periculum ſit de expectatione totius ab utero) debet baptizari, ſecundum communiorem & humaniorem ſententiam Doctorum.

XI.

Si mulier præ anguſtia pariendi moriatur, & appareat partus in utero vivus: debet os ejus teneri apertum, ne ſuffocetur partus: & per probatum atque expertum chirurgum, aut inciſorem, debet cum diligentia venter matris aperiri, & infans inde extrahi, ac baptizari.

Adde hinc veteri Statuto, ad majorem declarationem, quod ſi certum ſit infantem non vivere, non ſcindatur mater : ſed una cum infante ponatur in terra benedicta, quia corpus infantis quamdiu in utero eſt, cenſetur pars eſſe viſcerum matris.

XII.

Sacerdos interroget diligenter obſtetrices, & alias perſonas, quæ deferunt infantes ad baptizandum: ſi propter aliquod periculum vitæ infantis, de quo dubitaverint, illum baptizaverint, an non. Si reſponderint, quod non: procedat ad exorciſmos, & alia per ordinem, prout in libro manuali continetur. Si vero infans baptizatus fuerit : interroget de forma verborum prolatorum. Quæ ſi integre & debito modo prolata fuerint, non erit infans ulterius baptizandus: quia Sacramentum eſt non reiterabile, ut dictum eſt. Debet autem catechizari & exorcizari, ut ritus Eccleſiæ ſervetur. Si vero re diligenter perquiſita dubiter Sacerdos probabiliter, quod verba & alia neceſſaria non fuerint prolata & obſervata: baptizet ſub hac forma: Si tu es baptizatus, ego non baptizo te: ſed ſi tu non es baptizatus, ego baptizo te; In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Aliter vero nunquam ei fas erit.

XIII.

(e) Clem. lib. 3. c. 10. 11. & lib. 11. & 8. Epiph. hereſ. 79. Tertull. de Bapti. De Conſ. d. 4. c. Romanus. c. Quod eſt. c. Mulier. Conc. Carth. 4. c. 99. Aug. contra opin. Parm. c. 13. & lib. 2. cont. Don. c. 53. Hieron. cont. Lucif.

Digitized by Google

XIII.

Infans, qui reperitur expoſitus, nec ſcitur a quo, nec apparent ſigna, vel teſtimonia, ſitne baptizatus, nec ne: debet baptizari ſub conditione, videlicet: Si tu es baptizatus, ego non intendo te baptizare: ſed ſi tu non es baptizatus, ego baptizo te, &c. Et Gallice, ſi Laicus hoc faciat, dicat: *Enfant, ſi tu es baptizé, je n'entens pas de te baptizer: mais ſi tu n'es baptizé, je te baptize au nom*, &c.

XIV.

In parvulis, qui baptizantur, ſufficit fides & intentio recta illorum, qui ipſos offerunt ad Baptiſmum: quorum fidei profeſſio parvulum obligat ad obſervantiam, quia pro ſalute ejus fit obligatio.

XV.

Levantes puerum de Sacro Fonte, debent eum docere Orationem Dominicam, Pater noſter: Salutationem Angelicam, Ave Maria: Symbolum Apoſtolorum, in quo continentur articuli fidei: ſcilicet, Credo in Deum Patrem omnipotentem, & Credo in Spiritum Sanctum: juſtitiam ſervare, charitatem tenere, & caſtitatem cuſtodire.

XVI.

Quia in Baptiſmo contrahitur cognatio ſpiritualis inter plures perſonas, propter quam multa Matrimonia impediuntur fieri: idcirco non admittantur plures, quam duæ perſonæ: videlicet, unus vir, & una fœmina, in levatione unius infantis ad ſummum. Sciſcitetur autem Parochus diligenter, antequam ad Baptiſmum accedat, quiſnam electus ſit ad ſuſcipiendum infantem de Sacro Fonte: ne alius ſe pro Patrino gerat, licet puerum tangat, vel teneat.

XVII.

Deinceps Sacerdotes Parochiales habeant librum, ſeu regiſtrum, in cujus principio ſcribant annum, in quo inchoabitur, & conſequenter menſem & diem Baptiſmi cujuslibet infantis, nomen ipſius, & nomina genitorum ipſius, nomina patrinorum & matrinarum; ſic ſcribendo:

Petrus, Filius Joannis & Mariæ, natus die tertia Maji, baptizatus die vigeſima ejusdem menſis. Cujus patrini fuerunt Gerardus talis & Catharina talis.

XVIII.

Religioſi non debent pueros in Baptiſmo tenere, neque commatres habere, dum alii reperiri poſſunt.

XIX.

In plerisque locis noſtræ Dioceſis (ut accepimus) Sacerdotes quidam male docti baptizare præſumunt infantes mortuos ab utero matris: quos quædam vetulæ mulieres ebrioſæ & modicæ conſcientiæ, in Eccleſiis per duos, tres, vel plures dies obſervant, & poſtea teſtificantur ſigna vitæ in eis apparuiſſe, & poſt hæc in loco religioſo & ſacro ſepeliunt: cum præmiſſa (ſi vera eſſent) miraculoſa deberent merito dici. Ad quorum approbationem major indagatio & verificatio requiritur, quam ſit teſtimonium vetularum. Cum igitur cum fidelibus niſi fideles ſepeliantur; ideo, ne talia de cætero fiant, ſine noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis, ſeu Officialis, licentia, omnino prohibemus. (*f*)

XX.

Baptizati inungantur in locis ordinatis Chriſmate novo: id eſt, conſecrato illo anno: & non Chriſmate veteri. Sed illud comburatur in Eccleſia: & cineres in piſcina aut juxta altare recondantur.

XXI.

Baptiſmus celebretur in Eccleſia, & non extra: niſi in caſu neceſſitatis. Et tunc fiat, ut ſupra dictum eſt, aut alio caſu permiſſo a jure: & non alias.

Hactenus ex veteri Statuto Capitulorum, ordine parum immutato. Quibus hoc ſolum addimus.

XXII.

Si baptizatus a Sacramentariis, aut aliis hæreticis, Eccleſiæ Catholicæ reconci-

(*f*) De Conſec. diſt. 1. c. Infideles, cum ſequenti. Lappus in alleg. 83.

conciliationem poſtulet, & vere baptizatum eſſe conſtet, adeat Epiſcopum. Per eum injuncta pœnitentia reconciliabitur. Si vero facta inquiſitione diligenti, dubitetur eſſe baptizatum, & baptizari ſecundum ritum Eccleſiæ Romanæ velit: eadem obſervabuntur illa, quæ ſupra diximus facienda circa illos, qui a laicis perſonis non certo baptizati offeruntur in Eccleſia. Quia licet hæretici plerique noſtri temporis vere baptizent: a cæremoniis tamen noſtris, & Eccleſiæ Romanæ diſſentiunt. Quo fit, ut aliqui ſe baptizatos vere dubitent. Quod facere non debent, ſi de forma & materia adhibita certi ſint. Quare interrogabuntur ipſe baptizandus & Patrini, de modo & forma, quibus ab hæreticis baptizatus fuerit. Si vero dubitetur de forma: tunc utetur forma conditionali ſuperius tradita: *Si tu es baptizé, je ne te baptize pas*: & *ſi tu n'es baptizé, &c.* Et cæteris, ut dictum eſt, peractis, indutus baptizatus ſuis indumentis, audiet Miſſam tenens facem accenſam in manibus, quam offeret in Offertorio. Patrini vero levantes offerent panem & vinum: & accepta Communione & benedictione Sacerdotis, dimittentur in pace.

XXIII.

Curati ſcire debent, quod ex Eccleſiæ Statuto (*g*) cognatio ſpiritualis contrahitur in Baptiſmo, & in Confirmatione, quæ impedit Matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: nempe baptizans & ſuſcipiens (vel levans de fonte) cum ſuis uxoribus, & maritis jam cognitis dicuntur compatres parentum, id eſt, genitorum baptizati: & iidem patrini parentes ſpirituales ſunt ejusdem baptizati. Filii quoque baptizantis & levantis fratres ſpirituales ejusdem baptizati dicebantur hactenus. Cæterum in Concilio (*b*) Trident. prohibitionum multitudinem contrahentes Patres, ſtatuerunt, ut poſthac inter levantes & baptizatum ipſum, & hujus patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, ſpiritualis cognatio contrahatur tantum, quæ impedimento ſint Matrimoniis.

XXIV.

Pro Baptiſmo nihil exigatur, ſed ſi quid offeratur, illud accipiat Sacerdos ſecundum laudabilem conſuetudinem, quæ obſervanda erit. (*i*)

XXV.

In horum conviviis modeſtia agnoſcatur, luxu ſuperfluo rejecto: maxime vero Presbyteri in his ab omni ſermone abſtineant impudico & vano.

XXVI.

Fontes poſt ſolennem ipſorum benedictionem, & Chriſma, & Sanctum Oleum, ſub clave & ſeratura cuſtodiantur diligenter, & aqua ipſorum renovetur in Paſchate & Pentecoſte (*k*): quin etiam (quod abſit) ſi caſu aliquo corrupta fuerit, (ne quis ob corruptionem ſcandalizetur) renovari poterit: nec permittat Sacerdos, poſtquam Sacrum Chriſma admiſcuerit, de aqua quenquam accipere, quia multa ſortilegia & maleficia ex diabolica ſuggeſtione fieri & procurari cum aqua hujusmodi, docuit experientia. Curatus autem circa hanc cuſtodiam negligens, etiam ſi nihil nepharium inde contigerit, tamen ſuſpenſionis pœnam a jure incurret.

XXVII.

Chriſmalia infantium, & aliorum baptizandorum, munda & nova habeantur, & tam magna & lata, ut loca Sacro Chriſmate & Oleo Sancto illita, tegi omnino poſſint, ne alii panni eo pertingant.

XXVIII.

Illi vero, qui in die Cœnæ, vel alias mittuntur ad Eccleſiam Cathedralem Sacrum Chriſma & Oleum petituri, in Sacris, vel minoribus Ordinibus ſint conſtituti; ne indigni habeantur rem tam ſacram deferre, & ſciant diſcer-

(*g*) S. Thom. 4. d. 42. & alii Theologi c. Contracto. de cognat. ſpirit. & eodem titul. lib. 6.
30. q. 1. & 2. 3. 4. (*b*) Seſſ. 24. c. 2.
(*i*) 1. q. 1. Baptizandis, c. Ad Apoſtolicam. de Simon. (*k*) De celebr. Miſſ. c. Sane.

ſcernere vaſa, ubi Chriſma, & ubi Oleum Sanctum contineatur, & caute in via, & in hoſpitiis cuſtodiant. (*l*)

Quando videbitur expedire, ut offerentes puerum, vel adultum ad Baptiſma, exhortatione aliqua admoneantur, & de Sacramento ipſo doceantur: (veluti quando magna eſt multitudo populi congregata) poterit Curatus, omnibus ante ſe poſitis, ante valvas Eccleſiæ lingua vernacula hæc recitare, vel memoriter, vel ex libro.

MEs Freres & Seurs en JEſus Chriſt, combien que je ſay, que pluſieurs de ceſte compagnie n'ignorent la raiſon du myſtere, pour lequel nous ſommes icy: toutesfois pour ſatisfaire à tous, je vous dis, que nous ſommes aſſemblez icy avec la compagnie des Anges pour adminiſtrer le premier Sacrement de l'Egliſe de JEſus Chriſt noſtre Seigneur: ſans lequel nul des autres peut eſtre receu. Nous ſommes icy, pour lauer ceſte creature du pechè originel: pour l'oſter du pouvoir du diable, & tirer de l'eſtat de perdition, & la rendre pure & nette par le moyen de la grace du Sainct Eſprit, & la faire enfant de Dieu. Car par la deſobeiſſance de noſtre premier pere Adam nous, qui ſommes deſcendus de luy, avons eſté conceus en pechè & corruption, & ſortons du ventre de nos meres, enfans d'ire, de malediction, & enclins à mal faire. Mais noſtre Seigneur Dieu par ſa grande & exceſſive charité, ne nous a voulu laiſſer en ceſte miſere, & damnation: ains pour nous en tirer, nous a envoyé ſon benoiſt Fils JEſus Chriſt, unique & ſeul remede de noſtre ſalut, qui a prins au ventre de la benoiſte Vierge Marie, humanité toute ſemblable à la noſtre, excepté qu'en luy n'y avoit point de pechè: & avec ſa mort nous a rachepté de la mort eternelle, à laquelle nous eſtions condamnez, & avec l'effuſion de ſon ſang, qu'il a eſpandu en la croix, a nettoyé & lavé noz ames, & effacé la ſentence, qui avoit eſté damnee contre nous d'eſtre damnez eternellement: & a voulu, que nous qui deſirons eſtre participans du fruict de ſa mort, ſoyons baptizez au Sainct Bapteſme, au nom du Pere, & du Fils, & du Sainct Eſprit. Lequel Bapteſme eſt comme un pacte qui ſe faict entre Dieu & nous. Noſtre Sauveur qui ne peut mentir, accepte pour ſien celuy, que vous voyez baptizer: l'incorpore, le conjoinct & unit à ſon corps, qui eſt la Saincte Egliſe. Et comme vous voyez, que l'eau lave la ſaleté & ordure, qui eſt au corps: auſſi noſtre Sauveur lave & repurge l'ame par le Bapteſme en vertu de ſon ſang: efface le pechè, qu'il trouve en luy, le juſtifie, & le rend participant de ſes graces & de tous ſes biens & merites.

D'autre coſté, celuy que vous preſentez au Sainct Bapteſme, ſe dedie, & vous pour luy le dediez entierement au ſervice de JEſus Chriſt: renonce au diable, à ce monde, & à toutes les vanitez: s'oblige de non recognoiſtre, tant qu'il vivra, autre Dieu, autre Maiſtre & Sauveur, que JEſus Chriſt, au nom duquel il ſera baptizé. S'oblige auſſi, quant il ſera en eage de garder les commandemens de Dieu, de mortifier ſa chair: aſſavoir de n'obeir à ſes affections deſordonnees, & mettre peine de ſuyvre, tant qu'il luy ſera poſſible, la purité & innocence de vie, que Dieu demande de nous, pour eſtre ſes enfans. Et en promettant pour luy, ſouvienne vous auſsi de ce, qui a eſté promis pour vous en voſtre Bapteſme: parquoy ſoyez attentifs & aſsiſtez à ceſte ſaincte œuvre, avec reverence & honneur, & prions tous noſtre Seigneur, qu'il donne grace à ceſt enfant, & à nous auſsi, que nous ne perdions par noſtre infidelité & mauvaiſe vie, le fruict des biens, que Dieu nous faict en ce Sainct Sacrement.

Hoc facto procedet ad opus, juxta id, quod habetur in libro Manuali.

DE SACRAMENTO CONFIRMATIONIS.

IN Confirmatione, ſicut didicimus ab exemplo Apoſtolorum, & ex Chriſti inſtitutione, Epiſcopus baptizatis imponit manum: & ex Eccleſiæ traditione, eorum frontibus cum Chriſmate crucem imprimit. Quo ſignificatur, quod Spiritum (quem accepimus in Baptiſmo ad purificationem, & regenerationem) in Confirmatione accipiamus ad robur & augmentum gratiæ, ad tutelam, defenſionem, & ad conſolationem. Idcirco dat Epiſcopus confirmato alapam, dicens: Pax tecum; ut meminerit ſe paratum eſſe debere, in patientia ſua poſſidere animam ſuam, & percutienti maxillam præbere & alteram: denique gloriari in Cruce Domini noſtri

---

(*l*) De Conſec. diſt. 1. c. In ſancta. & c. Veſtimenta.

Digitized by Google

noſtri JEſu Chriſti, qui conſolatur nos in omni tribulatione.

Vocarunt Sancti Patres hoc Sacramentum, Ambroſius quidem Confirmationem: Auguſtinus Sacramentum Chriſmatis, & Operationem Spiritus Sancti: Cyprianus, Signaculum: Clemens Rom. Sigillum promiſſionum, & Confeſſionis confirmationem: Dionyſ. Perfectionem. Nam ſine eo perfectus eſſe non cenſebatur, nec Euchariſtiam accipere poterat, nec inter perfectos ſedere, niſi poſteaquam regeneratus eſſet quis, & ſeptiformis gratiæ Spiritu ab Epiſcopo confirmatus, ut patet ex Clemente, Epiſt. 4. & eodem Dionyſio. Unde Cornelius ad Fabium ſcribit apud Euſebium, lib. 6. c. 44. Hiſt., Novatum nunquam fuiſſe perfectum Chriſtianum, quia non fuerat ab Epiſcopo confirmatus. Solebant olim ſtatim a Baptiſmo offerri Epiſcopo baptizati. Dominus enim noſter mox a Baptiſmo in deſertum aſſumptus eſt, ut tentaretur a diabolo, ut doceret nos paratam illico nobis eſſe tentationem, poſtquam nati per Baptiſmum ſumus. Ob hanc igitur cauſam, die Jovis in Cœna Domini conſecrabatur Chriſma, ut præſto eſſet in die Paſchali: ut ex Fabiano didicimus, Ep. 2. Et Cypriano lib. de conſecratione Chriſmatis. Dari quoque conſuevit hoc Sacramentum iis, qui ab hæreticis baptizati eſſent. Aug. ep. 39. & 42.

Forma hujus Sacramenti eſt: Signo te ſigno Crucis, & confirmo te Chriſmate ſalutis, in nomine Patris, &c. Ambroſius: Conſignavit te Deus Pater, confirmavit te Chriſtus. c. 7. De iis, qui.

Miniſter Confirmationis, ordinarius quidem eſt Epiſcopus. Nam in Actis Apoſtolorum invenimus, remiſſos eſſe baptizatos ad Apoſtolos, ut ab eis per impoſitionem manuum acciperent Spiritum Sanctum. Et ne Presbyteri hoc agerent, prohibuit olim Euſebius Papa Ep. 3. & Conc. Hiſpal. c. 7. & Greg. lib. 3. ep. 9. Sed idem Greg. eam poſtea facultatem dedit Presbyteris Sardiniæ, lib. 3. ep. 25. Licet enim in Baptiſmo Presbyteris pueros ungere Chriſmate: ſed non in fronte, ut ſolent Epiſcopi, verum in vertice.

STATUTUM I.

In Confirmatione contrahitur cognatio ſpiritualis ſicut in Baptiſmo, impediens Matrimonium contrahendum, & dirimens contractum: & non debet admitti, niſi una perſona ad tenendum confirmandum.

II.

Mutus, in quo apparent ſigna confeſſionis, poteſt & debet confirmari.

III.

Suſcipientes Sacramentum Confirmationis, ſi ſint adulti, debent eſſe confeſſi, ut illud digne ſuſcipiant: & de honeſtate debent eſſe jejuni.

IV.

Pueri confirmandi debent ſecum portare bandellos lineos, mundos, ſeu faſciolas albas, quibus circumligentur frontes eorum, poſtquam Chriſmate Sancto fuerint conſignati, propter reverentiam Sacramenti: ne manibus pollutis frontem detergant, & ſordes contrahant.

V.

Sacramentum Confirmationis nec reiteratur, nec ſumi debet, niſi ſemel in vita.

VI.

Laici admoneantur, ut pueros ſuos ad Epiſcopum adducant, quando eum prope eſſe intellexerint.

VII.

Decorum eſt, bandellos per triduum portent: & poſt triduum ad Eccleſiam deferant: & in fronte, ubi ſunt Chriſmate liniti, ſale & aqua laventur: & aqua in loco mundo effundatur, ubi nequeat conculcari pedibus.

VIII.

Pueris non conferatur, donec memoriam habeant competentem, ne ignorantes ſe eſſe confirmatos, faciant ſe denuo confirmari. Ideo admoneantur de alapa, quam daturus eſt Epiſcopus, ut ex eo metu ſe recepiſſe recordentur hoc Sacramentum. (*m*)

DE

(*m*) Archid. & gloſſ. ma. de Conſ. d. 5. c. Spiritus Sancti.

DE SACRAMENTO EUCHARISTIÆ.

EUchariſtiæ Sacramentum inſtituit Chriſtus ſub ſpecie viſibili panis & vini: quo verum Corpus ſuum & Sanguinem nobis præbet, & ſpirituali hoc cibo nos ſibi unit, veluti capiti & membris corporis ſui myſtici: ut in ipſo nutriamur, & augeſcamus, in communione Sanctorum per gratiam & charitatem.

Eſt enim triplex hujus Sacramenti vis. Primum per hoc Chriſto arctiſſimo & naturali quodam modo, non tantum ſpirituali conjunctione copulamur: participes effecti veræ vivificatricis carnis & ſanguinis ejus pretioſi. Quæ ſumpta faciunt (ut D. Hilarius (*n*) inquit) ut & Chriſtus in nobis ſit, & nos in Chriſto, non animum tantum reformante, ſed & carnem noſtram ad vitam, incorruptionem & immortalitatem præparante. (*o*) Secundo hoc eodem Sacramento corpori myſtico (quæ eſt Sanctorum omnium ſocietas) arctiſſime conjungimur; participes bonorum omnium, quæ hæc ſancta ſocietas poſſidet, & unum corpus, veluti unus panis ex multis granis conficitur. Tertio accendimur ad dilectionem & charitatem Chriſti alendam, qui nobis tantum beneficium conferat, Sacramenti virtute & efficacia. Idcirco dicitur Communio, per antonomaſiam: & excommunicati, extra Eccleſiam poſiti, maxime hinc agnoſcuntur, quod arcentur ab hac menſa cœleſti. Dicitur eadem ratione a Græcis Synaxis: quia nos Deo conciliat, & cœtui fidelium, ad participationem hujus Sacramenti congregatorum. Dicitur imprimis Euchariſtia, id eſt, bona gratia, & gratiarum actio. Primum, quia per hanc ad amandum Deum, & proximum accendimur, & Dei amorem in nos provocamus propter memoriam paſſionis ejus (quæ fit in hoc Sacramento) per quam liberati ſumus. Gratiarum vero actio proprie duabus de cauſis: Prima, quia in ejus inſtitutione Chriſtus Dominus gratias Deo Patri egiſſe legitur. Altera, quia gratias Deo agere debemus pro tanto beneficio. Et ita Sacerdos ex antiquiſſimo ritu Eccleſiæ, poſt Communionem, gratiarum actione Miſſam finit. Ex his omnibus ſequitur merito dictum eſſe a Juſtino Martyre εὐχαριστήθεντα ἄρτον, καὶ οἶνον, quaſi dicas, cum gratiarum actione factum. Sed de Miſſa nos alio loco tractavimus proprio.

Materia hujus Sacramenti eſt panis & vinum. Panis quidem debet eſſe ex farina tritici, non fermentata: quia Chriſtus in azimo fecit, ut ex novi & veteris Teſtamenti colligitur hiſtoria. Vinum autem de vite, non alio: quia & vitis meminit Chriſtus: nec ih aceto (quod omnino acetum eſt) nec in agreſta fieri poteſt hoc Sacrificium: quia hæc alterius ſpeciei ſunt. In muſto non decet, ut fiat, propter ejus impuritatem, & fæcis copiam; niſi defæcatum ſit: quare in eo poteſt, ſi aliud non habetur.

Vino debet admiſceri aqua, ſed in parva quantitate, reſpectu vini. Et licet aqua non ſit de ſubſtantia hujus Sacramenti: tamen graviter peccaret, qui omitteret, propter myſterium, quod in hac miſtione notatur.

Et quanquam poſt conſecrationem non maneant ſubſtantiæ panis & vini, ſed eorum ſpecies & accidentia, ſicut definitum eſt ab Eccleſia: tamen nomine panis & vini (ex quibus fit Sacramentum) appellari ſolent in Sacris Literis & Sanctorum Patrum: non aliter, quam virga Aaron dicitur devoraſſe virgas Ægyptiorum, quæ tamen verſa erat in colubrum, nec amplius erat virga. Sed nunc propter hæreticos non eſt uſurpandus paſſim talis ſermo.

STATUTUM I.

MIniſter hujus Sacramenti eſt Presbyter, rite & Canonice ordinatus, qui poteſt & debet Miſſam celebrare.

II.

Hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, notorii fornicatores, Simoniaci, apoſtatæ, & hi, quibus a ſuis Superioribus prohibetur ex cauſa, non debent celebrare.

Forma autem hujus Sacramenti ſunt verba illa ſolennia, quæ Chriſtus ipſe dedit: Hoc eſt Corpus meum. Et iterum: Hic eſt enim Calix Sanguinis mei, novi & æterni teſtamenti myſterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Quibus verbis nihil debet addi, vel detrahi.

Quamvis autem ex virtute verborum Sacramentalium conſecrationis Corporis Chriſti ſub ſpeciebus panis ſit tantum Corpus Chriſti, eſt tamen etiam ibi ſanguis, ex naturali quadam concomitantia. Et ſimiliter, licet ſub ſpeciebus vini ex vi verborum conſecrationis, ſit tantum ſanguis Chriſti: ex concomitantia tamen eſt ibi corpus: quia non

(*n*) Hilar. de Trinit. lib. 5. (*o*) Cyrill. in Joan. c. 6. Irenæ. lib. 4. & 5.

non eſt corpus ſine ſanguine, nec ſanguis ſine corpore. Et ſane Chriſtum crucifigunt iterum [ut nobis videtur] hæretici, putando ſe in ſpeciebus panis, corpus ſine ſanguine ſumere: & in ſpeciebus vini, ſanguinem ſine corpore : ab ejus corpore ſanguinem iterum educentes falſa ſua opinione.

Et ideo credendum eſt, hoc Sacramentum etiam ſub una ſpecie ſumptum prodeſſe ſumenti ad ſalutem : juxta verbum Chriſti: Qui manducat hunc panem, vivet in æternum. Et: Panis, quem ego dabo, caro mea eſt pro mundi vita. Ipſe etiam Chriſtus ſuum corpus porrexit duobus diſcipulis in Emaus, ſub ſpecie panis tantum, ut communiter tenetur.

III.

Hoc Sacramentum ſumi debet a jejunis, (*p*) (id eſt, ante cujuslibet alterius rei cibum vel potum) exceptis infirmis, & in neceſſitate conſtitutis : in quibus periculum eſt de vita. Quia talibus, ſi humiliter petant, debet miniſtrari, ſive ante prandium, ſive poſt, ſive de die, ſive de nocte, niſi ſit periculum, quod ſtatim poſt ſumptionem illud evomant: quia tunc non eſſet dandum.

IV.

Mutus, in ſuis negotiis diſcretus, poteſt recipere Corpus Chriſti, ſi petat, & in eo appareant ſigna devotionis & fidei. (*q*)

Accedentes (*r*) ad ſumptionem Corporis Chriſti, moneantur : Primo, ut veniant cum conſcientia mundata & purgata ab omni peccato mortali. Secundo, quod remittant de corde ſuo omnem rancorem & odium. Tertio, quod nullus excommunicatus, vel interdictus ſumere præſumat. Quarto, quod ab uxoribus abſtineant per aliquot dies [ſcilicet duos, vel tres ante & poſt] ſicut conſuluerunt Sancti Patres. Quinto, quod poſt ſumptionem Corporis Chriſti, non ſpuant in loco immundo, neque in loco alio, qui poſſit pedibus conculcari: præſertim antequam alium cibum comederint, vel digeſtionem factam eſſe putaverint. Et, quod ſe ſervent, quantum poterint, a vomitu & nauſea. Sexto addimus, ut antequam in os Sacramentum accipiant, ſupplices adorent Chriſtum in ipſo Sacramento præſentem, & ſe ipſis exhibentem.

Debent ergo tria habere communicaturi. Primum fidem verbis Domini dicentis: Hoc eſt Corpus meum, quod pro vobis datur : Hoc facite in meam commemorationem. Deinde timorem ex verbis Apoſtoli dicentis : Qui manducat & bibit indigne, judicium ſibi manducat & bibit, non dijudicans Corpus Domini. Tertio dilectionem & charitatem erga Deum, qui Filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit eum: & cum gratiarum actione denique hoc Venerandum Sacramentum manducare, quod eſt Euchariſtia.

Quando datur Euchariſtia infirmo, dici poterunt hæc, vel ſimilia a Sacerdote, lingua vernacula, præmiſſa Salutatione aliqua, & alia præfatione, aut exhortatione.

ET avant le vous diſtribuer, ſuyvant la doctrine de l'Apoſtre, je vous admoneſte d'examiner voſtre conſcience, recognoiſtre & confeſſer, que vous avez tant offenſé Dieu, meſpriſé & oublié, que s'il avoit eſgard à voſtre mauvaiſe vie, il vous rejetteroit, comme indigne du fruict de ſes Saincts Sacrements, de ſa miſericorde, & de ſa grace : mais vous eſperez, que JEſus Chriſt vous rendra digne de le recevoir, par le merite de ſa Paſſion & du Sacrifice, qu'il a faict de ſon Corps en la croix, où il a ſouffert mort honteuſe & ignominieuſe, pour vous racheter de la mort & damnation eternelle, & vous reconcilier avec Dieu ſon Pere.

Vous ſuppliez donc à Dieu, qu'il luy plaiſe, avec le Sang de JEſus Chriſt effacer tous vos pechez, & preparer voſtre ame à dignement recevoir voſtre Createur, & gouſter le fruict de ce Sainct Sacrement: & avec la reverence, qu'il vous eſt poſſible, adorer le precieux Corps de JEſus Chriſt, que je vous porte, & preſenteray tantoſt.

Mais tout ainſi que de bon cœur & humblement vous ſuppliez Dieu, qu'il vous pardonne, & vous auſſi pardonnez à tous ceux, qui vous ont offenſé: & remettez toute rancune & vengeance. Vous demandez auſſi pardon à tous ceux, que vous pourriez avoir offenſé, ſoit de faict, ou de parolles. Et s'il y a quelqu'un, qui ait eſté injurié par vous, dont

(*p*) Statut. vetus. (*q*) Statut. vetus. (*r*) Statut. vetus.

Digitized by Google

vous ayez ſouvenance, me donnez vous charge de luy demander pardon de voſtre part? & de l'amener icy devers vous, ſi faire ſe peut, pour vous en acquiter vous meſmes? Ouy.

Croyez vous pas que noſtre Sauveur JEſus Chriſt, outre qu'il a ſacrifié ſoymeſme pour noſtre ſalut, il a ordonné & inſtitué ce Sainct Sacrement, auquel il eſt contenu vrayement & realement ſoubs les eſpeces viſibles de pain & de vin?

Croyez vous pas cela? Ouy. Penſez auſſi mon amy & contemplez, que le recevant nous renouvellons la ſouvenance de ſa paſſion & de ſa mort juſques à ce, qu'il viendra, pour nous juger. Et il nous donne ſon precieux Corps & ſon Sang pour nourrir & alimenter nos ames, nous unir & conjoindre à ſoy, comme membre de ſon Corps myſtique, à celle fin, qu'au jour de la Reſurrection nous puiſſions eſtre veſtus de l'immortalité, qu'il nous a promis, & eſtre participans de ſon Royaume eternel. Au regard de quoy perſonne ne ſe doit decourager, s'il ſe ſent membre infirme & debile: car nous avons un chef tout puiſſant, qui eſt noſtre Sauveur & noſtre Dieu. Or dictes voſtre Confiteor.

Adorez voſtre Redempteur, car c'eſt celuy, que les Anges adorent: & en joignant vos mains corporelles, humiliant voſtre cœur devant luy, recongnoiſſez (en luy remerciant) le bien, qu'il vous faict. Dictes: Mon Createur, mon Redempteur, je ne ſuis digne, que vous entrez chez moy, mais dictes ſeulement voſtre ſaincte Parole, & mon ame ſera ſauvee. In manus tuas, Domine, commendo ſpiritum meum.

Poſt Communionem dicet infirmo:

Or mon frere, vous avez receu le pain des Anges & ceſte doulce viande celeſte, qui eſt JESUS CHRIST noſtre Seigneur, qui donne la vie à toutes choſes: & à ceux, qui l'ayment & qui mettent leur eſperance en luy, les delivrant des miſeres de ce monde, il leur donne la vie perdurable & joye & repos ſans fin. Pour autant remerciez luy de bon cœur de ce qu'il vous a faict digne de le recevoir. L'ayant receu il eſt en vous, & vous en luy. Donc vous pouvez dire avec David: Si ambulavero in medio umbræ mortis, non timebo mala: quoniam tu mecum es.

Mon amy, noſtre Createur a le penſement & ſoing de voſtre ame, & auſſi de voſtre corps: a voſtre vie & voſtre mort en ſa puiſſance. Vous eſtes ſa creature, & ne debuez deſirer, ſinon ce qu'il luy plaira ordonner. S'il luy plaict vous rendre la ſanté, ſa volonté ſoit faicte: s'il luy plaict vous appeller à ſoy, il fera beaucoup pour vous: car il vous oſtera du lieu, où vous eſtes touſiours en peine, & vous mettra en un perpetuel repos. Il vous oſtera du lieu, ou vous offenſez tous les jours, & vous mettra avec JEſus Chriſt, en la compagnie des Anges & des ames de ſes ſaincts eſleuz, pour luy rendre touſiours honneur, gloire & louange. Toutesfois remettez le tout à ſon bon plaiſir: car il ſcait bien ce qui vous convient & qui vous eſt proffitable. C'eſt noſtre Dieu, noſtre Pere, Seigneur & Maiſtre. Recommandez vous à luy devotement, & mettez en ſa main & en ſa garde voſtre ame, voſtre corps, voſtre vie, & voſtre mort, & tout, tant qui eſt de vous: luy ſuppliant, que par ſa pitié & clemence il vous pardonne vos pechés, & vous vueille recevoir au nombre des ſiens.

La grace du Sainct Eſprit ſoit avec vous & y demeure touſiours, Amen.

DE SACRAMENTO Pœnitentiæ.

QUoniam contingit, ut homines per Baptiſmum, & alia Sacramenta gratiam adepti, ſæpenumero tamen in gravia peccata incidant: [Quis enim eſt, qui non peccet?] ne ſublata putetur ſpes ſalutis, aut contra pericula mortis æternæ omne remedium detractum eſſe; (quoniam Baptiſmus iterari non poteſt) inſtituit Chriſtus Redemptor noſter Sacramentum Pœnitentiæ, quod poſt Baptiſmum ſit nobis inſtar ſecundæ tabulæ in naufragio. In hunc enim uſum tradidit Apoſtolis ſuis claves, id eſt, poteſtatem ſolvendi & ligandi, dicens: Accipite Spiritum Sanctum. Quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis. Et Petro: Tibi dabo claves regni cælorum: quodcunque ligaveris ſuper terram, erit ligatum & in cœlo, &c.

Eſt autem quædam pœnitentia ante Baptiſmum in adultis, ad deteſtationem quidem prioris vitæ, quæ non requirit Sacramentalem confeſſionem, nec aliam ſatisfactionem, quo ad Deum. Pœnitentia vero poſt Baptiſmum exigit. Nam illic omnia peccata remittuntur nobis gratis: cum per Baptiſmum Chriſto morimur, & ad vitam reſurgimus ſpiri-

Digitized by Google

ſpiritualem, virtute mortis & reſurrectionis ejus. Hæc vero ſecunda tabula non ſolum deteſtationem vitæ prioris exigit, & confeſſionem delictorum: ſed etiam ſatisfactionem, & fructus dignos pœnitentiæ: ut memores, unde exciderimus, faciamus prima opera. Juſtus enim Dominus, & juſtitias dilexit; & juſtum eſt, ut qui Divinam Majeſtatem opere, verbo, vel cogitatione offendimus, vel populum ſcandalizamus: ſic opere, verbo, vel cogitatione, (quantum in nobis eſt) offenſionem vel ſcandalum reparemus. Si nos (inquit Apoſtolus) judicaremus, non utique judicaremur a Domino: dum judicamur, a Domino corripimur, ne cum hoc mundo damnemur.

Fructus autem Pœnitentiæ, ſi noſſe deſideras, enarrat Apoſtolus in 2. Cor. 7. Qui ſunt: ſolicitudo atque anxietas de propria ſalute: indignatio contra peccatum: timor iræ Dei: deſiderium veniæ: zelus provocandi alios ad ſalutem: vindicta de propriis delictis in corpore ſuo: & denique emendatio vitæ. Eadem deſcribuntur a Luca, c. 3. in vita Joannis Baptiſtæ: ut cognoſcas, quam Scriptura Sacra ſecum congruit. Interrogabat enim ille: Quis docuit vos fugere a ventura ira? illi autem anxii interrogabant, Quid faciemus, &c. Afflictionem, & vindictam, ſumendam de ſe, exemplo ſuo docebat, non manducans, neque bibens: indutus pilis camelorum, deſerta colens. Hæc non probantur profecto Epicureis. Sed arcta eſt via, quæ ducit ad vitam. Et violenti rapiunt cœlum. Ninivitæ præcedent eos: & David in ſacco & cinere coarguet.

Pœnitentiarum alia eſt ſolennis, alia publica, alia privata. Pœnitentia ſolennis ideo dicitur, quod, cum quadam ſolennitate a jure introducta, imponitur pœnitenti per Epiſcopum: ut cum hæretico abjuranti, imponitur habitus deferendus ſemper: vel frenum in ore coram populo: vel, ut pedibus nudis, & flexis genibus expectet pro foribus Eccleſiæ: maxime in capite jejunii: qua die omnes, quibus talis pœnitentia imponenda eſt, debent comparere perſonaliter ante fores majoris Eccleſiæ Biſunt., & ibi expectare, donec introducantur per Epiſcopum, vel ejus commiſſum, ſicut ab Eccleſia ordinatum eſt. In his omnibus non ſolum pœnitentia populo manifeſta fit, ſed etiam peccatum ab Eccleſiæ Miniſtro declaratur.

Pœnitentia ſolennis imponi debet pro gravi & enormi crimine, quod totam urbem vel communitatem commovit, & ſcandalizavit. Idcirco, ne ſimplex Curatus in hoc erret, cum audierit aliquod grave crimen a confitente commiſſum, remittat illum ad Ordinarium: is diſcernet, qualis pœnitentia imponenda fuerit. Caſus reſervatos tam Papæ, quam Ordinario, invenies infra.

Pœnitentia publica eſt illa, quæ fit in facie Eccleſiæ, non cum ea ſolennitate, de qua in præcedenti dictum eſt: ſicut quando injungitur peregrinatio cum baculo cubitali, vel cum aliqua veſte, vel cum aliquo ſigno diſtinctivo pœnitentis ab aliis. Et tutius eſt, ut per Epiſcopum imponatur (qui debet cognoſcere de gravibus criminibus) quam per ſimplicem Sacerdotem.

Pœnitentia privata eſt illa, quæ fit ſingulariter & ſecrete. Hæc frequentanda venit. Qualis, cum quis peccata ſua Sacerdoti ſecrete confitetur: & pœnitentiam hanc ſimplex Curatus imponere ſolet.

Pœnitentiæ ſunt tres partes: videlicet cordis Contritio, oris Confeſſio, & operis Satisfactio.

CONTRITIO.

COntritio, eſt illa triſtitia ſecundum Deum, quæ juxta Apoſtoli (*s*) Pauli ſententiam, pœnitentiam in ſalutem ſtabilem operatur. Dolor hic eſt vel triſtitia voluntarie ſuſcepta, qua nos pœnitet peccaſſe: hoc eſt, nollemus peccaſſe, & Deum (qui eſt ſumma Bonitas) offendiſſe: propoſitum habentes (ſaltem virtuale) & voluntatem confitendi & ſatisfaciendi, nec amplius poſthac peccandi mortaliter. (*t*)

Et admonendi ſæpius ſunt fideles, ut cupiant potius omne malum pati, quam offendere Divinam Majeſtatem: quoniam illic apparet vera charitas, ſine qua nemo poteſt dici vere contritus. Debetque vere contritus ſemper dolere, & diſplicentiam habere, quandocunque recordatur ſe offendiſſe Deum per peccatum ſuum: licet non ſemper actu defleat peccatum ſuum. Et admonendi ſunt omnes, ut ſimul ac cognoverint ſe peccaſſe mortaliter, conterantur: quia poſſunt gratiam Dei & veniam mereri per contritionem ipſam, quæ propoſitum habeat confitendi, & ſatisfaciendi; etiam ſi non ſtatim confiteantur, nec ſatisfaciant, ut eſt communis opinio Theologorum. Voluntas enim grata eſt ſecundum id, quod habet, dicit Apoſtolus. Nec negligere aut differre debemus pœnitentiam: quia periculoſum eſt: & dubitat D. Auguſtinus de ſalute eorum, qui

(*s*) 2. Cor. 7.

(*t*) Ex Ambroſio, Auguſtino, Chryſoſtomo, Magiſtro ſententiarum, Thoma, Scoto, Antonio, & aliis.

qui pœnitentiam differunt, donec positi in extrema necessitate ægritudinis, non ipsi peccata, sed peccata ipsos derelinquant.

Ad pœnitendum de peccato, veniunt hæc consideranda a peccatore: vilitas & turpitudo ipsius peccati, pudor noster. Quem fructum (inquit Paulus) habuistis, in quibus nunc erubescitis? Item timor extremi judicii: amissio gloriæ cœlestis: offensio Divinæ Majestatis: & spes denique consequendi veniam & gratiam Dei, ac post hanc, vitam æternam. Hactenus de Contritione.

CONFESSIO.

SEcunda pars Pœnitentiæ est Confessio vocalis & Sacramentalis. Estque legitima peccatorum coram Sacerdote, qui claves Ecclesiæ habet, & potestatem absolvendi, declaratio, & accusatio. (*u*)

Confessionem instituit Christus; non homo aliquis purus, aut Ecclesiæ consuetudo: debet enim accusatio præcedere, & delictorum enumeratio, super quibus Sacerdos judicium ferat, qui a Christo potestatem accepit ea remittendi, atque etiam retinendi. Hæc ratio evidens est. Inducunt aliqui locum Jacobi 5. Confitemini alterutrum peccata vestra: ex eo, quod præcedit: Infirmatur quis: inducat Presbyteros. Et sequitur: Multum enim valet deprecatio justi assidua. Et postea: Si quis converti fecerit ab errore viæ suæ peccatorem, salvabit animam ejus. Ex his namque apparere possit, sermonem esse de confessione, quæ fit Presbytero: in quo duæ claves requiruntur, scilicet scientiæ & potestatis. Potestas in oratione intelligitur: scientia in conversione peccatoris. Joannes in prima Can. c. 1. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est & justus, ut remittat nobis peccata nostra, & emundet nos ab omni iniquitate. De hac auriculari confessione intelliges, quæ Basilius in regula Monachorum, cap. 21. & Leo ad Episcopos per Campaniam & Picenam: & Hieron. in regula ad Eustochium. Clemens Roman. in Epistola Petri, nauseantibus in mari comparat confitentes peccata sua. [*x*]

Confessio fructuosa debet habere conditiones contentas in versibus sequentibus:

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, lubens, verecunda,
Integra, secreta, lachrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata.

Quorum sensus est, SIMPLEX, id est, ut facile intelligi possit: non generalis, nec ambigua. HUMILIS, qualis illa Publicani, qui non audebat oculos levare in cœlum. PURA, quæ nihil habeat admistum superflui, & rerum impertinentium. FIDELIS, id est, verax, non ficta, nec a fide Catholica dissentiens, (qualis hæreticorum) & sub spe veniæ. FREQUENS, quia, qui frequenter recidunt in peccatum, frequenter etiam remedium quærere debent: NUDA, ore proprio, non per literas aut nuncium: nec peccatorum circumstantiæ palliari debent, aut actu aliquo tegi & velari. DISCRETA, verbis honestis & decentibus, & neminem offendentibus. LUBENS, id est, voluntaria, ex contritione peccatorum magis procedens, quam ex peccato alio. VERECUNDA, non jocosa, veluti rem narres levem, aut ludicram: sed cujus te pudeat, & vultu demisso. INTEGRA, omnia peccata (saltem mortalia,) quorum memineris, uni Confessori recites: non dividendo, nec aliquod subticendo. SECRETA, ne quem scandalizet. LACHRYMABILIS, ut signa præ se ferat contriti animi. ACCELERATA, ne differatur in longum tempus post commissum peccatum. FORTIS, ne timore vel pudore revoceris a confessione. ACCUSANS, debet confitens se ipsum accusare & suam malitiam, non alios: neque excusationes quærere in peccatis. PARERE PARATA. Debet paratus esse confitens ad obediendum judicio Sacerdotis, quicquid ille sibi injunxerit pro salute animæ suæ. Nemo autem adeo rudis est, qui peccata sua, saltem mortalia, non possit nisi interrogatus, recitare. Quis enim nesciat, an sequutus ipse sit hæreticos? an concionibus vel conventiculis eorum interfuerit? Quis nesciat, an nomen Dei blasphemaverit? Quis nesciat, an Festa Ecclesiæ non servarit? an parentes injuria affecerit? an cædem fecerit, vel facere voluerit, vel aliquem percusserit injuria? an opus libidinis patrarit? an furto quid ceperit, vel alienum retinuerit? an falsum testimonium dixerit? an denique vanis cogitationibus mentem & animum occupaverit, & desideriis impudicitiæ, vindictæ, avaritiæ, & impietatis? Dic igitur simpliciter: Ego hæc & hæc feci, & me pœniter. Nec puta, excusando te meliorem existimari a Confessore: imo nequiorem & vere hypocritam, quando te justificas. Scimus enim, quod nemo sit sine peccato: & ad confessionem venimus, non ut justificemur nos, sed ut accusemus, & veniam ex Christi merito atque justitia postulemus. STA-

(*u*) Stat. vetus. (*x*) V. S. Tho. 3. par. q. 64. art. 2. & communis opin. in 4. dist. 17. & in Conc. Trident. & Colon.

STATUTUM I.

OMnes utriusque ſexus homines habentes annos diſcretionis, tenentur ſemel ſaltem in anno in Quadrageſima (ut poſſint Chriſti Corpus in Paſchate recipere) confiteri proprio Curato, ſeu Paſtori. In periculo quoque mortis probabili, quilibet confiteri tenetur: & quando quis acceptu-rus eſt Euchariſtiam vel Miſſam celebraturus, ſicut tenet communis opinio. (y)

II.

Mutus poteſt per ſigna confiteri, (z) & homo linguæ extraneæ poteſt confiteri per interpretem, qui linguam utramque calleat : ut inter utrumque ſedens, referat utrique, quicquid ſibi dictum fuerit: & talis interpres ſecretam tenere debet confeſſionem, ſicut Sacerdos.

SATISFACTIO.

TErtia pars Pœnitentiæ Satisfactio dicta eſt: propria autem ſatisfactio & vere propitiatoria pro noſtris & totius mundi peccatis, Chriſtus dicitur. Satisfactio vero hæc Sacramenti pœnitentiæ, vindicta eſt quædam, de nobis ſuſcipienda propter peccatum: & recompenſatio ex præſcripto Sacerdotis (veluti Medici ſpiritualis) nobis injuncta & præcepta. Per hanc Deum placamus, cauſas & reliquias peccatorum excindimus: pœnas peccatis noſtris debitas aut redimimus, aut mitigamus : & Eccleſiæ noſtro malo læſæ, contrario exemplo ſatisfacimus. Itaque non ſolum proximo eſt ſatisfaciendum, quem injuria affecimus ; ſed etiam Deo, quem inobedientia mandatorum ejus offendimus: etiam ſi alteri nihil nocuiſſemus. Quocirca non immerito D. Auguſtinus, jejunium, eleemoſynam, & orationem, tres iſtas res (quibus pœnitentiæ ſatisfactio imponi ſolet) juſtitiam hominis in hac vita eſſe dixit. Sed contra errorem eorum, qui partem hanc pœnitentiæ negant, lege cap. 8. Seſſ. 14. Conc. Triden. Et Turrianum Jeſuitam lib. 4. de dogmat. charact. & lib. 4. pro Epiſt. Pont. ubi ex loco Pauli 2. Cor. 7. ſatisfactionem pœnitentiæ deducat apertiſſime, & nomen ſatisfactionis in Act. 17. & 2. Cor. 7. reperiri contra Lutherum, ἐκαθὸν.

Satisfactio tribus modis fieri ſolet: oratione, jejunio, & eleemoſyna. Quæ tribus contrariis peccatis, mortalibus & capitalibus [in quibus alia continentur] opponi poſſunt: nempe oratio ſuperbiæ: eleemoſyna avaritiæ: jejunium luxuriæ. Nam quicquid eſt in mundo, vel eſt concupiſcentia carnis, vel concupiſcentia oculorum, vel ſuperbia vitæ. Reliquæ omnes ſatisfactiones ad illas tres reducantur : veluti ad jejunium, vigiliæ, peregrinationes, &c. ad eleemoſynam omnia opera miſericordiæ corporalis: ad orationem opera miſericordiæ ſpiritualis. Sed de his ſupra Tit. De operibus ſatisf.

MINISTER POENITENTIÆ.

MIniſter Sacramenti Pœnitentiæ eſt proprius Sacerdos, hoc eſt, Presbyter, habens jurisdictionem actualem, ordinariam vel delegatam. Licet enim Presbyteri omnes poteſtatem habeant remittendi peccata : non omnes tamen habent ejus poteſtatis executionem, niſi Paſtores ordinarii: videlicet, Curatus, Epiſcopus, Summus Pontifex, & qui ab his delegantur vel committuntur. Nec refert, quo tempore velis, Quadrageſimæ, vel alio: niſi in periculo mortis. Quo caſu omnis Sacerdos poteſt non ſolum a peccatis omnibus abſolvere, ſed etiam ab omni excommunicatione.

Quamvis, ut perfecte officio ſuo poſſit fungi Confeſſarius, ſeu Confeſſor, diſtinguendi inter lepram & lepram, ſcientiam habere debeat perfectam, propter difficultates rerum, quæ in confeſſione poſſunt occurrere: tamen ut idoneus haberi poſſit, ſufficit, ut ſciat Conſtitutiones Synodales loci, ubi audiet confeſſiones, & quæ peccata ſint mortalia, quæve venalia inter ea, quæ plurimum committuntur ab hominibus ejus loci, cum circumſtantiis aggravantibus peccatum, quas confiteri oporteat. Item quæ peccata habeant adnexam excommunicationem aut irregularitatem, & quæ ſint reſervata Superiori: de quibus infra titulo De Sententia Excommunicationis, & in fine hujus tituli De Pœnit. Item quæ reſtitutionem poſtulent. Quod ſi dubitet ſuper his, conſulat peritiores.

III.

Sacerdos requiſitus ab aliquo ad audiendum confeſſionem, debet ſtatim ani-

(y) C. Omnis. de Pœn. & Remiſſ. Theo. in 4. diſtin. 18. Pan. in ca. Paſtoralis. de offic. Ordin. Gloſ. in c. De homine. de celeb. Miſſ.

(z) Stat. vetus.

Digitized by Google

animo ad Deum converti, & devote orare : ut Deus ſibi det virtutem & conſtantiam, ne moveatur deſiderio rei turpis aut malæ, aut vanæ gloriæ: ſed ſalutis ipſius confitentis tantum & gloriæ Divinæ, dicendo:

COR mundum crea in me Deus, & Spiritum rectum innova in viſceribus meis. Ne projicias me a facie tua, & Spiritum Sanctum ne auferas a me. Redde mihi lætitiam ſalutaris tui, & Spiritu principali confirma me. Docebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur.

IV.

Sacerdos excipiat confitentem (*a*) vultu gravi,& blandis benignisque verbis, exhortans eum cum pietate, ut vulnera ſua,tanquam Medico ſpirituali, fiducialiter & integre revelet, cum ſpe veniæ & ſalutis, quia Deus ſemper recipit peccatores ad ſe converſos quantumcunque peccaverint enormiter: ut David, Petrum, Paulum, Mariam Magdalenam, Latronem in Cruce, & alios innumeros.

V.

Si peccator titubet, (*b*) aut dubitet adhuc confiteri peccatum ſuum, nec iſtis exhortationibus induci poſſit: declaret ei Confeſſor terrorem judicii extremi, pœnas inferni, perpetuitatem damnationis: totis viribus eruat animam peccatoris a faucibus inimici.

VI.

Audiens vero confeſſionem Sacerdos, non aſpiciat confitentem in facie (*c*): multo minus etiam aſpiciat mulierem : nec ſignum aliquod faciat audiens peccatum confitentis, quo videatur deteſtari & abominari peccatum, quod audit : ne per hæc retrahantur, aut terreantur a confeſſione integra peccatorum.

VII.

Sacerdos non audiat confeſſiones in domo ſua, aut camera, niſi confitentes ſint infirmi, ſed in Eccleſia, & in loco omnibus patenti : & non in angulis, aut loco obſcuro : ut tollatur omnis occaſio malignandi & obloquendi.

VIII.

Nec audiat Sacerdos confeſſionem alicujus perſonæ, de quo peccato ipſe ſit agens, vel conſentiens: ſed talem perſonam remittat ad alium Confeſſorem, data licentia, ſi opus ſit.

IX.

Sacerdos diſcrete interroget confitentem ſecundum conditionem & ſtatum ipſius. Quia alia interrogatoria facienda ſunt Religioſo, alia Militi, alia Sacerdoti, alia agricolæ, alia Advocato, alia mercatori, alia diviti, alia pauperi, alia ſeni, alia juveni, alia viro, alia mulieri : ut nihil impertinenter quærat, ſed juxta cujuscunque ſtatum, gradum, ſexum, & qualitatem. Cujus conditionem & ſtatum ſi ignoraverit Confeſſor, petet ante omnia ab eo.

X.

Præſtat, ut ipſe pœnitens enarret ſua peccata, quam Sacerdos. Ideo facta confeſſione generali, vel ſi neſciat confeſſionem, ſi ipſe incipiat peccata ſua enarrare, permittatur: ſive ordine agat, ſive absque ordine. Tantum admoneatur, ut nullam perſonam accuſet in confeſſione, quam ſe ipſum : & ſua tantum, non aliena peccata, revelet : alioqui peccaret ſic revelando peccatum alterius. Poſtea poterit Sacerdos diligentius eum examinare : ſed diſcrete, ne eum ſcandalizet, & ſe ipſum.

XI.

Cavebit Confeſſor, ne inquirat (*d*) de omnibus, quæ potuit pœnitens commiſiſſe: ſed tantum de iis, quæ ſolent frequentius fieri ab hominibus illius conditionis, vel ſtatus.

XII.

Secundo, ne de aliis peccatis inquirat, quam de iis, quæ paſſim & vulgo fiunt, quæque nota ſunt omnibus: ut de transgreſſione mandatorum Dei: de ſeptem peccatis mortalibus.

(*a*) De pœn. d. 6. S. Tho. 4. d. 17. (*b*) Stat. vetus. (*c*) Idem Stat. vetus.
(*d*) Manual. Confeſſ.

Digitized by Google

bus. Interroget de articulis fidei, de Sacramentis, quomodo hæc ſuſceperit: de operibus miſericordiæ: de quinque præceptis Eccleſiæ. Non autem inquirat (niſi fortaſſe quam prudentiſſime) de occultis, quæ malitia hominum excogitavit: ſed illa relinquat nudæ confeſſioni pœnitentis: hortando tamen, ne quod prætermittat peccatorum.

XIII.

Tertio, in peccatis luxuriæ, ſeu carnis non deſcendat nimis ad particulares circumſtantias, minutim omnia & ſingula examinando, quando conſcientia horum ipſa de ſe multam pœnitentiam habet, & exponendis iſtis adeo diligenter, nec pœnitens melior, & Pœnitentiarius deterior, fieri poſſunt.

XIV.

Inquirat vero diligenter de his quinque, quibus plerique teneri ſolent. Primo de excommunicatione. Quia ſi confitens eſt excommunicatus majori excommunicatione, remitti debet ad Superiorem, inſtruendus tamen ab ipſo Sacerdote, quomodo agendum ei ſit, ut abſolutionem conſequatur. Secundo de ira, ſeu odio, & rancore, quem homines frequenter invicem gerunt. Ii multum hortandi ſunt, ut parcant aliis offenſas, ſicut petunt in Oratione Dominica: Dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris, &c. Alioqui Deus nunquam dimittet eis. Tertio interrogetur pœnitens, an aliquid retineat alieni. Si retineat, injunget, ut illud reſtituat, cum primum poterit. Quarto interrogetur de ſortilegiis & obſervationibus, divinationibus, & ſimilibus ſuperſtitionibus. Quod ſi quid in eo peccaverit, admonendus erit, quomodo non eſt danda fides hujusmodi rebus, quas diabolus ſuggerit ad decipiendum homines exiguæ fidei: ſicut videmus omnes tales eſſe miſerrimos: ſed Deum timendum & amandum ex toto corde & tota anima, & fidem ejus tenendam. Quinto interrogetur de votis emiſſis, quomodo ea adimpleverit: & quomodo ſatisfaciat officio ſuo, ad quod ſe obligavit (ſive ſit onus ſpirituale, ſive temporale) & monebitur, ut fideliter exequatur officium ſuum.

XV.

Si in confeſſione occurrat aliquis caſus reſervatus, ſi perſona eſt juvenis (maxime vir) non multum diſtans a civitate: remittat eum Sacerdos ad Vicarium Generalem, vel Pœnitentiarium noſtrum recluſum. Sin vero ſit mulier nupta (contra quam poſſet oriri ſuſpicio & periculum a marito) vel perſona debilis, vel pauper: tunc Curatus ipſe veniat, vel mittat per literas & Nuntium ad civitatem, ad obtinendum pro illis perſonis diſpenſationem & licentiam abſolutionis. Quam tamen poſtulabit in generali ſic: Confeſſus eſt quidam mihi peccatum vobis reſervatum, peto, ut placeat vobis licentiam mihi dare abſolvendi, quia pœnitens commode non poteſt iſthuc ſe transferre.

Audita confeſſione (e) pœnitentis, Sacerdos prudens, habita ratione qualitatis ejus, utetur levitate, vel ſeveritate. Alii enim hortandi ſunt ad majorem contritionem: alii excitandi ad ſpem: alii conſolandi: alii commemoratione Divinæ Bonitatis laudandi: alii docendi: alii (videlicet docti & timorati, ut quidam Sacerdotes) tantum abſolvendi injuncta pœnitentia.

XVI.

Poſtulabit Sacerdos ante abſolutionem, an pœniteat eum de peccatis, & an proponat abſtinere cum Dei gratia ab iis, quæ confeſſus eſt, & ab alio omni peccato mortali. Si affirmet, abſolvetur perficiendo confeſſionem, hoc pacto, vel ſimili: In quibus omnibus, & aliis multis, quorum non recordor, ego miſer peccator peccavi corde, verbo, opere, & omiſſione, mea culpa, mea maxima culpa: ideo deprecor te (Glorioſiſſima Virgo Maria) & vos omnes (Sancti Dei,) & te (Pater) orare pro me ad Dominum Deum, ut ipſe miſereatur mei. Vel idem

(e) Manuale Confeſſ.

idem dicat lingua vernacula, ſi vernacule tenuerit.

XVII.

Si vero non pœniteat, nec velit vitam emendare: veluti relinquere aliquod impedimentum, propter quod non debeat abſolvi, (ut ſi habet concubinam, quam nolit relinquere: ſi eſt uſurarius, nec velit ab eo lucro deſiſtere: ſi odium gerit capitale, & voluntatem offendendi proximum, nec velit illud deponere: ſi Eccleſiaſticus habeat plura beneficia incompatibilia ſine diſpenſatione, nec velit dimittere, & alia pro conditione & ſtatu pœnitentis) in hoc caſu ſi confitens nolit mutare vitam, & deſiſtere ab his, quæ non poteſt ſine peccato retinere, non abſolvetur, quantumvis requirat: ſed poterit ei Sacerdos dare conſilium, & injungere aliquam pœnitentiam, declarando ei, quod propter hoc non eſt abſolutus, nec ſatisfecit mandato Eccleſiæ: & admonebit, ut frequenter audiat ſermones, vel legat pios authores, eleemoſynis, & orationibus, & aliis bonis operibus nitatur obtinere, ut Deus convertat cor ejus ad contritionem, & veram pœnitentiam.

XVIII.

Non debent abſolvi (ne a Superioribus quidem ſuis) excommunicati propter offenſam notoriam, niſi antea ſatisfecerint: neque incendiarii injuſti: neque mutilatores membrorum: neque violatores Eccleſiarum: neque uſurarii manifeſti: neque injuria notabili afficientes perſonas Eccleſiaſticas, arma non deferentes.

XIX.

Si confitens ſit excommunicatus, & Confeſſor habeat poteſtatem abſolvendi eum a tali excommunicatione: Confeſſor debet eum prius abſolvere ab excommunicatione, quam a peccatis, ſive hoc faciat in principio confeſſionis, ſive in fine. Sed hic non ſatis eſt, quod promittat pœnitens, quod non amplius committet illud: ſicut in abſolutione a peccatis ſufficit; ſed requiritur, ut juret, quod obediet poſthac præceptis Eccleſiæ, & debet prius ſatisfeciſſe parti læſæ, de principali, vel de expenſis, prout erit cauſa excommunicationis.

Si non ſit opus abſolutione ab excommunicatione, Sacerdos ante abſolutionem a peccatis imponet pœnitentiam. Quanquam poteſt etiam poſtea: ſed neceſſarium eſt, ut abſolvat antea ab excommunicatione minori, (ſi quam incurrit) quia potuit communicare pœnitens cum excommunicato majori excommunicatione, propter quod eſſet excommunicatus minori: vel ob aliam cauſam. Et ſic eſt uno contextu poſitum in forma ſequenti: ubi poſt *Miſereatur tui, &c.* & *Indulgentiam & remiſſionem, &c.* imponi decet pœnitentiam, ſive ſatisfactionem, quam judicaverit Sacerdos adimplendam a pœnitente. Et quæ ſit non tantum ad novæ vitæ cuſtodiam, & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claves Eccleſiæ non ad ſolvendum tantummodo datæ ſunt Sacerdotibus, ſed ad ligandum etiam.

Pœnitentiam injungere debent Sacerdotes per contraria, ſicut ſolent Medici: ut avaro eleemoſynam, guloſo abſtinentiam cibi, luxurioſo carnis macerationem & ſtudia literarum. Sed ſic, ut pœnitens illam acceptet: alioqui cavebit, ne nimis graves imponat, aut difficiles. Item neque tales, quæ ſint alicui alteri perſonæ oneri, aut præjudicio. Velut ſi injungeret marito aliquid, quod eſſet uxori oneroſum.

XX.

Non inducat Sacerdos pœnitentem, ad dandum ſibi aliquid pro Miſſa, vel aliis orationibus: niſi ipſe ultro offerat: ad evitandam ſuſpicionem fordium.

XXI.

Non cogat confitentem jurare, vel vovere, quod adimplebit injunctam pœnitentiam: ſatis eſt, quod eam acceptarit.

XXII.

Caveat Sacerdos, ne verbo aut ſigno, aut alio quovis modo, prodat peccatorem. (*f*) Quoniam qui peccatum in pœnitentiali judicio detectum revelat, vel revelare præſumit, graviſſime peccat: hunc non ſolum a Sacerdo-

(*f*) S. Tho. 2. 2. q. 33. & in 4. diſt. 21. & communiter.

Digitized by Google

cerdotali officio deponendum, ſed etiam in arctum Monaſterium detrudendum eſſe Jura Canonica ſtatuerunt ad agendum pœnitentiam perpetuam.

FORMA ABSOLUTIONIS.

XXIII.

Quamvis de ſubſtantia formæ abſolutionis ſunt verba duntaxat : Ego abſolvo te a peccatis tuis: (*g*) tamen de congruitate præmittuntur orationes deprecativæ. Miſereatur tui Omnipotens Deus. Indulgentiam &c. Et his dictis ſubjungitur: Paſſio Domini noſtri JEſu Chriſti , & merita omnium Sanctorum , ac bona , quæ feciſti , & facturus es , & adverſa, quæ ſuſtinuiſti & ſuſtinebis , ſint tibi in pœnitentiam & remiſſionem peccatorum tuorum, & in augmentum gratiæ Divinæ. Et ego authoritate mihi commiſſa, abſolvo te a vinculo minoris excommunicationis (ſi quam incurriſti) & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & inſuper eadem authoritate a peccatis tuis , in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti, Amen.

XXIV.

A ſententia excommunicationis majoris abſolvendi forma nulla certa eſt: quoniam ſufficit quodcunque verbum ſignificans eam abſolutionem , quod fiat cum intentione requiſita, veluti: (*h*) Ego te abſolvo ab excommunicatione: vel, Reſtituo te Eccleſiæ Sacramentis , & communioni fidelium: vel aliud quodcunque. Tamen ex veteri ritu abſolvendi requiruntur hæc: Primo juret , quod parebit mandatis Superioris. Item requiritur , quod habeat conſenſum partis læſæ. Hoc eſt, quod appareat eum ſatisfeciſſe parti læſæ. Hoc Jureconſulti multis ex locis deducunt. (*i*) Item promittat, quod nunquam contraveniet illi Canoni , contra quem faciendo incurrit excommunicationem. Poſt hæc nudatos deſuper humeros ejus (maxime in viris) Sacerdos virga , vel funе, vel alia re percutit , dicendo Pſalmum: Miſerere mei Deus : Et poſt, Gloria Patri: (*k*) Kyrie eleiſon. Chriſte eleiſon. Kyrie eleiſon. Pater noſter. Et ne nos &c. Salvum fac ſervum tuum Domine. Reſpon. Deus meus ſperantem in te. Verſ. Nihil proficiat inimicus in eo. Reſpon. Et filius iniquitatis non apponat nocere ei. Domine exaudi orationem meam. Dominus vobiscum. Oremus. Deus, cui proprium eſt, miſereri ſemper & parcere, ſuſcipe deprecationem noſtram, & hunc famulum tuum, quem excommunicationis ſententia ligatum tenet, miſeratio tuæ pietatis abſolvat. Per Chriſtum Dominum noſtrum, Amen. Denique adjiciet: Authoritate Omnipotentis Dei, & Beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, mihi commiſſa, abſolvo te a vinculo excommunicationis, quam incurriſti, propter cauſam talem : & reſtituo te Sacramentis Eccleſiæ, & communioni fidelium, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Hæc eſt forma, quam referunt Doctores: quamquam nullum jus ſcriptum invenitur , quod ſit neceſſe hic nudari corpus: & ideo mos ille fere exolevit.

XXV.

Proſtrato igitur pœnitente ad pedes Sacerdotis in loco patenti, ita ut a multis videri poſſit (maxime ſi ſit mulier) & facta benedictione ſolita , atque invocatione Sancti Spiritus , & confeſſione generali : exiget Sacerdos ab eo Symbolum Fidei, & Orationem Dominicam, & ſuffragia, ſi qua teneat, hoc pacto :

Pource, mon amy, que vous vous preſentez devant moy , comme bon Chreſtien, pour obeyr à Dieu & à ſon Egliſe, & obtenir de luy ſa grace & la remiſſion de vos pechez: il faut que je ſache de vous, ſi avez la doctrine & le mot du guet, par lequel l'on congnoiſt les Chreſtiens de ceux, qui ne le ſont pas.

(*g*) C. Omnis. de Pœnit. & Rem. cap. Sacerdos. d. 6. (*b*) Sylv. abſolutio 3.
(*i*) C. Porro. & c. Parochianos. de ſentent. Excomm. c. Cum deſiderio. c. Ex parte. de verb. ſig. c. Ex literis. de offic. deleg. c. Odoardus. de ſolv. c. Venerabilibus. C. Porro. de ſent. excomm. lib. 6. c. Ex tenore. de ſent. excomm.
(*k*) C. A nobis. de ſent. excomm. S. Antoninus 3. part. tit. 24. c. 7.

Digitized by Google

pas. Savez vous voſtre creance, Ou le Credo in Deum? &c.

Si confitens ſciat, recitabit: & Sacerdos (ſi ſit pœnitens idiota & ſimplex, & liceat per tempus) ſimpliciter lingua vernacula, ſingulos articulos declarabit: & idem poſtea de oratione, Pater noſter: quam omnis Chriſtianus ſcire debet, tanquam nobis a Chriſto traditam formam orandi. Salutationem quoque Angelicam ſcire debet: cujus recitatione præter alia commoda, propter memoriam beneficii Incarnationis, quod in corpore Sacratiſſimæ Virginis Mariæ Spiritus Sanctus operatus eſt, devotio multum ſolet augeri.

XXVI.

Si confitens iſta neſcierit, docendus erit a Sacerdote, qui eum hortabitur, ut veniat in domum ſuam, vel Eccleſiam, & inſtruetur per Sacerdotem, vel per ejus Diaconum, vel Clericum.

XXVII.

Facient quoque confeſſionem generalem idiotæ lingua vernacula, hac forma: *Je me confeſſe à Dieu, à la glorieuſe Vierge Marie, & à tous les Saincts & Saincles de paradis, & à vous mon Pere ſpirituel, de mes pechez, que j'ay commis de volonté, de bouche & d'œuvre.*

XXVIII.

Recitatis ergo his a confitente, Sacerdos petet, an ſit excommunicatus ſententia aliqua Judicis, vel propter aliquod crimen putet ſe eſſe excommunicatum. Si fuerit, non abſolvetur a Sacerdote, ſed remittetur ſuo Judici, ſicut dictum eſt, niſi in caſu extremæ neceſſitatis. Poterit tamen (ſi velit) confiteri ſua peccata, ut a Sacerdote accipiat ſalubre conſilium & conſolationem. Si dicat, neſcire ſe eſſe excommunicatum: tunc Sacerdos perget in hunc modum:

Mon amy, vous avez ouy ſouvent au prone reciter les dix commandemens de Dieu: à l'obſervance deſquels vous & moy & toutes perſonnes ſommes obligez. Auſſi avez ouy les commandemens de l'Egliſe, leſquels tous bons Catholicques ſont obligez garder. Et pour les vous reciter de nouveau en noſtre maniere accouſtumee, ce ſont,

Un ſeul Dieu tu adoreras, &c.

Or vous pouvez penſer, mon amy, combien de fois vous avez contrevenu aux commandemens de Dieu, non pas à un ſeul, mais peut eſtre à tous, & ſi ſouvent, qu'il vous ſeroit impoſſible de ſçavoir dire le nombre: & avez abuſé de la patience de Dieu, qui vous a tant de fois pardonné, & longuement attendu, & donné de loyſir de vous repentir & recongnoiſtre. Doncques humiliez voſtre eſprit, voſtre penſee, & voſtre cœur devant luy: qui ſe monſtrera bon & miſericordieux Pere, ſi vous eſtes un vray pœnitent, & luy deſcouvrez vos fautes, & accuſez voſtre conſcience, en luy criant mercy: aſſeurez vous, qu'il vous pardonnera & remettra en ſa grace, par le merite de ſon benoiſt Fils JESUS CHRIST: ſelon que par ſa parole & de ſon auctorité j'en prononceray tantoſt la ſentence. Dictes donc en vous meſmes tout ce, qu'avez reſolu de me dire: car il n'y a perſonne, qui ſache voſtre conſcience, que Dieu & vous meſme.

XXIX.

Si fuerit ſimplex & idiota, tunc Sacerdos diſcurrendo per ſingula præcepta, ut ſupra dictum eſt, examinabit, in aliis non amplius, quam putaverit neceſſe eſſe.

His peractis dicet Sacerdos:

Vous congnoiſſez maintenant la grace, que Dieu vous a fait, quand il vous a donné le loyſir de vous recongnoiſtre, apres que l'avez tant de fois offenſé: apres luy avoir promis au Bapteſme & aux autres confeſſions, qu'avez faictes par cy devant avec ſa ſaincte grace de luy obeir: vous avez tant ſouvent meſpriſé les bonnes inſpirations, qu'il vous a baillé pour changer de vie, & n'en avez tenu compte: & eſt à craindre, qu'une partie de vos fautes viennent d'une accouſtumee & enracinee maniere de mal vivre. Mais ſi vous en demandez pardon à Dieu de bon cœur, avec volonté de non plus l'offenſer, tant que vous pourrez, & par ſa grace, fiez vous en luy & en ſa Parole, qu'il vous pardonnera. Et ſi par adventure vous n'avez ceſte repentance pour maintenant, ou celle, qu'avez, n'eſt pas bien entiere & parfaicte, priez le de bon cœur, qu'il la vous donne: & conſiderez le danger, où vous eſtes tous les jours de mourir ſoudainement

Digitized by Google

nement & n'avoir loyſir de luy crier mercy. Vous luy criez donc mercy. Et dicat confeſſionem generalem. Reliqua, ſicut ſupra traditum eſt, exequatur Sacerdos.

DE CASIBUS RESERVATIS.

SUnt quædam peccata, quorum abſolutio prohibita eſt ſimplici Curato, & Presbytero, jure Canonico, vel Conſtitutione Synodali & conſuetudine. Sunt & quædam cenſuræ [ut excommunicationis majoris, ſuſpenſionis, interdicti, & irregularitatis] quæ reſervantur Superioribus. Item diſpenſatio jurisjurandi, & voti: atque ejusdem commutatio, vel redemptio ad Superiores ſpectant.

CASUS RESERVATI AD Papam, ex veteri Statuto.

XXX.

FAlſarius literarum Apoſtolicarum, (*l*) incendiarius Eccleſiarum, & locorum Deo dedicatorum, verberans Presbyterum, aut Clericum, aut religioſam perſonam atrociter, videlicet cum effuſione ſanguinis, aut membri mutilatione, Simoniacus in Ordine, aut beneficio Eccleſiaſtico, excommunicatus, interdictus, vel ſuſpenſus ſe immiſcens Divinis. Communicans in crimine ſcienter cum excommunicato a Papa in contemptu ſententiæ.

XXXI.

Generaliter autem Confeſſor ſit diſcretus & attentus in hoc, ut pro omni caſu gravi, enormi, inaudito, inopinato, & inſolito, remittat pœnitentem ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem, ut tali pœnitenti ſecure, provide, ac prudenter poſſit conſuli, pro ſalute animæ ſuæ, ſecundum doctrinam ac traditionem juris: cujus peritiam ut plurimum non habet ſimplex Curatus, aut alius Sacerdos Confeſſor.

CASUS RESERVATI Epiſcopis ex Statuto veteri.

XXXII.

INceſtus, ſtuprum, adulterium, ſodomia, & ſacrilegium. Sacrilegium committitur tripliciter. Scilicet, auferendo rem ſacram de loco ſacro, rem ſacram de loco non ſacro, rem non ſacram de loco ſacro.

Mentita fides, ſive perjurium: per quod infertur damnum, vel nocumentum proximo.

Falſum teſtimonium; per quod Deus contemnitur, juſtitia decipitur, & veritas occultatur: & inſtrumentorum falſificatio.

Oppreſſio, ſeu ſuffocatio puerorum, quæ accidit propter negligentiam, ſeu non debitam cuſtodiam puerorum per parentes. Tales debent remitti ad Matricem Eccleſiam in capite jejunii, id eſt, prima die Quadrageſimæ, quæ dicitur dies Cinerum, ſuſcepturi pœnitentiam publicam in forma juris.

Offendens patrem aut matrem, pede vel alias injurioſe.

Incendiarii locorum non ſacrorum: niſi fuerint denunciati excommunicati: quia poſt denunciationem abſolvendi ſunt a Papa.

Blaſphematores Dei, Virginis Mariæ, & Sanctorum: quia tales ſcandalizant fideles populos.

Hæreticus omnis male credens, & male ſentiens in fide, in Sacramentis, in doctrina Eccleſiæ.

Percutiens Presbyterum aut Clericum, ſine membri mutilatione, aut notabili ſanguinis effuſione.

Matrimonium clandeſtine contractum, vel contra interdictum Eccleſiæ.

Homicidium in ſe, vel in alio, ſub quo comprehenduntur procurantes extinguere partum conceptum in utero, ſive dantes pocula, ne mulier concipiat.

Omnes

(*l*) Statut. vetus.

Digitized by Google

Omnes denique excommunicati a jure, ſive per Statuta Provincialia, aut Synodalia, quorum abſolutio non eſt reſervata Papæ.

Sed de Caſibus reſervatis plura in Tit. de Excommunicatione, infra. Et obſervandæ ſemper Bullæ Cœnæ Domini.

DE SACRAMENTO EXTREMÆ UNCTIONIS.

QUanquam aliorum Sacramentorum vis atque utilitas patet latiſſime per omnem vitam : tamen ne, cum ægrotat homo, ſubſidium deſideret eo tempore periculoſiſſimo, quo mortis horror invadit: quando poteſtates tenebrarum machinas omnes admovent ad hominis ſalutem extinguendam : cum terroribus & viſis horrendis animum frangere conantur, & in deſperationem adducere : Unctio Sacra inſtituta eſt a Chriſto, (*m*) & ab Apoſtolo promulgata, quæ adhibitis orationibus Eccleſiæ, corpori ſubveniat, & animam muniat contra tela hoſtis ignita. Certe multis in Sacramentis & Myſteriis Eccleſiaſticis unctio fit. Cujus rei cauſas dederunt Sancti Patres, Clemens, Dionyſius, Cyrillus, Ambroſius, Auguſtinus, & alii. Sicut enim illa in Baptiſmo corporis ablutio in ænigmate vitam repurgari ſignificat : ſic unctio eum, qui baptizatur, ad certamen & ſacrum pugilatum vocari ſub Chriſto agonotheta, inſerique nos in novam olivam, fierique participes pinguedinis ejus, qui eſt Chriſtus. Verum ultimum Sacramentum hoc nomine deſignatur, quia in Literis Sacris ita dictum eſt : Infirmatur quis in vobis: [inquit B. Jacobus Apoſtolus] inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus : & ſi in peccatis ſit, remittentur ei. Atque hæc quidem efficacia eſt Unctionis Sanctæ.

STATUTUM I.

IDcirco extremam Unctionem ſolis infirmis adhibemus, & majoribus quatuordecim annis: non tamen omnibus, ſed tantum iis, qui periculoſe laborant: ubi de morte probabiliter timetur, quaſi extremum Sacramentum. Minoribus autem quatuordecim annis, vel furioſis (qui nihil peccarunt) non debet dari: niſi hi lucida habeant intervalla, & periculum non ſit de ſcandalo. (*n*)

II.

Nec per alium adminiſtrari poteſt, quam per Sacerdotem : qui ſecum deferre debet crucem,& habere lumen & aquam benedictam : ut aqua benedicta aſpergatur locus, ubi infirmus decumbit, ad expellendas omnes diabolicas poteſtates. Hanc vim habet aqua benedicta, ut Sancti Patres (*o*) teſtantur. Crucem quoque oſtendat infirmo Sacerdos : ut in qua vicit Chriſtus, & inde ſpem quoque ipſe victoriæ concipiat.

III.

Mortuo dari non debet: ſed ſi inter ungendum moriatur, ceſſandum eſt. Si vero dubitetur, an mortuus ſit, hac verborum forma ubi licebit : Si mortuus es, non te ungo, ſed ſi non es mortuus, &c. (*p*)

IV.

Miniſter hujus Sacramenti eſt proprius Sacerdos, quia is tenetur ſcire, qui idonei ſunt ad Sacramenta Eccleſiaſtica, qui indigni ab eisdem repellendi : nec dari debet, niſi iis, quibus alia Sacramenta conceduntur. (*q*)

V.

Inungantur partes corporis præcipuæ: ut oculi, aures, nares, labia, pectus, renes, manus, pedes: ſed in harum partium unctione mos patriæ eſt tenendus. Manus Sacerdotum ungi non ſolent, quod jam unctæ fuerunt ab Epiſcopo. Eodem modo laicorum frontes, qui confirmati non fuerunt, ungi debent. (*r*)

VI.

Sacerdos admoneat infirmum ante & poſt unctionem, ſi ſenſum nondum amiſerit, ut in fide Eccleſiæ perſeveret: quod pœniteat peccatorum præteritorum : & proponat, ſi ſupervixerit, vitam emendare: & ſpem omnem ſalu-

(*m*) Marc. 6. Jacob. 5. (*n*) S. Tho. 4. d. 23. Pet. de Palud. eod.
(*o*) Euſeb. hiſt. libro 7. Epiph. contra Hære. lib. 1. Greg. dial. lib. 3.
(*p*) Pet. de Palud. & Archi. (*q*) Innoc. ad Decent. (*r*) Groper. in Enchi.

Digitized by Google

ſalutis ſuæ reponat in merito Paſſionis Chriſti. Congratulari etiam ei debet, quod Sacramentum hoc ſibi adminiſtrari poſtulaverit. Eſt enim ſignum magnæ fidei & ſpei, quam infirmus habet in auxilio Chriſti, & unctione Sancti Spiritus. In hac fide confirmet eum Sacerdos, & conſoletur.

Adminiſtratis Sanctis Unctionibus, ſicut eſt in Manuali, ſi frequentes fuerint aſſiſtentes, lingua vernacula eos alloquetur in hunc modum Sacerdos:

Mes amis & amies, pour la Charité que devons à noſtre prochain, & la crainte de Dieu, je vous prie tous avoir pitié de ce pauvre malade, & repreſentés à voſtre eſprit le jour & l'heure, que peut eſtre ſera bien toſt que vous ſerés en pareil eſtat, auquel temps vous voudriés avoir donné tout voſtre bien & eſtre ſecouruz des oraiſons de l'Egliſe, & prieres des gens de bien. Supplions Dieu doncques treshumblement, que par ſa miſericorde il accompagne ceſte pauvre creature de ſa force & de ſon S. Eſprit, & de ſa grace, luy doient parfaitte foy & eſperance au merite de la Paſſion de JEſus Chriſt, & qu'il le preſerve des aſſaux & tentations de l'ennemy: à fin qu'à l'article de la mort il die & retienne en ſon cœur l'oraiſon que noſtre Seigneur nous enſeigna, quand il paſſa de ce monde: Pater, in manus tuas commendo ſpiritum meum. *Mon Pere, je recommande mon eſprit en tes mains. Mon ame eſt à vous Seigneur, vous l'avez creée & miſe en ce monde: JEſus Chriſt la vacheptee. Je vous ſupplie l'accepter en vos mains. JEſus Fils de Dieu prenés par voſtre pitié mon eſprit, & le preſentés à Dieu voſtre Pere, reveſtu de vos merites, & lavé de voſtre ſang. Glorieuſe Vierge Marie ſoyés mon Advocate envers voſtre beneiſt Fils, Michel Archange victorieux, & mon bon Ange aſsiſtés moy, & avec tous les Saincts & Sainctes de Paradis, aidés moy en ma priere.* Atque hæc quidem poterunt ſæpius repeti. Sed exhortatione facta procedet Sacerdos ad alias preces, ſicut in Manuali continentur.

Reliqua, quæ faciunt ad doctrinam bene moriendi, quæque morientibus neceſſaria ſunt, habes inter Quatuor noviſſima ſuperius.

DE SPONSALIBUS & MATRIMONIIS.

STATUTUM I.

SPonſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio. (*s*) Et fiunt per verba de futuro: ut cum vir dicit mulieri: Accipiam te in uxorem: & mulier dicit viro: Accipiam te in maritum. Et fiunt quandoque per ſimplicem promiſſionem de futuro ſine juramento, aliquando cum juramento. Et quamvis poſſunt ſine Sacerdote contrahi, congruum tamen eſt & decens, ut per Sacerdotem Parochialem fiant, in præſentia honeſtarum perſonarum: ut bonum teſtimonium haberi poſſit (ſi opus ſit) de forma, modo, & verbis contractus. Et non debent fieri ante ſeptimum annum contrahentium.

II.

Matrimonium contrahitur per verba de præſenti maritali affecta: ut cum vir dicit mulieri: Accipio te in uxorem meam: & mulier dicit: Accipio te in virum meum: vel alia verba æquipollentia & denotantia conſenſum mutuum de præſenti. Sed non aliter poſthac ratum fore declaramus, niſi præſente Parocho, & duobus ſaltem teſtibus hæc fiant. (*t*)

III.

Matrimonium (*u*) per Sponſalia initium capit: per conſenſum animorum, expreſſum per verba de præſenti, uti diximus, ratificatur: per carnalem vero copulam conſummatur & perficitur.

Cauſæ principales, propter quas contrahitur Matrimonium, ſunt duæ. Prima eſt procreatio prolis. Secunda eſt vitatio fornicationis & adulterii, quæ eſt mortale peccatum: quia omnis copula carnalis viri cum muliere, præter matrimonialem, eſt mortale peccatum. Aliæ ſunt cauſæ ſecundariæ, ſive minus principales, de quibus nihil in præſentia.

Poteſt

(*s*) Stat. vetus. (*t*) Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 1. (*u*) Idem Stat. vetus.

Digitized by Google

Poteſt quis accedere ad uxorem quatuor de cauſis: ſcilicet cauſa prolis, cauſa vitandæ incontinentiæ, cauſa reddendi debiti, & cauſa explendæ libidinis. In tribus primis non eſt peccatum, ſed in quarto eſſe ſolet aliquando mortale, aliquando veniale. unde verſus:

Quinque modis petcat uxore maritus abutens,
Tempore, mente, loco, conditione, modo.

Tria ſunt bona Matrimonii, ſcilicet fides, ne poſt vinculum conjugati cum alio, vel alia partem habeant: proles, ut ſuſcipiatur, ametur, & religioſe, id eſt, probe, & in bonis artibus ac moribus inſtituatur. Sacramentum, ut inſtar conjunctionis Chriſti & Eccleſiæ, inſeparabile vinculum maneat Matrimonii uſque ad mortem alterutrius ipſorum. (*x*)

Quos enim Deus conjunxit [inquit Dominus] homo non ſeparet. Et ſi propter fornicationem ſeparatio fiat a thoro, manet tamen vinculum Sacramenti perpetuo, viventibus ambobus. Hæc eſt doctrina Catholica, quam docuerunt Hilarius, Epiph. Theodoret. Baſilius, & alii. *Licet Lactantius lib. 6 Divin. inſtit. aliter.* Sed falſus hic. Nam quomodo reconciliari poterit reſipiſcens uxor, ſi vir aliam duxerit? Reconciliari autem voluit Apoſtolus: in lege lapidabatur adultera.

IV.

Maſculus major annis quatuordecim, (*y*) & puella major annis duodecim, potentes ad carnalem copulam, poſſunt Matrimonium contrahere, etiam ſi muti ſint, dummodo ſigna conſenſus demonſtrent.

Matrimonium licet poſſit contrahi abſque conſenſu parentum, & amicorum contrahentium, & ſine aliqua publicatione bannorum, & nihilominus habeatur ratum, nec unquam diſſolvi ab hominibus poſſit: (ideo dicit Scriptura: Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit uxori ſuæ) tamen quia honeſtum, congruum & decens eſt, ut tanti momenti contractus non temere fiat, & inconſulto: Sancti Patres, inde a principio Eccleſiæ, omnino clandeſtina conjugia damnarunt, (*z*) nec minus quam adulteria & fornicationes tamdiu rejecerunt, donec ſolennitatibus adhibitis celebrarentur. Quapropter filii ex tali conjugio procreati, habentur illegitimi, quamdiu in facie Eccleſiæ non celebratur.

Dicuntur autem Matrimonia clandeſtina, quoad præſens, & illa, quæ de facto fiunt non factis tribus bannis & proclamationibus publicis in Eccleſia Parochiali, per tres dies Dominicos aut alios Feſtivos, ut moris eſt & juris, nulla habita diſpenſatione bannorum prædictorum.

Uno verbo clam fieri dicentur illa, quæ celantur timore alicujus controverſiæ & impedimenti, quod jure timeri debuit. Nam qui nihil timet, non fugit lucem.

Solemnitas requiſita præcipue eſt, ut mulier petatur ex iis, qui curam ejus habent. Deinde [ut legibus (*a*) docetur] a propinquis, & præſente Parocho, vel alio Presbytero ſponſetur, [quod vocatur affidatio.] Tertio, ut publice in Eccleſiis banna pronuntientur per Curatum, præfinito termino competenti & ſpatio dierum inter ipſa banna aliquo, ut legitimum impedimentum opponere queat, qui volet. Quarto, ut a Sacerdote coram teſtibus multis, benedicatur in Eccleſia, & tempore non prohibito. Denique, ut a paranymphis ſecundum conſuetudinem patriæ cuſtoditam, ſolenniter a viro accipiatur. Et biduo, vel triduo [ſi fieri poterit] orationi vacantes, caſtitatem ambo cuſtodiant: vel ipſa nocte prima ſaltem, pro reverentia benedictionis.

V.

Mandamus etiam, (*b*) & diſtricte præcipimus Curatis Nobis ſubditis, ut frequenter hortentur publice in Eccleſiis ſuis Parochianos ſuos, & præcipue juvenes adoleſcentes, ne contrahant Matrimonia, ſine conſenſu & beneplacito parentum ſuorum, aut illorum, a quibus gubernantur & reguntur. Adde, quod ii melius providere poſſint, & cognoſcere, quid expediat in tali re, quam adoleſcentes ipſi, paſſione ſtulta ſæpenumero decepti & amoris furore.

VI.

Matrimonium debet in facie Eccleſie publice ſolennizari, per Sacerdotem Parochialem poſt tria banna publice proclamata in prono Miſſæ, præſente populo tribus Dominicis, vel Feſtis, non immediate ſe ſequentibus, in Eccleſia loci,

(*x*) Aug. de gene. ad literam libr. 9. cap. 7.
(*z*) S. Evariſtus 3. q. 5. aliter.
(*a*) 30. qu. 5.
(*y*) Stat. vetus.
(*b*) Stat. vetus.

Digitized by Google

loci, ubi morari ſunt ſoliti contrahentes & parentes ipſorum. (c)

VII.

Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi vel noſtra licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt: eos ad ſic contrahendum Sancta Synodus Tridentin. inhabiles omnino reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos eſſe decernit, ipſosque aliter contrahentes, & Parochum ſine teſtibus, & teſtes ſine Parocho aſſiſtentes, graviter puniendos eſſe declarat.

VIII.

Si autem durante proclamatione bannorum (d) apparuerit opponens, vel contradictor proponens & allegans cauſam, propter quam Matrimonium hujusmodi non debeat de jure fieri: Sacerdos Parochialis citet contrahere volentes & opponentem, ad certam & competentem diem, tunc futuram coram Officiali noſtro, ad proſequendum negotium, & procedendum, prout juris fuerit. Nec procedat Sacerdos ulterius ad ſolennizationem dicti Matrimonii, vel alicujus prædictorum, donec & quouſque ſibi conſtiterit de mandato dicti Officialis noſtri.

IX.

Et cum ad Nos, (e) vel ad noſtram Sedem pertineant cauſæ matrimoniales: prohibemus ſub excommunicationis pœna, ne quis cujuscunque gradus, conditionis vel dignitatis exiſtat, cognoſcere præſumat, aut judicare de cauſis matrimonialibus: Neque partes Matrimonium contrahere volentes concordent, vel tranſigant inter ſe, ſuper ipſis cauſis, absque judicio Eccleſiæ.

X.

Multa ſunt impedimenta Matrimonii, impedientia contrahendum, & dirimentia contractum: ſuper quibus antequam contrahantur, conſuli Sacerdotes ſolent. Et a verſibus his comprehenduntur:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Addito nunc, Parochus, binis cum teſtibus abſens:
Si ſis affinis, ſi forte coire nequibis.
Hæc facienda vetant connubia, facta retractant.

XI.

Sunt alia, quæ impediunt contrahendum, ſed non dirimunt jam contractum.

Eccleſiæ vetitum, nec non tempus feriarum,
Iſta vetant fieri, permittunt facta teneri.

Omiſſis autem nunc aliis impedimentis Curatus ſcire debet, quod cognationis & affinitatis gradus aſcendentes & deſcendentes, prohibiti ſunt a natura: & in illis copulam omnes ſanæ mentis homines abhorrent. Collaterales cognationes prohibentur partim Sacris (f) Literis, partim (g) Canonicis: ſed ab his, uſque ad quartum gradum inclusive. Et in cognatione quidem ſpirituali primus gradus prohibetur, ſicut ſupra dictum eſt in titulo de Baptiſmo. Sed in affinitate expenduntur gradus cognationis alterius conjugum: quia toto gradu diſtat vir a cognatis conjugis ſuæ, quoto conjunx ipſa diſtat ab eisdem cognatione. Eſtque primus gradus cognationis inter patrem & filium: primus quoque inter fratres, ſecundus autem inter avum & nepotem, & inter filios fratrum: & ſic deinceps. [b] In his gradibus cognationis, vel affinitatis, contrahentes, eo ipſo facto ſententiam excommunicationis á jure latam incurrunt. Et Matrimonium nullum faciunt. Lege Moſaica prohibebatur nepos ducere amitam, vel materteram. Levit. 18. Sed permittebatur avunculo & patruo, ducere neptem ex fratre vel ſorore. Nam Joſue 15. Othoniel duxit filiam Caleb fratris ſui: & Abraham Sarai filiam Aram fratris ſui. Gen. 12. Rationem hujus diſpenſationis dat Liranus Joſue 15. quia caput uxoris eſt vir, & debetur viro reverentia ab uxore. Idem docet Petrus de Pal. 4. d. 41. q. 1. Licet contra doctrinam gloſ. c. Literas. de reſt ſpol. & cap. Gaudemus. de divort. & c. Per venerabilem. qui fil. ſunt leg.

XII.

(c) Ext. De electio. c. Poſtquam. Pan. c. Cum inhibitio extr. De clande. deſponſ. Synod. Mogun. (d) Stat. vetus. (e) Idem. (f) Levit. 18.
(g) Ext. De conſan. & affin. (b) In Clem. 1. De conſan. & affin.

XII.

Tempora feriarum, quibus prohibebatur celebratio nuptiarum, ſunt in toto Adventu uſque ad octavam Epiphaniæ excluſive: & a Septuageſima uſque ad octavam Paſchæ, incluſive, & a tribus diebus ante Aſcenſionem, uſque ad octavam Pentecoſtes, excluſive. Sed per Concil. Trid. ſublata eſt prohibitio poſt Epiphaniam: & a Septuageſ. uſque ad diem Cinerum. In jejuniis Quatuor temporum: & Vigiliis Sanctorum, in quibus jejunium eſt de præcepto, non fiunt nuptiæ. Quia propter jejunia, & Communionem Sacram, etiam Matrimonio conjuncti (ut vacent orationibus) deberent a maritali thoro abſtinere, tanquam uxores non habentes: multoque minus illa exempla diſſolutionis exhibere, quæ ſolent lætitiæ cauſa in nuptiis. (*i*)

XIII.

Nullus Sacerdos Parochialis (*k*) recipiat alienum Parochianum noſtræ Civitatis & Dioiceſis, ad Sacramentum Matrimonii, niſi habeat literas dimiſſorias, & teſtimoniales ſui Curati: ſeu Vicarii illius, per quas appareat, quod talis Parochianus alienus, idoneus ſit, nec in eo obſtet impedimentum, quominus licite Matrimonium poſſit contrahere: vel niſi certis de cauſis Nos, aut Vicarius noſter Generalis mandemus fieri per patentes literas ſignatas & ſigillatas in cera rubea: veluti fieri ſolet pro Magnatibus, & aliis nonnullis.

XIV.

Si vero Parochianus alienus ſit alterius Dioiceſis, (*l*) licet habere dicatur literas teſtimoniales ſui Curati: non tamen admittatur ſine noſtris, aut Vicarii noſtri Generalis, vel Officialis literis de Placet, adnexis ad tales literas dimiſſorias: ad obviandum fraudibus & malitiis, quas experientia docet ſæpe in talibus literis eſſe commiſſas.

XV.

Pro literis, quas vocant: De relatione boni ſtatus Parochiani ſui, quibus ſcribitur (ſicut in forma ſequenti traditum eſt) quod ipſe prior Curatus nullum ſcit, vel intellexit impedimentum, propter quod tali Parochiano ſuo debeant denegari Sacramenta Eccleſiaſtica: (ſive antequam recedat, has petierit literas, ſive poſtea multo tempore) Curatus tales dans literas, non exiget plus, quam quatuor albos. Si vero Parochianus, vel Parochiana absque licentia ſui Curati receſſerit, vel cum licentia, pro bannis, quæ fient in priori Parochia, & literis ſuper hoc a Curato datis, ſolvet ſex albos: niſi per has literas ſimul detur licentia recedendi a Parochia: quæ dicuntur literæ de recedo. In ſua Parochia, ubi reſidet quis, nihil tenebitur ſolvere Curato ſuo pro bannis: niſi aliter habeat conſuetudo. Pro literis vero de recedo, quibus Curatus dat licentiam Parochiano ſuo aliam Parochiam acquirendi, & eum ex ſua dimittit & liberat, ſervabitur conſuetudo loci absque ulla querimonia: alioqui de nimia exactione, ſi quis conqueſtus fuerit, graviter punietur a Nobus Curatus, vel Vicarius in hoc delinquens.

XVI.

Mulieri ſecundo nubenti nullus Sacerdos benedictionem impendat nuptialem: quia jam in primo Matrimonio fuit benedicta. (*m*)

XVII.

Quando aliquis vir alicui mulieri fidem de Matrimonio contrahendo dedit, nullatenus debet eum Sacerdos alteri mulieri matrimonialiter conjungere, etiam, ſi is primam non cognoverit: niſi evidens impedimentum Canonicum intereſſet inter primos, propter quod non poſſent, ſeu deberent Canonice copulari. Ubi ſi dubitetur de impedimento, conſuli Nos oportebit. (*n*)

Præſentatis pro foribus Eccleſiæ Sponſis, & ultimo banno proclamato, in hunc modum procedetur.

Les

(*i*) S. Tho. 4. diſt. 32. 33. qu. 4. Non oportet. ext. De fer.
(*k*) Stat. vetus.
(*l*) Stat. vetus.
(*m*) C. Vir autem. de ſec. nupt.
(*n*) 21. diſt. De conſang. & affin. c. 1. c. De exceden. de exceſſ. Prælatorum.

Digitized by Google

Les bans ont eſté faicts & proclamez en noſtre Mere Saincte Egliſe par trois jours ſolennels, entre N. & N. encores les denonçons nous pour la quarte fois, & commandons ſur peine d'excommuniement, s'il y a aucuns ou aucunes, qui ſachent cauſe pourquoy le mariage ne ſe doive faire, qu'ils le dient avant, qu'on procede plus avant audict mariage.

Hoc facto ſi nihil opponatur, Curatus ſeu Paſtor interrogabit eos, petito prius nomine utriuſque, in hunc modum:

Jean & toy Pernette, avez vous la volonté de vous marier enſemble? Reſpond. Ouy. Y a il entre vous quelque empeſchement de parenté ou d'affinité, ou autres deffenduz par l'Egliſe? Toy Jean, tenendo ejus manum dextram, *par le ſerment, que tu as preſté à Dieu & à ſon Egliſe, as tu faicts promeſſe*, &c. Quod ſi quis opponat, ceſſabit Sacerdos, & ſcitabitur: *Quel empeſchement y a il?* Si reſpondeant Matrimonium eſſe cum alio factum: remittet eos Curatus ad Officialem noſtrum, aſſignando diem ipſis partibus coram dicto Officiali: & dabit partibus literas hujusmodi:

VEnerande Domine Officialis, noverit veſtra diſcretio, quod cum paratus eſſem Matrimonium in facie Eccleſiæ meæ celebrare inter N. & N. P. ſe oppoſuit. Quare partes ad vos remiſi cum his literis, aſſignando eis diem N. Vos oro habeatis ipſos commendatos. Datum, &c.

Si vero impedimentum objiciatur conſanguinitatis vel cognationis: tunc Curatus deſcribet arborem in charta, ſicut ipſe compererit rem ſe habere, & mittet ad dictum Officialem, ſi res fuerit ipſi Curato dubia: ſin vero manifeſtum ſit impedimentum, ceſſabit omnino a celebratione dicti Matrimonii.

Poſtea altiori voce, ſi videatur opportunum, dicet, quæ ſequuntur.

Le ſouverain Createur apres la creation du monde a inſtitué le ſainct mariage, le premier entre Adam & Eve, eux eſtans encores en paradis terreſtre, & en l'eſtat d'innocence: qui n'eſt pas ſans grand myſtere. Hic poterit Curatus, ſi velit dilatare ſermonem, exponere quo pacto Deus creavit Evam: quid dixit Adam, viſa uxore, &c. Item quo pacto Filius Dei de cœlo deſcendit, ut Eccleſiam ſibi deſponſaret. Quocirca Apoſtolus ait: Sacramentum hoc magnum eſt. Eph. 5. Amplificabit dignitatem Matrimonii a ſignificatione & myſterio conjunctionis illius inviſibilis Chriſti & Eccleſiæ, ex qua confertur gratia in hoc Sacramento. *Depuis noſtre Sauveur & Redempteur JEſus Chriſt, eſtant en ce monde, & converſant parmi les hommes a tant honnoré ceſte ſaincte œuvre, que luymeſme a aſſiſté à la celebration des nopces, & au convive, où feit ſon premier miracle. Luymeſme a prononcé la loy de mariage, & ordonné, qu'il ſera indiſſoluble. Nul ne ſeparera (dit-il) ceux que Dieu a conjoinct. Parquoy vous A. & E. qui deſirez vous aſſembler, & vous marier l'un avec l'autre, devez avant toutes choſes prendre garde, que ceſte voſtre intention ne procede de mauvaiſe ſource, comme de la volupté deſordonnee, de l'avarice, de l'ambition, de la contraincte des parens, ou autres: mais il faut, que ce ſoit ſelon Dieu, avec ſimplicité d'eſprit, & de penſee, comme en l'eſtat que Adam & Eve noz peres eſtoyent au paradis terreſtre, & aux fins, que le mariage eſt ordonné: à ſavoir pour avoir des enfans, pour vous accompagner l'un de l'autre, & faire que le mal & le bien qui vous adviendra, ſoit commun à tous deux, & auſſi pour vous preſerver d'eſtre fornicateurs, ou adulteres.* Exaggerare hic poterit crimen adulterii: primum ex dignitate Matrimonii. Quod tantum myſterium ſic contemnatur, non ſolum perjurio, ſed etiam ſacrilegio: deinde ex ſcandalis & malis, quæ ſequuntur adulteros: veluti infamia, non ſolum adulteri, ſed totius familiæ: odia affinium & cognatorum: incertitudo prolis. Item pericula, rixæ, inimicitiæ, zelus, cædes, ſtrages, urbium aliquando, & populorum everſiones. *Doncques vous* A. *prenez* E. *pour voſtre femme & eſpouſe & compagne, luy donnez la puiſſance de voſtre corps, avec la promeſſe, que vous faictes à Dieu, à ſon Egliſe, & à elle de luy garder loyauté & fidelité, & ne vouloir jamais autre femme qu'elle, pour acte illicite: ou pour mariage, tant qu'elle vivra. Dieu vous commande de l'aymer comme voſtre propre chair, de la nourrir, de la conſoler, & de l'inſtruire & corriger gratieuſement & doulcement ſes imperfections, ſi aucunes en y a: non pas comme*

comme voſtre eſclave, mais comme voſtre ſeur & compagne.

Vous, E, *en prenant*, A, *pour voſtre mary & eſpoux luy faictes don de voſtre corps, & luy donnez pareille puiſſance qu'il vous donne ſur le ſien. Vous vous obligez à Dieu, à ſon Egliſe, & à luy, de luy garder loyauté, & fidelité, & ne vouloir jamais autre homme quel qu'il ſoit, pour acte illicite, ne pour mariage, tant qu'il vivra. Dieu vous commande de l'aymer, honnorer, le ſervir, & luy obeir comme nous voyons, que les membres du corps ſervent à la teſte de l'homme. Vous mettrez peine de le conſoler, & contenter en tout ce qu'il ſera poſsible, & patiemment ſupporter ſes imperfections, ſi aucunes en y a. Le promettez vous ainſi? Reſpond. Ouy. Gardez vous doncques mes enfans de contrevenir à ceſte promeſſe, que vous faictes icy à Dieu: car il ſe venge de ceux, que le trompent & meſpriſent.*

Hic deſponſabit eos juxta ritum Eccleſiæ, abſolutos prius ab excommunicatione minori, vel majori, ſi poſſit, benedictis annulis de more, & prolatis verbis ab ipſis ſponſis, ſcilicet: N. *Je te prens pour ma femme & mon eſpouſe, & te promects, que je te porteray foy & loyauté de mon corps & de mes biens, & ſi te garderay ſaine & malade en quelque eſtat qu'il plaiſe à Dieu que tu ſois, ne te changeray juſques à la mort.*

Et rurſum idem dicetur ad Sponſum. Quo facto dicet: Et ego vos in Matrimonium conjungo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Priez Dieu tout deux, qu'il vous donne grace de vivre en bonne paix & en bonne union: & garder & tenir fidelement ce que vous promettez l'un à l'autre, autrement la benediction de Dieu, que vous recevrez maintenant, ſera convertie en malediction ſur vous.

Si fuerint viri literati, exhortari eos poterit, ut legant hiſtoriam Tobiæ: ut illius exemplo ſanctum, & in Domino conjugium auſpicentur.

XVIII.

Et caveat diligenter Curatus, ne Sacramentum hoc Matrimonii adminiſtret excommunicatis, vel interdictis: ſub pœnis a jure poſitis.

Forma literarum teſtimonialium de bannis proclamatis pro Matrimonio contrahendo.

CUratus Eccleſiæ Parochialis de Changiis juxta Arboſium, in Decanatu de Salinis, Biſunt. Dioiceſis, Chariſſimo in Chriſto Fratri noſtro Curato de Sancto Moncejo, Lugdinenſis, vel alterius Dioiceſis, ſalutem. Notum facimus vobis, quod in noſtra Eccleſia proclamavimus tria banna per tres dies Dominicos, ſeu Feſtivos ſolennes, ad ſolennizationem Matrimonii inter N. filium N. Parochianum noſtrum, & N. filiam N. quibus nemo ſe oppoſuit aut contradixit. Evolvimus etiam regeſtra noſtra, ubi nullius excommunicationis ſententia inveniuntur innodati, nec ſcimus nos in eis aliquod impedimentum Canonicum, propter quod Eccleſiaſtica Sacramenta eis debeant denegari, aut differri. Hoc nos omnibus, quorum intereſſe poterit, teſtamur, ſub noſtro ſigno manuali, die N. menſis N. Anno, &c.

Henry de Guillot Presbyt. Curatus.

Forma literarum de Recedo, ſeu miſſionis a Parochiatu.

CUratus Eccleſiæ Parochialis de Cyrodo, in Decanatu de Montana, Biſuntinæ Dioiceſis, Chariſſimo in Chriſto Fratri noſtro Curato de Montemartino, Lugdinenſis, vel alterius Dioiceſis, ſalutem. Petiit a nobis dimiſſionem Joannes N. Parochianus noſter: quod in veſtra Parochia jam ab aliquo tempore moretur, vel perpetuo morari deliberet. Quam nos ei libenter concedimus: eumque per præſentes a noſtra cura & regimine dimiſſum, vobis tradimus & commendamus in viſceribus charitatis, nullius ſententiæ excommunicationis vinculo innodatum, aut alio impedimento, quo minus ei Sacramenta Eccleſiæ & ſepulturam impartiri, tanquam vere Catholico, debeatis. Datum ſub ſigno Manuali noſtro, die . . menſis N. Anno ab Incarnatione Domini, &c.

Claudius Bruillon, Presb. Curatus.

Si vero excommunicatus ſit, ponetur ſic: Vobis tradimus, ſed excommunicatum ad inſtantiam talis, pro ſumma tali, vel pro contumacia, ſicut in regeſtro noſtro comperimus. Datum, &c.

Formam literarum teſtimonialium de bono ſtatu, invenies in titulo de Sepulturis.

DE

Digitized by Google

DE SACRAMENTO ORDINIS.

SEptem ſunt Ordines Eccleſiæ: Oſtiarius, Lector, Exorciſta, Acolythus, Subdiaconus, Diaconus, & Presbyter. Primi quatuor dicuntur Minores, & non ſunt Sacri: tres autem ultimi dicuntur Sacri. Adde quod, qui in Sacris ſunt Ordinibus, uxores habere non poſſunt. Et ita ſtatim vovere coguntur, cum primum Subdiaconatus ordinem ſuſcipiunt. Alioqui non admittuntur ad eum Ordinem, niſi qui cœlibem vitam agere promittunt.

In ordinatione autem hæc requiruntur: Epiſcopus, qui ejus rei Miniſter eſt: vir examinatus: manus impoſitio, cum verbo: & in Presbytero atque Epiſcopo ordinando etiam unctio. [o]

Eſſe autem ordinem unum e ſeptem Sacramentis Eccleſiæ, hinc patet: quod verbis & ſignis exterioribus ac viſibilibus conficitur, & gratiam confert, ſicut docet Apoſtolus, 2. Timoth. 1. & 4. Admoneo te, ut reſuſcites gratiam Dei, quæ eſt in te per impoſitionem manuum Presbyteri, id eſt, Epiſcopi. Septem vero eſſe, & quomodo conferri debeant, Concilium Carth. 4. jam olim definivit. Ignatius quoque ad Trall. & Antioch. aliquot recenſet.

STATUTUM I.

ANtequam ſe Epiſcopo offerant ordinandi, debent ei, vel Pœnitentiario, vel alii poteſtatem habenti confiteri: ne forte indigni accedentes ad Ordines, ex ignorantia vel ſimplicitate, irregulariter ordinentur.

II.

Qui autem a jure ordinari prohibentur, ſunt ii: Primo, ætate minores, quam ad Ordinem requiratur, ut ſupra dictum eſt. Secundo, imperiti, ſeu illiterati. Tertio, criminoſi. Exiſtentes enim in peccato mortali non debent promoveri. Quarto, bigami, id eſt, qui duas uxores habuerunt, vel viduam. Quinto, ſolenniter pœnitentes. Sexto, neophyti: hoc eſt, recenter in fide Catholica plantati. Septimo, curiales, qui propter aliquod officium curiæ ſunt obligati. Octavo, ratiociniis obligati. Nono, ſervi. Decimo, corpore vitiati. Undecimo, filii illegitimi. Duodecimo, ignoti & peregrini. Decimo tertio, infames. Decimo quarto, irregulares. Decimo quinto, ſuſpenſi, & interdicti, vel excommunicati. Decimo ſexto, hermaphroditi. Decimo ſeptimo, conjugati: niſi velint ingredi religionem, & habito conſenſu uxorum. Decimo octavo, hiſtriones, quia habentur infames. Denique qui per ſaltum, vel furtive contra voluntatem Epiſcopi promoti ſunt, vel duos Ordines Sacros eodem die ſuſceperunt, vel quatuor minores cum Subdiaconatu eodem die. Omnes hi prohibentur ordinari: & ſi ordinati fuerint, prohibentur in ſuſcepto ordine miniſtrare. (p)

DE EXAMINE ORDINANDORUM.

JUbet Apoſtolus, ut qui ad Sacros Ordines admitti debent, probentur primum, & ſic miniſtrent, nullum crimen habentes. Quia non paucos ad hoc obtrudit minus idoneos vel ambitio, vel avaritia, vel ſpes otii.

STATUTUM I.

IDcirco ne cui manus cito imponantur, & communicemus peccatis alienis; ſtatuimus, & ordinamus, quod nullus Epiſcopus Ordines celebret in noſtra Dioiceſi, nec Pontificalia exerceat, absque noſtra licentia, & permiſſione, ſicut eſt de jure prohibitum. (q)

II.

Epiſcopus per ſeipſum Ordines celebret, ſtatutis a jure temporibus, in Eccleſia Cathedrali, & publice: vocatisque & præſentibus Canonicis, niſi ægritudo, vel alia cauſa impediat.

III.

(o) Stat. vetus. (p) De temp. ord. lib. 6. 26. diſt. 50. Ex præſentibus. 36. diſ. Illiteratos 40. diſ. c. 1. 2. 3. 23. De legen. Extr. de oblig. 51. diſ. Ext. de ſervis non ord. Ext. de corpore int. de reg. jur. lib. 6. Argu. extr. de temp. ord. cap. ultim. Ext. de Cleric. excom. Extr. gloſſ. 4. q. 3. Hermaphroditus c. fi. de temp. ord. lib. 6. 86. diſ. 4. q. 1. cap. 1. De iis, qui not. infa.

(q) Canon. Apoſtolorum 34. & Nicæn. 17. Trid. Seſſ. 15.

Digitized by Google

III.

Literæ dimiſſoriæ non concedantur amplius, nec conceſſæ admittantur: niſi in quibus mores & ſufficientia promovendi commendentur ab Ordinario. Quare forma illa, quæ olim erat uſu, onerandi conſcientiam Epiſcopi ordinantis, abrogetur: & pro illa fiat poſthac commendatitia, cauſam continens, cur a proprio Epiſcopo promoveri non poſſit. Promovendi ad ſingulos Ordines Sacros examinentur prius: nec ordinetur quisquam ſine diligenti examine, nec in minori ætate, quam oportet: vel etiam Regulares, & Religioſi.

IV.

Ad Primam Tonſuram.

Ad primam Tonſuram Clericalem, idonei erunt adoleſcentes ex legitimo Matrimonio procreati: ſeptem annos nati: Sacramentum Confirmationis adepti: legere atque ſcribere non prorſus ignari: & qui ſimpliciter Symbolum fidei tenuerint, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Confeſſionem generalem, & Benedictionem, non alii. Et ponantur poſthac omnia hæc in literis formatis tonſuræ, alias pro nullis habeantur.

V.

Ad Quatuor Minores.

Ad minores Ordines promovendi, bonum habeant teſtimonium a Parocho, & Magiſtro ſcholæ, in qua educantur. Sint duodecim annorum: ſaltem qui futuri ſunt Lectores & Exorciſtæ, quamvis in minori ætate liceat. Secundo, oſtendant literas tonſuræ, ſintque ex legitimo thoro. Tertio, ſint membris integris, non careant oculis, vel naribus, vel manibus, vel pedibus: nec ſint valde deformes corpore. Quarto, ſciant expedite legere, ut hinc appareat eos non ignorare linguam latinam.

VI.

Promoveantur autem ad quatuor iſtos Ordines per intervalla temporum, quoties fieri poterit: ut in uno quoque Ordine exercitati, de gradu in gradum aſcendere merito poſſint.

VII.

Ad Tres Sacros.

Ad ſingulos Ordines promovendi (ſcilicet Presbyteratum, Diaconatum, & Subdiaconatum) per menſem ante ordinationem Epiſcopum adeant, vel ejus Vicarium Generalem, qui vel Curato, vel alii committet, ut nominibus ac deſiderio eorum, qui volent promoveri publice in Eccleſia promulgato, de natalibus, ætate, vita, & moribus a fide dignis inquirant, & de ſervitio exhibito in Eccleſia per unum annum in Ordine recepto, & literas inquiſitionis transmittant: ipſi vero ordinandi ſe præſentabunt examini tempore aliquo ante celebrationem Ordinum, ut tempeſtive poſſint dare nomina ſua Examinatoribus.

VIII.

Ad Subdiaconatum.

Promovendi ad Ordinem Subdiaconatus primo exhibeant titulum Beneficii, aut penſionis, vel Patrimonii ſufficientis, cujus copiam relinquent penes Sigilliferum Curiæ. Sub Patrimonii vero titulo vel penſionis, non alios ordinabit Epiſcopus, quam quos maxime neceſſarios, vel utiles judicaverit Eccleſiæ. Secundo, ſint XXII. annorum: licet antè Concilium minores admittebantur. Tertio, oſtendant literas aliorum Ordinum. Quarto, ſciant grammaticam, & cantum, & parvum Catechiſmum, qui deſcribitur in Statutis noſtris Synodalibus. Quinto, habeant bonum teſtimonium.

IX.

Ad Diaconatum.

Primo, ſint ætatis XXIII. annorum. Secundo, oſtendant literas aliorum Ordinum. Tertio, teneant grammaticam, & cantum, & Catechiſmum, & computum Eccleſiaſticum, & Breviarii Biſuntinenſis cognitionem aliquam.

X.

Ad Presbyteratum.

Primo, ſint ætatis XXV. annorum. Secundo, oſtendant literas aliorum Ordinum. Tertio, afferant ſecum Breviarium

Digitized by Google

rium & Statuta Synodalia, ut rursum de officio Ecclesiastico, atque aliis Presbytero necessariis examinentur. Quarto, habeant bonum testimonium, maxime de officio exhibito in Ecclesia, & de Sacræ Communionis Eucharistiæ frequentatione.

XI.

Ad Curam animarum.

Ne aliis, quam maxime idoneis, cura animarum committatur; servabitur ad unguem forma examinis, quam tradiderunt Patres in Concilio, Sess. XXIV. cap. 18. nec omnes oportet idoneos existimare, ad Ecclesiam Parochialem administrandam, quod ad Presbyteratus ordinem promoverimus. Plura enim ab illo exigentur in die judicii, cui cura populi commissa est, quam ab eo, qui ad sacrificandum, & orandum pro defuncto Fundatore Sacelli alicujus, ordinatus sit.

Statuimus ergo & ordinamus, ut (r) nemo electus confirmetur, nemoque præsentatus ad dignitatem, vel curam animarum instituatur, (vel simpliciter, vel causa permutationis) priusquam sit examinatus, & comprobatus idoneus: possitque, & velit muneri, ad quod vocatur, pro virili satisfacere. Qui si præsens instituatur, fidei professionem faciat statim in manibus nostris, vel ejus, qui ad hoc fuerit deputatus: si per Procuratorem, intra duos menses id præstare teneatur.

XII.

Nemo ad dignitatem aliquam (s), cui cura animarum adnexa est, promoveatur, nisi saltem XXV. annum attigerit: doctrina, moribusque commendatus. Archi-Diaconi etiam, qui oculi sunt Episcopi, sint graduati.

XIII.

Docet Sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum, nec populi, nec cujusvis sæcularis Potestatis & Magistratus consensum, sive authoritatem ita requiri, ut sine ea irrita sit ordinatio. Quin potius decernit, eos, qui tantum modo a populo, aut sæculari Potestate a Magistratu vocati & instituti, ad Sacerdotum exercenda ministeria ascendunt: & qui ea propria temeritate sibi sumunt: omnes non Ecclesiæ Ministros, sed fures & latrones per ostium non ingressos habendos esse, & deponendos. (t)

XIV.

Sacrosan. Chalcedonensis Concilii in hac saltem parte inhærendo vestigiis, nullus in Presbyterum ordinabitur, qui Ecclesiæ, aut pio loco, non inscribatur: ut illic suo fungatur munere, nec incertis vagetur sedibus. Quod si locum inconsulto Episcopo deseruerit, ei sacrorum exercitium interdicatur. Nec resignare beneficium poterit, sub cujus titulo promotus fuerit: nisi habeat, unde vivat aliunde.

XV.

Qui autem in ordine Presbyteratus constitutus est, videat, ne Sacrum Ordinem ob avaritiam, aut aliam causam non piam ambiisse judicetur. Ideo diebus saltem Dominicis & Festis Missæ Sacrificium offerat, & celebret frequenter.

XVI.

Nemo jus præsentandi (u) occupet, nisi de novo Ecclesiam vel beneficium fundaverit, & construxerit, sive erectam, sed indotatam, de suis patrimonialibus bonis competenter dotaverit. In casu autem fundationis, soli Episcopo, non inferioribus reservatur institutio. Nec juris Patronatus titulus cuiquam proderit, nisi ex fundatione sit vel dotatione, & ex authentico documento, aliisque jure requisitis ostendatur: sive ex multiplicatis præsentationibus, per antiquissimum tempus continuatis. Quicunque etiam jus aliquod Patronatus venditionis, aut alio quocunque titulo, in alios contra Canonicas Sanctiones transferre præsumpserit, excommunicationis & interdicti pœnis subjicietur, & jure ipso privatur.

XVII.

(r) Colon. Synod.
(s) Trid. Sess. 24. c. 12.
(t) Can. Apost. 30. Athan. Epi. ad orthodoxos.
(u) Trid. Sess. 14. c. 12. Sess. 25. c. 9.

Digitized by Google

XVII.

In pœnas & cenſuras varias, veluti excommunicationis, ſuſpenſionis, irregularitatis, incidunt, qui per Simoniam propriam Sacros Ordines adipiſcuntur, (x) aut per ſaltum: (y) aut eodem die duos: (z) & qui contra prohibitionem: (a) qui ab Epiſcopo ſimoniaco, (b) depoſito, vel de hæreſi, aut Simonia delato: qui homicidium voluntarium perpetraverint: qui nati ab illegitimo thoro absque diſpenſatione: (c) qui ante legitimam ætatem: (d) qui extra tempora: (e) qui ſine licentia ſui Ordinarii: (f) omnes hi ſi celebrarint, fiunt irregulares.

DE SIMONIA.

NUlla ex re tantum detrimenti capit Hierarchia Eccleſiaſtica, quam ex labe Simoniæ. Ubi enim pretio & ambitu, Ordines Sacri, honores, & dignitates conferuntur, ac non meritis perſonarum, & juſto examine; neceſſe profecto eſt, ut omnis ordo, & inter homines juſtitia ſubvertatur: Non aliter, quam ſi in corpore humano membrorum munia transferrentur, & manus ad ambulandum applicarentur, pedes ad audiendum, aures ad videndum. Fit enim in Eccleſia per Simoniam, ut qui parere debuerat, jubeat: & qui doceri, doceat: & qui ſanctificari, ſanctificet. Quam id verum ſit, ortæ noſtris temporibus hæreſes ac ſeditiones declararunt. Quare non immerito in eam armatos videmus tot Canones. Ad cujus accuſationem non aliter, quam in crimine læſæ Majeſtatis teſtes admittuntur, non tantum ſervi adverſus Dominos, ſed & criminoſi, & infames. Et in deteſtationem tanti criminis, vocarunt hæreſim. Flagello ex funiculis facto ejecit Dominus cum terrore ſpectantium vendentes in templo columbas, id eſt, S.S.

Dicta eſt a Simone illo Mago, de quo ſcribitur Act. 8. Cum vidiſſet autem Simon, quod per impoſitionem manus Apoſtolorum daretur Spiritus Sanctus, obtulit eis pecuniam, dicens: Date & mihi hanc poteſtatem, ut cuicunque impoſuero manus, accipiat Spiritum Sanctum. Ad quem Petrus dixit: Pecunia tua tecum ſit in perditionem; quoniam donum Dei exiſtimaſti pecunia poſſideri.

Ex his verbis ſumpta eſt definitio Simoniæ hæc: Voluntas ſtudioſa (ſeu deliberata) emendi, vel vendendi aliquid ſpirituale, vel ſpirituali adnexum. Nomine autem emptionis & venditionis omnem commutationem intelligimus rei ſpiritualis pro temporali: non modo videlicet pecuniam in pretio habendo, ſed rem aliam quamcunque: imo preces, quæ pretio æſtimari queunt, & ſervitia, & affinitates, quoties in compenſationem ſumi poſſunt rei ſpiritualis. Qui ergo munus alteri dat, ut pro ſe oret beneficii Collatorem, Simoniam committit: preces enim pretio redimit. Virtute (inquit Comicus) ambire oporter, non favitoribus.

Res autem ſpiritualis intelligitur hoc loco, quæ vel gratiam Spiritus Sancti continet, ut ſunt Sacramenta, & dona gratiarum: vel quæ functionibus ſpiritualibus deſtinata ſunt, ut Sacerdotia, Patronatus, Altaria, Calices, & ſimiles res ſacræ. Functiones quoque, ex authoritate ſpirituali dependentes: ut benedictiones, diſpenſationes, abſolutiones, reconciliationes, & ſimiles: quas quia gratis accepimus, gratis dare debemus.

Ergo pretii ratio ſola eſt, quæ Simoniam facit. Nam pretio æſtimari nullo poſſunt ſpiritualia. Hinc ſequitur pactum omne ſuper re ſpirituali & conventionem, conditionemque, de Simonia argui poſſe. Veluti: dabo ego beneficium meum Petro, tu dabis tuum Joanni. Dare autem aliquid in eleemoſynam, vel in ſuſtentationem Miniſtri Sacramentorum, vel ob reverentiam, vel ex obligatione legitima aut conſuetudinaria, non putatur Simonia: niſi forte vel qui dat, vel qui accipit, id pro pretio habeant. Mentalis namque Simonia voluntate committitur & deliberatione, etiam ſi res effectum non conſequatur: Quanquam cenſuris non ſubjiciatur, niſi ſit conſummata pacto præcedente: pœnæ enim reſtringendæ ſunt ad actus conſummatos. Patet ex cap. ult. extr. de Simonia. Calices quoque, & indumenta ſacra, vendi poſſunt pro pretio materiæ: ſed non pluris, propter conſecrationem. Quæ ſi laicis vendantur, frangi prius oportet, ne in uſus convertantur profanos.

Quam-

(x) C. Illiteratos 36. diſtinctio. & Innoc. in c. Tantam. de exce. præd.
(y) C. Unico. de Cler. per ſaltum pro. (z) C. 2. De eo, qui fur. or.
(a) C. Vel non eſt compoſ. de temp. ord. & c. Innotuit. de eo, qui furtim ord. ſuſc.
(b) Si quis a Simoniacis. Trid. Seſſ. 14. cap. 7. (c) C. 1. De fil. Presb. in antiq. & li. 6.
(d) De ætate & qualit. (e) De temp. ord. cap. Vel non eſt compoſ.
(f) Manual. Confeſſ. c. 27. nu. 244.

Digitized by Google

Quamvis autem pro celebratione Miſſæ vel Baptiſmi, vel alterius rei ſimilis accipere aliquid pretii, vel dare, ſimoniacum re vera ſit: tamen ſtipendia accipere a populo & alimenta, non prohiberur. Dignus eſt enim operarius mercede ſua, Matth. 10. id eſt, cibo ſuo, ut Luc. 10. Accipiant, inquit Auguſtinus, ſuſtentationem neceſſitatis a populo, mercedem diſpenſationis a Domino.

Quæret aliquis: Si hæc vera ſunt, ſequitur nullo modo licitum eſſe paciſci pro hiſce laboribus. Atqui videmus fieri quotidie, & ſine reprehenſione, ut Presbyteri, ſe obligent pro mercede ad celebrandum in Sacellis privatis, & ad vigilias defunctorum, & ad adminiſtranda Sacramenta pro Curatis abſentibus. Sane D. Thomas (*g*), quem ſequitur Durandus, nullum pactum venditionis poſſe intervenire docet pro labore hoc, quin ſimoniacum ſit. Labor enim non ſolet unquam vendi, ſed id, quod labore quæritur: nempe opus. Quid conductoris operarum tuarum intereſt, multum vel parum labores, modo fiat, quod optat? Item labor in celebratione, vel adminiſtratione Sacramenti ab adminiſtratione & celebratione, non ſeparatur: & celebratio Miſſæ, Miſſa eſt: ſicut adminiſtratio Baptiſmi, Baptiſmus. Quod ſi pro Baptiſmo non potes pretium accipere, ſequitur, quod neque pro labore. Verum Dom. Soto (*b*), cum quibusdam aliis, diſtinguit hoc loco: ſi tanquam laboris pretium intelligas, non licet paciſci pro labore: ſed bene pro obligatione. Siquidem poteſt obligatio ipſa vendi per ſe, quæ privatio libertatis quædam eſt. Ipſa quoque Miniſtri ſuſtentatio, ſi pretio æſtimari poteſt, quid prohibet, quin in pactum duci queat? Confirmantur hæc per c. Significaſti. de Præbend. Ad ampliorem quoque declarationem, conſiderandum, alios eſſe labores, qui celebrationem antecedunt: alios qui comitantur, nec ſeparari poſſunt. Illi quidem locari poſſunt, non autem alii. Veluti, ſi longum iter ſit, & difficile ad Eccleſiam. Sic cantorum muſica & opera locari poteſt: quia non eſt eſſentialis Miſſæ. Sic ſepultura, licet, quæ neceſſaria eſt, vendi non poſſit, at locus magnificentior, & pompa funebris ad ſepulturam, poſſunt. Sequitur, Paſtores Eccleſiarum jure exigere laborum ſuorum mercedem, nimirum, ut ſuſtentationis ſuæ ſtipendium: non tamen ut pretium rerum ſpiritualium. Sic nos exiſtimet homo (inquit Apoſtolus) ſicut Miniſtros, &c. alioqui ſi talem habeant mentem, ut ſe ſpiritualia vendere cenſeant, Simoniaci erunt, & ad reſtitutionem tenebuntur. Canonici autem, qui pro primo & principali fine officii ſui pretium in mente habent, atque ſtipendium diſtributionum, Simoniam committunt. Verum ſi non pro fine principali, ſed acceſſorio quodammodo, tanquam rei neceſſariæ ad ſuſtentationem ordinatæ, nihil peccant. Tenet quoque Scotus, ſpem ſolam mercedis licite eos ad Eccleſiam aliquando adducere: quando ſcilicet ex officio non obligantur alias venire.

STATUTUM I.

Pœnæ Simoniæ eſt excommunicatio Papalis, privatio a Beneficio, ſuſpenſio ab Ordine, & obligatio ad reſtitutionem. (*i*) Nec ſolum ipſi contrahentes excommunicantur, ſed etiam mediatores, qui conſilium dant vel favorem.

DE DIFFERENTIA MINIſtrorum Eccleſiæ.

Sicut in uno corpore [*k*] multa ſunt membra, non omnia tamen eandem functionem habent: ſic in Eccleſia Dei (quæ corpus Chriſti myſticum eſt) multi ſunt gradus & diverſa officia. Alii præſunt, alii parent: & alii miniſtrant, aliis miniſtratur: & inter Miniſtros, quosdam quidem dedit (inquit (*l*) B. Paulus) Apoſtolos, quosdam autem Prophetas, alios vero Evangeliſtas: alios autem Paſtores & Doctores, ad conſummationem Sanctorum, in opus miniſterii in ædificationem Corporis Chriſti.

Miniſtrorum itaque Eccleſiæ differentiæ multæ ſunt. Sunt enim quidam Miniſtri Sacramentorum, alii Miniſtri doctrinæ, alii Miniſtri juſtitiæ, alii Miniſtri laudum Divinarum & orationis: alii miniſtrant menſis, alii miniſtrant infirmis & pauperibus, alii miniſtrantibus ipſis opitulantur, & ſubſerviunt. Omnibus his & univerſis unus præeſt velut caput, Summus Pontifex.

Miniſtri Sacramentorum Sacri Ordinis & Confirmationis ſoli ſunt Epiſcopi, qui Apoſtolos repræſentant, & illorum loco ſucceſſerunt: ideo illis ſolis reſervatur poteſtas, confirmandi pueros, & inſtituendi Paſtores & Miniſtros in Ordine Eccleſiaſtico: & præterea Sacramentalia quædam, ad hæc ordinata præparandi: qualis eſt confectio Chrismatis, dedicatio & conſecratio Eccleſiæ, & Altaris: benedictio cæmiterii, calicis, & veſtium,

(*g*) 2. 2. qu. 100. art. 3. ad 2.
(*i*) Per totam 1. cauſam Decr.
(*b*) Libr. 9. de Inſtit.
(*k*) 1. Cor. 12.
(*l*) Ephel. 4.

ſtium, ſeu paramentorum Sacerdotalium. Quanquam conſuetudo habet, ut Abbates hoc poſtremum poſſint, & quidam Religioſi ex privilegio: excepto tamen corporali & calice, quorum benedictio Epiſcopis reſervata eſt.

Sacerdotes (quos Presbyteros Græce, id eſt, Seniores appellamus) Miniſtri ſunt Sacramenti Corporis & Sanguinis Domini: iidem etiam Miniſtri Sacramenti Pœnitentiæ, & extremæ Unctionis. Accipiunt enim poteſtatem a Deo in ſuo ordine, in Corpus Chriſti verum (ut loquuntur Theologi) & in Corpus Chriſti myſticum: id eſt, in Chriſti fideles. Sed poteſtas iſta, quæ eſt in Corpus Chriſti myſticum (remittendi peccata) non poteſt redigi in actum, niſi adſit materia ſubjecta, hoc eſt, niſi Sacerdos habeat perſonam ſibi ſubditam ex officio: ut ſunt omnes Paſtores, & Presbyteri, curam animarum habentes ex officio, vel ex licentia Superioris. Quare nullius momenti abſolutio erit, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet jurisdictionem: niſi in mortis articulo.

Ideo proprium eſt Paſtorum Eccleſiæ, miniſtrare Sacramentum Pœnitentiæ ſuis Parochianis, caſibus reſervatis exceptis: eorum eſt etiam Sacramentum extremæ Unctionis.

Matrimonii quoque Miniſter eſt ſolus Paſtor, qui oves ſuas debet cognoſcere. Nam Matrimonium jure niti debet naturali, Divino, Civili, & Canonico: contra quæ jura, ſi quid intervenerit, in culpa erit Paſtor, qui volens, ſciens, illud ſolemnizaverit.

Sacramentum Baptiſmi, janua omnium Sacramentorum, quia omnino neceſſarium eſt ad ſalutem, idcirco in promptu eſſe debuerunt tum materia, tum Miniſter. Quare quivis baptizare poteſt in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Sed quia in hoc agendo Miniſtrum ſe præſtat Eccleſiæ ille quicunque ſit: ideo præſente Miniſtro ordinato in ſuperiore gradu, inferior non debet uſurpare ſibi talem honorem.

Atque hæc quidem hactenus de Miniſtris Sacramentorum. Sequuntur doctrinæ Evangelicæ, & Verbi Divini, atque alii Eccleſiæ Miniſtri.

Et Evangeliſtæ quidem ſunt Prædicatores deputati ad annunciandum fidem & Chriſti doctrinam, tam apud fideles, quam apud infideles: qualis erat Philippus Diaconus, unus ex ſeptem, Act. 21. Sed licet iidem Doctores re vera ſint, & dicantur: tamen Apoſtolus ad Paſtores videtur munus docendi retuliſſe, cum duo conjunxit ſupra, Paſtorem & Doctorem. Quare proprie munus eſt Paſtorum docere plebem, legendo & interpretando Sacras Literas, & partim timore pœnæ, partim ſpe præmii, eam continere in officio. Sic idem Apoſtolus in examine Epiſcopi doctorem eſſe jubet. Quanquam & Diaconorum quoque fuit hoc munus docendi plebem (uti diximus) & declarandi Evangelium: ſed juſſu tamen & authoritate Paſtoris: ſicut ſeptem illi Diaconi ab Apoſtolis acceperunt, Act. 6. Unde illud eſt, quod ante Offertorium Miſſæ, Diaconus petita licentia & benedictione a Presbytero, alta voce legit Evangelium, & Subdiaconus Epiſtolam, aut Prophetiam. Sed & in aliis horis Lectores in Prophetarum locum ſuccedentes, & in minoribus Ordinibus conſtituti, populo prælegant aliquid vel ex Sacris Literis, vel ex geſtis Martyrum ad inſtructionem auditorum: qui eſt ordo nunc unus ex quatuor minoribus: & in officio matutino ejus functionem etiam nunc videmus. Hunc ordinem habere debent, quos in majoribus Eccleſiis vocamus Scholaſticos.

Propter energumenos & oppreſſos a maligno ſpiritu, conſtitutus eſt authore Chriſto ordo Exorciſtarum. Hi præſcripras habent preces, & conjurationes: quibus orantes & jejunantes, ſic a dæmone vexatos & illuſos in Chriſti nomine liberare poſſunt. Et horum munus erat olim, in Eccleſia baptizandos aliquanto tempore ante ingreſſum Eccleſiæ exorcizare: quod etiam nunc ante Baptiſmum fieri videmus a Presbytero. Ejus quoque munere fungitur is, qui in officio Eccleſiaſtico thuribulum & acerram fert, & Chorum atque Eccleſiam thurificat.

Cuſtodes Templi, ſeu Æditui, in ordine ponuntur Hoſtiariorum, accipientes in ſua ordinatione claves Eccleſiæ: ut Eccleſiam claudant vel aperiant dignis: cuſtodiant Eccleſiæ theſauros & Sanctuaria. Parant & ornant hi Eccleſiam juxta ſolennitates dierum. Quin etiam populum ad Eccleſiam convocant campanarum ſigno. Dicuntur ergo hi Hoſtiarii, & Æditui, & Matriculárii, & Sacriſtæ, & Cuſtodes, & Theſaurarii, pro diverſitate locorum.

Aliis Miniſtris Eccleſiæ miniſtrant ſpecialiter Diaconi, Subdiaconi, & Acolythi. Subdiaconi quidem Diaconis ſubſerviunt: maxime in Altaris miniſterio, oblationes fidelium recipiendo, & tantum de oblatis, quantum populo communicaturo ſuffecerit, Diacono ſuggerendo. (*m*) Tenentur calicem & patenam, & urceolos, ad Miſſæ Sacrificium deferre, & Diacono tradere, & corporales lavare.

Aco-

(*m*) Hieron. ad Ruſticum. Anacletus Epiſt. 1.

Acolythorum, id eſt, Sectatorum, vel comitantium, officium eſt, in miniſterio Eccleſiaſtico adeſſe, Epiſcopo ſervientes, luminaria præferentes. Ea, quæ ad Miſſæ Sacrificium neceſſaria ſunt, ſubminiſtrare debent Diacono, vel Subdiacono: veluti urceolos vini & aquæ, mappas, pelves, & ſimilia. Olim nuncii erant & tabellarii Prælatorum: ut patet ex D. Cypriano maxime. (n)

Varium ergo & difficile adeo cum ſit munus Paſtoris: nemo illud ſibi uſurpet, aut aſſumat, niſi vocatus, tanquam Aaron: qui oves ſibi creditas paſcere verbo poſſit, & opere; & tam ſibi, quam ſuis cavere ab hæreticis & apoſtaticis hominibus, qui veniunt in pellibus ovium, cum ſint intrinſecus lupi rapaces.

Jurisdictio Eccleſiæ fundatur in verbo Chriſti, Matth. 18. Si peccaverit in te frater tuus, &c. Et Apoſtoli poſtea nos ſuo exemplo docuerunt, qui fuerunt hujus rei Miniſtri. Itaque Miniſtri juſtitiæ ſunt Epiſcopi, & ſuperiores Prælati, ut Archi-Epiſcopi, Primates, Summus Pontifex: quam exercent per Archi-Diaconos, Vicarios, Officiales, & ſimiles alios ad hoc deputatos, vel delegatos.

Miniſtros laudum & orationis in Eccleſiis aſſidue pſallentes, merito nunc Prophetas nuncupemus: qui die noctuque Pſalmos Propheticos, & Dei gloriam in choris ſuis decantant, & preces pro populo faciunt, a mundanis occupationibus, curisque ſemoti: choros inquam Monachorum, & Virginum, & Collegiorum Canonicorum. Qui illis præſunt, ſicut Samuel & Heliſeus [tanquam Prophetarum choros ductantes] Diaconi, id eſt, Miniſtri, & Diaconiſſæ, Abbates & Priores, Decani & Præpoſiti appellantur. Licet enim Propheriæ donum ponatur in primis (o) in interpretandis Divinis myſteriis ad ædificationem, exhortationem, & conſolationem populi: tamen Cantores Eccleſiæ dicuntur Prophetæ: ut 1. Paralip. 25. Segregavit David filios Aſaph, qui prophetarent in citharis, & pſalteriis, & cymbalis, in confeſſionibus & laudibus Divinis. Idem prope, c. 15. & D. Hieronymus, filios Prophetarum Monachos fuiſſe ſentit Epiſt. 4. Et Paraphraſtes Chaldeus prophetare, vertit Deum laudare. 1. Reg. 19. Et Prophetæ Baal prophetabant fruſtra Deum ſuum invocando. 3. Reg. 6. Sed ne nomen Prophetæ aliter accipiatur: nos prophetandi munus hoc pſallentium dicemus in hoc opere.

Creſcente numero Chriſtianorum [p], nec ſufficientibus Apoſtolis ad omnia miniſteria: elegerunt ſeptem viros, quos orando, & manus eis imponendo, ordinarunt Diaconos, ut miniſtrarent menſis: & hi non ſolum in myſteriis ſerviebant Presbytero, ſed etiam curam gerebant pauperum in hoſpitalibus & privatis locis. Itaque Diaconi panem & vinum, quæ ad Miſſæ ſacrificium populus offerebat, in altari [ſicut dicimus] collocabant ante Presbyterum, & poſt conſecrationem in Communione diſtribuebant fidelibus, orante Presbytero, & intendente Verbo Dei. Nunc autem cum plures ſint Presbyteri: quod fieri poteſt per Presbyteros, non oportet, ut ab aliis tractetur Sacroſanctum Chriſti Corpus, niſi neceſſitate urgente.

Miniſterium colligendæ, atque diſtribuendæ eleemoſynæ in pauperes, non dedignatur ſuſcipere (q) Apoſtolus. Neque enim parvi momenti meritum eſt in cura pauperum & infirmorum. Itaque ad hoc munus ordinantur etiam Diaconi. Hi nunc ſunt Magiſtri hoſpitalium: quorum eſt collectas, vel reditus fundatos, recipere, & ex illis pauperes ſibi concreditos alere, vel infirmos & defunctos curare, juxta intentionem eorum, qui ſuas opes in hos uſus erogarunt.

Diaconorum etiam munus eſt, bona Eccleſiæ diſpenſare in Eccleſiæ Miniſtros, & Chriſti pauperes alios, juſſu Epiſcopi: (r) Epiſcopum prædicantem a malis hominibus cuſtodire, teſtesque Epiſcopo eſſe converſationis ipſius. Eſt denique Archi-Diaconus velut oculus quidam Epiſcopi, omnia perluſtrans, de omnibus commonefaciens Epiſcopum. Hujus vices committi ſolent Procuratoribus fiſcalibus, Decanis ruralibus, ſeu Archi-Presbyteris. Sic videmus ordinem Diaconorum (id eſt, Miniſtrorum Eccleſiæ) latius patere, & ad multa officia extendi. Erant enim in primitiva Eccleſia multi Diaconi, pauci Presbyteri. Fere omnes Presbyteri erant Paſtores: nunc contra videmus multos Presbyteros, paucos vere Miniſtros, & ex animo. Plura de officio ſingulorum ordinum in Decreto Gratiani, diſt. 25. leges.

Reliquit Dominus tandem in hoc mundo Vicarium ſuum univerſalem Petrum, quaſi Ducem atque Paſtorem Supremum, & Caput totius Eccleſiæ militantis: cui, & Succeſſoribus ejus, dedit claves regni Cœlorum. Hic primo Sedem habuit Antiochiæ, deinde Romæ: ubi & paſſus eſt, ſicut omnes tradunt hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, & libri Patrum. Negare enim Petrum fuiſſe Romæ, hæreſis eſt perfecta: cum ex Roma primam ſuam

(n) Cypr. lib. 3. 11. & 24. epiſt. 3. & lib. 2. epiſt. 8.
(o) 1. Cor. 4. 1. Tim. 4.
(p) Act. 6.
(q) 1. Cor. 1. Gal. 2. Act. 9.
(r) Conc. Carthag. 4.

Epiſtolam ſcripſerit: quam vocat cap. ultimo, Babylonem, propter ſuperſtitionem & idololatriam urbis.

STATUTA SIMPLICIUM Presbyterorum.

PResbyterum ſimplicem vocamus (aliter Capellanum) eum, qui licet in Ordine Sacro Presbyteratus poſitus ſit, nulli tamen addictus eſt Eccleſiæ Parochialis curæ: ſed tantum inſcriptus Sacello alicui, vel Cæmiterio, vel Capellaniæ, ad Miſſas in eo celebrandum, juxta beneficii fundationem. Ab hac veteri Patrum inſtitutione nata eſt alia conſuetudo & mos (præſertim in Dioiceſi Biſuntina) ut ordinentur etiam Presbyteri ſub ſolo titulo patrimoniali. Solent enim ſæpenumero parentes, pietatem ac religionem viri probi ac Deo devoti amplectentes, de reditu aliquo providere ei, quo vitam procul a ſordido ac ſervili labore tolerare poſſint, unique contemplationi vacare, & Miſſarum Sacrificio. Sed ſcire debent, quod ſine licentia ejus, qui Eccleſiæ præeſt, nemo poteſt in Eccleſia celebrare, nec aliud quicquam officii facere. Nam neque fundationes ipſæ Miſſarum ſine aſſenſu Rectoris Parochiæ fieri debent: ne Divinum confundatur officium, per Miniſtrorum, aut miniſteriorum inordinationem.

Horum itaque ſimplicium Presbyterorum quamvis non tanta exigatur doctrinæ ſufficientia: morum tamen probitas & religio requiruntur. Nam licet docere verbo non teneantur: multum tamen nocere exemplo poſſunt, ſi vita officio, quod ſanctum eſt, non reſpondeat. Et quia in ſubſidium ſumuntur plerique Rectorum, ut in audiendis confeſſionibus, & Sacramentis adminiſtrandis: idcirco prorſus idiotæ non admittantur: alioquin pro lumine, tenebræ erunt.

STATUTUM I.

PResbyter celebraturus Miſſam, provideat ſibi prius de uno, vel duobus Miniſtris: de lumine & paramentis neceſſariis ac benedictis: & cum reverentia ad Altare accedat. (s)

II.

Nullus Presbyter præſumat celebrare ſuper Altare non conſecratum, aut in Eccleſia polluta, aut coram interdicta perſona, aut excommunicata, ſub pœna ſuſpenſionis, quam tales incurrunt. Nec niſi in Eccleſia, non extra eam: niſi in caſu neceſſitatis, licentia noſtra ſuper hoc habita, in loco decenti: & ſuper altare lapideum conſecratum, aut in quo ſit tabula lapidea conſecrata: non alias.

III.

Presbyter in celebrando Miſſam, totum officium in libro dicat: nihil ſine libro: (t) quantumcunque ſit peritus. Quia etiam in apertione & complicatione libri, ſunt notata ſua myſteria. (u) Nec ritus aut orationes de ſuo ſenſu faciat.

IV.

Quod ſi forte aliquis defectus in celebrando (quod cavendum eſt) acciderit, ut ei occurrere poſſit, habeat articulos, qui ſuper hoc deſcripti ſunt in magnis Miſſalibus nuper impreſſis.

V.

Simplex Presbyter nulli Euchariſtiam adminiſtret, aut aliud Sacramentum, niſi prius, obtenta licentia. Excepto caſu neceſſitatis.

VI.

Nullus Presbyter duas Miſſas celebrare præſumat eodem die, niſi neceſſitate compulſus, (x) & in die Nativitatis Domini; & tunc non debet in prima ablutiones ſumere: ut ſit jejunus in alia.

VII.

Nullus Presbyter Miſſas celebrare præſumat tempore, quo Curatus, ſeu Prædicator Verbi Dei ſermonem habet ad populum: ne per hoc impediatur, ſed currat & clarificetur Verbum Dei.

VIII.

Presbyter volens celebrare, & ſuper Altare plures habens hoſtias conſecrandas, diligenter attendat, ut intentionem ſuam dirigat ab initio officii, & perſeveret ad conſecrandum omnes hoſtias præſentes (quotquot ſunt) nec curam habeat de numero certo & ſpeciali ipſarum.

IX.

(s) De Conſec. diſt. 1. hoc quoque.
(x) De celebr. Miſſ. c. Conſuluiſti.
(t) Stat. vetus.
(u) Rationale Divin. Offic.

Digitized by

IX.

Omnia verba Canonis cum magna reverentia & devotione dici debent : maxime vero infra actionem, cum intentione actuali, quantum fieri poteſt.

X.

Caveant ab avaritia, quæ eſt idolorum ſervitus: ab irreverentia, quæ ab impietate vix ſejuncta eſt: & a ſuperſtitione, veræ pietatis falſa imitatrice. Quare pacta & mercedis conditiones pro Miſſis non fiant. Rejiciantur, qui non decenti cum habitu ad celebrandum accedunt. Ritus novos, vel cæremonias, vel preces ne faciant. Miſſarum & candelarum certum numerum, tanquam a ſuperſtitione deductum, Synodus Tridentina damnavit.

XI.

Calix debet eſſe de auro, aut de argento, ſeu etiam urgente neceſſitate & paupertate, de ſtanno. Sed non debet eſſe de vitro, de lapide, de ligno, de aurichalco, de plumbo, de ære, de cupro, aut de ferro. (y)

XII.

Corporalia de lino, non de ſerico: quia Chriſtus in ſepulchro fuit involutus in ſyndone munda. Et ſemper debent alba, & munda teneri. (z)

XIII.

Celebrans poſt ablutiones ne tergat manus in mappis, vel lineaminibus Altaris : ſed habeat manutergia munda ad hoc parata : & calicem cum patena poſt Miſſam involvat in panno mundo, quem calicem nullus Miniſter tangat, niſi ſit in Sacris: nec vendat aut impignoret. (a)

XIV.

Ampullas quoque mundas habeat : quas ligneas aut cupreas, eſſe non licet.

XV.

Inhibemus omnibus & ſingulis Presbyteris, qui Dioiceſi Biſunt. non ſunt oriundi, nec in Dioiceſi Beneficiati, ne Miſſas, aut alia Divina officia celebrent in dicta Dioiceſi ſine noſtra, vel Vicarii noſtri Generalis licentia (b): omnibus Curatis ſub gravi pœna inhibentes, ne tales Clericos tranſeuntes in ſuis Eccleſiis ad celebrandum admittant : niſi viros magnæ dignitatis eſſe cognoverint, & venerabiles perſonas.

XVI.

Idcirco præcipitur vobis Decanis, & Curatis, ſeu Vicariis veſtris, ne ullum patiamini celebrare, vel in ordine aliquo miniſtrare (c) promotum extra Dioiceſim; quin prius habeat a Nobis permiſſionem, aut a Vicario noſtro generali: etiam ſi literas noſtras dimiſſorias obtinuerit ad Ordines ſuſcipiendos. Quoniam noſtrum eſt examinare, num tales rite & Canonice promoti ſint. (d)

XVII.

Curati, vel eorum Vicarii poſthac, ſi in ſuis Eccleſiis aliquæ fundationes Capellaniarum, vel Collegiorum factæ fuerint, earum copiam authenticam ferant in proxima Synodo, & tradant Secretario noſtro, ut reponantur in Archivis Palatii Archi-Epiſcopalis, ad perpetuam rei memoriam. Nec Secretarius, aut alius quisquam aliquid accipiat propter ea: quia ſic fieri juſſimus, & ita Nobis placet.

DE CAPELLANIS FAMILIARIBUS.

DUæ cauſæ ſunt, propter quas Capellanorum familiaritates conſtituuntur in Eccleſiis Parochialibus. Una eſt charitas, & dilectio fraternitatis: quando communio bonorum, & æqua diſpenſatio miniſteriorum efficit, ut omnium ſit cor unum, & anima una. Altera cauſa, ſeu finis eſt, Cultus Divinus. Quod enim ſolus Rector, ſeu Curatus Eccleſiæ non poteſt, per adjutores ſuos familiares, ſubſidiaria tanquam opera exequitur, & adimplet. Atque hæ quidem ſanctæ & juſtæ cauſæ ſunt: ſed non raro aliter contingit. Nam communio diſcordias ſæpe parit : ubi pecuniæ ſtudium pietati dominatur, & avaritia. Et quando confamiliares Rectorem, Paſtoremque ſuum con-

(y) Stat. vetus.
(z) Stat. vetus.
(a) 23. d. Sacratas.
(b) Ex Concil. Chalced. c. 13.
(c) In c. 2. de Cler. excom.
(d) Stat. vetus.

Digitized by Google

contemnunt: omnia miniſteria perturbantur.

STATUTUM I.

VIſum itaque eſt in hac Sancta Synodo, admonere omnes hujusmodi Capellanos familiares, primum ut fines iſtos conſiderent cum timore damnationis æternæ, ſi contra deliquerint.

II.

Deinde mandatur (quia Curatus eorum Caput & Paſtor eſt, totius Parochiæ Rector, ipſi vero in ſubſidium ejus aſſumpti, & bonorum Eccleſiæ ipſius participes effecti) ut ei honorem deferant & reverentiam in omnibus tanquam Patri. Nec verbo vel facto contumeliam ei inferant, ſub pœna excommunicationis ipſo facto.

III.

In obeundis quoque muneribus Eccleſiæ (ne in officio Paſtoris impediatur) ab obligationibus aliis familiaritatis excuſetur: ut quando eſt Miſſa Parochialis, non cogatur ad celebrandum pro familiaritate. Et ſi in confeſſionibus, vel adminiſtrandis aliis Sacramentis occupatus fuerit, non teneatur aſſiſtere in Choro. Idque ejus conſcientiæ remittatur: niſi (quod abſit) tanta appareat negligentia, quæ ad Vicarium generalem deferenda veniat. Sic neque cruciferi, neque chorialis pueri provincia gravetur: quæ ſunt inferiorum Clericorum munera. Sic cultus Divinus rite peragetur, & fraternitatis charitas integra cum pace ſervabitur.

IV.

Damnavit Sancta Synodus, ſicut & Nos damnamus, conditiones illas illicitas, quæ in promiſſionibus & admiſſionibus ad habitum Eccleſiæ, vel diſtributiones quotidianas, apponi ſolent, deducendi aliquid ex fructibus, vel ſolvendi, vel compenſandi: eaſque revocandas, & abolendas cenſemus.

V.

Comeſſationes quoque & convivia, ad quæ recens admiſſus Presbyter compelli ſolebat, cum ad pietatem nihil hæc faciant, nec ad utilitatem Eccleſiæ, ſed potius ad manifeſtandum vulgo immodeſtiam Sacerdotum & luxum, prohibemus.

VI.

Ac multo minus ferendæ illæ leges ſunt, quibus familiares quidam Presbyteri compellebantur, prandia vel cœnas ſumptuoſas dare aliis familiaribus per ordinem diebus feſtis quibusdam, ut Paſchatis, Natalis Domini, & ſimilibus. Quaſi feſta Eccleſiaſticis viris in tabernis, comeſſationibus, & ebrietatibus (quæ damnat Apoſtolus) non in orationibus & eleemoſynis & piis operibus magis peragenda ſint.

STATUTA PASTORUM, ſeu Curatorum & Rectorum Eccleſiarum Parochialium.

UT ea omnia præſtare queant Paſtores, quæ in examine approbationis exiguntur, quoniam nunc Eccleſiarum Rectores (præſertim ruralium) omnia gerere debent officia, non ſolum Presbyterorum, ſed etiam Diaconorum, & Subdiaconorum, & Ædituorum: quia his creditum eſt non ſolum miniſterium Sacramentorum & Benedictionis, ſed etiam prædicationis Verbi Dei, & laudum Divinarum, & curæ pauperum atque hoſpitalitatis, imo & cuſtodiendæ Eccleſiæ: idcirco plura eis imponuntur, quam quæ olim erant muneris ſolius Presbyteri.

STATUTUM I.

STatuimus & ordinavimus (ne per ignorantiam in Divinis officiis peccetur) ut omnes & ſinguli Curati, ſeu Vicarii curam populi gerentes, habeant Miſſale & librum Manualem (quem Theutonice vocant, handas, a manibus) & Breviarium, ſecundum uſum Dioiceſis Biſuntinæ, & librum Statutorum Synodalium: ſub pœna ſuſpenſionis, & alia arbitraria. (e)

II.

Et ut rite Dei Verbum diſpenſare poſſint: doctrinamque populo ſalutarem

(e) Conc. Tolet. 4. c. 25.

Digitized by Google

rem depromere : Statuimus & ordinamus, ut volumen Bibliorum Sacrorum, vel partem ejus habeant , cum libris aliis Catholicis : illud Prophetæ ſemper in animo verſantes : Si non fueris loquutus , ut impius ſe cuſtodiat a via ſua ; ipſe in impietate ſua morietur : ſanguinem autem ejus de manu tua requiram. Ezech. 3.

III.

Curati, qui Eccleſiarum Rectores eſſe voluerunt, & procuraverunt , ad perſonalem reſidentiam tenentur ſub pœna privationis fructuum & beneficiorum.

IV.

Curati non aſſumant Sacerdotem in Vicarium ſuæ Eccleſiæ, vel ad adminiſtrandum aliqua Sacramenta, niſi antea per Nos, vel de mandato noſtro, vel Vicarii noſtri Generalis talis Sacerdos fuerit examinatus, & pro idoneo ad hoc ſpecialiter approbatus : quamvis fuerit hujus Dioceſis , & a Nobis ad Sacros Ordines promotus. Quoniam plura exiguntur ab eo, qui curam animarum ſuſcepturus eſt , quam a ſimplici Presbytero.

Multo experimento edocti, quantum detrimenti afferat non ſolum Eccleſiaſticæ politiæ, ſed etiam ſæculari, (*f*) quod peregrini & ignoti quidam, nullis ſuffulti præſidiis virtutis vel fortunæ, Vicarii (vel ut melius dicam) conductores Eccleſiarum Parochialium , quibus Rectores ipſi & Curati, conſcientiæ ſuæ & officii immemores, ſolius lucri, quæſtusque cauſa, oves ſibi creditas, & pro quibus rationem in judicio Dei reddituri ſunt, crudeliter & citra omnem ſolicitudinem Paſtoralem, quaſi rem plane quæſtuoſam committunt & commendant : quibus [utpote mercenariis] nulla cura eſt de ovibus, modo lac & lanam habeant, & quod pingue eſt, occidant : quoties vel abliguritis, & conſumptis omnibus facultatibus, vel aliis cauſis moti & compulſi, ſolum vertere coguntur , & ſuſceptam Eccleſiæ gubernationem relinquere, inſalutato (ut dicitur) hoſpite recedentes : omnia confuſa, perturbataque dimittunt : præcipue vero regeſtra & libros dierum, in quibus baptizatorum nomina & ſuſceptorum deſcribi, ad perpetuam rei memoriam debent : & præterea excommunicatorum, qui ob aliquam cauſam a communione fidelium ſeparati ſunt, abjiciunt, veluti res nullius momenti, vel ſecum aſportant, cum majori aliquando malitia.

V.

Statuimus & ordinamus, & diſtricte prohibemus , ne Curati poſthac ſuas Eccleſias, extraneis aut ignotis hominibus committant, ſed ita notos Vicarios ſibi aſſumant : ut pro illis reſpondere, & damna, quæ Eccleſiæ attulerint , præſtare poſſint. Alioqui Curati ipſi rationem reddere tenebuntur totius damni dati.

VI.

Idcirco etiam præcipimus & mandamus ſub pœna ſuſpenſionis ad tempus (a dicto Vicario Generali, vel Officiali moderandum) ut ſinguli Curati, vel Vicarii, duos habeant codices paratos, & in archa honeſte, ſecureque repoſitos : in quorum altero (juxta Conſtitutiones Synodales) nomina baptizatorum & ſuſceptorum, ipſi Curati vel Vicarii ſcribant, ſua manu , vel ſignent ab aliis deſcripta : cum die, menſe, & anno, quibus baptizati fuerint. In altero vero excommunicatorum nomina, eodem modo tempore notato, & nominibus eorum , quorum inſtantia excommunicati ſunt , & cauſa inſtantiæ.

VII.

In adipiſcenda poſſeſſione beneficii curati , quoties novus quis Rector inſtitutus fuerit , Presbyter, vel Notarius ponet in inſtrumento, quod dicta regeſtra receperit novus Curatus, vel quod per eum non ſteterit : ut in caſu, quo Curatus obtinere dicta regeſtra non poſſit, per Nos tunc provideatur ſuper regimine ipſorum. Cujus inſtrumenti forma ſequitur.

Forma Inſtrumenti tradendæ poſſeſſionis.

REverendiſſimo in Chriſto Patri, Domino Archi-Epiſcopo Biſunt., vel ejus in

(*f*) Vide Conc. Lateran. part. 2. c. 2. & Damaſi Epiſt. 4.

in Spiritualibus & temporalibus Vicario, ſalutem & reverentiam. Notum ſit vobis, quod ego Stephanus de Lieberſat, humilis Presbyter Dioiceſis Biſunt., requiſitus & rogatus a diſcreto viro, Domino Guillelmo Champion, Presbytero curato Eccleſiæ Parochialis de Cramens dictæ Dioiceſis, in virtute literarum ſuæ inſtitutionis, veſtra authoritate in forma ſolita expeditarum, eum poſui in realem, actualem, & corporalem poſſeſſionem dictæ Eccleſiæ de Cramens, in Decanatu de Salinis: idque per ingreſſum Eccleſiæ, tactum Altaris, calicis, & libri, & pulſationem campanæ. Præterea juxta formam Statuti Synodalis, juſſi Domino N. Vicario defuncti Curati, ut traderet dicto Domino Guillelmo novo Curato, regeſtra baptizatorum & excommunicatorum. Quod fecit. Acta fuerunt hæc die 18. Septemb. 1572. præſentibus N. N. teſtibus vocatis & rogatis, & aliis pluribus. In cujus rei teſtimonium ego ſupradictus inſtrumentum hoc meo ſigno manuali ſignavi eodem die & anno.

Steph. de Lieberſat, Presbyter.

Si per Procuratorem ſumatur poſſeſſio, dicetur: Rogatus & requiſitus a N. Procuratore diſcreti viri Domini N. Curati, &c. Si Vicarius noluerit tradere regeſtra, dicetur: Quod ſe facere non poſſe reſpondit propter aliquam cauſam, vel noluit. Si Vicarius affuerit, dicetur: Et dixi N. aſſiſtenti, ut veſtra authoritate juberet Vicario defuncti, &c. Si per Notarium publicum fiat inſtrumentum: Notarius ſequetur formam ſuæ artis.

VIII.

Curati non admodient, ſeu dent ad firmam fructus beneficiorum ſuorum laicis, ſub pœnis juris. Locationes factæ a defunctis in præjudicium Succeſſorum nullæ ſunto.

IX.

Curati tenentur in ſingulis diebus Dominicis, majoribus Feſtivitatibus, & aliis Feſtivis diebus (ſecundum uſum noſtræ Dioiceſis) nec non diebus Anniverſariorum fundatorum, congruis horis, Miſſam in ſua Eccleſia celebrare, & pro illa pulſare (ſi ab antiquo onus habeant pulſandi) aut per matricularios pulſari faciendi, per competens intervallum: ut Parochiani poſſint ſe commode diſponere & præparare ad veniendum ad Eccleſiam. Idem intelligimus de Vigiliis, ſeu Veſperis pro defunctis fundatis. Quibus diſtricte præcipimus, ut ita faciant: niſi locus, aut eorum Eccleſia interdicto Eccleſiaſtico ſubjaceat.

X.

Quando Curatis, ſeu eorum Vicariis, præcipitur, ut ceſſent a Divinis: ſic intelligendum eſt, ut clauſis januis Eccleſiæ ſuæ, Miſſam, aut Veſperas, ſubmiſſa voce (quaſi legendo) dicant: nullis campanis pulſatis, ſed excommunicatis & interdictis excluſis: nec ſint in januis Eccleſiarum ſuarum, aut in parietibus feneſtræ, per quas exiſtentes foris audire poſſint, & videre Divina, & Officia, & Sacramenta.

Cætera, quæ Curati ſcire tenentur ad exequenda mandata Curiæ Biſuntinæ, inferius ſcripta ſunt, in titulo de Exequutione mandatorum, & ſequentibus.

XI.

Curati ſe conformantes in omnibus Eccleſiæ noſtræ Biſuntin. (quæ eſt omnium Eccleſiarum Civitatis & Dioiceſis Matrix) de nullo alio Sancto celebrent, quam de nominatis in Calendario Biſunt. & qui ſunt de Ordinario: niſi tales Sancti ſint Patroni Eccleſiarum ſuarum, aut eorum officia ex ſpeciali devotione fundata ſint in Eccleſiis ipſorum per aliquos fideles Catholicos: & in hoc caſu noſtra licentia ſpeciali requiſita & conceſſa.

XII.

Curati præcipiant, moneant, & hortentur Parochianos ſuos, ut ſingulis diebus Dominicis, & feſtivitatibus præcipuis conveniant in Eccleſiam ſuam Parochialem: vir & uxor (aut ſaltem unus eorum) aſperſionem aquæ benedictæ recipiant, & panem benedictum: liberos ſuos ſecum ducant (ſi commode fieri poteſt) ut frequenter erudiantur in fide Catholica, & doctrina Sanctæ Matris Eccleſiæ, audiendo verba ſacræ prædicationis & mandata ſui Paſtoris. Nec recedant ab Eccleſia, ante finem Miſſæ, ſaltem ante peractam communionem.

XIII.

ed by Google

XIII.

Singulis annis in Sabbato Sancto Paſchæ, & in Sabbato ante Pentecoſten, ſolenniter benedicant fontes ſuos baptiſmales (g), ſecundum ritum & traditionem Sacroſanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ, & renovent aquam dictorum fontium, in piſcinam projiciendo veterem aquam. Similiter Chriſma, & Oleum Sanctum præcedentis anni comburant ſuper piſcinam: & Oleo atque Chriſmate benedicto in die Cœnæ Domini, pro illo anno utantur, & non alio.

XIV.

Curati ſingulis diebus Dominicis (b) denuntient Parochianis ſuis in Miſſa Feſta Sanctorum, quæ erunt in proxima hebdomada ſequenti: præcipiendo eis, ut devote illa colant, abſtinendo ab omni opere ſervili. Similiter denuntient jejunia Quatuor temporum, & Vigiliarum Apoſtolorum, & aliorum, quæ cadunt ſub præcepto Eccleſiæ.

XV.

Faciant ſingulis diebus Dominicis aquam benedictam, cujus virtutes magnas eſſe ſcimus: & proceſſionaliter populum circum Eccleſiam ducant cum ſupplicationibus & canticis. (i)

XVI.

Singulis diebus Dominicis poſteaquam præcepta ſua denuntiaverint, dicant Orationem Dominicam: videlicet Pater noſter: Salutationem Angelicam, Ave Maria: & Symbolum Apoſtolorum, Credo in Deum Patrem, &c. Credo in Spiritum Sanctum, &c. alta & intelligibili voce tractim, cum pauſa, & per clauſulas & articulos non inculcando, vel decurtando verba: ut juvenes & ſenes diſcant, quomodo perfecte & plene debeant pronunciare & recitare: & in fine doceant eos facere ſignum Sanctæ Crucis, dicendo: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.

Atque hæc quidem ſufficiant hactenus ad inſtructionem Curatorum, quantum ad ea, quæ agere debent in Eccleſiis ſuis, & intra clauſtra ſacræ domus, vel in adminiſtratione Sacramentorum: De exequendis mandatis Curiæ, infra dicemus. Cæterum de Prædicatorum officio, & de Prono, quia utrumque a Curatis præſtari, quoties fieri poteſt, oportet: his aliquid de forma habenda in Prono adjiciemus. Sed ſi quis ſcire cupit, quam ſint Deo ingrati mali Paſtores, legat c. 34. Ezechiel. 56. Eſa. 1. Petr. 5. 2. Timot. 4.

Jam formam accipe Proni habendi.

DE PRONO.

VOcabulum iſtud Proni vel Gothicum eſt, vel certe corruptum pro throno: nam aliæ nationes thronum vocant, & cathedram, & pulpitum. Videri poſſet compoſitum pronaon, & per contractionem pronon, id eſt, ante templare: ſed longe peteretur etymologia. Habendi vero proni ſingulis diebus Dominicis poſt Offertorium, formam hanc, quæ ſequitur, poterunt ſervare ſimplices Curati & Vicarii.

Prima Pars Proni.

PRincipio ſignando ſe Crucis ſigno: In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen, dicent:

Les prierez & oraiſons accouſtumees de faire en noſtre Mere Saincte Egliſe, je les vous recommande. Et premierement nous rendrons graces à Dieu chacun en particulier de tant de biens, que nous recevons tous les jours de luy juſques à ceſte heure ſans l'avoir merité, ains pluſtoſt l'offenſé en pluſieurs manieres. Et en general nous luy rendrons graces de ce, qu'il nous a donné la cognoiſſance de ſon benoiſt Fils JEſus Chriſt: par lequel avons la remiſſion de nos pechez, l'eſpoir de la vie eternelle, eſtans faits enfans de Dieu & freres de JEſus Chriſt par grace, & heritiers de ſon Royaume des cieux. Puis apres nous prierons pour l'eſtat, & union de la foy Chreſtienne, & de l'Egliſe Catholique, que Dieu par ſa grace la vuille maintenir: & r'amener à la congnoiſſance de la verité, ceux qui ſont en erreur, ſeduits par fauſſes opinions & detenus en tenebres par leurs pechez, ou par le mauvais conſeil & ſuggeſtion des miniſtres du diable, ennemy du ſalut des hommes.

Nous

(g) Statut. vetus. (b) Statut. vetus. (i) Epiph. lib. 1. contra hæret. Alexan. 1. Euſeb. li. 5. cap. 1. hiſtor. Clemen. li. 8. conſtit.

Digitized by Google

Nous prierons Dieu pour la paix: qu'il luy plaise par ſa miſericorde la nous envoyer du ciel en terre, telle qu'il ſcait nous eſtre neceſſaire.

Nous prierons Dieu pour la bonne diſpoſition du temps, pour les fruits de la terre y eſtans, & que lon y mettra: qu'il luy plaise par ſa grande liberalité & bonté les guarder & multiplier, pour la norriture & ſuſtentation de ſon pauvre peuple.

Nous ferons auſſi priere & oraiſon à Dieu pour tous Superieurs, Seigneurs, Prelats, & Princes, & pour tous ceux, qui ſont conſtituez en dignité tant corporelle que ſpirituelle: Savoir eſt pour noſtre Sainct Pere le Pape, pour tous Archeveſques, Eveſques, Curés & Paſteurs ayans charge d'ames. Pource que d'autant qu'ils ont plus grandes charges, d'autant ils ont plus beſoing de la grace & aſſiſtance du Sainct Eſprit, & de vos bonnes oraiſons & prieres.

Et pource nous prierons Dieu pour Monſieur de Beſançon noſtre Pere en Dieu & Prelat: que Dieu par ſa ſaincte grace le vuille garder & conduire en ſes bonnes intentions: à celle fin qu'il nous puiſſe bien regir & gouverner en l'obeiſſance de l'Egliſe, & à la foy Catholique à la louange de Dieu & ſalut de ſon ame.

De meſmes prierons Dieu pour l'eſtat temporel, aſſavoir pour noſtre ſouverain Prince N. pour toute ſa Maiſon & Conſeil, & pour tous autres Princes & Seigneurs temporels: ſpecialement pour Monſieur de ce lieu: que Dieu par ſa grace leur doyent ſi bien regir, gouverner & garder leurs ſubjets de tort & d'oppreſſions, en adminiſtrant bonne juſtice, qu'ils puiſſent vivre en paix & tranquilité, & eux acquerir le vray royaume de Paradis.

Pareillement nous prierons Dieu pour ceux & celles, qui ſont detenus en maladie. En eſpecial je vous recommande N. noſtre Parochien qui eſt en extremité: que Dieu luy doyent patience & confort au merite de noſtre Seigneur JEſus Chriſt. Auſſi pour toutes femmes groſſes d'enfant, que noſtre Seigneur les vuille delivrer à joye: & leur fruict conduyre aux ſaincts fons de Bapteſme.

Auſſi devons nous faire prieres & oraiſons pour tous nos bienfacteurs de quelque eſtat qu'ils ſoyent, nobles, laboureurs, marchands, gens de meſtier: & en eſpecial pour celuy ou celle, qui a faict & offert le pain benist & charité en l'Egliſe de ceans, que ſon oblation ſoit aggreable devant Dieu & meritoire pour ſon ſalut: & que l'oraiſon qu'il fera ſoit exaucee.

Nous prierons pour tous pelerins, qui par devotion ont entrepris le ſainct voyage, que Dieu les conduiſe en bonne ſanté: & vuille accepter leur devotion en ſatisfaction & accompliſſement de leur veu au ſalut de leurs ames, & accompliſſement de leurs ſaincts deſirs.

Finablement nous prierons Dieu pour tous nos bons parens & amis trespaſſez: & generallement pour tous ceux & celles, qui ſont enterrez en ceſte paroiſſe, ſi eſtans en ce mortel monde ils firent choſes pourquoy leurs ames ſoyent detenues es peines de purgatoire: que par le merite de la Paſſion de ſon benoiſt Fils, par les prieres & interceſſions de noſtre Mere Saincte Egliſe, puiſſent eſtre abregees leur peines, & eux colloquez au royaume de Paradis.

Secunda Pars Proni.

ET avant que commencer nos prieres, my proceder au Sainct Sacrifice de la Meſſe, je vous denonce pour excommuniez, tous charmeurs, charmereſſes, devineurs, devinereſſes, ſorciers & ſorcieres, & ceux qui croyent en eux: tous uſuriers & reneviers manifeſtes: tous ceux qui traictent mariages clandeſtins: tous ceux qui mettent les mains ſur clercs ou preſtres, ſi ce n'eſt en leur corps defendant: tous ceux qui mettant empeſchement à la Juriſdiction Eccleſiaſtique de Monſieur de Beſançon, & tous ceux qui malitieuſement retiennent les biens & droictures de l'Egliſe. Telles manieres de gens ſont excommuniez & maudits s'ils ne viennent à amendement. Et de l'autorité de Monſieur l'Official de Beſançon, je vous denonce pour excommunié N. (Hic publicantur, qui ſpecialiter excommunicati ſunt.) *Et pour ce s'il y a en ceſte Egliſe aucun, ou aucunes, qui ſoyent en ſentence d'excommuniement, je leur commande, qu'ils aillent dehors, juſques à ce, que le ſervice Divin ſoit faict: car s'ils y demeuroyent, ce ſeroit à leur damnement: & quand je le ſcaurois, je ne procederois plus avant au Divin ſervice. J'admoneſte tous ceux, qui ſont en excommunication, que s'ils ne procurent le benefice de leur abſolution, ils ſeront enterrez aux champs (venans à mourir) comme des beſtes, & non pas en l'Egliſe, ny au cimetiere avec les bons Chreſtiens.*

Tertia

Digitized by Google

Tertia Pars Proni.

NOus avons Lundy prochain la Feſte de N. Elle eſt de commandement : & pource je vous commande la ſolemniſer, & ceſſer de tous labeurs & euvres ſerviles pour l'obeiſſance que devez à Dieu & à ſon Egliſe. Jeudy auſſi l'Egliſe celebrera la feſte de N. mais elle n'eſt point de commandement : ceux qui y auront devotion, la pourront faire. Combien que tous jours nous doivent eſtre ſanctifiez, pour nous garder de pechè, & travailler de nous mettre en eſtat de grace. Le Lundy (qui ſera de demain en huiſt jours) nous auront la feſte de N. laquelle porte vigille & jeune de commandement. Pour ce je vous commande, meſmes à tous ceux qui ſont en aage & eſtat de jeuner, que Samedy prochain vous ayez à jeuner.

A la Meſſe du jourd'huy l'Egliſe nous recite en l'Evangile que noſtre Sauveur JEſus Chriſt, &c. Dont nous en pourrons prendre inſtruction & doctrine ſalutaire pour nos conſciences : Que ſi nous voulons eſtre ſes diſciples & bons Chreſtiens nous devons, &c.

Et applicabit Curatus huic argumento aliquem locum communem ex his, qui deſcripti ſunt in hoc volumine: veluti de fide, vel de ſpe, vel de charitate, vel de operibus miſericordiæ, vel de peccatis, vel de præceptis Decalogi: cum exhortatione brevi ad pietatem. Simpliciter tamen non ſine magno apparatu, pro populi captu. Nam quemadmodum cibo valde delicato non reficiuntur ruſtici: ſic ruſtico offendi ſolent delicati.

Quarta Pars Proni.

HOc facto populus flexis genibus cum Curato orabit: veluti cum Pſalmo: Ad te levavi oculos meos,&c. vel alio (ut videbitur Curato) cum Gloria Patri, Kyrie eleiſon, Chriſte eleiſon, Pater noſter: Et ne nos, &c. Salvos fac ſervos tuos & ancillas tuas Domine. *Reſp.* Deus meus ſperantes in te. *Verſ.* Eſto nobis Domine turris fortitudinis. *Reſp.* A facie inimici. *Verſ.* Fiat pax in virtute tua. *Reſp.* Et abundantia in turribus tuis. *Verſ.* Domine exaudi orationem meam. *Reſpon.* Et clamor meus ad te veniat. Dominus vobiſcum, &c. Eccleſiæ tuæ quæſumus Domine, &c. Pro fidelibus defunctis. Requiem æternam dona eis Domine. *Reſp.* Et lux perpetua luceat eis. De profundis clamavi, &c. Oremus: Deus veniæ largitor, &c. Fidelium, &c.

Eriget ſe Curatus poſtea, & dicet:

Pour ſatisfaire à mon devoir & au commandement de noſtre Reverend Prelat, vous direz avec moy Pater noſter, &c. Ave Maria, &c. Credo in Deum, &c. *Les dix commandemens de Dieu, &c.* Benedicite, &c. Omnia ad longum diſtincte & articulate.

Quinta Pars Proni.

IL reſte vous notifier & faire ſavoir, que mariage eſt promis & accordé ſi plait à Dieu, & noſtre Mere Saincte Egliſe, entre N. & N. S'il y a aucun, ou aucunes, qui ſaichent aucun empeſchement pourquoy le mariage ne ſe puiſſe faire entr'eux, je luy fais commandement ſoubz peine d'excommuniement qu'il le die : & c'eſt pour le premier ban, ou pour le ſecond, ou tiers, ou quart. Sed quartum bannum fieri ſolet pro foribus Eccleſiæ hoc modo:

En l'Egliſe de ceans a eſté publié le mariage & faicts les premier, ſecond, & tiers bans entre N. d'une part, & N. d'autre: s'il y a perſonne, qui ſache pourquoy le mariage ne ſe doive faire ou accomplir, vienne en avant. Car s'il venoit apres, il ne ſeroit pas creu: mais en demeureroit pour excommunié.

Bannis publicatis, & mandatis Prælati ad eum miſſis (ſi qua acceperit) Curatus faciet, ut populus dicat Confeſſionem generalem, ipſo Curato alta & intelligibili voce præeunte, ſicut fecit in Oratione Dominica,&aliis. Qua confeſſione facta, abſolvet generaliter, & benedicet: injuncta aliqua oratione brevi.

XVII.

Experti alias in quibusdam locis a frequentioribus civitatibus, & populis remotioribus hujus Biſuntinæ Dioiceſis, tantam eſſe doctrinæ Chriſtianæ ignorantiam, ut non ſolum pueri, ſed etiam adulti quidam prima rudimenta fidei Catholicæ penitus ignorarent, aut perperam tenerent, quod a ſuis Paſtoribus raro docerentur: idcirco ut inſti-

Digitized by Google

tutionis Christianæ prima elementa juventus nostræ Dioicesis quam primum acciperet, & ediscceret, Statuto Synodali, post longam & maturam deliberationem, præcepimus & ordinavimus, & sub gravissimis pœnis arbitrio nostro adversus inobedientes declarandis, quatenus in singulis Parochiis ruralibus (in quibus pædagogia, seu ludi literarii non aperirentur) Curatus, seu Vicarius, singulis hebdomadis, diem unum, non festum, seu feriatum eligeret, in quo hora meridiana dato signo campanæ, convocaret pueros omnes utriusque sexus, suæ Parochiæ, ætatis septem annorum, & infra: quos ipse dictus Curatus, aut Pastor expectaret sedens in prono seu in pulpito solito, suæ Ecclesiæ, apertis & patentibus omnino foribus, seu janua ipsius Ecclesiæ. Quibus pueris sic vocatis, & sedentibus in Ecclesia, per ordinem, facto primum signo Crucis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen, incipere et alta, distincta; & intelligibili voce recitare semel, atque iterum, vel pluries Orationem Dominicam: Pater noster, qui es cœlis, &c. cum Salutatione Angelica. Deinde Symbolum Apostolorum: Credo in Deum, &c. Et postea Confessionem generalem: Confiteor Deo, &c. Latine, vel Gallice. Denique lingua vernacula, seu Gallica recitaret decem Præcepta Decalogi: *Un seul Dieu, tu adoreras, &c.* Quo facto ex eodem loco juberet unum ex pueris (quem magis idoneum existimaret) surgere, & eodem modo recitare, quæ audivisset. Et si fieri posset, unum alium, aut duos interrogaret: ad hoc ut cæteri domi suæ, vel alibi, diligentiam & studium adhiberent ad illa ediscenda: ut si quando in Ecclesia interrogarentur, idem postea recitare possent. Hanc pueilis Catechismi formam nunc quando Patribus in Concilio placuit, quæ neque gravis profecto Curatis videri debet, (iis saltem, qui vere curam gerunt suorum populorum) denuo præcipiendam ducimus, & statuendam: sicut in hac Synodo statuimus & ordinamus. Cavebit autem diligenter idem Pastor, ne severitate, minis, vel difficultate doctrinæ, pueros deterreat ab ea Schola: sed cum mansuetudine, & honesta gravitate, curabit ea doctrinæ Christianæ Rudimenta in animos suorum adolescentium paulatim & simpliciter instillare: habita ratione capacitatis, & ingenii ipsorum. Quo facto dimittet eos cum benedictione solita. Prohibebit autem, sicut Nos per præsens mandatum sub pœna excommunicationis prohibemus, toto illo tempore, quo Catechismus iste, seu institutio fiet, ne adultus aliquis, & major octo vel novem annis, Ecclesiam ingrediatur: ut puerilis institutio puerliter & libere tradi possit: ne per grandiorum superbiam & insolentiam Curatus perturbetur, aut altiora tractare cogatur. Præterea ut omnes Patres familias certiores fiant hujus ordinationis & Statuti nostri, & habendæ disciplinæ inposterum, singulis diebus Dominicis Curatus ipse, seu Vicarius, declarabit in prono, diem non feriatum ejus hebdomadæ, in qua mittere debebunt suos liberos ad institutionem supradictam.

XVIII.

In locis vero & Parochiis habentibus Magistrum & Ludum literarium, præcipimus & ordinamus omnibus Curatis & Rectoribus Ecclesiarum dictæ Dioicesis Bisunt., ut moneant Patres familias, quatenus liberos suos ad Seminaria seu Pædagogia mittant, ut discere possint, & doceri eadem rudimenta fidei Christianæ. Alioquin in negligentes juxta culpæ gravitatem per censuras Ecclesiasticas animadvertetur.

DE PRÆDICATORIBUS.

STATUTUM I.

PRæterea ne pravis doctrinis hominum mente corruptorum simplices inficiantur, ordinamus, & districte præcipimus vobis Curatis & Rectoribus Ecclesiarum nostræ Dioicesis, aut Vicariis vestris, ne ullos Prædicatores aut Concionatores admittatis in vestris Ecclesiis ad prædicandum, nisi literas nostras, vel Vicarii nostri Generalis, in forma authentica habuerint: nec in hoc negotio cujusquam persuasionibus vel diplo-

Digitized by Google

diplomatibus (quæ niſi tacita veritate ab indignis extorqueri veriſimile non ſit) pareatis.

II.

Diligenter præterea obſervabitis datam ipſarum literarum, an ne ſint pro anno, in quo ad Eccleſias veſtras acceſſerint: & ne ſit aliqua in ipſis raſura vel falſi ſuſpicio.

III.

Si quos autem prævaricantes deprehenderitis, illos cum ſuis literis & bonis capiatis, arreſtetis, & ad Nos adducatis fideliter & ſecure.

Ut autem Prædicatores Verbi Dei, & Evangeliſtæ, ac etiam Paſtores, certam habeant rationem & methodum, quam ſequi poſſint præter ea, quæ jam in Prono diximus: pauca hic ſubjicimus loca & capita, ad quæ in ſuis concionibus reſpiciant.

SEQUUNTUR CAPITA quædam argumentorum, & materiarum, quæ Concionatoribus Verbi Divini commendamus, tanquam metas & fines certos, atque ſcopos, ad quos in ſuis concionibus dirigant doctrinam ſuam, & exhortationes, oblata occaſione.

PRIMUM CAPUT.

UT populus obedientiam & reverentiam præſtet Principibus, & Magiſtratui, & Prælatis Eccleſiæ. Ipſi enim (inquit Apoſtolus Hebr. 13.) pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris. Et docebunt omnem poteſtatem, tam ſæcularem, quam Eccleſiaſticam eſſe a Deo.

Ad quod probandum facere poterunt hæc loca, Rom. 13. Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſubdita ſit, &c. 1. Petri 2. Subjecti eſtote omni humanæ creaturæ, &c. De ſpirituali vero poteſtate, illud eſt, quod Paulus ſcribit ad Corinthios: Vultis in virga veniam ad vos, an in ſpiritu manſuetudinis? & quod adulteros, blaſphemos, & ſimiles tradidit Satanæ: & quod Chriſtus JEſus, cum Phariſæorum & Scribarum facta reprehendiſſet, tamen quia ſuper cathedram Moyſi ſederunt, obediendum ille eſſe cenſuit.

SECUNDUM CAPUT.

NE laici Sacerdotum & Eccleſiaſticorum facta temere judicent, & reprehendant: ſed ſi quid eos pati humanum viderint, omne id in partem meliorem (quantum in ipſis eſt) interpretentur: conſiderantes, quod ſolus Chriſtus JEſus fuit ſine peccato, Sacerdos, & Pontifex: nos autem ſervos eſſe Chriſti, cui cadimus, vel ſtamus. Tu (*k*) vero quis es, qui judicas alienum ſervum? Unus eſt Legislator (*l*) & Judex, qui poteſt perdere & liberare.

TERTIUM ET PRÆCIPUUM.

NE doctrinis variis & peregrinis abducti, fidem Eccleſiæ deſerant: conſiderantes, quod populus Iſrael propter infidelitatem periit totus in deſerto, ut ſcribit Apoſtolus ad Hebræos. Quod extremum malorum omnium eſt, fidem amittere. Quia peccator, cum in profundum venerit, contemnit. Et quod ſine fide (*m*), impoſſibile eſt placere Deo.

QUARTUM CAPUT.

ET quia infidelium triplex genus eſſe ſolet: Unum eorum, qui omnia negant, ex Philoſophia ſæculari ſuperbientes, & plus ſapientes, quam oportet ſapere, cum fides ex auditu ſit, auditus autem per verbum Chriſti: Alterum eorum, qui tanquam Milites incerti & errones, nullius militiæ ſe Sacramento addicunt, ſed de omnibus perinde exiſtimant, Epicuri de grege porci: Tertium eorum, qui pertinaciter errorem tuentur aliquem, ſub ſpecie Religionis, & zelo aliquando fidei: Idcirco Prædicatores triplici ratione fidem conſervare in populo conabuntur: ſubinde inculcantes, quod propter peccata enormia, & malam conſcientiam, homines ſolent in errorem incidere, & circa fidem naufragium facere, ex primæ Apoſtoli ad Timot. 1. capit.

Prima

(*k*) Rom. 14. (*l*) Jacob. 4. (*m*) Hebr. 11.

Prima ratio erit, ut exhortentur populum, ut diebus Dominicis & Feſtivis in Eccleſiam conveniant, ad Divina & concionem audiendam, vel pronum: quam memoriæ mandent, ne fruſtra & ſine fructu ſemen Dei jaciatur. Eccleſiæ præcepta de Feſtis, jejuniis, confeſſione, Sacramentis, & ſimilibus, pie obſervent. A libris abſtineant ſuſpectis.

Deinde altera erit, ut hortentur Patres & Matres familias, ut liberos & familiam domi erudiant ad pietatem, per hæc præcepta, ſcilicet:

1. Deum timeant & ament: & ad eum omnia ſua conſilia referant.
2. Deo ſingulis diebus ſalutem ſuam commendent, per orationes mane & veſperi.
3. Injuriam nemini inferant: quia vindex eſt Deus.
4. Ab omni juramento abſtineant, & a mendacio.

Tertia ratione fidem ſtabilire & conſervare licebit, ut moneant ſervare præcepta Chriſti: & præterea etiam præcepta Apoſtolorum, & ſeniorum Doctorum Eccleſiæ, ſicut ab Apoſtolis decretum fuit, Actor. 15. Neque deficere a veteri conſuetudine: ſignaque quædam obſervent, quibus hæretici & novatores doctrinarum diſcerni deprehendique poſſint a quocunque, veluti:

1. Si Sanctorum Patrum antiquorum authoritatem contemnant.
2. Si in docendo modeſtiam non ſervent, & cum contumeliis de ſimplicitate veterum Doctorum loquantur.
3. Si a ſimplicitate veteris fidei & receptæ, diſſonantia probare nitantur.
4. Si in loquendo phraſes hæreticorum imitentur, veluti: *Le Seigneur Dieu: Chriſt: Paul: Pierre: La parole: Les Miniſtres de la parolle:* & ſimiles, quas hæretici hujus tempeſtatis tenent. Quia ex hoc apparet illos verſatos eſſe potius inter hæreticos, quam inter Catholicos Chriſtianos.

Et hæc hactenus.

STATUTUM IV.

Ipſi vero Prædicatores juxta Statuta Synodalia, neque apocrypha, neque obſcura nimis, aut difficilia, & alta myſteria, ſimplici populo enarrare præſumant: ſed tantum ea, quæ fidem confirmare poſſint, ut duodecim articulos fidei, & bonos mores commendare, ut præcepta Dei & Eccleſiæ, tam augendo ſpem vitæ æternæ in bonis, quam timorem ſupplicii æterni in malis.

V.

Argumenta & rationes hæreticorum ne referant, niſi fuerint viri doctrina & authoritate præſtantes: ſed potius orthodoxorum Patrum ſententias: & multo minus phraſes eorum retineant. Quales ſunt, quas retulimus. Sed loco illarum dicant: *JEſus Chriſt, noſtre Seigneur, Sainct Paul, Sainct Pierre, la Parolle de Dieu &c.*

VI.

In diebus Dominicis commendent orationibus populi ſtatum Principum & Prælatorum, & in Feſtis Sanctorum recitent vitas Martyrum: geſta ipſorum, cum laude, ad exemplum auditorum. Nihil tamen admiſcentes fabuloſum.

VII.

Quantum fieri poterit, ſæcularium fugiant conſuetudinem & convictum: ſed maneant cum Eccleſiaſticis. Caveant etiam congreſſum hominum hæreticorum. Quia incorrigibiles ſunt, contumaces, & contumelioſi: ex quorum contentionibus ſæpe auditores perverruntur.

STATUTA SCHOLASTICORUM.

SUnt in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis quibusdam Scholastici, hoc eſt, Scholarum Præfecti, quorum officium eſt docere indoctos, præſertim juventutem: eique Pædagogos bonæ vitæ ſimul & doctrinæ Catholicæ præficere: ut ſub eorum diſciplina, bonis literis pietate & morum honeſtate, imbuatur. Nec contemnendum hoc docendi munus. Quandoquidem in Scholis Seminarium fit, non ſolum Prælatorum

rum & Miniſtrorum Eccleſiæ, verum etiam Magiſtratuum, & eorum, qui conſiliis ſuis Reſpubl. gubernant. Quæ ſi negligantur, aut depraventur: neceſſe erit & Eccleſias, & Reſpubl. periclitari, & confundi.

STATUTUM I.

PRovideant Scholaſtici & ſolicite procurent, ut erudiendæ juventuti non tantum docti, ſed imprimis Catholici & pii, nullo modo fide ſuſpecti præficiantur.

II.

Habento autem in Scholis ſuis, qui præter grammaticam, & alias artes, doceant etiam cantum & computum Eccleſiaſticum: idque rudi (ut dicitur) Minerva. Duo enim hæc non ſolum neceſſaria ſunt futuris Presbyteris, ſed etiam omnibus utilia, & ad pietatis amorem, & ad uſum vitæ humanæ. Quæ tamen, niſi in pueritia diſcantur, nunquam certe diſcentur.

DE MAGISTRIS.

STATUTUM I.

ANimadvertentes, quantum momenti habet ad veram pietatem Catholica & fidelis inſtitutio puerorum, ut qua imbuti ſemel ab adoleſcentia rudes, ſimplicesque animi, ad reliquam ætatem perſeverent, cum ſtudiis eisdem vel pietatis, ſi bona fuerit, vel nequitiæ, ſi perverſa: vos omnes Ludimagiſtros noſtræ Dioiceſis Biſuntinæ, neceſſarium duximus admonere, & obſecrare in Domino, ne docendi munus (quod propter ingenii gloriam cenodoxiæ vitio ſæpenumero obnoxium eſt) propter humanam gloriam, & vanos fumos popularis commendationis, ſed propter utilitatem publicam, & Deo ſoli probari cupientes veſtram operam atque labores exerceatis. Quoniam ille ſolus eſt, qui poteſt laboribus veſtris juſta præmia reponere: populi autem favor nihil aliud, quam curas augere, & ſui Studioſos in mille difficultates conjicere, ſolicitos & inſtabiles tanquam vento circumactos.

II.

Juxta igitur doctrinam Eccleſiaſtici, (Altiora te ne quæſieris, & fortiora te ne ſcrutatus fueris: ſed quæ præcipit Deus, cogita ſemper, & in pluribus operibus ejus ne fueris curioſus) monemus & hortamur vos omnes & ſingulos Ludimagiſtros, primum, ne ſubtiliora aut obſcuriora doceatis, quam pro captu auditorum: deinde ne falſa aut perverſa, quæ animos corrumpere poſſint adoleſcentum. Sed omnem veſtram doctrinam atque ſtudia eo dirigatis, ut diſcant adoleſcentes ſervare præcepta Dei, & per bona opera promereri gratiam apud Deum, & homines. Hic eſt fructus vel præcipuus ſanæ doctrinæ. Curioſæ autem diſceptationes non faciunt, niſi ad ſubverſionem audientium.

III.

Eapropter, ut occaſio primum tollatur omnibus ex ſuo ſenſu & perſuaſione (quæ non raro fallitur) reipublicæ plantas tenellas effingere, atque efformare: Statuimus & ordinamus, & ſub pœna præſtiti juramenti prohibemus, ne libros alios veſtris auditoribus interpretemini, aut interpretari patiamini, quam quos in Collegiis Univerſitatum Catholicarum notum fuerit publice interpretari ſolere: novos autem, qui recenter editi fuerint, niſi habita prius licentia a Nobis, aut a Vicario noſtro, vel Officiali, ad quos exemplar ipſum mittetis videndum, & examinandum.

IV.

Deinde ut habitus religionis & cultus Divini contrahatur a pueritia, jubemus vobis, ut omnibus diebus Feſtis diſcipulos adducatis ad Eccleſiam cum modeſtia & greſſu compoſito (quantum ætas ferat puerilis) cantaturos ſcilicet cum Clero in Miſſa, & Veſperis: nec patiamini aliquem ex iis, qui norunt legere, carere precibus horariis, aut ſaltem ſeptem Pſalmis pœnitentialibus, in quibus legant Divinum officium, aut cantent. Singulis vero diebus ſub noctem, domi, vel in Eccleſia (ſi populus ſoleat tunc

Digitized by Google

congregari) una cum Præceptore cantent Salve Regina, aut aliam Salutationem Mariæ Virginis pro tempore.

V.

In quatuor quoque anni temporibus, ſcilicet Quadrageſimæ, Pentecoſtes, Nativitatis Domini, & omnium Sanctorum, juxta laudabilem conſuetudinem, quæ hactenus ſervata eſt, facite eos confiteri Curato, vel alii Presbytero: petita licentia & facultate prius a Curato. Hanc, ſi Magiſter, vel alius petierit, pro omnibus tenebitur Curatus ſine aliqua mora concedere.

VI.

Et ne poſt hac temere & ſine delectu, errones & vagi quicunque, ad munus adeo honeſtum admittantur: Statuimus & ordinamus, ut antequam cuiquam Magiſtro literarium ludum aperire liceat, Rector, ſeu Curatus Parochiæ (ſeu is, ad quem de jure vel conſuetudine pertinet) ipſum inſtituant, recepto prius jurejurando ab ipſo, quod ſervabit fideliter hæc, quæ in hac Sancta Synodo ſtatuimus.

DE HOSPITALIBUS, & locis piis.

CUratos omnes in Domino hortamur, ut exemplo magni Patriarchæ Abraham, ſervent hoſpitalitatem: Chriſtum ſe recipere arbitrantes, quoties pauperes & peregrinos in domum ſuam excipiunt. Magiſtri vero Hoſpitalium meminiſſe debent, quæ potiſſima cauſa fuerit erigendæ, conſtituendæque cujusque domus. Sunt enim aliæ ad recipiendum peregrinos: aliæ ad curandum ægrotos: aliæ demum ad alendum pauperes, ſenes, orphanos, invalidos, infantes expoſitos, furioſos, leproſos, contagioſisque, vel horrendis morbis affectos, & alias ſimiliter miſerabiles perſonas deputatæ. Ideo has, & non alias perſonas tenentur Magiſtri alere. Quas etiam ad Eccleſiaſticam diſciplinam pertinere, ac noſtris, aliorumque piorum hominum largitionibus victitare voluerunt. Meminerint etiam hoſpitalium Magiſtri, quod Sancti Patres dixerunt, eos, qui ex bonis parentum atque ſuis ſuſtentari poſſunt, ſi quod pauperum eſt, accipiunt, ſacrilegium committere, ſeque tali muneri addictos, ut non ſui, ſed ut pauperum curam gerant: quos neglexiſſe, occidiſſe eſt. (*n*)

STATUTUM I.

SInt Mendicantibus validis clauſa hoſpitalia. Nam & publice oſtiatim mendicare iſtis, eſt a jure (*o*) interdictum. Et Apoſtolus (*p*) denunciat: Quoniam ſi quis non vult operari, nec manducet. Pietatis tamen ratio, eos, qui non poſſunt diſcernere, an vere pauper ſit, qui petit eleemoſynam, commendat apud Deum, quia in nomine ejus petit. Dicit enim Dominus: (*q*) Petenti da.

II.

Magiſtri hoſpitalium curent ante omnia, ut in ſuis domibus ea, quæ ad ſalutem animarum pertinent, minime negligantur. Sed de Sacramentorum adminiſtratione, pauperibus debilibus & ægrotis, provideatur. Et ubi corporis infirmitas Medicum poſtulaverit; ibi prius animæ, deinde corporis Medicus accerſatur. Nec aliquem recipiant, niſi eodem die vel poſtridie confiteantur.

III.

Quod ſapientiſſime in Colonienſi Synodo conſtitutum fuit, ut Magiſtri hoſpitalium ſingulis annis, aut ſæpius Magiſtratui ipſius loci præſente Parocho, rationem reddant de ſua adminiſtratione: Nos cum iis, quæ in Sacro Oecumenico Concilio (*r*) Tridentino lata ſunt, & in noſtra Provinciali publicata: quoniam curæ noſtræ commiſſa ſunt omnia hæc: quocunque nomine eorum Adminiſtratores cenſeantur, & quomodolibet exempti ſint: ſtatuimus & ordinamus, ut ſingulis annis rationes reddantur a Magiſtris, & Curatoribus hoſpitalium, Nobis, vel perſonis a Nobis deputatis cum locorum Magiſtratibus: aliter factæ liberationes non ſuffragabuntur, niſi ſecus in fundatione, ſeu erectione eorum a Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris approbata, cautum expreſſe ſit.

IV.

(*n*) Hieron. & Proſper. Conc. Colon. c. 6. 7.
(*o*) C. De Mend. un. l. lib. 12.
(*p*) 1. Theſſ. 3.
(*q*) Matth. 5.
(*r*) Seſſ. 7. c. 15.

Digitized by Google

IV.

Et ne inpoſterum abuſus, qui fieri ſolent, ignoratis fundationibus, committantur: ſtatuimus & ordinamus, ut vacante Hoſpitali Procuratore legitimo, antequam alius inſtituatur, fiat copia fundationis ejus Nobis, vel Vicario noſtro.

DE FABRICIS, & CONFRAtriis, & aliis pietatis officiis.

SUpra de iis Miniſtris, qui aliis Miniſtris Eccleſiæ ſubſerviunt, tractantes, præter Diaconos, Hypodiaconos, Acolythos, & alios, officia Oſtiarii (minimi inter alios Ordines Eccleſiaſticos) diximus eſſe Theſaurarium, Sacriſtam, Ædituum, Matricularium: adde & Fabriciarium & Confratriæ receptorem, ſeu priorem. His omnibus, utcumque nominentur, cura mandata eſt ædificiorum, & ſupellectilis Eccleſiæ, & pecuniæ, ad hanc rem deſtinatæ. Quod munus quia ſanctum eſt, debent etiam ipſi ſancti eſſe (quantum fieri poteſt) & ſine querela, (*s*) ut ſimplices filii Dei: unusquisque ſicut accepit gratiam, (*t*) illam in alterutrum adminiſtrantes, ſicut boni diſpenſatores multiformis gratiæ Dei.

STATUTUM I.

QUando per Paſtores fieri non poterit, curabunt Fabriciarii, ut populus ſarta tecta conſervet, Eccleſiam & Cæmiterium, ornamenta etiam Altaris, & reliqua neceſſaria ad cultum Dei pro loci facultatibus procurabunt, & munda omnia ſervabunt.

II.

Immunda animalia ab Eccleſia expellent: & excommunicatos atque infideles, tempore Sacrificii Miſſæ ingredi non patientur: nec fieri in ea ſæcularia ſpectacula, aut actus diſſolutos aliquos: quoniam domus Dei, domus orationis eſt.

III.

In Presbyterio ubi Miſſæ celebrantur, ne ferant ſedilia fieri mulierum, ſed ſi qua poſita jam fuerint, auferantur: quia juxta Presbyterum celebrantem, ſtare non decet fœminas.

IV.

Auferantur ab Eccleſiis (hoſtili ceſſante timore) arcæ illæ, ſive granaria, quas inſtante aliquo periculo, plenas tritico, vel ſupellectilibus, eo importarint Parochiani: quia impedimento hæc ſunt & dedecori in domo Dei, ubi nonniſi ſpiritualia, tractare convenit.

V.

Curati autem, ſeu eorum Vicarii, per Diaconos, vel Subdiaconos, vel per ſe (non per mulieres) abluant quater in anno ad minus, mappas altaris, amictum, albam, & corporalia. Hoſtias vero altero quoque menſe renovent in ciborio: ne putreſcant, aut ſitum contrahant, diutius ſervatæ.

VI.

Epiſcopi Exequutores ſunt, uti Concilium (*u*) docet, omnium piarum diſpoſitionum tam ultimæ voluntatis, quam inter vivos. Et quia propterea jus illi habent viſitandi Hoſpitalia, Collegia quæcunque, Confraternitates Laicorum, & pia loca omnia, etiam ſi eorum cura laicis demandata ſit: idcirco jubeatur Curatis, ut de adminiſtratione locorum piorum, quæ in ſuis fuerint Parochiis, frequenter admoneant Decanos rurales: qui referent in Synodis, vel Epiſcopo, ſicut ſe res habeant: ut provideatur eis.

VII.

Item mandare poterunt Epiſcopi, quando vacaverit eis, omnibus Hoſpitalariis, ut deferant ad ſe fundationes: ut, ſi qui committantur abuſus, corrigantur. Et juxta fundationes, vel erectiones ipſorum provideat Epiſcopus.

VIII.

Et reddant Epiſcopo rationem ſingulis annis Adminiſtratores omnes Fabricarum, Hoſpitalium, Confraternitatum, Eleemoſynarum, & piorum locorum omnium. Nec, ſi fundationes

(*s*) Phil. 2. (*t*) 1. Petr. 4. (*u*) Trid. Seſſ. 13. c. 8.

nes aliis hæc reddi conſtituerint, ideo ſine Epiſcopo factæ liberationes ſuffragentur.

IX.

Locationes rerum Eccleſiaſticarum factæ a defunctis, nullatenus validæ ſunt in præjudicium Succeſſorum: etiam ſi ſolutio anticipata ſit. Et quæ ad longum tempus etiam authoritate Apoſtolica confirmatæ ſint, Synodus Provincialis (quando in damnum Eccleſiæ factas noverit) damnabit. (x)

X.

Quarta funeralium, quæ ſolita erat perſolvi ante quadraginta annos Eccleſiæ Cathedrali, vel Parochiali, redintegretur, non obſtantibus quibuscunque. (y)

STATUTA RELIGIOSORUM, & Sanctimonialium.

VItæ monaſticæ genus ad perfectionem Evangelicam (z) ut maxime commodum, ita res eſt [licet poſſibilis] tamen ardua & difficilis. Ideo in eam nemo intrudatur invitus, vel fraude pellectus: & multo minus ſuſcipiatur a Præfectis, niſi mature, cum examine probatus: ut non alii, quam qui poſſunt capere, capiant hoc verbum. Nam voluntarie Domino ſacrificandum: & voluntaria fieri beneplacita oris ſui poſtulat. Ex contrario ſequitur, quod Apoſtolus ſcribit de adoleſcentibus, quæ cum luxuriatæ fuerint in Chriſto, nubere volunt, habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.

Omnis cura & diligentia adhibeatur a Prælatis, tam in Capitulis generalibus & Provincialibus, quam viſitationibus, (quas ſuis temporibus facere non prætermittant) ne illa, quæ ad ſubſtantiam regularis vitæ pertinent, negligantur: quæ ſunt, Obedientia, Paupertas, & Caſtitas: & ſi qua ſunt præterea alia vota peculiaria Ordinum: quia nulla poteſt ab his fieri relaxatio.

STATUTUM I.

NUlli igitur liceat Regulari, bona mobilia, vel immobilia, etiam ab Epiſcopo acquiſita, tanquam propria poſſidere, vel tenere; ſed incorporentur omnia ſtatim conventui, Superiori tradita. Nec Superioribus licet bona ſtabilia Religioſis concedere, etiam ad uſumfructum, vel adminiſtrationem, vel commendam: ſed omnia per Officiales gerantur ad nutum Superiorum amovibiles.

II.

Nulli item Religioſo liceat, ſine ſui Superioris licentia ſe ſubjicere ſervitio alicujus Prælati, vel Principis, vel Univerſitatis. Qui ſine mandato Superiorum in ſcriptis obtento, a Monaſteriis egreſſi reperiantur, punientur ab Ordinariis locorum.

III.

Sit aliquis in Monaſteriis virorum (a) pius ac doctus, qui doceat Monachos ab adoleſcentia meditari in Lege Domini die ac nocte. Ad quod quidem munus in Monaſteriis Monialium Sanctimonialis, cæteris vita & doctrina præſtantior, deligatur ab Abbatiſſa, niſi ipſa per ſe hoc queat præſtare.

IV.

Et quoniam Sanctimonialium clauſuram omnem reſtitui jubet Sancta Tridentina Synodus; decrevit Sancta Synodus noſtra Provincialis, quod Epiſcopi, tanquam a Sede Apoſtolica delegati, Abbatiſſas omnes monerent, ut intra tempus aliquod pro ratione rerum & locorum præfigendum, Monaſteria ſua claudant. Quod ſi illæ non fecerint, Epiſcopi fieri procurent. Id Nos omnibus & ſingulis notum fieri ordinamus, & præcipimus per hoc Statutum noſtrum.

V.

Statuit eadem Synodus (b), ut Monaſteria Sanctimonialium, Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecta, viſitentur ab Epiſcopis, tanquam Sedis ejusdem delegatis: & bis, vel ter in anno offeratur aliquis Confeſſor per Ordinarium, qui earum confeſſiones audiet, ſi velint. Admonemus igitur omnes, ut ſingulis menſibus ſemel ſaltem confeſſionem peccatorum faciant, & Sacroſanctum

(x) Trid. Seſſ. 25. c. 11. (y) Seſſ. 25. c. 13. (z) Seſſ. 25. c. 1. 2. 3. 4. 5.
(a) Conc. Colon. (b) Trid. Seſſ. 25. c. 10.

Digitized by Google

ſanctum Euchariſtiæ Sacramentum ſuſcipiant: quo ſalutari præſidio ſe muniant ad omnes oppugnationes dæmonis fortiter ſuperandas. Præter ordinarium autem Confeſſorem alium extraordinarium bis aut ter in anno: qui omnium confeſſiones audiat, offerri procurabimus.

VI.

Sacras Apoſtolicas Conſtitutiones executioni mandantes, hoc noſtro Statuto inhibemus, ne Sanctimoniales poſt Profeſſionem factam, quocunque prætextu, etiam ad breve tempus, niſi ex aliqua legitima cauſa a Nobis approbanda, Monaſterii clauſtra egrediantur, ut a mundanis & publicis ſpectaculis ſeparatæ, Deo liberius ſervire valeant, & immaculatas ſe in hac vita conſervare.

VII.

Univerſis etiam & ſingulis Eccleſiaſticis & regularibus perſonis, noſtræ Jurisdictioni ſubjectis, interdicimus & prohibemus, ne absque rationabili & manifeſta cauſa, nec ſine Superioris, ad quem pertinet, licentia ſpeciali, nec ſine religione, & teſtimonio bono (ne aliqua ſiniſtra oriatur ſuſpicio) ipſa Monaſteria Sanctimonialium ſubintrent, ſub pœna excommunicationis, ipſo facto incurrenda.

VIII.

Nec Abbatiſſa cum aliquo loquatur ſola: nec Monialem aliquo, vel etiam intra clauſtra Monaſterii, mittat ſolam: ſed vel ipſamet comitetur eam, vel aliam vetulam adjungat ſociam.

IX.

Statuit Sacroſancta Tridentina Synodus, ut ſi puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major XII. annis ſit: non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea profeſſionem emittat, quam exploraverit Epiſcopus, vel ejus Vicarius, virginis voluntatem, an coacta, an ſeducta ſit: an ſciat, quid agat. Cujus profeſſionis tempus ne ignoremus, jubemus, ut Præfecta Monaſterio Nos ante menſem certiores faciat, ſub pœna ſuſpenſionis.

X.

Prælatos Monaſteriorum per viſcera miſericordiæ Domini noſtri JESU Chriſti requirimus & hortamur, ut perſonas regulares ſibi ſubjectas ad obſervantiam regularum ſuarum & ſtatutorum regularium diligentius inducant, moneant, & alliciant: Et ſi opus eſt, ſtrictius compellant: ut de officio ſibi commiſſo dignam Deo poſſint reddere rationem. Quod ſi ultra prævaricatores fuerint Ordinis ſui, aut contemptores, ſeu negligentes & remiſſi: pro certo ſe noverint, non ſolum ab officio deponendos, ſed alias ſecundum regulam ſuam caſtigandos. Nos etiam eorundem Prælatorum negligentiam, ſi opus fuerit, ſupplebimus juxta Canonicas Sanctiones.

XI.

Denique hortamur omnes religioſos viros & virgines ſanctimoniales, ut meminerint, quod B. Petrus in Actis Apoſtolorum teſtatur, eos, qui communem vitæ ſocietatem (qualis nunc etiam apud Religioſos conſervatur ad inſtar illius, quæ fuit olim apud Apoſtolos, quando erat multitudinis credentium cor unum, & anima una, nec quisquam eorum, quæ poſſidebat, aliquid ſuum eſſe dicebat) qui, inquam, ſocietatem ſemel receptam deſerunt, tentare Spiritum Sanctum, & mentiri non hominibus, ſed Deo.

XII.

Conſiderare etiam ad virginitatem ſervandam, quod D. Cyprianus ait: Virginitas excellentior, quam non cogit neceſſitas, aut mandatum, ſed perfectionis ſuadet conſilium. Quod ſi Divinis conſiliis obviaverint, tentamenta & liberas mentes ad carnales revocaverint appetitus: adeſt Deus fortis. Nec ſpem ponat homo in homine, nec in brachio carnis ſuæ confidat: quia qui mundum vicit, & victoriam ſuis promittit militibus.

XIII.

Quin etiam illud ad obedientiam ſervandam conſiderent, quod B. Baſilius ait: Quod a Superioribus & Præpoſitis committitur & mandatur, qui recuſat,

Digitized by Google

& aliud requirit; primum obedientiam corrumpit, & ſe declarat abnegaſſe: deinde etiam aliorum plurium malorum ſibi ipſi, & aliis autor fit, quando januam contradictionis plerisque aperit, & ſe ipſum ad hanc aſſuefacit : & quia non poteſt quivis, quod utile eſt, probare, ſæpe, quod nocivum eſt, eligit.

XIV.

Et illud D. Auguſtini (*c*) timeant omnes Religioſi, (quod ille jurejurando affirmat) Difficile ſum expertus meliores, quam qui in Monaſteriis profecerunt: ita non ſum expertus pejores, quam qui in Monaſteriis ceciderunt. Quapropter & ſi contriſtamur de aliquibus purgamentis : conſolamur tamen etiam de pluribus ornamentis.

DE MINISTRIS CANTUUM Divinorum, ſive de Pſallentibus.

CAntorum, & Pſallentium munus [quod Propheterarum quodammodo officium eſſe diximus] quam ſanctum ſit atque utile, non poteſt ſane carnalis homo guſtare, qui ſpiritualia non dijudicat, ſed carnalia. Apoſtolus (*d*) cum Epheſios vellet a carnalibus operibus revocare: Implemini (inquit) Spiritu Sancto; loquentes vobismet ipſis in Pſalmis & hymnis, & canticis ſpiritualibus: cantantes & pſallentes in cordibus veſtris Domino. Hæc Paulus. Nam qui ſine Spiritu Dei canit, [hoc eſt, ſine fide & charitate] non intelligens, quæ ſit voluntas Dei, non ut Deo placeat, profecto canit, aut ut ſe, vel proximum ædificet, ſed ut vino (hoc eſt, cibo & potu) replere ſe queat, & carnis ſuæ perficere deſideria. Qui autem ſic agunt, errant: partem enim non habent in regno Chriſti & Dei. At beati, qui habitant in domo tua Domine: in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Si Religioſi & Canonici, aliique Clerici ſæculares, huic officio deputati, perpenderent felicitatem ſuam, nunquam tæderet profecto Chori. Annon in Choro, quaſi in Cœlo ſunt? Annon Angelorum munus obeunt? Annon munus Angelorum eſt, laudare Deum, & canere perpetuo Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabahoth? De cantu Eccleſiæ, Auguſtinus [*e*] librum ſcripſerat contra quendam Hilarium. Quantum quoque commoveretur ſuavitate canentium in Eccleſia, ſcripſit lib. 9. confeſſ. moremque ait ab Orientalibus accepiſſe Mediolanenſes.

Sed neque ab hoc pſallendi munere exempti ſunt Curati. Canunt enim & ipſi, nam Symbolum, & Pſalmos, & Hymnos canenti populo, ipſi (tanquam revera Choragi) præire debent, & tonum vocis in Miſſa dare ad Hymnum illum: Gloria in excelſis, & ad Credo: qui ſcolii cantus doctiſſimi in Eccleſia fiunt: juxta quos & reſpondeat populus aſſiſtens. In miniſterio quoque habendi ſunt cantorum & pſallentium; licet ab alia pſalmodia plerique eximantur. Sed Canonicorum proprium in primis eſt, unde vocatos Canonicos putatur. Quanquam antiquius Græce κανονικὸς dicti ſunt, a communi vita : unde formatum nomen Canonici. Olim namque Collegia Eccleſiarum Cathedralium in communi vita vixiſſe, & adhuc nunc quadam vivere, notum eſt. Canonicos regulares poſtea dixerunt eos, qui præter communem victum etiam votum regulæ paupertatis fecerunt. Ergo canonice vivere, eſt in communi vivere.

STATUTUM I.

CAnonici ergo, quoniam (*f*) ad hoc inſtituti ſunt, ut laudes Deo ſingulis horis decantent, niſi legitima cauſa impediente, chorum ſequantur : in quo modeſte ſe habeant, & cum decenti gravitate : non garrientes aut rixantes in eo, ſed Deum reverentes, in cujus conſpectu ſiti ſunt. Celebranti Epiſcopo, aut alia Pontificalia exercenti, aſſiſtant, & inſerviant. (*g*)

II.

Nulli in Sacris Ordinibus conſtituto, (*h*) vel beneficiato, in noſtra Dioiceſi, aliud officium dicere liceat, quam ſecundum uſum Eccleſiæ Biſunt. niſi ad hoc diſpenſationem habeat a Sede Apoſtolica : ſub pœna privationis beneficii, & ſuſpenſionis ab Ordine: ſed Romanum commendamus.

III.

Et cum pſallendi gratia chorus (*i*) fiat, nemo labia ſua muta aut clauſa tenue-

(*c*) Epiſt. 137. (*d*) Eph. 5. (*e*) Aug. lib. 10. Retract. c. 33.
(*f*) Concil. Baſil. & Colon. & Refor. Cler. ſub Carolo. (*g*) Seſſ. 24. Trid.
(*h*) 12. diſt c. De his. & c. ſi. (*i*) Conc. Agath. C. Presbyter. de celebr. Miſſ. Conc. Baſil. c. 15.

Digitized by Google

nuerit; ſed omnes pariter cum ſimili & decenti alacritate modulentur : ſic tamen , ne boatus ſolum ſine intelligentia audiatur. Quod fiet, ſi non curſim, nec feſtinanter : ſed tractim & cum pauſa decenti (præſertim in medio cujuslibet verſiculi Pſalmorum) debitam inter ſolenne & feriale exhibeant differentiam.

IV.

Nemo cum publice , vel preces horariæ , vel Miſſæ Sacrum cantando peraguntur , legat , vel dicat privatim officium. Nam is non ſolum choro ſubtrahit illud , quo obnoxius eſt , & ad quod tenetur : ſed alios pſallentes perturbat, vel a pſallendo retrahit. (*k*) Quare ſi urgetur aliqua cauſa, ut officium ſuum abſolvat: egrediatur chorum, & oret in abſcondito.

V.

Organorum melodia & cantus figuratus , ſic in templis adhibeatur , ne laſciviam magis,quam devotionem excitet: (*l*) neve præter hymnos Divinos, ac cantica ſpiritualia , quicquam reſonet, aut repræſentet.

VI.

Proceſſiones Eccleſiarum aliarum ad ſummum templum , quæ (diebus maxime celebribus) fiunt, quia inſtitutæ ſunt cauſa conveniendi ad Miſſas Epiſcopales, & recipiendi communionem, vel benedictionem Epiſcopalem: monemus omnes, ut aliquid ſaltem veteris inſtituti retineant, ne vagandi ſolum cauſa veniſſe videantur. (*m*) Quando autem Generales extraordinariæ indicuntur, officium in Eccleſia fit ſolenne.

VII.

Super his (*n*) debite obſervandis, aliisque ad Divini officii proſequutionem , ac chori diſciplinam ſpectantibus, Decanus, vel Præpoſitus, aut alius, cui onus incumbit , diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumſpiciens. Horum autem tranſgreſſores , illius horæ (in qua circa prædicta exceſſerint) vel alia majori (prout transgreſſionis gravitas exegerit) plectentur pœna.

VIII.

Qui in Matutinis (*o*) ante finem Pſalmi Venite exultemus, in aliis horis ante finem primi Pſalmi , in Miſſa ante ultimum Kyrie eleiſon , & uſque in finem, Divino officio non interfuerit, (niſi forte, neceſſitate cogente, ac petita a Præſide chori licentia , diſcedere oporteat) pro illa hora abſens cenſeatur: Salvis Eccleſiarum conſuetudinibus, & privilegiis. Lex enim, teſte Apoſtolo , iis, qui ſub lege ſunt, loquitur. Idem in Proceſſionibus generalibus obſervetur in iis, qui a principio uſque ad finem non permanſerint. Pro cujus rei executione deputetur aliquis, habens hoc onus notandi,ſingulos ſtatuto tempore non convenientes: qui juramento adſtrictus erit agere fideliter, absque gratia vel odio.

IX.

Quicunque in Eccleſia Beneficiatus (præſertim Divinorum tempore) per Eccleſiam , vel foris circa ipſam, ſine juſta cauſa deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari viſus fuerit: non ſolum illius horæ , ſed totius diei præſentiam ipſo facto amittat.

X.

Regulares, qui in Conventualibus Eccleſiis circa prædicta exceſſerint, graviter Superioris arbitrio caſtigentur.

XI.

Cumque in Eccleſiis tam Collegiatis, quam Cathedralibus, diverſi habeantur gradus & nomina Miniſtrorum : inter Canonicos ſiquidem ſunt Decani , Præpoſiti , Archi-Diaconi , Cantores, Theſaurarii , Scholaſtici , Canonici , Vicarii, atque id genus, interpretetur quisque ſuum vocabulum: nec vanum dignitatis eſſe nomen putet, ſed officii. Idcirco curet eſſe, quod dicitur

(*k*) Conc. Baſil. c. 15. Hildeſem. 36. Colon. de Metropol. c. 5.
(*l*) Conc. Baſil. & Colonien. & Refor. Cler. ſub Carolo.
(*m*) Conc. Hagath. c. 63. 64. Conc. Colon. de Metrop. c. 24.
(*n*) Conc. Baſil. 18. (*o*) Conc. Baſil. & Hildeſem.

Digitized by Google

dicitur ſecundum veterem Patrum inſtitutionem ac regulam.

XII.

Si quos (*p*) Decanus vel Superior, rebelles cernat, ſi Divini cultus atque ſui officii negligentiores: ſi rixoſos, litigioſos, ſi percuſſores, ſi aleatores, ſi ſcorta foventes, aut aliis publicis criminibus irretitos: atque hi fraternam correptionem audire recuſaverint: agat in Capitulo, quomodo Paulus jubet: Peccantes coram omnibus argue. Tum ſi nolint reſipiſcere, arceat a Sacris, prohibeat participare fructus, donec ad meliorem vitæ frugem revertantur. Sic tamen, ut hæc ſerveturregula Apoſtolica: Corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, patientes eſtote ad omnes. Neque ira, neque odium, neque rancor ullas ſibi partes vendicent. Et ſalva ubique ſerventur ſua cuique privilegia, legitimæque conſuetudines.

XIII.

Canonicus vocem in Capitulo non habeat, niſi in Sacro ſaltem Subdiaconatus ordine poſitus ſit. In Cathedrali autem, non niſi Presbyter; propter ordinis hujus dignitatem. Nec inter Presbyteros ſedeant Diaconi, vel Subdiaconi.

DE HORIS CANONICIS, ET Cantu Eccleſiaſtico.

LAudes Dei in Eccleſia decantatæ, mentem ad ſuperna erigunt, inflammant Dei charitatem, compungunt, & contemptum excitant terrenarum rerum. Scribit (*q*) Apoſtolus: Implemini Spiritu Sancto, loquentes vobismet ipſis in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus, cantantes, & pſallentes in cordibus veſtris Domino, & gratias agentes ſemper pro omnibus, in nomine Domini noſtri JESU Chriſti, Deo & Patri. Hoc idem interpretatur ad Timotheum, ubi fieri jubet in Eccleſia obſecrationes, orationes, poſtulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus. Hinc ritus Horarum Canonicarum Hinc conſuetudo conveniendi & pernoctandi in Pſalmis, lectionibus, & orationibus, quam ab Apoſtolis acceptam, Eccleſia ſemper retinuit. Cum (*r*) conveniris, inquit ad Corinthios, unusquisque veſtrum pſalmum habet, doctrinam habet, apocalypſin habet, linguam habet, interpretationem habet: omnia ad ædificationem fiant. Philo Judæus, qui temporibus vixit Apoſtolorum, diverſis in locis meminit Pſalmorum, vigiliarum, & jejuniorum, quæ primi illi Philoſophi Chriſtiani exercebant. Eadem de re ſcripſit Plinius ſecundus ad Trajanum, ut omittamus veteſtiſſimos Juſtinum, Clementem Alexan. Dionyſium, Tertullianum, & alios: & quod Eccleſiæ morem hunc etiam Ariani & Pagani olim aliquando imitari; ſæpius & interturbare conati ſunt, ſicut faciunt etiam nunc hæretici. Fuit ergo diviſum primo officium hoc in Diurnum & nocturnum. Nocturnum quidem nocte Sabbati, & in vigiliis magnorum Feſtorum pernoctantes tripliciter diſtinguebant: &, ſicut etiam nunc monumenta Ordinarii noſtri Biſuntini docent, primum incipiebant circa primam vigiliam noctis: ſecundum in ſecunda: & tertium in tertia: per vices diſpoſitis Clericis, qui alii aliis in officio nocturno & vigiliis ſuccedebant, vocabantque ideo primam vigiliam, ſecundam vigiliam, tertiam vigiliam, quas nocturnos, vel nocturna nunc dicimus. Sub auroram vero in galli cantu læti ovantesque Deo laudes canebant in memoriam Dominicæ Reſurrectionis. Aliis autem feriis unicum fiebat officium nocturnum: ſive id a prima vigilia inciperet, ſive a canticinio: frequentius tamen exemplo David media nocte ſurgebant ad confitendum Deo. Nunc totum officium nocturnum cum laudibus, vocamus matutinas. Quod ideo videtur factum: quod cum in Paſchate major pars noctis in conſecratione fontium baptiſmalium, & Baptiſmo catechumenorum, & Ordinibus Sacris, atque aliis Divinis officiis, officium illud nocturnum traduceretur: quod in aliis vigiliis nocte fieri ſolebat, quia mane diluculo opus erat abſolvi, vocatum poſtea fuit matutinum. Hoc nomen adhuc perſeverat. Et idem nunc matutinæ vigiliæ, quod nocturnum. Sed ſuccedente tempore factum eſt, ut in Calendario, vigilia noter jejunium, (excepta apud nos Epiphania) & nocturnum, Pſalmos feriales: & Matutinæ pro officio accipiantur, quod olim erat nocturnum, diſtinctum a Laudibus. Quanquam in veteri ordinario Laudes tantum dicantur Matutinæ, & Matutinæ Laudes. Atque hæc quidem de nocturno officio. Jam diurnum partiti ſunt Patres (exemplis variis edocti) in horas ſeptem. Primam inchoarunt orto Sole: Tertiam ab hora naturali diei tertia: Sextam a meridie: Nonam a Tertia naturali poſt meri-

(*p*) Conc. Agath. c. 2. Conc. Lateran. cap. 7. Colon. eodem.
(*q*) Ephe. 5. (*r*) 1. Corint. 14.

meridiem: Veſperas quoque, ſub veſperam: & tanquam completis omnibus, Completorium ſub ipſam noctem, daturi corpora quieti.

Et notandum, quod in omnibus horis fiunt Lectiones aliquæ poſt Pſalmodiam. In nocturnis proprie dicuntur Lectiones, ſed in aliis horis Capitula: quia caput aliquod tantum legitur breve. Poſt Lectiones, Reſponſoriorum cantus, & denique Oratio. Miſcentur quoque Hymni & proſæ [quas vocant] & Verſus, & Antiphonæ puræ, aliquando cum pneumate & alleluja.

Sunt ergo partes horarii officii, præter genuflexiones, & ſtationes, & ſignum Crucis, quæ interea fieri oportet: Oratio Dominica, Symbolum fidei, peccatorum confeſſio, Pſalmi & cantica, Hymni & proſæ, orationes, preces & litaniæ, abſolutiones & benedictiones, lectiones & capitula, verſus & reſponſoria, ac rurſum reſponſoria & verſus, antiphonæ, invitatoria & pneumata. De illis, quæ ſuperſunt, ſigillatim dicemus.

Primum Pſalmi CL. per ferias diſtributi ſunt, ſecundum ordinem Bibliorum, vel certe proxime ad illum ordinem. Nam aliqui, aſteriſco notati, prætermittuntur, quod in aliis horis canantur: & centeſimus decimus octavus: Beati immaculati, quotidie dicitur ad quatuor horas, cum quinquageſimo tertio, ad Primam. Differt autem Pſalmus a Cantico (licet ambo canantur pæanice) quod Pſalmus ex libro David: cantica ex aliis locis Bibliorum veteris & novi Teſtamenti ſumantur.

Hymnos reliquerunt nobis Patres diſtinctos periodis, more lyrico. Scripti ſunt aliqui ſtylo puro, & eleganti; modulatione quoque ſuaviſſima excepti. Alii tamen plerique numero ſyllabarum [non tam quantitate] contenti, & ſimilitudine deſinentium, ad modos elegantiſſimos facti ſunt.

Proſa, vel proſodia (Hymno non diſſimile carmen) numeris fertur lege ſolutis. Eoque differt ab Hymno, qui certa ſemper metrorum periodo recurrit. Quanquam poſterioribus temporibus, quasdam hujusmodi proſas hymnice compoſuerunt nonnulli: numero quidem ſyllabarum tantum, & [ut vocant] rythmo, id eſt, cadentium ſimilitudine: non perinde quantitate. Et cum antiquiſſimæ quæque in a vocalem concidant: dictas putarunt Græce προὲς α. id eſt, ad a. Sed proprie προσῳδία nuncupata ſunt: Librariis pro proſodia, proſa ſcribentibus, compendii cauſa. Et ſive per omicron ſcribas, ſive per omega, utrumque carmen eſt, in Deorum ſacris adhibendum, modis lyricis, ad verba & dictiones aptato cantu. Quia vero nec ſaltatoria eſt, nec ſtataria, ſed inter hæc medium ſortita genus: idcirco nec ab hymno ſeparārunt grammatici proſodion. Utrumque enim poëma eſt ad Deorum laudem compoſitum. Sed ſeparavimus nos. Et ſcolion putamus. Nam ſi ſolutæ orationi ſimilis videatur Proſa, non ideo tamen ſoluta eſt: non magis, quam Pindaricæ odæ, ut chori cantus apud Græcos Poëtas. Atque hinc quidem eſt, cur jam ſordere ceperint. Sed immerito. Amuſis hominibus crimen condonamus. Detergant eas docti, ſi quæ vitium contraxere: & Eccleſiarum Præfecti cantari jubeant diligentius. Agnoſcent profecto in his metrorum multa genera, ſibi invicem reſpondentia: interdum ſingula, interdum bina, ſæpius plura ſub uno ambitu: nonnunquam etiam varia ultro procedentia, unde dicta etiam fuit ſequentia.

Diximus itaque Proſam nec ſaltatoriam eſſe, nec ſtatariam: propterea quod Poetarum interpretes tria tradiderunt Melorum genera. In uno ponuntur Hyporchemata: in altero Staſima. Tertii generis ſunt Proſodia. Sine motu quidem multa canimus, ſtantes in templo: veluti introitus Miſſarum, & Reſponſoria. Nullus enim hic numerus, vel pedes, vel brachia excitat ad proſiliendum. Sunt alia, quæ nos audita geſtire cogunt, & tanquam in chorea moveri: veluti cantus ille: Ad cænam agni providi. Sed hæc rara admodum. Magna enim vis illa commenſurationis temporum ad emolliendum animum. Eccleſia autem non ſine magna cauſa a gravitate atque perfectione rythmi deflectit.

Graduale ergo ſtatarium carmen eſt. Conſtat ſolum verbo & harmonia: nullo rythmo, ſaltem evidenti. In ſingulis enim ſignis vel chordis, vox una ſubſiſtit: tanquam per gradus ſuos, cum dignitate aſcendendo, atque deſcendendo, motu æquabili. Et hæc quidem cum harmonia diatonica flexa frequenter, ſine verbo. Aliquando etiam recta; ſolo verbo, absque harmonia.

Hujus ergo generis ſunt Tractus, & Reſponſoria, & Alleluja, & Introitus.

Pneuma autem (perinde ac ſi ſermo, ac ratiocinandi vis omnis nos deficiat: quia major omni humana laude Deus eſt) eodem modo ſtatarie, loca conſonantiæ in Antiphona deſignata perveſtigat. Eſt enim Pneuma [id eſt, ſpiritus] vocis continuatio, quantum ſpiritus durare poteſt, ſine verbo, appenſa antiphonæ, juxta tropum [ſive tonum] Pſalmi decantati. Adhibetur autem in ſolennitatibus tantum. Et ſane, qui pneumatis ritum contemnunt, ipſi turpiter deſipi-

unt. In choro enim, cum ſtamus, canentes, de Deo meditamur, vel cum Deo loquimur: Loquentes vobismet ipſis (inquit Apoſtolus) in Pſalmis, hymnis, & canticis ſpiritualibus. Ad tantam vero Majeſtatem oculos mentis attollentes, jam plane deficimus, quare geſtus potius, quam verba deſiderium noſtrum effert: vel certe vox inarticulata, ſicut olim Prophetæ clamabant, a, a, a, neſcio loqui. Ac ſi diceres, enarrare nequeo Domine, quæ opto. Incomprehenſibilis eſt mihi gloria tua. Reple os meum laudibus; ſaltem more vagiam infantium: aut, ut filii corvorum, ore aperto benedictionem cœli poſtulabo.

Ergo inter Chori cantus, præter Pſalmos, & cantica, & hymnos, & ſcolia, in Eccleſia ſunt Antiphonæ, & pneumata, & verſus, & reſponſoria. Sed de Antiphonis hæc accipe: nam de ſpiritu ſatis dictum eſt. In libro David quidam pſalmi inveniuntur, quibus præponitur titulus Alleluja. Idem etiam in fine reperitur aliquando, & aliquando reſumitur in medio: ut in centeſimo quadrageſimo octavo. Verum pſalmi Allelujatici [ſic appellat D. Auguſtinus] omnes habent in fine vocem illam hebraicam alleluja: licet non omnes in principio. Significat laudate exiſtentem, laudate Dominum, vel Deum. Vocem hanc Eccleſia retinuit per univerſum orbem. Nec niſi cum magna veneratione: ſicut & alias quamvis peregrinas. In temporibus magnæ lætitiæ [inquit idem Aug.] non ſine Sacramento, ſecundum Eccleſiæ antiquam traditionem ſolenniter cantare nobis moris eſt Alleluja. Et ad Januarium Epiſt. 119. (loquens de diebus illis 50. a Paſchate ad Pentecoſten) Qui celebrantur, inquit, poſt Domini reſurrectionem, jam in figura non laboris, ſed quietis & lætitiæ. Propter hoc & jejunia relaxantur, & ſtantes oramus: quod eſt ſignum reſurrectionis. Unde etiam omnibus diebus Dominicis id ad altare obſervatur: & Alleluja canitur, quod ſignificat actionem noſtram futuram non eſſe, niſi laudare Deum, ſicut ſcriptum eſt: Beati, qui habitant in domo tua, Domine, in ſæcula ſæculorum laudabunt te. Hactenus Auguſt.

Hunc igitur ſolum titulum Alleluja tempore Paſchali, Pſalmis præponimus in omnibus horis, diurnis, & nocturnis. Sed aliis temporibus ad ejus inſtar alios verſiculos & ſententiolas pro titulo Pſalmis præmittimus, quos in fine integros repetimus canendo. Horum alios vocant Antiphonas, ſeu Antiphona: alios Invitatoria. Ratio nominum eſt. Pſalmos in Eccleſia alternatim canendos Beatus Ignatius Martyr tradidit, edoctus (ſicut habent Eccleſiaſticæ hiſtoriæ) revelatione Angelorum: quos Antiphona (hoc eſt, reſponſoria) inter ſe canentes viderat. Pſalmis itaque, quorum membra, ſeu verſus, alternatim & viciſſim cantamus, titulum præpoſuere Antiphona: Quod ſignificat pſalmum alternatim canendum.

Quia vero ſemper titulus aliquis præponitur: (ſcilicet Alleluja, vel alius verſiculus) hinc factum eſt, ut ipſe titulus jam vulgo dicatur Antiphona: non utique, quod ſit re vera antiphonon, ſed quia præponitur pſalmo, qui cantari debet per antiphona. Potius enim proodion, vel proœmium, vel epiſodion, id eſt, intonatio dici debuiſſet, quod modum præſcribat in cantu tenendum. Quanquam ſi naturam modorum obſerves, quoniam Pſalmus in prima meditatione toni intrat, quam incipit antiphona: non injuria titulus ille nomen illud accepit: collaterali, ſcilicet, vel ſimili modo carmen auſpicando ei, quem pſalmus aſſumit.

Contra vero pſalmo illi vigiliarum, qui ad jubilandum Deo hortatur, atque invitat: non antiphona præponitur, ſed invitatorium. Non enim per antiphona canitur, ſed ab uno ſolo, vel duobus, vel pluribus ſimul. Et repetitur invitatorium in medio & in fine.

Sunt alii quidem verſus, quos Cantores modulantur duo vel unus: & ad eos continuata muſicæ conſonantia chorus per verſum alium reſpondet, & ob hanc viciſſitudinem & alternam reſponſionem dicti ſunt verſus reſponſorii, vel reſponſoria Et horum quidem majores canuntur in matutinis poſt Lectiones: minores autem in aliis horis poſt Capitula. Sunt chori cantus, ut diximus, ſine evidenti rythmo: ſed partibus conſtant quatuor: nempe Strophe, Antiſtrophe, Ectaſi & Epodo. Quod proprie reſponſorium ſcribitur, hoc eſt, Strophe. Ejus repetitio Antiſtrophe eſt: Verſus, Ectaſis, ſeu Parabaſis: Gloria Patri, dicitur Epodos. Namque Epodos ante aram Deorum canebatur. Quod reliquum additur, repetitum a reſponſorio, repriſiam dicunt. Eſt autem apocope & exodion, ſeu finis totius odæ. Hactenus de carminibus dictum ſit: quod muſicæ artis erit, docebimus ſtatim.

De lectionibus autem & orationibus non opus eſt, ut multis agamus. Hoc unum ſcitote, utilitates magnas in duabus hiſce partibus eſſe officii Divini. Legendo enim nos ipſos tanquam in ſpeculo contemplamur. Orando cum Deo loquimur: legendo, Deus loquitur nobiscum. Sed de oratione & meditatione ſupra dictum eſt ſuo loco. Ne quis autem a lectione ſacra propter obſcuritatem avocetur: vide, quod Origenes in Joſue, lectionem Sacrarum Literarum Deo & Angelis pro-

probari ſcribit, nobisque perutilem eſſe, etiam ſi illam non plene intelligamus. Certe ſtudium & intelligendi cupiditas, reverentiaque myſteriorum prodeſſe ſolent. Nec defuit gratia Eunucho, Candacis Reginæ, legenti Prophetam, quem non intelligebat.

Diſtributæ ergo ſunt lectiones in ordinario per totum annum hoc pacto. Ab octavis Paſchæ ad Pentecoſten leguntur Acta Apoſtolorum, & Epiſtolæ Canonicæ, & Apocalypſis. Ab octavis Pentecoſtes ad Calendas Auguſti (id eſt, ad Dominicam proximam principio menſis] libri Regum & Paralipomenon. Hinc ad Calend. Septembris, libri Salomonis. Inde ad Cal. Octobris, Job, Heſter, Judith, & Eſdras. Dehinc ad Cal. Novembris, libri Maccabæorum. Et ad Cal. Decembris, Ezechiel, Daniel, & minores Prophetæ. A Calendis Decembris ad Nativitatem Domini, Eſaias. Poſtea uſque ad Septuageſimam Epiſtolæ Pauli. Quanquam domi hæ potius, quam in templo legi ſolent: quia ſingulis diebus hoc tempore uſque ad octavas Epiphaniæ proprium fit officium. Ideo differtur lectio Epiſtolarum ad Dominicam poſt Epiphan. A Septuageſima uſque ad xv. ante Paſcha, legimus Pentateucum, & Joſue, & Judicum, & Ruth. Et denique a die hac ad feriam quintam in Cœna Domini, Jeremiam. Hæ quidem lectiones per annum. Verum proprias quoque habent ſingulæ celebritates: de quibus illud Auguſtini in 1. Joan. Epiſtolam: Quod in ſolennitatibus ſacrorum dierum certas Evangelii lectiones in Eccleſia oportet recitare. Quæ ita ſunt annuæ, ut aliæ eſſe non poſſint. Nam & in Nativitate Domini & Epiphania, capita quædam præſcribuntur ex Eſaia, ſicut & in Cœna Domini: & duabus ſequentibus feriis ex Lament. Jeremiæ, cum certis quibusdam Homiliis, ſive Sermonibus. Tria enim ſunt Lectionum genera. Quædam ſunt novi vel veteris Teſtamenti: aliæ hiſtoriæ Martyrum: aliæ ſermonum, ſive Homiliarum ad Evangelii expoſitionem, quod in Miſſa legendum venit eo die: etſi hiſtorias Martyrum non niſi paucorum legimus in templis, propter incertitudinem aliquando fidei eorum, qui ſcripſere: & ſufficere arbitramur paſſionis ejus, qui occurrit ſummariam memoriam fieri ad primam, in Martyrologio. Nota etiam, lectiones multas de Sacra Scriptura improprie vocari de hiſtoria currente: veluti libros Salomonis, Epiſtolas Pauli, &c. fortaſſe quod bona pars Bibliorum eſt hiſtorica. Unde & illud notandum, quod cum in rubricis remitteris ad eas lectiones, non lectionis, ſed reſponſorii fiat mentio. Propterea quod reſponſorium idem canitur per totum tempus illius hiſtoriæ: non autem legitur ex eodem libro.

Abſolutionem hoc loco vocamus orationem illam, quæ dicitur ante lectionem Evangelii. Exaudi Domine JEſu Chriſte: & in officio noſtræ Dominicæ: Precibus & meritis, &c. Reliqua diſcuntur facile ex regulis Ordinarii. Quare hæc dicta ſufficiant de horis Canonicis. Quæ vero pœna ſit in omittendis, ſupra ſtatuta eſt, reſtituendi fructus ex beneficio perceptos. Sed in Sacris poſitus, mortaliter peccat, ſi ſine neceſſitate omittat officium hoc.

Orationes, quas Collectas vocant, a Presbytero ſtante dicuntur: præterquam in triduo ante Paſcha. Preces proſtrati facimus, præterquam diebus Dominicis & Feſtis: Sabbatum enim Dominicæ eſt Profeſtum. Sic & cantica novi teſtamenti, & Pſalmum ultimum in laudibus, ſtantes canimus. Nec niſi mutato Choro incipitur antiphona alia, vel commemoratio, poſtquam Presbyter dimiſerit populum per: Dominus vobiscum.

Ritum denique flectendi genua vel ſtandi, ſolennem eſſe debere, docent omnes Sancti Doctores. Vide Juſtinum, Ireneum, Origenem, Epiphanium, Ambroſium, Hieronymum, Auguſtinum &c. Genuflexio, noſtri lapſus ſignum eſt, ſtatio reſurrectionis. Et quia tempore Paſchali ſtantes oramus, viſitationes Eccleſiarum, quæ eo tempore fiunt, Romæ Stationes vocatæ ſunt a poſteris.

DE MUSICA.

Nihil omnino prætermiſit Eccleſia artificii in cantu. Nam, quod natura docet, id Eccleſia ſola præſtitit: ut voce, quam a Deo articulatam accepimus, omnis generis laudes & gratias Deo referamus. Muſica enim dicta a Plutarcho eſt ἐυχαριστὸς ἁρμονία. Videas ſane in officio noſtro pæanum ſpecies omnes: odas omnis generis, & proſodia, & antoda, epicheremata, & parabaſes, & ſcholia: cum ſtrophis, antiſtrophis, echaſibus, epodis, apocopis: & quicquid denique eſt, quod Græcorum diligentia invenit. Nam niſi plane aſinus ſis ad lyram; omnia hæc in cantibus noſtræ Eccleſiæ obſervare queas. Novatores noſtræ tempeſtatis ea non agnoſcunt. Hinc fit, ut in Eccleſiis ſuis barbarum, neſcio, quid, atque effæminatum, malint congemiſcere: & ſotadæum, carmen elumbe, mulierculis puerisque laſcivientibus acceptum, obgannire, quam σεμνὸν illud cantuum noſtrorum, & decorum, imitari.

Sed nos de Muſica jam pauca referamus. Primum quidem claves, quas Cantores

Digitized by Google

obſervant ſemper canendo, diſtinguamus literis, nominibus, & ſyllabis per ſcalas. Deinde chordarum ſeu vocum proportiones rudi ſaltem Minerva demonſtrabimus. Signorum quoque quantitates & qualitates: ut ſunt alia longa, alia brevia: junćta alia, alia ſeparata: perfećta & imperfećta. Ad hæc tonorum exempla proponemus, quibus in Eccleſia Biſuntina canuntur Pſalmi & cantica. Hos enim numeris duobus poſt antiphonas in Breviariis noſtris adnotavimus. Denique ſi vacat, etiam ſymphoniæ, ſeu contrapunćti, pauca præcepta colligemus.

Paretur ergo inſtrumentum. Sit hoc quindecim chordarum, vel vocum quindecim, veluti cithara, vel tibia biſſeptem diſtinćta cicutis. Adſcribantur his ſeptem literæ, per ordinem, ſemel quidem repetitæ, ſed prima ter accepta. Sic: A B C D E F G a b c d e f g a. Tendentur autem chordæ hæ ad ſonos monochordi (id eſt, unius chordæ ſonore) per proportiones muſicas diviſæ.

Sunt autem proportiones muſicæ omnes in primo numero perfećto, & primis duobus cubis: videlicet ſenario, octonario, & novenario. Ducendo igitur & reducendo ponticulo (magadam vocant Græci) per partes monochordi iſtis numeris diviſi: nempe duas, tres 4. 5. 6. 7. 8. 9. invenies duplam proportionem, triplam, quadruplam, ſeſquialteram, ſeſquitertiam, ſeſquiquartam, ſeſquiquintam, ſeſquiſextam, ſeſquiſeptimam, ſeſquioctavam: bipartientem tertias, bipartientem quintas, tripartientem quintas: duplam ſeſquialteram, duplam ſeſquitertiam, duplam ſeſquiquartam, triplam ſeſquitertiam: Quadruplam denique ſeſquialteram. Verum, quia diatonico ſolo utitur Eccleſia, hoc eſt, genere cantus, quod cum dignitate & majeſtate magna, per tonos atque hemitonia procedit: idcirco ex partibus, chordæ ſonoræ illas tantum portiones ſumimus, quæ primæ occurrunt, vel primis proximæ ſunt, & ſenſui cæteris magis notæ. Sunt hæ, Dupla, Tripla, Quadrupla, & earum differentiæ. Differt autem tripla a dupla, ratione ſeſquialtera: & quadrupla a tripla, proportione ſeſquitertia: & rurſum dupla a ſeſquialtera, ſeſquitertia. Hæc pariter minor eſt, quam ſeſquialtera ſeſquioctava ratione: quod intervallum appellamus tonum. Duo inſuper toni minores ſunt, quam una quarta, & tres, quam una quinta (id eſt, quam epitrita, & quam hemiolia: qui concentus dicuntur Diateſſaron & diapente) ea proportione, quæ eſt inter iſtos numeros primos, 256, & 243: quorum major minore major eſt partibus 13. Hæc diſtantia eſt hemitonii. Ratio, inquam, ſpatii illius, quo Diateſſaron ſuperat ditonum, & diapente tritonum. Cogimur enim vocem eo etiam ſpatio metiri: non ratione quidem numerorum ejus, quæ obſcura eſt, & inventu difficilis: ſed quia per tonos ad perfećtas conſonantias progredienti [diapaſon, diſdiapaſon, diapente, diateſſaron, & triplam] neceſſe eſt, quod reſtat ſpatii, poſt duos aut tres confećtos tonos; uno ſaltu voeis conficere. Hoc vocant ſemitonium minus: ſpatium ſane non minimæ dignitatis, virtutis autem tantæ, ut unum modos omnes & mores carminum definiat pro ſuo ſitu. Toni autem alteram ab hoc partem apocopen, ſive ſemitonium majus dixere vulgus cantorum Dieſin. Sed majus hoc nuſquam concinit, nec in uſum uſquam venit, niſi in Chromate. Si igitur ſingulorum ſpatiorum proportiones diatonicæ conſtitutionis habere in promptu cupis: ut duarum inter ſe collatarum differentias elicias: multiplica denominatores, (ut ab Arithmetica docetur) per numeratores viciſſim. Ut vero compoſitiones: numeratores per numeratores, & denominatores per denominatores. Sic invenies in ſyſtemate noſtro proportiones in his numeris: duo ad unum: tria ad unum: quatuor ad unum: 3. ad 2. & 4. ad 3. & 9. ad 8. & 256. ad 243. & 81. ad 64. & 32. ad 27. & 27. ad 16. & 112. ad 81. & 2187. ad 2048.

* * * * *

Duo hic exhibentur Schemata, quibus auctor hujus Tractatus de Muſica ſui Syſtematis paradigmata proponit: plura alia deinceps etiam in eodem hoc Tractatu aliis in locis, quos aſteriſcis notavimus, exhibentur: Sed hæc a nobis prætermiſſa ſunt, cum lamellis, quibus iſta inſculpta ſint paradigmata, careamus; nova vero non ſine magnorum impendiorum ſumptu, ſculpi & excudi, minime neceſſarium arbitrati ſunt, qui a nobis conſulti fuere, rei Muſicæ periti, propterea, quod vel nunquam omnino, vel vix unquam eadem putaverint uſui eſſe futura; cum principiis auctor nitatur, nunc penitus obſoletis.

Habes in Schematibus his quinque tetrachorda, ſcilicet gravium, mediarum, conjunctarum, disjunctarum, & acutarum. Habes & tres deductiones aſperam, mollem, & naturalem. Quarum naturalis incipit a litera c, mollis a litera f, aſpera a g. Et in tribus hiſce literis ponuntur claves. Itaque ſingulis notis in linea vel in ſpacio poſitis, tot ſyllabas dabis, quot deductiones hexachordorum in eam concurrunt. Hinc compoſitio illa

illa manus, in qua pueros diu torquere ſolent Magiſtri: gamma ut, a re &c. Præſtaret profecto ſcalam hanc ubique depingere, non in digitis.

Dominante igitur in eo genere ſpacio toniæo, locum nullum habere potuerunt proportiones, ſeſquiquarta, ſeſquiquinta, ac reliquæ: quantumvis proxime accedant ad illas. Proxima namque eſt ditono ſeſquiquarta: & hemiditono, ſeſquiquinta: & ſextæ majori bipartiens tertias. Quo primum fit, ut cantantes aſcendant imprudentes. Vox enim frequenter in aſcendendo collimat ad ſeſquiquintam, & in deſcendendo ad ſeſquiquartam. Fit deinde, ut citharœdi ſæpe nervos male tendant imperiti. Aurem enim particulares proportiones potius delectant, quam ditonus & hemiditonus (differentiæ obſcuriores) quando ſeorſum & per ſe ſolæ audiuntur. Et differentiæ in vocibus acutioribus minus percipiuntur, quam in gravioribus: quanto majores fiunt partes chordæ ſonoræ in gravitate, quam acumine.

Hanc ob rem obſervanda media eſt inter omnes: idque præceptum ſit ſemel non modo cantoribus, ſed etiam (quod pauci norunt) organorum fabris. Nam, ſicut res habet, & veteres Philoſophi obſervarunt: humana vox bene temperata ſpatium xv. nervorum cantando non excedit. Adeoque intra primum & ultimum definitur: ut ſi ab infimo velis deſcendere, deficiat: ſi ſupra acutiſſimum aſcendere, tuſſis, vel gannitus erit. Tendemus ergo primum & ante omnes mediam. Non temere profecto: (hoc imperitorum eſt) ſed qui ſonum imitetur, ejus quæ in vocum humanarum xv. media, ſine flexu, & conatu omni prodit, & effertur. Unus hic nervus ſi diſſonet, omnes diſſonant. Hic duplo altior eſt, quam infimus: & item duplo gravior, quam ſupremus. Et ad utrumque conſonantiam reddit Diapaſon: id eſt, octavam. Vocatur a Græcis ΜΕΣΗ nobis eſt a la mi re. Reliqui ſua obtinuerunt olim nomina apud Græcos, ſicut propoſito ſchemate cernes. Nam Græci totum Syſtema in Tetrachorda quinque diviſere. Primum, quod graviſſimum eſt, dixerunt ὑπάτων, id eſt, principalium: ſecundum μέσων, id eſt, mediarum: tertium διεζευγμένων, id eſt, disjunctarum: ſupremum ὑπερβολαίων, id eſt, excellentium. Sed quintum ſupra mediam ſitum, συνημμένων, id eſt, conjunctarum, quia eadem MESE principium ejus eſt, & finis alterius, in deductione b mollis. Noſtri nunc Muſici pro tetrachordis hexachorda ſumunt. Et ſyllabis ſex inſcribunt: ut re mi fa ſol la. Author dicitur fuiſſe Guido quidam Monachus Aretinus: ſumptis primis ſyllabis hemiſtichiorum hymni illius:

Ut queant laxis Reſonare fibris,
Mira geſtorum, Famuli tuorum
Solvi polluti, Labii reatum.

Vocant autem ſyſtema hoc ſex chordarum, ſcalam deductionum trium. Et tria quidem ejus principia deſignant, quas claves vocant: C. F. G. id eſt, C fa ut: F fa ut: G ſol reut. Hoc præceptum ſi obſerves, in diſpoſitione literarum cujuscunque ſyſtematis non modo Pythagorici noſtri, quod humana voce concluſimus: ſed in immenſum poteris & aſcendere & deſcendere: literas diſponendo per ſuas deductiones aſperas, molles & naturales: ſicut idem Guido infra proslamvanomenon addidit Græcam literam Gamma: & ſupra Neten ultimam quatuor b, c, d, e. Anſelmus Georgius adhuc inferne addit octavam, & ſuperne aliam: ut proportio fieret, 16. ad 1. Potuiſſet quidem in infinitum etiam deſcendere, ſi chorda dari poſſent infinita.

Cæterum & ſi literæ omnes ſeptem dici claves poſſint: tamen duæ præſertim notari ſolent in libris. Et hæ quidem ſupra lineas, non inter lineas. Veluti, ſi infra mediam chordam canendum eſt, notatur linea f fa ut: ſi ſupra mediam, c ſol fa ut. Reliqua ex his facile intelliguntur in ſuis quæque lineis, vel ſpatiis.

Hactenus de nominibus & quantitatibus chordarum. Sed antequam de temporum dicamus, jubemus in vocibus referendis exerceri pueros ſic, ut primum diſcant, intonare octavas: deinde quintas, poſtea quartas: tum tonos & ſemitonia, ditonos & hemiditonos. Nec tam attendant aures ad ſyllabas ſcalæ, quam ad differentias ſonorum ejus, quorum tinnitus in aure relictus ſit. Hac nimirum exercitatione facilius reddent verba carminum cum ſuis ſonis, quam balatu illo ineptiſſimo cui aſſuevere, fa fa fa.

Ad temporum itaque proportiones exprimendas in ſyllabis, notulas quasdam excogitarunt Muſici non ita pridem, non nihil differentes a veruſtioribus. Has vocant longas, breves, ſemibreves, minimas, ſemiminimas, & fuſas multiplici ratione. Formæ notæ ſunt, vel ipſis pueris. Continet brevis tempus unum, (quod ſignum vocamus, Græci σημεῖον) & tactum unum. Quanquam ſi recte metiri carmina opus ſit, ſingulis pedibus ſub uno tactu duas partes dabimus: arſin & theſin. Sed notularum minima dicitur prolatio: nimirum ſyllabæ. Quia cum ſæpe metri ratio & harmoniæ plures verbi ſyllabas ſub uno ſigno proferri velit, ſicut & ſub pluribus ſignis & temporibus unam: unicuique nunc ſyllabæ tantum

temporis damus, quantum minima prolatio oſtendit. Ac deinceps per minores ſæpe una ſyllaba decurrit: ſæpe etiam diverſæ: non aliter, quam per minimas, temporum ratione imminuta. Porro autem in proportione notularum Muſici rationes poſuerunt perfecti, atque imperfecti: ut variari queat menſura ejusdem notulæ: & perfecti quidem rationem in ternario collocant: imperfecti in binario. Itaque ſi perfecto tempore canatur brevis hæc *, tribus ſemibrevibus æqualis erit: ſi imperfecto, duabus. Prolatio perfecta in ſemibrevi ponit tres minimas. Propter longas vero, perfectas vel imperfectas: dicunt modum. Ex quo modum perfectum initio cantilenæ notant numero ternario, imperfectum binario: tempus perfectum circulo, imperfectum ſemicirculo. Prolationem perfectam puncto in medio circuli vel ſemicirculi, imperfectam tracta linea transverſa.

Ponitur etiam numerus ternarius, ut tres minimas ſignet dandas uni menſuræ. Hoc genus rythmi vocant triplam: ſed improprie.

Ut autem e contrario uni ſyllabæ plures notæ accommodentur, aſcendentes vel deſcendentes, ſæpe plures notulæ quadrate connectuntur. Veteſti codices Eccleſiæ has ignorabant. Signabant autem connexas eaſdem voces ſinuoſis quibusdam lineolis ſuper verba & ſyllabas, non infæliciter. Fit autem ex ligatura, ut eædem notulæ mutent ſubinde quantitatem. Canones hujus præcepti erunt. Primus. Inter connexas, mediæ omnes ſunt breves. Secundus. Prima ſurſum caudata ſemibrevis eſt cum ſequenti: ſed deſcendente cauda, brevis. Tertius. Prima ſine cauda, cadente ſecunda, longa eſt: ſed aſcendente, brevis. Quartus. Ultimæ aliæ cadentes, longæ ſunt: & omnes, quæ dextro latere deſcendunt.

* * * * *

Pauſarum neceſſitatem natura docuit. Nam ſilentio definiri cantum, cogit reſpirandi viciſſitudo. Idcirco verſus omnis clauditur ſemipede. Quod reliquum pedis eſt, ſilentio completur. Ex hac lege, cum Divo Auguſtino, metiri diſces hexametrum duobus hemiſtichiis: ſcilicet dactylico, & anapæſtico, cum pauſis ſemipedum duorum:

Arma virumque cano: Trojæ, qui primus ab oris.

Idem & per tria potes, ſilendo tribus in locis. Ut:

Tempus erat: quo prima quies: mortalibus ægris.

Ubi autem ſine ſilentio metra continuantur, non ſane verſus erunt, ſed rythmus ſolum. Ut exemplum vides in hac lege pavanæ. Nam ſi locum ultimum voce repleas, rythmus eſt: ſi ſilentio, membrum: ex duobus membris verſus erit.

* * * * *

Quia ergo neceſſe eſt, aliquando reſumere ſpiritum ante finem: punctus ideo poni ſolet inter notas, quo temporis menſura ſeſquialtera detur præcedenti notæ. Alias enim ſine puncto hoc diviſionis, alteratur: & ſequens minima imperfectam reddit ſemibrevem præcedentem. Quæ rurſum ſi perfectæ prolationis erit: terna momenta continebit. Sic ergo, quæ tribus minimis erat æqualis, fit una minor. Pariter longiores a brevioribus omnibus minuuntur, niſi ſeparentur puncto aliquo. Indicium ſilentii ponitur in medio cantilenæ & in initio: brevis quidem junctis parallelis linea transverſa: ſemibrevis ex ſuperiore pendente perpendiculari: minima, ſtante. Color quoque quantitatem mutat notarum. Siquidem nigræ præcedentium tertiam partem adimunt, ſi perfectio ſignata eſt in cantu: ſin vero imperfectio, quartam. Niſi certe brevis cum ſemibrevi ponatur. Namque eo loci ſemibrevis æqualis erit minimæ. Vocant denique ſyncopen (id eſt, conciſionem) cum velut in animi deliquio, rythmus interrumpitur. Et mox redit ad quadratum numerum ſuum. Fit frequenter hæc in clauſulis, quando penultima minima invenitur inter duas breves. Sed magis proprie dicemus ſyncopen ſuſpirium. Res facilis eſt.

Supereſt, ut de ductu melopæjas loquamur. Sciant ergo Muſici, quatuor eſſe figuras in monodia. Prima Græcis dicta eſt μελοχή: Latinis copulatio. Sed vulgus nunc cantorum fugam nominat. Eſt autem plocc, vocum repetitio ſimilium aliquo modo parallela, hoc eſt, partium collatione æquali, vel ſimili, ſibi inter ſe reſpondentium. Et hæc quidem triplex inventa eſt: in rythmo, in ſyſtemate, & in ſyllaba ſeu verbo. Sed verborum repetitione omiſſa, quatuor modis fieri poteſt fuga. Primo, ſecundum rythmum tantum. Secundo, ſecundum harmoniæ ſpatium tantum: quando ſcilicet idem tonorum atque hemitoniorum ordo recurrit. Tertio, ſecundum harmoniæ non idem, ſed ſimile ſpatium tantum: quando, inquam, æquale vocum ſyſtema eſt, & ordo Syllabarum vel ſignorum idem, ſed non idem ordo tonorum, atque ſemitoniorum. Quarto fit, quando rythmus idem eſt, & ſpatium harmoniæ ſimilis, non ejusdem. Ergo in monodia-

Digitized by Google

nodia repetitio juvat. Sed quoniam in re muſica varietas prima eſt, quæ in ſimilitudine delectat; quæ vero ſine varietate & ſine modo aliquo novo atque inexpectato continuantur, ſatietatem pariunt: repeti licebit frequenter idem prorſus vocum ſyſtema: ſed utique ex uno loco transpolitum in alium, ne idem omnino canamus, ſed aliud: & una cum ſimilitudine, diſſimilitudo agnoſcatur. Exemplum ſume in hoc choriambo: SANCTIFICA.

* * * * *

Sunt aliæ tres figuræ melopæjas: τονὴ, ἀγωγὴ, & πύκνωσις. Et tone quidem, tanquam figura plana, quadrataque, ac parallela; in diverſorum locorum ſpatiis æqualibus, voces easdem repetit: Agoge autem conſequentes ſe ſigillatim colligit: Pettia, omiſſas inter alias ſaltim. Sed in omni opere optanda facilitas eſt: non peritis & exercitatis tantum, ſed etiam rudibus. Nam ut in aliis rebus multa concedat natura: in concentu, vel minimum faſtidit errorem. Nec ſatis eſt (inquit Horatius) docta eſſe poemata, dulcia, ſunto.

Reſtat jam de tonis agere. Doctrina multum neceſſaria pſallentibus. Græci tropos vocant: nos nunc tonos, id eſt, intentiones. Nominum differentia hinc facta eſt, quod antiqui ad vocis flexus varios reſpectabant: noſtri vero ad principalis & dominantis in quoque modo vocis tenorem. Et primum dixerunt, in quo præcipua ſyſtematis chorda (quæ media dicitur) frequentius ſonat: non ab ordine earum, quæ ſunt in ſyſtemate. Antiqui autem modos ex conſonantiarum ſpatiis differentibus definierunt. Quare ſi ſpecies omnes Diapaſon & diapente, ac diateſſaron, excutias: plures invenies tonos, quam qui vulgo traduntur, octo tantum. Nec in iſtis quidem octo totum aliquod ſyſtema compleri videas Diapaſon. In Disdiapaſon duodecim diſtinxit Franquinus. Totidem numerat Glareanus. Nec plures invenit Zarlinus. Porro hi omnes in authentos & plagios diſtincti ſunt. Illi principales habentur, hi collaterales principalium. Conſiſtitque differentia in hoc, quod authenti dividuntur chorda ſua media harmonice: nimirum poſita diapente in parte inferiori: plagios autem media chorda dividit arithmetice; poſita inferne diateſſaron. Hæc omnia in ſchemate ipſo cernas facillime. Primus vocatur Dorius. Secundus, qui huic collateralis eſt, Hypodorius. Tertius, Phrygius. Quartus, Hypophrygius: ſub phrygio ſcilicet. Quintus, Lydius. Sextus, Hypolydius. Quam non nihil hic differat Glareanus. Sed parum refert. Septimus ſit, ſi lubet, Jaſtius, vel Jonius. Octavus, Hypojaſtius. Adde nonum, quem nos octavum irregularem dicimus: eum ſcilicet, qui continetur inter a, & a diapaſon, diviſus harmonice. Ea namque ratione differt ab hypodoria conſtitutione: & vocetur, ſi lubet, Æolius. Sub hoc erit Hypoæolius, in ſyſtemate lydio diviſo, tamen arithmetice. Præterea quem nos quartum irregularem nominamus, is mihi vere mixolydius eſt. Symbolizat enim cum lydio in tetrachordo conjunctarum. Si adhuc addas hypermixolydium: complebitur numerus troporum duodenarius. Primus ergo continetur in ſyſtemate D. d. cujus media eſt, quæ totius Disdiapaſon, Meſe: vulgo A la mi re. Ideo & primus omnium & laudatiſſimus cantus Dorius. Nam media ejus, quam frequentius cæteris percutit, vocem refert humanam illam mediam, quæ ſine conatu prodit, & ubique dominatur. Secundus inter A & a continetur, media D: in quam deſinunt natura ſua hi duo modi. Ac merito proximus hic primo eſt propter a & D mediarum conſonantiam inter ſe diapente. De reliquis pari modo judica, aſcendendo gradatim per claves, ſeu chordas totius ſyſtematis in authentis: & dando ſingulis ſuos plagios inferne ad Quartam.

Sed regulas Cantorum accipe: Pri. re. la: Sec. re fa: Tert. mi fa: Quart. mi la: Quint. fa fa: Sext. fa la: Sept. ut ſol: Ogdoes, ut fa. Senſus eſt. Primi toni antiphona deſinit in re (hoc eſt, in D ſol re) & ultimum Pſalmi metrum incipit ab a la mi re. Secundi toni antiphona deſinit in eadem D ſol re. Sed ultimum Pſalmi metrum incipit in f fa ut. Ac ita de aliis interpretare. Initia autem, quamquam varia ſunt: tamen in Eccleſia noſtra Primus & Sextus inchoant, fa ſol la. Secundus, Tertius, & Octavus, ut re fa. Quartus, la ſol la. Quintus, ut mi ſol. Septimus, fa mi fa ſol. Quod ſi in verſu metrum interponatur, mediationem voca. Quæ varie etiam fit. Nam in Primo, Sexto, Septimo, per hemiditonum hunc fit: fa mi re mi. In Secundo, Quinto, & Octavo, per tonum: fa ſol fa. In tertio, per Quartam & tertiam minorem: ſol fa re fa. In quarto tonus eſt: ſol la ſol. Fines autem maxime variant. Sed metrum omne hujusmodi ultimum ſex ſyllabis definierunt. In hac ſyzygia pedum ultima exponentes Sæculorum, amen. ut paucioribus literis eas ſignent, ſolas vocales uſurpare ſolent: Euouae. Quamvis certe non omnes metrorum clauſulæ ſex finiantur ſemipedibus: & ſi ſex ſyllabis his contractis, productisque in fine verſus fiat ſemper ultima ſy-

ſyzygia Pſalmorum, pro cantus genere. Quocirca attendito in omni conjugatione ultima metri cujuscunque ad accentum acutum, qui ante ultimum occurrit. Nam ab eo inchoatur ſemper catalexis. Quare ſi breves, vel alioqui pro brevibus aliæ ſyllabæ interponantur plures, quam tres ab illo accentu: prolatione minuantur: & ſub uno tempore proferantur plures. Exemplum accipe facile in clauſula Epiſtolæ in Eccleſia Cathedrali: Hic integre proferentur Quatuor ſyllabæ eæ, Ad Romanos. Sed Quinque eæ, Ad Corinthios, penultimam brevem jungunt cum antepenultima, propter ea, quod ultima aſcendit. Sed in rythmo ſequenti jungitur. Nam ſi deſcenderet, quæ ſequitur, tunc brevis jungeretur utroque modo ſequenti. Ad Philippenſes: tertia a fine dividitur. Deuteronomi: ſecunda & tertia. Ad Titum, & ad Galatas: primæ dabis tria tempora, ſeu notas breves, una ſeparata, ut finis quadratus compleatur. Simili uteris ratione in cantu Pſalmorum. Brevem ſyllabam, quæ penultima fuerit, junges ultimæ non aſcendenti: & quæ inter ultimum accentum & penultimum invenientur, uno tempore metieris. Ultima demum acuta, varitonam amittit notam finalem. ut: Qui abduxerunt nos.

* * * * *

Sequuntur ſingulorum Tonorum formæ, quibus canuntur Pſalmi in Eccleſia Biſuntina: appoſitis numeris in ſuis cujusque metris differentibus: ut qui in Breviario notati fuerint, facile invemiantur.

* * * * *

Sed ne qua in re deſideres noſtram operam: de contrapuncto aliquid accipe. Vocant alii diſcantum. Hæc eſt plurium vocum differentium mixta harmonia. Præcepta erunt hæc. Primum: Initium carminis & finis poni debent in conſonantia perfecta, vel uniſono. In fuga tamen celeri admittuntur concinna: id eſt, tertiæ, ſextæ, decimæ. Secundum: Duæ conſonantiæ perfectæ nunquam ſe conſequantur aſcendendo vel deſcendendo ſimul. Concinnitates autem ſuaviter aſcendunt & deſcendunt ſimul: propterea, quod ſpatia earum variantur ex majoribus in minora, & contra. Tertium: Sic inclinet, ut voces diverſis motibus contrariisque (quantum fieri poteſt) progredientes, tandem perfectis conſonantiis conjungantur: & alicujus toni finem referant. In rythmo autem continuo clauſulam fugies: ut fiat, quam vocant muſicam reſervatam. Quartum: Mutationes generum, ut ex diatonico in chromaticum, ſeu ex tetrachordo disjuncto in conjunctum & contra, ſuaves ſunt: etiam in monodia. Siquidem mutationes, quas b molle vocant, ſi loco ſuo fiant; non ſinunt torpere auditorem, ſed ad attendendum ſoni novitate excitant. Ut in hoc choriambo; tam quieſcendo, quam procedendo.

* * * * *

Juvat enim audiſſe ditoni additionem poſt hemiditonum, ut ad conſonantiam perveniretur: perinde ac ſi diviſeris diapaſon, per hemiditonum, & ditonum (in quibus eſt diapente) & diateſſaron. Quintum: Fugiendæ igitur ſecundæ, ſeptimæ, nonæ & ſimiles. Quanquam in fuſis notulis celeritas diſſonantiam excuſat: dum modo prior ſemipedis pars non diſſonet. Sextum: Quarta ſola diſſonat. Ideo vel quinta ei ſupponatur, vel tertia. Et ſextam, ſi ſub tenorem eſſe contingat, ſequatur illico octava.

DE MINISTRIS JUSTITIÆ.

Eccleſiæ jurisdictionem & authoritatem condendi leges, & puniendi inobedientem, hæretici tantum negant. Id autem faciunt, ut obedientiæ ejus excuſſo timore, vitiis omnibus laxare poſſint habenas. Sciunt enim ſæcularem poteſtatem non ſolere, niſi in ea animadvertere, quæ palam perturbant ſtatum Reipub. ac ſocietatem: quæ Deo tantum teſte fiunt, Deo vindici relinquunt. Sed invitis hæreticis, Verbum Dei manebit in æternum: & libertate conſcientiarum, quam ſæpe invocant ſcelerati homines, inimici crucis Chriſti, nunquam fruentur. Poteſtas hæc Eccleſiæ verbo Dei nititur: contra quod portæ inferi non prævalebunt. Qui vos ſpernit, inquit Chriſtus, me ſpernit: & qui me ſpernit, ſpernit eum, qui miſit me. [a] Et alibi: Si Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus. Et Paulus [b]: Itaque qui hæc ſpernit, non hominem ſpernit. Epiſcopi & Prælati poſiti ſunt a Deo regere Eccleſiam ſuam, ut loquitur Petrus Apoſt. Act. 20. Si regere; ergo

(a) Joan. 13. Luc. 10. Matt. 18.

(b) 1. Theſſ. 4.

Digitized by Google

ergo jubere poſſunt, & eis obedire oportet: & qui obedire noluerit, nonne puniendus erit? Si puniendus, ergo Judex Eccleſiaſticus poteſtatem habeat oportet puniendi. Noli quærere fieri Judex (inquit (*c*) Salomon) niſi poteſtatem habeas infringendi injuriam. Petrus Apoſt. annon morte multavit Ananiam (*d*) & Saphiram? Qua de cauſa? Quia fraudaverant de pretio agri. Et ſi Eccleſiæ quis debeat decimas, vel aliud quid, non puniri poterit ſaltem excommunicatione is, qui decimas negat? Paulus (*e*) fornicatorem tradidit Satanæ: Hymenemque & Alexandrum blaſphemos; (*f*) & nobis non licebit ſaltem ab Eccleſia expellere ſceleratos Eccleſiæ hoſtes? An poteſtas aliqua, vel authoritas pœnæ erat in Apoſtolo, quando ſcribebat [*g*] Corinthiis: Vultis in virga veniam ad vos? Omitto, quod in lege veteri nulli fuit impune contra Sacerdotum dignitatem egiſſe. Exemplo ſunt Dathan, Abiron, Chore, Ozias, Saul, &c. (*b*) Neque aliunde hæreſes obortæ ſunt; aut nata ſunt ſchiſmata, (inquit (*i*) D. Cyprianus) niſi inde, quod Sacerdotibus Dei non obtemperatur, nec unus in Eccleſia ad tempus Sacerdos & Judex vice Chriſti judicatur. At, inquiunt, hæretici, Chriſtus prohibuit judicia ſæcularia. Principes gentium, inquit, dominantur eorum, &c. Et Clemens a Petro didiciſſe ſe, ait, ne Judex fieret aut cognitor de pecuniis. Sed videant, quid idem Clemens in libro magis ab eis probato dicat de Conſt. Apoſt. l. 2. c. 4. & 5. Pulchra laus, inquit, eſt Chriſtiani hominis cum nemine litigare: ſin autem factum fuerit, ut incidat ei lis, det operam ut dirimatur, & ne adeat ad Judicem gentium. Imo ne patiamini, ut ſæculares Magiſtratus de cauſis veſtris judicent. Et in eadem Epiſtola: Si qui ex fratribus negotia habent inter ſe, apud cognitores ſæculi ne judicentur, ſed apud Presbyteros Eccleſiæ. Idem: Aſſiſtant judicio Diaconi & Presbyteri: & date operam, ut antequam Epiſcopus provideat, fiant amici. Idem fere Anacletus, epiſt. 1. ſed optime extr. De foro comp. c. Novit. Ut in peccato ad mortem non maneat frater, licet Epiſcopo de ſæcularibus cauſis cognoſcere. Sed actor laicus, ſi dolo vel malicia, relicto ſuo foro, adeat Eccleſiaſticum, rejiciatur. Finis ergo judicii Eccleſiaſtici eſt, ut litigantes reconcilientur, & ne quis maneat in peccato. Nam ex peccatis impiorum oriuntur lites. Proverb. 28.

Sciant autem omnes, qui jurisdictionem exercent, non de omnibus habere ſe poteſtatem abſolvendi, de quibus judicant. Nam & Epiſcopus de hæreſi inquirit, & de Simonia, & de irregularitate, & de criminibus multis, & reos condemnat, & obſtinatos brachio tradit ſæculari: non tamen abſolvere eosdem poteſt Ordinaria authoritate. Sic Archi-Diaconi, Decani, Præpoſiti, & alii Judices, in criminoſos inquirunt, ſæpe ſuæ jurisdictionis contumaces excommunicant, & abſolvunt: ſed graviorum exceſſuum abſolutione reſervata ad Epiſcopum, ipſis inferioribus Judicibus interdicta.

Cum ſit ergo res adeo ſeria, videant, quid agant Judices Eccleſiaſtici. Vicarii, Officiales, Procuratores, Decani, Scribæ, Advocati, cæterique Officiarii noſtri, ſe Dei Miniſtros eſſe arbitrentur, non mammonæ: electos ad animadvertendum in diſcholos, & Eccleſiæ rebelles: favendumque ſimplicibus & piis. Caveant ſibi a muneribus, non minus, quam a gravi peſte: ne corrumpantur. Siquidem munera excæcant etiam prudentes, & ſubvertunt verba juſtorum. Exod. 23.

STATUTUM I.

JUdices omnes tam noſtri, quam delegati obſervabunt diligenter Cap. XX. Seſſ. XXIV. & Cap. X. Seſſ. XXV. Sacri Concilii Tridentini, ut legitime in judicio, & breviter procedatur: & litigatorum artibus, ſeu in litis conteſtatione, ſeu alia parte judicii differenda, modis omnibus, aut termini præfixione, aut competenti alia ratione occurratur.

II.

Nemini ſuffragentur (*k*) literæ conſervatoriæ cum quibuscunque clauſulis, aut decretis, ad hoc, ut coram ſuo Epiſcopo, ſive alio Superiore ordinario in criminalibus & mixtis cauſis accuſari & conveniri, ac contra eum inquiri & procedi non poſſit: aut quo minus, ſi qua jura ei ex ceſſione competierint, ſuper illis libere valeat apud Judicem ordinarium conveniri. In civilibus etiam cauſis, ſi ipſe actor exiterit, neminem licet ei apud ſuos conſervatores trahere. Nec ultra quinquennium quis ſimilium literarum bene-

(*c*) Eccle. 7. (*d*) Acto. 5. (*e*) 1. Cor. 1. (*f*) 1. Tim. 1.
(*g*) 1. Cor. 4. (*b*) Num. 16. 2. Para. 26. 1. Reg. 13. (*i*) Cypr. lib. 1. epiſt. 3.
(*k*) Conc. Trident. Seſſ. 4. cap. 5.

Digitized by Google

beneficio gaudeat. Prohibetur insuper ipsis conservatoribus Judicibus habere tribunal aliquod erectum. Universitas tamen & Collegia Doctorum, seu Scholarium, & regularia loca, nec non Hospitalia actu hospilitatem servantia ab hoc Canone eximuntur.

III.

Authoritate Sacrosancti Concilii Trident. excommunicantur, maledicuntur, & anathematizantur omnes cujuscunque ordinis, gradus, dignitatis, tam Ecclesiasticæ, quam sæcularis: qui Ecclesiasticam jurisdictionem vi vel metu, tollere vel impedire præsumunt.

IV.

Ne remedio appellationis, quod ad innocentiæ præsidium institutum est, ad iniquitatis defensionem abutantur improbi: statuit Sancta Synodus (*l*), ut in causis visitationis, correctionis, inhabilitatis, nec non criminalibus ab Episcopo, seu ejus Vicario, ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio quocunque gravamine non appelletur: nec appellationi deferatur, nisi gravamen ipsum per definitivam reparari, vel a definitiva appellari non possit.

V.

Ordinarii authoritate Sedis Apostolicæ, & ab ea jus & potestatem habentes, etiam tanquam Sedis Apostolicæ delegati Ecclesias omnes, Hospitalia, pia loca, etiam Abbatias & Prioratus, in quibus non viget regularis observantia, visitent, ordinando in illis, moderando, puniendo, & exequendo, juxta Canonum Sanctiones, quæcunque duxerint salutaria. Nec in his, ubi de visitatione & morum correctione agitur, exemptio, aut ulla inhibitio, appellatio, seu querela, exequutionem impediat aut suspendat: salvis cuique suis juribus. (*m*)

STATUTA de MANDATIS exequendis.

AD exercendam jurisdictionem Ecclesiasticam, & jus cuique reddendum: Statuta Curiæ Bisunt. & Officialatus, a bonæ memoriæ D. D. Antonio de Vergeyo, Francisco Buslaidio, Carolo de novo Castro, & aliis quondam Archi-Episcopis Bisunt. Prædecessoribus nostris edita, volumus observari.

Mandata Curiæ nostræ Bisunt. continent vel monitionem, vel citationem, vel districtionem, vel informationem, vel solam notificationem faciendam. Et monitionem quidem plerumque habent sub pœna aliqua: veluti excommunicationis, suspensionis, privationis, mulctæ pecuniariæ. Nec tamen incurritur omnis ea pœna statim: nisi dicatur incurrenda ipso facto.

Citatio autem vocatio est juridica, rei ad judicium. Quæ cum de jure inventa sit naturali, omitti per Principem non debet. Adam ubi es? Quicunque igitur litigare volet, ante omnia citabit adversarium suum: idque non modo in primo actu, sed & in singulis. Clem. Pastoralis. de re jud.

Fieri citatio potest viva voce Judicis pro tribunali sedentis. Jubet quoque viva voce Judex nuncio, seu viatori, ut citet, absque literis: sæpius tamen in Curia nostra per literas citamus. Quæ commissionem continent Judicis: de citando, nomen citantis, & citati: diemque & tempus, cum hoc verbo: Peremptorie comparendi. Alias non valet citatio. Sed hæc ordinarii Judicis citatio est. Nam delegati, & extraordinarii, non solum actoris nomen, & rei: sed etiam Judicis, & causæ, & loci, & temporis, & horæ: quoniam ordinariorum Judicum nota sunt omnibus tribunalia, & judicii horæ certæ: non extraordinariorum. Per tex. cap. Cum parati. de Appell. Nec de stylo hactenus Curiæ nostræ fuit, ut causa exprimeretur, vel articulus, ad quem quis citatur: propterea, quod in ordinario citante semper præsumitur causa: modo fiat ad instantiam alicujus: præter quam in casu præventionis judicii seu tribunalis. Hic enim causa exprimenda est: quod libellare citationem dicimus vulgo.

Regulariter quoque citatio tribus edictis fit: & tertium est peremptorium, etiam si non exprimatur verbum peremptorie, ut not. in Sum. 5. q. 2. Potest tamen ex causa unicum edictum sufficere peremptorium: sed quod contineat competentia interstitia: saltem trium temporum intervalla sufficientia, pro Judicis arbitrio: c. Cum ex literis. de in integ. rest.

Distri-

(*l*) Sess. 13. c. 1. (*m*) Sess. 7. c. 8. & 24. c. 3. & 25. c. 8.

Digitized by Google

Diſtrictio, realis citatio dicitur. Hac rapitur reus invitus ad judicium, per capturam (ut dicitur) perſonæ. In cauſis civilibus non procedit, niſi præcedente Judicis commiſſione: veluti cum reus per ſententiam diffinitivam condemnatus eſt. Poteſt enim pro ſententiæ executione capi: ſervato tamen juris ordine, & legis a D. Pio, §. In venditione, ff. De re judicata. Alias non licet incipere a captura perſonæ ſecundum gloſſ. & Bart. in l. 3. §. Tutor. ff. De ſuſp. tut. & alios. Sed ſi debitor ſit ſuſpectus de fuga: diſtrictio perſonæ fieri poteſt, etiam propria authoritate per privatum ſine commiſſione ſpeciali Judicis. l. Ait prætor. ff. Quæ in frau. cred. In criminalibus vero, ſine correctoriis, Judex ea uti poteſt: etiam edictis tribus omiſſis: ſecundum Bal. in l. Plerique. ff. De in jus vocan.

Ad hoc autem, ut quis vere citatus dici poſſit, tria conſideranda ſunt, unum ex parte Judicis mandatum decernentis, ſcilicet commiſſio: & duo ex parte nuncii, nempe executio mandati, & relatio executionis factæ. Alias citatio non valet. Bal. in l. fin. C. De feriis. & Fel. in c. Gratum. de off. delegati.

Concurrentibus ergo prædictis tribus: ſi reus tribus edictis citatus, nec in primo citationis termino comparuerit: reputabitur contumax ad hoc, ut teneatur actori comparenti ad expenſas. Non tamen ut excommunicatio debeat ferri in eum, vel miſſio fieri. c. Querelam. de procur. ſper. tit. De expenſ. §. Juxta. c. ult. De dolo & contu. Niſi ad primam citationem aperte declaraverit nolle comparere. Tunc enim ob notoriam contumaciam excommunicari poteſt.

Quod ſi ex cauſa citatio ſit unica peremptoria, licet tres contineat terminos: ſufficit, ut in uno termino compareat: nec reputabitur contumax, niſi poſt ultimum terminum non compareat: præſertim ſi apprehenſus fuit perſonaliter, & citatus. Tunc enim vere contumax erit, & præſumptive. Spec. titu. De cita. §. Viſo. c. Ex literis. de exceſſ. Prælatorum.

Informationis mandatum committit aliquem fide dignum ad inquirendum de perſona, vel de facto, de re, de loco, de tempore, de modo, de materia, de cauſa, de occaſione: idque vel palam, vel ſecrete, productis, juratisque teſtibus vel ſecus.

Notificationem ſolam ſæpe faciunt Curati mandatorum Superioris: quorum executioni opus non eſt relatione. Veluti ut denuncient populo Indulgentias, vel feſtum, vel proceſſiones, &c.

STATUTUM I.

CUrati, ſeu eorum Vicarii diligenter & prompte exequantur mandata Cameræ noſtræ, & Curiæ noſtræ Biſunt. Nec notificent parti contra quam fiet executio, donec portitor, ſeu nuntius mandatorum longam fecerit viam: id eſt, donec procul jam receſſerit a loco, ne is male tractetur. Si vero dicti Curati, aut eorum Vicarii præſentem ordinationem non obſervaverint, reſtituent omne damnum, & intereſſe partis læſæ: & Fiſco noſtro rationem diſtrictam reddent pro ſua inobedientia.

II.

Curati, & Decani nullos recipiant pro Procuratoribus Cameræ, aut Curiæ noſtræ: Nec eos permittant citare aliquos verbo aut viva voce: niſi ipſis conſtet per Literas noſtras patentes, quod a Nobis habeant hoc officium, & hanc facultatem. Idem quoque ſtatuimus & ordinamus de iis, qui ſe dicunt Subſtitutos & Scribas cauſarum Procuratorum noſtrorum: & omnino eis non credatur, niſi fides fiat de commiſſione ipſorum, ſed Nobis, aut Vicario, ſeu Officiali noſtro volumus illico nomina talium abuſorum in ſcriptis denuntiari & intimari.

III.

Curati, ſeu eorum Vicarii exequentes mandata noſtra a tergo ipſorum, ſcribant nomen officii ſui ſic: Executum eſt præſens mandatum per me talem Curatum (vel Vicarium) talis Eccleſiæ, in prono, vel ad perſonam ipſius: vel in domicilio ejus, ad perſonam uxoris, vel talis famuli: (ſi perſona non poteſt apprehendi) quia illum reperire non potui: aut quia ad eum mihi tutus non patebat acceſſus: teſte ſigno meo manuali, tali die, & anno tali. Et ſignet ſuo ſigno manuali, nomen ſuum & cognomen ſcribendo. Si vero talis Executor non ſit Curatus, vel Vicarius, ſcribet nomen ſuum & cognomen, & ſignabit ut ſupra.

d by Google

IV.

Curati, ſeu eorum Vicarii duos habeant libros papyri albæ ſibi paratos, & bene ſervatos ſub clave: in quorum altero nomina baptizatorum ſcribant: in altero regiſtrent fideliter nomina excommunicatorum, diem executionis, perſonam, ad cujus inſtantiam, & cauſam, propter quam facta eſt excommunicatio. Sic ſcribendo: Excommunicatus eſt talis pro tali ſumma, vel pro contumacia, vel tali re, ad inſtantiam talis, die tali, anno tali. Et ſimiliter fiat de abſolutione vel relaxatione.

V.

Quas quidem abſolutiones vel relaxationes cum conſenſibus, diligenter & ſtudioſe cuſtodiant, nec recipiant conſenſus aliquorum, qui ſe fortes faciunt pro creditoribus abſentibus: niſi ſint eorum Procuratores ſufficientes, vel negociorum geſtores, & quod in conſenſibus hujusmodi ponantur ſaltem duo teſtes. Alias tales conſenſus irritos decernimus & nullius roboris.

VI.

Curati, ſeu Vicarii non exequantur literas citatorias (a quibuscunque Judicibus emanaverint) ad citandum extra noſtram Dioiceſin, vel ad excommunicandum illos, quos Judices hujusmodi contumaces reputaverint: niſi ipſis conſtet de literis noſtris de Placet, ſeu Vicarii noſtri Generalis, aut Officialis.

VII.

Curati, ſeu eorum Vicarii, quibus ſemel præſentabuntur literæ excommunicatoriæ pro altera parte, de eadem data, neutras illarum exequantur, ſed remittant partes coram Officiali noſtro, aſſignando eis certum diem competentem, ad recipiendum appunctamentum juridicum ſuper dictis literis.

VIII.

Curati, ſeu eorum Vicarii, cum receperint tertiam monitionem exequendam contra aliquem excommunicatum, moneant Dominos temporales dicti excommunicati, aut ſuos officiarios illius loci, in quo habitat talis excommunicatus, ut illum compellant ſatisfacere ſuo creditori, per captionem bonorum ejus, & perſonæ, ſecundum formam dictæ monitionis. Et de hujusmodi executione ad perſonam Dominorum, aut ſuorum Officiariorum, fiat expreſſa mentio in certificatione, ſeu executione, a tergo dictæ monitionis: ne ipſi habeant occaſionem excuſandi ſe, neque occaſionem conquerendi, quando ceſſus a Divinis apponetur.

IX.

Curati, ſeu Vicarii habitantes in caſtris, aut locis, ad quos non eſt acceſſus, exhibeant ſe in publicum circa horam primam circa meridiem, & circa horam veſperorum, ut mandata noſtra exequantur.

X.

Ad hæc quarundam vicinarum Dioiceſium laudabilem conſuetudinem commendantes, ut ab expeditionibus, quæ ſunt alicujus momenti, omnis ſuſpicio tollatur cum falſitatis, tum ſurreptionis: Statuimus & ordinamus, quod poſthac in omnibus hujusmodi inſtrumentis, quæ ſpeciale mandatum noſtrum, vel Vicariorum noſtrorum requirunt, nomen ſcribatur ipſius mandantis. Veluti, ſi a Nobis procedant, Claudius a Bauma, &c. Si a Vicario noſtro Generali, Antonius Lullus, Vicarius Generalis, &c. Si ab Officiali, hoc modo: Nos Joannes Renard, Juris Utriuſque Doctor, Officialis, &c. In literis quoque Ordinum, quos celebraverit Reverendus Pater Suffraganeus noſter, ſic dicetur: Noc Nicolaus Guerin, Epiſcopus Alexienſis, Suffraganeus, &c. Si vero alius non Suffraganeus noſter fuerit, dicetur hoc modo: Claudius a Bauma, &c. vel: Vicarius Generalis, &c. Notum facimus univerſis, quod Reverendus Pater Franciſcus Henricus, Epiſcopus Damaſci, de licentia noſtra Sacros generales Ordines celebrans, &c. Quod ſi in principio dictarum expeditionum noſtrarum, vel Vicarii noſtri, aut Officialis nomen proprium poſitum non fuerit, tunc volumus, ut manu propria ipſius mandantis ſubſcribantur: alias cum ſuo periculo obtinebuntur.

De

DE SENTENTIA EXcommunicationis.

OPeræ pretium erit jam paucis cum Dei gratia, exponere, quid ſit excommunicatio, & quotuplex ſit: & quid differat ab anathemate, irregularitate, ſuſpenſione & interdicto.

Articulus Fidei eſt, quem confitemur, CREDO unam Sanctam Eccleſiam Catholicam, Sanctorum communionem. Licet enim multæ ſint Eccleſiæ particulares, ut erant ſeptem in Aſia: tamen una eſt Univerſalis, ſeu Catholica collectio fidelium in fidei & Sacramentorum communione. Poteſt quidem vox iſta: Sanctorum, in genere neutro ſumi, pro: rerum Sanctarum. Ut ſicut Act. 1. dicitur: Omnes, qui credebant, erant pariter, & habebant omnia communia: ſic in Eccleſia Chriſti bona omnia ſpiritualia omnibus communia ſint, ut nemo ſuum quid eſſe ſolius dicat: Qualia ſunt dona Dei, Paſſio, Redemptio, Sacramenta, Evangelium, Promiſſio, Templa, Sacrificia, Miniſtri, & reliqua, quæ nobis Crux Chriſti beatiſſima produxit. Hi ſunt fructus ligni vitæ, a quibus ingrati Chriſtiani arcentur per excommunicationem, ſicut primi parentes a paradiſo voluptatis prohibiti ſunt per flammeum gladium atque verſatilem, Cherubin. In hanc ſententiam hortatur Apoſtolus, Eph. 4. Soliciti ſervare unitatem Spiritus, in vinculo pacis: unum corpus, unus ſpiritus, una fides, ſicut vocati eſtis in una ſpe vocationis veſtræ: unum Baptiſma; unus Deus & Pater omnium, qui eſt ſuper omnia, & per omnia, & in omnibus nobis. Poteſt & Sanctorum, perſonarum ſanctarum eſſe, quæ in una communione & ſocietate degunt: qualis in corporis noſtri membris reperitur, de qua idem Apoſtolus, 1. Cor. 12. Quia in commune omnia membra agunt, & ſe invicem juvant. Nam ſi patitur unum membrum, alia compatiuntur: unde mos eſt in Eccleſia, ut orationes fiant in communi. Sed utroque modo ſumpta idem ſignificat, & eodem ſpectat. Unio, ſeu unitas Eccleſiæ in tribus conſideratur: ut facile eſt colligere ex vetuſtiſſimo Tertulliano in Apolog. C. 39. Primo in communione virtutum Fidei, ſpei, & charitatis: deinde in communione Sacramentorum & orationis: tertio in convictu, ſeu conſuetudine humana. Qui in aliquo iſtorum non communicat in Eccleſia, re ipſa excommunicatus eſt, & licet nullius Prælati Eccleſiæ ſententia ejiciatur; veluti hæreticus, extra communionem eſt Eccleſiæ, & ſuo ipſius judicio condemnatus, id eſt, excommunicatus. Qui non communicat in fide, deſperans de miſericordia & merito Chriſti, excommunicatus eſt: (hoc eſt, extra communionem) quia non communicat in ſpe cum Eccleſia Catholica, ut Judas, qui ſe ipſum condemnavit. Peccatores, qui Dei & proximi charitatem abjecerunt, licet in fide communicent, & propter hoc tanquam membra mortua adhuc in corpore hæreant Eccleſiæ & Chriſti: tamen extra communionem ſunt gratiæ Spiritus Sancti, quæ influit a capite Chriſto in membra Eccleſiæ non mortua, nec a corpore ejus ſeparata. Diſcedite a me, inquit, omnes, qui operamini iniquitatem. Alia eſt communio in Sacramentis Eccleſiæ, & orationibus, de qua dicitur, quod erant diſcipuli perſeverantes in doctrina Apoſtolorum, & communicatione fractionis panis, & orationibus. Ab hac communione etiam ſeparati ſunt ſchiſmatici, & omnes illi, qui aliis Sacramentis uruntur, quam Eccleſia, & qui vera Sacramentorum & neceſſaria ſuſceptione abſtinent ſine juſta cauſa. Tertia eſt in conſuetudine, convictu & commercio, ſeu negotiis humanis: a qua omnes perturbatores pacis publicæ re ipſa & a ſe ipſis ſeparati ſunt. Per ſententiam quoque Judicis & Eccleſiæ, ſeparantur: ſicut Apoſtolus jubet, cum fratribus fornicariis ne cibum quidem ſumere.

Ex his patet quotuplex ſit excommunicatio. Verbum namque iſtud excommunicationis, licet apud Sanctos Doctores antiquos reperiatur: tamen frequentius invenitur cum periphraſi: velut non communicare, removeri a communione, privari communione, rejici a communione, ſuſpendi a communione, & ſimilibus. Et quia maxime apparebat communis Fidei profeſſio Chriſtianorum in Sacramenti Euchariſtiæ perceptione: idcirco Patres Sacramentum hoc communionem appellarunt merito, & Græce etiam (ut ſupra diximus) ſynaxin: quaſi coadunationem, ſeu congregationem. Separationem quoque ab hoc, & aliis Sacramentis excommunicationem dixere: quæ prima eſt ſignificatio hujus vocabuli. Deinde excommunicati dicti ſunt, quorum convictu & commercio interdicitur fidelibus. Tertio hi, pro quibus etiam in particulari, Eccleſia prohibet orare. Orare, inquam, publice. Nam privatim licet: & generaliter pro hæreticis & ſchiſmaticis orat Eccleſia publice in Paraſceve. Nec ii, qui in Dei gratia ſunt, licet per errorem, aut injuſte excommunicati ſint, ſuffragiis Eccleſiæ omnino excluſi ſunt. Siquidem juſti communicantes in fide & charitate, participes ſunt orationum Sanctorum: ut Propheta teſtatur: Particeps ego ſum omnium timentium te, & cuſtodientium mandata tua: ita ut non ſolum vivi, ſed etiam defuncti fructum capiant orationum

num noſtrarum, & nos ipſorum omnium, qui in corpore Chriſti permanent, (tam in Eccleſia militante, quam in illa triumphante) atque etiam eorum, qui cum ſpe certa ſuæ beatitudinis, juſto Dei judicio peccatorum ſuorum pœnas pendunt in purgatorio, quas in hac vita non perſolverint: ob eamque cauſam in Miſſa (tanquam præcipuo communionis Sacramento) memoriam facit Eccleſia Sanctorum, per hæc verba: Communicantes, & memoriam venerantes in primis glorioſæ, ſemperque Virginis Mariæ, &c. Quod ſi Eccleſia juſta aliqua de cauſa aliquem non ſolum e commercio fidelium, & Sacramentorum perceptione ſeparet, proque eo orare prohibeat: ſed etiam diris devoveat, & in poteſtatem Satanæ tradat ad interitum carnis, ut ſpiritus ejus ſalvus fiat in die judicii: jam hæc ſane major pœna erit. Quæ vocarur hæc? anathema. Neque enim idem dicitur excommunicari (vel communione privari) atque anathematizari. Licet confundantur aliquando: ut ex uno Concilio Romano patere poteſt, ſub Symmacho: ubi de contemptoribus Statutorum illorum ſic ſcribitur: Si Clericus eſt, gradu proprio penitus careat. Si vero Monachus, aut laicus, communione privetur: & ſi non emendaverit vitium, anathemate feriatur. Et Baſilius ad Greg. Presbyt. Eris univerſo populo anathema: ut qui te receperint, omni Eccleſiaſtica communione priventur. Dicebatur enim Anathema id, quod diis dicatum, nemini licebat contingere: qualia in templis donaria ſuſpenſa ex voto. Sic Joſue 6. dicitur: Sit civitas ipſa anathema. Erat enim igne conſumenda ipſa Hierico, & omnia, quæ in ea erant: ex quibus populo fas non fuit quicquam attingere. Sic homo Sacer, ac diris & interniciei devotus: quales illi, quos olim gentiles ſacrificabant idolis ſuis, ad expiandum aliquod crimen, aut luem publicam. Atque is quidem maxime proprie hic dicitur anathema: quamquam confundantur, ut dixi, hæc vocabula. Nam Aug. ita loquitur: Omnis Chriſtianus, qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur: quia extra Eccleſiam Diabolus eſt, ſicut in Eccleſia Chriſtus. Ac per hoc quaſi diabolo traditur, qui ab Eccleſiaſtica communione removetur, 11. qu. 3. Joannes tamen Papa VIII. cauſa 3. q. 4. dicit: Engeltrudam uxorem Buſonis, noveris non ſolum excommunicatione, quæ a fraterna ſocietate ſeparat, ſed etiam anathemate, quod ab ipſo Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia, recidit, crebro percuſſam eſſe.

Habes ergo, quid ſit excommunicatio, & quot modis accidat: quid anathema, quid ſuſpenſio, quid depoſitio, quid irregularitas, quid interdictum, omnes cenſuræ Eccleſiaſticæ. Siquidem ſuſpenſio proprie & principaliter reſpicit adminiſtrationem ordinis vel jurisdictionis: depoſitio beneficium vel dignitatem: irregularitas tam ineptitudo eſt ad ſuſcipiendum Ordinem, quam ad exercendum: per interdictum Sacra fieri prohibentur in aliqua Eccleſia, vel communitas aliqua privatur Sacris. Atque hæ quidem ſunt omnes cenſuræ, id eſt, pœnæ Eccleſiaſticæ.

Cæterum uſus habet, ut dupliciter diſtinguatur excommunicatio. Una dicitur minor, alia major. Et major quidem non ſolum a perceptione Sacramentorum privat, & communione bonorum ſpiritualium, quorum participes ſunt, qui ab unione Eccleſiæ non ſunt ſeparati, ſed etiam a convictu & omni commercio fidelium: adeo ut ſic excommunicatus ab omnibus vitari debeat: in judicio agere non poteſt: non poteſt eſſe Procurator, non Advocatus, non teſtis. Et ſi Clericus eſt, & actum alicujus Ordinis Sacri exerceat, aut Ordinem ſuſcipit: efficitur irregularis, & a ſolo Papa diſpenſatur publico delicto.

Excommunicatio minor tantum ſeparat a ſuſceptione paſſiva Sacramentorum, & paſſiva electione Canonica: ita quod peccat ſuſcipiens, vel adminiſtrans Sacramenta. Et incurritur ob participationem cum excommunicato majori excommunicatione. Excommunicato, inquam, publice & nominatim: vel a jure propter crimen aliquod, cujus cenſura a nemine ignoretur: veluti propter manum violentam in notorium Clericum.

Cum vero nitatur excommunicatio Verbo Dei, nulla poteſtas ſæcularis poteſt eam impedire, nec infernalis: quoniam ex clavæ una eſt, quæ dicitur jurisdictionis, data Miniſtris Eccleſiæ, contra quam portæ inferi non prævalebunt. Quapropter Imperatores potentiſſimi cenſuram hanc excommunicationis patienter tulerunt, ut legitur de Magno Theodoſio, quem S. Ambroſius Epiſcopus Mediolanenſis ab ingreſſu prohibuit Eccleſiæ, propter cædem, quam fieri juſſerat Theſſalonicæ: & Philippus Imperator, cum in die Vigiliæ Paſchatis ultimæ vellet orationibus cum reliqua multitudine, tanquam concors, addi, non fuit admiſſus a Fabiano Pontifice, niſi prius confiteretur, & pœnitentibus ſe conjungeret: quia in multis culpabilis eſſet. Et obſequutus eſt Imperator. Sic Sanctus Babylas Julianum prohibuit ingreſſu Eccleſiæ: Stanislaus Boleslaum. Et optimus atque Sanctiſſimus quiſque Princeps Matris Eccleſiæ monitis ſalubribus ſemper paruit.

Duæ præterea cauſæ ſunt, propter quas cenſura fertur excommunicationis. Una eſt, pecca-

peccatum grave & magni ſcandali : Altera, contumacia ſeu inobedientia, quæ etiam ipſa peccatum grave eſt, & quaſi ariolandi , ut loquitur Sapiens. Si quis non obedit verbo noſtro (inquit Apoſtolus) per Epiſtolam, hunc notate, & ne commiſceamini cum eo, ut confundatur : & nolite exiſtimare inimicum , ſed corripite ut fratrem. Ex verbis iſtis Apoſtoli inferunt Doctores , nos poſſe cum excommunicato communicare , etiam absque peccato: ſi cauſæ inſint, quæ hoc verſu continentur:

Utile , lex , humile , res ignorata , neceſſe.

Sententia excommunicationis alia dicitur a jure, alia ab homine: hoc eſt, a Judice, cauſa cognita. Illius materia eſt peccatum , ſeu actio , aut omiſſio , de genere peccati alicujus graviſſimi , ut ſacrilegii, homicidii, falſitatis, & ſimilium. Quæ vero per ſententiam Judicis fertur, contumaciam habet pro cauſa: quia excommunicatus noluit Eccleſiam audire, ut pœnitentiam ageret. Veluti de hæreſi, aut alia re: vel ut fratri reſtitueret pecuniam, vel famam, vel aliud, in quo eum offendit, & ſecundum Evangelii præceptum fuit interpellatus, & requiſitus. Inter illas quoque, quæ a jure feruntur, vel per Statuta Synodalia, quædam ſunt , quæ ipſo facto incurruntur: & ſic excommunicati vitari debent ab omnibus ſub pœna excommunicationis minoris. Ut ſi quis Presbyterum vulneraverit. Aliæ requirunt declarationem Judicis: quod licet excommunicatus ſit a jure, qui deliquit: tamen ad hoc, ut vitetur ab aliis, opus eſt declaratione : ut Simoniacus occultus, falſarius, &c.

Sed declamant nonnulli ; Non eſt ferenda hæc gravis Eccleſiaſtica denunciatio ; maxime propter debitum pecuniarium. Quaſi vero, qui rem proximi detinet , eo invito (ſive id ſit ex contractu , ſive ex judicato, ſive alio modo , ut ſupra dictum eſt) non faciat injuriam fratri: quaſi correctione fraterna non indigeat, qui in fratrem peccat : & proceſſu Evangelico judicari non poſſit frater, ſi de eo frater conqueratur.

Sed notandum eſt , non eodem animo omnes eſſe , qui de cenſura hac obloquuntur. Alii enim male affecti in Eccleſiam, ejus auctoritatem omnem & jurisdictionem vellent penitus ſublatam , & extinctam. Cum his nobis nihil eſt, quoniam qui non credit (dixit [*n*] Salvator) jam judicatus eſt. Alii ſub prætextu ſerviendi Principibus & Magiſtratui, magis rem ſuam quærunt, quam Reipub. utilitatem : Quorum voces, quam audiendæ ſunt, nemo ſani judicii non videt. Ipſi enim Principes Illuſtriſſimi, & Magiſtratus Catholici , omni ſemper ſtudio clavem hanc, & poteſtatem Eccleſiæ , tutati ſunt, & gladio ſuo protexere: tantum abeſt, ut cupiant deterere. Alii ære alieno oppreſſi, quos Eccleſiæ Prælati cogunt creditoribus ſatisfacere , cuperent profecto, aut ſubito de medio rerum tolli omnem excommunicationem, aut omnino (ſi Deo placeret) novas tabulas fieri : omnino ne ad reſtitutionem tenerentur. Iidem vero contra , cum lictorum & ſervientium multitudinem domi offendunt , ſupellectilem omnem domeſticam deſcribentium, & aſportantium , atque diſtrahentium viliori pretio , quam ſint: equos, aſinos, boves, currus , veſtes, linteamina , lectos , ſe denique in carcerem detrudentium. Hem quam benigna eſt, inquiunt, Eccleſia : quam multis modis nos expectat : quam nullo ſumptu ! Certe illud Prophetæ dici poteſt: Per jurisdictionem Eccleſiaſticam ſublatum onus humeri, [*o*] virgam exactoris ſuperatam. Nam ſi ſolvendo non ſint , etiam hic remedium habetur ceſſionis bonorum : qua facta amplius nihil habet creditor, quam ut ſibi damnum imputet, qui rem ſuam male collocarit. Creditores ipſi quoque multo commodius & utilius (tam ſibi , quam debitori) ſe experiri putant proceſſu Evangelico, quam alio. Potentes enim debitores (ad quorum perſonam, vel domos non audent accedere Miniſtri juſtitiæ, pignoris accipiendi cauſa) timore infamiæ & confuſionis, (quam omnis Chriſtianus timere debet, juſta ſit , ſive injuſta cauſa) cum actore coguntur convenire & decidere : ne res ulterius procedat aut promoveatur. Sufficit enim huic, qui hujusmodi eſt , objurgatio, quæ fit a multis, [ut loquitur [*p*] Apoſtolus.) Pauperes vero ſubtrahendo nunc aliquid ſibi de demenſo ſuo, nunc ſupellectilem ſuam impignorando, vel vendendo, paulatim ſatisfaciunt, cum multo minori damno, quam ſi bona ab aliis diſtraherentur. Et maxima pœna eſt in locis, ubi habitantes omnes ſunt indigenæ, multis cognationibus & affinitatibus devincti , & noti, (qualis eſt noſtra Dioiceſis) quod omnibus Parochianis in Eccleſia congregatis, ſolus in domo , vel in platea , vel ſub arbore cogaris abeſſe a cœtu fidelium, cognatorum tuorum & amicorum: & ab omnibus notari, tanquam indignus communione. Hoc enim fortaſſe parum haberet momenti in civitatibus & populis frequentioribus, ubi Parochiani non ſolum Curato, ſed etiam inter ſe parum noti ſunt. Itaque ſive magnum ſit debitum [ita ut nequeas exolvere] ſive parvum (ita ut tanta pœna indignum videatur) nihil

(*n*) Joan. 3. (*o*) Eſa. 5. (*p*) 2. Corint. 2.

nihil tamen juſtius proceſſu Evangelico. Nam in magno ære ceſſionis remedium in promptu eſt, quando præ paupertate non poteſt quis reſtituere. In parvo magna apparet contumacia, & argumentum animi obſtinati, & inobedientis, qui malit omnem infamiam, & ab Eccleſia abjectionem expectare, quam reconciliari fratri ſuo: præcipiente Chriſto, ut percutienti unam maxillam, potius alteram præbeas: & petenti tunicam, des & pallium: & ſi quis te angariaverit mille paſſus, eas etiam duo millia.

Atque hæc ſufficient his, qui malo animo de excommunicatione loquuntur. Aliis (qui zelo quodam, ſed non ſecundum ſcientiam offenduntur, quando multos vident ea ſententia publicari irretitos) hoc dictum ſufficiat: Multos eſſe in Eccleſia peccatores: nec tamen de omnibus deſperandum. Nec ſicut omnes, qui Eccleſiam frequentant, in Dei gratia ſunt: ita nec omnes, quos ſententia excommunicationis ligat, extra ſpem vitæ futuræ eſſe, ſi patienti animo eam ſuſtineant cum obedientia: ſi quando parere mandatis Eccleſiæ (quæ de occultis non judicat, ſed de manifeſtis) non poſſunt. [q] Ita enim ex B. Paulo, & Sanctis Patribus Doctores tradiderunt, excommunicationem medicinalem eſſe: licet magna ſit miſeria, a communione fidelium ſegregari. Quoniam uri, & ſecari (licet malum ſit) oportet tamen aliquando fieri, ad vitam redimendam. Auguſt. de correptione & gratia: Nec ſcimus quid contingat ſequenti die: nec ante finem vitæ hujus de aliquo deſperandum eſt: aut contradici Deo poteſt, ne recipiat & det pœnitentiam, & a reatu, quamvis juſtæ damnationis abſolvat, damnatumque non damnet, accepto Sacrificio Spiritus contribulati, & cordis contriti. Ambroſius in Pſal. 118. Sermo. 8. In Eccleſia, ubi decet maxime miſereri, quam maxime debet juſtitiæ forma ſervari, ne quis a communionis conſortio abſtentus, brevi lachrymula, ad tempus parata, aut etiam uberioribus fletibus, quod plurimis debet poſtulare temporibus, facilitate Sacerdotum extorqueat. Facilitas, veniæ, incentivum præbet delinquenti. Hæc Ambroſius.

Quod autem D. Chryſoſtomus tantis cum affectibus dehortatur, ne quem vel in vita, vel in morte anathemate feriamus, etiam hæreticum, qua de re tractatum etiam peculiarem ſcripſit: nos non ita temere accipiemus, quaſi quod non liceat omnino, neque viventem, neque mortuum, anathematizare quenquam. Hoc ſane damnatum eſt in quinta Generali Synodo: & in Tridentina docetur contrarium: Seſſ. 25. cap. 3. Serviebat Chryſoſtomus cauſæ, more ſuo. Ejus quoque verba magni momenti eſſe poſſunt ad dehortandum inhumanos creditores ab omni exactione parum humana. Prælatus autem aliter non poteſt, quam vel damnare reum, vel abſolvere. Damnare quidem contumacem, abſolvere innocentem. Cyprianus excommunicationem cuſtodem fidei vocat, retinaculum ſpei, indicem itineris ſalutaris, fomitem virtutum, & omnis corruptelæ repurgationem: quam, qui dimiſerit, inſtabili curſu erret neceſſe ſit: & huc atque illuc impulſus variis diſſidentium malorum tempeſtatibus diſſipabitur: & quaſi extorto de manibus Conciliorum gubernaculo, navem Eccleſiaſticæ ſalutis illidet in ſcopulos. Hæc ille.

Hæc omnia Curati poſſunt ſcire, ut in confeſſionibus, ſi res poſtulaverit, doceant confitentes. Alioqui enim diſputatio difficilior fortaſſe eſt, quam quæ in pronis populo exponatur. Ipſis ſatis erit exequi mandata Superioris, cum omni obedientia.

STATUTUM I.

EXcommunicatus per ſententiam Judicis non abſolvitur, niſi ab eo, a quo excommunicatus eſt; vel a Superiori. Excommunicati vero a jure, alii ab Epiſcopis ſuis abſolvi poſſunt, alii non niſi a Summo Pontifice. Ex utrisque quædam Nos referemus ad Curatorum inſtructionem.

II.

Excommunicationes illæ, quæ monitionibus præmiſſis ad finem revelationis, aut pro deperditis, ſeu ſubtractis rebus, fieri ſolebant, non niſi a Nobis poſthac decernentur: nec alias quam ex re non vulgari, cauſa diligenter & magna maturitate pro perſona, tempore, loco, & aliis circumſtantiis per Nos examinanda.

III.

Noverint quoque omnes Curiæ noſtræ poſtulantes & Clerici, quod in cauſis judicialibus, quandocunque executio realis vel perſonalis in qualibet parte judicii, noſtra authoritate, a Nobis, vel Vicariis, aut Officialibus noſtris, fieri poterit; tam in procedendo, quam

(q) 24. q. 4. A nobis. de ſententia excom. c. Lator. c. Conſanguinei. de re jud.

quam in definiendo, a cenſuris Eccleſiaſticis abſtinebimus : ſed per multas pecuniarias, quæ Hoſpitalibus, Fabricis, Seminariis, & ſimilibus locis piis reorum, applicabuntur, vel per captionem pignorum, vel diſtrictionem perſonarum, vel privationem beneficiorum, aliaque juris remedia procedemus. Contra contumaces autem, cum aliter non poterimus, gladio certe anathematis (licet invitj) utemur,& pœnis aliis, ac cenſuris, ſicut cenſebimus, magis expedire.

CASUS, IN QUIBUS INcurritur ipſo facto excommunicatio reſervata ad Sedem Apoſtolicam a jure.

PRIMUS CASUS.

HÆretici de hæreſi ſententialiter condemnati, delati, ſeu publice diffamati, & eorum fautores, receptatores, ac defenſores, excommunicati ſunt ipſo facto : & eorum abſolutio reſervatur Papæ. (r)

II.

Et Schiſmatici pertinaciter ab obedientia Sedis Apoſtolicæ ſe ſubtrahentes. (s)

III.

Inquiſitores hæreticæ pravitatis, qui odio, vel favore, vel ſpe lucri temporalis, omiſerint procedere contra hæreticos, aut inculpabiles injuſte vexaverint. (t)

IV.

Qui ſuadente diabolo in Clericum, vel Monachum manus violentas intulerit, vel in Sacris Ordinibus conſtitutum occiderit, vel mutilaverit. (u)

V.

Similiter qui Cardinalem percuſſerit, vel captivaverit, vel perſecutus fuerit : & ſit perpetuo infamis. (x)

VI.

Et qui Epiſcopum ſuum. (y) Quin etiam Poteſtas, Conſiliarii, Ballivi, Scabini, Advocati, Rectores, Conſules & Officiarii ſæculares & Eccleſiaſtici, qui hoc fecerint, vel mandaverint, aut factum ab aliis ratum habuerint, vel conſilium, vel favorem dederint.

VII.

Mutilantes, vulnerantes, interficientes ſeu capientes, aut depredantes eos, qui devotionis, ſeu peregrinationis cauſa Romam petunt. (z)

VIII.

Et qui litigantes in Curia Romana quomodolibet offendunt, cauſa ipſius litis. (a)

IX.

Piratæ, hoc eſt, latrones maritimi. (b)

X.

Qui equos, ferrum & arma deferunt Turcis, & hoſtibus Chriſti.

XI.

Falſarii Literarum Apoſtolicarum, & eorum fautores. (c)

XII.

Sedis Apoſtolicæ authoritatem offendentes, tam in ſuis, ſuorumque literis, proceſſibus & exequutionibus impediendis, quam in jurisdictionum, fructuum, redituum & proventuum non vacantium occupatione. (d)

XIII.

Qui compellunt Presbyteros celebrare in locis interdictis : quique excommunicatos vel interdictos ad Divina evocant audienda : vel excommunicatos publice, & a Celebrantibus monitos, egredi prohibent: ipſique excommu-

(r) Sixtus IV. in ext. Et ſi Dominici. Honor. III. de ſent. excom. c. Noverit.
(s) In proceſſu Cœnæ Domini.
(t) In Clem. de hæret. c. Multorum.
(u) 17. q. 4. Si quis. & Sixtus IV. in ext. Et ſi.
(x) Bonifac. VIII. ext. De pœnis. c. Fœlicis. li. 6.
(y) Ext. de Pœnitent. c. Si quis. in Cle.
(z) In proceſſu Cœnæ Domini.
(a) Ibidem.
(b) Ibidem & in Conc. Later. de Judæis. c. Ad liberandam.
(c) Innoc. III. de crimin. fal. c. Falſariorum.
(d) In proceſſ. Cœnæ Domini.

Digitized by Google

communicati publice, vel interdicti, qui nominatim a Celebrante moniti, ut exeant, tempore Missarum remanere præsumpserint. (e)

XIV.

Religiosi, vel Clerici sæculares, qui temere aliquos inducunt ad vovendum, jurandum, vel promittendum, quod sepulturam in suis Ecclesiis eligant, vel electam non mutent. (f)

XV.

Religiosi, qui Clericis aut laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Eucharistiæ ministrare, vel Matrimonium solennizare, non habita super his Parochialis Presbyteri licentia: aut quenquam excommunicatum a Canone (præterquam in casibus a jure expressis, & per privilegia Sedis Apostolicæ concessis) vel a sententiis per Statuta Provincialia, aut Synodalia promulgatis, seu si a pœna & a culpa absolvere quenquam præsumpserint. (g)

XVI.

Clerici, qui scienter & sponte participant cum excommunicatis a Summo Pontifice, eos recipiendo ad Divina officia. (h)

XVII.

Qui in locis Christianorum defunctorum corpora inhumaniter tractando exenterant, concidunt in frusta, elixant, exossant, ut alio transferre possint. (i)

XVIII.

Qui in terris suis nova pedagia imponunt, vel prohibita exigunt. (k)

XIX.

Qui nova onera imponunt realia vel personalia Ecclesiis, vel Ecclesiasticis personis. (l)

XX.

Per Simoniam dantes, vel recipientes Ordines vel beneficia. (m)

XXI.

Ex pacto dantes vel accipientes aliquid pro ingressu religionis, nisi aliter nequeant in Monasterio nutriri. (n)

XXII.

Religiosi mendicantes, sine licentia Sedis Apostolicæ transeuntes ad alium Ordinem (excepto Carthusiensium) tam ipsi recipientes, quam transeuntes. (o)

XXIII.

Intrantes Monasteria Sanctæ Claræ in casibus non concessis in regula ipsarum, vel sine licentia eorum, qui dare possunt. (p)

XXIV.

Quicunque libellos famosos, nec non cantilenas, rithmos, edere vel publicare præsumunt in infamiam status Ordinis Prædicatorum, vel Minorum. (q)

XXV.

Confessores (r) denique absolventes ab his casibus supradictis, Sedi Apostolicæ reservatis, nisi in articulo mortis: & nisi quod excommunicatus promittat se præsentare, & satisfaciat, vel promittat satisfacere data cautione idonea, pignoratitia, vel fidejussoria, vel juratoria, quam poterit.

CASUS, IN QUIBUS INcurritur excommunicatio a jure, & absolutio reservatur Episcopo.

ARTICULUS I.

HÆretici omnes & fautores eorum ipso facto excommunicati sunt, & a solo Episcopo absolvi possunt occulti, non a Vicario. Qui vero per sententiam fuerint jam condemnati, ad Papam remittuntur. (s)

II.

(e) De senten. excom. c. Gravis. in Cle.
(f) Ext. de Pœniten. c. Cupientes. in Clem.
(g) Ext. de Privil. c. Religiosi. in Cle.
(h) Clemen. III. de sent. exc. c. Significavit.
(i) Bonifac. VIII. ext. de sep. c. Detestandæ.
(k) In processi. Cœnæ Domini.
(l) Sixtus in extr. Et si Dominici.
(m) Matth. 5. In Concil. Constan.
(n) Urban. V. in extr. Sane, ne in vinea.
(o) Martin. V. in ext. Viam ambitiose.
(p) Refert S. Anto. in 3. parte summæ.
(q) Alexand. in priv. ex alto & non sine multa.
(r) Sixtus IV. in ext. Et si Dominici.
(s) De sent. exc. c. Noverit. Conc. Trid. Sess. 24. c. 6.

Digitized by Google

II.

Inquiſitores pecuniam modis illicitis extorquentes, ſi plene ſatisfecerint, abſolvuntur ab Epiſcopo : alioquin ad Papam remittuntur. (*t*)

III.

Qui Chriſtianos naufragantes in rebus ſuis ſpoliant. (*u*)

IV.

Qui authoritate propria incendunt villam, domum, manſionem, ſegetem. (*x*)

V.

Statuta condentes contra libertatem Eccleſiaſticam, & ſecundum illa judicantes. (*y*)

VI.

Qui repreſſalias concedunt contra perſonas Eccleſiaſticas, vel bona Eccleſiarum. (*z*)

VII.

Qui compellunt Prælatos, vel perſonas Eccleſiaſticas ad ſubmittendum Eccleſias, vel earum bona laicis. (*a*)

VIII.

Qui modis illicitis impediunt litigantes in foro Eccleſiaſtico in cauſis, quæ de jure vel conſuetudine ad dictum forum pertinent. (*b*)

IX.

Qui lædunt, occidunt, vulnerant, capiunt eos, per quos, vel propter quos excommunicati ſunt : niſi intra duos menſes ſatisfaciant, ad Papam remittuntur. (*c*)

X.

Qui temporale Dominium obtinentes, prohibent ſuis ſubditis, ne Prælatis aut Clericis quicquam vendant, aut emant, ne bladum molant, aut panem coquant. (*d*)

XI.

Qui impediunt ſequeſtrationem beneficiorum contra mandata Apoſtolica, vel fructus occupant. (*e*)

XII.

Qui regalia, cuſtodiam (ſive guardiam) advocationis, ſeu defenſionis titulum in Eccleſiis vel Monaſteriis vacantibus de novo præſumunt occupare. (*f*)

XIII.

Qui pedagia ab Eccleſiaſticis exigunt de rebus, quas non negotiandi cauſa important, vel exportant. (*g*)

XIV.

Qui jurisdictionem Eccleſiaſticam evacuant, & qui Eccleſias vel perſonas Eccleſiaſticas oneribus & angariis gravant, niſi moniti intra menſem deſiſtant. (*h*)

XV.

Qui vi vel metu abſolutionem excommunicationis, vel revocationem interdicti extorquent. (*i*)

XVI.

Qui Viſitatores Monialium, aut mulierum (quæ vulgo Canonicæ ſæculares appellantur) impediunt, niſi moniti reſipiſcant. (*k*)

XVII.

Qui hæreticos, vel eorum fautores, in loco ſacro ſcienter præſumpſerint ſepelire. (*l*)

XVIII.

Qui ſcienter. quoque ſepelire præſumunt in Cœmeteriis tempore interdicti, vel excommunicatos publice, vel nomi-

---

(*t*) De hæreticis. c. Nolentes. in Cle. (*u*) Conc. Lateran. de raptorib.
(*x*) 2. quæſt. 8. Si quis. & c. Peſſimam. (*y*) Honor. III. de ſentent. excom.
(*z*) Greg. IX. de injuriis. lib. 6. c. Et ſi pignorationes.
(*a*) Idem de reb. Eccleſ. non alien. ca. Hoc conſultiſſimo.
(*b*) Bonifac. VIII. ext. De immun. Eccleſ. c. Quoniam. lib. 6.
(*c*) Greg. IX. de ſent. exc. c. Quicunque. li. 6. (*d*) Bonif. VIII. de imm. Eccl. c. Libertates. li. 6.
(*e*) Ext. de Sequeſt. c. 1. in Clem. & in veteri Statuto. (*f*) Idem de Elec. c. General. lib. 6.
(*g*) Ext. de Cenſ. c. Quanquam. li. 6. (*h*) Ext. de Imm. Eccl. c. Non minus. & c. Adverſus.
(*i*) Gregor. X. ext. De iis, quæ vi vel met. lib. 6.
(*k*) Ext. De ſtat. Monach. c. Attendentes. in Clemen. (*l*) De hæret. lib. 6.

Digitized by Google

nominatim interdictos, vel manifestos usurarios. (m)

XIX.

Qui scienter in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis interdictis, aut in Monialibus contrahere Matrimonium non verentur: nec non Religiosi, Moniales & Clerici, in Sacris Ordinibus constituti, Matrimonium contrahentes, & inter eos, qui scienter ea celebrant. (n)

XX.

Religiosi, qui decimas, & alia, quæ Ecclesiis debentur, sibi usurpant dolo & injuste: nisi desistant intra mensem. (o)

XXI.

Religiosi mendicantes, qui domos vel loca ad habitandum de novo suscipiunt, vel olim suscepta dimittunt. (p)

XXII.

Qui scienter cum nominatim excommunicato communicat in crimine criminoso, ei consilium, auxilium vel favorem impendendo. (q)

XXIII.

Qui fraude & fictione Judicem adducunt ad aliquam mulierem ejus pudicitiæ insidiantes. (r)

XXIV.

Religiosi, in scholis vel alibi habitum suæ religionis dimittentes, vel sine licentia suorum Superiorum studia frequentantes; & Doctores, qui eos scienter docent, vel retinent. (s)

XXV.

Religiosi in suis sermonibus aliqua proferentes, ut auditores detrahant a solutione decimarum. (t)

XXVI.

Religiosi tam exempti, quam non exempti, qui interdictum, quod Ecclesiam Cathedralem servare, vel Parochialem loci intellexerint, non servant. (u)

XXVII.

Sacerdos officium gerens Vice-Comitis, vel Præpositi sæcularis, nisi monitus desistat. (x)

XXVIII.

Qui vocati ad dirigendas in electionibus suis Moniales, discordias nutriverint. (y)

XXIX.

Monachi, qui sine licentia Prælatorum suorum intra septa Monasterii tenent arma. (z)

CASUS ALIQUOT, IN QUIbus ferebatur excommunicationis sententia per Statuta Synodalia diversis temporibus edita, quorum pars bona antiquata est.

QUi non permittunt solvi decimas, nec solvunt de animalibus juxta consuetudinem loci: sed in fraudem tradunt aliis tenenda, nisi moniti desistant, excommunicantur.

Incendiarii non solum sacrorum locorum, sed etiam aliorum.

Archidiaconi & Decani, qui causas de cætero audire præsument, excepto Officiali Archidiaconi Bisuntini.

Abbas, Prior, Decanus, Archidiaconus, Canonicus, vel alius Ecclesiæ Prælatus sæcularis, vel Religiosus, aut laicus, qui aliquem citari faciet, & per literas Apostolicas, vel Legatorum Sedis Apostolicæ, contra quem non habeat causam, propter quam faciat ipsum citari tempore impetrationis literarum.

Nullus Presbyter utatur literis, quibus non fuit usus contra illum, quem

(m) Ext. De sepulturis. c. 1. in Clem.
(n) De consang. & affin. c. 1. in Clem.
(o) De decim. c. Religiosi. in Clem.
(p) c. Cum ex eo. de excess. Præl. lib. 6.
(q) Innoc. III. de sent. exc. c. Nuper.
(r) De Judic. c. Mulieres. lib. 6.
(s) Ne Cleric. vel Monac. c. Ut periculosa. lib. 6.
(t) Ext. De pœnis. c. Cupientes. lib. 6.
(u) De sent. excom. c. Ex frequen. in Clemen.
(x) Ext. Ne Cler. vel Mon. c. Clericis.
(y) De elec. c. Indemnitatibus. lib. 6.
(z) Ext. De stat. Monac. c. Ne in agro. in Clem.

Digitized by Google

quem vult per dictas literas ante mortem mandatoris, seu etiam antequam legatus exiret Provinciam, suæ legationis officio deputatam: & hoc intelligimus de literis ad causas, & ad lites impetratis. Alioqui excommunicationi subjaceat.

Nullus utatur literis Apostolicis citatoriis, in quibus continetur hæc clausula generalis: Quotiescunque fueritis requisiti: sub excommunicationis pœna, prohibentes illis, quibus præsentabuntur ad exequendum, quod illas nullatenus exequantur.

Excommunicamus Archidiaconos, qui contra inhibitionem nostram alias in Synodo recitatam, imposuerunt tallias Presbyteris in suis Archidiaconatibus constitutis, & receperunt ab eisdem.

Oppressores orphanorum, pupillorum, viduarum, & aliarum miserabilium personarum: & qui, seu quæ eorum jura surripiunt scienter & injuste, donec de prædictis destiterint, & ad satisfactionem venerint.

Religiosi suspensi sunt, si officiant Parochiales Ecclesias, aut Parochianis ministrant Ecclesiastica Sacramenta: nisi a Nobis cura Parochialis commissa sit eisdem.

Qui frangunt vel violant Ecclesias, & Cœmeteria, capiendo & extrahendo ab eisdem res depositas sine voluntate illorum, quorum sunt illæ res: nec ad communionem admittantur, donec a Nobis, vel mandato nostro Spirituali fuerint absoluti.

Excommunicati etiam denuncientur singulis diebus Dominicis & Festivis usurarii manifesti.

Excommunicati sunt omnes illi, qui portitores literarum nostrarum, seu Curiæ nostræ Bisuntinensis, verberant, & alias quovismodo impediunt & damnificant: & illos, qui procurant, consulunt, aut adjuvant hæc fieri directe vel indirecte: & qui literas ipsas rapiunt, dilacerant, vel alias apud se retinent spoliando portitores earum.

Excommunicamus omnes illos, qui saisient seu bona illorum, qui adversarios suos trahunt coram Nobis ad judicium, vel propter hæc trahent coram Judice sæculari: vel qui occasione hujus capient personas, vel bona amicorum suorum.

Excommunicamus & a gremio Sanctæ Matris Ecclesiæ segregamus, Ballivos, Majores, Præpositos, & alios ministros sæculares, qui impediunt, perturbant, prohibent & contradicunt, ne aliqui veniant ad Curiam nostram Bisuntin. pro justitia super his, de quibus cognoscere possumus & debemus.

Excommunicamus sacrilegos, & sortilegos, & eos, qui fovent eos, & eis credunt.

Excommunicamus omnes Clericos & Religiosos, qui contra Clericum vel Religiosum, seu aliam quamcunque personam Ecclesiasticam coram Judice sæculari litigaverint in personalibus actionibus: & eos præcipimus excommunicatos publice nunciari singulis diebus Dominicis & Festivis.

Excommunicamus, & excommunicatos publice nuntiari præcipimus omnes hæreticos cujuscunque sortis existant, & quocunque nomine censeantur, fautores & receptatores eorum, & credentes ipsis hæreticis.

Excommunicamus omnes falsarios quarumcunque literarum in litera & sigillo: & specialiter falsarios Curiæ nostræ Bisunt. & monitione quindecim dierum præmissa, omnes illos, qui scienter utuntur literis sic falsificatis, & qui sciunt, vel sciverunt aliquos falsarios, nisi Nobis, vel Officiali nostro manifestaverint sine mora.

Excommunicamus authores libellorum famosorum, & publicatores eorum.

Excommunicamus omnes illos, qui celebrant Matrimonia clandestina, & qui Matrimoniis clandestinis scienter ex proposito interfunt, & intererunt. Matrimonia clandestina intelligimus, quæ fiunt per verba de præsenti in occulto: vel quæ fiunt bannis non legitime præmissis in facie Ecclesiæ: vel extra tempora, non obtenta dispensatione: seu quæ celebrata fuerint de personis nondum in ætate legitima con-

Digitized by Google

ſtituris. Et poſtquam vobis Curatis, vel Vicariis de talium perſonis conſti terit, eas nominatim excommunicatas publice nuntietis, & nomina talium infra quindecim dies, poſtquam vobis conſtiterit, Officiali noſtro fideliter reſcribatis. Alioquin dictam pœnam incurratis eo ipſo.

CASUS, IN QUIBUS PETITUR ab Officiali noſtro forma Concilii Biſuntini.

SEd primum, ut intelligatis, quid ſibi volunt hæc verba: Forma Concilii Biſuntini, ſciendum eſt, quod anno Domini M. CC. LXXXII. ſub bonæ memoriæ Odone de Rubeomonte, Archi-Epiſcopo Biſuntino, congregatum fuit Concilium Provinciale: in quo præter cætera tractatus fuit Canon ille Innocentii Secundi: Si quis ſuadente diabolo: qui ſcribitur in Decreto Gratiani, cauſa 17. qu 4. contra ſacrilegos omnes, & manus violentas inferentes in viros Eccleſiaſticos. Et ut magis pœna illa excommunicationis Papalis (quam tales incurrunt) timeretur: decretum fuit eo Concilio Provinciali, quod non ſolum ipſi verberatores ac interfectores Presbyterorum ac perſonarum Eccleſiaſticarum, excommunicati ſunt, ſed etiam omnes, conſilium, auxilium, vel favorem dantes ad cædem, vel verbera. Quin etiam præterea in eo Concilio, quod ſi locorum Domini rei comperirentur ejus facinoris, loca ipſa, ſeu terræ, interdicto Eccleſiaſtico ſupponenda eſſent.

Item conſtituerunt, quod Domini temporales, in quorum poteſtate eſſent, tenerentur compellere verberatores ipſos ad ſatisfaciendum læſis, & injuriam paſſis reparandam: ſin minus, ſi moniti & requiſiti ab Ordinario id negligerent, ipſi Domini excommunicationi, & eorum terræ interdicto, ſubjicerentur. Atque hæc quidem decreta tunc primo fuerunt.

Poſtea vero, cum videretur ratione dignitatis perſonæ graviorem aliquando cenſeri injuriam, vel minus gravem, declarationem addiderunt Statutis Concilii: nempe, quod ſi caperetur Decanus, vel Canonicus Cathedralis Eccleſiæ, vel Abbas aliquis, illico interdicerentur omnes Eccleſiæ. Si Canonici alii, Eccleſiæ Archidiaconatuum, in quibus eſſent Canonici, eodem modo interdicerentur. Si alii Presbyteri, Eccleſiæ Decanatus: & ubi capti eſſent. Si alii Clerici, tantum in ipſis locis fieret interdictum. Sed ſi Clerici non dimitterentur intra quindecim dies, tunc interdictum extenderetur per totum Decanatum. Atque hæc fuit declaratio Concilii.

Clericus ergo injuria affectus, petebat ab Archi-Epiſcopo, vel Officiali formam Proceſſus Concilii: ut juxta eam moneretur Dominus loci, aut poneretur interdictum, niſi ſibi ſatisfaceret. Eratque forma intentionis ejus hæc: *Ego N. humilis Presbyter Diœceſis veſtræ Biſunt. vulneratus fui cum injuria a N. Idcirco peto a vobis, ut mittatis Curato N. vel Decano formam Concilii Biſunt.* &c. Officialis vero ad hoc committebat aliquem, ad inquirendum de veritate rei. Facta inquiſitione & viſa, mittebat Officialis ipſam formam ad Curatum loci, vel ad Decanum, ut juxta ea procederet. Sed hæc conſuetudo bona ex parte exolevit: cum quia Principes noſtri non minus, quam nos ipſi, cupiunt libertatem Eccleſiaſticam ſartam tectam ſervare: tum etiam, quia parum expedit nunc (propter quotidie ſuppullulantes errores in grege Domini, & ſchismata, & hæreſes) adeo frequenter interdici Eccleſias aut populos: ſed facinoroſi ipſi & ſacrilegi, puniendi relinquuntur Curiæ noſtræ Biſunt. Et in illos feruntur aliæ cenſuræ excommunicationis, niſi ſatisfaciant: videlicet anathematis, & maledictionis, & interdictæ familiæ, & requiſitionis brachii ſæcularis, ut a loco & communitate expellantur.

SEQUUNTUR ARTICULI formæ ſupradicti Concilii, cum declarationibus ex veteri Statuto: tantum ad hoc deſcripti, ut omnes intelligant, quanta fuerit olim Eccleſiaſticæ libertatis atque immunitatis cura.

EXcommunicati ſunt verberatores ac interfectores Presbyterorum, Clericorum, & perſonarum Eccleſiaſticarum: nec non dantes auxilium, conſilium, vel favorem interfectioni, ſeu verberationi.

Si Dominus aliquis temporalis verberaverit aut interfecerit, ſeu verberari aut interfici mandaverit, aut in præmiſſis conſilium, favorem vel auxilium dederit: terra ei ſubjecta ipſo facto ſuppoſita eſt Eccleſiaſtico interdicto.

Domini temporales, ſub quorum dominio & poteſtate ſunt verberatores aut interfectores

ctores prædictarum personarum, si moniti aut requisiti nostra auctoritate, vel Officialis nostri, quod compellant hujusmodi delinquentes sacrilegos satisfacere injuriam passis, per captionem bonorum ac personarum, si necesse fuerit, non obedierint: ipsi Domini ipso facto post viginti dies excommunicationis, & terræ, hominesque interdicti Ecclesiastici sententiæ & censuræ subjaceant.

Cæterum circa captivitates, seu detentiones personarum Ecclesiasticarum laudabilis & antiquæ consuetudinis circa hoc editæ memoriam recolentes, sic duximus statuendum: ut si Decanus, aut alius Canonicus Ecclesiæ Cathedralis Bisunt. captus fuerit a quocunque in Civitate & Dioicesi Bisunt. seu Provincia, aut etiam extra dictam Provinciam, ab aliquo nostræ Civitatis & Dioicesis Bisunt. nulla Ecclesiastica Sacramenta celebrentur, exceptis Pœnit. & Baptismo: quousque dictus Decanus, seu Canonicus captus, una cum omnibus rebus & bonis sibi ablatis occasione captionis, amissis, datis, vel promissis restitutus fuerit plenariæ libertati, & de injuria læso & Ecclesiæ Bisunt. fuerit satisfactum. Hoc idem extendimus ad Abbates.

Pro captione vero cæterorum Canonicorum, Priorum, Decanorum, & Curatorum Civitatis & Dioicesis Bisunt. cessetur, ut supra, in locis & Archidiaconatibus, in quibus Ecclesiæ, quarum sunt Canonici, Priores, Decani & Curati, constitutæ fuerint: in Archidiaconatu, in quibus etiam capti detinebuntur.

Pro captione autem aliorum Presbyterorum & Clericorum in Sacris Ordinibus constitutorum, cessetur, ut supra, tam in Decanatibus, ubi degunt, quam in locis, ubi capti detinebuntur.

De Clericis vero inferiorum Ordinum, & aliis simplicibus captivatis statuimus, ut cessent, prout supra, in locis, in quibus ipsos capi contigerit, seu etiam detineri.

Postquam vero capti & detenti fuerint per quindecim dies, in Decanatibus, ubi degunt, & in quo capti detinebuntur: ex tunc cessetur penitus a Divinis.

Quia per impunitatis audaciam fiunt, qui nequam fuerant, nequiores: attendentes, quod in nostra Dioicesi quamplures, imo quasi omnes communiter majoris excommunicationis sententiam in ipsos latam adeo vilipendunt, quod excommunicatio, quæ ab initio medicinalis fuerat, per diuturnam inobedientiam & contemptum fit mortalis: volentes super hoc salubrem adhibere medelam, statuimus, ut postquam aliquis per annum (*in*) excommunicatione perstiterit, Dominus ejus temporalis, vel Superior, Baillivus, vel Præpositus, Castellanus, vel alius in eum jurisdictionem habens, moneatur & requiratur authoritate ordinaria, ut ipsum excommunicatum, cujuscunque conditionis existat, infra mensem a tempore monitionis ejusdem compellat per bonorum captionem & personæ (si necesse fuerit) redire ad Sanctæ Matris Ecclesiæ unitatem. Alioquin ipse Dominus, vel Superior monitus, ex tunc excommunicationis sententiæ se noverit subjacere: & per singulas Ecclesias excommunicatus publice nuncietur.

Additum etiam fuit præsenti Statuto, quod si aliquis Sacerdos sacris vestibus indutus, volens Missam celebrare, viderit vel sciverit, aliquem excommunicatum esse in Ecclesia, in qua vult Missam celebrare, ipso excommunicato præsente Missam nullatenus celebrare præsumat: & quamvis sacris vestibus indutus Missam inceperit, & dictus excommunicatus contumaciter exire noluerit: Missam (nisi sit in Canone) dimittat, & sacris se exuat vestimentis. Cæteri vero fideles in Ecclesia præsentes, si talem excommunicatum, vel tales excommunicatos in Ecclesia viderint, vel sciverint, hoc Sacerdoti celebranti, vel celebrare volenti manifestent: & nisi dictus excommunicatus exierit, omnes alii fideles exeant, & nullus cum ipso excommunicato Missam, vel alia Divina audire præsumat, si similem sententiam voluerint evitare.

Præsentes autem Constitutiones ad Religiosos etiam exemptos, qui eas, & præsentes sententias ac præmissa servare voluerint, extendi volumus & mandamus.

Sane de Canonicis & Abbatibus, Prioribus, Decanis nocte, vel in itinere extra villas, a laicis verberatis, seu captis, vel rebus aliquibus spoliatis: Statuimus, ut eis super verberatione, captione, seu spoliatione de verberatoribus, captoribus & spoliatoribus sine aliqua probatione credatur suo simplici juramento.

Abusores, & qui de cætero abutentur dicto Concilio, & qui super hoc falsum perhibuerint testimonium, & perhibent, excommunicamus.

Illis sub pœna prædicta præcipimus, & expresse inhibemus, ne quis impetrare præsumat dictum Concilium, præterquam persona læsa, vel spoliata, vel habens super hoc procuratorium, vel speciale mandatum ab eadem: vel nisi fuerit læsus in tali statu, quod non possit impetrare: quòd si secus factum fuerit, illud irritum decernimus & inane, & tales impetratores, consilium & auxi-

auxilium ſuper hoc præbentes, excommunicamus.

Item præcipimus & mandamus vobis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium noſtræ Civitatis & Dioiceſis Biſuntinen. Rectoribus, Vicariiſque, & aliis eorum loca tenentibus ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis (quam monitione trium dierum præmiſſa peremptoria & monitione Canonica vobis præfigimus, in vos ferimus in his ſcriptis, niſi feceritis, quod mandamus) ut quamprimum ſciveritis, aliquos Decanos, Archidiaconos, ſeu Canonicos, noſtræ Cathedralis Eccleſiæ Biſunt. Abbates, Curatos, vel Presbyteros, aut alios Clericos cujuscunque ſtatus, aliamve perſonam Eccleſiaſticam noſtræ Civitatis ſeu Dioiceſis, a quocunque capi, ſeu captivari, vel captivam detineri: ſine expreſſo mandato noſtro, vel Officialis noſtri, per quamcunque perſonam ſæcularem ſeu Eccleſiaſticam, absque expectatione alicujus literæ Concilii Biſuntinenſis, vel alterius mandati: tales ſacrilegos captivatores, detentores, & in his opem, auxilium, conſilium, favorem, & juvamen (de quibus vobis conſtiterit, ſecundum formam Concilii Biſuntinenſis, inſpecto ſolo textu ipſius Concilii) nominatim & alios in generali excommunicatos de Canone publice nuntietis. Et nihilominus ſecundum illius Concilii textum, tenorem ad unguem firmiter obſervantes, & quæ inde fueritis executi, contra quem, & cauſam ſeu veritatem facti ipſius ceſſationis, quanto otius poteritis, Nobis, vel Officiali noſtro, fideliter reſcribatis.

Hactenus ex veteri Statuto de forma proceſſus Concilii Biſuntinenſis, ſicuti dictum eſt. Unde apparere poteſt, quantum noſtra tempeſtate deceſſerit ex veteri honore Sacerdotum, bona parte horum Statutorum, quæ dignitatis Eccleſiaſticæ cauſa condita fuerant, antiquata.

NOS IGITUR CLODIUS ARCHIEpiſcopus ſupradictus Statuta hæc atque ordinationes, quemadmodum jam alias pro maxima parte deſcripta erant & diſtincta, nunc denuo examinata & communicata cum Reverendis & Venerabilibus Dominis Deputatis *a Provinciali Synodo*, & aliis, tam ex fratribus noſtris, Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Canonicis, quam aliis Conſiliariis noſtris, Sacræ Theologiæ, & utriusque Juris Profeſſoribus, ſtabilienda decrevimus, & tanquam ſalutaria Clero & Eccleſiæ noſtræ, auctoritate noſtra corroboranda, prout ea in præſentia corroboramus & ſtabilimus, ſtatuimus & ordinamus: aliis præceptis doctrinæ, quæ ab ipſis Statutis & ordinationibus, literarum forma & charactere diſtincta ſunt, & ſeparantur, in ſuo genere (doctrinæ ſcilicet loco tantum) relictis. Quare ad Dei gloriam, & Sanctæ Eccleſiæ ejus Sponſæ honorem, fidei Catholicæ exaltationem, ſubditorumque noſtrorum inſtructionem, & ſalutem, ea omnia, tam vetera Statuta Prædeceſſorum noſtrorum confirmantes, quam nova (quæ nuper lata fuerunt) decernentes, legi & publicari in ſingulis Synodis poſthac juſſimus & mandavimus, volumusque & mandamus, & ubi & quando, quotiesque Nobis, aut Vicario noſtro expedire videbitur, denunciari decernimus: Ut per ſubditos noſtros, perpetuo inviolabiliterque obſerventur. In hujus vero rei teſtimonium & robur, Nos manu noſtra propria ipſis ſubſcripſimus, & Sigillum Cameræ noſtræ huic paginæ impreſſimus: Biſuntii in Palatio noſtro Archiepiſcopali, Calendis Julii, Anno Domini M.D.LXXIII.

C. ARCHI-EP. BISUNTINUS.

Recognitum poſt Impreſſionem
ANT. FOLLIUS mpp.

SYN-

Digitized by Google

SYNODUS ATREBATENSIS

Anno Chriſti MDLXX. Pii V. Papæ VI. Maximiliani II. Imp. VI.

STATUTA SYNODALIA DIOECESIS ATREBATENSIS,

Per Reverendiſſimum in Chriſto Patrem FRANCISCUM RICHARDOTUM,(*) ejusdem Diœceſis Epiſcopum ordinata, cum veteribus Prædeceſſorum ſuorum piæ memoriæ Statutis adjectis.

FRANCISCUS RICHARDOTUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, Epiſcopus Atrebatenſis, univerſo Clero ſibi commiſſo & credito, Salutem in Domino.

NOn temere factum eſſe credimus, quod Legislator Moſes, majore ſtudio, ac numero, gerendi Sacerdotii leges, quam Magiſtratus adminiſtrandi ſanxerit, quanquam hæc omnium miniſteriorum culmina ejusmodi ſunt, ut neutrum ſine altero ſtare poſſit. Ille quidem qua lege Regibus, ac Reipublicæ Principi, vivendum ſit, & imperandum, diſerte præſcripſit, ne ſibi ſcilicet, uxorum magnum numerum aggreget, ne ſuperbe & petulanter efferatur, neve a via recta declinet: ſed in legis volumine verſetur, totamque ſervet. In Sacerdotio autem conſtituendo, id ipſe tradidit, non modo Sacerdoti quid eſſet agendum; ſed quo cultu, quoque ornatu in templum prodire, quo ritu ac tempore Sacris operari, quibus hoſtiis aras imbuere, quaque mundicia miniſterium obire ſuum deberet, Divino monitus oraculo mandavit: idque non una, aut altera, ſed innumeris propemodum legibus. Illud ve-

ro

(*) Franciſcus Richardotus, Burgundus natione, omni genere diſciplinarum egregie excultus, partaque hinc ſibi fama ſcientiarum, virtutumque celeberrimus fuit. Adoleſcens Eremitarum S. Auguſtini Inſtitutum complexus in Patria: inde Tornacum, ac dein Pariſios miſſus, ibidem Epiſtolas S. Pauli explicuit. Reverſus ſuis apud Philippum II. conſiliis plurimum contulit, ut nova apud Duacenſes Univerſitas excitaretur, primusque in eadem Sacræ Theologiæ Doctoris perſonam & munus geſſit. Circa annum 1554. Antonio Perennotto, Cardinali Granvellano, cui ſuæ merito virtutis, doctrinæque charisſimus erat, adnitente, Epiſcopus Nicopolitanus conſecratus, Biſuntina in Metropoli Suffraganeum egit: Anno vero 1561. quo idem Granvellanus Cardinalis & Epiſcopus Atrebatenſis ad Archi-Epiſcopatum Mechlinienſem evectus fuit, eidem in Cathedrali Atrebatenſi regenda ſucceſſit. Difficillimo bellici in Belgio tumultus tempore, cum maxima prudentiæ laude per annos tredecim ſuæ Diœceſi ſic præfuit, ut omnes boni Paſtoris partes impleverit. Mirifica in eo fuit ſermonis facundia, qua optimis inculpatæ vitæ exemplis animata, id evicit, ut commiſſum ſibi populum non ſolum ab hæreſi vindicaverit, ſed in ſervanda etiam Principibus fide continuerit. Tridentinam ad Synodum cum aliis Belgii Epiſcopis ac Doctoribus miſſus, luculentiſſimam ibidem ad Patres, quæ etiamnum exſtat, Orationem habuit. Dixit & aliam in Concilio Provinciali Cameracenſi, relatam a nobis Tomo præcedente, eximiis laudibus a Paulo Manutio in Epiſtola ad Richardotum ſcripta commendatam, ut videre eſt in Manutii Epiſtolar. L. VI. Epiſt. 11. Plura alia reliquit publicis edita typis Ingenii ſui, zelique monumenta, quorum catalogum vide in Bibliotheca Belgica Clar. Franciſci Foppens Tomo I.

Obiit die 26. Julii anno 1574. Sepultus in Cathedralis ſuæ Odeo, ſub eleganti Mauſolæo, quod ex marmore & alabaſtrite, Joannes Richardotus, Sororis ejus filius,

Digitized by Google

ro eam potissimum ob rem ita factum, constitutumque esse judicari recte potest; quod cum in omni vitæ genere, servari integritas debeat, tum ea in ordine Sacerdotii maxime servanda sit, virtusque per omnes sui partes colenda: vix enim ulla ex re major ad hominum mores pernicies redire potest, quam ex Sacerdotii corruptela. Nam sive id quæritur, ut doctrinam cultus traditam, & ore Sacerdotio depromptam, populus approbet; sive id spectatur, ut & auctoritas ministerii nostri, & rerum sacrarum dignitas, in populo valeat; nihil horum consequi possumus, nisi & doctrinam Sanctitas commendet, & ministerium nostrum integritas illustret. Heli Sacerdotis seculo in Laicos Israelis tædium colendæ religionis irrepserat, sed id improbitate filiorum ejus acciderat: quorum sordes, luxus & quæstus, ambitiose, procacesque petitus, rerum Divinarum contemptum intulerat in populum. Malachias quoque dure, & acerbe, sui temporis Sacerdotes increpat, quod amplissimis ac sanctissimis Ceremoniis instituti Sacerdotii dignitas, eorum sceleribus viluisset, quorum virtute illustrior esse debuerat. Gemmas fulgor, raritas, venustas, commendat; at hæ tamen in luto & stercore provolutæ, sordent: sic cum nihil sit Sacerdotii dignitate clarius & augustius, ea tamen nihil est inter homines abjectius, nisi sanctitate & moribus nostris excolatur. Hujus autem incommodi periculum, hac ætate, magno nostro malo facimus; nec spes est ulla, id abigi posse, quicquid afferri rebus nostris præsidii queat, dum ipsi ordini nostro nequitia nostra, labem aspergimus. Quoniam vero, ex deterrimis sæpe moribus, optimæ nascuntur leges; hæc improbitas multorum, tandem effecit; ut bonas, piasque mentes studium veteris disciplinæ revocandæ concitaret, & ad salutaria consilia captanda semel adduceret. Servavit sibi enim semper Deus, rebus ad exitium propemodum adductis, viros justo numero, pietatis & salutis publicæ studiosos, ut Eliæ seculo factum legimus; segetem scilicet ubertatis futuræ, per quos suo tempore, majorum virtus refloreat in posteris, & vetermus excuti ille possit, quo misere hominum pars bona laborabat. Quid igitur actum? quæve antidota quæsita, quibus hic morbus publicus depelli posset? Sancta Sedes Apostolica, & amplissimus ille Ecclesiæ Romanæ Senatus Concilium Oecumenicum collegit, quo de doctrina & moribus eorum, qui nomen Christo dedissent, de veteri disciplina revocanda, de Sacramentorum usu, cultuque diceretur; in quo Patres ex orbe toto Christiano, Tridenti congregati, id inter cætera censuerunt oportere, singularum Provinciarum ac demum Diocesium Synodos & Conventus, negligentia diutius intermissos, haberi; ut quicquid, vel temporum injuria collapsum, vel impostura præpostere receptum, vel improborum licentia neglectum esset

---

filius, qui Richardoti adoptavit nomen, Artesiæ primo, post intimi Præses Concilii poni curavit, hoc addito Epitaphio:

D. O. M. S.
FRANCISCO RICHARDOTO BURGUNDO,
ATREBATIUM EPISCOPO,
VIRO IN OMNI DISCIPLINARUM GENERE
VERSATISS. ET CONCIONATORI ELOQUENTISS.
QUI OB SINGULAREM DOCTRINAM,
ET PRÆCLARAS ANIMI DOTES
OMNIBUS ORDINIBUS UNICE CHARUS,
POSTQUAM HANC ECCLESIAM PERICULOSIS
TEMPORIBUS INGENTI DEXTERITATE, ET
ASSIDUIS CONCIONIBUS
ANNOS IPSOS XIII. FELICITER REXISSET,
MAGNO SUI RELICTO DESIDERIO
ANNUM ÆTATIS AGENS LXVIII.
E VIVIS EXCESSIT:
JOANNES RICHARDOTUS
PHILIPPO II. HISPANIARUM REGI
A RERUM STATUS SECRETISQUE CONSILIIS
AC LIBELLIS, ET ARTESIÆ PRÆSES,
AVUNCULO OPT. NEPOS MOESTISS. POS.
OBIIT VII. KAL. AUG. MDLXXIV.

Vide *Moreri Dict. Histor. Foppens Bibliothec. Belgic. & Joann. Bapt. de Castillion Sacram Belgii Chronolog. P. II.*

Digitized by Google

esset in Ecclesiis, id posset communibus votis & auctoritate publica restitui, corrigi, reduci. Neque sane hæc fuit penitus supervacanea, & inanis opera. Nam singulari DEI Optimi, Maximi beneficio, jam videtur sydus aliquod propicium nobis affulgere, quod hanc deformatæ vitæ prioris caliginem, ex Christiana Republica sensim abigat; & priscæ sanctimoniæ, saltem vestigia reponat. Jam ardere multos gloriæ Divinæ propagandæ desiderio majore, quam prius, cernimus. Jam Pastores, multis locis cum doctrina sana, tum moribus integris, prælucere conspicimus. Jam pleraque Monasteria, Cœnobia, Collegia, specimen præbere laicis cœperunt, virtutis, ac pietatis excolendæ. Jam timor Numinis animos in Clero multorum afficit. Se Episcopi non ad ocium, sed negotium vocatos intelligunt, & Provinciam suam labore, ac diligentia fideliter obeunt. Nos itaque, quia in eadem sorte ministerii, Christus Pastorum Princeps censeri voluit, induximus jam pridem in animum, si qua ratione illorum conatus assectari; vel imitatione quadam possemus, ac semel perficere, ut Clerus, populusque noster ad eas res, studium intendat: quibus & Christiani nominis bonos & salus Christi merito parta, comparari queat. Synodum itaque nostram, frequenti consessu, per DEI gratiam celebravimus, quod DEUS bene vertat; & veteribus Majorum ac Prædecessorum nostrorum Statutis quædam, ut res & occasio postulare visa est, adjecimus; quæ eo maxime spectant, ut fides, Verbo DEI & Apostolica doctrina stabilita, pias mentes, adversus omnes hæreticorum technas & machinas, muniat: ut Ecclesiæ Sacramenta recte & erudite tradantur, cultus Divinus, pie ac religiose procuretur: vita & mores instituto, & ordini nostro respondeant. In quo tametsi progressus sit languidior, quam vellemus, tamen nos fructum aliquem nostræ hujus propensionis, DEO incrementum dante, ad horrea Domini redituram speramus. Ea est quidem humanarum virium imbecillitas, ut ultro præcipites ruamus ad deteriora, anxie autem & ægre, ad potiora consecuamur. Sed omnia tamen in eo possumus, qui nos confirmat. Quare enitendum nobis est nervis omnibus, ut stadium semel ingressi, propositum nobis bravium constantia, & perseverantia, fortiter apprehendamus. Animum vero nobis, & spiritus augere facile possint, ne ordinem, stationemque deseramus, neve gradum revocemus, Sanctorum exempla, merces sempiternæ felicitatis piis proposita, periculum, quod cervicibus officii desertorum, imminet. Sacerdos, in iis quæ sunt ad DEUM, constitutus est; non tantum autem in iis, quæ sunt ad homines: quanta igitur munditia, quanta innocentia præditus, quam defæcatus, & excoctus, ac ob omni macula repurgatus, in Divinum conspectum prodire debet sacrificaturus, oblaturus, interpellaturus? Demus esse aliqua ex parte tolerabile, si Pastor, Doctor, Parochus, ad plebem concionetur vicio aliquo notatus, at si in aditum ac penetrale Divini colloquii se conferat illotus, si scelere & flagitio contaminatus, quibus pœnis hæc temeritas satis expiari potest? Voce Domini territus generis humani parens ab eo profugit: pudebat enim hominem nuditatis suæ. An nos non pudeat, vultui Divinitatis astare, sordidos & impuros? Exhorruit Esaias, quod Majestatem Divinitatis aspectasset, cum pollutus esset labiis. Quid si polluta conscientia, prodeas in Domini Sanctuarium? Perspicite Fratres, quanta sedulitate, quantisve jejuniorum, vigiliarum, meditationum exercitiis, Moses, Daniel, Hesdras, se ipsos ad Angelorum congressus, & oracula componebant: quorum nos exemplo summam tota vita degenda, innocentiam colere, & si quid maculæ, per infirmitatem, aut insciliam, contractum est; pœnitentia illud eluere, mentemque ad cœlestes delitias, precibus erigere, res sacras aggressuri, & in arcanum Sanctuarii subituri debemus: id est, Mysteria Corporis & Sanguinis Christi celebraturi. Considerate, quantum referat Ecclesiæ ac salutis publicæ, nostri ordinis homines, quocumque gradu sint constituti, servare fidem in religione, pietatem in cæremoniis, gravitatem in moribus, diligentiam in ministeriis, charitatem in officiis: quæ omnia quo facilius & melius exequi possimus, Scriptura præceptis, Ecclesia traditionibus, Patres Canonibus, Decretis, ac Statutis, nos erudiunt & instituunt. Quare vos in Domino monemus, obsecramus, & obtestamur, uti per omnia, decorum personæ servetis, quam agendam in hac scena suscepistis. Mandamus autem omnibus, in Clero nostro jurisdictioni nostræ, subditis, ac maxime Decanis & Pastoribus, ut diligenter hæc nostra Statuta teneant, observent, & observari curent. Cæterum, cum Illustrissimus ac Reverendissimus Dominus Antonius Perenotus, Cardinalis Granvellanus, quo tempore hujus Ecclesiæ gerebat Episcopatum, pro sua pietate ac diligentia, antiqua Majorum nostrorum Statuta recognosci per homines pios & doctos curaverit, ea ipsa Statuta nostris adjungi voluimus

luimus, quæ ſervari mandamus, ut noſtra: ita tamen, ut ſi quid contineatur in illis, quod Tridentino atque Cameracenſi Conciliis mutatum, aliterve conſtitutum fuerit, locum non habeat, ſed auctoritati cedat Sanctæ Matris Eccleſiæ Catholicæ & Apoſtolicæ. Faxit autem Chriſtus, idem Rex, idem Pontifex noſter, ut poſt tantas tenebras, optata luce & tranquillitate frui ac gaudere poſſimus.

INDEX TITULORUM.

I. De Fide Summæ Trinitatis, & doctrina Religionis Catholicæ.
II. De Sacramentis in genere.
III. De Baptiſmo.
IV. De Sacramento Confirmationis.
V. De Sacramento Pœnitentiæ.
VI. De Euchariſtia.
VII. De Sacramento Ordinis.
VIII. De Matrimonio.
IX. De Sacramento Extremæ Unctionis.
X. De Vita & honeſtate Clericorum.
XI. De Decanis Chriſtianitatis, ſeu Archi-Presbyteris.
XII. De Paſtoribus.
XIII. De Viſitationibus.
XIV. De Cultu & Officio Divino.
XV. De Lectionibus.
XVI. De Fundationibus & Exequiis.
XVII. De Monaſteriis.
XVIII. De Hæreticis, & eorum libris.
XIX. De Excommunicatione, Cenſuris & monitione.
XIX. De pluralitate Beneficiorum.
XX. De rebus Eccleſiæ non alienandis.
XXI. De Vita & honeſtate Clericorum.
XXII. De Scholis & Magiſtris.
XXIII. De ceſſione bonorum facienda.
XXIV. De Uſuris & uſurariis contractibus.
XXV. De Teſtamentis.
XXVI. De inhumatione Corporum.
XXVII. De Privilegiis & Privilegiatis.
XXVIII. De Veneratione Eccleſiarum vel Cœmeteriorum.
XXIX. De Immunitate Eccleſiarum vel Cœmeteriorum &c.
XXX. De Refectione Eccleſiarum.
XXXI. De Domibus Beneficiatorum.
XXXII. De Feſtis colendis.
XXXIII. De Obſervatione Jejuniorum.
XXXIV. De Purificatione poſt partum.
XXXV. De Domibus Religioſorum.
XXXVI. De Mandatis Curiæ obſervandis & exequendis.
XXXVII. De Executione Mandatorum Judicum delegatorum.
XXXVIII. De Abuſoribus.
XXXIX. De Portitoribus Literarum.
XL. Qualiter venientes ad Curiam debent plena libertate gaudere.
XLI. De Clericis captis, & eorum bonis.
XLII. De Sententia Excommunicationis, & ex quibus cauſis &c.
XLIII. De Interdicto non violando, & qualiter interdicto durante ſit celebrandum.
XLIV. De tribus Conciliis Provincialibus, & primo de Concilio Compendienſi &c.
XLV. Concilium Sylvanectenſe.
XLVI. Concilium Novionenſe.
XLVII. De Promotoribus.
XLVIII. De Procuratoribus.
XLIX. De Revocatione Gratiarum.
L. De Quæſtoribus & Abuſoribus.
LI. Conſtitutiones Synodales MARTINI Epiſcopi.
LII. Statuta Concilii Remenſis.

INDEX STATUTORUM ANTIQUORUM.

I. De modo veniendi ad Synodum.
II. De Sacramentis in genere.
III. De Baptiſmo, & ejus effectu.
IV. De Confirmatione.
V. De Sacramento Confeſſionis.
VI. De Caſibus reſervatis Epiſcopo.
VII. De Euchariſtia.
VIII. De Celebratione Miſſarum.
IX. De Oblationibus in Miſſa faciendis.
X. De Celebratione Horarum Canonicarum.
XI. De Proceſſionibus.
XII. De Prædicatione Verbi Dei.
XIII. De Matrimonio.
XIV. De Sacramento Ordinis.
XV. De Sacramento Extremæ Unctionis.
XVI. De Pœnitentiis & Remiſſionibus.
XVII. De non reſidentibus in ſuis beneficiis.
XVIII. De Receptione Clericorum, & eorum Præſentatione.

I. De

Digitized by Google

I. De Fide Summæ Trinitatis, & Doctrina Religionis Catholicæ.

CAPUT I.

FIdes initium eſt ædificationis Eccleſiaſticæ, ſine qua in oculis Domini nulla virtus, nullumque meritum poteſt ſubſiſtere : eſt enim rerum ſperandarum Hypoſtaſis, ita, ut ſpes futuræ vitæ nulla certa eſſe queat, niſi fide vera, non ficta: integra, non mutila ſuſtentetur. Quare mandamus in primis omnibus perſonis Eccleſiaſticis, curam animarum & regimen Eccleſiarum habentibus : uti per omnia doctrinam fidei, juxta Verbum Dei, & Sanctæ Matris Apoſtolicæ & Catholicæ Eccleſiæ traditionem, ſolide teneant, Symbola tum Apoſtolorum, tum Nicenæ Synodi, & Athanaſii ſciant, & pro ſuo quisque captu intelligere contendant, ſequanturque per omnia, quæ de Sancta Trinitate & Fide Catholica, Innocentius Tertius in Concilio Generali, Gregorius Decimus in Lugdunenſi, Clemens Quintus in Viennenſi Conciliis, tradiderunt.

II.

Volumus inſuper ; ut quotquot regundis Eccleſiis præfecti ſunt, & Paſtoris in Eccleſia nomen ſuſtinent, hi doctrinam Articulorum fidei, Præceptorum Decalogi, Sacramentorum Eccleſiæ, vim & rationem Orationis Dominicæ probe perdiſcant & teneant: quam doctrinam frequentius populis ſuis explicent, ſimulque Præcepta Sanctæ Matris Eccleſiæ doceant, benignitatisque Divinæ largitatem erga pios, miſericordiæ promptitudinem erga pœnitentes, furorisque ſui pondus adverſus impios, ſceleratos & contumaces exponant, & in ſuis concionibus ad officia virtutum alliciant, a vitiis autem ſerio deterreant.

II. De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

QUoniam Paſtorum intereſt, non tantum plebem docere, ſed fidelibus rite pieque Sacramenta & Myſteria Eccleſiæ miniſtrare, nec ſpes eſt, poſſe ex illis tam uberem fructum percipi; niſi accedat doctrina, qua rudiores aliqua ex parte vim, efficaciam & uſum legitimum intelligere queant; hinc fit, ut ſerio præcipiamus omnibus Paſtoribus, ut in Sacramentorum adminiſtratione, ſemper aliquid adferant ad explicandam inſtitutionem & utilitatem Sacramenti; ex quo præſentes ædificationem aliquam capiant: uti jam a nobis alias conſtitutum eſt, traditis ad compendium hujus rei formulis.

II.

Cæterum mandamus, ut hæc Sacramenta reverenter, cordate & diligenter miniſtrent; ne temere & negligenter tam Sanctum Miniſterium obeant: omnes autem avaritiæ ſordes, & quæſtus inhoneſti & reprobati ſuſpiciones evitent; ne mercedem (quaſi in rebus Sanctis & Spiritualibus commutatio ulla juſta eſſe queat) vel captent procaciter, vel exigant ſordide.

III.

Sed tamen, ubi ſolidi fructus nulli ſunt, aut exigui beneficiorum curatorum, & minores, quam ut ſufficiant alimoniæ Paſtorum: ſi populus ſe durum & avarum præbeat, nec liberaliter pro ſuo quisque modulo aliquid conferat Paſtoribus, Sacramenta miniſtrantibus; agi debebit cum Majeſt. Regia, ut iisdem Paſtoribus, greges neceſſaria commode provideant, ſive per decimas perſonales, quas certum eſt ceſſiſſe conſuetudini laudatæ, qua populus pro miniſtratione Sacramentorum liberaliter honorarium aliquod impendere ſolebat: ſive alia quavis ratione : alioqui valde eſſet inhumanum, laborem Paſtoralis officii requirere ſine juſta mercede, & ſublata omni ratione parandi victus & veſtitus.

III. De Baptiſmo.

CAPUT I.

BAptiſaturus Presbyter ſe præparet oratione, ſit ſobrius, ac, ſi fieri poteſt, jejunus : cæremonias honeſte, ac reverenter expleat : Catechiſmum non perfunctorie, ſed diſtincte pro-

Digitized by Google

nunciet. Verba autem Sacramentalia attente & distincte proferat: nec ferat Pastor Baptismum quavis de causa differri, sed propter periculum moneat Parentes infantium, ut primo quoque tempore eos baptisari curent. Baptismus autem in Ecclesia conferatur, nisi gravis aliqua causa & necessitas postulet. Plures susceptores, aut susceptrices, quam ex Concilio Tridentino conceditur, non admittant. Qui hoc mandatum contempserit, castigabitur Canonica pœna.

II.

Præcipimus item, ut antequam accingatur Presbyter ad Baptismum conferendum, si dubitatur de Parentibus; ut auctoritate nostra Ordinaria sub pœna excommunicationis, obstetricibus mandet & susceptoribus, declarare nominatim Parentes infantium, locum ubi habitent; ut possit inscribi, quo die baptisati, quibus Parentibus orti, quibus Susceptoribus in Ecclesiam adducti & ad Baptismum oblati fuerint.

III.

Pastor, aut quivis Presbyter baptisans, susceptores, ac susceptrices admoneant officii sui: publiceque usum, efficaciam, institutionem & fructum Baptismi (ut locus, tempusque ferre poterunt) breviter explicet.

IV.

Servet Pastor registrum (quod vocant) in quo nomina Baptitatorum, Parentum & Susceptorum inscribantur: quod registrum teneatur exhibere cum opus fuerit, & integrum successori relinquere. Explicet præterea, cum quibus personis susceptores cognationem spiritualem contrahant ex præscripto Decreti Tridentini. Scilicet quod cum baptisato, & ejus parentibus & baptisante tantum, ineant ejusmodi cognationem & propinquitatem spiritualem.

V.

Reliqua autem, quæ pertinent ad hujusmodi Sacramenti ministrationem, servare præcipimus, juxta Prædecessorum nostrorum piæ memoriæ Statuta Synodalia. Sed illud inprimis serio mandamus, ne pueros, aut prorsus ignaros susceptores admittant: aut qui Symbolum fidei, & Præcepta Decalogi, & Orationem Dominicam probe non teneant.

IV. De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

COnfirmationis mysterium & Sacramentum magnas utilitates rite suscipientibus adfert, propter donum roborantis & Confirmationis Spiritus Sancti, qui haud dubie piorum animis jam in Christo renatis, ad uberiorem gratiam per impositionem manuum & hujus Sacramenti ministrationem, & Ecclesiæ orationem illabitur. Propterea præcipimus omnibus Pastoribus, & Ecclesiarum Rectoribus, ut sæpe moneant populares in Parochiis suis; ne hujus Sacramenti susceptionem negligant, aut in extremam senectam differant. Hortentur quoque, ut ad hoc suscipiendum, oratione & affectu pio, atque peccatorum confessione, si adsit opportunitas, se præparent: atque ante omnia curent, ut quotquot se huic Sacramento offerunt; teneant latina, & vernacula lingua Orationem Dominicam, Symbolum Apostolorum, Præcepta Dei & Ecclesiæ: sciantque confessionem dici solitam initio Missæ.

V. De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

SAcramentum Pœnitentiæ, ejusque partes, Pastores sæpius ovibus suis explicent: maxime vero circa ea tempora, quibus aut ex præcepto, aut ex laudabili & religiosa consuetudine, solent populares confiteri peccata sua; ut intelligant, quæ sit vera contritio, quamque sit efficax seria præteriti peccati detestatio. Doceant omnes veræ integræque confessionis circumstantias, quanta humilitate scilicet, quanto animi dolore, quanta spe misericordiæ; quantaque integritate & veritate, in explicandis latebris conscientiarum suarum ad hoc Sacramentum accedere debeant. Doceant insuper, quam religiose satisfactionem explere, & quam

firmo

firmo propoſito ſtatuere debeant, ne rurſus in peccatorum ſentinam recidant. Sed ante omnia doceant, remiſſionem peccatorum & expiationem, merito Sanguinis Chriſti Domini noſtri præcipue niti, & ab eo pendere, etiamſi neceſſaria ſit ſatisfactio, quæ auctoritate clavium imponitur.

II.

Paſtores diligenter conſiderent ovilia ſua & inſcribant ſingulos, qui (ſemel in anno ſaltem) confeſſi fuerint peccata propria, idque proprio Sacerdoti, aut alteri idoneo, qui hujus rei poteſtatem habeat ab ipſo Paſtore; ut intelligat, & plane cognoſcat in ſuis gregibus, an ſint aliqui, qui hoc Sanctum Eccleſiæ Præceptum negligant; quos tenebitur notare ac deferre. Quod ſi quis contumaciter contemſerit, Eccleſiæ mandato parere; prohibeatur aditu & ingreſſu ipſius Eccleſiæ, dum vivit, & non reſipit; mortuus Eccleſiaſtica ſepultura privetur.

III.

Mandamus præterea Paſtoribus, ne ſuo loco ullos Sacerdotes ad confeſſiones audiendas admittant, niſi probatos & admiſſos; ſi ſecus fecerint, puniantur graviter: quia valde dedecet, nec ſine gravi periculo permittitur, ut rudes & indocti hoc miniſterium ſubeant: quando quidem ea in re opus eſt magna diligentia, cautione & peritia ad conſulendum, increpandum, conſolandum & leniendum, ut res & occaſio poſtulaverit.

IV.

Nemo præterea, ſive Regularis, ſive Laicus circa feſtum Reſurrectionis Domini (id eſt, tempore Quadrageſimæ) confeſſiones pœnitentium audiat, ſive abſolvat; ſine ſcitu & licentia Paſtoris: cujus unius intereſt, ſaltem ſemel in anno, ſuas oves recognoſcere.

V.

Et quia Nobis relatum eſt nonnullos Sacerdotes tam Religioſos, quam laicos; officium Paſtoris in purificandis puerperis uſurpare (quamvis id ſub ſententia excommunicationis ſit prohibitum) Nos propterea denunciamus eandem ſententiam a jure latam, contra quoslibet, cujuscunque ſint conditionis, qui id attentaverint, qui hanc Conſtitutionem contemſerint, ſtatim Officiali noſtro renuncient, ut declarentur excommunicati.

VI.

Præcipimus præterea omnibus Paſtoribus, ut diligenter pœnitentes admoneant, ne per incuriam ea peccata putent eſſe nulla, quæ tamen gravia ſunt in oculis Domini: cujusmodi ſunt illa omnia, ex quibus incurritur in excommunicationis ſententiam. Cujusmodi etiam ſunt fraudes, impoſturæ, & rerum alienarum, ſive ſacrarum, aut prophanarum, ſive ſint publicæ, ſive privatæ, detentiones injuſtæ, nec eos temere abſolvant, niſi firmo propoſito reſtituendi, quod injuſte detinetur.

VII.

A ſententia autem majoris excommunicationis non abſolvant, ſive ſit a jure, ſive ſit ab homine lata; quod idem prohibemus diſtricte tam Religioſis, quam ſæcularibus Sacerdotibus, ne quid hujusmodi audeant.

VIII.

Permittimus autem tantisper, dum ita videbitur fieri convenire, ut Paſtores, & alii hujus rei poteſtatem habentes, a caſibus Nobis alias reſervatis, pœnitentes abſolvant; præterquam ab excommunicationis ſententia, hæreſis crimine, homicidio voluntario, & nephanda libidine.

IX.

In Eccleſiis Cathedralibus, & aliis Collegiis Canonicorum, qui curam animarum gerunt, ſive Præpoſiti, ſive Decani, habito Capituli conſilio, quosdam viros bonos, probos Presbyteros eligant, qui, de licentia tamen noſtra, prius accepta, poſſint confeſſiones audire ſuorum, & eosdem abſolvere ab iiſdem caſibus, ut prædictum eſt.

X.

Nemo, niſi obtenta Paſtoris, propriique Sacerdotis facultate ad munus abſol-

Digitized by Google

abſolvendi pœnitentes, confeſſionesque audiendi, ſe conferat: niſi eam poteſtatem a Nobis acceperit. Quam poteſtatem ſi cui concedemus, ita tamen concedemus, ut proprio Sacerdoti ſemel in anno confiteri debeant.

VI. De Euchariſtia.

CAPUT I.

SAcroſanctam Euchariſtiam, qua Corpus & Sanguis Chriſti continetur, ſumma religione, pietate, & reverentia conſecrandam, offerendam, ſumendam, ac diſtribuendam eſſe, certiſſimum eſt. Qua in re ſi quid vel per incuriam, vel per contemptum, aut quavis alia indignitate peccetur, tum graviſſime & perniciosiſſime peccatur. Quare diſtricte mandamus & præcipimus, ut Sanctiſſimum hoc, ac Diviniſſimum Sacramentum Sacerdotes celebraturi, ſe præparent & probent. Et idcirco mandamus, ne cui liceat in Dioceſi noſtra, Miſſas & Sacrificia celebrare, de cujus vita, moribus & fide, etiam per literas a Nobis conceſſas & fidem facientes, non conſtiterit.

II.

Teneant Presbyteri, & diligenter advertant omnia Sacrificii Miſſæ myſteria, quo majore reverentia & cultu, majoreque fructu hanc ſalutarem Hoſtiam, Deo pro ſalute fidelium offerre queant, in memoriam ejus cruenti Sacrificii, quod Chriſtus pro ſalute generis humani in Crucem ſublatus obtulit.

III.

Frequenter hujus tanti Sacramenti ſublimitatem, inſtitutionem, uſum legitimum & fructum pie ſumentibus exponant; ac præcipue, quando fidelibus ſumendum diſtribuitur. Ceremonias autem in Miſſa ſervari ſolitas (ne propter hæreticorum probra & contumelias in contemptum veniant) Paſtores ſubinde ſuis popularibus, pro captu & ratione loci ac temporis exponent.

IV.

Præterea idem Sacramentum ſervetur loco mundo, & vaſe honeſto ac puro, renoveturque bis, ut minimum, ſingulis menſibus: feratur ægrotis, ſed reverenter, ut decet, & a Majoribus Nobis traditum eſt: caveaturque, ut vel plures, vel ſaltem duæ Hoſtiæ ferantur, ne in redeuntis Miniſtri manibus inane & vacuum vaſculum populus adoret, deturque laborantibus & ægris, modo nullo vomitus periculo, liceat; ſed ita tamen detur, ut intelligant eſſe viaticum ſalutis, teſſeram remiſſionis peccatorum, ſymbolum & ſignaculum teſtamenti Chriſti, ad firmandum animum ægrotantium & de vita periclitantium, & fidem, ſpemque illorum fulciendam adverſus inſultus Satanæ. Propterea dent operam Paſtores, ut viva & pathetica oratione, ægrotos excitent, quo firmiſſime credant, hoc Sacramento piis mentibus Chriſtum cum ſuis donis exhiberi.

V.

Paſtores etiam moneant Patresfamilias, ut liberos, ubi ætatem idoneam nacti fuerint, ad hujus Sacroſancti Myſterii perceptionem inducant, & offerant Eccleſiæ, ut hoc ſanctiſſimo pabulo paſti & educati, in omne opus bonum crementa ſuſcipiant.

VII. De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

QUotquot ad Sacros Ordines promovendi ad Nos, vel Vicarios, Archi-Diaconosve noſtros ſe conferent examinandos; volumus literas teſtimoniales exhibere, quibus certum fiat de vita & moribus, qua in re ne qua fraus committi queat, ſervari præcipimus Decretum Concilii Cameracenſis Provincialis, ut uno menſe, priuſquam ſint ordinandi, in Eccleſia publice ſignificetur, quod ad Sacros Ordines proxime futuros cupiant admitti, ut, ſi quod impedimentum produci queat, ne promoveri debeant, Nos, noſtrique Vicarii certiores facti, vel differamus, vel omnino remittamus.

II.

Tonſura non detur, niſi ætate idonea, quam exprimi volumus in literis, nec admittantur, niſi qui legere expedite norint, quique fidem faciant, ſe eo

Digitized by Google

eo animo hunc gradum optare, ut Deo & Ecclesiæ serviant.

III.

Præcipimus item, ut pridie ejus diei, quo Ordines celebrari debent, adsint hora octava ante meridiem in æde Episcopali nostra, non tantum examinandi, sed instituendi, si facultas dabitur.

IV.

Titulos Patrimoniales a Decanis, seu Archi-Presbyteris Christianitatis approbandos offerri Officiali nostro volumus & diligenter examinari, ut fit in Metropolitana Ecclesia Cameracensi, & reliquis Episcopatibus hujus Provinciæ: nec non jusjurandum interponi ab his, qui eos titulos habebunt: quod eos servabunt, nec ejurabunt, aut in alios conferent, nisi obtento beneficio ad alimoniam sufficienti.

VIII. De Matrimonio.

CAPUT I.

QUod attinet ad Sacramentum Matrimonii, præcipimus ea omnia servari, quæ Decretis Conciliorum Tridentini & Cameracensis constituta sunt. Cæterum Pastores doceant, vinculum esse Divinitus firmatum, & in Matrimonio Christiano imaginem extare Sacrosancti Conjugii, quod inter Christum & Ecclesiam intercedit.

II.

Doceant, præterea Ecclesiæ benedictionem in Sacramento contrahendo nullo modo contemni debere: quia ea plurimum conferre potest ad incolumitatem & felicitatem rei familiaris, ad pacem & concordiam fovendam inter partes, ad prolem suscipiendam, & cætera omnia Matrimonii bona.

III.

Doceant insuper, Matrimonium rem esse sacram, ac præterea loco sacro celebrari debere, quoad fieri possit.

IV.

De impedimentis autem Matrimonii, quoniam iisdem Conciliis Tridentino & Cameracensi abunde definitum est, ea omnia ita observanda declaramus, ut rectissime constituta sunt.

IX. De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

HOc Sacramentum religiose ferant Pastores laborantibus in extremis, qui eundo, Psalmos, precesque consuetas devote & attente recitent. Ægrotis omnia ex Sacris Scripturis & traditionibus adferant, quibus fides spesque in Deum stabiliri possit: moneantur ægroti suam fidem, quam in Baptismo susceperunt, aperte & libere profiteri, Christi & Sanctorum Patrocinium interpellare, promissiones Divinas pœnitentibus factas, & in Christum credentibus oblatas & consignatas, revocent in memoriam: ostendant, non esse in potestate cujusquam, oves Christi rapere de manu ejus, nec posse perire animam, quæ toto corde per Christum (qui est ostium) feratur in Deum Patrem.

II.

Quoniam vero & charitas, & ratio Pastoralis officii requirunt, ut sæpius ægrotantes invisamus, ac eos maxime, qui versantur in mortis periculo: eosdem Pastores in nomine Domini nostri JESU CHRISTI monemus & hortamur, ut ægrotos suos frequenter visitent; & initio ad pœnitentiam & confessionem hortentur: quibus ostendant, quam lubrica sit & incerta hujus vitæ statio: ut pie disponant res suas; ut, si quid est injuriarum, aut malevolentiæ, quibus in propinquos suos peccaverint; in tempore rationem ineant, qua parta benevolentia & reintegrata concordia omnem simultatem deponant, & pro injuria satisfaciant: sed ante omnia beneficium Christi proponant, & Dei erga pœnitentes misericordiam.

X. De Vita & Honestate Clericorum.

CAPUT I.

CLerum oportet non tantum doctrina, sed vitæ integritate cæteris prælucere, & iis dotibus animi orna-

tum esse, quas Apostolus in Episcopis, Presbyteris, Diaconis ostendit. Quare omnes & singulos Ordines Ecclesiasticos, quemcunque locum teneant, monemus in Domino, ut vitam omnibus virtutibus informatam, nullis autem sceleribus contaminatam ducant: ne qui reliquis exemplo esse debent, sint scandalo. Ante omnia, ut Deum religiose colant: gravitatem in gestu & moribus externis, ordini suo convenientem, retineant: castitatem ac sobrietatem præ se ferant, officia charitatis præbeant, nec verbo, nec facto ullam injuriam inferant.

II.

Si quis autem vel Pastor, vel Presbyter, vel in Sacris Ordinibus constitutus, in tabernis potoriis versetur extra necessitatem, & præter ordinis honestatem; præcipimus nulla dissimulatione a Pastoribus & Decanis, huic Officiali nostro deferri, & pro ratione peccati severe puniri. Quicumque autem temulentus fuerit, contumelia ordinis Ecclesiastici, carcere & jejunio puniri mandamus: ebriosos autem, id est, quibus consuetudo est, ebrietatem sectari, nisi castigati ac moniti resipiscant, volumus omnino Sacrorum ministeriis arceri. Quod si hujusmodi aliquos vel Decani, vel Pastores per dissimulationem tolerent, eosdem ut sceleris fautores per Officialem nostrum castigari & puniri mandamus: atque eo severius, quod nullum peccati genus sit, quo solutius & laxius se polluant Ecclesiastici, quam ebrietatis vicium, cum gravissima & intolerabili contumelia Ordinis Ecclesiastici.

III.

Si quis Sacerdos, aut in Sacris constitutus, aut laicus, mulieres quocumque prætextu apud se retineat, quarum fama maculam turpitudinis inter populares habeat, aut quæ vehementi suspicione incontinentiæ laborent, moneantur illas a se removere: ipsæ vero mulieres ita suspectæ, ter monitæ, nisi decesserint, agi cum Magistratu debebit, ut exire loco compellantur, ut auctoritate ejusdem ejiciantur.

IV.

Quicumque autem in crimine incontinentiæ deprehensus fuerit, carcere & jejunio ad sceleris castigationem, juxta Concilii Tridentini Sanctiones nulla remissione punietur: nec ipse tantum, sed si qui peccatum dissimulent, cum prodere deberent, arbitrio nostro, vel Officialis nostri castigabuntur.

V.

Prohibemus præterea, ne Sacerdotibus liceat secularia ministeria, aut exercitia minus honesta, aut quæ statui Presbyterii derogent, subire, aut exercere commercia contra decorum Ordinis Ecclesiastici.

VI.

Pastores, seu Sacerdotes Notarii munus non exerceant, nisi in casibus a jure permissis & concessis.

XI. De Decanis Christianitatis, seu Archi-Presbyteris.

CAPUT I.

DEcani omnes Christianitatis nostræ Diœcesis serio moneant Rectores Parochialium Ecclesiarum suorum Decanatuum; ut solicite considerent & observent, sintne aliqui in suis Parochiis, qui sinistre & male de Fide Catholica sentiant; sine ulla dissimulatione quotquot hujusmodi homines repererint hoc vicio laborare, renuntient nominatim eisdem Decanis, qui tenebuntur singulis mensibus semel dictos Curatos monere, & ab eis scisciari super hoc, & ubi informatione facta compererint aliquos, teneantur statim Officialem nostrum certiorem facere, ut præcludatur via omnibus scandalis & hæresibus.

II.

Decani diligenter advigilent, ne in cultu Divino, cæremoniis, aut hujusmodi rebus, quæ ad religionem pertinent, ullus abusus aut superstitio possint irrepere, aut si qua irrepserit, statim nos moneant, ne hoc malum per incuriam radices agat.

III.

Digitized by Google

III.

Curent ipſi quoque, ut cultus Divinus pie & religioſe in Eccleſiis Parochialibus perficiatur, ac idoneo tempore, ut in Cameracenſi Provinciali Synodo præcipitur.

IV.

Dicti Decani & Curati advertant ſuper ratione inſtituendi juvenes in literis, & maxime de religione, moribus & doctrina Ludimagiſtrorum, certiores fieri curent. Inprimis autem ſciant, qui libri legantur, neque patiantur legi aut doceri, ex quibus ingenia pueritiæ corrumpi poſſint: moneantque eosdem Ludimagiſtros, ut diſcipulos doceant Præcepta Dei, Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam Latine & Gallice, & alia, quæ pertinent ad pietatem, & ne ab eisdem Decanis contemnatur hic Articulus:

Præcipimus quoque, ut ipſi Decani renuncient per literas, aut alio modo, quomodo procedatur in inſtitutione dictæ juventutis.

V.

Iidem Decani conſiderent diligenter, an Paſtores exequantur, quæ prius a Nobis mandata fuerunt, ſcilicet, ut ſingulis ſaltem menſibus die Dominico jubeant congregari minores Parochiarum ſuarum; ut cognoſcant, an iidem juvenes teneant memoria Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Præcepta Dei & Eccleſiæ, ut jam dictum eſt. Qua in re ſi qua negligentia committatur ab eisdem Paſtoribus, iidem Decani certiores nos faciant. Ut autem pueritia & minor ætas commodius poſſit inſtitui, hortamur Patresfamilias, Præceptores & Ludimagiſtros, ut libellum, cui titulus eſt: L'Enfance du Chreſtien, Duaci ad hanc rem judicio noſtro editum, tradant pueris, filiis, diſcipulis, cum literarum rudimentis ediſcendum; ut ab ineunte ætate ſementem veræ pietatis & religionis capiant.

VI.

In Capitulis Decanatuum ruralium ſumptus fiant moderati ac tenues: ſervetur frugalitas & honeſtas: caveant que Decani, ne quid exigant a Paſtoribus præter ea, quæ jure & legitime recipi debent. Cujus rei Officialis noſter curam ſuſcipiat, Nobisque renuntiet, an iidem Decani, aut Promotores, præterquam, quod æquum eſt, & conſtitutum fuerit in formulis Curiæ noſtræ, a Paſtoribus extorqueant, ut huic malo tempeſtive provideatur.

XII. De Paſtoribus.

CAPUT I.

REctores Eccleſiarum non permittant concionari, niſi eos, qui mandatum & conceſſionem noſtram, aut Vicariatus noſtri habuerint, & eos, qui concionabuntur, diligenter audient: quos ſi deprehenderint aliquid dixiſſe, quod videatur parere offendiculum, alienare Laicos ab Eccleſiaſtica obedientia, & veriſimiliter induere aliquam falſam opinionem de fide; tunc ſine ſtrepitu Nobis, aut Officiali noſtro renunciare mandamus, cum nomine & ordine perſonæ, quæ hæc concionando protulerit.

II.

Ipſi Paſtores, ut rite Provinciam ſuam ſuſtineant & expleant, non tantum miniſtrando Sacramenta, ſed docendo populum ſibi commiſſum, idque diebus Feſtis & Dominicis, maxime ſi deſint Concionatores, utantur Catholicorum Catechiſmis, homeliis Patrum & piis tractatibus Sanctorum: quod ſi dederit occaſio, ut Sectariorum opiniones refutent, id ita faciant, ut explicate & ſolide Sanctæ Matris Eccleſiæ ſententiam tueantur, ad quod perficiendum, utantur libris ad hanc rem editis & evulgatis.

III.

Si Paſtorum penuria laboretur, placeatque Capellanos Eccleſiarum, ſive Cathedralium, ſive Collegiatarum ad hoc miniſterium advocare, illi tantisper dum Paſtoris officium ſuſtinebunt, fructus beneficiorum ſuorum integros accipiant.

IV.

Mandamus item omnibus Curatis, ſeu Eccleſiarum Rectoribus, ut libellos

Digitized by Google

habeant, quibus continetur ſumma doctrinæ Chriſtianæ, ſive Latinos, ſive Gallicos, quorum magna eſt copia ubique; ut aſſiduitate lectionis illorum libellorum poſſint religioſe miniſtrare Sacramenta, maxime autem Sacramentum Pœnitentiæ, Matrimonii, Euchariſtiæ & Extremæ Unctionis: in quorum miniſterio & collatione debent dicti Rectores, ſeu Curati, docere, monere, conſolari, & terrere, pro caſus & rei exigentia. Quod tamen præſtare minime poterunt, niſi aſſueſcant lectionibus, & diſcant ea, quæ conveniunt eorum officio.

V.

Ne Rectores Eccleſiarum adhibeant ſibi Sacerdotes Coadjutores in adminiſtratione Sacramentorum, niſi quos ſciverint eſſe probos viros & idoneos, & nulla cauſa excommunicationis ſententia innodatos, nec transfugas, aut Religioſos, literis ſuorum Majorum minime munitos.

VI.

Paſtores ſi quos habent Sacerdotes, aut Sacellanos immorigeros, moneant illos: quod ſi non reſipiſcant moniti, non patiantur eos in choro eſſe & Divinum ſervitium peragere, priusquam Officiali noſtro fuerint denuntiati, & ab eo correcti & reſtituti.

VII.

Mandamus itaque, ne iidem Rectores, aut per ſe, aut per alios Coadjutores faciant Sponſalia in tabernis potoriis & publicis diverſoriis, maxime poſt compotationem & comeſſationes, ne fraus ulla intendi poſſit partibus contrahentibus, & ut honor habeatur Matrimonio.

VIII.

Nemo ad Paſtoratus officium admittatur, quin inter cætera ſancte quoque promittat, ter, quaterve in anno Statuta Synodalia diligenter lecturum, ut & ea ſtudioſius obſervet, & nihil prætermittat, quod ex frequenti dictorum Statutorum lectione, cognoverit ad officium ſuum pertinere. Qua in re quoque præcipimus, ut eadem Statuta in Capitulis omnibus per Paſtorem aliquem, a Decano nominandum, præſentibus aliis omnibus legantur.

IX.

Ne Sacerdoti, aut ordinato in Sacris, liceat incedere aut peregre proficiſci, præcipimus, niſi in tonſura Eccleſiaſtica & habitu decenti, ſcilicet pro ratione temporis & locorum; alioqui ſi hanc ordinationem contempſerint, per Decanos, aut Curatos deferantur puniendi.

X.

Moneant dicti Decani eoſdem Curatos & Rectores, ne permittant celebrari Miſſas in Eccleſiis ſuis tempore concionis, ſeu ſermonis publici; ut miniſterium prædicationis non interturbetur: ſed poſſint laici audire, & erudiri abſque impedimento.

XI.

Omnes, qui ratione ordinis, aut beneficii tenentur horas Canonicas legere, eas legant ſecundum ritum & uſum Atrebatenſis Eccleſiæ, aut ex præſcripto Romani Breviarii, nuper in lucem emiſſi, & auctoritate Sanctæ Sedis Apoſtolicæ confirmati & approbati.

XII.

Ut Decani moneant dictos Curatos & Rectores, ne patiantur Sacerdotes & Clericos, maximne in Sacris conſtitutos, libere verſari & colloquia ſecreta inire cum mulieribus, unde ſiniſtra aliqua ſuſpicio naſci poſſit: & ut non a malo ipſo, ſed a ſpecie mali ſe abſtineant, alioqui deferantur, qui admoniti non deſtiterint.

XIII.

Præcipimus etiam iiſdem Decanis & Rectoribus, ut admoneant Patresfamilias Parochiarum ſuarum, ne quoquo pacto ferant ſuos liberos aſſueſcere contumeliis probroſis & nefandi ſceleris, quibus paſſim abutuntur etiam pueri, cum magno dedecore nominis Chriſtiani; & ubi intellexerint, eosdem liberos, aut famulos licentioſe uti hujusmodi contumeliis, neque tamen caſtigari a parentibus, Nobis, aut Officiali renuntient. Quod idem mandamus

Digitized by Google

damus de blaſphemia & execrandis juramentis.

XIV.

Mandamus itaque, ut iidem diligenter conſiderent, ſintne aliqui inter laicos, maxime focum & larem habentes, qui negligant diebus Dominicis & Feſtis Miſſæ Parochianæ adeſſe; & quos noverint hujusmodi contemptores, moneant familiariter & amice primum, deinde ſi pergant Eccleſiam contemnere, deferantur Officiali noſtro.

XV.

Item, ut diligenter inquirant de delictis commiſſis, tam laicorum, quam Clericorum, ac maxime de his, quæ iram Dei confeſtim provocant, cujusmodi ſunt: Adulteria, inceſtus, blaſphemiæ & abominandæ libidines, uſuræ, & reliqua hujusmodi.

XVI.

Relatum Nobis eſt, quosdam Paſtores agros & prædia ſuorum beneficiorum clam elocare, & minoris multo, quam deberent; quo fit, ut proventus ſit minor, quam ut ſufficiat eorum alimoniæ. Quare præcipimus, ut dictæ locationes ſemper poſthac publica auctione fiant, vocato etiam Decano rurali.

XVII.

Patroni, & qui decimas recipiunt, portionem Canonicam pro rata Paſtoribus ſufficienter provideant, æſtimatione tamen facta frumenti pro ratione annonæ anni cujuslibet, deductis etiam oblationibus, ne dicti Paſtores, coacti penuria, ſordes quærere, & ſuum officium negligere cogantur.

XVIII.

Cæterum quia Laici magna ex parte contemnunt contra juris Divini ſententiam decimas Eccleſiaſticas reddere, idque propterea, quod non tangantur conſcientia hujus peccati; Mandamus, ut omnes Decani & Curati moneant diligenter populares ſuos, & doceant, jus decimarum eſſe inſtitutum a Deo, quod ſi negligatur, grave peccatum committunt. Propter quod ſæpe Dominus infert calamitates publicas in agros, & dat cœlum ferreum, & terram æream. Super quo debebunt dicti Rectores Eccleſiarum monere Concionatores, ut ſic doceant præſtita occaſione, reddere, quæ ſunt Cæſaris, Cæſari, & quæ ſunt Dei, Deo.

XIII. De Viſitationibus.

CAPUT I.

CUm in hac Diœceſi noſtra Parochialium Eccleſiarum viſitatio ex antiqua conſuetudine ſit penes Archi-Diaconos Eccleſiæ noſtræ, quibus ex Decreto Tridentini Concilii mandatur, ut hanc viſitationem adjuncto Notario noſtro perſonaliter obeant, volumus, & præcipimus, hanc viſitationem diligenter fieri, non autem perfunctorie, neque tantum, ut cognoſcatur de bonis Eccleſiaſticis, quomodo inſumantur, aut de Eccleſiarum rebus, cujusmodi ſunt ornamenta, libri, altaria, aut de Sacroſanctæ Euchariſtiæ honeſta conſervatione, aut Baptiſteriis, & hujusmodi aliis; ſed de Sacerdotum, Clericorum & Laicorum fide, vita, & moribus. Sed quia tamen accidit ſæpe, ut per ætatem, aut alia vitæ incommoda, non liceat iiſdem Archidiaconis perſonaliter eandem viſitationem perficere, tenebuntur hoc caſu aliquem probum virum a Nobis approbatum & acceptum, conſtituere, qui hujusmodi viſitationem obeat, & eorum loco rite & legitime ſuppleat, adjuncto Notario noſtro, qui, ne ſumptu gravent dictos Archidiaconos, poterunt uno die plures viſitationes perficere. Tenebuntur autem eædem Parochiales Eccleſiæ dictis Archidiaconis jus viſitationis ſuæ omnino perſolvere.

II.

Cæterum mandamus iiſdem Archi-Diaconis, ut in hac viſitatione ſua, aut ejus, quem ad hoc negotium commiſerunt, ſolicite cognoſcant & inquirant, quam recte ac diligenter Decani, ſeu Archi-Presbyteri, officium præſtent, & juramento ſuo ſatisfaciant, & an vita ſtatui reſpondeat. Quod ſi quid in eis deprehenderint, quod corrigi, caſtigarique debeat, illud teneantur ſine ulla diſſimulatione Nobis, aut Officiali noſtro ſignificare. Quia fieri non poteſt,

Digitized by Google

ut disciplina Ecclesiastica in Clero nostro vigeat, nisi iidem Decani probe & fideliter officium suum obeant, qui sunt speculatores & oculi, & quasi cor Episcopi nostri.

III.

Visitent etiam Ecclesiarum sarta tecta, Capellas, quas vocant, ædes tam Pastorum, quam Capellanorum.

IV.

Cæterum cum multi beneficia simplicia, veluti Capellanias obtinentes in Dioceſi nostra, in suis beneficiis non resideant, aliosque subrogent quoslibet, sine electu, qui Missas fundationis celebrent, scilicet, ut minoris possint hoc onus Missarum celebrandarum redimere, minime curantes, sintne probi, aut improbi ii, quibus id negotii committunt. Cumque fructus beneficiorum suorum laicis elocent, ex quo Sacella & ædes sæpe per avaritiam aut negligentiam corruunt, quæ omnia magnum detrimentum adferunt, & scandalum sæpe gravissimum pariunt; hinc fit, ut districte præcipiamus & mandemus, ne hæc sua beneficia, quantumlibet exigua, relinquant, aut aliis ad deserviendum committant, sine expressa licentia nostra, & literis super hac re confectis. Quod quia recte & juste observatur in Ecclesiis Metropolitana & Suffraganeis hujus Provinciæ, idem quoque hic volumus observari.

XIV. De Cultu & Officio Divino.

CAPUT I.

Quæcunque ad Cultum & Officium Divinum pertinent, ea integre servari & fieri præcipimus, quæ Conciliis Generali Tridentino & Provinciali Cameracensi statuta sunt; scilicet, ut in Collegiis & Capitulis, Canonici, qui choro adesse debent, non absint diutius ab Ecclesiis, quibus sunt designati, quam ab eisdem Conciliis concessum est; ut iidem Canonici suo quisque ordine & loco, quoad fieri per valetudinem, vel alias liceat, propria Ecclesiastica munia per se devote & religiose obeant: ut distributiones constituantur, & in Choro honestas & reverentia semper servetur; & ut potius Religionis pius motus & affectus in Officio Divino perficiendo, ad ædificationem Ecclesiæ eluceat; quam affectatio supervacanea, aut aliud quicquam, quod rem non pertineat.

II.

Quod vero ad Officium Parochialium Ecclesiarum pertinet, quoniam maxime dedecet, id ex cujusque arbitrio ac voluntate fieri; Nos ut suus honos Pastoribus, eorumque ministerio tribuatur; volumus statis horis Missas, Vesperasque celebrari, Missas quidem æstate, scilicet a die Paschæ usque ad festum Remigii, hora octava: hyeme a festo Remigii usque ad diem Paschæ hora nona, Vesperas autem perpetuo hora secunda, neque cuiquam licere eum ordinem intervertere.

III.

Quia vero magna est diversitas in Festorum & Jejuniorum observatione, putamusque valde convenire, ut hac in re Provincia Cameracensis conformitatem servet ad vitandam popularem invidiam, placuit, hac de re ut referatur ad proximam Synodum Provincialem.

XV. De Lectionibus.

CAPUT I.

IN Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Monasticis Lectiones Theologicæ, & sancta Studiorum exercitia, ut iisdem Conciliis præscriptum est, fiant: id enim plurimum refert, cum ad mores instituendos, tum vero ad veram religionem & pietatem fovendam; hoc autem qui negligunt, cum hujus rei causa præbendas obtineant, certum est, eos id officii bona conscientia contemnere non posse. Eædem Ecclesiæ veteres Bibliothecas suas restituant, componant & ordinent; quibus omnibus viam muniant junioribus ad sacra studia capescenda.

II.

Cum Patres in Sacrosancto Concilio Tridentino diserte mandarint, ut in Monasteriis literarum Professores ad juventutem instituendam habeantur, quod

quod tamen negligi videmus in nonnullis hujus Diœceſis Monaſteriis; propterea mandamus, ac diſtricte præcipimus, ſub pœnis in eisdem Decretis contentis, ut Abbates curent rite & diligenter doceri ſuos Monachos, maxime eos, quibus ex uſu & conſuetudine cura animarum committitur.

XVI. De Fundationibus & Exequiis.

CAPUT I.

SUffragia piorum fidelium, quorum nomine aliquid impartiti ſunt Eccleſiis & Miniſtris earum, omnino ſervari & fieri præcipimus. Mandamusque, ne Miſſarum, ſuffragiorumque fundationes, præter Fundatorum mentem in aliud quodcunque opus convertantur, niſi cognoſcente & ita decernente Ordinario.

II.

Si quis fidelium teſtamento, aut alio quovis pacto Eccleſiæ & pauperibus erogandum mandaverit, idque hæredes perficere negligant, aut per fraudem differant, cogantur ſatisfacere piæ voluntati Majorum ſuorum, ac præcipue exequias celebrandas non differant. Quod ſi fecerint, denuncientur, ut cogi & redigi ad officium debitum poſſint.

III.

Sacerdotes ne comeant ad Eccleſias vicinas, ut quæſtum faciant ex Miſſis pro defunctis; niſi vocati fuerint vel a Paſtore, vel ab his, qui exequiis præſunt; ſive hæredes, ſive teſtamentorum Executores fuerint.

XVII. De Monaſteriis.

CAPUT I.

IN Monaſteriis tam virorum, quam mulierum, ſublatis comeſſationibus, menſisque privatis, niſi de licentia Prælati ex cauſa multum rationabili, proprietatis, ſeu incontinentiæ ſuſpicione, omni denique diſſoluta libertate reciſa, regulæ obſervationem, victus communionem, vitæ integritatem, & omnia exercitia ſpiritualia, quibus ad perfectionem tenditur, ex præſcripto Conciliorum Tridentini & Cameracenſis ſervari, aut ſi deſierint, reſtitui mandamus.

II.

Rationes, ſeu computa bonorum temporalium in Monaſteriis ipſis, non autem in domibus laicorum, reddi ſingulis annis præcipimus.

III.

Et quoniam in nonnullis Monaſteriis Abbates nullos libros computorum, ſeu rationum ſuarum faciunt, ſed per ſemetipſos, non adhibita receptoris diligentia fructus Monaſteriorum ſuorum recipiunt; ex quo veriſimile eſt, ea bona tandem deperitura eſſe; propterea quod mortuis eisdem Abbatibus nulla ſupererunt monumenta, quibus Succeſſores plane cognoſcant, qui, quantique ſunt redditus; hinc fit, ut diſtricte præcipiamus omnibus hujusmodi Prælatis, Abbatibus, & Abbatiſſis, ut intra trimeſtre ab exitu hujus Synodi confici curent libros rationum, ſive computorum, qui ſingulis annis renovari debeant & reddi, idque præſentibus aliquibus ſenioribus Religioſis, maxime ſi Monaſteria ſint onerata debitis.

IV.

Prioratus Abbatiarum, quoniam ad liberam Abbatum diſpoſitionem pertinent, viſitent ipſi Abbates quotannis vel per ſe, vel per alios, audiantque rationes omnes computorum, atque Priores ad eas rationes exhibendas, ſingulis annis compellant: ut remotis Adminiſtratoribus negligentibus, prudentiores ſtatim præficiant, nec quicquam eis liceat ex Prioratuum bonis aſſumere, priusquam æs alienum, ſi quod juſtum contractum ſit, exſolverint, & ædificiorum ſarta tecta conſervarint.

V.

Quoniam vero magno Eccleſiarum detrimento audimus accidere aliquando, ut nonnulli Abbates propria ſua authoritate ac literis, ſolo ſuo ſigillo & Conventus munitis, temere Monaſteriorum res alienent, Nos præſenti hoc Decreto in uſum revocamus ſolemnitates, Canonibus in rerum Eccleſiaſticarum alie-

Digitized by Google

alienatione expreſſas, eaſque tam Sanctæ obſervari præcipimus, ut iis non adhibitis, quæcunque geſta erunt, irrita & inania fore declaremus.

XVIII. De Hæreticis, & eorum Libris.

CAPUT I.

DE ſcriptis & libris hæreticorum, ne venum exponantur, aut in publicum, ſive patenter, ſive occulte ſpargantur, volumus ea omnia, quæ ſuper hac re decreta ſunt in eisdem Conciliis Tridentino & Cameracenſi, valere, & inprimis, ut agatur cum Magiſtratibus, ne Bibliopolæ libros ullos importent, quorum Catalogus vilus non ſit & approbatus.

XIX. De Excommunicatione, cenſuris & monitione.

CAPUT I.

MAndamus, ut frequenter Paſtores ſuis populis oſtendant, quantopere ea peccata vitari debeant, quorum cauſa peccantes extra conſortium fidelium per excommunicationem ejici debeant: ſive ſit a jure, ſive ſit ab homine lata: & ea peccata nonnunquam exponant publice, quo magis ab illis abhorrere diſcant.

II.

Doceantque, quam terribilis & execranda ſit excommunicationis ſententia, qua quicunque juſte feriuntur, excluſi Chriſti merito, Sanctorumque & Eccleſiæ communione, ut membra putrida reſecti, traduntur Satanæ poteſtati, ut tandem reſipiſcant.

III.

Mandamus præterea, ac ſub pœna arbitraria præcipimus, ne ulla ſententia excommunicationis quoquo modo feratur, niſi cognoſcente, ſciente, & expreſſe mandante Officiali noſtro, Nobis, aut Vicario noſtro Generali.

IV.

In omni hujusmodi ſententia ferenda, declaretur factum cujus cauſa ſit, contumacia & monitiones præcedentes, neque leviter, aut præcipitanter, aut in fraudem cujusquam ferantur, ſed omnino agatur ex ſcripto Concilii Tridentini.

V.

Paſtor, antequam publice moneat eum, qui ſit excommunicandus, niſi reſipiſcat, eundem benigne & paterne prius adeat, & ſecreto colloquio moneat, horteturque, ne in hoc excommunicationis baratrum per contumaciam incidat, ut ſic Paſtor bonus lucretur ovem ſuam, ſi fieri poſſit.

VI.

Prohibemus, ne quis excommunicatus abſolvatur, niſi præſentem ſe conſtituat Nobis, aut Officiali noſtro, a ſententia contra ipſum lata non perfunctorie, ſed legitime, ubi reſipuerit, abſolvendus, de cujus pœnitentia & reſipiſcentia prius conſtare debebit, quam in gremium Eccleſiæ per abſolutionem aſſumatur.

VII.

De ordine autem, modo, & jure, Curiæ noſtræ Atrebatenſis volumus ſervari, quæ a Majoribus noſtris piæ memoriæ conſtituta ſunt, quantum ſcilicet licebit. Et quoniam conventum eſt inter Eccleſias Metropolitanam Cameracenſem & Suffraganeas; ut aliqua forma conſtituatur communis in hac Provincia de modo, de ratione hujusmodi Curiæ exercendæ; volumus eam formam integre conſervari, ubi conſtituta & evulgata fuerit, ac maxime, ut omnes ejuſdem Curiæ Procuratores promittant, ſe Statuta noſtra lecturos & ſervaturos, ut Conſtitutione PETRI Prædeceſſoris noſtri piæ memoriæ cautum eſt.

VIII.

Cæterum omnia eorundem Prædeceſſorum noſtrorum Statuta, ea ſcilicet, quæ nulla ex parte diſſident a Decretis Conciliorum Tridentini & Cameracenſis, confirmamus & approbamus, quorum Compendium probe & diligenter recognitum, præſentibus noſtris Statutis adjecimus, præcipientes omnibus Decanis, Paſtoribusque Eccle-

Digitized by Google

Eccleſiarum Nobis ſubjectis, ut ubi impreſſa fuerint, habeant ſibi, & ſedulo legant, curentque ſervari in hac Diœceſi noſtra ab omnibus, pro ratione cujusque ſtatus & ordinis.

FINIS STATUTORUM SYNODALIUM Rmi IN CHRISTO PATRIS FRANCISCI RICHARDOTI.

SEQUUNTUR AUTEM

STATUTA PRÆDECESSORUM. (*)

I. De modo veniendi ad Synodum.

STatuimus & diſtricte præcipimus, ut (*a*) omnes, qui tenentur (*b*) Sanctæ Synodo intereſſe, comparent coram Nobis, vel a Nobis deputandis (*c*), quando per Nos, vel Vicarios noſtros evocabuntur in Eccleſia Attre-

(*) Eadem Statuta antiqua, quæ, prout ſub Granvellano Cardinali & Epiſcopo Atrebatenſi, Richardoti Prædeceſſore, collecta ſunt, hoc loco referimus, edita jam antea fuerunt Sæculo XV. cum ſequenti Titulo & Præfatione, non addito Epiſcopi nomine, cujus cura collectio illa perfecta, nec loco deſignato, in quo impreſſa fuit. Quæ, facta utriusque editionis collatione, notabiliores repertæ fuerint mutationes, ſuis locis indicabimus. Illud univerſim notandum, quod editionis recentioris Statuta prolixiora ut plurimum ſint, quam antiquæ: in hac vero a diverſo non paucæ exhibeantur Conſtitutiones Synodales Eccleſiæ Atrebatenſis, quæ poſteriori in editione fuerunt prætermiſſæ. Quas ſuo ſingulas loco & ordine dabimus, ſervata ubique & ſcribendi, & interpungendi methodo, quam anteriore in exemplari invenimus. Hoc illarum initium:

INCIPIUNT CONSTITUTIONES SYNODALES EPISCOPATUS ATTREBATENSIS.

PAſtoralis cura ſollicitudinis, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia nobis injuncta: continua & aſſidua meditatione nos urget, & hortatur: ut juxta nobis credite diſpenſationis officium: ſubditorum noſtrorum commodis: jugi ſtudio intendamus. Sane cum a predeceſſoribus noſtris epiſcopis Attrebatenſibus: & eorum Vicariis in ſpiritualibus & temporalibus, tam provide quam utiles nonnulle Conſtitutiones Synodales diverſis temporibus emanaverint: quarum alique propter ſimilitudinem nimiam: & quedam propter contrarietatem indiſſolubilem. Nonnulle etiam propter ſui prolixitatem confuſionem inducunt: & laqueum poſſunt animabus parare. Nos ſuper hoc a multis noſtris ſubditis cum inſtantia requiſiti: confuſionem & ambiguitatem tollere cupientes: per dilectum nobis in Chriſto Dominum Joannem de Graveria priorem de oratorio Horbonienſi in jure canonico Licentiatum: & Vicarium noſtrum in ſpiritualibus & temporalibus generalem: conſtitutiones hujusmodi diligentius fecimus recenſeri. Et tandem quibusdam ex ipſis (cum vel temporales, aut ſibi ipſis vel aliis contrarie ſeu omnino ſuperflue viderentur) penitus reſecatis: reliquis quibusdam ex ipſis abbreviatas, multisque detractionibus interpretationibus & additionibus, prout expedire vidimus factis in ipſis: in unum libellum una cum tenore trium conciliorum provincialium: in quibus ad correctionem ſubditorum noſtrorum & quietem: multa ſtatuuntur ſalubria: fructus uberes Deo propicio in domo domini allatura: redigi mandavimus: & ſub debitis titulis collocari. Statuentes & mandantes, quod conſtitutiones contente in hujusmodi libello: diligenter a noſtris ſubditis obſerventur. Nullas alias conſtitutiones preter inſertas in eo a noſtris predeceſſoribus ante editionem hujusmodi libelli promulgatas, recepturi ulterius: aut pro conſtitutionibus Synodalibus, ſub pena canonica habituri.

Sequuntur deinde Tituli ipſorummet Statutorum, quos nos ſub initium hujus Synodi præmiſimus.

(*a*) *In exemplari antiquo*: quod, pro: ut.
(*b*) in Sancta Synodo
(*c*) Feria 3. poſt feſtum B. Dionyſii

Attrebatenſi ad Sanctam Synodum peragendam, juſto impedimento ceſſante, de quo ſufficiens (*d*) fiat fides, quo caſu excuſator tenetur (*e*) facere, quæ mittens teneretur, ſi præſens in Sancta Synodo adeſſet. (*f*) Item Prælati, Patroni, Curati, & cæteri Beneficiati, licet ſint in inferioribus ordinibus conſtituti, ad dictam Sanctam Synodum honeſte veniant. Prælati videlicet regulares in eorum veſtimentis regularibus: ſeculares (*g*) in honeſto & decenti habitu, prout conditioni propriæ & qualitati decens arbitrabuntur, & in ſuis beneficiis dimittant Vicarios idoneos, qui in dicta die Sanctæ Synodi & ſequentibus, valeant ſuis beneficiis loco ipſorum deſervire. Item Sanctam Synodum omnes intrent jejuni, Præpoſitus, Decanus & Canonici Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Attrebatenſis cum cappis pretioſis, Abbates (*h*) autem cum inſignibus Abbatialis dignitatis, ſive mitris: Decani & Canonici Collegiatarum Eccleſiarum extranearum, cum ſuperpelliciis, & amuſiis: Decani rurales cum albis manipulis & ſtolis, abſque caſulis: Priores & Monachi in ſuo habitu conſueto regulari; Curati cum ſuperpelliciis, & ſtolis pendentibus. (*i*) Omnes diligenter Statuta Synodalia & attente audiant, & ad ea, quæ dicentur, advertant, nec ante finem dictum locum exeant, & poſtmodum honeſte ad ſua hoſpitia revertantur, (*k*) locaque aliquatenus ſuſpecta ne ingrediantur, & a Synodo ſine noſtra licentia ne recedant. Interim tamen expreſſe & ſolenniter proteſtamur, intentionis noſtræ non eſſe, ad hanc Synodum admittere quenquam, per ſe, vel Procuratorem comparere debentem, aut habere pro excuſato, qui ſit a jure & ab homine aliquo vinculo excommunicationis innodatus. Omnes quoque & ſingulos, qui de jure vel conſuetudine ad hanc præſentem noſtram Synodum venire, & eidem intereſſe tenentur, & non comparuerint tamen in eadem, niſi fuerint per Procuratorem idoneum, & ſufficiens mandatum habentem, legitime excuſati, contumaces reputamus. Prohibemus etiam, ne quis præſumat aliquid proponere, quod præſenti Synodo ſit impertinens. Declaramus inſuper & volumus, ut Decani ſive Archi-Presbyteri procurent, ut habeant Synodi prædictæ Conſtitutiones ante elapſos octo dies, poſtquam impreſſæ ad noſtram Civitatem Attrebatenſem fuerint illatæ, ut eas ſuarum regiuncularum Paſtoribus ad hoc ſpecialiter convocandis, publicent & non intellectas exponant. Si autem ipſimet Decani, vel Archi-Presbyteri quid dubitent, ad Nos, vel ad noſtrum Vicarium, aut Officialem recurrent, pro vera intelligentia.

Qualiter Synodus teneatur.

Primo Dominus Epiſcopus, vel ejus, quoad hoc Commiſſarius de Veſtiario venire debet, (*l*) Diacono, Subdiacono, duobus Clericis portantibus duos cereos, & tertio crucem deportante ipſum præcedentibus, & decantabitur reſponſiorum, incipiente Cantore.

Reſponſorium.

Honor virtus & poteſtas, & imperium ſit Trinitati in Unitate, Unitati in Trinitate, in perenni ſeculorum tempore. Verſus, *Trinitati lux perennis, Unitati ſit decus perpetim. In perenni. Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto. In perenni.*

Poſtea

(*d*) *In exemplari antiquo:* ſufficienter. (*e*) teneatur facere ea.

(*f*) *In antiquo exemplari inſeruntur ſequentia:* Quod verum, niſi per nos, ſeu noſtros Commiſſarios dies ſupradicta fuerit transmutata: ad quam diem omnes comparere debent, ut ſuperius eſt expreſſum.

(*g*) ſupertunicalibus & Wardecorlis induti, clauſis veſtimentis, pura honciis vel cappis.

(*h*) in ſtolis albis & cappis ſericeis: Decani chriſtianitatis albis & ſtolis.

(*i*) Cæteri in ſuperpelliceis almuciis, vel birretis, ſive capuciis ſub amiſſione capuciorum prædictorum.

(*k*) tabernas & lupanaria non intrent: ſed ea prorſus evitent. *Cætera, quæ in recentiori editione ſupra ſequuntur, non leguntur in antiqua.*

(*l*) diaconus ſubdiaconus. Duo clerici portantes duos cereos: & tertius crucem deportans: ipſum debet præcedere: & cantatur reſponſorium. & incipit Cantor ſcilicet Reſponſorium: *Honor Virtus* &c.

Digitized by

Poſtea incipit Dominus Epiſcopus Hymnum:

Veni Creator Spiritus, mentes tuorum viſita &c.

Suſcepta Benedictione ab Epiſcopo, legat Diaconus Evangelium ſecundum Joannem. Evang. *Ego ſum Paſtor bonus.* quo lecto fiet Concio. (*m*)

De Summa Trinitate & Fide Catholica.

INprimis præcipimus, & diſtricte omnibus Prælatis, Abbatibus & Eccleſiarum Parochialium Rectoribus injungimus, quatenus iſtud Generale Concilium, quod incipit: *Firmiter credimus*, quod eſt in antiqua compilatione decretalis ſub hoc titulo collocatum: ac Conſtitutionem fælicis recordationis Bonifacii, quæ incipit: *Fideli ac devota.* in ſexto libro. Nec non Concilium Viennenſe, quod incipit: *Fidei Catholicæ fundamento*, ſub eodem titulo repoſita, quorum tenores (*n*) fini Capitis præſentis adjunguntur, penes ſe habeant, attente legant, & frequenter juxta capacitatem ſui ingenii, quæ capere poterunt, capiant, & ſæpius commendent memoriæ. Si quæ vero dubia habuerint, conſulant peritiores. Symbolum Apoſtolorum, Credo in Deum Patrem. & Credo in unum Deum. Et illud Athanaſii: Quicumque vult ſalvus fieri, cordetenus ſciant, frequenterque in corde revolvant, & contenta in eisdem firmiter & diſtricte credant. Debent etiam firmiter credere, quod in Sacramento Altaris conficitur, & eſt verum Corpus Chriſti & verus Sanguis. Et ſuadere, & inducere debent perſonas ſibi ſubditas, ut circa præmiſſa & ſingula diſtricte credenda ſtudeant, & inſtruant, ſecundum ſui ingenii capacitatem & eorum facultates; nam alias affectatores ignorantiæ viderentur. Præcipimus inſuper omnibus curam animarum habentibus, quatenus ſciant & memoriter teneant decem Præcepta Decalogi, eaque frequenter populo ſibi commiſſo exponant, maxime, quod illis contraveniens damnabitur in perpetuum, niſi fuerit vere pœnitens & confeſſus. Et idem præcipimus fieri de ſeptem peccatis mortalibus: item ſupra dictis præcipimus, quatenus ſæpius exponant populo, qualiter peccatur contra quinque ſenſus corporales.

INNOCENTIUS TERTIUS in Concilio Generali.

Firmiter credimus & ſimpliciter confitemur, quod unus ſolus eſt verus Deus, æternus, immenſus, & incommutabilis, incomprehenſibilis, omnipotens & ineffabilis, Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus, tres quidem perſonæ, ſed una eſſentia, ſubſtantia, ſeu natura, ſimplex omnino, Pater a nullo, Filius a Patre ſolo, ac Spiritus Sanctus pariter ab utroque, abſque initio, ſemper, ac ſine fine: Pater generans & Filius naſcens, & Spiritus Sanctus procedens; conſubſtantiales & coæquales & coomnipotentes & coæterni, unum univerſorum principium, Creator omnium viſibilium & inviſibilium, Spiritualium & corporalium, qui ſua omnipotenti virtute ſimul ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam ſpiritualem & corporalem, Angelorum videlicet & mundanam, ac deinde humanam, quaſi communem ex ſpiritu & corpore conſtitutam. Diabolus enim & alii dæmones, a Deo quidem natura creati ſunt boni, ſed ipſi per ſe facti ſunt mali, homo vero diaboli ſuggeſtione peccavit. Hæc Sancta Trinitas ſecundum communem eſſentiam individua & ſecundum perſonales proprietates diſcreta, primo per Moyſen & Sanctos Prophetas, aliosque famulos ſuos juxta ordinatiſſimam diſpoſitionem temporum, doctrinam humano generi tribuit ſalutarem. Et tandem Unigenitus Dei Filius, JEſus Chriſtus a tota Trinitate communiter incarnatus, ex Maria ſemper Virgine, Spiritus Sancti cooperatione conceptus, verus homo factus, ex anima rationali & humana carne compoſitus, una in duabus naturis perſona viam vitæ manifeſtius demonſtravit. Qui cum ſecundum Divinitatem ſit immortalis & impaſſibilis: idem ipſe ſecundum humanitatem factus eſt mortalis & paſſibilis, qui etiam pro ſalute humani

(*m*) *Sequuntur Abbates, Abbatiſſæ, Capitula & alii, qui intereſſe tenentur in Synodo Atrebatenſi. Horum Catalogum vide ſub finem horum Statutorum.*

(*n*) *Antiqua*: cauſa brevitatis non inſerimus: quia dictas tres conſtitutiones in ſuis antiquis Synodalibus poterunt reperire.

mani generis in ligno crucis paſſus & mortuus, deſcendit ad inferos, reſurrexit a mortuis, & aſcendit in cœlum, ſed deſcendit in anima & reſurrexit in carne, aſcenditque pariter in utroque, venturus in fine ſeculi judicaturus vivos & mortuos, & redditurus ſingulis ſecundum opera ſua, tam reprobis, quam quam electis, qui omnes reſurgent cum ſuis propriis corporibus, quæ nunc geſtant, ut recipiant ſecundum opera ſua, ſive bona fuerint, ſive mala, illi cum diabolo pœnam perpetuam, & iſti cum Chriſto gloriam ſempiternam.

Una vere eſt fidelium univerſalis Eccleſia, extra quam nullus omnino ſalvatur, in qua idem ipſe Sacerdos eſt Sacrificium JEſus Chriſtus, cujus Corpus & Sanguis in Sacramento Altaris, ſub ſpeciebus panis & vini veraciter continentur, transſubſtantiatis, pane in Corpus, & vino in Sanguinem, poteſtate Divina, ut ad perficiendum myſterium unitatis, accipiamus ipſi de ſuo, quod accepit ipſe de noſtro, & hoc utique Sacramentum nemo poteſt conficere, niſi Sacerdos, qui rite fuerit ordinatus, ſecundum Claves Eccleſiæ, quas ipſe conceſſit Apoſtolis, eorumque Succeſſoribus JEſus Chriſtus. Sacramentum vero Baptiſmi, quod ad Dei invocationem & Individuæ Trinitatis, videlicet Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, conſecratur in aqua, tam parvulis, quam adultis in forma Eccleſiæ, a quocumque rite collatum, proficit ad ſalutem. Et ſi poſt ſuſceptionem Baptiſmi, quisquam prolapſus fuerit in peccatum, per veram poteſt ſemper pœnitentiam reparari. Non ſolum autem virgines & continentes, verum etiam conjugati, per rectam fidem & operationem bonam, placentes Deo ad æternam merentur Beatitudinem pervenire.

GREGORIUS DECIMUS in Generali Concilio Lugdunenſi.

Fideli ac devota profeſſione fatemur, quod Spiritus Sanctus, æternaliter ex Patre & Filio, non tanquam ex duobus principiis, ſed tanquam ex uno principio, non duobus ſpirationibus, ſed unica ſpiratione procedit, hoc profeſſa eſt hactenus, prædicavit & docuit: hoc firmiter tenet & prædicat, profitetur & docet, Sacroſancta Romana Eccleſia, Mater omnium fidelium, & Magiſtra: hoc habet orthodoxorum Patrum, atque Doctorum, Latinorum pariter & Græcorum, incommutabilis & vera ſententia. Sed quia nonnulli, propter irrefragabilis præmiſſæ veritatis ignorantiam, in errores varios ſunt prolapſi; Nos, hujusmodi erroribus viam præcludere cupientes, hoc Sacro approbante Concilio, damnamus & reprobamus omnes, qui negare præſumpſerint, æternaliter Spiritum Sanctum ex Patre & Filio procedere, ſive etiam temerario auſu aſſerere, quod Spiritus Sanctus ex Patre & Filio, tanquam ex duobus principiis, & non tanquam ex uno procedat.

CLEMENS V. in Concilio Viennenſi.

Fidei Catholicæ Fundamento, præter quod (teſte Apoſtolo) nemo poteſt aliud ponere, firmiter inhærentes, aperte cum Sancta Matre Eccleſia, confitemur, unigenitum Dei Filium in his omnibus, in quibus Deus Pater exiſtit, una cum Patre æternaliter ſubſiſtentem, partes noſtræ naturæ ſimul unitas, ex quibus in ſe verus Deus exiſtens, fieret verus homo, humanum videlicet corpus paſſibile, & animam intellectivam, ſeu rationalem, ipſum Corpus vere per ſe & eſſentialiter informantem, aſſumpſiſſe ex tempore in virginali thalamo ad unitatem ſuæ hypoſtaſis & perſonæ, & quod in hac aſſumpta natura ipſum Dei Verbum, pro operanda ſalute non ſolum affigi cruci, & in ea mori voluit, ſed etiam emiſſo jam ſpiritu perforari lancea ſuſtinuit latus ſuum, ut exinde profluentibus undis aquæ & ſanguinis, formaretur unica, & immaculata, ac Virgo Sancta Mater Eccleſia conjunx Chriſti. Sic de latere primi hominis ſoporati, Eva ſibi in conjugium eſt formata, ut ſic certæ figuræ primi & veteris Adæ, qui (ſecundum Apoſtolum) eſt forma futuri, in noſtro noviſſimo Adam: id eſt, Chriſto veritas reſponderet. Hæc eſt, inquam, veritas illius prægrandis aquilæ vallatæ teſtimonio, quam Propheta vidit Ezechiel, animalibus cæteris Evangelicis transvolantem, Beati Joannis videlicet Apoſtoli & Evangeliſtæ, qui Sacramenti hujus rem geſtam narrans & ordinem, in Evangelio ſuo dixit: Ad JEſum autem cum veniſſent, ut viderunt eum jam mortuum, non fregerunt ejus crura, ſed unus militum lancea latus ejus aperuit, & continuo exivit ſanguis & aqua, & qui vidit, teſtimonium perhibuit, & verum eſt teſtimonium ejus, & ille ſcit, quia vera dicit, ut & vos credatis. Nos igitur ad tam præclarum teſtimonium, ac Sanctorum & Doctorum communem ſententiam, Apoſtolicæ conſiderationis (ad

Digitized by Google

(*ad quam duntaxat hæc declarare pertinet*) *aciem convertentes, Sacro approbante Concilio declaramus, prædictum Apostolum & Evangelistam Joannem, rectum in præmissis factæ rei ordinem tenuisse, narrando, quod Christo jam mortuo, unus militum lancea latus ejus aperuit. Porro doctrinam omnem, seu positionem tenere asserentem, aut vertentem in dubium, quod substantia animæ rationabilis, seu intellectivæ, vere ac per se, humani corporis non sit forma, velut erroneam, ac Fidei Catholicæ inimicam, prædicto approbante Concilio, reprobamus. Diffinientes, ut cunctis nota sit fidei syncerae veritas, ac præcludatur universis erroribus aditus, ne subintrent: quod quisquis deinceps asserere, defendere, seu tenere pertinaciter præsumpserit, quod anima rationalis, seu intellectiva, non sit forma corporis humani per se & essentialiter, tanquam hæreticus sit censendus. Ad hoc Baptismo unicum, Baptizatos omnes in Christo regenerans, est, sicut unus Deus, ac fides unica, ab omnibus fideliter confitendum. Quod celebratum in aqua in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, credimus esse tam adultis, quam parvulis, communiter perfectum remedium ad salutem. Verum quia quantum ad effectum Baptismi in parvulis, reperiuntur Doctores quidam Theologi, opiniones contrarias habuisse, quibusdam ex ipsis dicentibus, per virtutem Baptismi parvulis quidam culpam remitti, sed gratiam non conferri; aliis contra asserentibus, quod & culpa eisdem in Baptismo remittitur, & virtutes ac informans gratia infunduntur quoad habitum, etsi non pro illo tempore quoad usum. Nos attendentes Generalem efficaciam mortis Christi, quæ per Baptisma applicatur pariter omnibus baptizatis, opinionem secundam, quæ dicit, tam parvulis, quam adultis, conferri in Baptismo informantem gratiam & virtutes, tanquam probabiliorem, & dictis Sanctorum & Doctorum modernorum Theologiæ, magis consonam & concordem, Sacro approbante Concilio duximus eligendam.*

II. De Sacramentis (o) in genere.

SAcramenta, quæ sunt signa rei sacræ homines sanctificantes, gratis exhibeantur, id est, sine pecunia, vel muneris recepti, seu recipiendi exactione, promissione, seu peritione eorundem, nisi ultro hujusmodi aliquid offeratur, aut pia consuetudine debeatur. Quo casu ante omnia sunt Sacramenta administranda; & ipsis exhibitis, quod introduxit consuetudo, potest peti, & si denegatum fuerit, ad Nos, vel Officialem nostrum super hoc habeatur recursus: alias autem pecuniam, vel munera exigentes pro Sacramentis ministrandis, Symoniacos reputamus, & ab officio suspendimus, & tam diu volumus manere suspensos, quousque sic receptam pecuniam, a quibus receperint, plenarie restituerint, promissaque quittaverint, & ad arbitrium nostrum, vel Commissariorum nostrorum, fecerint propter hoc emendam, & cum ipsis fuerit canonice dispensatum. Quod si ante restitutionem, quittantiam, emendam & dispensationem prædictas, Divinis se immiscuerint, in suo agentes officio, sicut prius, irregularitatis laqueum non evadent. (p) Denunciamus quoque gravissimam ultionem capiendam de Sacerdotibus, qui indigne auferint Sacramenta administrare. Mandamus item Parochis, ut instituant plebem suam, cum ipsa Sacramenta administrant, vel in concionibus, si argumentum præsens patitur, quid in cujusque collatione agatur, quis inde fructus manat, quid sibi velint, quæ sic visibiliter exhibentur, ad quæ invisibiliter Dei virtus efficacius operatur, deinde quando digne, aut indigne percipiantur.

III. De Baptismo, & ejus effectu.

BAptismus, cum sit janua omnium Sacramentorum, cum reverentia & honore celebrari debet, (q) mane potius, quam tempore pomeridiano, nisi aliud postulet necessitas, ut a jejunis & sobriis ad res tantas veniatur. Sacerdotem oportet esse attentum, præsertim in prolatione verborum & distinctione, in quibus virtus Sacramenti con-

(o) *Antiqua editio:* De Sacramento in genere. *Tum sic orditur:* Sacramenta gratis exhibeantur: id est, sine pecunia &c.

(p) *Quæ dein apponuntur in editione recentiore, hoc capite, non habentur in antiqua.*

(q) *Antiq.* præsertim in prolatione verborum & distinctione, *cæteris, quæ hic inseruntur, prætermissis.*

Digitized by Google

conſiſtit, videlicet in his verbis: (*) In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Serios quoque & animadvertentes, eſſe decet ſuſceptores, qui in quiete, & ſilentio, omnibus, per ipſos agendis, intendant. Quare prohibemus ſub pœna Canonica, ne quis ad levandum maſculum de Sacro Fonte, ultra duos viros & unam mulierem, & ad levandum mulierem, ultra duas mulieres, & unum virum, admittat, niſi de noſtra, vel Officialis noſtri licentia ſpeciali. (r) Admonebit autem Curatus ſuſceptores, ut meminerint, filiolos, poſtquam ad eam pervenerint ætatem, quæ inſtitutionem admittit, docendos eſſe per ipſos, ſi opportunum eſſe poteſt, vel ſaltem eorum cura per alios, Precationem Dominicam, Salutationem Angelicam, cum Articulis Fidei, ſedulo quoque & frequenter exhortandos, ut vitam Chriſtiano homine dignam, a teneris ſtudeant meditari. Ad hæc, quia novimus Sacris Canonibus, Abbatibus, Prioribus, ac aliis Religioſis, interdictum, in Baptiſmo parvulos ſuſcipere, aut nuptialibus conviviis intereſſe; ideo monemus, & præcipimus, ne in hujusmodi Canonum, hactenus a multis neglectorum, præſcripta & Sanctiones peccare, quanta vis neceſſitudine deſponſatis, vel parvulis jungantur, præſumant. Nam pro transgreſſione & ſcandalo dato, ſeveriores pœnitentiæ pœnas ſumus per Nos, aut noſtros Vicarios poſthac exacturi. Item ſi dubitetur, an aliqui fuerint baptizati, ſub his verbis debebunt baptizari, dicendo: Si non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, amen. Item præcipimus ſingulis curam animarum habentibus, quatenus inſtruant matronas obſtetrices, qualiter tantum impellente neceſſitate, pueros habeant baptizare, videlicet ſub hac forma, & non alia, ſive lingua laicali, ſive latina: Ego baptizo te in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Et faciant (s) cum immerſione & aſperſione in aqua, neque dubitent Parentes in abſentia obſtetricum, & aliorum, extrema hujusmodi neceſſitate occurrente, proprio puero Baptiſmum impendere & mutuis conjugii officiis, ut ante fecerunt, nihilominus poſtea indulgere. Et ſi contigerit, puerum baptizatum per perſonas prædictas ad fontes deferri, ante omnia quærat Sacerdos, ſub qua forma fuerit baptizatus: quod ſi invenerit formam debitam obſervatam fuiſſe, ipſum non baptizet, (t) baptizatum. Sin autem, baptizet ipſum, ut ſuperius eſt expreſſum. (u) Si infantis naſcentis caput appareat extra, vel aliud membrum principale, & timeatur de morte infantis, antequam perfecte naſcatur, infundat, qui adfuerit, aquam ſuper caput naſcentis, vel membrum principale, dicens: Infans ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Si autem pervenerit vivus ad ortum legitimum, de novo baptizetur ſub his verbis: Si es baptizatus, ego te non baptizo; ſed ſi non es baptizatus, ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen. Item ſi mulier prægnans deceſſerit & partus credatur vivere, aperiatur mulier & partus baptizetur. Item linitus ſaliva, in quacunque parte corporis, licet in hujusmodi linitione verba fuerint prolata, quæ requiruntur in Baptiſmo; non eſt baptizatus, ſed baptizandus. Cum ad eſſe Baptiſmi requirantur verbum & elementum, quod eſt aqua, quod quidem elementum in hoc caſu deficit. Item juxta tenorem Concilii Viennenſis prohibemus, ne quis alibi, quam in Eccleſiis, in quibus ad hoc fontes ſunt ſpecialiter deputati, aliquem baptizare præſumat, vel ſuam præſentiam exhibeat perſonalem, niſi Regum, vel Principum liberi extiterint, aut talis emerſerit neceſſitas, propter quam nequeat ad Eccleſiam abſque periculo acceſſus haberi. (x) Proinde ſolicitudinem volumus adhibere

(*) Scriptoris incuria, aut errore Typographi prætermiſſæ videntur hæ voces: *Ego te baptizo*, quarum legitima pronuntiatio non minus, quam aliarum ſupra relatarum, ad conſtituendam Baptiſmi eſſentiam requiritur.

(r) *Sequitur*: Item ſi dubitetur &c. *omiſſis aliis, quæ interpoſita ſunt in edit. recent.*

(s) *Antiqua*: cum trina immerſione in aqua. *Dein ſubjungitur*: Et ſi contigerit.

(t) *Antiqua*: ſed approbet baptizatum.

(u) *In antiq. edit. omiſſis, quæ hic ſequuntur, ſubditur*: Item ſi mulier prægnans deceſſerit &c.

(x) *Sequitur in ant. edit.* Item præcipimus, quod curati de novo Chrismate &c.

re Parochum, ſeu Curatum, ut fontes firmiter clauſi teneantur, ne ſordidentur, aut ſortilegis pateant. Renoventur autem aquæ fontium, ut minimum bis in anno pridie Feſtorum Paſchæ, & Pentecoſtes, ac tum mundentur, antequam recens aqua infundatur. Item præcipimus, ut Curati de novo Chriſmate, quod in die Cœnæ ſingulis annis conficitur, citius quam poterunt, anno quolibet poſt diem dictæ Cœnæ a deputato noſtro (y) inungant, quoniam de antiquo Chriſmate non debent inungere, ſed ipſum in ſuis Eccleſiis concremare: (z) Mandamus inſuper Presbyteris curatis, ut quando vaſcula mundant pro novo Chriſmate, vel oleo, habeant aliqua alia vaſcula, in quibus antiquum Chriſma & oleum reponant, donec novum Chriſma ſit allatum in Eccleſiam: tunc enim primum, cum novum fuerit allatum, concremabitur antiquum, & hoc propter frequentem neceſſitatem infirmorum & baptizandorum, ne, videlicet infirmi ſine Sacra Unctione decedant, & ne pueri ſine Chriſmate baptizentur. Et quando prædicti veniunt ad habendum dictum Chriſma, honeſtas ampullas, mundas & bene clauſas, apportent; quod ſi perſonaliter non veniant, mittant ſuo loco honeſtas perſonas, in Sacris Ordinibus conſtitutas, & non alias, ſcientes, quod ſi ſecus egerint, aut in hoc negligentes fuerint, vel remiſſi, ſic eos puniemus, quod cedet aliis in exemplum.

IV. De Confirmatione.

QUoniam Confirmationis Sacramentum eſt Sacramentum (a) magnæ utilitatis, & ideo omnibus Chriſti fidelibus exhibendum, nunquam autem contemnendum: præcipimus omnibus Curatis, ut ſuos Parochianos ſæpe moneant, ne hoc Sacramentum a Nobis recipere negligant, ſed ad Nos, qui ſoli hoc Sacramentum hic conferimus per Nos ipſos, aut noſtrum Suffraganeum, veniant, nec non pueros, ut minimum ſeptennes, aut alios majoris ætatis, adducant Sacro Chriſmate ungendos: qui memoriter teneant Articulos Fidei, Præcepta Decalogi cum Precatione Dominica, & Salutatione Angelica. Adducti autem ſi ſint doli capaces, ad Confirmationem accedere ne præſumant, niſi jejuni & confeſſi, ut mundi ſint, ne conferendæ gratiæ præſtent impedimentum: doceantur etiam populi, hoc Sacramentum, in quo Epiſcopus nomina confirmandorum mutare poteſt, non poſſe iterari. Unus confirmandum teneat, ac Epiſcopo præſentet, qui ex tali ſuſceptione contrahere ſe ſciat ſpiritualem compaternitatem: ideoque ab hoc ſuſceptionis officio arcendi ſunt eorum parentes. Nemo præter Sacerdotem, vel in Sacris Ordinibus conſtitutum, tollat, vel ſolvat faſciolas confirmati, idque poſt triduum: ac tunc frontem confirmati ſale defricatam lavabit, ipſam ligaturam, ſive faſciolam comburendo, ipſosque cineres cum aqua lotionis frontium, in piſcinam reponendo; niſi cineres in aliquem uſum oporteat reſervare. Et ne Curati poſſint juſtam ignorantiam prætexere, quibus modis cognatio ſpiritualis contrahatur, & ſic Matrimonio jungant eos, qui jungi non poſſunt; ideo ſubjecimus Decretalem: *Nedum inter.* Tit. *De cognatione Spirituali, L. VI.* Nedum inter baptizatum, & illum, qui eum ſuſcepit de Baptiſmo, ac inter eundem baptizatum & ſuſcipientis filios, & uxorem, ante ſuſceptionem carnaliter cognitam ab eodem, imo etiam inter ſuſcipientem, patremque baptizati & matrem, cognationem ſpiritualem in Baptiſmo contrahi, jure conſtat, quæ cognatio & contrahendum Matrimonium impedit & dirimit poſt contractum, & eadem, quæ de ſuſcipiente ſunt dicta, ſunt etiam de baptizante cenſenda. Ex Con-

(y) *In antiqua*: a deputato noſtro ſuper hoc recipiant, & habeant: & de dicto novo inungant.

(z) *Ant.* & quando prædicti venient ad habendum dictum criſma, honeſtas ampullas & bene clauſas apportent &c.

(a) *In antiquo exemplari initium hujus capitis ſic habet*: Quoniam Confirmationis Sacramentum eſt Sacramentum neceſſitatis, preſertim ſi contemnatur. *Quod in poſteriore editione merito, rectèque eo, quo hic legitur, modo emendatum.*

Confirmatione quoque, ſeu frontis Chriſmatione, ſpiritualis cognatio iisdem modis contrahitur: Matrimonia ſimiliter impediens contrahenda, & dirimens poſt contracta. Caveant autem, qui ad primam Tonſuram aſpirant, aut ad Ordines Sacros cupiunt admitti, ut non niſi confirmati audeant accedere.

V. De Sacramento Confeſſionis.

CUm Sacramentum confeſſionis ſit ſecunda tabula, per quam nobis in hujus mundi pelago navigantibus, & quandoque fluctuantibus, nec non per peccatum mortale naufragium paſſis, paratur reconciliationis remedium apud DEUM per JESUM Chriſtum; idcirco omnibus diſtricte præcipimus, quatenus quilibet, prout ad ipſum pertinet, diligenter attendat, & faciat a ſuis ſubditis obſervari ea, quæ in Decretali continentur, cujus tenor ſequitur in hæc verba: Omnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, omnia peccata ſua (ſaltem ſemel in anno) ſolus fideliter confiteatur proprio Sacerdoti, & injunctam ſibi pœnitentiam propriis viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipientes reverenter, ad minus in Paſcha Euchariſtiæ Sacramentum, niſi forte de proprii Sacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum. Alioqui & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, & moriens Chriſtiana careat ſepultura. Unde hoc Statutum ſalutare frequenter in Eccleſiis publicetur, ne quis ignorantiæ cæcitate velamen excuſationis aſſumat. Si quis alieno Sacerdoti voluerit juſta de cauſa confiteri peccata, licentiam prius poſtulet & obtineat a proprio Sacerdote, cum aliter ipſe illum non poſſit abſolvere, vel ligare. Sacerdos autem ſit diſcretus & cautus, ut more periti medici ſuper infundat vinum & oleum vulneribus fauciati, diligenter inquirens & peccatoris circumſtantias & peccati, quibus prudenter intelligat, quale debeat ei præbere conſilium, & cujusmodi remedium adhibere, diverſis experimentis utendo ad ſalvandum ægrotum. Caveat autem omnino, ne verbo, aut ſigno, aut alio quovis modo aliquatenus prodat peccatorem: ſed ſi prudentiori conſilio indiguerit, illud absque expreſſione ulla perſonæ, caute requirat. Quoniam eum, qui peccatum in pœnitentiali judicio ſibi detectum præſumpſerit revelare, non ſolum a Sacerdotali officio deponendum decernimus, verum etiam ad agendam pœnitentiam perpetuam (*b*) in arctum Monaſteri detrudendum. Sacerdos audiens confeſſionem, perſonarum qualitates & exercitia prudenter explorans, ſecrete & ſigillatim audiat peccata, & ſedeat in Eccleſia in loco publico, ut ab omnibus videri poſſit, niſi contrarium ſuadeat neceſſitas, aut infirmitas, vel alia juſta cauſa. Inſuper in confeſſione audienda, Sacerdos habeat vultum humilem, oculos ad terram demiſſos, nec frequenter aſpiciat vultum confitentis, & præſertim mulieris. Præterea competenter audiat, quæ confitens dixerit, in ſpiritu lenitatis, & eum moneat pro viribus, ut integre ſua peccata confiteatur, alioqui confeſſionem fore nullam: peccata uſitata diligenter inquirat, & inuſitata, non niſi a longe: unde caveat, ne det occaſionem in novis adinventionibus peccatorum. In confeſſione quoque & extra eam, ſuos Parochianos moneat & inducat, ut confiteantur de transgreſſione fidei & juramenti, ſi aliquoties ipſos contigerit, non adimpleviſſe promiſſum, niſi continua inopia ipſos excuſaſſet; nam ſi ceſſante inopia continua terminum labi permiſerint, etiam ſi poſtea pacificaverint, vel conventiones adimpleverint cum effectu, & in foro contenſioſo abſolutionem ab excommunicatione, ſi quam incurrerant hac de cauſa authoritate cujusvis Judicis impetraverint: in foro tamen pœnitentiali a peccato, quod ratione transgreſſionis commiſerint, non ſunt immunes. Diſtricte etiam præcipimus omnibus Presbyteris, curam animarum gerentibus, & eorum loca tenentibus, ut a conſtitutionibus, tam Provincialibus, quam Synodalibus, extrahant omnes caſus, in

(*b*) *Antiq.* in carcere perpetuo detrudendum.

in quibus ſui ſubditi poſſunt excommunicationis ſententia innodari, quos ſic extractos in uno rotulo habeant, ut dum confeſſiones audierint, ſuper illis in ipſorum quolibet interrogent confitentes. (*c*) Prohibemus inſuper prædictis, ne abſolvant eum, qui a peccato abſtinendi propoſitum non habet: nihilominus diligenter moneant, ut quicquid boni poterit, faciat, ut Deus ad veram pœnitentiam cor illius illuſtret: eum tamen ſine injunctione pœnitentiæ non dimittant. (*d*) Curati docere debent Parochianos ſuos, ne rem furtivam, vel ſuſpectam, quod furtiva ſit, emere audeant; ut non audiant illud Pſalmiſtæ: *Videbas furem & currebas cum eo*, quia ipſi ad reſtitutionem tenentur. Præcipimus etiam & ſtatuimus, ut Sacerdotes in procuranda ablatorum reſtitutione hunc modum ſervent: primum injungant pœnitentibus, ut damnum paſſis, vel eorum hæredibus faciant reſtitutionem, cum non dimittatur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. Quod ſi non inveniantur hæredes, jubebunt, ut reſtituenda applicent in uſum fabricæ Eccleſiæ noſtræ Cathedralis: & ſi non habent facultatem impræſentiarum reſtituendi, curent, ut promittant, ſe reſtituturos prædictis modis, ubi & quando facultatem habuerint: & tunc licite poterit abſolvere Sacerdos a peccatis. Porro quia repertum eſt aliquando inconveniens aliquod eveniſſe propter caſus reſervatos, vel juris diſpoſitione, vel per Statuta Synodalia: cum enim eſſent vel minoris ætatis aliqui, vel mulieres, qui Sacerdotem in hiſce caſibus in promptu non haberent, cui confiterentur: ideoque, aut omnino non confiteri mallent, aut ſane longius differrent, quam ex animarum ſalute eſſet: non enim videri poterat parva ſuſpicionis macula hinc oriri, ſi homines (maximeque mulierum genus) ad Nos, ſeu Vicarios noſtros, relictis propriis Curatis, proficiſcerentur. Hac de cauſa volentes verecundiæ conſulere & famæ, Curatis & Parochis, nec non eorundem vicem gerentibus, cum quatuor ordinum mendicantium Prioribus ac Guardianis, ita ut etiam liceat iisdem, unum aut alterum adhuc Nobis nominare, quibus ſimilem abſolvendi facultatem tuto impartiri poſſimus, cum ad id per Nos fuerint omnes prævia exa-

(*c*) *Antiq.* Si quos ſententiam incurriſſe cognoverint, nobis abſolvendos remittant.

(*d*) *Reliqua hic appoſita non inveniuntur in editione antiqua. Subnectuntur autem caſus reſervati hoc modo:*

Primus caſus. In ſolenni penitentia imponenda. Secundus. In abſolutione a ſymonia canonis impendenda. Tercius. In irregularitate contracta diſpenſando. Quartus. In incendiario abſolvendo. Quintus. In blasphematoribus Dei & Sanctorum. Sextus. In voti transgreſſione & commutatione. Septimus. Si epiſcopus de conſuetudine vel ſtatuto aut ſuperior certa debeat audire peccata. Octavus. Si epiſcopus vel ſuperior confeſſionem audivit de aliquo peccato. Nonus. De parentibus qui filios oppreſſerunt. Decimus. In homicidiis. Undecimus. De ſacrilegiis. Duodecimus. De falſariis. Tercius decimus. De violatoribus eccleſiarum & immunitatum, ac eccleſiaſtice libertatis. Quartus decimus. De ſortilegiis. Quintus decimus. De vicio contra naturam: & preſertim cum brutis. Sextus decimus. De corruptione Sanctimonialium. Septimus decimus. De inceſtu. Octavus decimus. De perjurio. Nonus decimus. De clandeſtina matrimonia contrahentibus. Viceſimus. De expoſitione filiorum. Viceſimus primus. De dicentibus falſum teſtimonium. Viceſimus ſecundus. De deflorantibus mulieres. Viceſimus tertius. De percuſſoribus parentum. Viceſimus quartus. De venientibus contra fidem preſtitam. Viceſimus quintus. De hereticis. Viceſimus ſextus. De committentibus adulterium. Viceſimus ſeptimus. Ablatorum, ſive ſubſtractorum vel alias illicite acquiſitorum reſtitutionibus: quando ſunt incerta vel non extant hi, quibus reſtitutio eſt fienda. Alias ſi certa fuerint: & extent hi, quibus debent reſtitui: ante omnia ſacerdos injungat: quod fiat reſtitutio. Quia non dimittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum. Et tunc licite poterit abſolvere a peccato. Viceſimus octavus. De contrahentibus matrimonium contra eccleſie vel judicis interdictum. In his omnibus caſibus: & ipſorum quolibet curati, & capellani nullam habent poteſtatem: niſi fuerit eis ſpecialiter a ſuperiore conceſſa.

examinatione admiſſi in noſtra Dioceſi: iſtud ex noſtra poteſtate munus delegamus: ut ab omnibus peccatis, Nobis ex jure, vel Statutis Synodalibus reſervatis, poſſint abſolutionis beneficium impendere, manumque imponere pœnitentibus. Quod ſi quippiam ſit, quod ſcrupulum injiciat, poterunt Curati & Religioſi præfati conſilium Vicariorum noſtrorum, ad hoc delegatorum, requirere. Cæterum, ut omnes intelligant, quantum Curatis, aut eorum vicem gerentibus, Guardianis, nec non Prioribus mendicantium, ad utilitatem populi, auctoritatis indulgeatur, caſuum Nobis reſervatorum indicem, ſeu titulos, hic ſubnotandos duximus.

VI. Caſus reſervati Epiſcopo.

INcendium, homicidium, ſacrilegium, peccatum contra naturam, incæſtus, blaſphemia in Deum & Sanctos, violatio voti, perjurium ſolenne, adulterium, defloratio virginis, ſortilegium, hæreſis, apoſtaſia, divinatio, uſura, injectio manuum in parentes, oppreſſio, ſeu ſuffocatio parvulorum, etiam per negligentiam, injectio manuum violentarum in Clericos, crimen falſi, procuratio ſterilitatis, vel abortus, violatio Eccleſiarum & Eccleſiaſticæ libertatis, corruptio Monialium, clandeſtini Matrimonii contractio, expoſitio filiorum, falſum teſtimonium, matrimonium contractum contra Judicis vel Eccleſiæ interdictum. In his omnibus caſibus & ipſorum quolibet Curati & Capellani nullam habent poteſtatem, niſi fuerit eis ſpecialiter a Superiore conceſſa. Diſtricte quoque præcipimus Curatis, & eorum vicem gerentibus, ac mendicantibus, ut, cum audierint confeſſiones ſuorum ſubditorum, eos moneant & inducant, ut decimas ſolvant Eccleſiis Parochialibus de omnibus & ſingulis, (*e*) quæ ſecundum jura, aut ſecundum loci conſuetudinem decimantur: & alias ipſos non abſolvant a peccato detentionis decimarum, niſi ut minimum reſtituere promittant. Item ſolicite Sacerdotes Parochianos ſuos, quicunque fuerint doli capaces, moneant, ut ſæpe confiteantur peccata: &, præſertim in principio Quadrageſimæ, ipſos inſtruant, qualiter, & de quibus debeant confiteri, puta de ſeptem peccatis mortalibus, & eorum circumſtantiis, de quinque ſentibus corporis, de decem Præceptis legis: & de aliis peccatis, ſimpliciter & pure fatendo veritatem, non autem peccatum palliando. Item ſtatuimus & ordinamus, quod Curati Parochiales, Presbyteri, Capellani in eorum Parochiis moram facientes, & in eisdem Capellas habentes confiteantur ſuis Decanis, & non aliis, niſi de noſtra procelſerit, vel dictorum Decanorum licentia ſpeciali. Monachi vero & Canonici Regulares, ſuis Superioribus, vel ab eis deputandis, ſecundum conſuetudinem laudabilem in eorum Eccleſiis obſervatam: Abbates vero, & Decani Nobis, aut in noſtra abſentia, noſtro Vicario Generali. Per hoc tamen præjudicare non intendimus illis, quibus a Sede Apoſtolica eſt indultum, quod confeſſiones audiant, vel audire valeant ſibi confiteri volentium, quominus ea poteſtate uti valeant, non obſtante hujusmodi prohibitione, ſicuti antea de jure poterant & valebant. Quia vero, ſaltem ſemel in anno, debite non accedens, poteſt non immerito de hæreſi ſuſpectus eſſe; Statuimus & diſtricte præcipimus Curatis, & cuilibet eorum, quod negligentiam in hac parte ſuorum ſubditorum, Nobis infra menſem, poſtquam eis legitime conſtiterit, ſtudeant revelare, ut delinquentes puniamus in exemplum aliorum, & ipſorum ſalutem. Præcipimus etiam Medicis corporum, ut ante omnia, cum venerint ad infirmos, ipſis ſuadeant confiteri, nec eis aliquid pro ſanitate recuperanda ſuadeant, quod vergat in animæ detrimentum, juxta Decretum Innoc. Tertii in Concilio Generali latum ſub hujusmodi tenore: " Cum in-
" firmitas corporalis nonnunquam pro-
" veniat a peccato, dicente Domino
" languido, quem ſanaverat: *Vade, &*
" *amplius noli peccare, ne deterius aliquid tibi con-*

(*e*) *In antiq.* Seminibus & fructibus quos terra, aer, aqua, animalia, arbores producunt, alias ipſos non abſolvant a peccato detentionis decimarum.

" *contingat*; præſenti Decreto ſtatuimus, " & diſtricte præcipimus Medicis corporum, ut cum eos ad infirmos vocari contigerit, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut Medicos advocent animarum: ut poſtquam fuerit infirmo de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ conſilium ſalubrius procedatur, cum cauſa ceſſante ceſſet effectus." Huic quædam inter alias cauſam dedit edicto, quod quidam in ægritudinis lecto jacentes, cum eis a Medicis ſuadetur, ut de animarum ſalute diſponant, in deſperationis incidunt periculum, unde facilius formidinem mortis incurrunt. Si quis autem Medicorum hujus transgreſſor extiterit, tam diu ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, donec pro transgreſſione hujusmodi facti fecerit emendam competentem. Cæterum cum anima ſit multo pretioſior corpore, ſub pœna anathematis prohibemus, ne quis Medicus pro corporis ſalute aliquid ægroto ſuadeat, quod in periculum animæ convertatur. Inhibemus quoque omnibus Religioſis, cujuscunque religionis exiſtant, ne aliquos auctoritate noſtri mandati generalis, vel Officialis noſtri excommunicatos, abſolvere præſumant: excepto mortis articulo, & tunc præſtita ab eis cautione, quod ſi a periculo, vel infirmitate illa valeant liberari, impenſæ abſolutionis approbationem a Nobis, vel Officiali noſtro, quam citiſſime poterunt, impetrabunt. Inhibemus etiam omnibus Presbyteris, ſubditis noſtris, ne quis excommunicatos pro recognito, vel contemptu præſumat abſolvere, niſi ſuper hoc a Nobis, vel Officiali noſtro recepto mandato; ſed tales ad Nos, vel Officialem noſtrum remittant abſolvendos; niſi ſit periculum in mora. Quo caſu recepta cautione idonea, de impetranda approbatione abſolutionis, & de mandatis noſtris juxta formam Eccleſiæ ſibi factis parendo, per ſe, vel hæredes ſuos, licitum erit, ipſos abſolvere, ſed non Eccleſiaſticæ tradere ſepulturæ, niſi Nobis, vel noſtro Officiali conſultis, & Curiæ literis impetratis. (*f*) Volentes, quantum in nobis eſt, omnium conſcientiis bene conſulere: diſtricte præcipimus omnibus quorumcunque Monaſteriorum noſtræ Dioceſis Viſitatoribus, ſeu Superioribus, Patribus Confeſſariis Monialium, clauſuram Profeſſarum, ut ex noſtra indulgentia ſub ſuſpenſionis a Divinis Officiis pœna, concedant, ut bis vel ter in anno alicui alteri honeſto ab illis (*g*) & diſcreto Confeſſario, ſuas conſcientias revelare poſſint. Et quia multi per negligentiam, vel imperitiam, ſæpe & periculoſe valde peccant, circa formam abſolutionis impendendæ iis, quorum confeſſiones audiunt; ideo volumus & ordinamus, ut omnes Confeſſarii poſt ſalutares monitiones, ac injunctam pœnitentiam utantur forma abſolutionis ſequentis: " Indulgen" tiam, abſolutionem & remiſſionem " omnium peccatorum tuorum, ſpa" tium veræ pœnitentiæ, & emendatio" nem vitæ, gratiam & conſolationem " Sancti Spiritus Paracleti, & perſeve" rantiam in bonis operibus, largiatur " tibi Omnipotens Pater, pius, & mi" ſericors Dominus. Dominus noſter " JEſus Chriſtus, qui eſt verus Abſo" lutor omnium criminum, per ſuam " ſanctam miſericordiam te abſolvat: " Et ego auctoritate mihi commiſſa, " abſolvo te a vinculo excommunica" tionis, ſi incidiſti; (*b*) In Nomine " Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. " Amen.

VII. De Euchariſtia.

CUm inter omnia Sacramenta, Euchariſtiæ Sacramentum omnium longe ſit digniſſimum: exiſtens verum, vivum, & efficaciſſimum animæ alimentum, ſub viſibilibus ſpeciebus totum JEſum Chriſtum, Propitiatorem & Redemptorem noſtrum, Deum ac hominem occultans: ideo maxime venerandum erit. Quod ut fiat propenſius, ſemper

(*f*) *Sequentia non leguntur in editione antiqua.* (*g*) *forte omiſſum*: electo

(*b*) *Recte hic antiqua manu adſcriptum a margine:* Et ab omnibus peccatis tuis. *quod Librariorum, ſeu Typographorum errore prætermiſſum fuiſſe, evincunt aliæ formæ, quæ ſub finem harum Conſtitutionum ſequuntur.*

ſemper illud in Eccleſia, loco honeſto ſervari, propendente lumine, volumus: in eo hoſtiarum numero, qui ad aliquam neceſſitatem occurrentem bene putatur poſſe ſufficere, ne hoſtiæ debeant aliquando frangi. Statuimus enim, & ordinamus; quod, quacunque hora infirmus Communionem petierit, omnibus aliis omiſſis, Sacerdos ad eum accedere ſit paratus, hoſtiam deferens in vaſe honeſto, mundo, & bene clauſo: dicendo ſeptem Pſalmos pœnitentiales, aut alias orationes ſalutares, in vultu humili & demiſſo, cum alicujus campanulæ pulſatione. Item frequenter Sacerdos doceat plebem, ut in elevatione Corporis Chriſti, flexis genibus adorando, reverenter ſe inclinet. Similiter quando in ſolennitate publica circumfertur, & etiam dum portatur ad infirmum, poſt ſignum ſonitu campanæ datum, ad Eccleſiam (ſi quo modo commodum eſt) veniant, comitaturi cum lumine reverenter, & pro infirmo; eundo ac redeundo deprecaturi. Antequam autem Sacerdos Euchariſtiam communicet infirmo, conſideret, ſi frequentem vomitum levi occaſione patiatur: & tunc non conferat: ſed jubeat infirmum credere, & ſic ſpiritualiter illud manducare. Verum ſi quo caſu contingat, ut communicatus evomat partes Corporis Domini, religioſe & diligenter colligendæ erunt, & quæ reperiri poſſunt, cum vino a Sacerdote, vel ab aliquo alio fideli ſumentur, ac reſiduum vomitus comburendum, ponendumque in terra juxta altare, vel alibi in ſacro loco, ubi fieri id commode poterit. Videat autem, ut tot hoſtias conſecratas in vaſe prædicto deferat, ut ſaltem una remaneat in eodem: ne homines in reditu decipiantur, adorando creaturam, & non Creatorem. Et ſi propter multitudinem infirmorum, aut aliam cauſam totum expenderit, ceſſet in revertendo ſonitus campanulæ, & lumen extinguatur, aut aliud ſignum fiat, per quod certificentur Parochiani, ne ſe inaniter, ſicut idololatræ, inclinent. Omnibus autem vere pœnitentibus, & confeſſis, ſeu proponentibus confiteri, quam primum opportunitatem habebunt, qui Corpus Chriſti (quando per Presbyteros ad infirmos portatur) reverenter comitati fuerint, viginti dies, de injunctis ſibi pœnitentiis miſericorditer relaxamus. (i) Quisque Sacerdos, ſive Curatus, ſuos Chriſti fideles ſumma veneratione & modeſtia communicet; idque ſub una tantum ſpecie, poſtquam illi ad annos diſcretionis pervenerint; ſi modo excommunicati, interdicti, vel ob aliquod notorium crimen notati non ſint. Velut publice fornicantes, meretrices, ganeones, mimi, hiſtriones, uſurarii, Divini, ſortilegi, aut de quibus alias conſtat, quod publica malitia ſunt infames. Item, mandamus Sacerdotibus Parochialibus, ut regulariter de octavo in octavum diem Euchariſtiam renovent, ne propter nimiam vetuſtatem horror recipientibus ingeneretur, & proinde affectui devotionis aliquid decedat.

VIII. De celebratione Miſſarum.

SCire debent Sacerdotes, quod non licet, nec permittitur alicui de jure, celebrare in die plures Miſſas: imo debet ſufficere unicuique ſemel celebrare; quia valde felix eſt, qui celebrat digne unam. Excepto die Nativitatis Domini, in qua quilibet Sacerdos poteſt ter celebrare: in die vero Paſchæ & in magna neceſſitate, poteſt celebrare bis Sacerdos, niſi vinum perfuſionis in prima Miſſa receperit: quo recepto, nullo modo eodem die permittitur ulterius celebrare. Sacerdotes Sacerdotalibus integris & mundis induti ornamentis, ad Miſſæ Sacrificium peragendum, mundi quoque & confeſſi accedant: Altare tectum ſit, ut minimum duabus pallis, cortinæ utrimque dependeant, ne Sacrificantis viſus diſtrahi poſſit. Calicem & patenam aurea, argentea, vel ſtannea eſſe volumus: bene ac honeſte (cum illorum uſus non eſt) lineis involuta ſacculis, aut

(i) *Sequentia non leguntur in antiqua editione. Caput* de celebratione Miſſarum, *quod proxime ſequitur, invenitur in antiqua editione poſt Caput de Pœnit. & Remiſſ.*

Digitized by Google

aut ſudariolis. Ampullas vini & aquæ perpetuo mundas decet conſervari. Vinum (ſi fieri poteſt) volumus eſſe rubrum, ne ſit acidum, aut adeo inſuave, ut vomitionem, aut nauſeam provocet. Hoſtia integra, ſolida & rotunda ſit, nullum vetuſtate ſitum ducens. Univerſæ Miſſæ officium legatur diſtincte, attente, & intelligibiliter; excepto Canone, quem oportet, ut ſemper in Eccleſia factum eſt, ſubmiſſe recitari, nihil in eo mutando, aut omittendo. Totus habitus, vultus, geſtus Sacerdotis, devotionem, religionem, reverentiamque in tam tremendorum Myſteriorum tractatione præ ſe ferant: ut populus, qui Sacris intereſt, inflammetur ad orandum, & una ſaltem in ſpiritu communicandum, cum deſiderio fructus Sacramenti & unionis cum Chriſto. Imago Crucifixi & Pacificatoris noſtri ab ore Sacerdotis ad præſentes Officio Miſſæ circumferatur. Magna quoque cum cautione Sacerdos ante Miſſæ initium ea præparet, quæ circa Sacrificium ſunt neceſſaria: ſi autem evenerit per negligentiam Sacerdotis, aut illi miniſtrantium, quod perlecto Canone, conſecrationeque peracta, nec vinum, nec aqua reperiantur in calice, utrumque ſtatim debet apponi & infundi, & reiterabit Sacerdos verba conſecrationis, ab illa parte Canonis: *Simili modo*, uſque in finem; ita quod illas duas cruces omittat, quæ ſingulariter fiunt ſuper hoſtiam. Sciendum, quod ſi de tenui vino fiat conſecratio, reputatur pro Sacramento: quod ſi ſola aqua apponeretur, non reputaretur Sacramentum: unde nunquam in majori quantitate debet apponi aqua, quam vinum. Quod ſi magis apponeretur de aqua, adeo quod ipſa dominaretur, totamque vini ſubſtantiam conſumeret; non conficeret Sacerdos Sanguinis Sacramentum. Et ſciendum eſt, quod ſi aqua tantummodo in calice ponatur, & poſt ſuſceptionem Euchariſtiæ reperiatur aqua tantummodo in calice: aqua debet amoveri, & poni in loco mundo, vel reſervari uſque in finem, & poſtea ſumi, ob reverentiam particulæ, quæ poſita fuit in calice: & amota aqua de calice ponantur vinum & aqua, & incipiantur verba a capite Conſecrationis Sanguinis cum orationibus ſequentibus. Si autem Sacerdos ſumpſerit aquam, & adhuc in ore habeat, non expuat, quia ſi expueret aquam, quam in ore retinuit, illa aqua viliter tractaretur, quod fieri non debet, ob reverentiam Corporis Chriſti, quod fuit poſitum in calice cum aqua: & tunc ponatur vinum & aqua in calice, & incipiantur verba de illa parte Canonis. *Simili modo*: Si autem Sacerdos biberit de illa aqua ſine vino, ita quod deſcenderit ad ſtomachum (*k*); ponantur vinum & aqua in calice, & incipiantur verba ab illa parte Canonis. *Simili modo*. uſque in finem, ut perficiatur Sacramentum ſub utraque ſpecie, ſicut Chriſtus inſtituit. Sciant etiam Sacerdotes, quod Corpus Chriſti elevare non debent, niſi conſecratione completa, & verbis, quæ ad eam faciunt, formaliter & integraliter prolatis. Similiter, nec calicem, antequam finierint verba ſubſtantialia conſecrationis Sanguinis, ne populum idololatrare faciant; cujus contrarium multi faciunt ignorantes: quibus præcipimus, ut a talibus ſtudeant propenſius abſtinere: alias propter Divinam offenſam, quam exinde incurrunt, ſe noverint graviter puniendos. Item, ſi de Sangune Chriſti ſuper Corporale ſtillaverit, ſcindenda eſt pars illa, & in loco reliquiarum reponenda. Si palla altaris intincta fuerit, fiat conſimiliter. Si vero ſuper caſulam, ſeu aliquod veſtimentum, comburatur illa pars, & cinis in Sacrario reponatur. Si autem ad terram ceciderit, lingendus, tergendus, & radendus eſt locus ille, & pulvis in Sacrario ponendus. Cæterum ſi muſca, vel aranea, aut aliquid tale ceciderit in calicem, quod vix ſine vomitu vel periculo corporis ſumi poteſt, igne comburendum eſt illud, & Sanguis debet ſumi: Rei vero talium negligentiarum ſubjaceant ultioni. Adjicimus

(*k*) *In antiquo exemplari ſic legitur*: Si autem ſacerdos biberit de illa aqua ſine vino: ita, quod deſcenderit ad ſtomachum, melius eſt abſtinere a conſecratione. *Recte hæc corriguntur in editione recentiore, in qua nova conſecratio præſcribitur, ob cauſam ſubjunctam.*

cimus etiam, quod nullus Missam celebrare audeat, nisi jejunus, & nisi prius dixerit saltem Matutinas, & Primam. Si autem Sacerdos sit in tanta necessitate constitutus, quod Missam non possit perficere, suppleat alius, si præsens fuerit, diligenter attendens locum, ubi alius dimisit. Item quia exigit perversorum audacia, ut non simus sola delictorum prohibitione contenti, sed & pœnam delinquentibus imponamus: Omnibus & singulis Presbyteris & Capellanis Civitatis & Diœcesis Attrebatensis sub excommunicationis pœna, & quadraginta librarum, piis usibus applicandarum præcipimus, ne bis in die celebrare præsumant, nisi in casibus supradictis, & a jure permissis: & nisi etiam a Nobis, vel Vicariis nostris, super hoc obtinuerint gratiam specialem. Quibus sub prædictis pœnis inhibemus, ne Missas celebrent in præsentia mulierum, quæ post partum ad Ecclesiam accedere solent: nisi postquam eisdem constiterit, easdem purificatas debite fuisse a proprio Curato, seu proprio Sacerdote. Similiter & sub iisdem pœnis inhibemus, ne Missas celebrent in præsentia eorum conjugatorum, qui in sua Parochiali Ecclesia non receperunt benedictionem nuptialem, nisi super hoc a Nobis, vel Officiali nostro licentiam habuerint specialem. Præterea caveant Sacerdotes, ne scientes celebrent unquam, præsentibus excommunicatis: quorum nomina Pastores, singulis Dominicis, in Sacra Concione, aut Missæ officio debebunt publice denunciare. Nemini liceat domi suæ, sine nostra, aut Vicariorum nostrorum licentia Capellam extruere: qui contra fecerit, gravi pœna ferietur. Item sub pœna excommunicationis, & decem librarum, omnibus & singulis Presbyteris mercenariis inhibemus, ne præsumant in quavis Ecclesia, Oratorio, seu Capella nostræ Diœcesis celebrare Divina, seu ministrare Ecclesiastica Sacramenta, nisi in casibus a jure licitis, & permissis, nisi prius a Nobis, & nihilominus postea a Curatis, seu loca tenentibus eorum petita licentia & obtenta. Et sub eisdem pœnis inhibemus dictis Curatis, & omnibus aliis Ecclesiasticis personis, regentibus Capellas vel Templa; ne talia fieri patiantur in suis Ecclesiis, nisi prius eisdem Curatis constiterit evidenter, eosdem mercenarios a Nobis (ut præmittitur) obtinuisse gratiam specialem. Hortamur etiam omnes & singulos Decanos, Curatos, & eorum loca tenentes, ut quotiescunque commode poterunt, intra Ecclesiam, quæ Domus orationis dicitur, sacro attestante eloquio, dicant Horas Canonicas, & Divinum Officium: quod sub præcepto eis damus, saltem quoad dies Dominicos & Festivos. Inhibemus insuper dictis Curatis, sub pœnis suspensionis ab officio, & centum solidorum Parisiensium, ne sine literis nostris, admittant ad Divina aliquam personam, de qua ad eorum notitiam pervenerit probabiliter, etiam per famam publicam solum, quod excommunicationis sententiam a Canone incurrerit propter injectionem manuum violentarum, factam in Clericum, vel Ecclesiasticam personam. Hortamur quoque omnes & singulos puberes & adultos, tam Clericos, quam Laicos Civitatis & Diœcesis Attrebatensis, ut singulis diebus Dominicis & Festis, a Clero & populo coli, & etiam celebrari debitis, ad Ecclesiam suam Parochialem conveniant, Divinum Officium, Missamque integraliter audituri, cum præceptis Festorum, & jejuniorum, ac aliorum, quæ in Ecclesiis denunciari solent. Cæterum sicut in majoribus & insignioribus Ecclesiis Divinum Officium & solennius, & cum majori reverentia celebrari convenit (idque certis, statutisque diei horis, ut plebs Christiana se se ad Missarum solennia, & debitas Deo offerendas preces, præparare possit) ita & in subalternis Parochialibus Ecclesiis nostræ Diœcesis, hoc omnino observari volumus: tunc etenim populus fidelis debito modo & ordine, quæ agenda sunt, persolvet. (*l*) Quod ut facilius fieri possit, statuimus & ordinamus; ut in Ecclesiis Parochialibus (in quibus ex antiqua & non recta consuetudine, statutis horis, Festis diebus, aut Dominicis Missa Parochialis non celebratur, sed nunc serius, nunc tempestivius; pro

(*l*) *Sequentia hujus Capitis non habentur in editione antiqua.*

pro libito & arbitrio quorundam: quod quidem tendit in negligentiam, & vilipendium Divini Cultus; ſtatuimus, inquam, ut in æſtate in dictis Eccleſiis Parochialibus, Miſſa Parochialis non ante octavam celebretur, in Hyeme autem non ante nonam: ita enim fiet, ne rei domeſticæ negotiis quid depereat populo ipſi, nec quod de Divino cultu neglecto quæri poſſit, relinquatur. Sed quia ſubinde neglecta Eccleſia Parochiali, hi qui de propria ſalute non multum ſoliciti ſunt, diebus Feſtis & Dominicis, dum Sacro Parochialis Eccleſiæ intereſſe deberent, diſcurrunt per Capellas quasdam, ibidemque ſeſe Divina audire jactitant; volumus deinceps, ne neglectis Parochialibus Eccleſiis populus per Capellas, aut alia privata Oratoria, diſcurrat, eo præſertim tempore, dum Verbi Divini prædicationi in Eccleſia Parochiali intereſſe deberent: ſed nec in præfatis Oratoriis, aut Capellis, aut in ipſis Eccleſiis Parochialibus, etiam ex fundatione, deinceps ſolennia Sacra celebrentur, diebus præſertim Dominicis & Feſtis, niſi poſt Miſſam Parochialem, vel ante eandem, ubi populus de his, quæ ſalutis ſunt, admoneri per Curatos & inſtrui debet: ita enim fiet, ut Paſtor oves ſibi creditas, facile cognoſcat, ut poſſit, quod infirmum eſt, conſolidare: & quod ægrotum, ſanare: & quod confractum, alligare.

De Parochialibus Miſſis etiam hoc amplius præcipimus, ut in Miſſis ſolennibus, quæ cantantur, Sacerdos nullo modo Symbolum Apoſtolorum, Præfationem aut Precationem Dominicam prætermittat, niſi forte deficiente voce tacere cogatur: ubi organa ſunt, efficiatur, ut nihil ſeculare ſonent, ſeu aliud, quam Cantum Eccleſiaſticum: omnino autem ne pulſentur ab elevatione Euchariſtiæ uſque ad Agnus Dei: quo interea ab omnibus, ſub alto ſilentio, religioſa ac devota Dominicæ Paſſionis, & noſtræ Redemptionis memoria recolatur. Ut autem populus ſolito religioſius & libentius quæcunque Sacerdotes in Miſſa agunt, obſervet, mandamus omnibus Curatis, ut frequenter & admodum prudenter doceant, de adorandis Myſteriis Miſſæ, juxta Sanctorum Patrum doctrinam, & ea, quæ in formula Cæſareæ Majeſtatis (cujus præſcriptum ſæpe multumque in toto hoc Synodalium Statutorum libello ſequimur) de Miſſa traduntur. Quo tempore Miſſa Parochialis celebratur, aut Evangelii prædicatio durat, neque tabernæ, cauponæ aut œnopolia foris pateant, neque in Templo aut in Cœmeterio populus ambulare permittatur; ne qua occaſione Officia Divina alicui vileſcant, & hæc inhibeant Parochi ſub pœnis negandæ abſolutionis, aut Communionis. Quare nec conventus Capitulares in Eccleſiis tempore Divinorum tolerare ullo pacto volumus, ut conjunctæ omnium Chriſti fidelium preces in Eccleſia ardentiores ſint, ac efficaciores apud Deum.

IX. De Oblationibus in Miſſa faciendis. (m)

QUia didicimus ex Sacris Bibliorum voluminibus, fuiſſe in lege veteri, præter varia Sacrificia, plurimas Primitiarum, Decimarum & aliarum rerum liberales Oblationes, ex quarum conſideratione fluxit conſuetudo in nova lege, ut in primitiva Eccleſia, in uſum Miniſtrorum magnis ſtudiis populus in Miſſa multa offerret, ratione quorum, & Orationes, quæ vocantur Secretæ, quibus oblationes populi Deo commendantur, ſub Offertorio legendæ, a Sanctis & antiquis Patribus Miſſæ adjunctæ ſunt: ideo volumus, & mandamus, ut Concionatores, qui de populi oblationibus non participant, hortentur omnes, ad revocandam oblationum conſuetudinem, & doceant, ut & pro vivis & pro mortuis offerant: quo preces & orationes illæ, quas Sacerdos poſt Offertorium legit, in illos quadrent, & ſuffragiis orationum, & oblationis Chriſti non fraudentur. Doceant quoque populum, ut ad Altare offerant ſuis Paſtoribus, in quatuor Feſtis principalibus anni, & alia Parochialia jura perſolvant, ſecundum laudabilem morem

(m) *In antiqua editione non invenitur hoc Caput, nec ſequens de celebratione Horarum Canonicarum, nec tertium de Proceſſionibus, nec quartum de prædicatione Verbi Dei.*

Digitized by Google

morem in Ecclesiis hactenus observatum.

X. De celebratione Horarum Canonicarum.

CUm Divini Verbi testimonio doceamur, etiam maledictum esse hominem, qui fecerit opus Dei negligenter, & experientia quotidiana tantum neglectum in celebrandis Divinis Officiis committi comperimus, non sine provocatione iræ Dei, & summo totius populi Christiani scandalo; præsentibus malis volentes remedio opportuno occurrere: Statuimus, ut non solum Missæ Officium omni reverentia celebretur horis & temporibus, ut prius constitutum est, congruis, sed ut reliquum Divinum Officium, preces scilicet Canonicæ, aliæque Divinæ laudes, modo debito & honesto in templis celebrentur, in cantu debito, tractim & integre, si non per Canonicos, aut Curatos, prout Ecclesiæ curatæ tamen, aut Collegiatæ fuerint, saltem per diligentes & bonos Vicarios: qui omnino curare debent, ut nomini suo respondeant; præsentibus, & ipsi Divino Officio continuo intersentibus omnibus, qui horæ illius, qua illud officium celebratur, distributione gaudere volunt: nisi quem forte excuset infirmitas, seu justa & rationabilis corporalis necessitas, aut evidens Ecclesiæ utilitas. Interesse Divinis illos putamus, qui continuo tempore, quo fit Officium Divinum, aut canuntur horæ Canonicæ, in choro manent, aut non nisi ad modicum ab eo absunt; ubi, aut cum aliis psallendo, aut privatim meditando sese occupant. Quare ne quis de Clero, vagationibus & obambulationibus in templo, aut intra immunitates ejus vacet: districte præcipimus, ut taliter facientes priventur distributione illius horæ, in qua peccasse invenientur, aut animadvertatur in eos, juxta Concilii Basilienſis, cujus verba hic sequuntur, Decretum: Quicunque in Ecclesia Beneficiatus, præsertim de Majoribus, Divinorum tempore per Ecclesiam, vel foris circa ipsam deambulando, aut cum aliis colloquendo, vagari vilius fuerit; non solum illius horæ, sed totius diei præsentiam ipso facto amittat: qui si semel correctus non desiterit, per mensem distributionibus careat: vel graviori, si pertinacia exegerit, pœnæ subjaceat; ita ut tandem desistere cogatur. Prohibeatur etiam, ne Divina Officia, tumultuosi quorumcunque per Ecclesiam discursus, impediant, aut perturbent. Regulares, qui in conventualibus Ecclesiis circa prædicta excesserint, gravi pœna Superiorum arbitrio castigentur.

XI. De Processionibus.

PRocessiones, & supplicationes, quæ ad excitandam multitudinis devotionem, olim recte institutæ, & hominum vanitate nunc in varios abusus tractæ sunt, religiosius posthac volumus observari: prohibentes, ut nihil petulans, scurrile, aut prophanum in illis admittatur: cessent otiosa spectacula, ut seriæ, graves, compositæ, & quod dicuntur, supplicationes sint. Quare jubemus, ut Curati diligenter doceant, cur institutæ, & quid significent solennes Processiones: Clerus quoque in his studeat se religiosum præstare, cum gravitate ambulans, & sicut res ipsa postulabit, aliquid pium legens, cantans, aut meditans, optimis exemplis modestiæ, sanctitatis, præsentes ædificando: nullo autem modo, aut prophanis colloquiis vacet, aut curiose, huc, illuc circumspectans, obambulet, nec ad jentacula delabatur; sed finita supplicatione, unde processerunt, revertantur Clerici pariter & Laici.

XII. De Prædicatione Verbi Dei.

CUm Verbi Dei Concionatorem meminisse oporteat, quanta fungatur pro Christo apud populum legatione: ad quam non debet temerario ausu prosilire, sed exspectare, donec ad munus, tantæ in Ecclesia difficultatis, utilitatis, necessitatis & dignitatis, vocetur; idcirco inhibemus, ut sive sæculares Sacerdotes sint, sive Religiosi, cujuscunque ordinis, status, aut conditionis, ne præsumant prædi-

Digitized by Google

prædicationis officium obire in Eccleſiis Parochialibus, Capellis, aut Cœmeteriis, antequam exacto ac diligenti per Nos facto examine, ad prædicationem Verbi Dei, ſpecialiter noſtrarum literarum teſtimonio, fuerint admiſſi: qui præſcriptum inſtructionis, in Formula Reformationis Cæſareæ Majeſtatis ſub Tit. *Diſpenſ. Verbi Dei.* (n) poſitæ, in omnibus ſuis articulis ſervare tenebuntur, in exhortando, monendo, objurgando, Scripturas Sacras interpretando. Caveant incerta, fabuloſa, vel ſuſpecta proferre, difficiles quæſtiones, & quæ non ædificant rudem populum, ſed prolixas contentiones potius provocant, in concionem ne adducant. Omnem ſervent in geſtu, vultuve modeſtiam, docentes ſanam doctrinam Eccleſiæ Catholicæ, Scripturis Sanctis, & Eccleſiaſticis Doctoribus conformem.

XIII. De Matrimonio.

MAtrimonii vinculum ab ipſo Eccleſiæ capite, rerum omnium conditore, ipſum in paradiſo, & in ſtatu innocentiæ inſtituente, unionem, & indiſſolubilitatem accepit. Et idcirco ſtatuimus & ordinamus, quod cum reverentia & honore, tempore ab Eccleſia non interdicto, palam & publice, & interdiu, in facie Eccleſiæ, coram alterius contrahentium Paſtore, aut Vice-Paſtore ante Miſſam, quam audire tenebuntur, aut ut ad minimum poſt Miſſam, in Eccleſia auditam, celebretur, ne contractum vinculum negari valeat; Et antequam fiat, tribus diebus Dominicis, aut Feſtivis, a ſe diſtantibus, Presbyter denunciet Matrimonium contrahendum, inter Miſſarum ſolennia ante ſummum Altare, ſeu ante chorum, poſt decantatum Evangelium, vel poſt Dominicam matutinam concionem e ſuggeſtu; prout fuerit loci laudabilis conſuetudo: Nominando perſonas, & ſub pœna excommunicationis omnibus injungendo, quod impedimentum ſciens, quare initiatum Matrimonium perfici non debeat, revelet, antequam dicta tria banna, ſeu edicta fuerint in Eccleſia publicata: (o) Nam etiam cum tantum apparuerit Sacerdoti impedimentum ex probabili conjectura; non licebit illi conjungere, aut illis conjungi, ſub pœna excommunicationis: donec per Nos, aut noſtrum Officialem (quos occurrente tali caſu adire debebunt) de agendis fuerint inſtructi. Cæterum, quia multos rudiores Curatos eſſe in hac noſtra Dioceſi timemus, qui neſciunt populo aliquando publicanda impedimenta Matrimonii; non gravabimur hic paucis ea commemorare. Impoſſibilitas carnaliter cognoſcendi, cum propter defectum naturalis caloris, tum propter paſſum maleficium: cujus procuratorem excommunicamus, & excommunicatum denunciamus: ſuſcepta, ac profeſſa Religio: ſuſceptio Ordinis ſacri Subdiaconatus, & ſupra: cognatio ſpiritualis, conſanguinitas intra quartum gradum, cognatio carnalis, affinitas: votum ſolenne factum in manu Epiſcopi, vel alicujus, ex parte ejus deſtinati: diſpar cultus paganiſmi, vel Judaiſmi: vis, coactio, violentia: error perſonæ, inhoneſtas, ſeu contra publicæ honeſtatis inſtituta. Qui ſcienter contraxerint contra hæc Canonica interdicta, a Canone ſe non ignorent excommunicatos. Sacerdos itaque ſi noverit aliquos illicite conjunctos, ſub pœna excommunicationis ne differat nobis indicare: & ante hujusmodi trium bannorum publicationem, ſeu proclamationem, etiam ſe nemine opponente, nullus audeat celebrare Matrimonium, ſeu ſolennizare, niſi ſuper hoc a Nobis, vel Officiali noſtro, petita licentia, & obtenta. Et quia in horum trium bannorum remiſſione ſubinde hactenus peccatum eſt; & ſic per indirectum Concilii Generalis Conſtitutioni neutiquam ſatisfactum, quod ante Matrimonii ſolennizationem, congruum vult terminum publice conſtitui per locorum Sacerdotes, ut infra illum, qui voluerit, aut valuerit, legitimum impedimentum opponat; ordina-

(n) *Vide Tom. VI. Conciliorum German. pag.* 752.
(o) *Pleraque ex ſequentibus non leguntur in antiqua edit.*

dinamus, & deinceps volumus, ne ſuper his tribus bannis amplius diſpenſari poſſit per Officialem, aut Vicarios noſtros, quin ſaltem unum ſuperſit, quod publice fiat, in die Feſto; ſitque ſpatium ſufficiens, ut infra illud commode poſſit impedimentum, ſi quod ſit, annunciari, puta trium dierum. Illudque ſalutare Statutum, quod ſæpe in Sacris Canonibus reperitur, omnino ſervari volentes, præcipimus, & diſtricte ſtatuimus, ut deinceps Matrimonia, niſi in facie Eccleſiæ contrahantur: ne deinceps in domibus privatis, prout ſæpe contigiſſe repertum eſt, celebrari Matrimonia permittantur: ſed qui nubere vult, benedictione accepta a Sacerdote publice & clara luce, nubat in Domino. Hoc autem Statutum adeo diſtricte obſervari volumus, ut Decani, aut Archipresbyteri, ſuper eo diſpenſare non valeant. Serio vetamus, ne pro proclamatione, aut regiſtratione bannorum, & conceſſione teſtimonialium, ſi contrahentes diverſarum Parochiarum, aut Dioceſium fuerint, Decani rurales, aut Paſtores pro ſigillo aut cera accipiant plusquam..... Ex alia quoque Parochia, vel Dioceſi venientem non conjungant, niſi conjungendus, conjungendave habuerit literas ſui Parochi, teſtantis, proclamationibus bannorum per ſe factis, nullum ſe ſcire, aut intellexiſſe Canonicum interveniſſe, aut interventurum impedimentum. Quare excommunicatos a Canone, per Sedem Apoſtolicam tamen abſolvendos, nunciamus, Religioſos, ſeu alios quoscunque, qui auferint ſolennizare Matrimonia alienorum Parochianorum, non habita ſuper hoc Presbyteri Parochialis Eccleſiæ licentia. Item, quia Matrimonia clandeſtina adeo ſunt in jure reprobata, quod proles exinde ſecuta & ſuſcepta, eo durante, ſi poſtmodum impedimentum appareat, quare Matrimonium non poſſit ſtare inter eos, prorſus cenſetur illegitima, nec ſuccedet parentibus, de parentum ignorantia nullum ſubſidium habitura: & Parochialis Sacerdos etiam, aut quilibet regularis, qui talibus Matrimoniis præſumpſerit intereſſe, ſit per triennium ab officio ſuſpendendus: idcirco diſtricte præcipimus & prohibemus ſub excommunicationis pœna, quam in contrarium facientes, propter culpas præcedentes, ferimus in his ſcriptis, ne quis, vel qua clandeſtinum Matrimonium contrahat, aut tali Matrimonio, dum contrahitur, interſit. Quod ſi Parochialis Sacerdos, Capellanus, aut Regularis fuerit, qui in talibus intereſſe præſumpſerit, ipſum ab officio ſuſpendimus, & ſi ſuſpenſione durante, Divinis ſe immiſcuerit, irregularitatem ipſum incurriſſe ipſo facto declaramus, a qua non poterit liberari, niſi per Sedem Apoſtolicam. Matrimonia vero clandeſtina appellamus, quæ per verba de præſenti, ſine proclamatione bannorum contrahuntur, & ſine ſolennitate Eccleſiæ: vel quæ per verba de futuro, per carnalem copulam, ante lapſum proclamationis bannorum, & benedictionem, ſubſequuta præſumptione juris, & de jure contracta conſummantur. Quia vero ſubinde variæ & frequentes contentiones coram Officiali noſtro Attrebatenſi oriuntur, idque ex ſponſalibus, quæ vulgo affidationes vocantur, dum in locis privatis, non præſentibus fide dignis teſtibus, aut poſt ebrietates celebrantur; dignum duximus, hujusmodi promiſſis temere ſubinde emiſſis, omnino obviare; ſtatuentes, ne tales promiſſiones aut affidationes exinde fiant, niſi aut in loco ſacro, aut alio honeſto prophano, tuncque præſentibus parentibus contrahentium. Et prorſus in re tam ſeria & magni momenti, ceſſent ludi aut joci parum honeſti, & inutiles illæ compotationes, quæ cum ſæpe (*) dederint, ut ab hujusmodi affidationibus ſubinde altera pars reſilire tentarit, quod videlicet in probatione clam emiſſa, teſtante Sacro Concilio Arelatenſi, aut nulla prorſus exiſtente, aut dubia, variaque, oriretur altercatio: neceſſarium viſum fuit, commodum ad hanc rem hujusmodi adferre remedium. Si autem fidem dederint per verba de futuro, & ante copulam carnalem, fidem datam mutuo, velint remittere, non fiat hæc remiſſio, niſi conſcio Epiſcopo, ejus Officiali, aut loci Archidiacono. Item caveant ſibi Sacerdotes ſub pœna ſuſpenſionis, ne in Sponſalibus, quæ ſolent con-

(*) *Supple:* anſam.

contrahi ante proclamationem bannorum, utantur verbis de præſenti, ſed verbis de futuro duntaxat, his aut ſimilibus: N. vis promittere, quod accipies N. quæ hic eſt, in uxorem, ſi Canonicum impedimentum non obſtat: & e converſo. Quibus dictis, accipiet manus contrahere volentium, & dicet: N. tu promittis, quod accipies N. in uxorem, ſi Canonicum impedimentum non obſtat? & e converſo: ac prohibebit, ſub pœna excommunicationis, ne ante Matrimonium legitime in Eccleſia celebratum, ſe carnaliter cognoſcant. Mandamus quoque Presbyteris, Curatis aut Vice-Curatis, ut patriam, parentes, nomina & cognomina athdatorum diligenter inquirant, & ſic libro ſuo, ad hoc particulariter deſtinato, inſcribant, quem in neceſſarium uſum noſtrorum Promotoris aut Decanorum, legendum, inſpiciendumque conſervare debemus. Item Curatis Nobis ſubditis, vel eorum loca tenentibus, præcipimus, quatenus publicando hujusmodi, de non contrahendo clandeſtine, Statutum, ſuis Parochianis prohibeant ſub excommunications pœna, ne fidem ſibi ad invicem tribuant de Matrimonio contrahendo, niſi coram Sacerdote, & teſtibus, vel amicis utriusque partis. Quod ſi contra fecerint; ſub eadem præcipimus, hoc infra duos menſes, coram Sacerdote curato, vel ejus Vicario, ſi prædicti Curati copia haberi non poſſit, publice recognoſci: alioquin contra partem, per quam ſtabit, ad pœnas graviores procedemus. Item quia cauſæ matrimoniales, non per quoslibet ſunt tractandæ, ſed per Judices diſcretos, qui poteſtatem habent judicandi, & Statuta Canonica non ignorant: & quia etiam in cauſis prædictis arbiter nequit aſſumi; ſub pœna excommunicationis & ſuſpenſionis, quas in contrarium facientes ipſo facto incurrant, diſtricte prohibemus, ne quis alius de cauſis matrimonialibus, dependentiis, acceſſoriis, vel concomitantibus eas cognoſcat, ſive tractet, tanquam amicabilis compoſitor, ſeu etiam arbitrator, vel amicabiles compoſitores compromittat: ſed ſi aliquod dubium in hujusmodi cauſis intervenerit, ad Nos, ad quem ſpectat, vel Officialem noſtrum, habeatur recurſus: & Nos, vel dictus Officialis noſter, ſimpliciter & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, procedemus in iisdem. Item nullus Curatus aut Capellanus, ſecundo nubentem, vel eum, aut eam, qui cum tali contrahit, audeat benedicere: alioqui ab officio noverit ſe ſuſpenſum. Item moneant ſæpe Curati ſubditos ſuos ſub pœna excommunicationis, ut ſua Matrimonia legitima cuſtodiant, & cum aliis ſtuprum, adulterium, ſive inceſtum, non committant. Ne aliquis aliam, quam uxorem, & econtra uxor, quam maritum ſuperinducat: alioqui ipſos & ipſas ſuper inducentes, quos in his ſcriptis excommunicamus, a Nobis palam & publice excommunicatos nuncient, nec ipſos facile abſolvant, ſed prædictos publicos & manifeſtos adulteros, ad Nos, vel Vicarios noſtros remittant abſolvendos, niſi eſſent in mortis articulo conſtituti. Quo caſu etiam ordinamus, quod injungatur eis, quod ſi de illa infirmitate convaluerint, ad Nos, vel dictos noſtros Vicarios accedant, quam cito commode poterunt, abſolutionis impenſæ approbationem petituri. Alioquin in eandem ſententiam excommunicationis ſe incidiſſe noverint ipſo jure. Ac quia in eandem fere ſententiam extat Conſtitutio Synodalis, Reverendi Patris Domini Petri Manſuerii, utriusque Juris Doctoris Excellentiſſimi, & Prædeceſſoris noſtri, quam publicavit Anno Domini 1375. ideo, ut antiquitati ſuus quoque honor tribuatur, ſubjiciendam duximus. "Ad audientiam noſtram fide digna relatione pervenit, quod nonnulli uxorati, relictis de facto, & licentiatis ſuis legitimis uxoribus, aliis ſubinductis, in ſuis domibus, ſive lectis palam & publice (ac ſi eſſent eorum uxores deſponſatæ) tenent: & econtra mulieres conjugatæ, maritis ſuis legitimis abjectis de facto, & alios viros aſſumere, & cum eis reſidere, ac ſi eſſent earum mariti, non verentur in grave ſcandalum plurimorum; Ea propter, cum tales manifeſti adulteri ſunt perjuri, & per dictum ſtatutum excommunicati, præcipimus, in his ſcriptis, omnibus Eccleſiarum

Rectoribus, ſub obedientiæ debito, quatenus in ſuis Eccleſiis diebus Dominicis, tales denuncient excommunicatos adulteros & perjuros, palam & publice nominatim, ex quo delictum eorum eſt notorium, publicum & manifeſtum, & per evidentiam facti conſtat, & ab omnibus tanquam excommunicatos faciant arctius evitari, donec ſuper his, Nobis, ſeu Curiæ noſtræ, ad emendam venientes, a præmiſſis adulteriis penitus deſiſtendo, & ceſſando fuerint literatorie abſoluti: de qua abſolutione Curatis ſuis fidem facere teneantur, priusquam ipſi, vel eorum liberi ad aliqua jura Eccleſiaſtica, vel Sacramenta per eosdem Curatos admittantur, taliumque adulterorum nomina per Decanos, ſeu Curatos, infra menſem a die notitiæ volumus Curiæ noſtræ referri, ut contra eos ad alias pœnas graviores procedatur."

XIV. De Sacramento Ordinis. (p)

NOn mirum, aut novum facturi Nobis videmur, ſi in impertiendo Sacramento Ordinis, quod in Eccleſiaſtica Hierarchia merito magnæ dignitatis habetur, quodque a Chriſto in nova lege inſtitutum legimus, plus non ſolicitudinis tantum, ſed & ſeveritatis, juxta veteres & Canonicas Sanctiones, uſurpemus; cum ex ejus neglectu male hactenus audire Eccleſiam ſciamus. Inhibemus itaque, habentes imprimis rationem perſonarum, ut nullus irregularis, vel filius Sacerdotis, aut alias illegitime natus, niſi prius habita diſpenſatione, ad Sacros Ordines præſumat accedere. Ad avertendam quoque morum & doctrinæ corruptelam, quam nunc dolentes experimur in Eccleſiam irrepſiſſe, inſequentes ordinationem Formulæ Reformationis Cæſareæ Majeſtatis, diſtricte mandamus: ne quis ad Sacrorum Ordinum perceptionem admittatur, niſi diligentiſſime per Nos, aut Vicarios noſtros, bonos & doctos, quibus hoc onus imponemus, examinatus de ætate, fide, moribus ac eruditione, nec non animo, ſeu affectu, quoad petendos & ſuſcipiendos Ordines venit. Maximam quoque curam haberi volumus, conditionis, ſtatus, aut dignitatis examinandorum: Nam quo quisque major, aut dignior eſt, eo rigidiori examini, ſine aliqua conniventia ſubjicietur. Quia autem experientia compertum eſt, nonnullos fide data contraxiſſe ſponſalia, aut matrimonium, qui poſtea ad Sacros Ordines promoveri præſumunt; congruum eſt, ſtatuere, ut publice in Eccleſia Parochiali, per Curatum loci, tribus diverſis edictis, ſuper quibus non intendimus diſpenſare, per ſingulos dies Dominicos, aut Feſtos, ordinandi ad Sacrum Subdiaconatus ordinem, proclamentur: prout in bannorum matrimonialium proclamatione fieri præcipimus. Nullo autem reperto impedimento, aut vinculi alterius alicujus, aut defectus notorii, ætatis, morum, aut ſcientiæ, promovendus, de dicta proclamatione ſic rite facta, a loci Paſtore teſtimonium de fide factarum proclamationum modo prædicto, ad examen ſecum adferat: quod quidem, quantum ad ætatem, & mores attinet, continere etiam debet duorum aut trium teſtium probatorum teſtimonium, deponentium ſolenni juramento, de ſufficientia ætatis promovendi, & de probata & inculpata illius vita. Pro quo quidem ſuo reſcripto dictus Curatus habeat duos ſtupheros. Inſuper præcipimus, ut ordinandi ad Subdiaconatus, aut Diaconatus ordinem, nomina ſua dent Examinatoribus, feria quarta antecedente diem ordinationis ſuæ futuræ, & eodem, & ſequenti die examinentur: illi vero, qui ordinandi ſunt ad Sacerdotium, dabunt nomina ſua feria quinta ante diem ordinationis, quibus commoda hora examinationis ſtatuetur. Et antequam quis recipiat Sacrum Ordinem, confiteatur ſua cum devotione peccata: nam, cum Sacri Ordines conſolationem cœleſtis gratiæ tribuant, ſuſcipientem eſſe convenit ſine macula mortalis peccati, quia ſimul eſſe non poteſt gratia cœleſtis, & macula peccati. Nullus Sacros Ordines ſuſcipiat, ſeu etiam minores, ab Epiſcopo alieno, niſi literas dimiſſorias a No-

(p) *Caput hoc multis partibus auctius eſt, quam in editione antiqua.*

a Nobis, vel Vicariis noſtris meruerit obtinere, nec etiam Clericalem tonſuram : & qui contra fecerit, executione ſui ordinis careat: monemusque talem, ne executioni ſe immiſceat, aut tonſuram taliter receptam radi faciat; donec a Nobis, poſt debitum examen boni teſtimonii, de vita, moribus, ætate, ac doctrina, cum ipſo fuerit miſericorditer diſpenſatum. Verum ne dimiſſorialium conceſſio, alicujus malitiæ, aut inidoneitati prodeſſe poſſit; declaramus, Nos poſt hac nemini dimiſſoriales indulturos, niſi poſtquam Nobis, aut Vicariis noſtris ſufficienter conſtiterit, per juſtum ordinandorum Examen : vel, ſi abſint a Patria, per alias legitimum teſtimonium fide dignorum, bona ac rationabili cauſa eas poſtulari. Præterea cum Eccleſiæ non parva irrogetur ignominia, ſi ipſius Miniſtri, velut pannoſi & mendicantes, eleemoſynis victum quæritare cogantur, aut ſane ei intendere quæſtui, qui Sacerdotalem dignitatem non deceat; fuit ab Eccleſia antiquitus ſtatutum, ne Epiſcopi Clericos ad Sacros Ordines promoveant, niſi ſub titulo, eoque ſufficienti, beneficii aut patrimonii. Qua de cauſa ne in noſtra Dioceſi hujusmodi ſcandala in Eccleſiæ dedecus & vituperium amplius contingant; prohibemus, ne deinceps promovendi, ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem ullo modo admittantur, niſi ſufficientem titulum, quem uſque ad viginti librarum Turonenſium valorem idoneum eſſe judicamus, aut beneficialem, aut patrimonialem exhibeant, ſuper quo per Vicarios noſtros, vel Officiales, diligens fiat inquiſitio. Quod ſi ergo beneficialem promovendus produxerit; præſtet coram Examinatoribus Sacramentum, quod hunc titulum canonice ſit adeptus. Quod ſi patrimonialem oſtendat, diligenter inquiratur, an legitimo titulo, ceſſionis forte, aut donationis, aut alio loco eum ſit adeptus, & ſuper hac re legitimum etiam exigatur Sacramentum, nullam in tali ceſſione, aut donatione, aut alio titulo interveniſſe fraudem, dolum, aut ſimulationem : deponatque ſimiliter, quod illum titulum non alienabit, antequam alium legitimum & ſufficientem prætacti valoris fuerit aſſecutus. Quare etiam præcipimus, quod nulli ad Ordines admittantur per titulum Vicariæ, niſi ſit perpetua, & a qua ſubmoveri non poſſit. Præpoſiti, Decani, & quicunque curam habent animarum, ad Ordines Sacros ſuſcipiendos ſe præſentare debent, & in Eccleſiis ſuis facere reſidentiam, niſi per Nos, aut alium poteſtatem habentem, deſuper ex rationabili cauſa cum eisdem legitime fuerit diſpenſatum. Item prohibemus, ſub pœna excommunicationis & decem librarum Pariſienſium, piis uſibus applicandarum, ne aliquis ad Clericalem tonſuram per aliquem præſentetur, aut eandem recipiat, niſi major infante fuerit, & etiam literatus. Nullus conjugatus ad Clericalem tonſuram recipiendam in noſtra Dioceſi, Nobis aut alteri, ſeu aliis loco noſtri præſentetur quovis modo, aut eandem recipiat. Quod ſi ſecus a quoquam attentatum fuerit; præſentans, & recipiens, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrant: talesque privilegio Clericali in nullo gaudere volumus; imo ſic de facto tonſuratos, a foro ſeculari nullatenus exemptos, nec Clericali militiæ ſociatos, ſententialiter decernimus in his ſcriptis ; ſeu, quod verius eſt, declaramus, & idem cenſemus de illo, qui ſponſalia per verba de futuro contraxerit. Item volumus omnes & ſingulos, privilegio Clericali inſignitos, ſingulis diebus, Pſalmum (q) pœnitentialem quinquageſimum : *Miſerere mei Deus* &c. dicere. Acolythi Horas Virginis Glorioſæ, Subdiaconi, & alii in ſuperioribus Ordinibus conſtituti Horas Canonicas legent, ad quas etiam dicendas, omnes & ſinguli beneficia obtinentes ſunt propenſius obligati, licet non ſint in Sacris Ordinibus conſtituti : (r) & cum propter officium detur beneficium, merito tales Divinum Officium negligentes, & penſum ſervitutis Deo debitæ non ſolventes, poſſent ſuis beneficiis ſpoliari: inſuper adjicimus & conſulimus, quod propter inadvertentias, quas circa Horas

(q) *In antiquo exempl.* Septem Pſalmos penitentiales.
(r) *Additur in antiquo*: quod niſi fecerint, peccant mortaliter.

ras Canonicas faciunt, poſt Veſperas qualibet die dicant Antiph. *Salve Regina &c.*

Cuſtodes Eccleſiarum & Sacriſtæ, ſint Clericali habitu incedentes decenti & honeſto. Cum enim ipſi ſint, qui operam ſuam etiam Divinis rebus præſtant, & Curatis Eccleſiarum Parochialium in re ſacra peragenda auxilientur: indecorum eſſe arbitramur, ſi Laicorum more converſentur. Volumus ergo, ut hujusmodi ædiles aut Eccleſiarum Sacriſtæ, ſint ad minimum, Clericali tonſura inſigniti, dumque Sacris peragendis interſunt omnino habitu Clericali ornati, miniſteria ſua in ſuperpelliceis exhibeant, linteaque Sacrarii, Eccleſiæ pallas ac mappas, veſtes quoque ſacras ſatagant mundas aſſervare: de quorum lotione, quando ſordida erunt, debebunt admonere illos, quibus hæc cura incumbit, & quibus per Canones licet, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, & emolumentis, donec pareant.

XV. De Sacramento Extremæ Unctionis.

INſiſtentes huic Sanctiſſimi Apoſtoli Jacobi ſententiæ: *Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, remittentur ei*; Ordinamus, ut juxta Catholicæ Eccleſiæ vetuſtiſſimam conſuetudinem, cum reverentia & honore, Oleum Sacrum ad infirmos deferatur per Sacerdotem, dicentem inter eundum ſeptem Pſalmos, cum aliis orationibus conſuetis: idque fieri volumus præſenti aliqua multitudine fidelium, quæ Sacerdoti inungenti adſit, & cum infirmo, aut etiam nomine infirmi, poſſit religioſe, & devote, flexis genibus, alternos Pſalmorum, aut Litaniarum verſus recitare, aut ſaltem una orare. Studeant Presbyteri infirmos ſæpe viſitare, & eis prædicent Verbum Dei, & eos ad meditandum de animarum ſuarum ſalute gratioſis, benevolis, ac piis exhortationibus ſolicitent; eos ad fidem, devotionem, contritionem, & integram peccatorum confeſſionem incitando, & propenſius erigendo jam contritos & confeſſos, ad ſpem veniæ per Chriſtum obtinendæ. Doceant Parochi, iſtud Sacramentum, a puberibus in graviſſimis ægritudinibus ſuſcipiendum eſſe, ac etiam iterari poſſe in diverſis, ac periculoſis morbis; præmiſſa tamen ſemper confeſſione, niſi forte illam excludat ægri ex nimia mortis inſtantia procedens imbecillitas. Inuncti extergantur ſtuppis, quarum exuſtarum cinis in ſacrum locum rejicietur. Librum etiam habeant, qui dicitur Manuale, ubi continetur ordo Extremæ Unctionis, Cathechismi, exorciſmi, & Baptiſmi, & hujusmodi. Qui hoc Sacramentum contemptibili neglectu ſuſcipere prætermiſerit, Eccleſiaſtica carebit ſepultura.

XVI. De Pœnitentiis & Remiſſionibus.

DOcere debent Sacerdotes ſuos Parochianos, quod vera Pœnitentia regulariter conſiſtit in tribus, & habet tres partes: ſcilicet Confeſſionem, Contritionem, & operis Satisfactionem. Et dico regulariter: Quia ubi neceſſitas, non contemptus, excluderet confeſſionem & ſatisfactionem, ſufficeret ſola contritio ad expiationem peccati: unde verum eſt, quod ſola contritio, in tali caſu, cum propoſito confitendi, & ſatisfaciendi, tollit peccatum & reddit hominem vivum, qui per peccatum fuerat mortuus. Alias vero contritio non ſufficeret, ex quo poſt contritionem, haberetur tempus opportunum confitendi & ſatisfaciendi, quo tamen non confiteretur, vel ſatisfaceret. Itaque quamvis melius ſit, quod ſtatim quilibet, dum poteſt, poſt lapſum confiteatur: ſi tamen ſtatim quis non confiteatur: caveat, ne aliquod opus interim exerceat, in quo reverentia requiratur, videlicet ne Corpus Chriſti conſecret, aut aliquod Sacramentum in tali ſtatu adminiſtret. Et ideo Sacerdotes curati, quibus incumbit quotidiana Sacramentorum collatio, ſtatim, quando poſſunt, neceſſario tenentur confiteri. Item ſciendum eſt, quod quamquam ſatisfactio pœnitentiæ pars dicatur, non tamen ſemper pœnitentibus & confeſſis eſt

ſatis-

ſatisfactio injungenda, ſicut eſt videre in infirmis in mortis articulo conſtitutis, a quibus licet vera confeſſio peccatorum ſit requirenda, quantitas tamen pœnitentiæ, vel ſatisfactionis non eſt eis imponenda; ſed duntaxat dicendum: *Pro iſtis peccatis, talem ſatisfactionem, ſeu pœnitentiam deberes peragere, quam tibi propter infirmitatis periculum de præſenti non injungo, ſed ſi divinitus ereptus convaleueris, dictam pœnitentiam & ſatisfactionem fideliter adimpleas & obſerves.*

Quod ſi infirmus a ſeculo migraverit, pondus pœnitentiæ eſt amicorum orationibus, jejuniis, eleemoſynis, Sacrificiis in altari offerendis ſublevandum. Quod onus pœnitentiæ etiam ſublevatur Sacra Unctione Olei & Sancta Communione viatici, quam percipit moriturus. Sciendum præterea eſt, quod ex tribus rebus debet fieri ſatisfactio, ſcilicet aut de bonis fortunæ, quæ nobis ſubtrahimus, dando ſcilicet eleemoſynam: aut de bonis naturæ ſeu corporis, ſcilicet per jejunium: ut ſubtrahamus neceſſaria corpori, & ut carnem caſtigemus & affligamus per jejunia, vigilias, & alios labores: aut de bonis animæ, ut vacemus orationi & devotioni. Et ex his omnibus, & eorum ſingulis debet diſcretus Sacerdos injungere pœnitentiam, & ſatisfactionem pro peccatis commiſſis; conſideratis diligenter perſona peccantis, & circumſtantiis peccatorum. Item ſcire debent Sacerdotes curati, quod pœnitentiæ & ſatisfactiones ſunt regulariter arbitrariæ, juxta Canonicas Sanctiones, & ad arbitrium Sacerdotis regulariter imponendæ. Debet tamen arbitrans diſcrete reſpicere quantitatem & qualitatem peccati, ſeu delicti, & ætatem, ſcientiam, ſexum, & conditionem delinquentis, nec non locum & tempus, quo delictum commiſſum eſt. Et ſecundum iſta, arbitretur pœnitentiam & ſatisfactionem imponendam; quoniam quandoque penſatis præmiſſis, unus & idem exceſſus, magis eſt in uno, quam in alio puniendus. Unde conſideratis præmiſſis, diſcretus Sacerdos poteſt diſpenſative ſatisfactionem & pœnitentiam moderari; dum tamen multum non erret, nec Divina juſtitia infringatur. (*s*)

XVII. De non reſidentibus in ſuis beneficiis.

SCiant Curati, beneficia Eccleſiaſtica obtinentes, quod omne beneficium quantumcunque modicum, etiam viginti ſolidorum, requirit reſidentiam: niſi per ordinationem in fundatione appoſitam, privilegium ſeu ſpecialem conſuetudinem, ad reſidentiam minime ſit adſtrictum. Et idcirco omnibus & ſingulis in Civitate & Dioceſi Attrebatenſi beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, quæ reſidentiam requirunt ex conſuetudine, vel de jure, præcipimus & mandamus: quod in ſuis beneficiis reſidentiam faciant perſonalem, & continuam, deſerviendo laudabiliter eisdem in Divinis, & aliis prout decet, & onus beneficii requirit. Non reſidentes, maxime Curati, & alii, qui in eorum ingreſſu jurant reſidere continue, ultra pœnas juris, privationem beneficii debent merito formidare, niſi cum eis, ſuper non reſidentia, per Nos, vel Vicarios noſtros fuerit diſpenſatum, & quia reſidentiam facere nihil aliud eſt, niſi Eccleſiæ deſervire, & curam Eccleſiæ perſonaliter gerere, ita quod quilibet per ſe & in propria perſona, Eccleſiæ ſuæ debet deſervire, cum ad hoc ejus induſtria ſit electa; idcirco inhibemus, ſub excommunicationis pœna & quadraginta librarum, univerſis & ſingulis Decanis, Curatis & Capellanis, ac aliis beneficia Eccleſiaſtica obtinentibus, requirentia continuam reſidentiam de conſuetudine vel de jure, ne alicui exercitium curæ ſuæ, Capellaniæ, ſeu beneficii committant, etiam ad modicum tempus, niſi a Nobis, vel Vicariis noſtris licentiam obtinuerint ſpecialem. Et quia dubium eſſe poteſt, quod tempus dici modicum debeat: declaramus, modicum tempus id eſſe, quod eſt ultra ſpatium quindecim dierum: nec etiam illud modicum tempus volumus indulgere ſæpius, quam bis in anno, niſi accedente noſtra licentia ſpeciali; ne

(*s*) *Additur in editione antiqua* Decretum Innocentii III. *editum in Conc. Gen.* de Medicis; *quod vide ſupra Cap.* de Sacramento Confeſſionis *poſt Caſus reſervatos.*

ne aperiatur via volentibus evagari, & ſcandaloſas invenire cautelas, per quas ſe poſſint a perſonali officio & reſidentia diutius excuſare. Item licet beneficia obtinentes, quæ ex aliqua rationabili cauſa reſidentiam non requirunt, excuſentur a perſonali reſidentia; propter hoc tamen non excuſantur, quominus teneantur per alium, ſeu alios, eisdem facere deſervire, & onera eisdem incumbentia debite ſupportare. Item ſi ex aliqua juſta cauſa oporteat, Curatos, & alios Beneficiatos, extra ſua beneficia proficiſci, honeſta quærant hoſpitia, & quam citius poterunt, ad ſuas redeant Eccleſias. Vicariis ibidem dimiſſis, de licentia noſtra, ſeu Vicariorum noſtrorum.

XVIII. (t) *De Receptione Clericorum, & eorum præſentatione.*

PResbyteri curati, & Capellani, ſeu Clerici, qui a Nobis inſtitutionem ſeu collationem Eccleſiarum, ſeu Capellaniarum debent recipere: Nobis rite, canonice & infra tempus juris, per eos, ad quos, ratione juris patronatus, ſeu ex alia cauſa juſta & rationabili, ſpectat præſentatio, legitime præſententur, vel in noſtra abſentia Vicariis noſtris, ſeu Vicario Generali, firmiter ſtatuentes, ut hi, ad quos dictorum ſpectat præſentatio, ut præfertur, pro qualitate beneficii, ſeu beneficiorum nobis præſentent idoneas perſonas, ſcientia moribus, & ætate. Quod ſi perſonas nobis indignas repræſentaverint, ſi perſonæ Eccleſiaſticæ fuerint, ea vice poteſtate præſentandi, per has noſtras Synodales Conſtitutiones, declaramus privatas. Caveant etiam hujusmodi perſonæ præſentandæ, ne ante receptionem ſuam, vel poſt, obligationem, promiſſionemque, ſive juramentum perſonæ faciant, vel patrono, quia illud continet ſpeciem Symoniæ. Quod ſi contrarium fecerint, ultra pœnas juris, privationem beneficii poſſunt non immerito formidare: Curati vero, cum ad curam recipiuntur, examinatione præmiſſa, jurare debent obedientiam Nobis, & Succeſſoribus, ac Vicariis noſtris, Nobis abſentibus, nec non Officiali Curiæ noſtræ, & quod mandata Curiæ cum reverentia & promptitudine exequentur. Jurabunt etiam in ſuis Eccleſiis perſonaliter reſidere & ad Synodum venire, niſi cum eisdem fuerit per Nos miſericorditer diſpenſatum: Jurabunt etiam, quod jura, poſſeſſiones ſeu reditus, & bona ſuæ Eccleſiæ bona fide & diligenter obſervabunt: nec alienabunt, ſeu alienari permittent, vel procurabunt; ſed alienata pro viribus ad jus & proprietatem Eccleſiæ revocabunt. Cæteri vero ad Capellanias præſentandi, ſeu præſentati jurabunt obedire, ut præfertur, & reſidentiam facere, ſi ad hoc de jure vel conſuetudine Capellania aſtringatur, & jura Capellaniæ ſervare illæſa & non alienare, ſed alienata revocare, ut ſuperius enarratur. Etſi Clerici non conſtituti in Sacris, fuerint præſentati ad Capellanias, jurent cum prædictis, quod promotionem ſuam de ordine in ordinem proſequentur, niſi alias eisdem de non promovendo, ex juſta & rationabili cauſa, ſpecialis licentia ſit conceſſa. Nullus alienos Capellanos recipiat in ſua Eccleſia ſeu Capella, niſi de aſſenſu noſtro: alioqui tam recipientes, quam recepti pœnas incurrant, contra tales promulgatas ſupra in eisdem Conſtitutionibus, *in titulo*: *De celebratione Miſſarum.* Illi vero, qui ad curam animarum admiſſi fuerint, niſi infra annum, a tempore ſibi commiſſi regiminis & poſſeſſionis adeptæ, ad Sacerdotium ſint promoti, ſuis Eccleſiis ſint privati ipſo jure: niſi Canonicum impedimentum habeat eos excuſatos, prout in Conſtitutione Gregorii Decimi, edita in Concilio Lugdunenſi, quæ incipit: *Licet Canon*; juxta Bonifacianam Conſtitutionem, quæ incipit: *Commiſſa*; ſituatam in titulo de Electione libro ſexto plenius continetur: & niſi cauſa ſtudiorum, juxta Decretalem: *Cum ex eo.* ſituatam eodem titu-

(t) *Mutatus hic eſt, uti & alibi antea, ordo Capitum. Nam in antiqua editione ponitur hoc loco Titulus:* De rebus Eccleſiæ non alienandis, *quem vide inferius poſt Caput:* De pluralitate beneficiorum.

Digitized by

titulo, & eodem libro, per Nos fuerit cum eisdem Curatis misericorditer dispensatum.

Non est æquum, ut quæ Spiritualia existunt, pro his turpis cujusdam quæstus gratia, plus æquo quid exigatur. Quare, quamvis jus Patronatus non omnino spirituale existimandum sit; quod nempe & Laicis competit, est tamen rei spirituali multum affimile: testantibus id variis Sacris Canonibus. Nihil ergo Patronus ex dotatione, quasi præstiti muneris mercede, sibi competere agnoscat, nisi processionis aditum, qui Christianis omnibus in commune debetur. Ex licentia tamen & authoritate Episcopi, aut ipsius Ecclesiæ fundatione, aut ex pia consuetudine (si quid pro præsentatione gratis dari consuevit) grati muneris oblationem non damnamus, modo non excedat id, quod Episcopus pro collatione habere consuevit. Haud prætereunda est hoc loco vetustissima quædam Constitutio, ante annos plus minus ducentos quinquaginta, in Synodo quadam Atrebatensi decreta: qua cavetur; ne absque Episcopi licentia quispiam curam animarum, aut Sacramenta administrare præsumat. Cujus, ob venerandam antiquitatem, repetitionem, de verbo ad verbum faciendam duximus.

" Cum non sit Pastoris excusatio, si oves, ipso nescio, lupinis morsibus devorentur. Pro eo, quod ex debito Pastoralis officii, de gregis custodia teneamur, Nobisque licet immeritis animarum regimen & Pastoralis cura solicitudinis totius Atrebatensis Diœcesis, generaliter & universaliter, sit Divina permissione commissa: adeo quod nullus alius præter Nos, & illi, qui per Nos ad singularem animarum custodiam, committuntur, Deo respondere teneantur: non est mirum, si de dicta cura soliciti, curiose scire volumus, qui sunt illi, qui singularium Ecclesiarum nostræ prædictæ generalis solicitudinis gerunt custodiam, sive curam, ne forte sub Pastoris specie lupi rapaces, dolose custodiam usurpantes, lupina rabie devorent totum gregem. Cujus ad nos periculum dinoscitur pertinere. Audivimus enim nuper, quod cedentibus, seu decedentibus, Rectoribus Ecclesiarum prædictæ nostræ Diœcesis Atrebatensis, vacantibus dictis Ecclesiis Rectoribus seu Ministris, quidam curam animarum, auctoritatè, seu verius, temeritate propria, gerere, seu Rectoris officium assumere non verentur. Et licet a nobis in messem nostram generalem non fuerint speciales operarii instituti, falcem suam tamen in eandem damnabiliter ponere non formidant, & sub specie Pastoris, dolosi mercenarii sævitiam exercentes, animas nobis commissas decipiunt fraudulose, cum eas prætextu cujusvis consuetudinis, absque nostra Authoritate speciali, solvere non valeant, vel ligare; neque non suis subditis, excluso tamen necessitatis articulo, ministrare Sacramenta Ecclesiastica, suppositò etiam, quod fuerint in Sacris Ordinibus constituti, & in ordine Sacerdotii; Sacerdotalis tamen ordinis executionem, quoad præmissa, in nostra Diœcesi habere non possunt, nisi eisdem a Nobis specialiter committatur. Ne igitur prætermisso caritatis ordine nostris negligamus obviare periculis, universis Presbyteris nostræ Diœcesis cujuscunque status & conditionis existant, districtius inhibemus, ne talia de cætero præsumant recipere, seu alias attentare. Contrarium vero facientes, ultra alias pœnas juris, nec non & Constitutionum Provincialium, & Synodalium Statutorum, excommunicationis sententiam eo ipso incurrant." Cum hodie res Ecclesiastica in eum statum pervenerit, ut omnia rapiente avaritia merito dici possit, omnes quærunt munera & sequuntur retributiones: Solicitudinis Pastoralis esse arbitramur, ea, quæ dignam requirunt correctionem, omnino in melius reformare. Considerantes itaque esse per Diœcesin nostram permultos Pastores, seu Vicarios perpetuos, qui gregem Dominicum sibi commissum (pro suscepti muneris debito) pascere cupientes, quasi manum ad aratrum ponentes, retro respicere coguntur; quod nempe a Monasteriis,

gitized by Google

ſteriis, Capitulis, aut Collegiis, quibus decimæ olim aut in totum, vel in parte incorporatæ eſſe dignoſcuntur, quod videlicet ad eos antiquitus cura animarum ſpectabat; ipſis ita parva aſſignetur portio, ut contra Clericalem dignitatem, & debitum Paſtorale paſcendis ovibus non commode invigilare queant: injungimus omnibus Abbatibus, Monaſteriis, Capitulis, Collegiis, ad quos decimæ ex incorporatione olim facta, ſpectant ſub pœna inobedientiæ: ut deinceps hujusmodi Parochis ſeu Vicariis perpetuis, eam aſſignent portionem Canonicam, ſuper proventibus dictorum Collegiorum, aut Monaſteriorum, quatenus poſſint gregi Dominico recte vacare. Idem etiam ſtatuere volentes in aliis Paſtoribus & Curatis proprietariis, ut Vicariis temporalibus, quos in curam Paſtoralem delegarunt, congruam dent portionem & ſtipendium, ne turpibus exactionibus & quæſtu parum honeſto cogantur oves ſibi commiſſas gravare. Ut autem hæc ſalutaria præcepta melius ſervari poſſint, injungimus Vicariis noſtris in hoc conſtitutis, ne de cætero curam animarum committant Vicariis perpetuis, aut Vice-Paſtoribus, in abſentia verorum Paſtorum, niſi Canonica portione aſſignata, eaque ſufficienti judicio noſtro, aut Vicariorum noſtrorum.

Præterea cum vel dicente Domino, os bovi trituranti non ſit alligandum, rationi ſane diſſonum, & contra Canonicas Sanctiones videtur, ut qui altari inſerviat, ipſe de altari non participet. Quapropter volentes exſtirpare perverſam & iniquam quorundam Capitulorum conſuetudinem, ſtatuimus deinceps, ut omnes Canonici, qui perſonaliter reſidentes, Eccleſiis ut cæteri Canonici, inſerviunt, quamvis ſint noviter recepti, groſſos fructus ſuorum beneficiorum & alios quoscunque lucrentur: damnabilem illam conſuetudinem judicantes, qua prædicti fructus in lucrum & augmentum jam receptorum cedunt, vel quod jam de novo recepti ſint ad tempus exſpectantes. Sane ſi ex fundatione quorundam locorum ſpeciali & legitima, quæ tamen ſufficienter probari debet, aliis Eccleſiis, aut piis uſibus prædicti groſſi fructus reſervari ſoleant, hanc piam fundatorum intentionem omnino impleri deſideramus.

XIX. De pluralitate Beneficiorum.

EX animo quoque cupientes refrœnare inſaniam quorundam in congerenda, deteſtanda & ſcandaloſa multitudine Beneficiorum, maxime eorum, quibus animarum cura annexa eſt, noſtra & Synodi præſentis auctoritate ſtatuimus, ut nemo poſt hac in aliquo beneficio, in noſtra Dioceſi inſtituatur, niſi præſtito juramento de numero beneficiorum a ſe poſſeſſorum. Et ſi quis plura beneficia poſſidere inventus fuerit; exhibere & præſentare tenebitur Nobis, aut Vicariis noſtris diſpenſatorias literas ſibi per Sedem Apoſtolicam, aut alias ſuper tali pluralitate indultas: ut, vel induci poſſit, ſi ad impetrandum inveniatur non fuiſſe qualificatus, uno, quod maluerit, retento, alia libere reſignare, aut dimittere viris idoneis, perſonaliter reſidere volentibus: absque præjudicio tamen præſentantium, eligentium, aut collatorum: vel, ſi ſic honeſte talis induci recuſet, ut Summo Pontifici deferri per noſtrum Promotorem poſſit, tanquam ſurreptitie impetrans, ut alicui digniori de beneficiis reliquis provideatur per alios, quibus alias competit jus eligendi, conferendi, vel præſentandi.

XX. De rebus Eccleſiæ non alienandis.

NOn debet latere omnes & ſingulas perſonas Eccleſiaſticas, quod Gregorius X. prohibuit, ne Abbates, Prælati, cæterique Monachi, Clerici & Presbyteri Eccleſiarum & Monaſteriorum, Eccleſias & Monaſteria, vel quæcunque alia loca pia ſibi commiſſa, jura, reditus, ſeu poſſeſſiones, ac alia bona mobilia & immobilia eorundem, Laicis ſupponerent & ſubmitterent, de novo recognoſcerent, ſeu profiterentur, ſe tenere a prædictis Laicis, tanquam a Superioribus, ſeu aduoarent, (prout vul-

vulgariter in aliquibus partibus dicitur) aduöer e tenir a Seigneur) ſeu quomodolibet procurarent, ſub quocunque colore cuſtodiæ, guardiæ, regaliæ, advocationis, ſeu defenſionis titulo. Et Nos etiam, addendo dicto Statuto Gregorii, præmiſſa ſine conſenſu noſtro, & nihilominus Capituli, vel Conventus, in illis locis, ubi ſunt Capitula, vel Conventus, fieri prohibemus: ſi pœnam ſtatutam in Decretali dicti Gregorii, quæ incipit: *Generali Conſtitutione* &c. & hæc eſt, ſituata in titulo *de Electione*, ſexto libro, voluerint evitare. Et quoniam omnes ad iſtam Decretalem forte neſcirent, aut non poſſent habere recurſum, ne prætextu ignorantiæ incidant in laqueum: ſciant omnes & ſinguli; quod præmiſſa facientes, aut fieri procurantes, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto. Eandem quoque ſententiam excommunicationis per hanc noſtram Conſtitutionem ſe noverint incurriſſe ipſo facto, Abbates, Prælati, Presbyteri, cæteræque perſonæ Eccleſiaſticæ Nobis ſubditæ, quæ de novo dabunt in feudum Laicis, jura, reditus, ſeu poſſeſſiones, aut bona Eccleſiarum, vel ſuorum Monaſteriorum. Capitula, ſeu Conventus præmiſſa facientes, ſeu conſentientes, interdicto Eccleſiaſtico ſubponentur. Cæterum quoniam per redituum, jurium & poſſeſſionum, bonorum Eccleſiaſticorum venditiones, ſeu conceſſiones ad vitam, vel ad aliud longum tempus factas per Adminiſtratores, ſeu Rectores Eccleſiarum, Monaſteriorum, ſeu Collegiorum, & præcipue per Regulares ſub prætextu & colore utilitatis, vel neceſſitatis eorundem, magna diſpendia & detrimenta quam plurima eisdem Monaſteriis, & Eccleſiis cognovimus proveniſſe: adeo quod plures Eccleſiæ, & maxime Regulares, in noſtra Dioceſi conſtitutæ, propter præmiſſa depauperatæ ſunt, & tanta paupertate depreſſæ, quod jam quaſi ad ultimum deſolationis opprobrium ſunt deductæ: ideirco cupientes indemnitatibus dictarum Eccleſiarum & Monaſteriorum ex debito Paſtoralis officii (quantum cum Deo poſſumus) providere, & contra talium venditionum incommoda, utilis proviſionis adhibere remedia; imprimis illud, quod in *Concilio Viennenſi*, quoad Religioſos ſtatuitur, ſuper præmiſſis, cum quibusdam additionibus, his noſtris Synodalibus Conſtitutionibus duximus inſerendum. Unde ſciant cuncti Religioſi, noſtrarum Civitatis, & Dioceſis, quod ſtatutum eſt in dicto Concilio, ne quis Religioſus, Monaſterio, Prioratui, Eccleſiæ, ſeu adminiſtrationi præſidens, jura, proventus, aut reditus, ſive poſſeſſiones ejusdem, alicui ad vitam ejus, ſeu ad aliud certum tempus, pecunia exinde recepta, quovismodo concedat; niſi neceſſitas locorum, aut utilitas hoc expoſcat; quo caſu etiam non fiat, niſi de conſenſu Conventus, ſi Præſidens Conventum habet: & ſi non habet Conventum, de conſenſu Prælati proprii. Contrarium vero facientes pœnam ſuſpenſionis eo ipſo incurrunt, per prædicti Concilii Statutum: nec recipienti jus aliquod acquiritur, ex conceſſione prædicta. Nos autem noſtra auctoritate ordinaria, dicto Statuto per has noſtras Conſtitutiones Synodales annectimus: Quod præmiſſa, in Civitate, ſeu Dioceſi Atrebatenſi, non poſſunt fieri quoquomodo: etiam intervenientibus dictis ſolennitatibus & conditionibus, appoſitis in Concilio ſupra dicto, etiam ſi eſſet utilitas, vel neceſſitas, ut præfertur, absque noſtris licentia & aſſenſu. Contrarium vero facientes, ex nunc ab officio ſuſpendimus, & recipientibus absque noſtra auctoritate, decernimus jus aliquod non acquiri. Prohibemus inſuper, ne quis dictas conceſſiones aliter, quam dictum eſt, recipiat, ſub pœna excommunicationis: quam in contrarium facientes ferimus in his ſcriptis; ne impune tranſeant nonnulli, qui ad faciendum tales conceſſiones, quam plures perſonas Eccleſiaſticas fraudulenter & malitioſe frequentius inducunt. Cæterum quia, quod ſupra ſtatutum & ordinatum eſt, quoad Eccleſias regulares, ad ſæculares quoque Eccleſias Collegiatas & non Collegiatas noſtrarum Civitatis & Dioceſis duximus extendendum. Inhibemus inſuper, ne quis Eccleſiæ ſæculari Collegiatæ, ſeu non Collegiatæ præſidens, venditiones, ſeu conceſſiones ad ali-

quod certum tempus, ſeu ad vitam faciat, omiſſis ſolennitatibus ſupradictis. Contrarium vero facientes, ſeu tales conceſſiones, aliter, quam dictum eſt, factas, recipientes, pœnas ſupradictas eo ipſo incurrant. Collegia vero, ſeu Capitula, formam non ſervantia prædictam in talibus venditionibus, ſeu conceſſionibus, eo ipſo ſint ſuppoſita Eccleſiaſtico interdicto. Statuentes etiam, cum neceſſitas & utilitas exegerit, tales conceſſiones, ſeu venditiones fieri ad vitam, vel aliud certum tempus, ſolennitates, quæ ſequuntur, ut præcludatur via fraudibus, obſervari. Et primo: quod in ipſis Eccleſiis Collegiatis, tam ſecularibus, quam regularibus, aliquid de bonis, juribus, vel reditibus, ad tempus, vel ad vitam vendere volentibus, ut præfertur, ſolennis & diligens capitulariter habeatur tractatus: ſcilicet, utrum neceſſitas hujus Eccleſiæ vendere volentis, vel utilitas exigat, aut ſuadeat, quod talis venditio, ſeu conceſſio celebretur: declareturque per eundem tractatum, certa ſumma vendenda. Secundo: quod ſi per hujusmodi tractatum, ſic capitulariter factum, viſum fuerit expedire, talem conceſſionem vel venditionem debere fieri, & concordatum etiam de ſumma; tunc vendere volentes ad Nos, vel Nobis abſentibus, ad noſtrum, ſeu noſtros Vicarios Generales accedere habeant, ad declarandum cauſas & rationes inſpectas in capitulari tractatu, quæ neceſſitatem, vel utilitatem inducant, vendendi dictam certam ſummam, de qua vendenda deliberatum eſt: quæ etiam nobis debeat declarari, & dictis declarationibus, Nobis, vel Vicariis noſtris factis, ut præmittitur, petita licentia & obtenta vendendi taliter & talem ſummam. Tertio: quod dicta licentia petita & obtenta, & non ante, habeatur cum emptoribus, ſeu emere volentibus, venditionis tractatus, prout diligentius & utilius poterit: omnis ſingularis avaritiæ, commodique, vel utilitatis affectione ceſſante, Eccleſiarum vendere volentium utilitate penſata duntaxat: ſuper quibus eorum conſcientias oneramus. Dictoque tractatu inter vendentes & ementes concordato, ſcribantur in ſchedula dicti tractatus, & declarentur in ſcriptis reditus venditi, cum certis circumlocutionibus: deſignentur precia conventa, obligationes, conventiones, ſubmiſſiones, contractum vallantes, ac omnia & ſingula, quæ inter hujusmodi contrahentes fuerint ſuper his venditionibus concordata. Quarto: quod ad Nos, vel Vicarios noſtros dicta ſchedula, ſeu ſcriptura minuta, antequam groſſetur, deferatur vel mittatur, per Procuratorem vendere volentem, habentem ſpeciale mandatum ſuper hoc, nec non poteſtatem jurandi in animas Dominorum ſuorum, quod præmiſſa ſolennitas fuerit obſervata, pravitate & fraude ceſſantibus, absque privatis commodis & ſingularibus affectionibus, ad utilitatem Eccleſiæ fideliter & diligentius, quam fieri poterit, cum matura deliberatione, adhibita ſolennitate præfata, venditio prædicta tractata fuerit, & etiam concordata: ut tam per ſchedulæ inſpectionem, quam per Procuratoris juratam aſſertionem, comprehendere poſſimus, an dictus tractatus, ſine fraude & deceptione, fideliter & utiliter fuerit adhibitus: & utrum in dictis conventionibus, ſubmiſſionibus, ſeu obligationibus ſit aliquid illicitum, quod Canonicis obviet inſtitutis, Eccleſiæ oneroſum, diſpendioſum, vel alias reprobandum. Quinto: quod tunc demum, viſis & inſpectis præmiſſis, ad libram juſtitiæ ponderatis, literæ dictæ venditionis groſſentur, & per easdem Nobis, ut moris eſt, ſupplicetur, quatenus venditionem, ſeu conceſſionem, ſic rite, utiliter & ſolenniter celebratam, dignemur noſtra auctoritate ordinaria confirmare, ſigilloque vendentium, una cum noſtro, ſigillentur, & etiam in veritatis teſtimonium roborentur. Et tunc demum, ſubſequuta confirmatione, & non ante, literæ tradantur emptoribus ſupradictis. Conceſſiones vero, ſeu venditiones aliter factæ ad vitam, vel ad certum tempus longum, quod nunc interpretamur ultra triennium, careant robore firmitatis, ne per eas emptoribus jus aliquod poſſit acquiri: dictosque venditores, ſeu emptores, ultra pœnas juris & Conſtitutio-

tionum Synodalium, decernimus arbitrarie puniendos. Statuimus præterea & ordinamus : quod nulli ex aliqua cauſa libros , calices , aut alia ornamenta Eccleſiaſtica audeant obligare. Quod ſi fecerint, cum non ſint Domini Eccleſiarum, ſed Procuratores tantum , furtum videntur committere, rem alienam, invito Domino quodammodo contrectando. Etiam caveant Prælati , Sacerdotes , Capellani, cæterique Miniſtri Eccleſiæ, quod officia, ſeu beneficia ſibi commiſſa, ſeu res Eccleſiaſticas, pro alienis debitis non obligent : quod ſi fecerint, ſententiam excommunicationis, & ſuſpenſionis ab adminiſtratione Spiritualium, ſe ipſo jure noverint incurriſſe. Et ſi, durante tali ſuſpenſione, ſe Divinis immiſcuerint, irregularitatis laqueum non evadent. Et nihilominus Eccleſiæ & beneficia pro alienis debitis obligata, ad ſolutionem nullatenus obligentur. Creditores etiam, res Eccleſiæ ſi titulo obligationis ſcienter recipiant , ſciant ſe excommunicationis laqueo innodari. Beneficiati inſuper immoderata debita non contrahant, ne propter defectum ſolutionis exinde ſcandalum oriatur. Inhibemus quoque ſub pœna excommunicationis & privationis beneficiorum, ne quis in vita, vel in morte, bona Eccleſiaſtica, in fraudem, vel læſionem Eccleſiæ det fratribus, vel amicis carnalibus, aut liberis, ſeu etiam extraneis, aut de hoc aliquid acquirat eisdem: at per hoc, moderatam curialitatem faciendam prædictis perſonis, cauſa indigentiæ ſublevandæ, vel ſervitii adhibiti, ſeu eleemoſynæ, dum non ſit in gravamen, ſeu læſionem Eccleſiæ, eisdem non intendimus prohibere. (x)

XXI. De Vita & Honeſtate Clericorum.

NUllus Sacerdos, aut alius Clericus beneficiatus , in domo ſua teneat concubinam, fornicariam, aut mulierem ſuſpectam, ſub pœna excommunicationis, quam pœnam incurrunt ipſo facto, tenentes notorie concubinam, aut continue mulierem in domo ſuſpectam. Et non obſtante, quod a Nobis, vel Vicariis noſtris fuerint moniti, quod mulieres hujusmodi abjiciant, ſi poſt hujusmodi monitiones easdem mulieres duxerint retinendas, non propter hoc pœnas juris contra concubinarios latas tollere intendimus. Neminemque lateat, quod publici concubinarii, ipſo jure a Divinis ſunt ſuſpenſi : & ſi durante ſuſpenſione Divinis ſe immiſcuerint, irregulares ſunt, & etiam deponendi. Presbyteri quoque & Clerici, officia ſeu commercia ſæcularia non exerceant, maxime inhoneſta. Scribitur enim tam in Canone, quam in Sacra Scriptura, quod nemo Deo militans, debet ſe ipſum ſæcularibus negotiis implicare. Tabernas prorſus evitent, niſi forte neceſſitatis cauſa, vel ſint in itinere conſtituti. Inhibemus Curatis, Decanis, & aliis Beneficiatis noſtræ Dioceſis, ne in domibus Eccleſiarum tabernas, vel vinum venale teneant, & hoc ſub pœna excommunicationis & decem librarum Pariſienſium. Evitent perjuria, ſcientes, quod perjurus eſt infamis, nec poteſt ferre teſtimonium, etiam ſi fuerit de perjurio emendatus, & inhabilis ad obtinendum beneficium Eccleſiaſticum, & privandus obtento : quia perjuris & infamibus portæ dignitatis patere non debent. Ad aleas, ſeu taxillos non ludant, nec eisdem interſint. Clerici conjugati gaudere non poſſunt Privilegio Clericali, niſi tonſuram & veſtes deferant Clericales: & tunc trahi non poſſunt criminaliter vel civiliter ad judicium ſæculare, pro commiſſis ab ipſis exceſſibus, vel delictis, nec pro eisdem etiam pecunialiter ab eis quovis modo condemnari. Et quicunque tales percuſſerit, ſeu in eos manus violentas injecerit, ipſo facto ſententiam excommunicationis incurrit, prout in Bonifaciana Conſtitutione, ſituata in titulo: *De Clericis conjugatis, Libro ſexto,* continetur. Quare Decanis & Curatis diſtricte præcipimus, & mandamus, quatenus hoc Statutum, ſaltem ſemel in menſe, in Eccleſiis ſuis publice & intelligibiliter exponant, ad finem, quod

(x) *In antiq. ſequitur* : De obſervatione Jejuniorum, *quod Caput vide hic poſt Tit.* De Feſtis colendis.

Digitized by Google

quod dicti conjugati Clerici ſint magis cauti, per delationem habitus & tonſuræ ſibi providere contra malitiam juſtitiæ ſæcularis : quia Clericis Laicos oppido infeſtos teſtatur antiquitas, cui merito eſt fides & reverentia adhibenda. In Bonifaciana Conſtitutione ſituata: *De vita & honeſtate Clericorum, Libro ſexto*, cavetur expreſſe: quod Clerici, qui abjecta Clericali dignitate, ſe goliardos exhibent, aut buffones : ſi per annum artem illam exercuerint; eo ipſo perdunt privilegium Clericale: & ſi tempore breviori, & tertio moniti, non reſipuerint, ſimiliter ipſo jure amittunt dictum privilegium. Et quia per inhoneſtatem indecentem, & minus curioſam formam veſtium, Eccleſiaſticæ quam plurimum detrahitur honeſtati, ſtatusque perſonarum Eccleſiaſticarum vilipenditur in immenſum, non ſufficimus admirari, quod Presbyteri, Curati, & Capellani, & alii Beneficiati, veſtes adeo indecentes & inhoneſte ac curioſe formatas deferunt. Ita ut magis ex forma habitus milites, ſcutiferi, meri laici, ſeu ſæculares apparent, quam Clerici & Eccleſiaſticæ perſonæ. Unde inſpecto eorum elato & ſuperbo habitu, ſæculares ſcandalizantur, & aſſumunt exempli perniciem, & inhoneſtatis ſignum ab illis, a quibus merito deberent accipere normam totius humilitatis, ac devotionis exemplum: ita quod pereunti populo viam perditionis oſtendunt, qui debuerunt eſſe ductores ad vitam. Hinc eſt, quod nos (quantum ex alto conceditur) pernicioſam curioſitatem talium refrænare volentes, omnibus & ſingulis perſonis prædictis ſub pœna Canonica præcipimus & mandamus: quatenus in colore, & forma honeſta de cætero deferant indumenta non longitudine nimia aut brevitate notanda. Pannis viridibus aut rubeis exceſſive non utantur : ſint veſtes ſuperiores prædictarum perſonarum talares, clauſæ, & ſi non clauſæ, ſaltem non ſtrictæ, ſed largæ & honeſtæ, ſecundum quod decet ſtatum Clericalem. (*y*) Sciant autem Clerici quicunque, quod in Concilio Viennenſi ſtatuitur, ſub certis pœnis, hic inferius contentis: & nos illud Statutum ſub eisdem pœnis præcipimus, exacta diligentia obſervari; ne Clerici, quicunque ſint, virgata, radiata, ſeu partita veſte utantur, niſi rationabilis cauſa ſubſit, puta timoris, vel alia, quæ juſte poſſet rationabilis arbitrari. Alioqui tales veſtes deferentes, ſi fuerint Beneficiati, per ſex menſes a perceptione fructuum beneficiorum, quæ obtinent, ſint ipſo facto ſuſpenſi. Si vero non Beneficiati fuerint, tamen in Sacris Ordinibus circa Sacerdotium conſtituti, per idem tempus redduntur eo ipſo inhabiles ad Eccleſiaſticum beneficium obtinendum. Si ſimplex Clericus eſt, non Beneficiatus, nec in Sacris conſtitutus, qui tales veſtes inſimul & tonſuram portaverit publice Clericalem, & non alias, per ſex menſes pœnas prædictas inhabilitatis incurrit. Obtinentes vero dignitates, perſonatus, ſeu beneficium, cui cura animarum imminet, nec non cæteri Sacerdotes & Religioſi, quilibet Beneficiati, qui per exteriorem habitum morum intrinſecam debent prætendere honeſtatem, ſi tales veſtes (niſi ex rationabili cauſa) publice portaverint, ut præfertur, per annum a perceptione fructuum ſuorum beneficiorum ſuſpenſi ſunt eo ipſo. Sacerdotes vero Religioſi, non Beneficiati, per annum ſimiliter pœnam inhabilitatis incurrant. (*z*) Prohibemus inſuper, quod Clerici, præ-

(*y*) *Additur in antiq.* Veſtes ſtrictas a parte anteriori boutonnatas, longas manicas in ſupertunicalibus : cornetas longas capuciorum : ſub pena excommunicationis, & decem librarum Pariſienſium penitus prohibentes, niſi equitando : vel ſi cauſa timoris contigerit, habitum transformari.

(*z*) *Additur in antiq.* Sed & tales, & quicunque Clerici, utentes epitogio, ſeu tabardo fuderato: uſque ad oram: & ita brevi, quod veſtis inferior notabiliter videatur! ipſum epitogium Clerici ſeculares & Religioſi, adminiſtrationem habentes: teneantur infra menſem pauperibus erogare. Ceteri vero Religioſi adminiſtrationem non habentes : teneantur illud Superioribus ſuis infra idem tempus aſſignare, in pios uſus convertendum. Alioquin beneficiati penas predictas ſuſpenſionis: non beneficiati inhabilitatis per idem tempus ſe noverint incurriſſe.

præſertim Beneficiati, caligis ſericeatis, rubeis, aut viridibus publice non utantur. Et ſciendum eſt, quod Innocentius III. ſtatuit in Concilio Generali, quod Clerici, maxime in Ordinibus conſtituti, & Eccleſiaſtica beneficia obtinentes, coronam & tonſuram deferant congruentem, ſe Divinis officiis, & aliis bonis ſtudiis exerceant diligenter, & quod pannis rubeis aut viridibus, ſeu ſericeis, frenis, ſellis, pectoralibus, calcaribus deauratis, aut aliam ſuperfluitatem habentibus, non utantur, niſi eis de dignitate Eccleſiæ, vel nobilitate ſcientiæ competere valeant. In his vero & aliis ornatibus, & curioſitatibus exceſſivis, præcipimus & mandamus prædictis perſonis Eccleſiaſticis, tantam tenere moderantiam, & honeſtatis menſuram; quod non ſolum ab intus, ſed ab illis, qui foris ſunt, poſſunt habere teſtimonium totius honeſtatis. Ita quod inceſſus, ſtatus, & habitus eorum, nullius offendat aſpectum: ſed afferat ſanctitatis & ſanctæ converſationis exemplum. Præterea inhibemus diſtricte, & ſub pœna excommunicationis, & centum Solidorum Pariſienſium, ne quis Sacerdos propriæ fornicationis filios, aut filias in domo ſua, vel Parochia tenere præſumat: quoniam ex hoc ſcandalizatur populus, & eorum peccatum in Cleri opprobrium divulgatur. Sub pœna quoque excommunicationis, & viginti librarum, omnibus Clericis & Presbyteris, nec non & Religioſis firmiter inhibemus, ne arma ullá deferant: (*a*) niſi caſibus a jure permiſſis. Presbyteri curati, ſeu Religioſi honeſte in ſuis domibus & hoſpitiis converſentur, nec teneant in eisdem turpia officia, per quæ Clericis & eorum ordini ſcandalum generetur. Suſpecta hoſpitia non habeant, nec luſores, aleatores, meretrices, & hujusmodi viles perſonas, recipiant, nec cum eis converſentur. Contrarium vero facientes, pœnam privationis a beneficio (ſi Beneficiati fuerint) poterunt formidare. Non Beneficiati vero ſint inhabiles per quatuor menſes, ad beneficium Eccleſiaſticum obtinendum: conjugati autem Clerici, in decem libris monetæ currentis mulctentur: & quia ex præmiſſis ſolent evenire pericula quamplurima; idcirco Decanis, Curatis, & eorum loca tenentibus, ſub pœna excommunicationis præcipimus & mandamus: quod moneant etiam Laicos Parochianos publice in Eccleſia, auctoritate noſtra, quod nullus, etiam Laicus, teneat in domo ſua ludum taxillorum, nec recipiat in domum ſuam meretrices, cum ex talibus plura ſcandala ſæpe, nec non pericula ſoleant evenire. Alioqui trina monitione ſic publice facta, dictos Laicos, talem domum tenentes, & præmiſſas viles perſonas tenentes, & frequenter recipientes, diebus Dominicis & Feſtivis excommunicatos denuncient: quia eos in his ſcriptis excommunicamus; abſolutionem talium, Nobis, aut Officiali noſtro penitus ſervantes. Clerici, Presbyteri, Beneficiati, vel in Sacris Ordinibus conſtituti, non debent eſſe mercatores, vel mercimoniis intendere, nec vilius emere, ut carius vendant: iſta enim ſunt negotia ſæcularia, quibus militans Deo non debet ſe implicare. Non ſint errabundi, nocte incedentes, rixoſi, vel ebrioſi, laudabiles & honeſtas conſuetudines locorum, & Eccleſiæ, in quibus habitant, ſervent, ſi Divinam & noſtram volunt effugere ultionem. Circa vero Regulares, quantum ad formam, & honeſtatem veſtium & habitus, decretalem: *Ne in agro*, una cum Conſtitutionibus Benedicti, nec non & conſuetudines laudabiles ſuæ religionis præcipimus diligentius obſervari.

XXII. De Scholis & Magiſtris.

CUm intelligamus, quantum ad vitæ, morumque honeſtatem promovendam momentum adferat teneræ ætatis prima educatio: Quantum quoque

(*a*) *In antiq.* Videlicet cultellum magnum, cuſpidatum, miſericordiam, enſem, gladium, bouquellarium aut alias armaturas: nec vadant armati, ſeu armis predictis: aut aliis non utantur, niſi proficiſcendo pedes vel eques de villa ad villam. Et tunc liceat eis ſolum portare enſem cum bouquellario: ſeu cultellum, vel miſericordiam, & non alias armaturas absque noſtra, vel Officialis noſtri licentia ſpeciali.

que interſit Reipublicæ Chriſtianæ, quomodo & a quibus, & quos auctores doceatur rudis adhuc, tenaciſſima ſemel conceptarum opinionum juventus: e qua quidam vel ad Eccleſiarum regimen, vel adminiſtrationem Reipublicæ, aliquando aſſumendi erunt, ſtatuimus & ordinamus, ut nemo poſthac in noſtra Dioceſi, ad trivialem Scholam regendam admittatur, quolibet etiam prætextu, niſi qui de eruditione, moribus, vita, fide, ac religione ſua, probe fuerit examinatus ab illo, vel illis, cui vel quibus in ſingulis urbibus, aut celebrioribus pagis noſtræ Dioceſis, noſtra auctoritate hoc examinationis munus delegabimus, qui ſoli idoneos admittere, & inidoneos rejicere debebunt, & eos tantum libros juventuti prælegendos dictabunt, quos Catholicarum Academiarum ac Univerſitatum judicio probatos eſſe cognoverint, ſecundum Catalogos, cum Lutetiæ, tum Coloniæ, & Lovanii evulgatos, atque excuſos; ſi qui autem Eccleſiarum Scholaſtici, Magiſtratus civiles, ædiles, aut Proviſores, etiam qui ſuis propriis impenſis Scholas erexerunt, præſumpſerint Scholis præficere Præceptores aut Rectores, qui non fuerint, ut præſcriptum eſt, per noſtrum Commiſſarium, aut Commiſſarios prævia legitima præſentatione ſic examinati & admiſſi, ſciant ſe pro illa vice præſentationis aut inſtitutionis jure privandos, ipſosque Magiſtros a ſua præfectura dejiciendos.

XXIII. De ceſſione bonorum facienda.

QUia plerique Curati, Capellani, & alii Beneficiati noſtræ Dioceſis famæ ſuæ prodigi, indifferenter facultatum ſuarum faciunt ceſſiones, (quas vocant diſtributiones) cum talia facere nequeant, quin apud bonos & graves ſaltem facti infames ſint, & eorum opinio gravata remaneat. Idcirco circa hunc abuſum (prout poſſumus) providere volentes: ſtatuimus & ordinamus, ut nullus Curatus, ſeu Capellanus, ſe debitis onerare valeat absque noſtra, vel Officialis noſtri licentia ſpeciali, ultra medietatem valoris ſui beneficii. Quam quidem æſtimationem, ſecundum taxationem decimæ haberi volumus: ſcilicet, ut ſumma debiti, medietatem taxationis decimalis nequaquam excedat. Species namque dilapidationis eſt, majora contrahere debita, quam requirat potentia facultatis: & quisque juxta eas facultates debet expenſas ſuas omnibus modis menſurare. Contrarium vero facientes, tanquam dilapidatores, decernimus pœna Canonica feriendos. Cæterum ut circa miſerabiles ceſſiones, quas frequenter debitores faciunt contra ſuos Creditores, in Curia noſtra Atrebatenſi: viam malitiis & fraudibus, prout eſt nobis poſſibile, præcludamus; Statuimus, ut nullus debitor ad bonorum ceſſionem per Officialem noſtrum de cætero admittatur, niſi prius proclamatione facta publice, plebe aſtante, aliqua die Dominica in Eccleſia, ubi dictus debitor Parochianus exiſtit, per Rectorem Eccleſiæ, vel ejus Vicarium, dum Miſſarum ſolennia celebrantur, ſtatim poſt Offertorium, dicendo: quod talis in Curia noſtra vult facere ceſſionem contra talem. Et de hoc Officiali conſtet legitime per reſcriptionem Curati: quas proclamationem & reſcriptionem, per dictum Curatum decernimus faciendas, ſub excommunicationis pœna. Die vero ad ceſſionem faciendam aſſignata, coram Officiali noſtro, antequam recipiatur ceſſio hujusmodi, cedere volens, ſcalam aſcendere habebit in ingreſſu portæ clauſtri ad hoc deputatam: & ibi ſtabit a prima pulſatione tertiæ, uſque ad finem magnæ Miſſæ, & his peractis ad ceſſionem admittatur, & non ante, aliis ſolennitatibus, hactenus circa talem ceſſionem in noſtra Curia obſervatis, nihilominus in ſuo robore duraturis.

XXIV. De Uſuris & uſurariis contractibus.

USurarum vorago, quæ animas devorat, & exhaurit damnabiliter facultates, eſt in partibus iſtis tanto ſtudioſius inhibenda, & tanto curioſius compeſcenda, quanto in eisdem partibus magis, quam alibi pullulat, & for-

Digitized by Google

fortius invaleſcit. Quapropter omnibus & ſingulis tam Clericis, quam Laicis ſubditis noſtris inhibemus, ne uſuras, aut contractus uſurarios exerceant quoquo modo. Et ne quis hujusmodi noſtram prohibitionem infringere valeat: mandamus Decanis, Curatis, aut eorum loca tenentibus ſub excommunicationis pœna; quatenus hujusmodi prohibitionem noſtram, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, in Eccleſiis ſuis ſtudeant publicare. Qui vero contra prohibitionem prædictam uſuras aut contractus uſurarios exercuerint, (ut præfertur) excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrant: uxorque ejus, & familia, ſint etiam ſuppoſitæ Eccleſiaſtico interdicto: & tales denuncientur per Decanos & Presbyteros curatos, interdicti & excommunicati publice, talibusque, Decani & Curati prædicti, ingreſſum Eccleſiæ interdicant: quousque ad emendam competentem devenerint, & abſolutionis beneficium meruerint obtinere: reſtituris prius uſuris, vel cautione idonea, ſecundum juris diſpoſitionem præſtita Nobis, vel Officiali noſtro de reſtituendo easdem. Cæterum illi, quos fama publica atteſtatur uſurarios, nec eorum familia, quoquo modo ad Communionem altaris, ſeu Eccleſiaſticam ſepulturam admittantur, nec oblationes talium recipiantur in Eccleſia. Recipientes vero talium oblationes, reſtituere compellantur. Et qui eos Eccleſiaſticæ tradiderit ſepulturæ, donec ad arbitrium noſtrum, vel Officialis noſtri ſatisfecerit, juxta Lateranenſe Concilium ab officii ſui maneat executione ſuſpenſus. Et nihilominus hodie, per Decretalem Clementis quinti, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrit. Et ſciendum eſt, quod uſurarii publici & manifeſti, quamquam in ultima voluntate mandaverint, de receptis uſuris ſatisfieri, indiſtincte vel expreſſa certa quantitate: Nihilominus tamen debet eis Eccleſiaſtica ſepultura denegari, donec de uſuris, prout ſuppetunt facultates eorum, plenarie fuerit ſatisfactum illis, a quibus extortæ fuerint, vel cautio ſufficiens Nobis, vel Officiali noſtro ſit præſtita, vel Curato loci de mandato noſtro, vel noſtri Officialis, juxta diſpoſitionem Decretalis Gregorii decimi, quæ incipit: *Quanquam*; & ſituata eſt in titulo: *de Uſuris, Libro ſexto.* Ubi etiam prohibetur, quod nullus teſtamentis manifeſtorum uſurariorum interſit, aut ad confeſſionem admittat eosdem, ſive eos abſolvat, niſi de uſuris ſatisfecerint, vel de ſatisfaciendo pro ſuarum viribus facultatum idoneam præſtiterint cautionem. Cujus contrarium faciunt multi Curati, qui tales, nobis inconſultis, abſolvunt, & ad Eccleſiaſtica Sacramenta recipiunt, licet eis denegent ſepulturam. Quod fieri ſub pœna graviſſima, pro noſtro arbitrio moderanda, firmiter prohibemus. Et cavetur ibidem etiam, quod teſtamenta uſurariorum prædictorum facta aliter, quam ſit dictum, ſunt irrita ipſo jure: Et quia poſſet eſſe dubium apud multos, qui dicantur uſurarii manifeſti; uſurarios manifeſtos volumus intelligi, de quibus conſtat per confeſſionem eorum, extra Confeſſionem Sacramentalem factam, vel per ſententiam Judicis, quod ſunt uſurarii, & illos etiam, qui ſuper uſuris ſunt publice diffamati, vel qui ita publice ſe exhibent uſuris, quod omnibus apparet ipſos eſſe uſurarios manifeſtos. Sciendum, quod illi tenent feneſtras publicas, vel menſam numulariam ad exercendas uſuras, vel aliud quodcunque ſignum, per quod uſurarii cognoſcuntur. Sunt vero quidam, qui in contemptum Dei & Eccleſiaſticæ diſciplinæ de Eccleſiis, vel Cœmeteriis propriis Parochialibus, excommunicatos & uſurarios prædictos, eorum uxores aut familiam defunctos, in fraudem volentes circumvenire vindictam, & uſuram damnabiliter retinere, antequam reſtituant uſuras, vel idoneam præſtiterint cautionem, ut præfertur, deportant, vehunt, quadrigant, vehi, portari, ſeu quadrigari faciunt, ad aliquas Eccleſias vel cœmeteria, exemptas & non exemptas in noſtra Dioceſi, & extra, ut ibidem Eccleſiaſticam recipiant ſepulturam: tales & dantes auxilium, vel favorem, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrunt: eandemque pœnam incurrunt, ſi prædictos, modis præmiſſis, transferant, vel transferri faciant, ut præfertur, vel ad hoc

dent auxilium, consilium, vel favorem, etiam si non fuerint mortui, sed infirmi, in mortis articulo constituti: & quos super præmissis culpabiles scieritis, nominatim excommunicatos nuncietis publice, donec ad emendam venerint competentem. Insuper sciendum est, quod communitas locorum, aut quicunque Judices seculares, quovis nomine nuncupentur, vel eorum Vicarii, dictantes, vel scribentes statuta super usuris, cum juramento, vel sine juramento solvendis, vel solutis non repetendis, vel judicantes secundum prædicta statuta, vel non delentes ea de suis libris infra tres menses, vel illa servantes, excommunicati sunt ipso jure. Usurarii quoque edere debent, & tenentur contra se, in causis usurarum, codices suarum rationum: & sustinentes pertinaciter, quod exercere usuras non sit peccatum, sunt velut hæretici puniendi; prout hæc omnia in Decretali unica, situata in *titulo: de Usuris, in Clemen.* plenius & serioſius continentur. Et quia nonnulli iniquitatem suam palliare sub dissimulatione volentes, cum ad usuras exercendas intendunt, & usurarios contractus exercent, licet revera hujusmodi faciant, contractus, puta, emptionis, vel depositi, aut similes confingunt: aut si instrumentis, aut literis, sive chartis, tales contractus simulatos inscribi faciunt: idcirco cum magis attendi debeat: quod agitur, quam quod quadam dissimulatione concipitur, tales non obstantibus dictis simulationibus, usurarios reputamus, & pœnis ligatos decernimus, supra contra usurarios inflictis, fulminatis, & etiam promulgatis. Notarios vero, tales contractus simulatos scienter recipientes, & etiam conscribentes, tanquam falsarios, decernimus puniendos. Decernimus etiam, ne Usurarii publici, vel supra hoc diffamati, ut supra, ad levandum prolem de Sacro Fonte, nullatenus admittantur.

Ut vero (*b*) minor fœneratoribus fœnerandi tribuatur facultas, & in odium usurarum in hac præsenti Synodo statuimus, & etiam prohibemus sub pœna interdicti, suspensionis, & excommunicationis, nec non quadraginta librarum Parisiensium piis usibus applicandarum, ut nec Collegium, nec alia Universias, nec singularis persona, personas alienigenas, vel alias, ab ipsorum terris non oriundas, pecuniam fœnebrem publice exercentes, recipiant ad morandum in terris suis, domos conductas, vel alias nullo modo habere permittant, sed hujusmodi usurarios expellant a suis terris, & domibus. Nemo talibus de cætero domos locet, vel sub alio titulo concedat. Qui vero contra hujusmodi nostram Constitutionem & inhibitionem attentare præsumpserit, si Collegium sit, vel Universitas, in ipsos interdicti: si vero personæ Ecclesiasticæ, suspensionis: & si personæ singulares laicæ fuerint, in ipsas excommunicationis sententiam promulgamus, & declaramus, eas dictam pœnam quadraginta librarum Parisiensium incurrisse, nisi tamen infra mensem a die notitiæ hujusmodi usurarios expulerint, eorum loca, & terras Ecclesiastico interdicto supponentes. Mandamus præterea omnibus Ecclesiarum Rectoribus, quatenus tales, si eorum notitiam habuerint, nec non omnes & singulos usurarios palam & publice excommunicatos, in suis Ecclesiis diebus Dominicis publicent & nuntient, eorum liberis, & uxoribus, & familia interdicto Ecclesiastico suppositis nostra auctoritate, sine alterius exspectatione mandati. Quibus dicti Curati Sacramenta Eucharistica præbere, aut sepulturam ministrare nequaquam præsumant, absque nostra, seu Curiæ nostræ licentia speciali, de qua per literas suis Curatis fidem facere teneantur.

XXV. De Testamentis.

Libera sit voluntas decedentibus ordinandi de rebus suis, & Executores eligendi fideles, qui bona testatoris post mortem recipiant, & describant ac distribuant secundum rectam dispositionem ipsius. Electi vero Executores onus executionis in se suscipientes, de bonis testatoris, præsertim mobilibus, & ad executionem spectantibus, infra mensem a die obitus defuncti,

(*b*) *Paragraphus hic decerptus est ex Constitutionibus Synodalibus Petri Mansuerii, Episcopi Atrebatensis, editis anno* 1375.

functi, numerandum, sub manu publica, vel saltem in præsentia Curati loci, & sub sigillo Parochialis Ecclesiæ, vel, ubi fieri præmissa non possent commode, sub fide dignorum testimonio, inventarium facere teneantur, in quo omnia bona prædicta & nomina debitorum, executores scribant, & eorum valores seu precia, juxta æstimationem, per æstimatores locorum super hoc juratos, plenarie declarentur. Factoque inventario, executores hujusmodi per se, vel per alium, cum testamento & inventario prædictis, ad Officialem Curiæ nostræ Atrebatensis se transferant, & coram eo se præsentent infra alium mensem. Et de hujusmodi testamento, & inventario copiam faciant, & eidem Officiali tradant, quam penes Curiam nostram prædictam volumus remanere, ut per hujusmodi copiam possit Officialis prædictus plenius informari de fidelitate, diligentiaque dictorum Executorum, & ut negligentiam, seu defectus eorum melius deprehendere valeat, & etiam corrigere & supplere, nec non & dictos Executores, si necesse fuerit, utilius possit instruere, qualiter se habere debeant in executione prædicta. Statuimus etiam & ordinamus, quod hujusmodi executores, voluntatem testatoris infra annum a die mortis adimpleant, & teneantur juxta provisionem Canonicam & civilem, executioni debitæ demandare; alioqui ad Nos, seu Officialem nostrum, ex tunc hujusmodi executio totalis, si in nullo fuerit adimpleta, vel in parte restante adimpleri (ubi in parte fuerit executa) devolvatur. Statuimus præterea & præcipimus, quod executores hujusmodi de susceptо, vel suscipiendo in posterum executionis officio, infra annum a die executionis susceptæ, vel saltem post lapsum anni, (quam cito commode poterunt) Nobis, vel Officiali nostro prædicto teneantur reddere rationem: quod si non fecerint, una monitione pro omnibus peremptorie præmissa, si Prælatus est, vel Presbyter, eo ipso suspensus sit a Divinis: alia vero persona quæcunque sententiam excommunicationis incurrat. Et est sciendum, quod Religiosus in sua ultima voluntate ab aliquo executor deputatus, non potest, cum nec velle, nec nolle habeat, hujusmodi onus executionis in se suscipere, vel exequi hujusmodi voluntatem: nisi primo a Superiore suo petita licentia, & obtenta: sed si prædicti Religiosi, etiam exempti de voluntate & licentia suorum Superiorum, onus alicujus executionis in se susceperint, tenentur absque dolo & fraude, etiam si Prælationis fungantur officio, non obstante exemptione quacunque, de suscepto executionis officio, locorum Ordinariis reddere rationem: Et si contra id reperti fuerint deliquisse; per eosdem Ordinarios, quocunque non obstante privilegio, pœna debita castigari. Prout hæc, & alia plura statuuntur in Concilio Viennensi: & Nos juxta idem Concilium statuimus; quod dicti Religiosi quicunque nostræ Diocesis executores, ut præmittitur, deputati, vel deputandi, inventarium facere, copiam dare, & rationem reddere infra annum, ut præmittitur, teneantur, non obstante privilegio, seu exemptione quacunque: alioqui pœnis subjaceant prædictis. Insuper sciendum est, quod si plures executores fuerint a testatore simpliciter deputati, uno eorum mortuo, aut in remotis agente, vel alias legitime impedito, vel exequi nolente, alius potest voluntatem prædictam exequi & libere adimplere, nisi aliud fuerit a testatore ordinatum, prout in Bonifaciana Constitutione continetur plenius.

Præcipimus quoque Curatis nostræ Diocesis, & eorum loca tenentibus, ut Testamenta, quæ scient non esse infra annum executioni demandata, vel de quibus non est ratio reddita, Decanis denuncient infra mensem a tempore notitiæ, ut iidem Decani infra alium mensem Nobis, vel Officiali nostro non differant nunciare; quo id, quod statutum est, de inventario, & copia ipsius facienda, diligentius observetur. Præcipimus omnibus & singulis Presbyteris, Curatis, Civitatis & Diocesis Atrebatensis, & eorum loca tenentibus, sub pœna inobedientiæ & sexaginta solidorum, quatenus Executores testamentorum suæ Parochiæ moneant diligenter, & præ-

cise super dicto inventario (ut præmittitur) faciendo, & copia ipsius, nec non & testamenti, ut supra tangitur, Nobis, vel Officiali nostro facienda : & Nobis rescribant de hujusmodi monitione & nomina dictorum executorum insinuent, & certificent, an monitioni suæ parere velint, an non, & responsionem plene conscribant. Quoniam si lapsis temporibus, quo ad præmissa, ordinationem dicti executores non adimpleverint, quod de inventario & copia superius extitit ordinatum, diligenter ut præfertur, moniti per Curatos, ex tunc sententiam excommunicationis ipso facto incurrunt. Insuper ordinamus, & præcipimus sub pœna quadraginta solidorum, Curatis, Decanis, & eorum loca tenentibus, quod copiam testamentorum factorum, vel authorizatorum, Nobis infra mensem a tempore mortis testatoris, tradant & faciant. Et hoc idem sub pœna privationis officii Notariis Curiæ nostræ, nec non Tabellionibus publicis duximus injungendum.

XXVI. De inhumatione corporum.

BOnifaciana Constitutione cavetur, & etiam inhibetur universis Religiosis & Sæcularibus, Presbyteris & Clericis, cujuscunque status & conditionis existant, ne aliqui ad vovendum, jurandum, seu fide interposita promittendum, aliquem, seu aliquos inducant, quod apud eorum Ecclesias eligat, seu eligant sepeliri, vel jam electam sepulturam non immutent : & si secus fuerit attentatum, electio nulla est ipso jure. Et hi, qui sepulturam sic eligunt, apud Ecclesias electas sepeliri non possunt : nec alibi eligere possunt sepulturam, sed debent sine quocunque obstaculo, sepeliri apud illas Ecclesias, apud quas essent sepeliendi, si sepultura non electa decessissent. Et si dicti Religiosi vel seculares, prædictos, sic eligentes sepulturam, sepeliant : tenentur & sunt obligati, tam ad restitutionem corporum, si petantur, quam aliorum omnium, quæ hujusmodi occasione sepulturæ provenerint quomodolibet, infra decendium integraliter faciendam : quam nisi fecerint, elapso dicto decendio ; Ecclesiæ ipsæ, apud quas sepulti fuerint, nec non & Cœmeteria eorundem, ipso facto & tam diu maneant Ecclesiastico suppositæ interdicto, donec ab eis facta fuerit plenaria restitutio omnium prædictorum. Et nihilominus ultra istam pœnam, violatores primæ partis hujus constitutionis : nempe inducentes aliquos ad vovendum, jurandum &c. per Decretalem Clementis V., quæ incipit : *Cupientes*, excommunicationis sententiam ipso facto incurrant, a qua per alium, quam per Sedem Apostolicam (præterquam in mortis articulo) absolvi non possunt. Sub pœna quoque excommunicationis prohibemus, ne quis infra Ecclesiam, vel Capellam tradatur, seu tradi permittatur Ecclesiasticæ sepulturæ, sine nostra, vel Officialis nostri licentia speciali, & nisi dotaverit Ecclesiam, ad minus de tribus solidis reditualibus bonæ monetæ; nisi tamen fuerit Dominus loci, villæ, seu primogenitus ejus, Patronus, aut Sacerdos, sive Capellanus Ecclesiæ, seu Capellaniæ. Item sub pœna excommunicationis prohibemus, ne quis excommunicatos, suspensos, vel suppositos Ecclesiastico interdicto, aut non Christianos, nec eos, qui subitanee discesserint, sine nostra licentia cum illa clausula, *si Catholice vixerint*, &c. aut suspensos in patibulis, tradat, vel tradi faciat quomodolibet, aut procuret tradi Ecclesiasticæ sepulturæ, seu in hoc faciendo det auxilium, consilium, vel inventionem, quousque fuerint a præmissis Canonice absoluti, seu a Nobis de ipsis inhumandis obtenta fuerit licentia specialis. Caveant omnes Sæculares, & Religiosi quicunque, ne quem sepeliant extra Parochialem Ecclesiam, sine Curati licentia, aut nostra, aut Officialis nostri. Et Sæculares, aut Religiosi quicunque, etiam exempti, qui sine proprii Curati licentia, seu nostra, vel Officialis nostri, Matrimonii solennizationem, benedictionem nuptialem, sepulturam, administrationem Sacramenti Extremæ Unctionis, & Eucharistiæ, aut aliqua alia Sacramenta Eucharistica alibi, quam in Parochiali Ecclesia, cujus recipiens Paro-

Parochianus extiterit, conferunt, faciunt, vel impendunt, aut aliquos ad præmiſſa admittunt, & quicunque alibi, & alias, quam dictum eſt, præmiſſa recipi, conferri, aut impendi ſibi facit, vel ad ea recipienda quovis modo procurat, dantes & recipientes hujusmodi, aut etiam procurantes, & dantes in præmiſſis opem, conſilium, aut favorem; per has noſtras Synodales Conſtitutiones, ſententiam excommunicationis ex eo ipſo incurrant, illis duntaxat exceptis, quibus præmiſſa ex ſpeciali licentia a Sede Apoſtolica ſunt conceſſa. Et idcirco diſtricte præcipimus Curatis, ut in Eccleſiis ſuis tales excommunicatos publice denuncient diebus Dominicis & Feſtivis, nec illos, quos tales ſciverint, ad Divina officia, ſeu Eccleſiaſtica Sacramenta admittant, & eisdem ingreſſum Eccleſiæ nominatim interdicant, & moneant omnes Parochianos ſuos: ut quicunque de prædictis transgreſſionibus habebit, vel habet notitiam, quidquid ſciverint, Nobis, vel Officiali, ſeu Promotori Curiæ noſtræ infra ſeptem dies ſignificent, ubi requiſiti fuerint; alioqui excommunicationis ſententiam eo ipſo incurrunt. Per hoc autem Statutum non intendimus, quin Prædicatores, & Minores, Nobis debite præſentati, & a Nobis licentiam obtinentes, poſſint audire confeſſiones, & ad Eccleſiaſticam ſepulturam (ſine præjudicio Parochialis Eccleſiæ) recipere eos, qui apud ipſos eligunt, ſeu eligent ſepeliri. Inſuper inhibemus diſtricte, & ſub pœna ſuſpenſionis (quoad perſonas in Sacris Ordinibus conſtitutas) & excommunicationis (quoad alias) ne de cætero fiant pacta, aut conventiones inter Prælatos, & Rectores Eccleſiarum, & hæredes, ſeu executores defunctorum, videlicet, ſuper funeralibus, pannis ſericeis, cereis candelis, quæ circa funera in Eccleſiis debent apponi; ſed cum gratiarum actione, recipiant perſonæ Eccleſiaſticæ illa, quæ circa funeralia apponentur, nec prædicti hæredes compellantur apponere, niſi quod eis placuerit, & quod eſt in talibus fieri conſuetum. Tales enim conventiones non carent ſpecie Symoniæ, & multotiens ſunt in Eccleſiarum diſpendium, & gravamen. Statuimus, quod dicti Curati Civitatis, Villæ & Dioceſis Atrebatenſis, vel eorum ſaltem Capellani, cum corporibus, ſeu cadaveribus Parochianorum ſuorum (dum ad ſepulturam deferentur) perſonaliter incedant, eadem conducendo in habitu decenti cappæ, vel ſuperpellicei cum ſtola, aqua benedicta, & cruce antecedentibus, dicentes orationes, ad hoc dici conſuetas, & ordinatas, propter animarum utilitatem, Eccleſiæ honeſtatem & populi devotionem.

XXVII. De Privilegiis & Privilegiatis.

QUoniam Religioſi, maxime privilegiati & exempti, prætextu ſuæ exemptionis & privilegiorum, multa committunt, quæ ipſis infamiam pariunt, & aliis inferunt læſionem, ſciant Curati, quod Religioſi, etiam exempti, aut privilegiati, qui Clericis, aut Laicis Sacramentum Unctionis extremæ, vel Euchariſtiæ miniſtrare, Matrimonia ſolennizare (ſine Parochialis Presbyteri licentia ſpeciali) præſumpſerint, eo ipſo, per Conſtitutionem Clementis V., editam in Concilio Viennenſi, ſententiam excommunicationis incurrunt, a qua niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvi non poſſunt. Religioſi quoque prædicti, qui excommunicatos a Canone, præterquam in mortis articulo, & in caſibus a jure permiſſis, vel per privilegia conceſſis eisdem, vel a ſententiis per Statuta Synodalia promulgatis, ſeu a pœna & culpa (ut verbis eorum utamur) abſolvere præſumpſerint, eandem ſententiam excommunicationis incurrant ipſo facto, per Sedem Apoſtolicam abſolvendi. Quare omnibus Decanis & Presbyteris curatis, & eorum loca tenentibus, diſtricte præcipiendo mandamus; quatenus eos (quos conſtiterit eſſe tales) nominatim, & nihilominus in generali omnes in præmiſſis excedentes, in eorum Eccleſiis diebus Dominicis & Feſtivis excommunicatos palam & publice ſtudeant nunciare, nullo eis ſuper hoc exemptionis, vel alio privilegio ſuffragante. Exempti & Privilegiati,

giati, & quicumque alii, qui ſepeliunt in cœmeteriis corpora defunctorum, tempore interdicti (niſi in caſibus permiſſis a jure) vel excommunicatos publice, aut manifeſtos uſurarios ſcienter, excommunicati ſunt ipſo facto, nec poſſunt abſolvi, donec ſatisfecerint (ad arbitrium Dioceſani) eis, quibus præmiſſa injuria fuerit irrogata, ut in Decretali prima, *de Sepulturis*, in Clementinis plenius continetur. Præterea quantumcunque exempti gaudeant libertate, nihilominus tamen ratione delicti, ſive contractus initi, aut rei, de qua agitur contra ipſos, poſſunt coram Epiſcopis, & eorum Officialibus, ſeu locorum Ordinariis conveniri, & illi quoad hoc in eos, ſuam jurisdictionem exercere, prout fieri rationis, ut cavetur expreſſe in Conſtitutione Innocentii IV., edita in Concilio Lugdunenſi, quæ incipit: *Volentes*. Quod debet intelligi, niſi contra illam Decretalem, privilegium obtineant ſpeciale, quod, per hæc privilegia oſtendenda, juxta Bonifacianam Conſtitutionem, quæ incipit: *Cum perſonæ*, poterit apparere.

XXVIII. De veneratione Eccleſiarum, vel Cœmeteriorum.

Signum indevotionis eſt in ſacris locis ſordes negligere, quæ non decent in prophanis: Et idcirco ſtatuimus, & præcipimus, quod Cœmeteria honeſte claudantur, ne beſtiæ, ſicut porci, anſeres, & animalia bruta, ibidem faciant ſuam immunditiam, & ea ſordident. Et quia Eccleſia Domus orationis, quæ non negotiationis eſſe debet, moneant ſæpe Presbyteri ſuos Parochianos, ne in Eccleſiis, & Cœmeteriis commercia ſæcularia faciant, ſeu exerceant, ſeu cauſæ, vel ſæcularia placita ibidem tractentur, & ne etiam rixæ, contentiones, ſeditiones, choreæ, ſeu proclamationes, vel banna, parlamenta proclamentur, aut aliqui contractus ſæculares, per quoscunque Ballivos ſæculares, Majores Præpoſitos, Scabinos, & alios quoscunque Judices ſæculares, vel eorum ſervientes, vel per alios fiant in eisdem locis, ſub pœna excommunicationis, & quadraginta librarum: ne prædicti, ſeu quivis alii per tumultum ſuum, vel alias perturbent Divinum Officium, ſub pœnis prædictis. Eccleſiæ, ſeu Cœmeteria ſanguinis, ſeu ſeminis effuſione pollutæ, reconcilientur per Nos, vel Deputatos noſtros, ſive fuerint conſecratæ, ſive non: Et interim Divina officia (niſi in caſibus a jure permiſſis) non celebrentur ibidem, nec aliquis ibi ſepeliatur, donec reconciliatæ fuerint, ut præfertur. Et ſciendum eſt, quod Eccleſia polluta, Cœmeterium contiguum eſt pollutum: ſecus ſi fuerit remotum ab eadem: ſed non convertitur, quia polluto Cœmeterio, etiam contiguo, polluta propter hoc Eccleſia non exiſtit: quia ſequeretur abſurdum; ſcilicet, quod acceſſorium ad ſe traheret principale.

XXIX. De Immunitate Eccleſiarum, vel Cœmeteriorum.

COnfugientes ad Eccleſiam Decreta Sanctorum Patrum ſanxerunt, plenißima libertate gaudere. Et idcirco ſtatuimus, & præcipimus, ac etiam ordinamus, quod quicunque fugientes ad Eccleſiam, vel Cœmeterium pro tutela refugii, a dicto Cœmeterio, vel Eccleſia extraxerit, aut ad extrahendum dederit opem, conſilium, vel favorem, vel manus violentas in tales confugientes intulerit, mutilaverit, ſeu occiderit, vel impedierit, quo minus confugientibus prædictis, in dicto Cœmeterio, aut Eccleſia, victualia miniſtrentur; cum ſic indirecte libertas Eccleſiæ infringatur, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto, & per Decanos, Presbyterosque, & Curatos, tales, ſic facientes, excommunicati publice nuncientur, & ceſſetur a Divinis, quousque dicti abſtracti, prædictæ libertati fuerint reſtituti, a qua abſtracti fuerunt: vel donec ceſſent ab impedimento, quando impediunt dicta victualia miniſtrari: & donec venerint ad emendam competentem.

XXX.

Digitized by Google

XXX. De refectione Ecclesiarum.

PAtroni, personæ, cæterique, qui participant in oblationibus & decimis Parochialium Ecclesiarum; juxta quantitatem suæ portionis conferant ad refectionem Cancellorum, sive Chori Ecclesiarum prædictarum: Parochiani, de Calice, Missali, Breviario, casulis, albis, & aliis necessariis, ad cultum Divinum, provideant competenter de bonis Ecclesiæ, quæ colligunt vel de eleemosynis, seu de communi contributione. Provisores Ecclesiæ de perceptis & administratis ipsius Ecclesiæ bonis coram Presbytero curato loci annis singulis teneantur computare, & legitimam rationem reddere: Presbyter autem summam computi Decano tradat, qui Nobis, vel Officiali nostro respondere possit, cum ab eo requiremus. Ecclesiæ campestres, de die & de nocte sub bonis serraturis claudantur, saltem de nocte, ne malefactores ibidem faciant sua conventicula. Doceant insuper, & moneant Curati & Presbyteri populum sibi subditum, ut quotiescunque in Ecclesia audierint, nominare nomen illud, quod est super omne nomen, scilicet nomen Domini nostri JEsu Christi, per quem salvati sumus & liberati, aliquod signum reverentiæ faciant, genua flectendo, vel capita inclinando, seu pectus percutiendo: scriptum est enim: *In nomine Domini omne genu flectatur.* Idem præcipimus, quoties nominari audient nomen Virginis Gloriosæ. Et quia sunt quidam Ecclesiarum Parochialium Rectores, qui Ecclesias suas replent eorum bonis propriis, aut repleri permittunt alienis: blada, sasena, (c) vasa, stramina, aut alias res prophanas ibidem ponendo, aut poni permittendo: ita quod domus laicæ potius, quam DEI Ecclesiæ videantur. Quod fieri sub pœna excommunicationis de cætero prohibemus: monentes ex nunc dictos Curatos, ut talia, si qua sunt in suis Ecclesiis reposita, extrahant, nec de cætero talia infra dictas Ecclesias reponant, & reposita ibidem per alios, extrahi faciant, atque mandent. Et si quos in præmissis rebelles invenerint, qui in hac parte noluerint suis monitionibus aut mandato obedire, Nobis, aut Officiali nostro denunciare procurent.

XXXI. De Domibus Beneficiatorum.

DE Domibus Beneficiatorum statuendum Nobis videtur; ut Presbyteri, Capellani, Curati, vel alii Beneficiati, domos beneficiis adjunctas possidentes, sive resideant in suis beneficiis, sive de nostra licentia & speciali permissione, ex rationabili causa absint, sartas, tectas, & integras eas semper studeant conservare: quod si facere prætermiserint; volumus, quod Decani locorum, de fructibus dictarum Ecclesiarum, vel Capellaniarum, domos reparari (si ruinam minantur) & reædificari, (si corruerint) faciant: si, & prout (ultra salarium deservientium eisdem Ecclesiis) Ecclesiarum & Capellaniarum ipsarum suppetant facultates: quod, nisi fecerint, & ex lata eorundem Decanorum, qui eas visitare tenentur, culpa contigerit, deteriores factas, pro nunc volumus ejusmodi Decanos, propriis sumptibus & impensis dictas domos instaurari curare.

XXXII. De Festis colendis.

FEsta vero, quæ nunciare debetis Parochianis vestris, absque omnibus operibus forensibus excolenda, & cum debita veneratione celebranda, sunt hæc: Nativitas Domini, cum tribus sequentibus diebus. Circumcisio. Epiphania. Conversio Pauli. Purificatio Beatæ Mariæ. Mathias. (d) Annunciatio ejusdem Mariæ. Resurrectio Domini, (e) cum tribus sequentibus. Apostolorum Philippi & Jacobi. Ascensio Domini. Dies Pentecostes, (f) cum tribus

(c) Salena, *nuspiam reperi hanc vocem. In antiqua editione sic legitur:* blada, vasasena, *forsan:* vasa, sena, stramina &c.
(d) *Festum* S. Mathiæ *in antiqua editione non ponitur.*
(e) *In antiqua editione:* Resurrectio Domini. Quarta feria sequens.
(f) *In antiq.* Dies Pentecostes. Quarta feria sequens.

en by Google

tribus ſequentibus. Feſtum Sanctiſſimi Sacramenti. Feſtum Beati Barnabæ Apoſtoli. Nativitas Beati Joannis Baptiſtæ. Apoſtolorum Petri & Pauli. Mariæ Magdalenæ. Jacobi & Chriſtophori. Laurentii Martyris. Aſſumptio Beatæ Mariæ. Nativitas ejusdem. Bartholomæi (g) Apoſtoli. Matthæi, Lucæ, Marci Evangeliſtarum. Inventio (h) Sanctæ Crucis. Simonis & Judæ. Omnium Sanctorum. Commemoratio omnium fidelium defunctorum. Martini Epiſcopi. Nicolai Epiſcopi. Andreæ Apoſtoli. (i) Thomæ. Omnes dies Dominicales. Dies principales Sanctæ Eccleſiæ. & Dedicatio Sanctæ Eccleſiæ, cum feſto Sanctæ Catharinæ Virginis. Et ſciendum eſt, quod Feſta Apoſtolorum, nec non & quatuor Doctorum Eccleſiæ, ſcilicet Gregorii, Ambroſii, Auguſtini & Iheronymi debent ſolenniter, ſub officio duplici, per univerſas Eccleſias celebrari: prout in Bonifaciana Conſtitutione (quæ incipit: *Glorioſus*) plenius continetur. (k) Sed quia in Eccleſiarum Dedicationibus, quæ variis, diverſisque diebus, per noſtram Dioceſim celebrari ſolent, magis conventicula malefactorum haberi ſoleant, quam quod dictæ ſolennitates debita reverentia & honore celebrentur: ideoque quod recta, piaque conſuetudine noſcitur inſtitutum, ludis quibusdam prophanis, choreis, compotationibus, unde ſubinde cædes, rixæ, & homicidia perpetrantur, impendantur: dum in uniuscujusque Eccleſiæ celebranda Dedicatione, per omnes Civitates & pagos noſtræ Dioceſis, ſub ſpecie quadam devotionis, quaſi per circulum malefactores conveniunt; Statuimus, ne deinceps ita circulatim, & quaſi per orbem hujusmodi Dedicationes Eccleſiarum fiant: ſed omnes uno, eodemque die, ſeptima videlicet Julii, quæ eſt ipſius matricis Eccleſiæ Atrebatenſis Dedicatio, exinde celebrentur.

XXXIII. De obſervatione Jejuniorum.

PRæcipimus & mandamus omnibus & ſingulis Decanis & Curatis Nobis ſubditis, ſub obedientiæ debito, ut jejunia ab Eccleſia indicta mandent a Parochianis ſuis adultis, ſeu puberibus utriusque ſexus (ceſſante impedimento legitimo & Canonico) fieri & cum debita devotione celebrari, ac etiam obſervari. Et intimare debent dictis Parochianis, quod talia jejunia ſunt neceſſaria, & ſub præcepto: adeo quod qui non obſervant, peccant mortaliter, niſi ſenectus, debilitas, infirmitas, paupertas, ac alia juſta cauſa & rationabilis, vel neceſſitas excuſaret, nec poſſunt talia redimi pecunia, vel aliquo modo, niſi cauſa valde rationabilis, ſeu neceſſitas in jejunante ſubſit: licet aliud ſit in jejuniis voluntariis, quæ auctoritate Superioris, etiam ſine tali caſu, redimi poſſunt, ac etiam commutari, dum tamen illud ſit majus, aut æquale, aut quantum præſtare poſſunt, in quod talia commutantur. Jejunia indicta ab Eccleſia ſunt iſta: Quatuor temporum, Vigiliæ Apoſtolorum (præter Vigilias Philippi & Jacobi, Beati Joannis Evangeliſtæ, & Beati Bartholomæi, circa quæ nos remittit decretalis ad conſuetudinem regionis) Vigilia Nativitatis Domini, & Beati Joannis Baptiſtæ: Vigilia Omnium Sanctorum, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes, Beati Laurentii, Aſſumptionis Beatæ Mariæ, & tota Quadrageſima. Iſta ſunt jejunia indicta ab Eccleſia, & ſub præcepto.

XXXIV. De Purificatione poſt partum.

NUllus Presbyter, Curatus, aut alius quicunque, mulierem jacentem in puerperio purificet, niſi tum demum cum per menſem jacuerit: & hoc

(g) *Poſt* S. Bartholomæi Apoſt. *additur in antiq.* Ludovici.
(h) *Feſtum hoc in antiqua non legitur.*
(i) *In antiq. poſt* S. Andreæ Apoſtoli, *ſcribitur*: S. Eligii. S. Nicaſii. *de S. Nicolao, & S. Thoma nulla mentio.*
(k) *Sequentia non habentur in editione antiqua: nec ſequens Caput* de obſervatione Jejuniorum.

hoc etiam fiat de die, & in Eccleſia propria Parochiali, & non alibi, niſi in mortis articulo: & tunc petita a Nobis vel Officiali noſtro licentia & obtenta. Nullus Presbyter, Curatus, Capellanus, Religioſus, etiam exemptus, aut alius quicunque, mulierem jacentem de partu ex damnato coitu, & nefario, vel fornicario, ſeu alias quovis modo damnato, excommunicatam, aut interdictam purificet, ſeu alienam Parochianam, ſine noſtra, vel noſtri Officialis licentia ſpeciali. Contrarium vero facientes, etiam ſi exempti fuerint, cum etiam exemptos non liceat Statuta noſtra Synodalia violare, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto: Abſolutionem vero talium, Nobis, vel Officiali noſtro, modis omnibus reſervamus. Videant etiam Curati, quid de hoc caveatur ſuper iisdem Conſtitutionibus, in titulo: *De inhumatione corporum & ſepulturis.* Deinde ſciant Curati, quod abſolutis excommunicatis, vel uſurariis manifeſtis, vel alio impedimento diu detentis, propter quæ uxores eorum fuerunt non purificatæ de uno partu, vel pluribus, ſuppoſito, quod præmiſſi abſolutionem a Nobis, vel Officiali noſtro obtinuerint, mulieres tamen non ſunt purificatæ: imo debent purificari, quia abſolutio non dat purificationem in hoc caſu. Non tamen eſt neceſſe, quod pro unoquoque partu purificentur. Caveant tamen Presbyteri curati, ne dictas mulieres, aut alias quascunque ſine purificatione recipiant ad Eccleſiaſtica Sacramenta.

XXXV. De Domibus Religioſorum.

IN Domibus Religioſorum, aut Religioſarum, teneatur & obſervetur numerus Religioſorum taxatus, & tentus, aut certus, ſive etiam conſuetus. Et ſi diminutus fuerit, redintegretur, & etiam reſtauretur, ne propter paucitatem ſervitorum cultus Divinus minuatur. Debent enim poni Regulares in Monaſteriis, etiam ſi non ſit ibi numerus certus inſtitutus, quot conſueverunt eſſe: dum tamen ad hoc ſuppetant facultates: alias debet fieri juxta Concilium Generale, ſcilicet, quod non amplius ponantur in Monaſteriis prædictis, quam quot de bonis Eccleſiæ ſine penuria ſe regere poſſunt. Volumus tamen & præcipimus, quod abſque noſtra ſpeciali auctoritate, numerus conſuetus non diminuatur, ſeu etiam augeatur, aut augmentetur. Contrarium vero facientes graviori ſubjaceant diſciplinæ.

XXXVI. De Mandatis Curiæ obſervandis & exequendis.

DIſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœnâ transgreſſionis Nobis præſtiti juramenti, nec non & excommunicationis præcipimus, ut Abbates, Decani, Sacerdotes, Capellani, & Clerici Nobis ſubjecti, ad quem, vel ad quos mandata Curiæ noſtræ pervenerint exequenda, ea fideliter & diligenter, ſecundum formam & tenorem eorundem, cum promptitudine reverentiæ exequantur. Et quod diebus Dominicis & Feſtivis, ſecundum tenorem dictorum mandatorum, nomina excommunicatorum, alta & intelligibili voce nominentur, ita quod ab omni populo in Eccleſia exiſtente poſſint audiri. Et ſi timeant veriſimiliter aliquod malum per adverſarium, vel Judicem ſæcularem, Portitori literarum debere, aut poſſe inferri; ipſum caute expediant, & reſcriptionem faciant, aut ſigillent. Et cum nuntius receſſerit: adimpleant mandatum. Quod ſi per eorum incuriam, negligentiam, aut incautam executionem, dicto portitori quicquam mali acciderit; noverint, quod eos graviter puniemus, in aliorum exemplum. Nihil recipiant executores prædicti noſtrarum literarum, ſive a portitore, ſive a litigante, niſi duos denarios, ſcilicet pro qualibet citatione ſigillanda, & Clericus pro qualibet perſona citanda unum denarium. Decani Chriſtianitatis pro ſuis ſigillis, quibuscunque literis apponendis, ultra tres denarios non recipiant, niſi pro ſuis literis teſtimonialibus & matrimonialibus faciendis. quo caſu, pro eisdem literis poſſunt recipere duos ſolidos, & non ultra. Et

quia nonnulli, citationes aut monitiones auctoritate Judicum delegatorum, Executorum, Conservatorum, Ordinariorum, seu etiam aliorum quorumcunque, in locis publicis, vel in Ecclesiis, ad infamiam personæ citandæ vel monendæ, seu contra quas processus intenditur; malitiose exequuntur, seu exequi faciunt, aut procurant; licet personæ citandæ, vel monendæ faciliter copia haberi valeat: Nos hujusmodi malitiis, quæ frequenter in nostris civitate & Dioceſi, ut audivimus, committuntur, obviare volentes, præmissa districtius fieri, aut procurari de cætero prohibemus, sub pœna excommunicationis, quam in contrarium facientes, seu fieri procurantes, ferimus in his scriptis. (*l*)

Cum vero fides literis ex appensione sigilli habeatur, & jurgia quam plurima atque lites, coram Nobis, & Officiali nostro, quotidie, pro Sigillorum incognitorum, quibus Presbyteri nostri subditi utuntur, diversa ac varia mutatione oriantur & emergant, & ad Nos gravis querela nonnullorum subditorum nostrorum sit propter hoc perlata; ea propter volentes super his remedium apponi opportunum, provida deliberatione statuimus & ordinamus, quod singuli Curati Nobis subjecti, infra unius mensis spatium a die nostræ Synodi computandum, sub pœna excommunicationis, & viginti solidorum Nobis (si secus fecerint) applicandorum, habeant artum & proprium sigillum, quo utantur communiter, & non alio: cujus impressio penes Curiam nostram in cera remaneat, propter falsitates sigillorum incognitorum evitandas. Proinde, sicut intellexiimus, nonnulli Presbyteri, moniti, quod recognitiones, contumacias, & taxationes Curiæ nostræ exequi differunt, & prætermittunt, multotiens ob favorem, & aliquotiens ex negligentia, metu, aut periculo excommunicationis, in creditorum subditorum nostrorum & Curiæ nostræ contemptum, damnum, præjudicium, & gravamen, expedit, ut talibus malitiis & periculis via præcludatur. Ea propter volentes super his remedium apponi opportunum, provida deliberatione statuimus & etiam ordinamus: quod, super quibuscunque recognitoriis, contumacialibus, & taxatorialibus, antequam monitus valeat excommunicari, impetrentur & obtineantur ab Officiali nostro, & a Curia nostra literæ, quæ in eisdem literis infigantur (termino monitionis elapso) sub hac forma:

Officialis Atrebatensis omnibus Presbyteris &c. Cum nobis constet per rescriptionem vestram, vel talis Presbyteri, talem monitum fuisse & esse, ad instantiam talis pro contentis in literis his præsentibus annexis: & tempus hujusmodi monitionis sit elapsum, dicto tali de præmissis minime satisfacto, vobis mandamus, quatenus dictum talem, qualem in his scriptis excommunicamus, excommunicatum publice in facie Ecclesiæ nuncietis; quod inde feceritis &c.

Tenentes tamen illos monitos, fore excommunicatos, qui infra triduum sibi assignatum, de his, pro quibus moniti fuerunt, minime satisfecerunt. Prohibemus vero, ne quis Presbyterorum nobis subditorum, aliquem monitum, virtute & prætextu literarum quarumcunque monitorialium, excommunicatum denunciet, sine literis prædictis: quæ in eisdem monitoriis infigantur, ac signis audientiarii, & apparitoris nostrorum signentur evidenter, ac sigillo Curiæ nostræ sigillentur: exceptis tamen literis monitoriis pro Clericis, & bonis eorundem; ac literis, ad instantiam Curiæ & monitoris nostri, quarum formam & tenorem præcipimus inviolabiliter observari, secundum quod est hactenus consuetum, & prout in eisdem continebitur, quod sic fieri volumus, decernentes irritum & inane, si secus contigerit, quomodolibet indebite attentari. (*ll*)

Multorum ad Nos gravis querela perduxit, quod nonnulli Curati, & Capellani, Executores mandatorum Curiæ nostræ, aliquotiens prece, vel favore, & aliquando munere, vel contemptu, seu etiam vano metu, mandata & literas Curiæ nostræ exequi differant, & negligant: & si aliqualiter exequan-

(*l*) *Sequentia ex additionibus Synodalibus anni* 1364. *deprompta sunt.*

(*ll*) *Paragraphus, qui sequitur, excerptus est ex Constitutionibus Synodalibus D. Petri Mansuerii, Episcopi Atrebatensis, editis anno* 1375.

quantur, hoc fit ita generaliter, & confuſe & obſcure, præſertim in denunciatione excommunicatorum, dicendo ſic: *Illos denunciamus excommunicatos & aggravatos, de quibus mandata recepimus.* Vel alias nequaquam intelligibiliter, adeo, quod frequenter patiuntur, & permittunt ſcienter, excommunicatos cum fidelibus in Eccleſiis ſuis eſſe, quando celebrant juxta & prope eos in Choro, & circa Altare, cum eisdem excommunicatis participantes, & in ſua malitia, & errore ipſos damnabiliter ſuſtinentes, in grave præjudicium animarum ſuarum, & ſcandalum plurimorum: unde cenſura Eccleſiaſticæ diſciplinæ vileſcit, & authoritas Mandatoris ducitur in contemptum, Curiæque noſtræ (quæ ex hoc culpabilis non exiſtit) detrahitur per culpam, ſeu negligentiam dictorum Curatorum; propterea volentes ſuper his providere, in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub pœna transgreſſionis nobis præſtiti juramenti, nec non ſuſpenſionis & excommunicationis, ac ſub pœnis privationis & amiſſionis beneficiorum ſuorum, ac decem librarum Pariſienſium, piis uſibus applicandarum, præcipimus & injungimus omnibus & ſingulis Presbyteris ſubditis noſtris, quatenus hujusmodi mandata noſtra, & literas, quæ ſibi exequenda deferuntur, diligenter & fideliter exequantur, ſecundum tenorem ipſorum mandatorum, adeoque per eorum incautam ſeu negligentem executionem, Portitoribus, ſeu Procuratoribus literarum hujusmodi, nulla injuria inferatur, eosdem Portitores & Procuratores celeriter expediendo, juxta formam dicti Statuti, quod excommunicatos, aggravatos, nominatim, & ſpecifice denuncient & publicent, in ſuis Eccleſiis diebus Dominicis, omni favore poſtpoſito, & a participatione excommunicatorum ſe abſtineant, nec celebrent ſcienter in eorum præſentia; alioqui ipſos curatos Presbyteros, & Executores, præſentis noſtræ intentionis, injunctionis & præcepti transgreſſores, & contemptores pronunciamus & declaramus in his ſcriptis, ex nunc, prout ex tunc dictas ſententias & pœnas, perjuriique reatum damnabiliter ipſo facto incurriſſe, & in caſu, quo ad perſonas partium, per eorum ferocitatem, ſeu temerariam præſumptionem, vel ob inhibitionem Domini, ſeu Dominorum temporalium loci, vel alia de cauſa non auderent mandata hujusmodi exequi: ſtatuimus & ordinamus, quod talium executiones fiant in Parochiali Eccleſia, vel in propinquiori, ubi tute fieri poſſunt, & ad valvas Eccleſiæ copia hujusmodi mandatorum per Curatos affigatur, de hisque reſcribant Officiali Curiæ noſtræ. Talium vero executiones, literas, & proceſſus ſuper his factos, decernimus validos ac valere, ac ſi & prout dictæ executiones factæ forent, & exiſterent ad perſonas, contra quas mandata hujusmodi impetrantur.

In executione mandatorum Curiæ graviter peccari nonnunquam conſtat, dum Curati locorum Clerici, Notarii, vel dictorum mandatorum Executores, ſeſe dicta mandata executos eſſe, vel propriis ſignis teſtantur, antequam tamen citationem ipſam perſonæ citatæ indicaverint; cum enim ad eos hujusmodi executio, per Statuta Synodalia propriumque juramentum pertineat, ut apparitores vel portitores dictorum mandatorum, quaſi probe functo munere, citius poſſint domum remeare, ſæpius falſo chirographo de facta dicta executione teſtantur, quapropter, quum hac de cauſa rei (qui in judicium vocati ſunt) ſæpius, nunc velut contumaces mulctentur, nunc ſententia excommunicationis innodentur, quaſi legitime citatione facta; notorium illum abuſum ex Curia noſtra auferre volentes, Statuimus & ordinamus, ne deinceps ex ſolius exequentis chirographo ad hujusmodi gravamina procedatur: Sed in executione quorumcunq; mandatorum, literarum & proceſſuum, a nobis, ſeu Officiali noſtro emiſſorum, dies, menſis, annus, nomen exequentis, locus & modus executionis: an ad perſonam, vel ad domicilium facta fuerit, adponantur; ut ſic videlicet executor a tergo mandati ſcribat: *Executum eſt præſens mandatum, per me N. Plebanum Eccleſiæ N. Clericum, aut Notarium ad perſonam, aut ad domicilium talis:* nomen ſuum, & Eccleſiæ ad cognomen proprium exprimendo anno infra ſcripto, die tali, menſis talis: ut videlicet de hujusmodi executione legitima fiat fides. Cum autem

autem jura etiam decernant, ut qui alium in jus vocat, ipſe actionis ſuæ ſpeciem edat, quo reo poſſit eſſe clarum, utrum liti cedere, an actione experiri malit, & jura (præſertim Canonica) manifeſte, ex facti ratione ſpeciem Judicii demonſtrari velint; injungimus omnibus actoribus, & Procuratoribus Curiæ noſtræ Atrebatenſis, ne citationes aliquas decernant, niſi legitima expreſſa cauſa, ut citato facile conſtare poſſit, qua de re in judicio futura ſit controverſia: turpe enim eſt & calumniam ſapere videtur, comparente reo in judicio, deliberare velle, quid, aut qua de cauſa petatur.

XXXVII. De executione Mandatorum Judicum delegatorum.

MAndatum alicujus, qui ſe executorem, conſervatorem, aut delegatum a Sede Apoſtolica aſſerit, aut affirmat: firmiter & diſtricte exequi prohibemus, niſi prius de authentico fiat oſtenſio exequenti: prohibemus etiam, ne ad mandatum prædictorum citetur aliquis, donec primitus facta fide de jurisdictione, & poteſtate mandantis, citandus vel citatus (ſi eam habere voluerit) de eisdem ſuis expenſis copiam integram habeat: nec alias Curati, vel alii Executores, eum citaſſe referant, ſeu reſcribant, ſeu ipſum habeant pro citato, niſi forte aliquem abſentem, vel contumacem, ſeu impedientem, ne poſſet ad eum citatio pervenire, citarent publice ad domicilium, vel in propria Eccleſia, reperto Procuratore ejusdem, ſeu aliquo de familia, vel quavis alia perſona petente, vel recipiente dictam copiam de hujusmodi literis vel mandato. Per præmiſſa enim jurisdictionem Apoſtolicam (qua tales fungi ſe aſſerunt) non intendimus impedire, ſeu perturbare, ſed potius abuſibus fraudulosis, & malitioſis vexationibus (quæ frequenter circa præmiſſa fiunt) pro viribus obviare.

XXXVIII. De Abuſoribus.

ITem abuſores literarum Apoſtolicarum quarumcunque, ſeu legatorum, vel ſubdelegatorum (ſi dictus abuſus in gravamen, injuriam, ſeu detrimentum juris alicujus fiat) nec non & dantes ad dictum abuſum conſilium, & favorem, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurrunt, a qua (niſi in mortis articulo) per Nos, vel Officialem noſtrum abſolvi non poſſunt; & tunc, & primitus refuſis expenſis & damnis læſo. Et ſi in mortis articulo ab aliis abſolvantur, ſi recuperata ſanitate non ſatisfecerint infra menſem, in priſtinam ſententiam eosdem reducimus ex tunc in his ſcriptis: Mandantes nihilominus Decanis, & Curatis locorum, ut ſaltem ſemel in quindecim diebus die Dominico, ſeu Feſtivo tales abuſores in Eccleſiis ſuis excommunicatos publice ſtudeant nunciare.

XXXIX. De Portitoribus literarum.

PRæcipimus etiam prædictis Curatis & Decanis, quod ſi alicui portitori noſtrarum literarum, ſeu Curiæ noſtræ injuria inferri contigerit; utpote ipſum verberando, capiendo, ſeu detinendo, aut literas ipſas lacerando, moneant malefactores, ſeu injuriatores hujusmodi, ut infra triduum poſt monitionem ſuam, Nobis, vel Officiali noſtro præmiſſa competenter emendent, & nihilominus injuriato portitori ſatisfaciant. Quod ſi non fecerint, moniti prius, elapſo triduo, ipſos (quos in his ſcriptis excommunicamus) excommunicatos, palam & publice non differant nunciare. Præterea nomina talium, Promotori Curiæ noſtræ (quam cito commode poterunt) adferant, vel transmittant. Quod ſi detenti fuerint dictarum literarum monitores; moneant detentores, ut ipſos indilate expediant, alioqui ipſos ſtatim dicti Curati excommunicent, & ceſſent a Divinis, quouſque reſtituti fuerint, & Nobis, vel Officiali noſtro fuerit emendatum.

XL. Qualiter venientes ad Curiam debent plena libertate gaudere.

ITem ſi quis veniendo ad ſuam diem coram Nobis, vel ad Curiam noſtram,

ſtram, exiſtens in conductu noſtro, vel Curiæ noſtræ prædictæ captus fuerit, arreſtatus, aut detentus, aut inſidioſe, qua veniebat ad Curiam, vel ibidem litigabat, verberatus, moneantur per Decanos, ſeu Curatos, arreſtatores, ſeu detentores, & omnes, quorum ope, conſilio, vel favore præmiſſa fuerint facta, ut indilate poſt monitionem eis factam, detentores dictum citatum, ſeu venientem ad ſuam diem, dearreſtent, & deliberent, ac infra triduum tam Nobis, quam injuriato emendam faciant competentem. Alioqui ipſos omnes & ſingulos excommunicent ſine alterius exſpectatione mandati, & ceſſent a Divinis, quousque ad emendam venerint humiliter & devote.

XLI. De Clericis captis, & eorum bonis.

ITem ſi quis Clericus, vel perſona Eccleſiaſtica, aut eorum bona mobilia, ſeu catella, per laicalem juſtitiam capti, & arreſtati fuerint, ipſos moneant indilate, ut poſt monitionem hujusmodi dictos Clericos, vel perſonas Eccleſiaſticas & eorum bona deliberent, & dearreſtarent; alioqui exercentes dictam juſtitiam, prædicti Decani, & Curati excommunicent, & excommunicatos a Canone nuncient, & ceſſent a Divinis, quousque deliberati, & dearreſtati fuerint: ſervantes in hac parte Conſtitutiones Conciliorum Provincialium, quæ ſunt Compendienſis, Silvanectenſis, & Noviomenſis. Nobis tamen, & Officiali noſtro primitus conſultis, quoad terram Comitis Atrebatenſis. (*m*)

XLII. De Sententia Excommunicationis, & ex quibus cauſis, tam per Synodales Conſtitutiones, quam Provinciales, quis incurrit ſententiam excommunicationis ipſo facto.

SCire debent Sacerdotes, & perſonæ Eccleſiaſticæ, maxime Curati, quod duplex eſt excommunicatio, ſcilicet major & minor: & licet etiam tertia ſpecies poſſit aſſignari, quæ eſt anathema, in hoc tamen non eſt vis facienda: quia anathema major eſt excommunicatio, & non differt a majori quoad effectum, ſed ſolum in eo, quod cum majori ſolennitate fulminatur. Et eſt notandum, quod major excommunica-

(*m*) *In editione antiqua inſeritur hoc loco ſequens Caput:*

De contumacia non venientium ad Synodum, vel minus debite recedentium ab eadem.

OMnes, qui ad noſtram Sanctam Synodum venire tenentur de conſuetudine, vel de jure, perſonaliter compareant, & interſint in eadem: niſi corporalis infirmitas vel alias urgens neceſſitas, ſeu evidentiſſima cauſa eos habeat excuſatos. Quo caſu per procuratorem legitimum cum mandato, continente ſpecifice & expreſſe cauſam & impedimentum, quare perſonaliter non venerint: & cum poteſtate audiendi, referendi, & conſentiendi mittere teneantur. Alioquin contumaces reputamus eosdem. Statuentes ex nunc, quod dicti contumaces ſub pena decem librarum pariſienſium, infra menſem a die Synodi numerandum: compareant perſonaliter coram nobis facturi emendam congruam de contumacia ſeu contemptu. Item precipimus Prelatis, abbatibus, decanis, & curatis: quatinus ſynodales conſtitutiones ſecum afferant: & antequam recedant: nobis, vel illi, ſeu illis, quem ſeu quos ad hoc deputavimus, eas exhibeant, & hoc ſub pena excommunicationis, & quadraginta ſolidorum piis uſibus applicandorum. Nullusque dum venerit ad ſynodum, preſumat ſub eadem pena recedere, ſine noſtra licentia ſpeciali. Item monemus omnes & ſingulos, qui ad ſanctam ſynodum venire tenentur: ut hæc noſtra ſtatuta ſynodalia in hac preſenti compilatione contenta habeant: & ſub penis in eisdem contentis teneant inviolabiliter, & obſervent: & quantum poterunt, procurent inviolabiliter obſervari. Item ordinamus & precipimus predictis perſonis, que conſtitutiones ſynodales habere & obſervare tenentur: ut in eisdem frequenter ſtudeant, ne per ignorantiam contentorum in eisdem ipſos errare contingat: ſeu aliquid eorundem omittere: vel pretextu ignorantie committere, quod ſibi vel ſuis ſubditis pariat periculum animarum. Et quod ſaltem ſemel in menſe eas integraliter videant & perfecte legant.

Digitized by Google

nicatio ſeparat hominem a Corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, hoc eſt, a communione fidelium, & adminiſtratione & perceptione Sacramentorum, nec non a quolibet alio actu legitimo. Unde excommunicatio diffinitur: excommunicatio eſt a communione qualibet licita, & quolibet legitimo actu ſeparatio. Doceant ergo Curati Parochianos ſuos, quod nihil tantum debet timere Chriſtianus, quam excommunicationem majorem, cum per eam Chriſtianus ſeparetur a corpore Chriſti. Si enim eſt Chriſtianus ſeparatus a corpore Chriſti, jam non eſt membrum Chriſti, & ſi non eſt membrum Chriſti, non vegetatur, non vivificatur Spiritu Dei: & quisquis (ſecundum Apoſtolum) non vivificatur Spiritu Dei: & quisquis (ſecundum Apoſtolum) Spiritum Dei non habet, is non eſt ejus membrum, nec filius. Prædicent ergo intelligibiliter & ſenſibiliter ſuis Parochianis, quod, ut membrum ſeparatur a corpore humano, efficitur putridum, nec vitam, nec humorem habet; ſic nec alicujus boni operis, aut gratiæ ſpiritualis communionem anima, quæ eſt ſeparata per excommunicationem a corpore Chriſti, ſcilicet ab Eccleſia: & niſi per reconciliationem & ſatisfactionem dicto corpori confœderata fuerit, & introducta intra Eccleſiam; in fine janua Regni cœleſtis eidem claudetur. Iſta ergo pœna multum debet timeri, ſcilicet excommunicatio, qua (juxta Canonicas Sanctiones) in tota Dei Eccleſia, non eſt dare majorem & periculoſiorem, ſi ſuſtineatur animo indurato. Minor autem excommunicatio ſeparat tantum a perceptione Sacramentorum, & infligitur quandoque ab homine, quandoque a jure, ſicut major excommunicatio. Quandoque ab homine, ſcilicet, quando Sacerdos confitentem & pœnitentem ex certa cauſa ſuſpendit a perceptione Sacramentorum, & quandoque loco pœnæ, ſcilicet quando confitens non vult pœnitere. Quandoque infligitur a jure per ſententiam Canonis, ut cum quis participat ſcienter cum excommunicato majore excommunicatione a Judice, vel a jure. Et ideo docere debent Parochiales Sacerdotes populum ſuum, quod non participent cum excommunicatis, quia ſic faciendo privati ſunt ab omni perceptione Sacramentorum, nec poſſunt ea recipere, niſi fuerint prius abſoluti. Sacerdos tamen curatus, ab illa minore excommunicatione poteſt eos abſolvere. Sciendum eſt etiam, quod nullus debet participare cum excommunicatis, orando in Eccleſia cum eis: imo ſtatim debet exire, ſi viderit eos: ſalutando, quia non debet eos ſalutare: communicando, quia non debet cum eis communicare, nec loqui cum eis, nec habitare in domo, in qua ipſi habitant, nec comedere in mensa, nec exercere in eorum ſocietate aliquem actum, quem ipſi exerceant, nec in aliquo alio caſu, niſi loquendo de ſalute animarum eorum, & de illis, quæ proſunt ad ſalutem, & abſolutionem obtinendam.

Hanc minorem excommunicationem debent multum timere Presbyteri, qui frequenter celebrant: quia talis excommunicatio eſt multum vicina irregularitati, unde non debent celebrare in præſentia excommunicatorum, quod ſi faciant, prima vice eſt eis ingreſſus Eccleſiæ interdictus, ſecundum unam opinionem, per *Capitulum. Epiſcoporum. de Privilegiis. Libro ſexto.* Et quicunque poſtea celebrant, niſi ab illo interdicto fuerint abſoluti, ſunt irregulares: quia is, cui ingreſſus Eccleſiæ eſt interdictus, ſi celebrat in Eccleſia, irregularis eſt per Capitulum: *Is, cui. de ſententia excommunicationis. Eodem Libro.* Quare in his ſumme debent cavere, tum propter periculum prædictum, tum etiam, quia per ſe ipſos docere debent, qualiter alii debeant excommunicatos evitare: quia quod agitur a Superioribus, de facili trahitur a ſubditis in exemplum. Statuimus etiam, & diſtricte præcipimus omnibus & ſingulis Decanis, & Parochialium Eccleſiarum Rectoribus noſtræ Civitatis & Diœceſis ſub pœna excommunicationis, & viginti librarum, quod quilibet eorum regiſtrum habeat, ſuppoſito etiam, quod in ſua Parochia excommunicatos non haberet, in quo regiſtro nomina excommunicatorum Parochiæ ſuæ (ſi qui ſunt) nomen Judicis excommunicantis, & perſonæ, ad

ad cujus inſtantiam, quis excommunicari mandatur, ponant & inſcribant, nec non diem, menſem, & annum: & utrum pro re cognita, judicata, & confeſſata, vel manifeſta oſtenſa: an pro contumacia, vel contemptu: & in principio hujus tituli, ſeu regiſtri ponatur, de groſſa litera titulus: *Hoc eſt Regiſtrum Excommunicatorum.* Et illud regiſtrum ponatur in certo loco & publico, ſeu ſæpius frequentato, utpote, conſuant in principio Breviarii, ſeu Miſſalis, ſi neceſſe fuerit, ad finem, quod ſi aliquis dictorum Curatorum deceſſerit, dictum regiſtrum a ſucceſſore valeat reperiri, ut etiam faciliter poſſit informari, ſi in ſua Parochia ſint aliqui excommunicati, nec non: quia alias poſſint exinde multa pericula & inconvenientia provenire. Succeſſor vero nomina excommunicatorum ignorans, & eadem inregiſtrata minime reperiens, poſſet (non ſine magno periculo & ſcandalo) plurimos excommunicatos, cum non excommunicatis admittere, ad Eccleſiaſtica Sacramenta, & eosdem tanquam abſolutos, in morte recipere ad Eccleſiaſticam ſepulturam. Sub pœnis quoque prædictis eisdem Decanis & Curatis præcipimus, ut poſtquam aliquis per annum in excommunicatione ſteterit, hoc Curati denuncient Decano loci, infra octo dies a lapſu anni numerandos: & Decani ex tunc infra alios octo dies, Officiali noſtro, vel Promotori Curiæ noſtræ ſignificare ſtudeant diligenter: & cum hoc etiam, an dictus excommunicatus potens ſit ad ſatisfaciendum creditoribus, & facere ſe abſolvi: nec non ut ex hoc, contra dictum excommunicatum, de majori, vel minori contemptu, vel vilipenſione cenſuræ Eccleſiaſticæ præſumatur. Prima enim facie talis videtur ſapere hæreſim, ſaltem contemptum non modicum Dei, & Sanctæ Matris Eccleſiæ. Nam quisquis ab Eccleſia Dei, & communione fidelium, tam diu voluntarie remanſit ſeparatus, hæreſim ſapere videtur. Diſtricte etiam præcipimus, ſcire caſus, in quibus ipſo facto incurritur ſententia excommunicationis tam per Synodales Conſtitutiones, quam Provinciales. Et quia cavetur ſupra in titulo, *de Confeſſionibus*, & diſtricte præcipitur omnibus curam animarum habentibus, quod extrahant ab omnibus Conſtitutionibus Synodalibus & Provincialibus, omnes & ſingulos caſus, occaſione quorum ſubditi poſſunt ſententia excommunicationis, per easdem Conſtitutiones ipſo facto ligari, & ad finem debitum (in dicto verſiculo) qui incipit: *Diſtricte etiam præcipimus*, comprehenſum: idcirco ut facilius poſſint eosdem caſus extrahere, quoddam repertorium eisdem in iſto titulo duximus conſultius ordinandum. Primus enim caſus habetur in titulo: *de Matrimonio*, circa finem. Secundus caſus in titulo: *de Sacramento Ordinis*, circa medium. Quatuor caſus habentur in titulo: *de rebus Eccleſiæ non alienandis*: videlicet duo circa principium, unus prope medium, & quartus in fine. Duo caſus habentur in titulo: *de vita & honeſtate Clericorum*, ſcilicet unus circa principium, & alius circa finem. Quinque caſus habentur in titulo: *de Uſuris*. Duo in titulo: *de Teſtamentis*. Et alii tres in titulo: *de inhumatione corporum & ſepulturis*. Tres caſus habentur in titulo: *de Privilegiis*. Unus in titulo: *de Immunitate Eccleſiarum*. Quatuor in titulo: *de Mandatis Curiæ obſervandis*. Tres in titulo: *de Interdicto*. In Concilio Compendienſi ſeptem, in Concilio Novionenſi novem: quorum primus caſus continet in ſe ſeptemdecim articulos. Et licet in pluribus aliis locis per dictas Conſtitutiones infligatur dicta excommunicatio comminatorie, nec non & aliæ pœnæ tam ſuſpenſionis ab officio, & a fructibus beneficii, & a perceptione eorundem, quam aliæ pœnæ pecuniariæ, ſecundum quod videre poterit diligens inſpector Conſtitutionum prædictarum; credo tamen, quod non in pluribus aliis locis reperietur excommunicationis ſententia, ipſo facto lata. Si tamen per oblivionem, in iſto repertorio non fuerit, nihilominus alibi reperta timeatur, & etiam evitetur. Diſtricte præterea præcipimus, quod (ſaltem ſemel in menſe) in Eccleſiis nominent & publicent dictos caſus, & eos intelligibiliter Parochianis ſuis exponant, dicendo per hunc modum: *Quicunque fecerit ſic, & ſic, per Synodales Conſtitutiones & Provinciales,*

les, ſententiam excommunicationis eo ipſo incurrit. Et nos omnes & ſingulos tales excommunicatos publice nuncianus, ſpecificando ſingulariter ſingulos. Deinde omnibus Curatis diſtricte præcipimus, & mandamus ſub obedientiæ debito, & ſub pœna tranſgreſſionis juramenti, qua nobis aſtringuntur: quatenus omnibus & ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis, publice, infra Miſſarum Solennia, excommunicatos denuncient in Eccleſia ſua, verbis Gallicis illos, qui ſequuntur, ſic: *De l'auctorité de Monſieur l'Archevesque de Reyns, & du Concille Provincial, & de noſtre Reverend Pere en Dieu, Monſieur l'Evesque d'Arras, nous denonchons pour excommuniez tous ceulx, qui empeſchent la juriſdiction de l'Egliſe en ce, que lui appartient de droict, ou de couſtume. Item tous ceulx, qui empeſchent, ou font empeſcher, que on ne face point ſemonre l'ung, l'autre en la court de l'Egliſe, & qui font ceſſer les proces encommenchiez, au cas deſſuſdictz. Item tous juges ſeculiers, qui font paier au Clercs amendes, en les conſtraindant a compoſer a eulx, & les font purger devant eulx de cas: dont la cognoiſſance ne appartient a eulx. Item & tous Clercs, qui paient amendes ausdictz juges, & qui a eulx ſe compoſent, ou purgent devant eulx.* Et præmiſſa verba ponantur in una ſcedula, quæ publice & intelligibiliter prædictis diebus Dominicis legantur.

XLIII. De Interdicto non violando, & qualiter Interdicto durante ſit celebrandum.

TEmpore interdicti, non tantum morientes, ſed etiam viventes, tam ſani, quam infirmi, ad pœnitentiam & confeſſionem per conſequens admittantur, excommunicatis exceptis, qui non niſi in mortis articulo admittuntur. Illis etiam exceptis, quorum culpa, dolo, fraude, occaſione, ſeu cauſa, ope, favore, vel conſilio latum eſt interdictum: quia tales ad pœnitentiam nullatenus admittuntur, niſi prius ſatisfecerint, ſi ſint tales, quod ſatisfacere valeant de edicto hujusmodi, vel de ſatisfaciendo dederint idoneam cautionem, aut ſi ſatisfacere nequeant, vel hujusmodi cautionem præſtare, juraverint, quod, cum poterunt, ſatisfacient, & ad ſatisfaciendum, quam cito poterunt, dabunt auxilium, conſilium, vel favorem. Et inſtabunt apud eos, qui ſatisfacere poſſunt, quam cito poterunt, quod ſatisfacient de delicto prædicto. Nec tunc etiam quoad aliquem prædictorum, ubi Civitas, vel locus alius, ſeu Univerſitas extiterit interdicta, facienda eſt relaxatio interdicti, ſed ſolum recipiatur ad pœnitentiam ſalutarem, niſi is (propter cujus culpam latum eſt interdictum) ſatisfaciat: tunc enim tolletur interdictum. Glo. in C. *Alma Mater.* de Sententia excommunic. in VI. Eodem tempore interdicti in Eccleſiis Collegiatis, & Monaſteriis, ſingulis diebus Miſſa, & alia Eccleſiaſtica officia debent dici ſubmiſſa voce: Interdictis tamen & excommunicatis excluſis, januis clauſis, & ſine ſonitu campanarum, & tam Canonici, quam Clerici, eisdem debent intereſſe: alioqui diſtributiones perdunt, ſicut perderent, ſi eisdem officiis non intereſſent, interdicto non exiſtente. Sed in quatuor Solennitatibus, ſcilicet Nativitatis Domini, Paſchæ, Pentecoſtes, & Aſſumptionis B. M., apertis januis, alta voce Divina officia celebrari poſſunt, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis; quibus ob reverentiam dictarum ſolemnitatum (ut ipſi ad humilitatis gratiam, & reconciliationis affectum facilius inclinentur) præfatis diebus participationem permittimus Divinorum: ſic tamen, quod illi (propter quorum culpam, interdictum eſt latum) altari nullatenus appropinquent. In cæteris vero ſervandum eſt ab omnibus interdictum, non obſtantibus quibuscunque privilegiis conceſſis, quibuscunque perſonis, ſeu locis exemptis, & non exemptis, prout in Decretali Bonifaciana, quæ incipit: *Alma Mater.* ſituata in titulo, *de Sententia excommunicationis*, Libro ſexto, ſerioſius continetur. Quæ quidem Decretalis, & ejus moderatio, locum ſibi vendicat in generali interdicto. Et eſt generale interdictum, cum interdicitur Regnum, Provincia, villa, ſeu caſtrum. Non autem in particulari interdicto, puta, cum interdicitur, particulariter

una

una Eccleſia: ut, quia Rector non ſolvit portionem, vel decimam: vel Collegium, vel Capitulum. Tunc ipſe Rector, nec ullus alius, (quia de Rectore non eſt dubium, cum ſit in culpa) poſſet celebrare ſubmiſſa voce ſingulis diebus, vel in Feſtivitatibus quatuor, ut ſupra dictum eſt: cum præmiſſa de generali intelligantur interdicto, & non de particulari. Et nota, quod tempore interdicti, poſſunt adminiſtrari Eccleſiaſtica Sacramenta, quæ ſequuntur: Baptismus, Pœnitentia, una cum Viatico morientibus, ſanis autem ſine Viatico: Confirmatio, confectio Chrismatis, & Matrimonium, de quo eſt altercatio inter Doctores, utrum poſſit fieri tempore interdicti: De hoc non dubito, ſed credo, quod non debet ſolemnizari juxta opinionem Hoſtienſis. Et ſciendum eſt, quod Religioſi quicunque exempti & non exempti, quibuscunque privilegiis & exemptionibus gaudeant, & cujuscunque ordinis, aut conditionis exiſtant, violantes vel non obſervantes interdictum poſitum per Sedem Apoſtolicam, vel per Ordinarium loci, vel per ceſſationem generalem Divinorum, factam per Provinciale Concilium, vel per Judicem ordinarium, & Capitula, Collegia, vel Conventus, qui hanc poſſunt facere, vel indicere, de conſuetudine, vel de jure, & qui fraudulenter violare procurant, vel non ſervare, januis ſuarum Eccleſiarum perforatis, aut in eis feneſtris fractis, ſeu modis aliis exquiſitis, dum vident Cathedralem, ſeu Eccleſiam maternam loci ſervare interdictum, vel ceſſationes prædictas, excommunicationis ſententiam incurrunt ipſo facto. Non obſtantibus quibuscunque appellationibus, antea ad Sedem Apoſtolicam, vel alibi (*) interdictis, prout hæc omnia in Concilii Viennenſis Conſtitutione, quæ incipit: *Ex frequentibus.* plenius continentur. Inſuper Nobiles, & Domini temporales, qui in terris eorum Eccleſiaſtico interdicto ſuppoſitis, nedum in Capellis ſuis, ſed etiam in Collegiatis, & aliis locis inſignibus Miſſas, & alia Officia publice, & cum ſolennitate faciunt celebrari, ad eadem Officia celebranda, nunc hos, nunc illos vocantes, & interdum (quod deterius eſt) compellentes, & ad ea per campanarum pulſationem, ſeu voce præcon s evocantes, vel facientes evocari; nec non & illi, qui prohibent ſubditis ſuis excommunicatis & interdictis, dum Miſſarum ſolennia celebrantur, ne exeant, licet fuerint cum inſtantia moniti, quatenus exirent: omnes tales prædicti, nec non etiam excommunicati, ſeu interdicti, qui poſt monitionem, ut exirent, in eisdem Eccleſiis præſumpſerint remanere, excommunicationis ſententiam meruerunt ipſo facto: a qua non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvi poſſunt, ut in Conſtitutione Concilii prædicti, quæ incipit (*Gravis*) plenius continetur. Fratres quoque Minores recipientes in ſuis Eccleſis, tempore interdicti ad Divina officia Fratres & Sorores de tertio Ordine, quem Sanctus Franciſcus inſtituit, qui pœnitentes, ſeu de pœnitentia nuncupantur, vel aliquem eorundem, etiamſi ſuper hoc ille, vel illi privilegiati eſſent, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrunt: a qua non niſi per Sedem Apoſtolicam abſolvi poſſunt; aut niſi ſatisfactione præmiſſa per locorum Epiſcopos (qui in hac parte Apoſtolica auctoritate funguntur) poſſunt beneficium abſolutionis obtinere. Præmiſſa autem de interdicto & ceſſationibus diligenter attendant Curati, vel alii Nobis ſubditi, ut ſciant, qualiter celebrare debeant, & quando, tempore interdicti, ſeu ceſſus. Et etiam caveant, & advertant, quod, quando celebrabunt januis clauſis tempore ceſſus, vel interdicti, quod nullos admittant ad Divina, etiam non excommunicatos, vel interdictos, niſi ſuper hoc privilegiati extitiſſent. Sciendum eſt autem, quod ſi ſententia interdicti, proferatur in Clerum, propter hoc non interdicitur populus, nec econtra. Cæterum cum propter delictum Domini, vel Rectoris, civitas, vel terra eſt interdicta, Cives, vel incolæ poſſunt alibi audire Divina, niſi propter delictum Domini puniendum, in eis fuerint interdicti. Sed cum populus alicujus terræ eſt interdictus, ſingulares perſonæ de populo non poſſunt (etiam extra illam ter-

(*) *forte:* interpoſitis.

terram) audire Divina, nisi in casibus a jure permissis.

XLIV. De tribus Conciliis Provincialibus: & primo de Concilio Compendiensi per Archi-Episcopum Remensem.

STatuimus & decernimus, auctoritate Concilii: quod si in aliqua Civitate, vel Diocesi, seu loco nostræ Provinciæ Remensis, contingat aliquem Clericum detineri per laicalem justitiam, postquam dictus Clericus fuerit a Presbytero illius loci, vel Officiali, seu Decano rurali, ex parte alicujus eorum legitime requisitus, cessetur a Divinis in loco captionis, seu detentionis, quousque fuerit competenter restitutus: & si dictus Clericus capiatur in una Diocesi, & extrahatur ab ea, ut ad aliam ducatur, cessetur a Divinis in loco, ubi captus fuerit, & in locis, ubi fuerit translatus: quousque ad locum captionis fuerit reductus, & competenter restitutus. Deinde, cum per laicalem justitiam non debeant puniri Clericorum excessus, nec ab eis emenda levari per Judices sæculares; monemus auctoritate, qua supra, omnes & singulos Judices sæculares nostræ Provinciæ (quovis nomine nuncupentur) ne pro præmissis, seu occasione præmissorum, ab eisdem aliquid exigant, levent, vel recipiant quoquo modo. Contrarium facientes excommunicationis sententia innodamus auctoritate prædicta.

Additio Synodalis:

Et Nos huic articulo addimus, quod Clerici nostrarum Civitatis & Diocesis Atrebatensis, qui pro delictis, criminibus, maleficiis, excessibus & forfactis, ab eisdem commissis, jurisdictioni Judicum sæcularium quorumcunque voluntarie se submittunt, subjiciunt, submiserint, seu subjecerint, super præmissis coram eis se purgantes, emendas gagiantes, & solventes compositionem per se, vel alios cum eis facientes, aut factam, vel factas ratificantes, & solventes (cum talia cedant quam plurimum in detrimentum Ecclesiæ & libertatis Ecclesiasticæ) eo ipso sententiam excommunicationis incurrunt: & super præmissis excessibus, pro quibus præmissa fecerint, habeantur eo ipso convicti. Mandantes districte omnibus & singulis nostræ Diocesis, quatenus prædictam Constitutionem, cum præsenti nostra additione, sæpe in suis Ecclesiis solenniter publicent: ne quis posset se ab eisdem (prætextu ignorantiæ) excusare: & quia nonnulli Scabini, Gubernatores, Rectores, Judicatores aut Communitates locorum & Civitatum, seu Territoriorum & Villarum nostræ Provinciæ (prout intelleximus) conspirationem fecerunt, aut facere nituntur: quod si aliquis de Civitate communitate, territorio, seu loco a suis, seu de suis subditis conveniatur in foro Ecclesiastico, aut contra eum procedatur in dicto foro in causa, in qua potest ibidem de jure, vel de consuetudine conveniri, quod eum ad sumptus communes defendant: propter quod non est dubium, quod jurisdictionem Ecclesiasticam volunt impedire. Et idcirco monemus in his scriptis omnes & singulos Judices sæculares prædictos nostræ Provinciæ, qui talia fecerint, ea revocent infra mensem, de cætero a talibus abstinentes, taliaque, vel consimilia facere non præsumant, nec præmissis utantur: alioquin excommunicationi subjaceant ipso facto. Item cum nonnulli Domini temporales suis inhibeant subditis, ne quis eorum alium trahat in foro Ecclesiastico, in casu a jure, vel consuetudine concesso: quinimo contra sic trahentes procedatur frequenter ad captionem personæ trahentis, & bonorum ejusdem, seu amicorum; Nos, ne talia fiant, districte prohibemus, & contrarium facientes excommunicationis vinculo innodamus, & a Canone excommunicatos nunciamus.

Additio Synodalis.

Et Nos huic Statuto adjicimus: Quod ubicunque per Dominos temporales, seu quoscunque Judices sæculares, quovis modo nuncupatos, Civitatis & Diocesis nostræ Atrebatensis fiant, & proclamentur banna, præcepta,

Digitized by Google

ta, proclamationes, ordinationes, ſeu inhibitiones contra jurisdictionem Curiæ noſtræ, vel quaſi poſſeſſionem ejusdem, ſeu contra Eccleſiaſticam libertatem & prædictam jurisdictionem fiunt ſtatuta, ſeu ordinationes fidei interpoſitæ, ſeu quacunque alia firmitate vallatæ. In primo Caſu: in loco, ubi præmiſſa banna, proclamationes, præcepta, ſeu inhibitiones publicæ fient, ceſſetur a Divinis, donec præmiſſa revocent, & donec a Nobis, vel Officiali noſtro, aliud receperint in mandatis. In ſecundo Caſu: facientes ſtatuta & ordinationes prædictas (niſi deſtruant hoc intra menſem) & ea ſervantes, ſeu ſecundum ea judicantes, eo ipſo ſententiam excommunicationis incurrunt. Item nonnulli Abbates hujus Provinciæ juraverunt & ordinaverunt, ſeu conſpirationem fecerunt (ut præfertur) quod ſi contingat aliquem Epiſcopum, contra aliquem Abbatem ſibi ſubditum, velle procedere pro ſuis exceſſibus, vel ad puniendum eum, quod ad defenſionem ejus contribuent, & ad ſumptus communes ipſum defendent. Quod non eſt dubium fore in præjudicium ſui Epiſcopi, & contra ſuæ profeſſionis Juramentum, per quod ſuo Epiſcopo eſt aſtrictus, nec non contra ſuæ Eccleſiæ libertatem. Monemus ergo tales, quod hoc revocent infra menſem, alioqui excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Item, ſi excommunicati publici per biennium ſententiam excommunicationis, & amplius animo ſuſtinuerint indurato; vocentur ad primum Concilium, tanquam de hæreſi ſuſpecti: Et in eodem Concilio contra tales, prout fuerit rationis, & prout juſtum videbitur, procedatur. Quæ omnia & ſingula præmiſſa volumus in ſcriptis redigi, & in primo Concilio ſolenniter publicari: Præcipientes, & diſtrictius mandantes, auctoritate præſentis Concilii, univerſis & ſingulis noſtræ Remenſis Provinciæ, quatenus hæc, quæ pro defenſione Eccleſiaſticæ libertatis, & ipſarum Eccleſiarum ſtatu pacifico duximus ordinanda, (prout decet) ſervent, teneantque illæſa. In quorum teſtimonium &c. Datum apud Compendium, Anno Domini milleſimo, ducenteſimo primo. Die Mercurii ante Clementis.

XLV. Concilium Sylvanectenſe.

QUoniam primus articulus hujus Concilii de Generali, quaſi de eadem materia, loquitur cum primo articulo Novionenſi: idcirco volentes ſuperflua reſecare, dictum primum articulum hic non duximus inſerendum, & ibidem in ſuo loco ponemus, quod plus hic continebatur, quam ibi, ſecundum & ultimum Articulum Sylvanectenſis Concilii, qui talis eſt, ſolummodo ſcribendo hic, & etiam recitando. Ad hæc autem Statuta addimus, ſtatuentes & præcipientes, ut omnes & ſinguli Rectores Eccleſiarum Parochialium noſtræ Provinciæ, ſingulis diebus Dominicis & feſtivis, palam & publice in ſuis Eccleſiis denuntient excommunicatos, auctoritate Apoſtolica, & noſtri præſentis Concilii omnes, jurisdictionem Eccleſiaſticam de jure, vel de conſuetudine eisdem Eccleſiis competentem, impedientes, directe, tacite, vel expreſſe, aut alias quovismodo. Ipſos enim impedientes eandem jurisdictionem, auctoritate præſentis Concilii, ſententiam excommunicationis, & anathematis incurrere volumus ipſo facto. Hanc autem noſtram ſententiam in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus publicari. In cujus rei teſtimonium &c. Datum in Concilio noſtro Generali apud Sylvanectum, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo, decimo ſeptimo, die 22. menſis Martii.

XLVI. Concilium Novionenſe.

CUm ad noſtram pluries pervenerit audientiam, ex querimonia & relatione plurimorum, quod nonnulli tam Domini temporales, quam eorum Judices & Miniſtri ſæculares, pluresque pacis turbatores, non ſolum contra jura, ſed & Sedis Apoſtolicæ Legatorum, Conciliorum Provincialium ordinationes, & Statuta, nec non contra prohibitiones prædictorum, damnabiliter, in ſuarum animarum periculum, timore Dei poſtpoſito multipliciter delinquentes, pœnas in eisdem juribus, & ſtatu-

tis appoſitas, ſæpius incurrentes, easque animo indurato non verentes diutius ſuſtinere, quam plures preſſuras, injurias, oppreſſiones, gravamina, transgreſſiones & offenſas viris Eccleſiaſticis non ſolum in eorum bonis, ſed in propriis perſonis, nec non & turbationes & impedimenta multiplicia, & diverſa, contra libertatem Eccleſiaſticam inferre, vel inferri facere per ſuos Satellites & Miniſtros non formidant. *Additionem Synodalem habes in Concilio Compendienſi quoad bannum, & proclamationes. Videlicet*:

Quidam faciendo per eorum Villas, & Caſtra publice proclamari, ne aliquis de eorum ſubditis, aut Burgenſibus ſub certis pœnis obligent ſe coram Judicibus Eccleſiaſtaſticis, ſeu deputatis ab ipſis, vel ſub literis ſuarum Curiarum, aut citari faciant unus alterum coram ipſis: nec non inhibendo, ſeu inhiberi faciendo Curatis, in eorum terris vel Dominiis temporalibus conſtitutis: ac etiam Tabellionibus, Notariis & Commiſſariis dictarum Curiarum, ne recipiant, aut ſigillent, aut quoquomodo exequantur: quodque Tabelliones, Notarii, aut alii Commiſſarii in terris, Dominio, ſeu diſtrictu dictorum Dominorum temporalium, ſeu Judicum ſæcularium, non faciant informationes, auditiones enqueſtas, & ne officium ſuum exerceant in locis ſupradictis. Pluresque de ſupradictis Tabellionibus, Notariis, Commiſſariis, exercentes ibidem ſua officia, vel negotia ſibi commiſſa (prout licebat, & licet) carceribus, propter hoc, mancipando, gravesque injurias, & minas tales eisdem faciendo, & inferendo, quod eos juſto metu ductos recedere oportuit, & oportet. Dictis ſuis auditionibus, vel enqueſtis, officiis, & negotiis, ſibi commiſſis non inceptis, vel ſaltem imperfectis: ac etiam plures dictorum Curatorum & Notariorum, & Tabellionum, nec non Portitorum literarum, ſeu Commiſſariorum interdum carceri mancipando, mutilando, graviter verberando, viliterque tractando, & quod horribilius eſt, aliquos morti tradendo, bonaque prædictorum ſaiſiando, capiendo, devaſtando, capientium vel eorum Dominorum uſibus applicando, occaſione præmiſſorum. Nonnullosque prædictorum Curatorum, Tabellionum, Notariorum, Portitorum, ſeu Commiſſariorum, ex cauſis prædictis compellendo ad emendam eis faciendam: Literas plures & regiſtra dictarum Curiarum, a Curatis, Portitoribus, & aliis perſonis, ſeu Commiſſariis violenter extorquendo, dilacerando, ac etiam in locis publicis, ſeu coram pluribus comburendo: Nonnullosque Presbyteros, Clericos, ſeu Viros Eccleſiaſticos pro delictis & exceſſibus, eis per ipſos impoſitis coram ſe trahendo, & carceri mancipando, & eos in præmiſſis caſibus, nec non in contractibus & actionibus perſonalibus reſpondere compellendo, ac ipſos ad emendas pecuniarum condemnando, peregrinationes, aut alias pœnas eisdem injungendo, aut de facto eos banneando, nec non & eosdem coram ſe purgari faciendo: bonaque mobilia de domibus eorundem, vel in quibus moram trahunt, ejiciendo, & quandoque de dictis domibus eos expellendo, ac dictas emendas ab ipſis perſonis Eccleſiaſticis, tam per captionem corporum & detentionem bonorum, quam per alias vias obliquas extorquendo, nec non & prædictos Clericos & perſonas Eccleſiaſticas pro exceſſibus & delictis ſibi impoſitis, pro quibus fuerunt a ſuis Judicibus Canonice puniti, ſeu etiam abſoluti, pro libito temerariæ voluntatis, capiendo, incarcerando, & de facto ad emendas ſupra dictas, aut earum aliquam compellendo: dictosque Clericos, & perſonas Eccleſiaſticas extra legem ponendo more ſuo, qui potius dicendus eſt abuſus, & ſic prætextu ſuæ pravæ conſuetudinis, quæ potius poteſt dici & debet corruptela, talibus perſonis Eccleſiaſticis, ſic extra legem poſitis injuriantes, aut eos occidentes, verberantes, ſeu etiam mutilantes, per eos nullatenus, aut modicum puniuntur: pluresque perſonas, debita ſua in dictis Curiis petentes, vel jus ſuum in eisdem Curiis debite proſequentes, & interdum contra ſuos adverſarios, rationabiliter excommunicationis ſententiam impetrantes, per captionem corporum, & bonorum eorundem, compellendo,

lendo, ut desistant a suis processibus antedictis: &, quod nequius est, ut prædictos suos adversarios, ad eorum instantiam excommunicatos, ut præfertur, absolvi faciant, aut procurent suis sumptibus & expensis; quæ omnia & singula, non solum in detrimentum jurium Ecclesiasticæ libertatis, sed in opprobrium, vituperium, gravamen & damnum ejusdem cedere dignoscuntur. Hinc est, quod nos damnis, & indemnitatibus Ecclesiasticis succurrere volentes, malignantiumque perversitates, temerarios abusus, & nefarios sub loris justitiæ, prout possumus, refrenare: & sub prædictis oppressionibus, pressuris & injuriis, & cuilibet earundem (prout ex debito tenemur officii) providere volentes: deliberatione super hoc in præsenti Concilio habita pleniori, de totius Concilii providentia unanimi & concordi Statuimus, decernimus & ordinamus: quod quandocunque prædicta gravamina, vel aliquod eorundem, per aliquem Dominum temporalem, vel Judicem sæcularem, aut eorum servitores, & ministros, aut ab ipsis Dominis, seu Judicibus deputatos perpetrari contigerit, vel committi, & hoc Judici ordinario loci, vel Decano rurali, seu Curato Parochiali manifestum, per evidentiam facti, fuerit, seu de hoc eisdem, aut eorum alteri, per juramentum partis, si fuerit fide digna, cum unius testis adminiculo, vel favore, publice aut alias constiterit competenter; quod tunc juxta formam, & tenorem Concilii Provincialis, tempore bonæ memoriæ *Roberti*, quondam *Remensis Archi-Episcopi*, celebrati apud *Sylvanectum*, Anno Domini Millesimo, trecentesimo decimo septimo, quod Statutum fuit editum contra bonorum Clericorum & locorum Ecclesiasticorum occupatores, cessetur a Divinis. Et nihilominus, nisi prædicta gravamina, vel gravamen, sic commissa, vel commissum, infra octo dies, dicti, reus sive rei, revocaverint cum effectu, & emendam condignam fecerint realiter & de facto, ipsos vel ipsum, qui illud, vel illa perpetraverint, seu perpetraverit, & eisdem dantes auxilium, consilium, vel favorem, auctoritate præsentis Concilii decernimus & volumus incurrere sententiam excommunicationis ipso facto. Ad cujus sententiæ publicationem juxta dictam Constitutionem Concilii Sylvanectensis procedatur, altero mandato nullatenus exspectato. Tenor vero hujusmodi partis Concilii Sylvanectensis, contrâ dictos occupatores editæ, noscitur esse talis:

STATUIMUS, ut si Dominos temporales, eorum Servitores, aut aliam personam, pia bona Ecclesiarum, Monasteriorum, locorum Religiosorum, Hospitalium, aut aliorum locorum, aut personarum Ecclesiasticarum invadere, rapere, vel occupare contigerit, & hoc Judici ordinario locorum eorundem, vel Decano rurali, seu Curato Parochiali manifestum fuerit per evidentiam facti, & de hoc eisdem constiterit evidenter; si quidem persona invadens, occupans, vel rapiens, quæ per se, vel per alium, ipsa mandante, præmissa perpetraverit, vel perpetrata nomine ipsius rata habuerit, vel Dominium, vel jurisdictionem temporalem habeat in loco invasionis, occupationis vel rapinæ, donec spoliato restituerit, vel eidem satisfecerit competenter, ibidem & in domo raptoris, invasoris, vel occupatoris (dum tamen sit Dominus temporalis loci, vel jurisdictionem habeat ipsius) cessetur a Divinis penitus: nec non & in loco, ubi res invasa, vel occupata detinebitur: & etiam in locis, in quibus invadens, vel occupans extiterit, licet ibi domicilium, vel jurisdictionem non habeat temporalem. Sed in his ultimis duobus casibus, quando res occupatæ, seu occupator, vel raptor, ibidem erunt, & detinebuntur, tam diu cessetur a Divinis. Si vero persona invadens, rapiens, vel occupans privata fuerit, vel jurisdictionem non habuerit, liceteam exerceat nomine alieno, in quo vel invasa, vel occupata extiterit, in loco, ubi persona invadens vel occupans extiterit, & in loco, ubi invasa detinebuntur: solum quamdiu ibi erunt res prædictæ, vel prædones, & non ultra, similiter cessetur a Divinis: nec non & in loco domicilii ipsius (dum tamen dominium loci, vel jurisdictionem habeat temporalem) donec (ut prædictum

ctum eſt) ſpoliatæ res, quibus ſpoliatæ fuerant, integre fuerint reſtitutæ, vel ipſis de eisdem fuerit ſatisfactum. Salva tamen in omnibus moderatione Decretalis : *Alma mater.* Porro ne delictum raptoris in propria perſona remaneat impunitum, volumus, ut ſi infra octo dies a tempore ceſſationis indictæ contra eum, res per ipſum invaſas non reſtituerit, cui tenetur, ex tunc incurrat ſententiam excommunicationis ipſo facto : ad cujus ſententiæ proclamationem contra ipſum procedatur, altero mandato nullatenus exſpectato : a qua non abſolvatur, niſi prius Eccleſiæ Parochiali, dicti loci, de ſuo intereſſe ſatisfecerit competenter. Et ne aliqui, obtentu hujus Conſtitutionis, calumnioſe occupationem, vel invaſionem prætendant, ſtatuimus, ut ſi aliqui reperti fuerint, ceſſationem a Divinis, contra aliquem indebite procuraſſe, per Ordinarios locorum, ad expenſas legitimas, nec non ad intereſſe partis, ſine juris diſpendio condemnentur, & alias graviter puniantur.

Concilium Novionenſe.

CÆterum, quia tanta perſonarum prædictarum delicta remanere non debent impunita ; volumus, & ordinamus, reos prædictos perſonaliter fore citandos, ad certam diem, quam Ordinarius loci, juxta perſonarum qualitatem, & locorum diſtantiam duxerit arbitrandam pro tantis & talibus excellibus, correctionem debitam ſecundum eorum demerita recepturos, &, quod juſtum fuerit, reſponſuros : verum quia propter auſteritatem & immoderatam potentiam aliquorum Dominorum temporalium, & Judicum ſæcularium antedictorum, Nuntii dictarum Curiarum, de factis præteritis perterriti, veriſimiliter dubitantes de futuris, terras, vel diſtrictus eorundem pro perſonis aliquibus, & præſertim pro dictis Dominis, & eorum Judicibus, aut ſervientibus citandis, adire non ſunt auſi, propter metum corporis, vel membrorum. Nos volentes contra tales morbos peſtiferos, prout eſt nobis poſſibile, de ſalubri remedio providere : Statuimus auctoritate noſtri Concilii, & etiam ordinamus; dictas citationes, ad perſonas dictorum reorum citandorum, ſi commode valeant apprehendi, alioquin ad eorum domicilia, vel publice in Eccleſia Parochiali dicti loci, dum tamen ſecure & absque periculo poſſit haberi acceſſus, fore faciendas, alioquin videlicet, ut Nuntii dictarum Curiarum, tute vel ſecure, ad dictos reos, vel eorum domicilia, ſive loca, vel ad Eccleſias prædictas non poſſent accedere, vel auderent, auctoritate, qua ſupra, decernimus, dictas citationes, monitiones, & proceſſus, cum debito temporis intervallo publice fieri in Conſiſtorio, vel Curia Ordinarii dicti loci, & publice in Eccleſiis Cathedralibus fiant citationes ſupradictæ, vel ad valvas Eccleſiarum Cathedralium, aut alio loco eminenti & patenti, ſcedulæ, vel literæ citationum publice affigantur, ut veriſimiliter poſſint citationes, & proceſſus inde ſequuti, ad citatorum, vel citandorum notitiam pervenire: volentes, citationes & proceſſus hujusmodi tantam efficaciam obtinere, ſicut ſi perſonæ propriæ dictorum reorum forent apprehenſæ.

Nota de aggravatione ceſſus:

Statuentes ulterius, quod ſi dicti rei prædicta gravamina cum effectu non revocaverint : ſi per quindecim dies a tempore ceſſationis, contra ſic interdictæ perſonæ dictum ceſſum ſuſtinuerint, absque eo, quod dicta gravamina fuerint per ipſum inferentem totaliter revocata, ac etiam damnorum reſtitutio & emenda propter hoc realiter facta Judici Eccleſiæ, & etiam parti læſæ, quod prædictus ceſſus totaliter aggravetur ; quod in loco, ſive locis, ubi ſic ceſſabitur, corpora quorumcunque defunctorum, nec corpora totaliter delinquentium decedentium, etiam ſi fuerint abſoluti, in locis prædictis, vel aliis noſtræ Remenſis Provinciæ (niſi de licentia & aſſenſu Dioceſani loci, ubi gravamina ſupradicta fuerint perpetrata) non tradantur Eccleſiaſticæ ſepulturæ. Corpora vero Clericorum, qui cauſam, vel occaſionem in præmiſſis non dederint, ſine pulſatione campanarum tumulentur,

tur, etiam in locis prædictis, in quibus dictus ceſſus obſervabitur : Matrimonia non ſolennizentur, nec mulieres poſt partum ad purificationem admittantur. Quod ſi Domini temporales, in quorum dominio, vel diſtrictu dicta gravamina, vel aliquod eorundem illata extiterint, vel illatum, ad reparationem dictorum gravaminum per eos, aut eorum Judices, ſeu miniſtros, ut præfertur, damnorum reſtitutionem & emendam competentem, propter hoc realiter faciendam, infra quindecim dies a tempore ceſſationis prædictæ, taliter, ut præfertur, aggravatæ non fecerint; ſed dictam ceſſationem, per dictos quindecim dies animo ſuſtinuerint indurato: hoc Sacro approbante Concilio, concorditer ordinamus, quod eorum terra, quam in Dioceſi (qua gravamen fuerit perpetratum) obtinebunt, Eccleſiaſtico ſubjaceat interdicto: donec eos ad prædicti gravaminis reparationem realem, damnorum reſtitutionem, & emendam condignam Judici ordinario dicti loci, Eccleſiæ, ſeu parti læſæ conſtiterit pervenisſe : ſalva tamen in omnibus Conſtitutione, quæ incipit : *Alma mater.* Prædictis omnibus ſic delinquentibus pœnas alias, tam a jure, quam a Sedis Apoſtolicæ, Legatorum, & Conciliorum Provincialium Conſtitutionibus contra tales appoſitas & promulgatas, nihilominus incurſuris. Eos autem, qui prædictas ſententias incurrerint, faciant Ordinarii per ſuas Civitates & Dioceſes publice nunciari. Item ordinamus, quod perſonæ Eccleſiaſticæ diffidationes non faciant, prava conſuetudine, quam quidam allegant in contrarium, non obſtante. Contrarium vero facientes, ſententiam excommunicationis incurrere decernimus ipſo facto. Eccleſiaſticæ perſonæ diffidare non debent. Diffidantes autem ipſas perſonas Eccleſiaſticas, & diffidationes jam factas proſequentes, etiamſi laici fuerint, eandem ſententiam incurrere volumus ipſo facto. Item hoc Sacro approbante Concilio ordinamus, & volumus per ſingulas Eccleſias cujuslibet Civitatis & Dioceſis, tam Collegiatas, quam Ordinarias, quod uſus Divini Servitii, in modo officiandi, & qui in Eccleſiis Cathedralibus obſervari conſuevit, & teneri, inviolabiliter obſervetur : quia conformare ſe debent officio Cathedralis Eccleſiæ. Item aliqui Domini temporales, multotiens occaſione quæſita, ſuis ſubditis inhibent, & defendunt, ne ipſi quicquam vendant Clericis, vel Eccleſiaſticis perſonis, ſeu aliquid emant ab ipſis, & ne aliqui eorum terras colant, aut alias cum eis communicent : propter quod, ſententiam excommunicationis incurrunt ipſo facto. Præcipimus tales excommunicatos publice nunciari. Item Judices ſæculares, qui pro detentione Clericorum ab ipſorum Ordinariis pro dictorum Clericorum reſtitutione eis facienda, Canonice fuerint requiſiti, ſeu moniti; ſi dictos Clericos recepta pecunia, vel alias malitioſe abire permiſerint, dictis Ordinariis reſtitutione non facta, excommunicationi ſubjaceant ipſo facto. Item, ſicut audivimus, in multis Villis noſtræ Provinciæ Joculatores, ſive Hiſtriones, de novo candelas cereas tanquam res ſacras deferunt, & nituntur proceſſionaliter portare, & dictas candelas, tanquam res ſacras, adorare, populum ad idololatriam inducendo: Quod nos de cætero prohibemus, injungentes diſtricte Ordinariis locorum, quatenus dictos Hiſtriones, ſeu Joculatores, & eorum fautores taliter puniant, & compellant ceſſare a dictis idololatriis, & ab eisdem conſimilibus, quod cedat aliis in exemplum. Excommunicati ſunt tales Concilio Compendienſi. Item volumus & ordinamus, quod Clerici, qui injunctas peregrinationes, vel pœnas a laicis Judicibus latas ſponte peregerunt, vel qui emendas pecuniarias pro exceſſibus eisdem impoſitis ſponte perſolverunt, graviſſime puniantur. Item Mendicantes, Curati, & alii Verbum Dei proponentes, populum moneant, & hortentur, informent, & inducant ad decimas perſolvendas, intimantes eisdem, quod niſi decimas perſolverint, interdicetur eis ingreſſus Eccleſiæ, & carebunt Eccleſiaſtica ſepultura. Et licet prædicti Mendicantes hoc facere teneantur, volumus tamen, quod, quotiescunque prædicabunt, hoc faciant ſine fraude, alias non habeant poteſtatem abſolvendi

di de Caſibus Epiſcopis reſervatis. Et maxime in dictas decimas retinentes, dictam poteſtatem Dioceſanis ſpecialiter reſervamus. Item cum facultas probationum non debet anguſtiari, decernentes ordinamus, quod Capitula compoſitiones inter Prælatos & Epiſcopos, ac etiam privilegia, vel alia inſtrumenta (cum neceſſitas id exegerit) dictis Prælatis, pro cauſis eorum exhibeant ſine fraude, & econtra Prælati faciant Capitulis pari forma. Item ſtatuimus injungentes omnibus Decanis, Capitulis, & Judicibus Eccleſiaſticis, in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus Clericos & Canonicos ſibi ſubditos moneant, ut incedant in tonſura & habitu congruis & decentibus, eosdem ad hoc per ſubtractionem diſtributionum, & alias Canonice compellentes. Item inhibemus omnibus Presbyteris & perſonis Eccleſiaſticis, ne miracula, quæ de novo dicuntur evenire, in ſuis locis vel Eccleſiis ſolennizent, Ordinario ſuper hoc inconſulto.

Nota excommunicatos Judices laicos, qui auferunt Tonſuram Clericis per eos detentis.

Item quod nonnulli Domini temporales, & Judices ſæculares, ſeu eorum miniſtri, cum Clericos quandoque pro exceſſibus aliquibus de facto ſibi impoſitis capiunt, & detinent, veſtes Clericales & tonſuram auferunt, aut utrumque, crines eorum radendo, aut radi faciendo, veſtesque radicatas dictos Clericos induendo: ipſos omnes & ſingulos, cum eorum fautoribus, præſtantibus auxilium, conſilium, & favorem in præmiſſis, volumus ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrere. Item Laici ſe fingentes Clericos fraudulenter, tonſuram Clericalem propria auctoritate, immo verius temeritate, aſſumentes, excommunicationis ſententiam cum ſuis participantibus incurrunt ipſo facto. Item, cum (ſicut intelleximus) quidam Domini temporales, eorum Judices, & laicalem juſtitiam exercentes, Conſtitutioni Sylvanectenſi fraudem facientes, quandoque Clericos, vel eorum bona detinent, pro ſua temeraria voluntate, & ante octavam diem illos reddunt, ut ſic Eccleſiarum Curati, absque Ordinarii mandato, organa Divinæ laudis reſumant, ut excommunicationis ſententiam dicantur evitaſſe, quam poſt illos octo dies ipſo facto incurrentes, reſumptis Divinæ laudis organis, iterum dictos Clericos capiunt, ſeu eorum bona ſaiſiunt pro cauſis eisdem, pro quibus ipſos ipſi primi tenuerant: quod eſt in illuſionem dictæ Conſtitutionis, atque fraudem. Statuentes igitur decernimus, quod qui perpetraverint talem fraudem, excommunicationis ſententiam incurrant ipſo facto.

XLVII. De Promotoribus.

CÆterum, quam plurimorum Dominorum & Judicum quorumcunque ſæcularium, gravem querimoniam accepimus, continentem, quod nonnulli Promotores Curiarum Eccleſiaſticarum, & etiam Procuratores, ad exceſſus eorum, homines & ſubditos, ac burgenſes, varia & diverſa crimina & exceſſus, exquiſitis coloribus fictis eisdem imponendo, non ſolum corporibus propriis, & cum gravi ſcandalo, eos damnificant, & fatigant, ſed etiam cum magnis, & graviſſimis ſumptibus, & expenſis; Nobis ſupplicantes, ut vellemus circa hæc de remedio opportuno providere. Nos vero attendentes fore rationi contrarium, ut exinde naſcantur injuriæ, unde deberet juſtitia provenire, ſtatuimus: quod de cætero nullus Promotor, aut Procurator ad exceſſus aliquem citari faciat, aut procuret contra eum ſuper aliquo crimine, vel exceſſu, & præſertim tali, ratione cujus perſona ipſius citati poſſet inpoſterum denegari, ſeu ſcandalum contra ipſum oriri, niſi veriſimiliter videatur eisdem, quod juſtam cauſam habeant procedendi contra tales: ſuper quo eorum conſcientias oneramus. Et ad hoc cum ad dictum officium aſſumuntur, per juramentum aſtringantur; nec tunc etiam ultra primam citationem, procedatur per eosdem, Officiali loci ſuper hoc inconſulto.

XLVIII. De Procuratoribus.

ITem quia Procuratorum cæcitas, & vorago, adeo pullulavit, quod nullis injuſtis, vilibus, ſeu minimis cauſis immoderatam multitudinem ſumptuum, & expenſarum lupina crudelitate cumulare ceſſat: Nos dictorum Procuratorum calliditatibus (prout eſt nobis poſſibile) obviare volentes: injungimus omnibus & ſingulis Judicibus ordinariis, quatenus ipſi provideant diligenter, præcavendo, ne dicti Procuratores Curiarum, ac literarum Portitores, ſumptus & expenſas immoderatas faciant, ut eſt dictum, ſed ipſi Ordinarii taliter provideant, more Patrum, quod ipſorum ſubditi malitioſis cupiditatibus talium indebite non vexentur: injungentes, & diſtricte præcipientes Officialibus, & aliis Eccleſiaſticam jurisdictionem exercentibus, nec non Decanis ruralibus, & Curatis Provinciæ Remenſis, quatenus noſtram Conſtitutionem, ſeu Conſtitutiones diligenter, prout ad quemlibet pertinuerit, exequantur, & obſervent, ac easdem Conſtitutiones per loca Eccleſiarum ſuarum & jurisdictionum publicari faciant, & exequi, ac inviolabiliter obſervari. Datum apud Novionium anno Domini MCCC. quadrageſimo quarto, 26. Junii. Et Nos omnibus & ſingulis Abbatibus, Decanis, Curatis, & aliis perſonis Eccleſiaſticis quibuscunque, Civitatis & Dioceſis Atrebatenſis præcipimus, & mandamus, quatenus has Conſtitutiones Conciliorum prædictorum habeant, ac omnia & ſingula in eis contenta quilibet eorum, prout ad ſuum ſpectat officium, legat, publicet in ſermonibus & Eccleſiis ſuis ſæpe & ſæpius, dum populus convenerit ad Divina, ad finem, quod nullus ignorantiæ cauſam valeat allegare, exequantur inviolabiliter, & obſervent, & Synodalibus Conſtitutionibus adjungere non poſtponant, alioquin Nos etiam præter pœnas in eisdem Conſtitutionibus contentas, eos graviter puniemus, prout cujuslibet negligentia, ſeu contemptus ſuadebit.

XLIX. De Revocatione Gratiarum.

CUm reducimus ad exactæ conſiderationis examen, propter importunitatem potentium, nonnulla frequentius concedi, quæ forent rationabiliter deneganda. Monemus (nec immerito) ut gratiæ maximæ, quæ quandoque, propter importunitatem prædictam, nec non & quandoque ſurreptitie, veritate tacita, & falſitate nonnunquam expreſſa, tam a Nobis, quam a noſtris Vicariis & Prædeceſſoribus, ſeu Vicariis eorundem, in læſionem & præjudicium Eccleſiarum, & diſpendium ſalutis ſubditorum hactenus conceſſæ ſunt, & inpoſterum concedentur, tempore brevi finiantur: quo dicta importunitas impetrantium, ſeu petentium (cum viderint easdem modico tempore duraturas) ab impetratione earundem propenſius compeſcatur. Et ideo hac noſtra Synodali Conſtitutione, provide ac ſalubriter ordinamus: quod omnes gratiæ, de & ſuper non reſidentia conceſſæ, & inpoſterum concedendæ quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis in Dioceſi noſtra beneficiatis: celebrandi in Oratoriis, ſeu Capellis, celebrandique bis in die: audiendi confeſſiones, indulgentias pro quæſtis exponendi: aut quæcunque gratiæ, ſub quacunque forma verborum, quibuscunque perſonis ſæcularibus & Regularibus, mendicantibus, & non mendicantibus, exemptis, privilegiatis, ſeu aliis non exemptis, ad tempus conceſſæ, ſeu inpoſterum, ut dictum eſt, concedendæ durent, & durare intelligantur ſolum a tempore conceſſionis uſque ad Synodum immediate ſequentem: advenienteque Synodo, careant omni robore & firmitate, etiam ſi ad prolixius tempus dictæ gratiæ fuerint ordinatæ: etiam ſi caveretur in eisdem, quod per revocationem generalem, in Synodo faciendam, forent minime revocatæ, familiaribus noſtris, nec non & Dominorum Cardinalium duntaxat exceptis. Quorum gratias per modum conceſſionis, & ad tempus eisdem limitatum valere volumus, hac Conſtitutione edita in contrarium non obſtante. Nullus ergo ſubditorum noſtro-

ſtrorum has Conſtitutiones noſtras Synodales audeat temere violare, nec alias Conſtitutiones, præter iſtas, pro Conſtitutionibus Synodalibus recipere, ſub pœna inobedientiæ, nec non & graviſſimæ ultionis.

Cæterum noſtræ intentionis exiſtit, quod omnes pœnæ contentæ ſeu poſitæ in Statutis Prædeceſſorum noſtrorum, & noſtris, correctis tamen prout ſunt, & ſicut in præſentibus plenius continetur, ſive ſint ſub pœnis ab ingreſſu Eccleſiæ interdicti, excommunicationis, vel pecuniarum, aut alterius cujuscunque conditionis latæ comminatorie, vel ferendæ, vel quovis modo comprehenſæ, eo modo quo ſtatutæ ſunt, ſtent, & habeant roboris firmitatem, & ligent rebelles, & contemptores Statutorum eorumdem: quibuscunque revocationibus per Nos, vel noſtros Vicarios, aut Officialem noſtrum in contrarium factis, vel editis non obſtantibus: præcipientes vobis omnibus & ſingulis, Archi-Diaconis, Abbatibus, Decanis, Curatis, & aliis, ſub pœna quadraginta librarum Pariſienſium in pios uſus convertendarum, quatenus infra tres menſes, a die datæ præſentium computandos, de iſta noſtra revocatione & aliis Statutis conditis, niſi alias habuerint, copiam habeant de eisdem, ne prætextu ignorantiæ quis ſe valeat excuſare.

Anno Quinquageſimo quinto in Sancta Synodo.

Cæterum, quia in quadam noſtra Conſtitutione Synodali, titulo: *de Vita & honeſtate Clericorum*, continetur, quod Clerici conjugati, gaudere non poſſunt privilegio Clericali, niſi veſtes, & tonſuram deferant Clericalem: occaſione cujus nonnulli curioſi de his, quæ non multum impediunt, diſputantes, & contra doctrinam Apoſtoli plus ſapere, quam oporteat, affectantes, aſtruere ſatagunt, & nituntur, conſuetudinem contrariam continentem dictos Clericos conjugatos, foro Eccleſiaſtico, pro exceſſibus commiſſis ab ipſis criminaliter, ſubjacere, ac privilegio Clericali gaudere, licet veſtes non deferant Clericales, dum tamen de titulo doceant Clericatus, per dictam noſtram Conſtitutionem Synodalem fore penitus abrogatam, aut ſaltem per hanc eidem conſuetudini derogatum. Nos conſiderantes conſuetudines eſſe facti & in factis conſiſtere perſæpe, Conſtitutiones non tolli, niſi de ipſis, & per eum, qui eas tollere poteſt, in ipſis Conſtitutionibus fiat mentio ſpecialis, ut unde jus prodiit, interpretatio quoque procedat, declaramus noſtræ intentionis non fuiſſe, neque eſſe, dictæ conſuetudini, perſæpe factam Conſtitutionem in aliquo derogare, neque volumus per iſtam Conſtitutionem, ſeu Statutum Synodale, dictam conſuetudinem laudabilem, & Eccleſiis utilem, per quam res, quæ de facili ad ſui naturam revertitur, in ſtatum priſtinum noſcitur rediiſſe, ſicut nec poſſumus, ullatenus abolere.

L. *De Quæſtoribus & Abuſoribus.*

QUia ex relatione fide dignorum intelleximus, & Nos ipſi experientia certa probavimus in minoribus conſtituti, quod quam plures quæſtores (immo potius mercatores, vel cenſarii) per Eccleſias noſtrarum Civitatis & Dioceſis, pro petendis eleemoſynis accedentes, multotiens eligunt præcipuas & majores Dei, vel Sanctorum Solennitates, & Feſta, vel dies, in quibus Religioſi Verbum Dei populo prædicare, & exponere pro ſalute fidelium hactenus conſueverunt; quando fideles debent Divinis laudibus inſiſtere devotius, & ſpiritualia meditari; nituntur Prædicatoribus hujusmodi ſe præferre, & eos, a prædicatione Verbi Dei pluries deſiſtere coegerunt, etiam inter Miſſarum ſolennia, unde fidelium quies, propter ſcandali materiam, quæ inde conſurgit, per eosdem quæſtores nimium perturbatur: hisque non contenti in ſuarum expoſitione quæſtarum, pro majori parte mendacia & abuſiones, ut decipiant ſimplices, & pecunias a fidelibus ſubtili & fallaci ingenio extorquere valeant, proferunt, errores ſeminant, & inducunt: quorum aliqui in Decretali, quæ incipit: *Abuſionibus*, de Pœnitent. & Remiſſ. in Clementin. ſeriosius continentur, falſaque miracula

Digitized by Google

racula narrant & exponunt : ac Verbum Dei, quamvis neſciant hoc, & ſi ſcirent, tamen interdicitur eis a jure & vetatur, populo prædicant, ſæpeque Sacram Scripturam pervertunt, & multa alia deteſtanda, non ſine magnæ temeritatis audacia, & deceptione multiplici animarum dicunt, & faciunt in offenſam Divinæ Majeſtatis, & ſcandalum plurimorum: idcirco tales abuſiones, per quas Clavium Eccleſiæ auctoritas ducitur in contemptum, & præjudicium animabus fidelium generatur, omnino aboleri, & tam nefarios contemptores, Eccleſiaſticæ animadverſionis mucrone ferire, ut metus pœnæ meta hujus præſumptionis exiſtat, provida deliberatione præhabita, in hac Sancta Synodo, per hanc præſentem Synodalem Conſtitutionem, quam valere perpetuis temporibus volumus, & ſervari, omnibus & ſingulis quæſtoribus, ne unquam deinceps talia facere, vel attentare audeant, aut Verbi Dei prædicationes facere ſolitos, ſeu Divinum Officium impedire, vel perturbare, vel quæſtas ſuas, in quavis Eccleſia, niſi prius noſtras, ſeu Vicariorum noſtrorum literas, ſuper hujusmodi quæſtas eis conceſſas, de data ejudem anni poſt Synodum habuerint, antequam quicquam aliud, quam in noſtris, ſeu Vicariorum noſtrorum literis conceſſis eisdem continebitur, facere, vel exponere, aut aſſerere, omni Verbo prædicationis excluſo, vel aliquem de noſtris ſubditis citari, ſeu vexari facere, alibi quam coram Nobis, ſeu Officiali noſtro præſumant: diſtrictius inhibentes. Et hæc omnia & ſingula ſtatuimus, inhibentes & præcipientes ſub pœnis ſuſpenſionis & excommunicationis latæ ſententiæ in his ſcriptis, & ſub pœna quadraginta librarum Pariſienſium, ſi ſecus egerint, Nobis applicandarum: quas quidem ſententias & pœnas, transgreſſores hujusmodi Conſtitutionis noſtræ, & inhibitionis, declaramus & pronunciamus incurriſſe ipſo facto. Et nihilominus talium literas ſibi conceſſas in dicto caſu revocamus. Curatos, qui quæſtores ipſos ſine noſtris literis, datis poſt Synodum noſtram ejusdem anni, recipere præſumpſerint, pari pœna decernimus puniendos. Præterea noſtræ intentionis exiſtit, quod dicti Quæſtores, ſeu aliqui quicunque pro ſuis quæſtis faciendis inter Miſſarum ſolennia minime recipiantur, & per Curatos minime in hac parte admittantur, exceptis duntaxat Nuntiis Eccleſiæ Atrebatenſis, Sponſæ noſtræ, quibus ob reverentiam Virginis Glorioſæ volumus deferri, & eos inter Miſſarum Solennia recipi de gratia ſpeciali: non alios, cujuscunque ſtatus, vel dignitatis exiſtant, etiam ſi contrarium in conceſſis ſibi literis conceſſum appareret, & caveretur in eisdem, quod admitterentur, non obſtante Conſtitutione Synodali: quia non volumus noſtræ hujusmodi Conſtitutioni derogari. Quam quidem Conſtitutionem noſtram præcipimus diebus Dominicis ſæpe & frequenter publicari, una cum ſupradictis Conſtitutionibus noſtris: ne quis ignorantiæ prætextu, velamen excuſationis aſſumat. Ulterius præcipientes omnibus & ſingulis, qui ad noſtram Synodum venire tenentur, ſub pœna ſuſpenſionis & excommunicationis, nec non 40. librarum Pariſienſium, piis uſibus applicandarum, quatenus has noſtras præſentes Conſtitutiones Synodales, per Nos editas, ſub debitis titulis infra menſem, penes ſe cum aliis Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum in uno libro, ſeu volumine habeant, & in eis libris ſæpe & frequenter legant, ſtudeant, & advertant diligenter: alioqui dictas pœnas non evadent. Nos enim omnia Statuta & Conſtitutiones Synodales, a bonæ Memoriæ Reverendo Patre & Domino, Domino Aginerico, & aliis Prædeceſſoribus noſtris Epiſcopis Atrebatenſibus, recte & ſalubriter editas, ratificamus, approbamus, & etiam confirmamus.

LI. Sequentes Conſtitutiones Synodales per bonæ memoriæ Dominum MARTINUM, Epiſcopum Atrebatenſem, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſorem, fuerunt editæ & publicatæ in Sancta Synodo Atrebatenſi, feria 3. poſt feſtum

Beati Dionyſii, Anno MCCCC. decimo.

QUia negligentia noverca virtutum, & cunctorum genitrix vitiorum, nonnullos in noſtra Dioceſi, (prout facti evidentia demonſtrat, & ad noſtram pervenit proh dolor, notitiam) ſic invaſit Parochiales Sacerdotes, ut jam ſuæ ſalutis immemores eos fecerit Decretorum Sanctorum Patrum, & Statutorum Synodalium temerarios transgreſſores, perverſores Religionis, Chriſtianæ fidei & devotionis orthodoxæ contemptores, ſectatores quodammodo hæreticæ pravitatis, male ſentiendo de Sacramentis novæ legis. Dum Sacroſanctum Corpus Chriſti, pro communione fidelium in ſuis Eccleſiis, ſub ſpeciebus Sacramentalibus reſervatum, adeo negligenter, incaute, immunde, & irreverenter tractant, & conſervant illud, non debite viſitantes, neque renovantes, prout tenentur juxta Concilii Aurelianenſis, & Synodalium Statutorum tenorem, quod præfatæ ſpecies Sacramentales corrumpuntur, pulvifiunt, aut totaliter alterantur, in aliam ſpeciem tranſeuntes: quo caſu deſinit eſſe Corpus Chriſti ſub eisdem, ex quibus abominabilia frequenter generantur: quod cedit in grave Fidei Catholicæ opprobrium, ſcandalum Eccleſiæ, contemptum Sacramentorum, deriſionemque cultus Divini, & ad idololatriam inducit populum Chriſtianum. Nos igitur, quem ſuſcepti regiminis, imo verius Dei amor, fidei & Sacramentorum reverentia & devotio ſolicitat, & compellit, ut illa excludamus (pro viribus) a populis Nobis commiſſis, per quæ detrahitur venerationi Dei, fidei, honori, & reverentiæ Eccleſiaſticorum Sacramentorum; ſana conſcientia præmiſſam negligentiam tolerare non volentes, ſed illi (quantum cum Deo poſſumus) obviare cupientes: Mandamus, in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub pœna ſuſpenſionis, Parochialibus Sacerdotibus noſtræ Dioceſis univerſis, quatenus inviolabiliter obſervent Statutum *de renovatione Euchariſtiæ*, de octavo in octavum diem mentionem faciens, in Capitulo: *de Celebratione Miſſarum*, expreſſum. Adjicientes, quod quilibet Sacerdos, per cujus negligentiam, & incautelam continget pulvifieri ſpecies Sacramentales, alterari, aut corrumpi (ut præfertur) triginta diebus continuis in pane & aqua jejunans, tribus menſibus manebit ab officio ſuſpenſus, cum eadem pœna plecti debeat, etiam ſi nihil horroris exinde contingeret, aut nefandi; niſi per Nos, aut Vicarios noſtros cum eo fuerit miſericorditer diſpenſatum.

Conſtitutio facta in Sancta Synodo, a Reverendo in Chriſto Patre ac Domino, Domino MARTINO, Atrebatenſi Epiſcopo, Anno Domini M.CCCC. decimo.

FIde dignorum relatu multiplici audivimus, quod quidam, titulo alieno, per noſtram Dioceſim pro libito ſuæ voluntatis diſcurrunt, aſſumptis ſecum quibusdam noſtrorum Officiariorum, ut prætextu noſtræ auctoritatis, per hujusmodi aſſumptionem rite agere ea, quæ perperam faciunt, videantur: cum ſine ſtatu, & licentia noſtra ſibi adjungunt, ut eis a noſtris ſubditis melius pareatur, quos in opus noſtri miniſterii per Nos agnoſcunt deputatos, viſitationis, aut alius executionis titulo (ut dicitur) quamvis nulla ſit eis attributa facultas, occaſione ſuæ commiſſionis generalis (ſi quam habent) viſitandi, nec non procuratores recipiendi, ſeu alia exercendi: & quia non omni ſpiritui credendum eſt, & cum teneamur probare, qui, & cur aliqui intrant in noſtrum ovile, an tales ſufficienti auctoritate fulciantur per noſtras literas, aut alio evidenti teſtimonio, noſtris debet ſubditis apparere; præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ ſub pœna ſuſpenſionis, ac decem librarum piis uſibus applicandarum, Abbatibus, Prioribus, Decanis Chriſtianitatis, noſtræ Dioceſis, ac Sacerdotibus Parochialibus univerſis, ne tales ſine noſtro ſpeciali mandato recipiant, aut eis obediant quovis modo: quod ſi ſecus factum fuerit, per quemcunque Nobis, aut Vicariis noſtris

noſtris ſignificent indilate, ut providere poſſimus præmiſſis, prout fuerit juris & rationis.

LII. Statuta Concilii Remenſis Provinciæ, apud Sueſſionem, die Veneris, undecima menſis Julii, anno Domini M. quadringenteſimo quinquageſimo ſexto celebrati.

Univerſis præſentes literas inſpecturis, JOANNES miſeratione Divina Archi-Epiſcopus Remenſis, Joannes Suetſionenſis, Antonius Laudonenſis, Joannes Ambianenſis, & Joannes Sylvanectenſis, Epiſcopi Suffraganei Remenſis Provinciæ, una cum aliorum Suffraganeorum ejusdem Provinciæ abſentium, & Cathedralium Eccleſiarum Procuratoribus, in Concilio Provinciali apud Sueſſionem congregati, aliis omnibus, qui potuerunt, & debuerunt intereſſe, debite convocatis in Domino ſalutem. Cum per longam celebrationis Conciliorum Provincialium intermiſſionem in hac Remenſi Provincia, Status Eccleſiaſticus gravem ruinam, & multiplicia incommoda, ac innumera detrimenta patiatur: vepribus & ſpinis vitiorum per defectum culturæ agri Dominici undique pullulantibus, ac variis oppreſſionibus, & gravaminibus ultra modum adverſus jura, libertates, & auctoritatem Eccleſiæ excreſcentibus, ex quibus Divinus Cultus minuitur, atque in diverſis partibus prophanatur, & ipſius Chriſti Sponſæ ſplendor atque dignitas plurimum denigratur in offenſam Omnipotentis Dei, ad perditionem animarum: Nos in hac Synodo, favente Altiſſimi gratia, congregati, ad reſtaurationem Domus Dei, & ſalutem gregis Dominici, quantum in Nobis eſt, intendere cupientes: Primo ſtatuimus, ut in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus, ac Collegiatis, atque Monaſteriis hujus Provinciæ Remenſis, Divinum ſervitium in cantus prolatione, habituum honeſtate, & aliis ad debitam venerationem Divini cultus pertinentibus, decenter & reverenter, celebretur: cui omnes de Eccleſia debite interſint, Domino ſervientes conformiter ad intentionem Decreti, quod incipit: *Si quis Principem ſæculi* &c. deliberationem in congregatione Bituricenſi dudum ſuper acceptionem ejusdem Decreti, & aliorum celebrata, ad conſuetudines laudabiles ſingularum Eccleſiarum, monentes Decanos, Cantores, & alios, ad quos pertinet, corrigere defectus Chori, ſub obteſtatione Divini Judicii, ac pœnis, per eorum Superiores arbitrandis, perturbantes Divinum Officium, cum fabulationibus, riſibus, aut alias in eo deliquentes & deficientes, diligenter puniant & corrigant. Præcipimus inſuper, & mandamus, hoc inviolabiliter obſervari, ut vagantes per Eccleſiam deambulando, ſeu etiam ſedentes extra Chorum otioſi, ad invicem confabulando tempore Divinorum Officiorum, præſertim dum Matutinorum, Miſſæ majoris, & Veſperarum Officia celebrari contigerit, totius diei immolumentum, tam in pane, quam in diſtributione amittant: & hoc per illos, ad quos pertinet omnino, executione demanderur. Advertantque in ſingulis Eccleſiis Canonici privati, ut tali hora, ſua Capitula tenere incipiant, quod non impediantur ab intereſſendo majori Miſſæ, conformiter ad ea, quæ in prædicto Decreto ſunt ordinata. Tenor vero Decreti (de quo ſupra) ſequitur ſub his verbis: Si quis Principem ſæculi rogaturus, habitu honeſto, geſtu decenti, prolatione non præcipiti, ſed diſtincta, attenta quoque mente, ſe ipſum ad verba ſtudet componere: quanto diligentius, in hoc Sacro loco, Omnipotentem oraturus DEUM, hæc omnia facere curabit? Statuit igitur hæc Sancta Synodus, ut in cunctis Cathedralibus, ac Collegiatis Eccleſiis, horis debitis, non curſim, ac feſtinanter, ſed aſtractim, & tractim, cum pauſa decenti, præſertim in medio cujuslibet verſiculi Pſalmorum, debitam faciendo inter ſolemne & feriale Officium differentiam, reverenter ab omnibus perſolvatur: Horas Canonicas dicturi, cum tunica talari, ac ſuperpelliceis mundis, ultra medias tibias longis, vel cappis juxta temporum, vel Regionum diverſitatem, Eccleſias ingrediantur, non capucia, ſed

almucias, vel bireta tenentes in capite: qui, cum in choro fuerint, gravitatem ſervent, quam & locus & officium exigunt: non inſimul cum aliis fabulantes, ſeu colloquentes, aut literas, ſeu ſcripturas alias legentes, & cum pſallendi gratia ibidem conveniant, muta & clauſa labia tenere non debent; ſed omnes (præſertim, qui majori funguntur honore) in Pſalmis, Hymnis, & Canticis Deo alacriter modulentur. Cum dicitur: *Gloria Patri, & Filio, & Spiritui Sancto*; omnes conſurgant: cum nominatur illud Glorioſiſſimum Nomen, JESUS, *in quo omne genu flectitur cæleſtium, terreſtrium, & infernorum*, omnes caput inclinent. Nemo ibidem, dum horæ in communi publice cantantur, legat & dicat privatum Officium: nam non ſolum obſequium (quo obnoxius eſt) Choro ſubtrahit, ſed alios pſallentes perturbat. Super his debite obſervandis, aliisque ad Divini Officii proſecutionem, ac Chori diſciplinam ſpectantibus, Decanus, vel cui onus incumbit, diligenter invigilet, hinc inde, ne quid inordinate fiat, circumſpiciens. Horum autem transgreſſores, illius Horæ, in qua circa prædicta exceſſerint, vel alia majori (prout transgreſſionis gravitas exigit) plectantur pœna, ſalvis tamen laudabilibus conſuetudinibus, & ſtatutis, ac obſervantiis ſpectabilibus Eccleſiarum ſingularum Regni & Delphinatus. Inſuper mandat & præcipit hoc Sacrum Concilium, ut turpis ille abuſus in alio Decreto, per dictam Congregationem acceptato prohibitus, omnino a ſingulis Eccleſiis, a Monaſteriis quorumque Religioſorum, & Religioſarum hujus Provinciæ extirpetur: quo larvales & theatrales joci, choreæ, mercimonia, negotiationes, & alia, Eccleſiam, Divinum Officium, vel ejus honeſtatem perturbantia, fieri prohibentur. Quodque pœna contra Ordinarios, Decanos, & Rectores, qui talia fieri permittunt, in eodem Decreto contenta, de ſuſpenſione a perceptione omnium proventuum Eccleſiaſticorum per trium menſium ſpatium, etiam in realem executionem demandetur; adjicientes, quod etiam mercimonia & negotiationes intra Eccleſiam fieri nullatenus de cætero permittantur: quodque infra ſepta, ſeu clauſuram Monaſteriorum, tam virorum, quam mulierum, choreæ & tripudia nullo tempore exerceantur per quoscunque; nec enim extra ipſa Monaſteria liceat Religioſis perſonis in quibuscunque locis, præfatas choreas, & tripudia agere. In contrarium facientes, per Superiores eorum debite puniantur. Item Ordinarii & alii Judices, diligenter puniant Clericos, aleæ & ebrietati ſervientes, ac tabernas etiam frequentantes, & acrius eos, qui tempore jejunii hoc faciunt. Et quoniam Domini Epiſcopi, qui cæteris exemplum honeſtatis eſſe debent, & ea, quæ in Divinis Scripturis, & Sacris Canonibus, ac Juribus ſtatuuntur, in ſe ipſis maxime obſervare, ipſi habitus honeſtos ſuperlunaribus amictos, prout jura volunt, tam in ſuis Dioceſibus, quam extra deferant, non nimis breves aut viles, ſed nec nimis curioſos: modeſtiam in inceſſu & verbis habeant: ſintque tales in omni converſatione, quales eos Apoſtolica regula eſſe jubet, & Canonicæ Sanctiones. Hortamur etiam Dominos Epiſcopos prædictos, quatenus in Ordinibus, etiam prima tonſura, conferendis, ad ſervitium Dei & honorem Eccleſiæ vigilanter & diſcrete intendant: talesque ad ipſos Sacros promoveant Ordines, quos & vitæ honeſtas, & idoneitas perſonæ, tam in literarum ſcientia, quam ætate commendent: juxta juris diſpoſitionem, abuſus omnes circa præmiſſa vitantes. Inſuper mandamus, & diſtricte præcipimus, Decretum, per Eccleſiam Gallicanam, Bituris acceptatum, intitulatum: *De Concubinariis*, per totam Remenſem Provinciam, ab omnibus quibuscunque, etiam ſi Epiſcopalis dignitatis, aut alterius præeminentiæ exiſtant, inconcuſſe, & inviolabiliter obſervari: cujus quidem Decreti tenor ſequitur: Quicunque Clericus cujuscunque conditionis, ſtatus, religionis, dignitatis (etiam ſi Pontificalis, vel alterius præeminentiæ exiſtat) qui poſt hujus Conſtitutionis notitiam (quam habere præſumatur) per duos menſes poſt publicationem ejusdem, in Eccleſiis Cathedralibus, quam ipſi Dioceſani omnino facere teneantur, poſt-

poſtquam eadem Conſtitutio ad eorum notitiam pervenerit, fuerit publicus concubinarius, a perceptione fructuum omnium beneficiorum ſuorum, trium menſium ſpatio, ſit ipſo facto ſuſpenſus, quos ſuus Superior in fabricam, vel aliam evidentem Eccleſiarum utilitatem, ex quibus hi fructus percipiuntur, convertat. Nec non & hujusmodi publicum concubinarium, ut primum eſſe innotuerit, mox ſuus Superior monere teneatur, ut infra breviſſimum terminum concubinam dimittat. Quod ſi non dimiſerit, vel dimiſſam, ut aliam publice reſumpſerit: jubet hæc Sancta Synodus, ut ipſum ſuis beneficiis privet omnino. Et nihilominus hi publici concubinarii (uſquequo cum eis per ſuos Superiores, poſt ipſarum concubinarum dimiſſionem, manifeſtamque vitæ emendationem fuerit diſpenſatum) ad ſuſceptionem quorumcunque bonorum, dignitatum, beneficiorum, vel officiorum ſint inhabiles. Qui ſi poſt diſpenſationem, reciduo vomitu, ad hujusmodi publicum concubinatum redierint, ſine ſpe alicujus diſpenſationis ad prædicta prorſus inhabiles exiſtant. Quod ſi hi, ad quos talium correctio pertinet, eos, ut prædictum eſt, punire neglexerint: eorum Superiores, tam in ipſos de neglectu, tam in illos pro concubinatu, modis omnibus digna punitione animadvertant. In Conciliis etiam Provincialibus, Synodalibus, adverſus tales punire negligentes, vel de hoc crimine diffamatos, etiam per ſuſpenſionem a collatione beneficiorum, vel alia condigna pœna ſeveriter procedatur. Et ſi hi, quorum deſtitutio ad Summum Pontificem ſpectat, per Concilia Provincialia, aut ſuos Superiores propter publicum concubinatum reperiantur privatione digni, ſtatim cum proceſſu inquiſitionis ipſi Summo Pontifici deferantur. Eadem diligentia, & inquiſitio in quibuscunque Capitulis Generalibus & Provincialibus, quo ad ſuos, ſervetur, pœnis aliis contra prædictos, & alios, non publicos concubinarios, ſtatutis in ſuo robore permanſuris. Publici autem intelligendi ſunt non ſolum hi, quorum concubinatus, per ſententiam, aut confeſſionem in jure factam, ſeu per rei evidentiam, quæ nulla poſſet tergiverſatione celari, notorius eſt; Sed qui mulierem de incontinentia ſuſpectam, & infamatam tenet, & per ſuum Superiorem admonitus, ipſam cum effectu non dimittit. Quia vero in quibusdam regionibus, nonnulli jurisdictionem Eccleſiaſticam habentes, pecuniarios quæſtus a concubinariis percipere non erubeſcunt, patiendo eos in tali fœditate ſordeſcere; ſub pœna maledictionis æternæ præcipit, ne ſub pacto, compoſitione, aut ſpe alicujus quæſtus, deinceps talia quovis modo tolerent, aut diſſimulent: alioqui ultra præmiſſam negligentiæ pœnam, duplum ejus, quod propterea acceperint, reſtituere ad pios uſus omnino teneantur. Ipſas autem concubinas, ſeu mulieres ſuſpectas, Prælati modis omnibus curent a ſuis ſubditis, etiam per brachii ſæcularis auxilium, ſi opus fuerit, penitus arcere. Quod etiam, a tali concubinatu procreatos filios, apud Patres ſuos cohabitare non permittant. Jubet inſuper hæc Sancta Synodus, ut etiam in prædictis Synodis & Capitulis hæc Conſtitutio publicetur: & quilibet ſuos ſubditos, ad ipſarum concubinarum dimiſſionem moneat diligenter. Injungit præterea omnibus ſæcularibus Viris, etiam ſi Regali præfulgeant dignitate, ne ullum qualecunque inferant impedimentum, quocunque quæſito colore, Prælatis, qui ratione officii ſui adverſus ſubditos ſuos, pro hujusmodi concubinatu procedunt. Et cum omne fornicationis crimen lege Divina prohibitum ſit, & ſub pœna peccati mortalis neceſſario evitandum, monet omnes laicos, tam uxuratos, quam ſolutos, ut ſimiliter a concubinatu abſtineant: Nimis enim reprehenſibilis eſt, qui uxorem habet, & ad alienam uxorem accedit: Qui vero ſolutus eſt, ſi continere nolit, juxta Apoſtoli doctrinam, ducat uxorem. Pro hujusmodi autem obſervatione præcepti, hi, ad quos pertinet, tam ſalutaribus monitis, quam aliis Canonicis remediis omni ſtudio laborent. Et ut nullus, quantumque præfati Decreti prætendere poſſit ignorantiam, jubemus hoc Decretum per Dominos Epiſcopos, & tam Cathedra-

thedralium, quam Collegiatarum Ecclesiarum Capitula, nec non Abbates, & cæteros jurisdictionem Ecclesiasticam habentes, infra duos menses a fine præsentis Concilii numerandos, suis subditis intimari: Et deinde in singulis Synodis Diocesanorum, nec non generalibus quarumcunque Ecclesiarum Capitulis, etiam evocatis ad hoc singulis suppositis earundem, alta & intelligibili voce publicari. Moneant insuper dicti Domini Episcopi, Capitula, Abbates, nec non jurisdictionem habentes, omnes & singulos suos subditos concubinarios notorios generaliter, quatenus infra trium mensium spatium concubinas suas, seu mulieres suspectas, & diffamatas abjiciant & dimittant. Et quoniam nonnulla Capitula Ecclesiarum ad subditorum suorum, de hoc crimine diffamatorum, correctionem minus diligenter hactenus comperimus processisse; unde peccata indies magis foventur, & deterioribus adaugentur incrementis, in grave scandalum Ecclesiastici Status, & perditionem animarum: præcipimus & mandamus omnibus & singulis Ecclesiarum Cathedralium & Collegiatarum Capitulis, ac Præsidentibus in eisdem, sub pœnis ipsorum suspensionis a Divinis, & aliis per suos Superiores arbitrandis, quatenus post supradictorum trium mensium, a tempore præmissæ monitionis generalis spatium elapsum, infra quindecim dies proxime sequentes, contra singulos subditos suos de hoc crimine diffamatos (qui prædictas concubinas suas realiter & cum effectu non dimiserint) procedant via juris, specialiter & nominatim, ad declarandum eos prædictam suspensionem fructuum spatio trium mensium incurrisse, nec non consequenter, ad ulteriores pœnas, juxta tenorem Decreti suprascripti, eisdem infligendas. Et si hoc facere neglexerint, Superiores eorum, ad executionem pœnarum prædictarum contra ipsos negligentes sine dissimulatione procedant, ac etiam Episcopos, & alios quoscunque Ecclesiasticam jurisdictionem habentes, qui in ejusdem criminis punitione negligentes invenirentur, Superiores eorum puniant: de neglectu & in defectu ipsorum, pœnas contra concubinarios supra dicto Decreto positas, cum omni diligentia realiter exequantur. Injungimus universis Episcopis, & aliis jurisdictionem Ecclesiasticam exercentibus, quatenus ad correctionem fornicatorum, & maxime adulterorum publicorum intendant, & invigilent, prout animarum saluti viderint expedire. Monemus omnes & singulos Dominos Episcopos, Capitula, Abbates, & alios jurisdictionem Ecclesiasticam exercentes, quatenus suos subditos Ecclesiasticos, ad honeste & cum habitu condecenti incedendum compellant, tunicas nimium breves, aut in spatulis elevatas, vel capellos, sive pilea in capitibus, seu sotulares, rostratos, vel rubei, cæleſtis, purpurei, viridisve, aut crocei colorum caligas eos deferre, aut ad pilam maxime, usque ad camisiam exutos in theatris, vel locis publicis ludere non permittant: sed potius ea omnia sic indecentia prohibeant: Sacerdotesque, & alios quoscunque Ecclesiasticos, a mercantiis publicis & negotiationibus sæcularibus exercendis præcipiant abstinere. Contra facientes, prout eorum transgressio exegerit, debite puniendo. Item cum in multis partibus Rectores Ecclesiarum Parochialium, adeo modicam provisionem habeant, quod non reperiuntur, qui ipsis Ecclesiis deservire velint, quod cedit in grave præjudicium animarum: provideant omnes Prælati, & Patroni, quatenus secundum dispositionem jurium in Capitulo: *De Monachis, de Præbendis in antiquis. & Capitulo, susceptæ Regiminis*, eodem titulo, & in Sexto, & in Clement. id est, de jure patronatus, congrua portio præfatis Rectoribus assignetur, ne pro defectu administrationis ipsarum animarum, prædicti Prælati & Patroni, apud Deum & homines veniant reprehendendi. Item ad obviandum exquisitis & abusivis modis, quibus nonnulli quæstores, pecunias a pauperibus extrahere conantur, contra dispositionem jurium, utentes, seu uti facientes prædicatione Verbi Dei, finem quæstus eorum, ipsam principaliter applicando; Prohibemus quibuscunque Quæstoribus, ne in hac Provincia Remensi prætextu Indulgentiarum, vel alio-

aliorum quorumcunque, faciendo ſuas quæſtas prædicent Verbum Dei. Sed ſolum negotium ſuum verbis planius exponant, vel etiam literas, ſi quas habeant, legant, ſeu legi faciant: & ſi forſan aliqui Doctores, vel alias, qui ad prædicandum idonei cum ipſis venerint, & prædicare velint, nihil in ſuo ſermone quæſtuoſum exponant, & contra eos ſervetur Cap. *Cum ex eo.* & Clement. *Abuſionibus. de Pœniten. & Remiſſione.* Noſtramque præſentem prohibitionem Ordinarii locorum faciant diligenter obſervari. Item quia ex inordinata multitudine Religioſorum, qui ad confeſſiones audiendas deputantur, plurimum utriusque ſexus nimia libertate utentes, pro libitu ſuo, quibus volunt, confitendi & abſolutionem obtinendi, præſertim in caſibus reſervatis, audaciores ſunt ad graviora peccata perpetranda; admonemus omnes Epiſcopos hujus Provinciæ, quatenus juxta formam Clementinæ: *Dudum.* & Decretal. *Supra Cathedram.* in eadem inſertæ, perſonis taliter qualificatis, & in tali numero ex Conventibus Religioſorum mendicantium, licentiam audiendi confeſſiones concedant, ſicut in prædicta Decretali continetur. Et illis non ita indifferenter Caſus Epiſcopales concedant, ſicuti hactenus in multis Dioceſibus fieri conſuevit. Sed ubi neceſſitatem viderint, aliquos Caſus particulariter concedendi, cum tanta diſcretione hoc faciant, ut per hoc non detur ſubditis occaſio liberius ad peccata & crimina graviora prorumpendi. Item licet in antiquis juribus ſalubriter inſtituta fuerint tempora, in quibus non debent Matrimonia celebrari, tamen nonnulli per abuſum, in hujusmodi temporibus prohibitis, contra ipſorum jurium intentionem, feſta & convivia, choreas & tripudia, tanquam pro ſolennizatione ipſorum Matrimoniorum exercent. Inhibemus, ne de cætero in prædictis temporibus, neque etiam die Trinitatis talia fiant, & intereſſentes talibus conviviis, & feſtis per Ordinarios debite corrigantur, & gravius Eccleſiaſtici, ſi talibus interfuerint. Inſuper præcipimus, quod aliis temporibus Matrimonia non fiant in domibus, ſed tantum in Eccleſiis, ac hora competenti, & die clara celebrentur, advertantque Domini Epiſcopi, ne ſuper bannis, ante Matrimonium fiendis, ſine cauſa rationabili diſpenſent. Præterea Conſtitutiones Conciliorum Provincialium, tempore bonæ memoriæ Dominorum Roberti de Cathenayo apud Sylvanectum, Anno Domini Milleſimo trecenteſimo quadrageſimo quarto, tam ſuper libertate, jurisdictione, & immunitate Eccleſiarum, & Eccleſiaſticarum perſonarum, ac pœnis contra perturbatores earum, quam ſuper reformatione morum editas laudamus, approbamus & ratificamus, & quantum opus eſt, hujus præſentis Concilii Decreto renovamus: Mandantes, ut deinceps in noſtra Provincia, ſerventur & executioni demandentur. Cæterum, & ſi contra Dominos ſæculares, Eccleſiaſticam jurisdictionem impedientes, excommunicationis & aliæ pœnæ per dicta Statuta Provincialia ſint adjectæ, tanto magis in Eccleſiaſticos, qui eandem jurisdictionem Eccleſiaſticam non ſolum non impedire, ſed & promovere, & exaltare tenentur, locum habere debent: idcirco ſub excommunicationis pœna, & aliis, in prætactis Conciliis Provincialibus, declaratis pœnis, univerſis & ſingulis Prælatis, & Eccleſiaſticis perſonis, totius Provinciæ Remenſis, cujuscunque dignitatis, ſive præeminentiæ exiſtant, prohibemus, ne in terris, quibus ad eos & eorum Eccleſias, Monaſteria, & dignitates jurisdictio temporalis pertinet, directe vel indirecte, quovis quæſito colore, tacite vel expreſſe, per ſe, vel alios, prohibitiones fiant, aut per alios quoscunque Judices, vel Officiarios temporales fieri procurent; ſubditis ſuis Judicibus Eccleſiaſticis, vel aliis quibuscunque aut pœnas, minas, vel terrores adjiciant, quominus in terris hujusmodi, in ſuo dominio temporali ſubjectis, citationes, monitiones, & mandata Curiarum Eccleſiaſticarum, etiam in perſonalibus actionibus, & alias libere poſſint executioni demandari. Et ſi hactenus tales prohibitiones fecerint, aut minas, aut terrores incutiant, infra unum menſem a die publicationis præſentis Statuti, in ſingulis Dioceſibus, quam Ordinarii diligenter facere tenean-

antur, ſub eadem pœna, publice revocent, aut faciant revocari. Item, quia nonnulli, tam Clerici, quam Laici, ſentientes, ſe ſuper ſuis exceſſibus, delictis ſeu debitis, coram Judice Eccleſiaſtico eſſe citatos, de ſuæ cauſæ juſtitia diffidentes, ad Dominorum temporalium, ſeu Officiariorum, aut ſervitorum eorundem potentiam recurrunt, literasque comminatorias, aut minas verbales impetrant, & armatos adducunt, & alias faciunt, quia timor tam Judicibus, quam Officiariis ſuis, ac partibus incutitur, unde non modicum Eccleſiaſtica jurisdictio perturbatur & læditur: Prohibemus ſub pœna excommunicationis: ne Clerici, vel Laici, coram Eccleſiaſtico Judice tracti, armatos adducant: literas comminatorias, ſeu minas verbales hujusmodi, aut alia quæcunque impetrent, vel procurent, unde directe vel indirecte Eccleſiaſtica jurisdictio aliquatenus valeat impediri. Item ſtatuimus, quod in cauſis, ſummam duorum Francorum monetæ loci non tranſcendentibus, libellus inſcriptus non admittatur, & in talibus tanquam minimis, ad diſcretionem Judicum ſummarie de plano procedatur: qui tam in his, quam aliis, omnes frivolas dilationes ſtudeant reſecare. Et ut Religioſæ perſonæ Deo dicatæ, ſicut præ cæteris diſtrictius Domino votis ſolennibus mancipantur, ſic earum vita, & converſatio honeſte refulgeat, & aliis bene vivendi propitium indicent exemplum; ſtatuimus & ordinamus: quod omnes & ſinguli Abbates, Abbatiſſæ, Priores, & Præpoſiti quorumcunque Monaſteriorum, Ordinum Sanctorum Benedicti, & Auguſtini, Provinciæ Remenſis, tam in ſe, quam in ſuis Religioſis, & ſubditis, omnem evagandi, levitatisque materiam evitent, & faciant evitari. Jejunia ab Adventu uſque ad Feſtum Nativitatis Domini, & a Septuageſima uſque ad Feſtum Sancti Paſchæ, abſtinentiamque ab eſu carnium, ſingulis quartis feriis, totius anni, tam in publico, quam in privato diligenter obſervent. Computa & rationes præſentibus Religioſis reddant, in veſtibus & habitibus, juxta ſuorum ordinum obſervationem, ac in geſtibus & verbis honeſtatem & gravitatem gerant. Zonas argenteas, ſotulares laqueatos, breves tunicas, & alia, quæ vanitatis pompæ indicia ſunt, evitent. Religioſos, ſine quæſtu pro ingreſſu Religionis recipiant ſecundum Canonicas Sanctiones: Novicios, & alios in cultu Divino & Sacrarum lectione Scripturarum inſtrui faciant. Regulas ſuorum Ordinum, juxta limitationem Conſtitutionis, fœlicis recordationis Domini Benedicti Papæ XII. circa Reformationem Religioſorum eorundem Ordinum editas, & appoſitas teneant. Quas Conſtitutiones ſinguli Abbates, Abbatiſſæ, Priores, & Præpoſiti, prout ſunt editæ, in vulgari expoſitas juxta ſui Ordinis qualitatem, ſaltem ter in anno legere teneantur, habitusque ſuarum Religionum non deſerant: apoſtaſiam (cui excommunicationis ſententia ipſo facto annectitur) prorſus evitent. Maxime vero Religioſi mulierum, & Religioſæ virorum frequentationem & conſortia effugiant, ac alias juxta ſuorum Ordinum laudabilia conſtituta, ac Sanctorum Patrum Decreta, nec non Canonicas Sanctiones vivere ſtudeant. Ita ut ſervitium exhibeant Deo gratum, ac ex eorum bona converſatione, cæteri valeant ad honeſtatis & munditiæ zelum fervencius incitari. Mandantes univerſis eorundem Abbatum, Abbatiſſarum, Priorum, & Præpoſitorum Superioribus, quatenus ipſos, ad præmiſſorum obſervationem (ſi aliquatenus defecerint) via juris vigilanter coerceant: Et nihilominus dicti Religioſi, Capitula ſuorum Ordinum obſervent, dictis aliis Statutis Provincialibus, circa præmiſſa omnia & ſingula in ſuo robore permanſuris. In quorum omnium & ſingulorum teſtimonium & munimen, Nos Archi-Epiſcopus, & Epiſcopi præfati, literis præſentibus ſigilla noſtra duximus apponenda. Datum Sueſſione Anno Domini M.CCCC.LV. Indictione tertia, menſis vero Julii die Veneris undecima: Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Dni Calixti, Divina Providentia Papæ tertii, anno primo.

FINIS.

Sequun-

Sequuntur Abbates, Abbatiſſæ, Capitula, & alii, qui intereſſe tenentur in Synodo Atrebatenſi.

Abbas Aquiſcinctenſis.
Abbas montis S. Eligii.
Abbas Ayulcurtenſis.
Abbas de Hyniaco.
Abbas de Viconia.
Abbatiſſa de Strumis.
Abbatiſſa de Avennis.
Abbas de Femy.
Abbas de Nongento.
Abbas S. Amandi in Pabula.
Abbas in Blangiaco in Terneſio.
Abbas S. Andreæ de Caſtello in Cameraceſio.
Abbas de Chiſomo.
Abbas S. Auberti Cameracenſis.
Abbatiſſa de Melbodio.
Capitulum Cameracenſe.
Capitulum S. Amati Duacen.
Capitulum Lenſenſe.
Prepoſitus Arietum.
Prepoſitus de Everſen.
Abbas de Arovaſia.
Abbas de Marchienis.
Abbas de Marolio.
Abbas de Hanonio.
Abbas de Caſtro juxta Moritaniam.
Abbatiſſa de Donomo.
Abbatiſſa de Syn.
Abbas de Hamo in Viromandia.
Abbas S. Vincentii Sylvanectenſis.
Abbas S. Nicolai in Boſco.
Abbas de Hem juxta Villers.
Abbas S. Petri de Gandavo.
Abbas Sancti Sepulchri Cameracenſis.
Abbas montis S. Quintini juxta Peronam.
Prior S. Vedaſti Atrebatenſis.
Capitulum S. Crucis Cameracenſis.
Capitulum S. Petri Duacen.
Capitulum S. Bartholomæi Bethunien.
Prepoſitus Yprenſis.
Decanus Lenſenſis.

APPENDIX VARIARUM SYNODORUM ATREBATENSIUM.

Referuntur hæ in citata ſæpe a nobis editione antiqua fere ſub finem Conſtitutionum precedentium: In poſteriore vero, quam ſecuti hic ſumus, pleraque earundem Decreta ad ſuos redacta Titulos, locis opportunis inſerta ſunt, ut mox indicabimus.

Anno Domini M. CCC. quinquageſimo quarto in SANCTA SYNODO.

SUſcepti regiminis nos cura ſollicitat, & inducit, ut utilitatibus ſubjectorum in illis precipue, per que animarum ſaluti conſulitur: nunc ſtatutorum antiquorum & penarum contentarum in iisdem recitatione: nunc penarum aliarum appoſitione & comminatione ſollicite providere curemus. Sed quod dolentes referimus: ad aures noſtras pervenit: quod nonnulli ſtatuta noſtra a juribus Divinis & canonicis ſanctionibus per predeceſſores noſtros & per nos cum maximis penis & laboribus abſtracta habere contemnunt & de novo: & nihilominus qui habent: legere nolunt, & forte neſciunt, & qui ſciunt, non curant alios informare ut debent: in grave damnum & periculum animarum ſuarum & ſcandalum univerſalis Eccleſie ac etiam plurimorum.

Nos volentes ſaluti eorum conſulere meliori modo quo poſſumus & debemus; precipimus & mandamus omnibus, qui tenentur de jure vel conſuetudine in noſtra Sancta Synodo intereſſe: licet ſepe & pluries ſit preceptum ab antiquis noſtris predeceſſoribus, & etiam a nobis: quatinus Statuta portent Synodalia: & ea diligenter legant: tam Archidiaconi: Abbates, Priores, Decani, Curati & ceteri univerſi. Scientes, quod anno futuro, & aliis ſequentibus: annuente Domino tam per Abbates, quam per alios ſingulariter prout nobis viſum fuerit, palam & publice in Synodo legi faciemus. Et contra non habentes ea, aut

Digitized by Google

legere neſcientes, aut nolentes, juxta penas in eis contentas, & alias prout fuerit rationis graviter procedemus, & ut ad preſens pauca de multis, in quibus forte magis delinquitur in noſtra Dioceſi eliciamus. Idcirco aliqua legemus ad que attendatis, & diligenter advertatis.

Sequitur deinde Confirmatio pœnarum, a Prædeceſſoribus, Epiſcopis Atrebatenſibus latarum. Cæterum noſtræ intentionis exiſtit &c. *quod Statutum vide ſupra ſub Titulo XLIX. De revocatione Gratiarum. pag.* 298. *Huic ſubjungitur:*

* * *

Anno Domini M. CCC. Quinquageſimo quinto in SANCTA SYNODO.

Cæterum, quia in quadam noſtra Conſtitutione Synodali, Titulo *de Vita & honeſtate Clericorum*, continetur, quod Clerici &c. *Vide ſupra ead. pag. jam cit.*

* * *

Additiones factæ Anno M. CCC. Sexageſimo quarto.

AD noſtrum pervenit auditum quod quamplures noſtri ſubditi Sacerdotes: magnam negligentiam, & periculoſum defectum committunt circa formam abſolutionis eorum: quorum audiunt confeſſiones. Nam aliqui ſolum utuntur verbis deprecativis, dicendo abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi Omnipotens & Miſericors Dominus Amen. Alii dicendo ſolum: Miſereatur &c. & abſolvat te Omnipotens Deus. & non addunt Abſolvo te de omnibus peccatis tuis. Nec utuntur aliquibus verbis indicativis. Abſolvo te a peccatis tuis de quibus contritus es & confeſſus. Et hoc modo non abſolvunt non contritum, & tamen tenent Doctores, quod virtute Sacramenti de attrito cito fit contritus: etiamſi aliquis omittat aliqua confiteri non per negligentiam: ſed ea ſit paratus confiteri: ſi occurrerent ſue memorie: ſi abſolvatur in debita forma: remanet abſolutus. licet ea non confiteatur de preſenti proponens ea confiteri, quando ad ſuam memoriam reducentur. Item licet excommunicatus minori excommunicatione pro participatione cum excommunicatis non ſit ſuſceptivus Sacramentorum: immo ſeparatus eſt a perceptione Sacramentorum ut in Capitulo. *Si quem.* de ſententia excommunicationis. Nihilominus ligatum excommunicatione minori dicti Sacerdotes abſolvunt a peccatis, antequam abſolverint ab eadem excommunicatione, cujus abſolutionis peccator non eſt capax. Ideo ut talibus defectibus & periculis obviemus, volumus & ordinamus, quod omnes ſubditi noſtri Sacerdotes: forma abſolutionis (que ſequitur) de cetero utantur: & nullatenus obmittant: & ponant eam per modum additionis in ſuis Conſtitutionibus Synodalibus ſub titulo de Sacramento Confeſſionis. Ita quod poſtquam audita confeſſione dixerint verba, que conſueverunt dicere, videlicet Abſolutionem & remiſſionem. Aut illa verba. Miſereatur tui Omnipotens Deus, aut conſimilia: nullatenus in fine obmittant dicere ſic: Auctoritate qua fungor ego abſolvo te a ſententia minoris excommunicationis, ſi quam incurriſti, pro participatione cum excommunicatis, & a peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti Amen. Et ſciant illam formam cordetenus. Et Decani ſint diligentes in diebus in quibus tenebunt ſua capitula particularia de Sacerdotibus inſtruendis & examinandis ſuper dicta forma: & maxime quos conſtiterit, ſeu contigerit de novo ordinari.

Addatur in Titulo de Mandatis Curiæ.

Item cum fides Literis ex appenſione ſigilli habeatur &c. *Additionem hanc vide ſupra pag.* 282.

Subnectitur Statutum de Sepulturis: Statuimus, quod dicti Curati Civitatis &c. *quod vide ſupra ſub Tit. XXVI. de inhumatione Corporum. pag.* 277.

Sub finem additur:

Item quod ſinguli Decani in Synodo legant nomina Curatorum in ſuo Decanatu defunctorum, & quod dicant ibidem: *De profundis.* cum oratione: *Fidelium*, pro hujusmodi defunctis.

* * *

Con-

Digitized by Google

Conſtitutiones Synodales per Reverendum Patrem D. PETRUM MANSUERII,(*) Utriusque Juris Doctorem excellentiſſimum Epiſcopum Atrebatenſem. Anno Domini Milleſimo trecenteſimo ſeptuageſimo quinto, edite & publicate in Synodo Atrebatenſi: per eundem Reverendum Patrem in Eccleſia Atrebatenſi celebrata.

Primo de Sacramento Confeſſionis.

PRoborum relatione didicimus, quod in pluribus villis & locis noſtrarum civitatis & Dyoceſis ſunt quamplures Clerici & ſeculares, qui immemores ſalutis eterne: nedum per annum ſine confeſſione: immo per duos vel tres: alii per ſeptem annos & amplius in gravem contemptum hujusmodi Sacramenti: & etiam a perceptione Eucariſtie ſine conſilio proprii Sacerdotis abſtinuerunt. Idcirco cum per tales: Eccleſiaſtica Sacramenta & præcepta vilipendantur. Nos pene exaggeratione adjecte volentes eos compelli ad viam ſalutis eterne redire: tales preter alias penas que in dicto Statuto exprimuntur: excommunicatos pronunciamus: diſtricte precipientes omnibus eccleſiarum rectoribus: quatinus hujusmodi contemptores in ſuis eccleſiis denuncient in generali & publicent excommunicatos auctoritate noſtra: ſingulis diebus dominicis & feſtivis: nec in talium excommunicatorum preſentia, ſcienter celebrent: eosque non abſolvant: nec recipiant ad eccleſiaſticam ſepulturam. Hocque & idem precipimus de omnibus & ſingulis, qui noſtram jurisdictionem turbaverint, ſeu impediverint, aut ad impediendum dederint conſilium, ſeu juvamen. Prohibentes omnibus Presbyteris: ne tales absque noſtre Curie licentia ſpeciali abſolvant: quia talium abſolutionem penes nos reſervamus. Et nihilominus nomina talium referant ſeu mittant per Decanos infra menſem a die noticie ſine fraude promotori curie noſtre: ut contra tales excommunicatos: ad alias penas graviores procedi valeat: prout juſticia ſuadebit.

De Sacramento Matrimonii.

Ad audientiam noſtram fide digna relatione pervenit, quod nonnulli uxorati &c. *Vide ſupra pag.* 259.

De Uſuris.

Ut minor fœneratoribus fœnerandi tribuatur facultas &c. *Vide ſupra pag.* 274. *ſub eod. Titulo.*

De Mandatis Curiæ exequendis.

Multorum ad nos gravis querela perduxit, quod nonnulli Curati &c. *Vide pag.* 282.

De Queſtoribus & Abuſoribus.

Quia ſicut ex relatione fide dignorum intelleximus &c. *Vide pag.* 298.

* * *

Conſtitutiones Synodales per Bonæ Memoriæ Dominum MARTINUM (**) Epiſcopum Atrebatenſem, Ordinis Prædicatorum, Sacræ Theologiæ Profeſſorem, editæ & publicatæ in Sancta Synodo Atrebatenſi feria tertia poſt feſtum Beati Dyonifii Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo decimo.

Quia negligentia noverca virtutum &c. *Vide ſupra pag.* 299. & 300.

* * *

Conſtitutio facta in Sancta Synodo a Rever. in Chriſto Patre ac Domino D. MARTINO, Atrebatenſi Epiſcopo, Anno MCCCC. decimo.

Fide dignorum relatu multiplici audivimus &c. *Vide ead. pag.* 300.

* * *

(*) Petrus Manſuerius (*Joanni Bapt. Caſtillionæo* Maſoëſius) Patria Arvernenſis, Legum Doctor, & olim Gregorii XI. Pontificis Max. inſtitutor, ex Archidiacono Cameracenſi Atrebatenſis Eccleſiæ, quæ Gerardo Dainvillio ad Morinorum Cathedram promoto vacaverat, Antiſtes renuntiatus eſt anno 1370. Obiit A. 1391.

(**) Martinus Poræus, Ordinis S. Dominici in oppido Senenſi Religioſus, S. Theol. Doctor, in Joannis Canardi Epiſcopi Atrebatenſis locum ſuffectus fuit anno 1408. Interfuit Concilio Piſano, quod anno 1409., ac dein etiam Conſtantienſi, quod anno 1416. congregatum fuit. Obiit anno 1426. die 6. Septembris, in Templi ſui Odeo honorifice tumulatus. *Joann. Bapt. Caſtillion in Sacra Belgii Chronologia P. II.*

Alie Conſtitutiones Synodales per eundem Rever. Patrem Dominum MARTINUM Epiſcopum Atrebatenſem facte & publicate in Synodo Atrebatenſi: celebrata feria tercia poſt Dyonifii menſis Octobris decima ſexta Anno Domini milleſimo quadringenteſimo vigeſimo quinto.

GRaves atque crebras querelas dolenter ſuſcepimus: quod quidam mercennarii Sacerdotes tam de Dioceſi noſtra quam de alienis: prætextu noſtrarum literarum gratioſe eis conceſſarum: ut valeant in noſtra Dioceſi (infra tamen juris diſpoſitionem) miſſas celebrare: fallaciter ſubditos noſtros & curatorum noſtrorum ſibi alliciunt: in Dei opere, ſue ſalutis immemores, fraudem faciendo: dum temerarie ſe ingerunt ad officium alienum exercendum: miniſterium dictorum noſtrorum curatorum damnabiliter uſurpando: confeſſiones ſuorum Parochianorum utriusque ſexus audiendo: vel audiendi modum mendaciter contingendo: penitentias eisdem injungendo, mulieres poſt partum purificando, aquam cum ſolennitate conſueta in capellis aut oratoriis, ſeu etiam in domibus privatis (ſi detur eis quandoque facultas propter aliquas juſtas cauſas Miſſas celebrandi) in eisdem benedicendo & ſpargendo, ac multa alia faciendo: in quibus maxime conſiſtit jurisdictio & poteſtas predictorum noſtrorum curatorum, pertinens ad regimen animarum eisdem commiſſarum. Unde nonnulli boni Parochiani & fideles, a frequentatione ſuarum eccleſiarum & miſſarum parochialium periculoſe retrahuntur. Et quaſi uniuscujusque propria jurisdictio, ordo atque gradus prelationis ſue non ſerventur, nil aliud agitur, niſi ut per eos penitus confundantur: per quos deberent inviolabiliter tueri & conſervari. Nos itaque, qui unicuique jus ſuum intendimus illibate conſervare: & preſertim illorum qui partem ſollicitudinis gerunt nobiscum: in regimine nobis commiſſi populi chriſtiani: pretextu aut colore noſtrarum literarum gratioſe quibuscunque presbyteris conceſſarum, atque concedendarum: talia aut ſimilia per quoscunque Sacerdotes mercenarios, aut foraneos, cum ad eos de noſtris ovibus non pertineat: ſub pena ſuſpenſionis (quam in contra facientes ferimus in his ſcriptis:) de cetero fieri prohibemus: niſi certis de cauſis, de pretactis aut aliquo eorum: in noſtris literis impetrandis ſpecialem fecerimus mentionem. Item quia nonnulli predictorum Sacerdotum ſpecialiter foraneorum: hoc eſt aliarum Dyoceſum aut provinciarum: frequenter reperti fuerunt apoſtate: aut fugitivi a ſua religione. Alii fuerunt inventi excommunicati: ſuſpenſi: aut propriis beneficiis privati: ſuis exigentibus demeritis: quorum aliqui literas promotionis ad ſacros ordines & (etiam uſque ad presbyteratum incluſive) aliorum verorum Sacerdotum ſurripuerunt furtim, aut alias illicite: & ſe faciunt fallaciter appellari nominibus & cognominibus in dictis litteris deſcriptis. Alii poſt deceſſum quorundam ſic promotorum litteras ceperunt, detinuerunt, & detinent. Et quamvis tales detentores ſint quandoque laici, aut in Sacerdotium non promoti, aſſumptis tamen nominibus talium Sacerdotum defunctorum: mendaciter fingunt ſe eſſe Sacerdotes illos, de quibus in talibus litteris fit mentio: in damnationem ſuarum & populi noſtri grave periculum animarum. Quapropter: ut de cetero talibus fallaciis, fraudibus, & mendaciis atque pernicioſis obviemus: omnes gratias factas cuicunque Sacerdotum predictorum verorum, aut pretenſorum: celebrandi miſſas in noſtra Dyoceſi: aut aliqua alia ſpiritualia officia in ea exercendi penitus revocamus & caſſamus. Significantes quibuslibet: quod de cetero non intendimus quemcunque admittere ad premiſſa: niſi cum litteris ſuorum ſacrorum ordinum: litteras approbatorias ſuorum ordinariorum de eorum ſtatu & perſonis ſecum detulerint: & nobis aut vicariis noſtris in noſtra abſentia de eisdem fecerint plenam fidem.

* * *

Statu-

gitized by Google

Statutum Synodale de novo editum

Anno Domini Milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo ſecundo per Dominum FORTIGARIUM (*) Epiſcopum Attrebatenſem.

Quia valde decens & honeſtum cenſetur: quod dum & quando curati, ſeu vicegerentes eccleſiarum parochialium, in Dyoceſi noſtra Attrebatenſi exiſtentes & reſidentes : nec non clerici provinciales earundem Divinum officium celebrant : ſint veſtiti ſuperpelliceis : habentes ſuper capita ſua almucium & biretum. Et intelleximus (quod dolenter referimus) quod quamplures curati : eorumque vicegerentes, ac clerici ipſarum eccleſiarum: dum divinum officium faciunt: cantando matutinas, veſperas, & alias horas diei: incedunt cum magnis capellis nigris, quorum uſus eſt ad preſens in curſu : nec non cum capuciis, quorum cornettas circa colla ſeu eorum facies habent tortas : adeo quod melius videntur & apparent ſeculares, ſeu galandi, quam presbyteri ſeu viri eccleſiaſtici : quod cedit in vituperium & dedecus totius ordinis, ſeu ſtatus eccleſiaſtici. Propterea nos epiſcopus volentes & cupientes (prout noſtro incumbit officio paſtorali) circa hunc abuſum providere. Mandamus & precipimus omnibus & ſingulis curatis, eorumque vicegerentibus, ac clericis eccleſiarum parochialium : etiam ſub pena ſuſpenſionis a Divinis (quoad presbyteros) & excommunicationis (quoad clericos): quatinus deinceps dum Divinum ſervitium in ſuis eccleſiis facient, & celebrabunt: ſint veſtiti ſuperpelliceis : habentes ſuper capita ſua ipſorum almucium vel birretum. Contra facientes vero preceptis penis ſubjacere volumus, a quibus (niſi per nos vel officialem noſtrum) abſolutionis beneficium minime valeant obtinere.

Nos vero conſtitutiones provinciales & ſynodales : a reverendis in Chriſto patribus & dominis remenſibus archiepiſcopis, & eorum ſuffraganeis, editaque in conciliis generalibus remenſis provincie : & in ſynodis bone & recolende memorie predeceſſorum noſtrorum, dudum epiſcoporum attrebatenſium, & a nobis rite & ſalubriter edita ratificamus, approbamus, & etiam confirmamus. Precipientes vobis & ſingulis abbatibus, archidiaconis, decanis & curatis, ac aliis ſub pena viginti librarum pariſienſium, in pios uſus convertendarum : quatinus infra tres menſes a die ſancte ſynodi computandos copiam de eisdem conſtitutionibus, ſtatutis, & edictis habeant : niſi alias habuerint : ne pretextu iguorantie : valeant ſe excuſare earundem transgreſſores.

Nos non intendimus aliquem per ſe vel procuratorem in hac ſancta ſynodo attrebatenſi comparere debentem: admittere : aut habere pro excuſato: qui ſit a jure vel ab homine aliquo excommunicationis vinculo innodatus, & de hoc expreſſe proteſtamur.

Omnes & ſingulas gratias per nos ſeu vicarios noſtros quibuscunque perſonis religioſis & ſecularibus in generali vel ſpeciali conceſſas & factas, cujuscunque tenoris exiſtant : in hac ſancta noſtra ſynodo revocamus : & penitus annullamus.

Omnes & ſingulos, qui de jure vel conſuetudine ad hanc preſentem noſtram ſynodum attrebatenſem intereſſe & venire tenentur: qui non comparuerint in eadem, niſi fuerint per procuratorem idoneum: ſufficiens mandatum habentem : legitime excuſati: contumaces reputamus in his ſcriptis.

Sequun-

(*) Fortigarius *de Placentia*, Flander, Philippi Burgundiæ Ducis Sacellanus, eidemque primus ab Eleemoſynis fuit, Archidiaconus item Atrebatenſis & Præpoſitus Inſulenſis. Anno 1438. Epiſcopi Atrebatenſis dignitatem ex Canonicorum omnium ſuffragiis obtinuit. Præfuit annis circiter tredecim: cujus intervallo temporis præter Epiſcopalem domum, Mareolenſem etiam, Becrianenſem, atque Bronnenſem reparavit. Vivere deſiit 21. Februarii Anno 1452. & in Cathedralis Eccleſiæ ſuæ Sacello S. Vedaſti, quod ſuis pariter ſumptibus reſtauraverat, marmoreo ſub tumulo ſepultus fuit. *Joann. Bapt. Caſtillion. in Sacra Belgii Chronologia P. II.*

Sequuntur STATUTA CONCILII REMENSIS PROVINCIÆ APUD SUESSIONEM. quæ ſupra retulimus.

Subnectuntur pro inſtructione Curatorum, ſeu curam animarum habentium Formulæ Teſtamenti, Literarum teſtimonialium Bannorum proclamatorum pro Matrimonio contrahendo: boni ſtatus: Reſcriptum de ponendo aliquem in poſſeſſionem: pro citatione: aliud item Reſcriptum commune aliud per Notarium Apoſtolicum &c.

In fine additur, quam integram exhibemus,

DE PENITENTIA

Generalis inſtructio pro Sacerdotibus.

PLebanus in primis diebus Dominicis preſertim ante magnas ſolennitates populum ſibi commiſſum *habet* admonere, ut ſepius peniteant: precepta Dei & eccleſie cuſtodiant. Et in generali peccatores arguere, minari penas male agentibus, & premia recte viventibus polliceri.

Veniens autem quis ad penitentiam ſeu confeſſionem dicat presbitero, Benedicite, Et presbiter inquit. Dominus ſit vobiscum & maneat in eternum, Amen. In nomine Patris. Sciat ſeu inquirat propriam conditionem artem vel induſtriam & modum vivendi ut facilius peccatis confitendis poſſit mederi: diligenterque presbyter inquirat a confitente ſecundum perſone varietatem peccata uſitata ſigillatim, inuſitata autem cum diſcretione. & non niſi a longe per aliquam circumſtantiam: ut expertius detur modus & materia confitendi, & eliciendi peccata, que habentur & latent in corde cuilibet generi confitentium. Diſcat prudenter conſulere, & inſtruere, primo ſenibus qui pro conſuetudine habent ſenſus exercitatos ad diſcretionem boni & mali: ut ſobrii ſint & pudici, atque prudentes & ſani in fide: quia maledicitur puer centum annorum. perſeveranter in dilectione & patientia. Robuſtioribus autem ut timeant Deum, de craſtino non confidant, paveant projici in jehennam. Juvenibus ſimplicitatem ſervare, ocium fugere, juvenilia deſideria temperare, a turpiloquio abſtinere, ſobrios eſſe, tabernas abhorrere, pacem diligere, mores ad bonum convertere. Junioribus diſciplinam diligere, parentes amare, ac eis obedire & honorem deferre, verecundos fore, ludos contemnere. Mulieribus doceant viros ſuos diligere, revereri, & timere, verecundiam & ſobrietatem ſemper obſervare, precioſas veſtes & inhoneſtas non appetere, domus curam gerere, non incarminatrices fore, caſtas & modeſtas exiſtere. Servis autem ſuadeant Deum timere, obſequiis diligenter inſiſtere, Magiſtros honorare, diligere & timere, fideles & ſobrios eſſe, non rebelles ſed patientes, humiles & obedientes fore. Divitibus non ſuperbire, ſenſu vel verbo nunquam ſuperbe ſapere. bonis operibus inſiſtere: facile tribuere & communicare. Ne que polliceant bona, perdant & eterna. Pauperibus aliena non concupiſcere. ſufficientiam & patientiam habere. laborare, operari. & ut pueri non ſint. Curam gerere, fideles eſſe. & cum pauperes in terra, deſiderent eſſe divites in celo. Summopere omnibus, peccata mortalia timere: cauſas & occaſiones peccatorum fugere. virtutibus adherere. penas internales horreſcere. fraternitatem diligere. unicuique jus ſuum reddere. forefacta reſtituere. neminem ledere. nec verbo nec opere. Prelatum ſuum revereri. Jura eccleſiaſtica conſervare, decimas ſolvere. dominis obedire. Deum timere. eccleſiam diligere. Dei & eccleſiæ mandata cuſtodire. & gloriam ſempiternam concupiſcere. Audiatque presbiter in eccleſia in loco eminenti confeſſiones. vultum mulieris non reſpitiens. omnes patienter audiens. veniam petentibus promittens. penas portabiles infligens. verbi gratia pro ſuperbia humiliare. pro rixa & odio peregrinari. pro invidia egenis & miniſtris ſubvenire. pro avaricia pauperibus & locis piis elemoſynas facere. pro gula jejunare. pro luxuria carnem domare. pro accidia bonis operibus diligenter inſiſtere. Obſervetque tamen quisque Sacerdos, ne de majoribus peccatis ſacroſancte Sedi apoſtolice, vel epiſcopo tantummodo reſervatis quemquam abſolvere, cum ejus poteſtas quoad hoc

ſit

ſit ligata, videlicet de fractione voti, de perjurio ſolemni, de blaſphemia in Deum & Sanctos, de homicidio, de peccato contra naturam, de adulterio, de defloratione virginum, de ſortilegio, de hereſi, de divinatione, de inceſtu, de injectione manuum in parentes. de oppreſſione & ſuffocatione parvulorum, de injectione manuum in Clericos: & aliis pluribus criminibus que inſeruntur juri prohibito. Et in his verſibus aliqua continentur. Unde verſus:

Per Papam Clerum feriens, falſarius, urens
Solvitur. & quisquis audet celebrare ligatus.
Symon ſi fueris. Sed fallit regula talis.
Impubes, monachus, mulier, vetulus, quoque pauper.
Janitor, hoſtilis tu revelabis eos. (Epiſcopo.)
Qui facit inceſtum, deflorans aut homicida,
Transgreſſor voti, perjurus, ſortilegusque.
Sacrilegus, patrum percuſſor, vel ſodomita
Et mentita fides, faciens incendia, prolis
Oppreſſor, blaſphemus, hereticus omnis adulter.
Pontificem ſuper his adeas, Clerum feriensque.

In mortis tamen articulo quorumcunque peccatorum & excommunicationum a quocumque presbitero non deneganda eſt abſolutio. Ab infirmitate vero convaleſcentes abſoluti de quocumque crimſnum predictorum a non habente poteſtatem ſciant epiſcopum, vel ſanctam ſedem apoſtolicam poſtmodum fore conſulendum. Sed ſi quis fuerit excommunicatus ab homine: non poteſt corpus Chriſti, nec unctionem ſanctam, aut ſepulturam recipere tanquam catholicus, donec fuerit a ſuo excommunicatore abſolutus. Et dicat penitens, confiteor Deo. Presbiter, Frater vel Soror Miſereatur tui omnipotens Deus & dimittis omnibus peccatis tuis perducat te Jheſus Chriſtus Filius Dei vivi ad vitam eternam. Amen.

Abſolutio.

Indulgentiam abſolutionem & remiſſionem omnium peccatorum tuorum, ſpatium vere penitentie & emendationem vite, gratiam & conſolationem Sancti Spiritus paracliti & perſeverantiam in cunctis bonis operibus largiatur tibi Pater pius & miſericors Dominus Amen.

Oratio.

Dominus noſter Jheſus Chriſtus, qui eſt verus abſolutor omnium criminum, per ſuam ſanctam miſericordiam te abſolvat: Et ego auctoritate michi commiſſa ab omnibus peccatis tuis michi dictis, ore confeſſis. corde contritis. & negligenter oblitis: te abſolvo, & reſtituo te ad Sacroſancta Sacramenta noſtre ſancte matris eccleſie. In nomine † Patris & Filii & Spiritus Sancti Amen. Tunc dicat. Amice, vel domine & magiſter. . . vel aliter. . . In multis Deum offendiſti: & tuam ſaluem impediſti. Caveas de cetero a peccatis, & a laqueis dyaboli, & bonum facere ſtudeas. Deus tibi concedat ut bona que feciſti & que facies in poſterum, per Dei miſericordiam convertantur in penitentiam & remiſſionem peccatorum tuorum Amen.

Tunc pro ſpeciali penitentia quam levem ſecundum peccata tua tibi imponam. Tu dices ſic & ſic: & facies ſic vel ſic. Et injuncta penitentia, & a penitente ſuſcepta dicat presbiter: Vade in pace: & noli amplius peccare. ne deterius tibi contingat: Deus det tibi gratiam ſuam Amen.

Tempus feriarum continetur in iſto metro:

Aſpiciens. veterem. circum quaſi quis benedicta.

Ita editio antiqua Sæculi XV., cujus variſſimo exemplari ex Bibliotheca Clariſſimi Dni Ponchel uſi ſumus, retenta, quam in eadem invenimus & ſcribendi & interpungendi forma. Cateras vero Conſtitutiones deprompſimus ex recentiore Sæculi XVI. editione, aſſervata in Bibliotheca Eccleſiæ Cathedralis Tornacenſis, ſingulari benevolentia Rmi Capituli nobis commodata.

Digitized by Google

SYNODUS LEOVARDIENSIS

Eodem Anno Chriſti MDLXX.

STATUTA PRIMÆ SYNODI LEOVARDIENSIS ſub Reverend. D. CUNERO PETRI a BROUWERSHAVEN, (*) *primo ejusdem Diœceſis Epiſcopo, aſſiſtentibus illi vigilantiſſimo Domino Dominico Bendixio, Paſtore in Oldenhove & Canonico, ad ſuæ R. petitionem, atque Clariſſimis Viris Doctore Petro a Fritema, M. Foccone Rommarts, Reg Majeſt. Curiæ Friſiæ Conſiliariis ad hoc deputatis, die menſis Aprilis vigeſima quinta. 1570.*

PRÆFATIO.

CUNERUS PETRI, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS LEOVARDIENSIS, UNIVERSIS ET SINGULIS DOMINIS PRÆLATIS, PRÆPOSITIS, ARCHI-DIACONIS, DECANIS, PRIORIBUS, ET PASTORIBUS QUIBUSCUNQUE PER JURISDICTIONEM NOSTRAM OCCIDENTALIS FRISIÆ, SALUTEM IN DOMINO SEMPITERNAM.

TAmetſi quæ Sacro Concilio Tridentino decreta ſunt, generatim ſufficiant, ut in recta fide vitam omnes honeſtam tranſigamus; pro antiquo tamen aliarum Diœceſium more neceſſarium erat, ut etiam quæ pro noſtræ Diœceſis ſtatu, particulatim viderentur expedire, quibusdam Statutis decerneremus: partim ea, quæ in magno illo & celeberrimo Concilio ſtatuta ſunt, me-

(*) Ad Leovardienſem Epiſcopalem Sedem, a Paulo IV. Papa inſtitutam, nominatus quidem Epiſcopus fuerat Remigius Driutius, ab adeunda tamen ejusdem poſſeſſione cum temporum iniquitate fuiſſet impeditus, Brugenſium Præſul conſecratus fuit. Vide, quæ de illo diximus *Tomo præcedente pag.* 802. ad primam *Synodum Brugenſem*, anno 1571. ſub ipſo celebratam.

Non diu poſt autem, cum ſopito factionum æſtu, ſerenior aliquantulum rerum facies apud Leovardienſes appareret, eadem in Sede primus Epiſcopus collocatus fuit Cunerus Petri a Brouwershaven, Zelandus, Ss. Theol. Doctor, ac Lovanii antea Decanus ad S. Petrum. Pontificale munus ſuſcepit anno 1570. 1. Februarii, ac mox inſequenti menſe Aprili ejusdem anni hanc Synodum celebravit: cujus Statuta, Lovanii eodem ipſo anno Hieronymi Wellæi typis excuſa, hic damus. Multa dein alia ad Cleri ſui populique ſalutem pertinentia ſalubriter inſtituit, nullam, quoad præfuit, veri Epiſcopi, ſedulique Paſtoris partem prætermittens. Verum non diu illi pacato, Paſtoralibus his inſiſtere officiis licuit: Nam poſt octo annorum decurſum, invaleſcente rurſus factioſorum vi, occupataque a Fidei Catholicæ hoſtibus Leovardia, captus, Harlinganæ arci incluſus, dein poſt biennii captivitatem ſua Sede ſpoliatus, totaque Diœceſi ejectus fuit. Ita exul ac profugus Monaſterii Weſtphaliæ aliquamdiu ſubſtitit, Suffraganei munere functus. Quod reliquum fuit vitæ, Coloniæ apud Ubios exegit, ubi Sacras Literas publice interpretatus eſt. Multa pie, doctoque conſcripſit, ac typis tum Lovanienſibus, tum Colonienſibus vulgavit. Novitatum omnium præſertim in doctrina & dogmatibus fidei oſor acerrimus fuit, earumque Authoribus tum verbis tum ſcriptis egregie ſe ſe oppoſuit. Operum ejus elenchum vide apud *Franc. Foppens Bibliothecæ Belgicæ Tomo I.* Ærumnis confectus obiit Coloniæ anno Chriſti 1580. die 15. Februar. Ætatis anno quadrageſimo nono, in Templo Metropolitano ad aram SS. trium Regum humili ſarcophago conditus. Vir & vita longiore & fortuna meliore dignus.

Joann. Bapt. Caſtillion. in Sacr. Belgii Chronolog. P. II. Franc. Foppens L. cit.

Digitized by

memoriæ cauſa inſerendo, partim quæ pro loci & temporis ratione judicata ſunt, convenire, juxta ejusdem Concilii Tridentini ſententiam addendo. Neque enim quisquam eo conſilio hæc edita exiſtimare debet, quaſi ex iis, quæ auguſtiſſima illa Synodo ſtatuta ſunt, hæc ſola obſervari velimus: ea enim velut baſes & fundamenta, quæ nullius authoritate convelli poſſunt, hic præſupponimus, eoque inviolata ab omnibus juxta publicationem nuper factam ſervari cupimus. Itaque pro munere Divinitus Nobis incumbente, & cura, quam pro totius Diœceſis ſalute mandato Apoſtolico gerere tenemur, tum hæc, tum illa omnia, vobis omnibus & ſingulis ſervanda in Domino præcipimus. Hortantes, ut Divini præcepti memores, ſyncera conſcientia, ſine præjudicio in alteram partem declinando ea cuſtodiatis; ſcientes, quæ a Præpoſitis Eccleſiæ conſtituuntur, Dei authoritate a Vicariis ſuis conſtitui, ideoque non humana, ſed Divina præcepta cenſeri debere. Quibus non propter iram, aut ex neceſſitate, ſed propter conſcientiam parendum eſt. Sive enim Deus, ait præclarus ille (*) Eccleſiæ Doctor, ſive homo Vicarius Dei mandatum quodcunque tradiderit, pari profecto obſequendum eſt cura, pari reverentia deferendum. Datum Leovardiæ, 25. Aprilis 1570.

CUNERUS PETRI, de BROUWERSHAVEN, Epiſcopus Leovardienſis.

INDEX TITULORUM.

I. De Synodo.
II. De Sacramentis in genere.
III. De Baptiſmo.
IV. De Confirmatione.
V. De Euchariſtia.
VI. De Pœnitentia & Confeſſione.
VII. De Extrema Unctione.
VIII. De Ordine.
IX. De Matrimonio.
X. De Purificatione Puerperarum.
XI. De Vita & honeſtate Clericorum.
XII. De Beneficiis.
XIII. De Exequiis.
XIV. De Religioſis.
XV. De Templis & Cemiteriis.
XVI. De Hæreticis & Apoſtatis.
XVII. De Ludimagiſtris.
XVIII. De Ædituis.
XIX. De Teſtamentis.
XX. De Decanis.
XXI. De Libris.
XXII. Mandatum de Apoſtatis.
XXIII. Mandatum de Presbyteris.
XXIV. De Monialibus.

STATUTUM I.
De Synodo.

STatuimus & ordinamus, ut ſingulis annis, feria tertia poſt Dominicam *Cantate* Synodus celebretur: ad quam omnes Prælati, & qui curam animarum habent, in habitu Eccleſiaſtico comparebunt.

II. De Sacramentis in genere.

Cum Sacramentorum adminiſtratio res ſancta ſit, ideoque ſancte tractanda, meminerint, quibus ea commiſſa eſt, ut magna cum reverentia, gravitate, in ſtatu gratiæ, ſobrii & prudentes, ea adminiſtrent: cumque in omnibus rebus pro pace & tranquillitate debeat eſſe legitimus ordo, Statuimus & ordinamus, ut nemo curam animarum habens, ceſſante periculo extra limites ſuæ Parochiæ Eccleſiaſtica Sacramenta adminiſtrare præſumat, abſque Paſtoris loci licentia ſpeciali. Ubi tamen Eccleſiam vacare contigerit, poterit implorari miniſterium proximi Paſtoris.

Item mandatur, ut Paſtores nullum uſurarium ad Sacramenta admittant, niſi uſuras reſtituere voluerit & promiſerit. Similiter nullum hæreticum, aut alium publice facinoroſum, ſine legitima pœni-

(*) Bernardus de præcepto & præcepti diſpenſatione.

pœnitentia & confeſſione, ad Sacramenta, vel ſepulturam Eccleſiaſticam admittant, ſub pœna ſuſpenſionis ipſo facto incurrendæ.

III. De Baptiſmo.

Quia maxima eſt Sacramenti Baptiſmi neceſſitas, injungitur ſub pœna arbitraria omnibus curam animarum habentibus, ut ſubditis ſuis præcipiant, ut ipſi diligenter curent, ut infantes quam citiſſime a die partus ad Eccleſiam baptizandi deferantur, ſerioque ſuos adhortentur, ut quos ſciunt parvulos ſuos ad Eccleſiam non mittere, ſine diſſimulatione Paſtori ſuo, vel Decano, vel Epiſcopo denuncient, ſcientes ſe graviſſime reos futuros in Judicio Dei, qui hac ratione proximum ſuum perire ſinunt. Porro quibus adminiſtratio hujus Sacramenti committitur, curent, ut illud cum omnibus Eccleſiæ ſolitis cæremoniis adminiſtrent, ac verba illa, ſine quibus Sacramentum non perficitur, videlicet: Ego baptizo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, tractim & perfecte pronuncient, quæ in caſu neceſſitatis cum ablutione aquæ ſola ſufficiunt.

Proinde fontem ipſum conſuetis temporibus conſecrent, & mundum ſervent. Chriſma quoque & Oleum Sacrum ſemper honeſto loco cuſtodiant.

Item præcipitur, ut ſecundum Decretum Sacri Concilii Tridentini, unus tantum, ſive vir, ſive mulier, vel ad ſummum unus & una, baptizatum de Baptiſmo ſuſcipiant, inter quos ac baptizatum, & illius patrem & matrem ſpiritualis cognatio, Matrimonium impediens, & initum dirimens, contrahitur.

Volumus etiam, ut diligenter in uſu retineatur, quod nomina baptizatorum cum nominibus ſuſceptorum & parentum, fideliter deſcribantur.

IV. De Confirmatione.

Doceant Paſtores frequenter ſuos ſubditos, & inſtruant de fructu & utilitate Sacramenti Confirmationis, quod ſicut Baptiſmus iterari non poteſt: moneantque, ut adulti non niſi jejuni ac confeſſi a ſuo Epiſcopo id petant, adjuncto ſibi aliquo, qui confirmandum ſuſtineat: inter quem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem, ſciant contrahi cognationem ſpiritualem, quæ Matrimonium contrahendum impedit, & dirimit contractum.

Item, quando ferendum eſt Chriſma, volumus, ut non niſi a Sacerdotibus, ſine convivio & ſumptibus adferatur. Feretur autem deinceps feria ſexta poſt Paſcha ex Leovardia, & feria ſeptima ſequenti ex Bolſuardia.

V. De Euchariſtia.

Præcipitur omnibus Sacerdotibus ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, ut Sanctam Euchariſtiam non niſi ex legitima materia, id eſt, pane azymo, & vino naturali, de vite expreſſo conſecrent. Et ſi quis in Miſſa non ſerio conſecrare, aut Sacram Communionem non recipere deprehenditur, præter ſuſpenſionem ab officio, arbitraria pœna graviſſime punietur.

Item Decani diligenter advigilabunt, ut Paſtores ſancte & reverenter myſteria hæc pertractent, mundo & honeſto loco aſſervent, præſente ſemper lumine. Et quando ad ægrotos deferunt, ea gravitate & honorificentia id fiat, quæ tantæ Majeſtatis præſentiæ digna ſit.

Singulis menſibus hoſtiæ pro infirmis ſervatæ renoventur.

Nemo in mortale peccatum lapſus, ſine Sacramentali confeſſione hæc ſancta contingere audiat.

Nullus Sacerdos, niſi horis ſuis Canonicis ad Primam uſque prælectis, celebrare præſumat. Et in toto officio devote, humiliter & graviter ſe gerant, nec fabulas ullas cum quoquam admiſceant, donec Miſſa ſit perſoluta.

Obſervent Decani, & corrigant eos, qui in Feſto Paſchæ a Dominica Palmarum uſque ad octavas Paſchæ non communicant, vel etiam diebus Feſtis Miſſam non audiunt.

VI. De Pœnitentia & Confeſſione.

Doceant Paſtores, ut ſubditi, contrito corde, integre confiteantur omnia pecca-

Digitized by Google

peccata mortalia, quorum poſt diligentem ſui diſcuſſionem memoriam habent, una cum circumſtantiis, quæ ſpeciem peccati mutant, vel multum aggravant, ſpecificando quantum fieri poterit, quoties in illa inciderint, ut pro qualitate delictorum ſalutaris pœnitentia imponatur.

Obſervent etiam, ut non niſi in Eccleſia palam & publice, præterquam in articulo neceſſitatis, confeſſiones excipiant.

Provideant etiam, ne quæ ſalutem ſubditorum, aut confeſſionem haud concernunt, admiſceantur, & maxime ne a confitentibus, aliorum nomen & fama lædantur.

Inprimis vero caveat Confeſſarius, ne confitentem, aut ejus peccata, quovis ſigno aut nutu quoquo modo prodat, ſub pœnis a Sacris Canonibus conſtitutis, & ne ullo modo in abſolutione principalia verba omittat: Ego te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.

Item ſtatuimus & ordinamus, ut omnes ſemel in anno ſuo proprio Sacerdoti confiteantur, vel, ſi alicui alteri cupiant confiteri, ab eo licentiam petant, vel ſaltem teſtimonium ad eum deferant, quo de legitima confeſſione conſtet: quod qui non obſervant Decani corrigant.

VII. De Extrema Unctione.

Paſtores ſæpius, & maxime apud infirmos ex Apoſtolo Jacobo declarent, quam ſalutare infirmis ſit Sacramentum Extremæ Unctionis. Et omnibus ſuis ſubditis, qui annum decimum quartum attigerunt, præcipiant, ut quoties in gravem aliquam infirmitatem, unde timetur mortis periculum, inciderint, ſtatim curent ſe hoc Sacramento, præmiſſa confeſſione, muniri.

Qui vero notabili tempore infirmus fuerit, &, vel confiteri, vel hoc Sacramento inungi non petiverit, loco ſacro non ſepeliatur.

VIII. De Ordine.

Nemo ad Tonſuram Clericalem & Ordinis Sacramentum, niſi ſecundum præſcriptum Concilii Tridentini; & ad Sacros Ordines, niſi debite confeſſus, accedat.

IX. De Matrimonio.

Statuimus & ordinamus, ut ad Matrimonium, præcedentibus ſecundum Decretum Concilii Tridentini proclamationibus, procedatur, idque non niſi ſub Miſſæ Sacrificio, palam in Eccleſia, præmiſſa confeſſione celebretur.

Item, ne quis per ignorantiam decipiatur, bis in anno populus illius Decreti admoneatur, quod nullum Matrimonium ratum eſt, quod aliter, quam præſente Parocho & duobus teſtibus contrahitur.

Noverint etiam Paſtores, & diligenter obſervent Matrimonii impedimenta, quæ ſubjectis verſibus ſolent comprehendi:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Affinis, ſi jura pari nequeat perſolvere ſueta.

Deinde magna habeatur ratio extraneorum, ne, qui alibi forte conjugati ſunt, noſtros adulterio commaculent. Quapropter ad conjugium non admittantur, niſi proclamationibus in iis Parochiis factis, ubi quatuor poſtremis annis habitarunt.

X. De purificatione puerperarum.

Volumus antiquam Eccleſiæ conſuetudinem in uſu retineri, ut mulieres poſt conſuetum tempus, aut ſaltem triginta dierum ſpatium a partu, ſolenniter in Eccleſia compareant, acturæ gratias Omnipotenti Deo, & prolem ſuæ Bonitati per merita Glorioſæ Mariæ Virginis commendaturæ.

XI. De Vita & honeſtate Clericorum.

Meminerint Clerici, ut ſecundum doctrinam Apoſtoli, in omnibus ſe præbeant exemplum bonorum operum, in pietate, in doctrina, in integritate,

in caſtitate, & ſobrietate, nequaquam laicorum more conditionis ſuæ obliti incedant, ſed ſine barba cum tonſura & habitu Clericali, ab omni levitate, choreis, aleis, luſibus illicitis, ac negotiis ſæcularibus, mercatura & ſervilibus abſtineant: potationes & comeſſationes vitent: tabernas non niſi neceſſitatis cauſa ingrediantur.

Curent etiam ſumma diligentia, ut templa, altaria, locus Sacræ Euchariſtiæ, Chriſmatis, fontes, ornamenta, & alia, quibus in Divino Officio utuntur, munda & integra ſint.

Præcipitur etiam omnibus Clericis, ſub obteſtatione Divini Judicii & pœna maledictionis æternæ, ne concubinas aut ſuſpectas mulieres in domo vel extra detineant, aut cum eis conſuetudinem habeant: & contra eos ſecundum formam Concilii Tridentini ſine diſſimulatione procedatur.

Item, ne aliter de Sacramentis, aut aliis Eccleſiæ dogmatibus doceant, quam Sancta, Catholica, & Romana Eccleſia, ac Sacrum Concilium Tridentinum tradit, ſub pœnis arbitrariis, & a Sacris Canonibus conſtitutis.

Item, ſi quis in Sacris conſtitutus, aut Beneficiatus Horas Canonicas non legerit, per privationem fructuum, & ipſius beneficii, adverſus eum procedetur, & multo magis contra eos, qui Sacra, Conciones, aliaque debita officia non perſolvunt.

Rurſus, ſi quis in turpe ebrietatis vitium inciderit, prohibemus ſub pœnis arbitrariis, ne ipſe proſtridie celebrare audeat, & Decanis injungimus, ut ſuper hoc diligenter invigilent.

Quum vero accidit, quod deplorandum eſt, Clericos ſuæ vocationis oblitos, poſtpoſito timore Dei, non aliter vixiſſe, quam ſi Matrimonio juncti fuiſſent: Præcipimus ſub graviſſimis pœnis, ne prolibus in Baptiſmo, aut nuptiis ſolennitas aliqua per ipſos adhibeatur.

Item, volumus, & juxta Decretum Sacri Concilii ordinamus, ut ante decimum quartum annum nemo Eccleſiaſticum beneficium obtinere poſſit: qui etiam Horas ſuas Canonicas legere, tonſuram & habitum Clericalem deferre teneatur, ſub pœnis in Sacris Canonibus conſtitutis.

XII. De Beneficiis.

Item ſtatuimus & ordinamus, nominationes ad Paſtoratus, vel alia beneficia, fieri debere ſine pacto aut pollicitatione dandi, vel accipiendi: neque nominati ad aliquos ſumptus obligentur, Sympoſia, quæ in iis fieri conſueverunt, ſub gravibus pœnis arbitrariis penitus abrogantes. Quod etiam in electionibus Decanorum volumus obſervari. Statuentes, ut nominationes & electiones per unum & alterum deferantur nominato.

XIII. De Exequiis.

Item volumus exequias, ſeptenarium, trienarium, & anniverſarium juxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem & patriæ morem, ſicubi exoleverint, in uſum revocari, & diligenter obſervari. Jura quoque, Eccleſiæ vel Presbyteris antiquitus poſt triceſimum diem debita ex conſuetudine, ſicuti & alia univerſa jura, integre perſolvi.

XIV. De Religioſis.

Inhærentes iis, quæ a Sancto Concilio Tridentino de Religioſis ſunt conſtituta, volumus inviolabiliter obſervari: Ut nemo aliquid ſine ſui Superioris conſenſu habeat, aut retineat, ſed quicquid vel dono, vel quacunque alia ratione receperit, Superiori exhibeat, ejusque diſcretioni & diſtributioni committat. Et ut Sacræ Virgines, quarum pudicitiam Chriſtus nimium æmulatur, nunquam mixtim cum viris, ſed ſeparatim comedant & bibant.

Perverſum quendam abuſum, quo Monaſteria Divino cultui dedicata, aliquando tabernarum more ad ſympoſia & compotationes eliguntur, deteſtantes, prohibemus, ne extra horam prandii & ſine naturali neceſſitate, alimentorum aliquid ſumatur.

Item irreligioſum quendam abuſum abolentes, Præcipimus, ne qui Sacerdotum demortuorum domos (ut fieri ſolet) potaturi aut comeſſaturi irruant,

irruant, aut quicquam faciant, quod Chriſtiano luctui adverſetur, ſub gravi pœna arbitraria, invocato, ſi opus ſit, brachio ſæculari.

Hortamur in Domino Prælatos, ut diſpenſationis ſuæ memores, utiliter bona Conventus ad communem utilitatem expendant. Et præcipimus, ut computum ſingulis annis legitime factum Epiſcopo exhibeant.

Caveant etiam, ne bona Conventus, repræſentata pecunia, in notabile Succeſſorum præjudicium elocentur.

XV. De Templis & Cœmiteriis.

Statuimus & ordinamus, ut Templa ac Cœmiteria ad nullos prophanos uſus applicentur. In Templis juridica exercitia non habeantur, Cœmiteria non elocentur, nec a beſtiis depaſcantur. Quod ſi quis in Templis ſub Divino Officio, aut in Cœmiteriis ſub concione, aut ſumma Miſſa deprehenditur ambulare, duobus ſtuferis ſingulis vicibus, invocato ad hoc brachio ſæculari, mulctetur.

Feſta & Vigilias volumus juxta antiquam Eccleſiæ conſuetudinem obſervari, in quibus Paſtores populo ſerio præcipiant, ut integram Miſſam audiant, neve ante benedictionem Sacerdotalem exeant. Ab operibus ſervilibus, negotiatione & mercatura abſtineant, officinas claudant, & non niſi uſui humano neceſſaria ſobrie vendant.

XVI. De Hæreticis & Apoſtatis.

Decani & Paſtores diligenter advigilabunt, & a fide dignis ſæpius inveſtigabunt: An inter ſubditos aliqui ſint Hæretici vel Apoſtatæ, quos ſummo ſtudio, quanta poſſunt cum modeſtia & charitate ſtudebunt ad Eccleſiam & ordinem ſuum reducere, eosque ordine Evangelico denunciabunt Epiſcopo.

XVII. De Ludimagiſtris.

Mandamus & præcipimus, ut Paſtores, locorum Præfecti, & Æditui diligenter curent, quo Scholam, & honeſtum Ludimagiſtrum in ſuo loco habeant, qui fidem in manu Epiſcopi ſit profeſſus. Et juventutem in timore Domini & rudimentis Catholicæ fidei inſtituat. Quod ut expeditius fiat, & firmius obſervetur, ordinamus, ut ſinguli immobilium poſſeſſores unum aureum viginti ſtuferorum in ſingulis pagis ad tam pium ac neceſſarium opus erogent. Et electio (ſalva examinatione & admiſſione Epiſcopi) & deſtitutio (cum conſenſu & requiſitione Epiſcopi præcedente) ſit penes Paſtorem, loci Præfectum, Nobiles & Ædituos.

XVIII. De Ædituis.

Æditui ſingulis annis legitimum computum illis exhibeant, ad quos de conſuetudine pertinet, & nequaquam ſuum Paſtorem excludant.

XIX. De Teſtamentis.

Præcipimus, ut intra anni ſpacium a morte teſtatoris pro ejus voluntate ſatisfiat, alioqui anno finito ad Nos executio deducatur.

XX. De Decanis.

Decani advigilabunt, ut omnes ſuo officio legitime perfungantur: omnes exceſſus & defectus, transgreſſiones præceptorum Eccleſiæ, Statutorum Concilii Tridentini, & hujus noſtræ Synodi, ſine diſſimulatione corrigantur: ita tamen ut cauſas criminales & matrimoniales ad Epiſcopum referant. Et, ſi in aliis negligentiam eorum Advocatus Fiſcalis prævenerit, ſtudium ejus locum habeat.

XXI. De Libris.

Quod ad libros attinet, volumus inviolabiliter ſub graviſſimis pœnis obſervari Indicem, a Patribus Concilii Tridentini authoritate Sanctiſſimi, & mandato Catholicæ Majeſtatis, cum appendice jam proxime editum & publicatum.

XXII. Mandatum de Apoſtatis.

Decani noſtro nomine requirent & hortabuntur omnes, qui ab Ordine Sacer-

Digitized by Google

Sacerdotali, vel Profeſſione monaſtica defecerunt, ut intra ſex ſeptimanas ad ſuum quisque ordinem & ſtatum revertatur; alioqui limites noſtræ Diœceſis, invocato ad hoc brachio ſæculari, egredi compellantur. Idem etiam hæreticis denunciari volumus, ut ad Eccleſiam Catholicam, accepto a Paſtoribus conſilio, quam citiſſime revertantur.

XXIII. Mandatum de Presbyteris.

Mandatur omnibus, qui ſe Presbyteros aſſerunt, ut legitimo documento de ordine ſuo & conſecratione Decanis fidem faciant, qui ad Epiſcopum una etiam cum ſuis transmittant.

XXIV. De Monialibus.

Porro Sanctimoniales, juxta Sacrum Concilium, a Monaſterio non exeant, niſi ex legitima cauſa ab Epiſcopo approbanda. Neminem etiam intra ſepta Monaſterii ſui admittant, ſine ipſius Epiſcopi, vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta.

FINIS.

Ex editione Lovanienſi apud Hieron. Wellæum. A. 1570.

SYNODUS DIOECESANA OLOMUCENSIS

Anno Chriſti MDXCI. Innocentii IX. Papæ I. Rudolphi II. Imp. XVI.

Acta & Conſtitutiones Synodales Diœceſis Olomucenſis.

LITERÆ INDICTIONIS & CONVOCATIONIS SYNODI.

STANISLAUS PAWLOWSKY, DEI, ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Epiſcopus Olomucenſis, Princeps, Regalis Capellæ Bohemiæ Comes, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius. Univerſis, & ſingulis Reverendis, Venerabilibus, Honorabilibus, Religioſis, Devotis, Diſcretis, in Chriſto Nobis Chariſſimis, & ſincere Dilectis, Dominis Decano, & aliis Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Olomucenſis Prælatis, & Canonicis, Abbatibus, Præpoſitis, Priuribus, nec non Collegiatarum Eccleſiarum Prælatis, & Canonicis, atque tam ejusdem Cathedralis noſtræ, quam Collegiatarum Vicariis, Altariſtis, Choraliſtis, Præbendariis, Parochialium, & aliarum quarumvis Eccleſiarum Rectoribus, Sacellanis, Concionatoribus, Ludimoderatoribus, & aliis quibusvis Miniſteria Eccleſiaſtica in Diœceſi noſtra quomodocunque obeuntibus, Salutem in Domino ſempiternam.

PAſtoralis officii, in quo nos Dominus poſuit regere Eccleſiam ſuam, ſimul & ipſa temporum noſtrorum ratio, a debita gregis fidei noſtræ commiſſi cura & ſolicitudine, minime nos quieſcere ſinit: quin potius urget ac admonet, ut ea, quæ ex re & utilitate ovium noſtrarum futura cognoſcimus, vigilanti ſtudio proſequamur. Et quia ad fidelis populi in orthodoxa Religione, Chriſtianaque pietate eruditionem, vix magis opportunum, & efficax dari poſſe videtur medium, quam ſi illi, quos ad docendum alios Divina Bonitas e populo ſublatos, in altiori dignitatis, Sacerdotii nempe gradu collocare eſt dignata, non ſolum verbo, & doctrina, ſed etiam inculpatæ & a terrenarum rerum contagione vacuæ vitæ ſalutari exemplo, ſubjectis ſibi populis præire, & ſplendida virtutum omnium face

Digitized by Google

face prælucere ſummo animorum conatu intendant: equidem diſciplinæ Eccleſiaſticæ in Clero noſtro reformandæ, Sanctæque Religionis Catholicæ in Diœceſi hac noſtra propagandæ cauſa, Synodum Diœceſanam, cujus habendæ ſumma neceſſitas etſi mentem noſtram graviter hucusque ſemper ſolicitam reddiderit, temporum tamen calamitas, & communis boni promovendi non exigua, omnibusque perſpecta moles, conatibus ea in parte noſtris obſtitit: tandem aliquando, auxiliante Domino, ſtudiumque noſtrum ad Divini ſui Nominis gloriam, cultusque ſui inſtaurationem, miſſo e Cœlis auxilio, in viam ſalutis populi noſtri, & futuræ proſperitatis dirigente, celebrandam conſtituimus. Quemadmodum per præſentes noſtras Literas, eandem Synodum, hoc anno, die duodecima Novembris, Divo Coriſtino, & Fratribus Patronis noſtris Sacra, feſtum Divi Martini immediate ſequutura, in Cathedrali noſtra Olomucenſi Eccleſia, feliciter auſpice Deo inchoandam, & duobus ſequentibus diebus continuandam atque abſolvendam, indicimus, intimamus, convocamus, & decernimus: paterne monitos, & per viſcera miſericordiæ Dei noſtri fraterne oratos volentes, omnes & ſingulos exemptos, noſtræ vero jurisdictioni immediate ſubjectis, authoritate ordinaria in virtute ſanctæ obedientiæ mandantes, ut Olomutii, pro Divi Martini Feſto, omnes & ſinguli congregentur, ac demum die ſequenti ad ſonum campanæ, in Cathedrali noſtra conveniant, & perſonaliter compareant, iis, quæ in utilitatem Eccleſiarum Diœceſis noſtræ per Nos in prædicta Synodo ſalubriter proponentur & ſtatuentur, interfuturi, noſtrosque pro orthodoxæ Fidei augmento, in diſciplinæ Eccleſiaſticæ inſtauratione, ex muneris Paſtoralis officio, ſuſceptos conatus, conſiliis ſuis pro parte ſolicitudinis adjuturi. In quo etſi omnes ſupra ſcriptos faciles, obedientes, & morigeros ſeſe exhibituros, atque pro die præfixa ad Synodum conventuros non ambiginus: ſi qui tamen ordinariæ authoritatis contemptores, bonique publici atque officii ſui minus memores, legitimis non obſtantibus impedimentis, ex mera negligentia, aut contumacia (quod abſit) dictæ Synodo perſonaliter intereſſe, vel per Procuratores ſuos legitimos, impedimentorum cauſas ſufficienter probare neglexerint; ſane pro eo ac Sacrorum Canonum jubent Decreta, contra tales, tanquam contumaces, & inobedientes, per cenſuras Eccleſiaſticas, aliasque pœnas Canonicas debite proceſſuri ſumus. In quorum fidem haſce Literas manu propria ſubſcriptas, ſigillique noſtri appenſione roboratas, in valvis Cathedralis noſtræ Olomucenſis affigi, & per diſtrictus Diœceſis noſtræ, ad omnes Prælatos, & alios quosque Clericos per Archi Diaconos eorundem diſtrictuum mitti mandavimus. Datæ in arce noſtra Cremſirienſi die XIII. Octobris, anno Domini M. D. LXXXXI.

Quibus quidem Literis Indictionis, & Convocationis Synodi in Cathedralis Eccleſiæ Olomucenſis, nec non aliarum ejusdem Civitatis præcipuarum Eccleſiarum, demum & Brunæ in Collegiatæ Sancti Petri valvis, alibique affixis, atque ad Prælatos tam ſæculares, quam Regulares Marchionatus Moraviæ, ſimul etiam ad Decanos rurales ac Parochos, aliosque, quorum intererat, opera Archi Diaconorum diſtrictuum transmiſſis, legitimeque intimatis: tandem Anno ſupradicto M.D.LXXXXI. die XII. menſis Novembris, Indictione quarta, Pontificatus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini noſtri, Domini Innocentii, Divina providentia Papæ noni, anno primo, cum jam plurimi juxta Indictionis Synodi Literas ex Prælatis regularibus & ſæcularibus, Parochis, aliisque Clericis Diœceſis Olomucen. pro Synodo habenda in Cathedralem Olomucenſem S. Wenceslai Martyris Eccleſiam, ad ſonum campanæ convenissent, hora decima quinta præfatus Illuſtriſſimus, & reverendiſſimus Princeps, Pontificalibus indutus, ad celebrandum ſolenni ritu Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium, ex Sacrario ad altare majus ejusdem Eccleſiæ prodiit, præeuntibus & miniſtrantibus in apparatu Levitarum, Reverendis Dominis, Magiſtro Mathæo Strikovio, & Joanne Martini, Canonicis prædictæ Cathedralis Eccleſiæ, nec non aliis quatuor Clericis, Levitarum quoque habitu indutis, Venerabilibus Dominis, Joanne Schidlovino, & Michaele Regulino, ejusdem Eccleſiæ Honoris Vicariis, atque Joanne Schemelka, Canonico Cremſirienſi, prædicti Illuſtriſſimi Domini Sacellano, ad infulam, pedum, & gremiale miniſtrantibus: Miſſa itaque ſolemnis, operante Sacris ipſomet Illuſtriſſimo Principe, de Spiritu Sancto, cum commemoratione Feſti Sanctorum Chriſtini, Benedicti, Mathæi, Joannis, atque Iſaac Patronorum Moraviæ; cantata fuit. Qua debite peracta, poſt Benedictionem Epiſcopalem populo datam, præfatus Illuſtriſſimus Dominus ad Sacrarium rediens, caſula depoſita, pluviali ex materia aureis filis, & ſerico rubro contexta indutus, rurſus ex Sacrario ad altare majus Eccleſiæ progreſſus eſt, & in faldiſtorio ante idem altare præparato, ſub infula conſedit. Populo deinde per Promotores Synodi admonito, ut ad partem ſecedens, Ec-

cleſiaſticis viris locum daret, ſeque Sacerdotibus non immiſceret, loca convenientia Admodum Reverendis Dominis, Decano, totique Capitulo Olomucenſis Eccleſiæ, nec non Reverendo Patri Bartholomæo Villerio Societatis JEſu, Provinciali, aliisque ejusdem Societatis Patribus, ad cornu Evangelii; Admodum vero Reverendis Dominis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Provincialibus, & Monaſteriorum Præfectis, aliisque Regularibus, quorum nonnulli, qui nimirum benedictionis munus jam receperunt, infulati, alii in ſolo duntaxat Religionum, Ordinumque habitu comparuerunt, ad cornu Epiſtolæ: in inferioribus vero ſcabellis in medio, Decanis ruralibus: extra Chorum autem minorem, Parochis, & aliis Clericis, per eosdem Promotores aſſignata fuerunt. Quo facto Illuſtriſſimus Princeps aſſurgens, flexoque poplite exorſus eſt Antiphonam: *Exaudi nos Domine.* Choro ad finem uſque proſequente; demum cantati ſunt Pſalmi, Litaniæ, & Orationes, juxta præſcriptum libri Pontificalis Romani. Quibus finitis, Reverendus D. Mathæus Strikovius, Evangelium ex præſcripto Pontificalis Romani cantavit, & tandem Illuſtriſſimus Princeps incepit canere Hymnum: *Veni Creator.* Proſequente Choro, & Clero univerſo. Abſolutis tandem cæremoniis ſolitis, Illuſtriſſimus Princeps in Faldiſtorio conſedit, una & omnes Prælati loca ſibi aſſignata occuparunt. Cæterum antequam ad Synodalium ulteriorem progreſſum procederetur, Admodum Reverendus Dominus Eggerdus a Schwoben, Abbas Welegradenſis, Ordinis Ciſtercienſis aſſurgens, facta Illuſtriſſimo Principi debita reverentia, proteſtationem ſolennem interpoſuit, nimirum *ſe in Statutis Ordinis ſui Ciſtercienſis habere, ut ſi quando Abbates ejusdem Ordinis ad Synodos Dioeceſanas veniunt, ſolemniter proteſtentur, ſe id non ex debito, (cum exempti ſint ab Ordinariorum jurisdictione, & ſoli Sedi Apoſtolicæ immediate ſubjecti) ſed ad paternam invitationem Ordinariorum facere, proindeque præjudicium aliquod privilegiis exemptionis ſuæ, tali facto fieri, aut renuntiare iisdem privilegiis non intendere, ideoque ſe etiam ſolemniter de tali exemptione proteſtari, atque ut proteſtatio Actis Synodalibus inſeratur, petere inſtanter.*

Tunc Illuſtriſſimus Dominus adhibitis ad conſilium ſuper dicta proteſtatione, Admodum Reverendis Dominis Decano, & aliis Prælatis, atque Canonicis Eccleſiæ Olomucenſis, nec non aliis Abbatibus, Præpoſitis, Prioribus, Provincialibusque Ordinum, ac per Reverendum D. Joannem Jergerum, J. U. Doctorem, Scholaſticum Olomucenſem, & Canonicum Brunenſem, Cancellarium ſuum, Synodique præſentis primum Promotorem, reſponderi fecit prædicto Domino Abbati Welegradenſi, nempe:

Celſitudinem ipſius Illuſtriſſimam proteſtationem ipſius, una cum Dominis aſſidentibus, diligenter expendiſſe, eamque ſupervacaneam viſam, vel eo nomine, quod ipſimet Domino Abbati probe conſtaret, ſe per Literas Indictionis Synodi, una cum aliis exemptis, ab Illuſtriſſimo Domino non citatum, ſed amanter & paterne invitatum, ac monitum ſaltem fuiſſe, ut pro die ſtatuta ad Synodum veniret. Illuſtriſſimum porro Dominum, non ignorantem, quid exemptio Ordinis Ciſtercienſis ſecum ferat, quid etiam Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini Decreta, in hoc puncto ſtatuant: non cogitare quidem Privilegiis Sacri Ordinis Ciſtercienſis præjudicium aliquod facere, quin potius eundem Ordinem, pro pietate ſua, ſartum tectum conſervare malle, ſuæ tamen jurisdictioni, & authoritati Ordinariæ legitime exercendæ, nulla ratione deeſſe poſſe, proinde hanc proteſtationem Domini Abbatis inſinuari Actis Synodalibus permittere, valituram in tantum, quantum de jure valere poteſt.

Hoc reſponſo accepto, Dominus Abbas Welegradenſis, Illuſtriſſimo Principi, & Sacræ Synodo prolixis verbis gratias egit. Ac demum Illuſtriſſimus Princeps ad omnes, qui Synodo intererant, converſus in hæc præfatus eſt verba:

Allocutio Reverendiſſimi ad Clerum.

FOeliciter ſane mihi & vobis omnibus [Fratres in Chriſto Chariſſimi, vosque cæteri Conſacerdotes Nobis ſincere dilecti] hodiernus illuxit dies. Quod enim anteactorum temporum injuria, pro communi Sanctæ Catholicæ Religionis in Dioeceſi hac noſtra propagandæ & conſervandæ bono, ex voto noſtrum omnium hucusque ad optatum finem & exitum minime deduci potuit: id utique Divino aſpirante Numine hodie fauſtis inchoari auſpiciis videmus, ſubindeque pie in Domino exhilarati, bonam in ſpem erigimur, conventum hunc noſtrum communem, orthodoxæ Religioni promovendæ, nec non diſciplinæ Eccleſiaſticæ revocandæ, tam profuturum eſſe, quam ardentibus votis hactenus bonis omnibus, eum jam pridem expetitum fuiſſe non ignoramus. Ut enim quælibet bene inſtituta Respublica tam diu in floren-

florenti ſtatu perſeverare ſolet, quam diu ſanis civium ſuorum regitur conſiliis, communibusque omnium indigenarum ſtudiis juvatur: ita quoque Eccleſiaſtica hæc noſtra, propter regale, quod gerit, Sacerdotium, aliis quibusvis dignior, & officii amplitudine auguſtior, niſi eorum, penes quos rerum omnium ſumma verſatur, frequentibus juvetur conſiliis, dubium non eſt fore, ut neglecto & penitus everſo bono, debitoque ordine turbetur, eaque turbata inde tandem incommoda proveniant, unde maxima ſperari commoda debuiſſent: inde oriantur ſcandala, unde ſalutis plurimorum medelam depromi: inde lapidem offendiculi evolvi contingat, unde certam honeſtatis Chriſtianæ normam profluere, atque ad omnes derivari par fuiſſet. Conſiliorum porro Eccleſiaſticorum rationem univerſam, ut olim a primis naſcentis Eccleſiæ exordiis, ex celebratiſſimis illis Sanctorum Patrum conventibus, quos Concilia hucusque vocamus, depromi ſolitam fuiſſe, nemini non conſtat: ita quoque calamitoſiſſimo hoc noſtro ævo nuſpiam ſaniora pro rebus Eccleſiæ Dei juvandis conſilia peti poſſe quisque intelligit, quam ex Synodis: quas vel ea potiſſimum de cauſa Sedis Apoſtolicæ & Sacrorum Conciliorum Generalium authoritas, ſingulis annis per Diœceſes quasque haberi decrevit, ut in iis, conventu Patrum facto, id quod tam creſcentibus in domo Dei bonis promovendis, quam orientibus ſcandalis radicitus extirpandis & evellendis, aptum eſt, communicatis conſiliis indagari, & reperiri queat. Atque utinam in Diœceſi hac noſtra tanta non fuiſſet temporum iniquitas, ut non minus aliquot Prædeceſſoribus noſtris, quam nobismet ipſis, Paſtoralem, quam indigni gerimus curam, ea quoque in parte, quæ annuas Synodos de jure celebrandas ſpectat, ſine gravioribus impedimentis, diſtractionibus variis, & publicarum occupationum mole non obſtante, exercere integrum fuiſſet. Aliam enim nunc forte rerum faciem in patria hac, ratione augmenti Sanctæ Catholicæ Religionis videremus, neque tanto dolore ob diſſolutiorem Cleri noſtri vitam, moresque incompoſitos Sacerdotum afficeremur. Nam quotus quisque veſtrum eſt, quæſo, qui vel conſcientia propria teſte, palam fateri non auſit, defectibus, ſcandalis, & exceſſibus hiſce, quos partim circa negligentem cultus Divini, Sacrorumque adminiſtrationem: partim circa vitam ipſam & mores in Clero Diœceſis hujus noſtræ videre eſt, ſicut anſam præbuiſſe tam diu intermiſſam viſitationum & Synodorum celebrationem, ita etiam emendationem & correctionem, nihil aliud, quam Sacra ejusmodi Concilia afferre poſſe? Magnis proinde, alacribusque animis nos ad primam hanc Synodum, duce & auſpice Deo, pro fœlici aliarum, Chriſto Domino adjuvante, celebrandarum ingreſſu, ferri, & properare operæ precium eſt, & pro ſublevando calamitoſo iſto Religionis orthodoxæ ſtatu, maxime neceſſarium, ut quod totus Chriſtianus orbis admirabili animorum conſenſione, devitandorum errorum cauſa, & veritatis retinendæ ſtudio, eſt complexus, nos quoque communem Eccleſiæ ſenſum ſecuti, pro eo, ac fideles Chriſti, Sanctæque Matris obedientes filios decet, amplectamur. Jam vero communia Patrum noſtri ævi conſilia ad normam exactiſſimam veterum Conciliorum, quæ Catholicæ Eccleſiæ cenſura, & authoritas approbavit, graviſſime in rem totius Eccleſiæ Dei, in Sacro Oecumenico Concil. Trident. expreſſa, iſthicque tam ad veram fidem, quam ad mores Cleri, & vitæ honeſtatem, adeoque ad omnia munia Eccleſiaſtica rite obeunda pertinentia, optimo ordine per Canones & Decreta comprehenſa eſſe, quis non videt? O fœlix Tridentum, cui vel id calamitoſiſſima hac tempeſtate ſolatii obtigit, ut tot doctiſſimorum pene ac piiſſimorum totius Orbis Chriſtiani Virorum, de rebus graviſſimis, nimirum de Summa Chriſtianæ Fidei, deque aliis fidem ipſam, non ſecus, ac corpus quodque umbra ſequi ſolet, concomitantibus, conſultantium, deliberantium, ac tandem ſalutaria Decreta, Legesque ſaluberrimas figentium capax fieres, adeo ut in te Auguſtiſſimus ille Conventus fœliciter, ſanctoque inchoatus, fœliciſſime quoque concluderetur. Fœlicem Summum Romanæ Eccleſiæ Pontificem Paulum III. cujus auſpiciis hic Conventus inceptus, non mediocrem ſub eodem & Julio III. ſumpſit progreſſum, multo vero fœliciorem Pium IV. quo Sanctæ Eccleſiæ clavum tenente, ad optatum finem, id Sacrum Concilium deductum fuit. Fœlices quoque nos ipſos, qui alias inter errores variarum ſæculi hæreſum, in ipſorum hæreſiarcharum ceu meditullio creditam nobis a Domino ſpartam, pro virili defendentes, non levia arma & tela retundendis adverſariorum Dei, & Eccleſiæ ejus, impiis conatibus opportuna, ex Sacri hujus Oecumenici Tridentini Concilii ſalutiferis Decretis hauſimus, & deprompſimus, ita, quod jam omni propemodum potentia hoſtium protrita, nihil aliud nobis curandum ſupereſſe videatur, quam ut ſalutari huic doctrinæ, quæ in dicto Tridentino Concilio ſancte traditur, conſtanter inhærentes, id in uſum (quod etſi pridem jam fieri debuiſſet, temporum tamen minime permiſit calamitas) inducamus, inductum ſanctiſſime ſervemus, ab omnibusque noſtris tam in judiciis, quam in Sacramentorum adminiſtratione, myſte-

mysteriorumque Dei dispensatione accurate, & diligenter observari faciamus. Prima itaque hæc sit nostræ hujus Synodi in Dei præpotentis nomine in unum collecta, & coadunata voluntas, primariumque & immutabile consilium, ut Sacrosancta hæc Oecumenica & Generalis Tridentina Synodus, quam merito veræ fidei, & debitæ honestatis Magistram non injuria quisque dixerit, nobis posthac & credendi, & vivendi, certissimam præbeat normam & regulam, ita ut nisi fides cujusque ad examen ipsius subsistat, ædificium id, quod per eum struitur, in gehennam strui certo omnes existiment & sciant. De cujus quidem Sacrosanctæ Synodi & Concilii laudibus, etsi multa nobis dicenda forent, quia tamen fratrum nostrorum tanta est erga nos charitas, & observantia, ut ipsi quoque inter se labores, in hac Synodo obeundos, nobiscum partiendos, nosque sublevandos censuerint, eapropter hanc in sententiam Reverendum Decanum Ecclesiæ nostræ, non minus graviter, quam diserte, ad vos verba facturum, attentis benevolisque animis audiatis, paterne cupimus, atque hortamur: inque hac Synodo nullis præcedentiæ, aliarumve rerum ambitionem redolentium quæstionibus motis, ea una nobiscum statuere conemini, quæ nobis omnibus, ordinique nostro, inprimis vero cultui Divino instaurando, & Catholicæ Religioni promovendæ, nec non disciplinæ Ecclesiasticæ reformandæ, necessaria, & opportuna fore agnoscimus, quotidianaque experientia deprehendimus.

Fine dicendi per Illustrissimum Principem imposito, Admodum Reverendus Dominus *Melchior Pirnesius a Pirn*, *Artium, & Philosophiæ Doctor*, *Ecclesiæ Olomucensis Decanus*, & *Wratislaviensis Canonicus*, conscensa Cathedra ex opposito Cyborii collocata, de Sacrosancti Concilii Tridentini laudibus, Orationem habuit, cujus tenor est, ut sequitur:

ORATIO.

ESt quod tibi gratuler, Illustrissime Princeps, & Reverendissime Antistes, STANISLAE, de hujus ornatissimæ coronæ, atque consessus, quem præsentem adesse cernis, summa erga te observantia, ac integerrima fide. Quanti enim te ille faciat, quanti Decreta & Mandata æstimet tua, hoc suo adventu non obscure testatur. Anne vides, quam ad primum edictum, ne dicam unicum nutum tuum, facilem, promptum, obedientem se exhibuerit, & privatis emolumentis, commodis, sacris juxta atque profanis negociis relictis, huc advolaverit, de Ecclesiæ S. progressu, de sua ac commissarum ovium salute, de Dei Opt. Max. honore, ac gloria promovenda, atque propaganda, tua auditurus consilia, omnemque solicitudinem, curam & cogitationem, ad Sanctissimæ Religionis nostræ dignitatem tuendam, tecum traducturus? An ego, Præsul Amplissime, Solem te alterum dicam? ad quem unum, tot Religiosissimi Domini, Abbates, & Monasteriorum Præpositi, & ex cætera Sacerdotum, atque Parochorum turba, tot egregii viri, tanquam sydera quædam circumfusa, oculos, & ora converterint, a quo clarissimam salutaris doctrinæ hauriant lucem? An te eum esse palam faciam omnibus, in quem natura parens, suas effuderit opes, ut esses huic Diœcesi admirationi, & ornamento, quemque Deus hoc calamitoso sæculo, & sibi gloriæ, & Ecclesiæ suæ præsidio, & huic universo gregi voluerit esse exemplo. Verba tibi dare merito possim videri, nisi Cœtus hic lectissimus, hanc suam erga te propensionem, hanc cum tua voluntate conspirationem, hoc instaurandæ ecclesiasticæ disciplinæ commune studium, hac sua alacritate, & ad satisfaciendum tibi promptitudine testaretur. Gratulor & vobis Charissimi Confratres, de tanta Venerabilium Patrum, Religiosorum Virorum, ac piorum Sacerdotum frequentia, quibuscum de Marcomannæ Diœcesis instauratione, communibus suffragiis, ac votis, præsto esse possitis, easque calamitates, atque pericula, quibus tantum non est obruta, cum communi Pastore, ac parente Illustrissimo Principe nostro, propulseris. Atque utinam multo plures amantissimi Parentis literis invitati, huc una convenissent, sperassem utique, telephia hæc vulnera, ad intima usque præcordia, S. Religioni inflicta, tot tantorumq; virorum prudentissimo consilio, & præsentissimo auxilio, brevi persananda. Sed neque animum despondeo prorsus: tametsi enim hostes nostri, omnia Divina pariter, ac humana jura miscere, & tantum non terram cum cœlo committere moliantur, aderit tamen, uti optamus, afflictis, & pene jam desperatis Religionis S. rebus, præpotens Deus, qui in medio se affuturum spopondit, ubi duo, aut tres, in ejus nomine fuerint congregati. Aderunt & hujus Augustissimi Templi, Clementissimi Patroni, & Tutelares, tuque imprimis Sancte Christine cum Fratribus tuis, quorum hodierna die annuam memoriam solenni ritu celebramus, qui Sanctissimis suis precibus, apud Deum, strenue, conatus nostros promovebunt. Alacri igitur animo, spe pleni, in eam omnes curam, pro virili nostra incumbamus, ut quæ in hac Sancta Synodo, ab Illustrissimo & Reverendissimo Præsule nostro, ex

ex ipſiſſimo Concilii Tridentini fonte, proponentur, maturo, ac prudenti conſilio, expendamus, expenſa acceptemus, accepta exequamur, atque perficiamus. Et ut ad certum quaſi ſcopum, ſtudia veſtra, & cogitationes collimare poſſitis, illud vobis, hoc loco in memoriam revocandum videtur, quod Ss. Concilium Tridentinum Seſſione XXIV. de Reformatione, Capite ſecundo, præſcribit, de tribus potiſſimum Capitibus, in Provincialibus, ac Diœceſanis Synodis tractandum eſſe: de moderandis Cleri moribus, de corrigendis exceſſibus, & de controverſiis componendis. Vos igitur ad hæc tria, veſtra omnia revocate conſilia & ordinate, certo certius perſuaſi, his tribus recte conſtitutis, tres præcipuas malorum omnium lernas, quæ Dei Eccleſiam, & Sanctæ Religionis noſtræ puritatem contaminant, peſſundant, evertunt, vos confecturos. Faceſſet enim illico omnis morum turpitudo: corrigentur, aut etiam penitus tollentur, graviſſimi plerique in Divino cultu exceſſus, ac corruptelæ: diſcordiæ, ac lites omnes, adhibita æquitatis trutina, ſopientur, ac conquieſcent. Denique ſcandala omnia, ex Dei Eccleſia profligata, exulabunt: Eſt, fateor, id quod dico, ſi miſeram horum temporum conditionem, & calamitoſum iſtius Diœceſis ſtatum ſpectemus, difficile, laborioſum, arduum, & ceu humanas excedens vires; niſi ſublimior Dei ſapientia, ac bonitas, quæ jam ante piis conatibus Majorum noſtrorum, nunquam defuit, promptum, & expeditum remedium demonſtraſſet. Solebant autem Religioſiſſimi Prædeceſſores noſtri, in omnibus fluctuantis Religionis periculis, calamitatibus, impreſſionibus, ac procellis, ad cœleſte inprimis confugere præſidium, & æſtuantem DEI Opt. Max. iram, piis reſtinguere lachrymis. Deinde vero, anteactæ vitæ nuncio remiſſo, ſeveriorem illam, unanimi conſenſu morum revocare diſciplinam, ad placandam Divinam indignationem, hanc vel ſolam ſufficere exiſtimantes. Hac ſane, graviſſimi Patres, & nobis via eſt progrediendum, his veſtigiis inſiſtendum, hoc Theſei filo, ex tanto abuſuum, corruptelarum, & periculorum labyrintho evadendum, hoc vel hoſtium noſtrorum, quotidie nobis occinunt, & inculcant voces. Quam ſæpe illos audimus, illud uſurpare, & repetere: Fides antiqua, mores antiqui; quorum ut primum illud eſt nobis glorioſum, ita & illud poſterius, infame eſt, & probroſum. Significant enim his illi verbis, ſe non propter aliud, ab antiqua fide deſciviſſe, quam ob noſtram a veteri diſciplina, ac ſanctiſſimis moribus, & inſtitutis, quæ nobis Majores noſtri, quaſi certam, & firmam hæreditatem reliquerunt, defectionem. Quod etſi diffiteri nequeamus, inique tamen tanti ſui ſceleris culpam, in aliorum depravatos mores transferunt. An quia me vident militem ignavum, illis transfugas, & proditores eſſe licet? Quia ambitioſus ego, illi paricidæ eſſe volunt? Quia veterno laboro ego, in Deum blaſphemi illi eſſe pergent? Quia gubernator dormit aliquando, & qui in navi feruntur, profligatis ſunt moribus; illi ideo totam navim perforabunt? Quia cives plerique improbi; civitatem totam hoſtibus diripiendam tradent? Miſeros & infœlices, ne dicam ſtupidos illos, qui hæc intelligentes, ob aliquorum = Clero depravatos mores, ab Eccleſia Dei ſe præciderunt, & ex ſancto ejus gremio profugerunt! Sed quamvis horum ſtupiditas, & hebetudo, helleboro potius, quam argumentis eſt corrigenda, nec eorum hoc probrum, apud Deum momenti quicquam habet. Nos tamen expoſtulationem eorum, tacitas quasdam Dei voces, per adverſarios nos monentis, & excitantis, exiſtimare debemus: cum his illi machinis, in pernitiem aliorum utantur, & præſertim imperitæ multitudinis aures, & animos percellant, atque in ruinam, & præcipitium, impellant: ut ſi quid in ſacratis perſonis deforme, ſordidum, corruptum in moribus, ac a conditione, ac ſui ſtatus dignitate abhorrens videant, illud curioſiſſime notatum in angulis, in circulis, in templo, in foro, rudi plebeculæ obtrudant, & inculcent: maledictis, & probris inceſſant, & inſultabundi invehantur, multisque verborum phaleris, ac mendaciorum plauſtris amplificent, & modo tuti ſuos errores tueantur, quacunque tandem arte omnes ſimul Catholicos in odium inducant.

Hæc itaque, ut illis arma, & quaſi Herculi clavam, extorqueamus, adſciſcenda eſt rurſus vetus illa, & ſeverior diſciplina, vitæ integritas, & ſanctimonia procuranda. Memoria repetite per Deum jam illud vitiis hominum invaleſcentibus, lectiſſimis Eccleſiæ membris uſu veniſſe, quod in ſpecioſa, & ſcite quidem depicta tabula, quæ nitorem ſuum, & pulchritudinem primam, ſenſim amiſerit, quæ ſi non denuo repingenda, ad minus certe ſitu, & ſqualore deterſo, eſt inſtauranda, & quod fuit fœdatum, & obſcuratum, rurſus eſt innovandum, & colluſtrandum. Renovemus ergo & nos vitam noſtram, ut ubi hoſtes in eam oculos conjecerint, ſe deceptos miſere intelligant, & erubeſcant. Vincemus mihi credite, vincemus eos, hac bona vitæ demonſtratione, nec arma illis ſolum, ſed & captivos, & ſpolia, adimemus. Ne autem quenquam veſtrum illa perturbet, aut deterreat moleſtia, quæ in rebus arduis aggrediendis, magis quam

proſequendis, ac ſuperandis, multorum animos languidos, & deſides, efficere ſolet, ut nimirum non deſit ad perficiendum, certa ratio, ac norma; eam ego vobis in præſentia offero lubens, non ex cerebro, aut ingenio meo, quod tantæ ſupellectili conſtruendæ impar eſt, depromptam, ſed in Sanctiſſimorum, ſimul ac Doctiſſimorum Patrum, ditiſſimo Archivo, admirabili Sancti Spiritus opificio elaboratam. Offero, inquam, vobis, celeberrimi illius Sacroſancti Oecumenici Generalis Concilii Tridentini, Sanctiſſimas Leges, Statuta & Decreta, ad quæ vos, tanquam certiſſimam amuſſim, & lesbiam regulam rectiſſimam, omnes functiones veſtras, & mores, exigere valeatis. Ad illud Concilium amplectendum, ego vos provoco, & mecum invito, Patres graviſſimi, quo vix ullum aliud Majorum noſtrorum, & noſtra memoria fuit, vel Authoribus, vel Promotoribus, vel Aſſeſſoribus auguſtius, glorioſius, illuſtrius.

O bone DEUS, quæ in illo adfuit gentium, populorum, nationum multitudo, & varietas? qui Epiſcoporum ex toto orbe delectus? quæ Pontificum, & purpuratorum Patrum Majeſtas? quæ Theologorum medulla? qui flores Academiarum? quis Chriſtianorum Principum, & rerum publicarum ſplendor? Celebratum eſt authoritate, & auſpiciis trium Pontificum Sanctiſſimorum, Pauli III. Julii III. Pii IV. & quidem ſtudio & opera duorum Auguſtiſſimorum, & Invictiſſimorum Imperatorum Caroli V. & Ferdinandi, qui tanquam Eccleſiæ Romanæ Primogeniti, & præcipui Advocati, illud omnibus modis tutati ſunt, & promoverunt.

Actum autem ab Illuſtriſſimis Cardinalibus ſex, quatuor Pontificiis Legatis, tribus Patriarchis, Archi-Epiſcopis triginta duobus, Epiſcopis ducentis viginti octo, Abbatibus quinque, Ordinum Miniſtris ſeptem, Sacroſanctæ Theologiæ Doctoribus, Epiſcoporum Procuratoribus, Principum, & Rerumpublicarum Legatis pene innumeris. Inter quos tanta fuit unitas, ac conſenſus judiciorum, ac voluntatum, ut merito fateri debeamus, iſthic adfuiſſe multitudinis credentium cor unum, & animam unam, populum & civitatem labii unius, & eorundem ſermonum, Deum ipſum pacis, & dilectionis, qui arctiſſimo vinculo, flagrantiſſimi ſui amoris, per diverſitatem linguarum cunctarum gentes in unitate fidei, congregavit. In hujusmodi igitur loco a tot, & tantis, ac talibus viris, fruſtrane conventum agitatum, diſſertatum, & per viginti fere annos deſudatum putaris? Nunquid eis defuit ad ſuum munus peragendum, vel facultas, vel fides, vel voluntas? Facultas certe deeſſe non potuit Viris doctiſſimis, prudentiſſimis, ac multo rerum uſu, ac experientia cumulatiſſimis. Sed nec fides, propter quam illi præſtandam, domos, patriam, amicos, ſeipſos, ſuaque omnia Eccleſiæ Dei conſecrarunt, & devoverunt. Multo vero minus defuit illis voluntas ſalutis animarum, & Dei gloriæ amantiſſimis, cupidiſſimis, ſitientiſſimis, quorum propterea non pauci ut hanc ſuam erga Eccleſiam fidem, obſervantiam, & obedientiam teſtarentur, morte eam oppetita conſignarunt. Nosne adhuc dubitabimus, eos omnes vires, ac nervos intendiſſe, ut Eccleſiaſticam diſciplinam, pœdore, ſqualore, & pulvere obſitam, priſtinæ integritati, flori, ac ſplendori, reſtituerent, id quod infirmum erat, conſolidarent, quod ægrotum, ſanarent, quod confractum, alligarent, quod abjectum, reducerent, quod perditum, quærerent; Præterea, vacillantium fratrum animos confirmarent, probitatem complectentes impellerent, ſub onere fluctuantes ſublevarent, omnes vero Spiritu lenitatis, & manſuetudinis, patientia, alacritate & conſtantia, tanquam fortiſſimi Anteſignani, & Duces præirent. Fecerunt ſane, & quidem diligenter id omne, quod ex ſuſcepti oneris officio illis incumbebat: & revera, ſe nulla alia de re magis, quam de commodis noſtris laboraſſe, & ſolicitos fuiſſe, declararunt: cum ſe Patres eſſe intelligerent, de hoc ſolum cogitabant, ut liberorum ſaluti eſſet proſpectum: cum infirmitates noſtras animadverterent, ſe vere Evangelicos Medicos eſſe agnoverunt, & ideo oleum, & vinum, corporis noſtri vulneribus, & ſciſſuris infuderunt: cum Paſtores, ovium curam ſuſceperunt, ad paſcua pinguia deduxerunt, a luporum, & aprum inſultibus, & incurſionibus nos liberarunt. Cum viderent cadentem, & labentem Rempublicam, officii ſui eſſe exiſtimarunt, ut tanquam Arcæ Noe, & Templi Dei Architecti, eam erigerent, fulcirent, ſuſtentarent. Sunt plurimi fateor, inſignes Authores, qui ſpartam ſibi commiſſam, ut ornarent, de corrigendis Miniſtrorum Eccleſiæ moribus, & languore, docte, acute, enucleate, ſatis diſſeruerunt; verum hoc apud me certiſſimo eſt perſuaſum, nullum unquam privarum Doctorem, atque Scriptorem, aut tot in Eccleſiæ corpore nævos, aut tam diſſidentium populorum, quot ſunt in Eccleſia mores, ac inſtituta, aut tani convenientia graſſantibus in membris Eccleſiæ morbis remedia obſervare, intelligere, providere potuiſſe, atque Sacroſancti Concilii Tridentini Sanctiſſimorum Virorum oculos lynceos, experientiam, judicium, ſapientiamque pene Divinam. Ubi, quæſo, enim alias unquam quid

officii

officii Paſtor, quid ovis, quid Prælatus, quid ſubditus, quid Sacerdos, quid populus, quid cælebs, quid conjugii vinculis aſtrictus, quid Clericus, quid Laicus agat: quas functiones legitime obire, quas curas ſuſcipere, quas conſuetudines admittere, quas leges exſequi, quos duces in via ſibi ſpirituali proponere, ſequi & aſſequi liceat, clarius, luculentius, locupletius fuerit demonſtratum. Tantum non digito Concilii Tridentini Patres monſtrarunt. Nec id ſane mirum, nam Concilium fuit Generale, Univerſale, & Oecumenicum: fuit mandato Summi Pontificis convocatum, & inceptum, & ejusdem Sedis Apoſtolicæ, prout fieri debet, & ſolet, authoritate confirmatum: in eo, ex totius Orbis Chriſtiani Regnis & Provinciis, tantus Prælatorum, & Præſidum Eccleſiæ numerus, quantum ad hoc ſatis erat, extitit, ut hoc etiam nomine, primis illis laudatiſſimis ſuperioribus temporibus celebratis Conciliis, merito queat comparari, & annumerari. Non in eo, ut in aliis ſæpe, unius, aut alterius hæreſiarchæ ſaltem, ſed varii variorum pertinaces errores, opiniones impiæ, & monſtroſi partus: neque duntaxat in una, ſed in diverſis, iisdemque difficillimis, & abſtruſis ſubjectis per innumerabiles Canones ſunt notati, in lucem producti, damnati, & anathematizati. Hinc datus campus latiſſimus, & horrea refertiſſima aperta Ss. Theologiæ Doctoribus, & Juris Canonici Profeſſoribus, in quibus jucundiſſime exſpaciari, & quantum perplacet, de humidiſſimo cœli rore, & de tritico puriſſimo, ſibi ſumere poſſunt. Nonne huic rei inſtitutiones, & compendia, ipſum denique integrum juris, ut vocant, Canonici Corpus, a Gregorio XIII. Pontifice Max. maximo cum commodo bonorum omnium, nuper editum, nobis teſtimonio eſſe poſſunt, dum videmus, in hac, ad regimen Eccleſiæ apprime neceſſaria diſciplina, horum temporum, perſonarum, etiam locorum aliquorum habita ratione, quasdam Conſtitutiones ſublatas, & antiquatas, quasdam enucleatius, quam ante, traditas, & explicatas, plurimas vero, de novo in hoc Concilio editas, in jus illud Canonicum ex Capitulis de Reformatione, translatas, & inſertas, ad quarum præſcriptum, noſtra hæc præſens debet regi, atque, qui in ſortem Domini vocati ſumus, merito inſtrui vita. Sed ad contemplanda altiora aſcendamus, nec ſolum Concilio Tridentino nobis, ut hæretici falſo fabulantur, de dignitate noſtra ſpecioſe tuenda, non etiam, & multo quidem magis, de animæ ſalute, perpetuaque fœlicitate adipiſcenda proviſum eſſe putetis. Vos ego Sacratiſſimos, Sacratiſſimi Verbi, & eloquiorum Dei interpretes interrogo: utrum non veſtra dogmata, & Chriſtianæ doctrinæ capita, poſt examina Sacrarum Scripturarum, hoc magis, & frequentius, quam ullo alio adſtruitis, & approbatis Concilio. Vos, inquam, Theologos alloquar, nonne diſputationes veſtræ acutiſſimæ, conciones e loco ſuperiori ferventiſſimæ, & eruditiſſimæ Lectiones veſtræ, quas in Univerſitatibus profitemini, & ſcriptis etiam libris publicatis, magna ex parte hujus Sacratiſſimi Concilii fundamentis, atque locis innituntur: ex quibus validiſſimis ſumptis argumentis, fraudes, atque dolos adverſariorum deregitis, ipſamque perſpicuam, & illuſtrem veritatem, aperte, & vere, in hoc Concilio applicatam atque definitam, docetis? Nonne hinc etiam liquido apparet, quod hoc Concilium, & ipſismet hæreticis, ſi modo voluiſſent, aut vellent, fructum magnum allaturum eſſet? Nam cum variis inter ſe ipſos opinionibus digladientur, nec omnino in omnibus adhuc conveniant, facile, ſi æquiſſimum hujus Concilii judicium agnoſcere vellent, diſſidiis, & controverſiis illorum, debitus finis imponeretur. Quod ſi enim purum Dei Verbum, quis Scripturæ Sacræ germanus ſenſus, atque conſenſus, quis controverſiarum nodus, atque ſtatus, ab hac collocata in eminenti loco cathedra, veriſſima ſententia, a qua quidem appellare non licet, pro conſolatione conſcientiarum ſuarum, impartirentur? quam reverenter ſuſcipere, & ei ſtare in omnibus, nonne ſatius foret, & magis ex re illorum, quam ſemper in incertum currere, umbras aſſectari, & dubio eventu de propriæ animæ ſalute periclitari? Noviſtis enim, quomodo exterminium, ejectionem, & ſublationem de medio Iſrahel, denique mortem ipſam Deus graviter denuntiet, & minetur iſtis, qui eorum, qui ſupra Cathedram Moyſis ſedent, & Domino Deo ſuo pro tempore deſerviunt, mandatis & dictis, ſuperbiæ vitio elati, obedire recuſant. Quod ut propitius procul a nobis Deus avertat, hoc nobis curarum, & ſolicitudinis pondus incumbit, ut hoc Concilium, qua decet, pietate veneremur, illi nos permittamus, illi credamus, illud audiamus, illud ſecundum Deum ipſum vereamur: quæ de rebus Divinis illud ſentit, ſentienda, quæ de humanis præſcribit, facienda, quæ prohibet, fugienda, ſine ulla dubitatione ſtatuamus. Statuamus & hoc, quod quæ ſemel ſunt de conſenſu omnium conſtituta, ea non modo convellere, aut labefactare, ſed ne in dubium quidem, amplius cuiquam revocare permiſſum eſſe. Quis enim non videt, quæ ſit ex eo rerum & humanarum, & Divinarum confuſio ſequutura, ſi cuilibet arbitrio ſuo, ſecus aliquid de his, quæ in Conciliis conſtituta ſunt, decernere fas eſſet? quid

Quid fide noſtra incertius? quid inſtitutis mutabilius? quid futurum eſſet Eccleſiæ ſtatu perturbatius? quis dubitandi? quis inveniendi? quis quærendi finis eſſet expectandus? Animadvertit id Sanctiſſimus Papa Gelaſius, & propterea inquit: Patres noſtri Catholici, Docti videlicet Pontifices, in unaquaque hæreſi, quolibet tempore ſuſcitata, quicquid pro fide, quicquid pro veritate, pro communione Catholica, atque Apoſtolica, ſecundum Scripturarum tramitem, prædicationemque Majorum, facta ſemel congregatione ſanxerunt, id inconvulſum deinceps voluerunt, firmumque conſtare, nec in eadem hac cauſa denuo, quæ præfixa fuerunt, retractare qualibet recenti præſumptione permiſerunt, ſapientiſſime providentes, quoniam ſi Decreta ſalubriter cuilibet liceret retractare, nullum contra ſingulos quosque errores ſtabile perſiteret Eccleſiæ conſtitutum, ac ſemper iisdem furoribus recidivis, omnis integra definitio turbaretur. Nolite ergo, inquit D. Auguſtinus, nolite eſſe ingrati tantæ miſericordiæ Dei, quæ per illam diligentiam nobis miniſtrata eſt: nulla excuſatio jam remanſit: nimium dura, nimium diabolica ſunt hominum corda, quæ adhuc tantæ manifeſtationi veritatis obſiſtunt. Animadvertit hoc humaniſſimus omnium, & prudentiſſimus Imperator SIGISMUNDUS noſter (domeſticis enim libentius utor exemplis) ad quem ex Concilio Conſtantienſi reverſum, cum Brunam Ordines, & Proceres Regni Bohemici, ad Regni gubernacula capeſſenda eum invitaturi veniſſent, atque inter alia Communionem utriusque ſpeciei, iniquo animo Huſſii & Hieronymi ſupplicium ferentes vehementer urſiſſent; Superſedete iſtis, inquit Imperator, chari Bohemi, nihil ad rem in præſens pertinentibus, quæ non hic Brunæ, ſed potius Conſtantiæ, dicenda erant, ubi ad iſta omnia, vobis Concilium reſpondere potuiſſet: cujus ſi exemplum hoc tempore Reges, & Principes, qui ad gubernacula evocantur, aut rerum jam potiuntur, ſtudioſe imitarentur, minus certe haberent animi ſubditi, ut ab eis tanta cum inſtantia, & importunitate petere auderent, Auguſtanæ, Vittembergenſis, & neſcio non quarum confeſſionum, ac confuſionum, permiſſionem, præcidereturque hac ratione, pernicioſiſſima illa, quod valde impium eſt, quidlibet impune credendi, æqua conceſſa poteſtas; Animadvertit hoc prudentiſſimus, & acerrimus in rebus dijudicandis arbiter, & Judex Sacratiſsimus Imperator FERDINANDUS, qui ſuis Legatis, a Tridento reverſis, illis potiſsimum verbis, eſt gratulatus: Aluimus vos, inquit, in Schola optima, optima ſane Schola, in qua Doctor ille ſummus, non aliis diſcipulis, quam Apoſtolorum Succeſſoribus ſuggerit, & communicat omnia, qui eo Spiritu edocti, nil nobis de proprio adferunt, nihil proponunt, nihil enarrant, nihil edocent, quam quod ab ipſo audiverunt, intellexerunt, & a Patre largitore bonorum omnium, deſuper eſt illis revelatum. Animadvertiſti hoc ipſum, Antiſtes, & Princeps Illuſtriſsime, cum tu quoque ſingulari ingenii tui bonitate, acumine, dexteritate, quod dixi, probe aſſequereris, intelligeres, agitares, & probares: Nunquam tamen hactenus id, quod animo conceperas, fuit tibi facere licitum (injuria hæc fuit temporis, & perverſitas ſtatus præteriti) nunquam pro tuo deſiderio, & arbitratu conceſſum, ut tam locuples Spiritus Sancti Sacrarium, in hac tua Marcomannica Diœceſi erigeres, tam neceſſariam, & utilem officinam, tuis ſubditis aperires, tantas Sanctiſsimorum, & Sapientiſsimorum Virorum merces ovibus tuis diſtrahendas proponeres. Non tua id, fateor, accidit culpa. Sed vicit tamen labor improbus, vicit tua patientia, vicit tuus conſtantiſsimus zelus, & id effecit, ut hæc Moravica Provincia, quæ circumjacentibus Regionibus, & Provinciis, a ſeptingentis, & ultra annis, Authoribus, & Apoſtolis DD. *Cyrillo*, & *Methudio*, Fidei, & Religionis extitit Magiſtra, & Informatrix, hoc Sacroſanctum Concilium Tridentinum, ſi non primo, attamen non ultimo loco reciperet, & approbaret. Illud enim tu hodierna hac die in tuam Diœceſim plenis velis, ac remis invectum nemine penitus reſiſtente, nobis univerſis, quos tua paſtoralis regit cura, ſuſcipiendum, & deinceps in omnibus (exceptis iis, quæ ſpeciali Sedis Apoſtolicæ indulgentia innuerentur) ſerio præcipis, & demandas, obſervandum. Sit Nomen Domini in omnes æternitates benedictum! Fœlicitas hæc eſt tua, STANISLAE, ut quod tuis aliquot Prædeceſſoribus laudatiſsimis facere non licuit, id tibi, benigne ſpirante Dei aura, ſit conceſſum. Favores enim Divorum, & hominum, ipſaque temporum momenta, deſervire tibi videntur. Dicam breviter: *Ad res magnas natus es.* Quamobrem ſicut mihi de te, Princeps Illuſtriſsime, hoc perſuatiſsimum eſt, quod hæc ipſa a DEO Opt. Max. in te profecta cognoſcas, atque propterea illi gratias immortales referas ſemper: ſic etiam de vobis graviſsimi Patres, & Fratres Obſervandi & Chariſsimi, nihil addubito, vos Sanctæ Romanæ, & Orthodoxæ Eccleſiæ, cujus Alumni, & Filii eſſe, & nominari vultis, vocem, monita, juſſa, & decreta, quæ nobis per Illuſtriſsimum, & Reverendiſsimum Principem STANISLAUM, Filium ſuum chariſsimum, exhibet, & porrigit, ſumma alacritate, promptitudine, fide, obe-

obedientia, & obſervantia, quæ filios decet chariſsimos, obviis, ut ajunt, ulnis, complexuros eſſe, in quibus Eccleſiæ ipſius Matris veſtræ, incolumitas, veſtra perfectio ac dignitas, innumerabilium hominum ſalus, tanquam radius a Sole dependet, dubio procul, eam apud univerſam poſteritatem vobis laudem, & nomen, comparaturi, ut præter vos, nullos alios in hac Diœceſi, Eccleſiæ Dei, & ſalutis animarum amantiores, neque præteritis temporibus, neque præſentibus, fateantur extitiſſe omnes. Precor ergo CHRISTUM JESUM, Inſtauratorem vitæ, & ſalutis noſtræ Vindicem Optimum Maximum, ut eam vobis omnibus mentem inſpiret, eam ſuggerat alacritatem, eas vires ſuppeditet, quibus tantopere exulceratis, & pene jam perditis rebus, diſſenſionibus nimirum in Religione, & in vita communi malis moribus, ſalutare auxilium & ſolatium, ex hoc præſenti in Chriſti nomine congregato conventu afferatis, Dixi.

Finita Oratione, Reverendus Dominus *Joannes Jerger*, Promotor Synodi, juſſu Illuſtriſſimi Principis ex eodem ſuggeſtu legit *Præfationem Synodi*, *publicationem Concilii Tridentini complectentem*, ut ſequitur:

PRÆFATIO.

IN NOMINE SANCTISSIMÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI, AMEN.

CUm Doctrina Chriſtiana, ea parte, qua ſua præcepta certa quadam methodo, modo, ac ratione tradit, humanis quibusque diſciplinis non ſit abſimilis, neceſſe eſt, ut quemadmodum iſtæ, ita & illa, certa quoque ac propria principia habeat, a quibus & ortum ſuum, atque incrementa agnoſcat, & ſimul arma oppugnandis, proterendisque hoſtibus neceſſaria, depromat. Iſta porro principia ſunt, primo quidem ac maxime proprie, res omnes Symbolo Fidei Sanctorum Apoſtolorum traditæ, deinde ea univerſa, quæ Divinitus inſpirati loquuti ſunt Sancti Dei omnes. Quæ etſi primævæ originis, ab ipſis Apoſtolis deductæ, demum & firma Sacrorum Conciliorum, & Sanctorum Patrum authoritas, indubitata, atque certiſſima efficit: Non deſunt tamen corruptiſſimo hoc ævo plurimi, qui certas fidei doctrinæque Chriſtianæ baſes humanæ ſapientiæ viribus evertere moliuntur, quamque exquirere velle videntur doctrinam, ejus principia non minus impie & pertinaciter, quam imprudenter, & malitioſe impugnant.

Quorum omnium principiorum (ut & ipſius legis) fundamentum ac Caput unum eſt *Chriſtus Jeſus*, Mediator Dei, & hominum, qui in ſinu Patris exiſtens plenitudine temporis adveniente, hæc omnia non quibusvis promiscue hominibus clarius revelavit, & uberius impertivit, ſed præelectis tantum a ſe Apoſtolis, per quos etiam traditam cœleſtem doctrinam in omnem terram ſub Petro Principe diſſeminavit, iisdem docentium verbis, quos orbi univerſo aſſignavit, finibus conſtitutis. Licet autem per doctrinam hujumodi eadem illa Eccleſia, quæ prius ab ipſomet Chriſto Domino, ſuper petram fundata erat, tantæ ſemper fuerit firmitatis, ut illi per milites ſuos certanti, fortiterque agenti, ipſæ portæ inferi non prævalerent, & infernus ipſe victas manus daret; nunquam tamen inquietus humani generis oſor, & capitalis hoſtis Satan ab illa oppugnanda deſtitit, excitatis etiam hac noſtra ætate hominibus Philiſtæis, quorum armis unica hæc columba impeteretur. Sed qui ſponſam ſuam ad exercitium tentari permiſit Dominus, idem ille tentationem ſupra vires procedere haud paſſus, ut olim, ita quoque noſtro hoc ævo, eidem cymbæ ſuæ, inter tot procellas & fluctus protervi maris graviter fluctuanti, ac periclitanti, jamque propemodum feſſæ, præſens auxilium & remedium benigne afferre eſt dignatus. In viris namque Apoſtolicis velut dormitans expergefactus, per Sacrum illum totius orbis Chriſtiani Conventum, Tridenti nuper habitum, doctrinam a ſe olim Divinitus traditam, ita confirmavit, & ſtabilivit, ut non cæcutientium duntaxat Hæreticorum oculos ejus clariſſima luce mire perſtrinxerit, verum etiam in denſiſſima infidelitatis caligine, apud Antipodas viventes homines longe lateque illuminaverit, illamque ipſam credentium unitatem in una fide Petri reſtitue-

rit, in qua olim prima Eccesiæ suæ jecerat fundamenta. Quam fidem Nos STANISLAUS, Episcopus Olomucensis, sincero corde amplectentes, ac unice cupientes, ut oves curæ nostræ creditæ, quarum plerasque non sine magno dolore nostro per errorum avia, furacium luporum multitudo ferri coegit, ad hanc Christi Domini & Dei nostri beneficio restitutam unitatem reducantur, in præsentia Reverendorum, & Venerabilium Fratrum nostrorum, Dominorum Decani, & Capituli Cathedralis nostræ Olomucensis, Abbatum, Præpositorum, Priorum, Collegiatarum Ecclesiarum Deputatorum, Archidiaconorum districtuum, Decanorum Ruralium, Parœciarum Rectorum, ac aliorum Sacerdotum, totiusque Cleri cujuscunque gradus, ordinis, & conditionis, in hac Synodo nostra Olomucensi congregatorum, de communi eorundem consilio, assensu, & astipulatione, exemplo Christi JEsu Dei, & Servatoris nostri, a quo fermento cavendum, quæve doctrina non sincera, & falsa vitanda esset, monentis, atque ut D. Mathæus scribit, confessionem veræ fidei ab Apostolis exigentis, tum etiam Sacris Legibus edocti, ac instituti, ut Summi Pontificis Pii IV. fel. rec. mandato, tanquam Filii Ecclesiæ obedientissimi, pareamus, in hac nostra prima Synodo, ad Majorem Dei Gloriam, nostrum omnium salutem, Sanctæque Orthodoxæ Religionis propagationem, fœlicibus (quod Deus glorioſus bene vertat & faxit) auspiciis inchoata, prompto & alacri animo, Sacrosanctum Oecumenicum, & Generale Concilium Tridentinum Sancte & reverenter palam recipimus, atque amplectimur, a Nobis, Successoribusque nostris, nec non universo Diœcesis nostræ Clero, in judicio, & extra judicium sancte & inviolabiliter in posterum sine ulla exceptione vel tergiversatione servandum: Rati ex eo tanto certiorem rite credendi, ac bene, honesteque vivendi normam nos deprompturos esse, quanto majori totius Christiani orbis consensu, Spiritus Sancti nutu, universa ejus Decreta novimus emanasse. Hujus itaque Sacrosancti Oecumenici Concilii Tridentini Canones, & Decreta vobis omnibus præsentibus, qui Sancte, & religiose moniti, una nobiscum in ejusdem receptionem consensistis, sicut & aliis quibusque absentibus in præsentiarum proponimus, promulgamus, in usum inducimus, publicamusque, omnes & singulos paterne in Domino monentes, atque etiam in virtute sanctæ obedientiæ præcipientes, ut inposterum secundum eadem vos gerere, inque munerum vestrorum ministeriis & officiis quam maxime iisdem conformare apprime studeatis: sicut & nos, ut ab omnibus Diœcesis nostræ subjectis observentur, pro virili nostra, & quoad fieri poterit, curaturi sumus. Et si quæ difficultates super eorum exequutione subortæ fuerint, Reverendissimum, & Illustrissimum Dominum, ad Sacram Majestatem Cæsaream, Dominum nostrum Clementissimum, Nuncium Apostolicum, vel etiam ipsum Sanctissimum Dominum nostrum, Sedemque Apostolicam, si necesse fuerit, consulturi, atque earum declarationem, moderationem, & limitationem, quemadmodum id ipsum idem Sacrum Concilium Tridentinum indulget, (a) demisse petituri. In præsenti vero nostra Synodo, in omnibus iis, quæ orthodoxam, Catholicam, Romanam Fidem concernunt Decreta, & placita ejusdem Sacrosancti Concilii Tridentini sine ulla hæsitatione amplexi, ea, quæ ad Cultum Divinum rite, & decenter peragendum, disciplinæ Ecclesiasticæ reformationem, & vitæ, morumque Cleri nostri correctionem, ex moderni status, & necessitatis Diœcesis nostræ ratione pertinere visa sunt, inhærendo Sacrorum Canonum, & præfati Sacri Concilii Tridentini Decretis, nonnullas salutares Constitutiones sanciendas & edendas duximus.

Lecta Præfatione, & publicatione Concilii Tridentini facta, Illustrissimus Princeps, primam Constitutionem Synodalem per prædictum Promotorem Synodi clara voce ex loco eminentiore legi mandavit, Promotorque eam legit, ut sequitur:

CA-

(a) Concil. Trid. Sess. 22. de recipiend. & observand. Decret. Concilii.

CAPUT I.

De Profeſſione Fidei ab omnibus facienda.

QUia corde creditur ad juſtitiam, ore autem confeſſio fit ad ſalutem, idcirco in hac noſtra Synodo in primis ſtatuimus, & decernimus, ut ad teſtificandam unitatem fidei, quæ in unica Chriſti Eccleſia ſtatim ab ipſo ſui exordio invariabilis ſemper fuit, & ad finem uſque ſæculi poſt Beatum Petrum Apoſtolorum Principem continua Romanorum Pontificum ſucceſſione, ſecundum Servatoris noſtri repromiſſionem, eidem Petro factam, eſt duratura; univerſi, & ſinguli Prælati, aliique Presbyteri, nec non reliqui Clerici, tam ſæculares, quam Regulares ad unum omnes, qui Synodo huic interſunt, ex formula per Pium, felicis recordationis Papam quartum præſcripta, & edita, ante ulteriorem Synodalium tractationem Fidei Profeſſionem emittant, idque in locis coram perſonis per Promotorem Synodi demonſtrandis, & aſſignandis.

Ejusdem quoque Sacri Concilii Tridentini innixi Decreto (*b*) ſtatuimus, ut omnes & ſinguli Prælati, Canonici, Parochi, Presbyteri, Clerici tam ſæculares, quam Regulares, nec non omnes, qui beneficia Eccleſiaſtica cum & ſine cura animarum habent, vel habituri ſunt: item Magiſtri, Licentiati, Doctores, in quacunque Facultate promovendi, vel jam promoti, Scholarum Rectores, Baccalaurei, Pædagogi, nec non ii, qui artem ſcribendi in lingua Bohemica, & Germanica, & Arithmeticam in oppidis ac civitatibus profitentur: ſimiliter & alii quicunque, qui munus alios verbo, aut ſcripto docendi, inſtituendi, & prædicandi habent, dictam Fidei Profeſſionem, antequam ad exercitium ſuorum officiorum, dignitatum, & beneficiorum Eccleſiaſticorum poſſeſſionem admittantur, emittere, omnesque ii, qui in Synodo Diœceſana poſthac convenire debebunt, idem facere teneantur.

Qua Conſtitutione perlecta, Illuſtriſſimus Dominus, nec non Domini Prælati ſæculares, & Regulares, aliique omnes Clerici, qui Synodo interfuerunt, flexis genibus fecerunt Profeſſionem Fidei, ſecundum formulam Bullæ PII Papæ Quarti, una omnes clara voce, præeunte in verba ejusdem Profeſſionis Reverendo *Domino Georgio Sekera*, Sacræ Theologiæ Baccalaureo, Canonico Olomucen. dictæque Synodi altero Promotore, ac demum tactis Scripturis, ſinguli jurarunt in omnia contenta, in dicta formula Profeſſionis Fidei, dicendo: *Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.*

Forma autem Profeſſionis Fidei hæc eſt: *Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ &c.*

Facta per omnes, & ſingulos Fidei Profeſſione, juſſu illuſtriſſimi Principis lecta fuit ſecunda Conſtitutio Synodalis per primum Promotorem, una cum Bulla PII Papæ Quarti, ut ſequitur:

CAPUT II.

De Libris hæreticis & prohibitis non legendis, neque retinendis.

SIcut turpe, indecorum, & periculoſiſſimum eſt, eum, qui militari obſtrictus Sacramento, in bellum ſine armis, tam proprii corporis defenſivis, quam adverſarii viribus retundendis neceſſariis prodire: ita ſane & Sacerdotem, ex cujus labiis Divinæ Legis requiritur ſcientia, opprobrioſum & periculoſum eſt, ſine libris, qui contra ſpiritualia nequitiæ adverſariorum humani generis tela, defenſiones ac arma ſubminiſtrant, in officio ſuo verſari. Proinde ſtatuimus, ut quilibet noſtræ Diœceſis Sacerdotum, & Clericorum ſæcularium, & regularium libros Catholicos, & approbatos duntaxat, pro ſui quisque captu ingenii, & officii ratione legat, omnes vero eos, quorum authores Sancta Mater anathematizat, & rejicit Eccleſia, & Sedes Apoſtolica, uti hæreticos, & erroneos, quemadmodum & Magicos, ac ſuperſtitioſos, nec non obſcœnos quosque fugiat, neque eos legere, aut retinere, ſine expreſſa

(*b*) Seſſ. 23. Cap. 12. de Reform.

preſſa Sedis Apoſtolicæ, aut noſtra ejusdem Sedis authoritate, licentia in ſcriptis obtenta, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda præſumat.

Archidiaconi proinde diſtrictuum, viſitationes facturi, diligenter Bibliothecas Sacerdotum perluſtrabunt, & ſi quos prohibitos tam in indice librorum vetitorum, ex Decreto Sacri Concilii Tridentini edito, contentos, quam eos, qui poſtea emanarunt, & hucusque in lucem prodeunt, libros invenerint, auferent, atque contra eos, qui Decreto huic in abjiciendis talibus libris non paruerint, tanquam contumaces, & de hæreſi ſuſpectos, diligenter juxta tenorem Bullæ Pii IV. Pontificis Maximi, inquirant, procedant, & in eos animadvertant. Et ne forte ignorantia, etiam hac in parte, excuſationem aliquibus, facile ad effugia quæcunque pronis pariat, mandamus, ut exempla Concilii Tridentini quisque Sacerdotum-, & aliorum quorumvis Clericorum ſibi emat, quo & ſalutaria ipſius Decreta ediſcere, & librorum prohibitorum Catalogum, qui ad calcem ejusdem Concilii, una cum prædicta Bulla Pii IV. extat, ad manum ſemper habere poſſit, cujus Bullæ tenorem hic pro majori omnium cautela, & ejus rei evidentia ſubjici mandavimus.

PIUS Papa IV. ad futuram rei memoriam. Dominici gregis cuſtodiæ, Domino diſponente, Præpoſiti, &c. Vide Tomo noſtro VI. pag. 945.

Abſoluta lectione ſecundæ Conſtitutionis, & Bullæ prædictæ, Illuſtriſsimus Princeps, peractis cæremoniis, admodum Reverendos Dominos Prælatos, tam ſæculares, quam Regulares clara voce interrogavit, an illis placeat, ut primæ Seſsioni finis imponatur: quibus reſpondentibus: *Placet*, alteram Seſsionem, pro die craſtina, nempe XIII. Novembris indixit, utque hora ſolita ad ſonum campanæ omnes & ſinguli convenirent, injunxit: & antequam congregatio ſoluta eſſet, Judices Synodales, qui cauſas & controverſias Cleri audirent, examinarent, & fine Canonico terminarent, per Cancellarium ſuum publice nominari mandavit, nimirum admodum Reverendos Dominos, *Melchiorem Pirneſium*, Decanum: *Joannem Styrski a Styra*, Præpoſitum: *Theodorum Engls*, LL. Licentiatum, Archi-Diaconum & Officialem: *Ulricum Rittmannum*, J. U. Doctorem, Canonicum præfatæ Eccleſiæ Olomucenſis. Qua publicatione facta, omnes diſceſſerunt in pace.

SESSIO SECUNDA.

Die XIII. Menſis Novembris Admodum Reverendi Domini Prælati ſæculares, & Regulares, Parochi, Presbyteri, aliique Clerici, qui die præcedenti Synodo intererant, ad pulſum campanæ in præfata Cathedrali Eccleſia Olomucenſi congregati fuere. Tunc Sacro Miſſæ Sacrificio ad ſummum Altare, per Admodum Reverendum Dominum Decanum Olomucenſem, de Sancto Spiritu cantato, ac decenter ſolenni ritu peracto, Illuſtriſſimus Princeps pluviali albo amictus, ſub Pontificali infula, cumque pedo ex Sacrario egreſſus, altare majus acceſſit, ſequentibus ſe Dominis Prælatis ſæcularibus & regularibus, ſingulisque loca ſibi per Promotores aſſignata occupantibus. Tunc Illuſtriſſimus Dominus incepit Antiphonam: *Propitius eſto*, ut in Pontificali habetur, Choro proſequente: demum Hymnus, *Veni Creator*, cantatus fuit a Choro, & toto Clero, aliæque cæremoniæ, & orationes, juxta Pontificalis tenorem decenter ſunt peractæ. Reverendus itaque Pater *Leonardus Rubenus*, *Societatis JEſu Theologus*, *& Seminarii Olomucen. Regens*, ex ſuggeſtu orationem habuit de officio Paſtoris & dignitate Sacerdotali, in hæc verba.

ORATIO.

ETſi verear, Reverendiſſime, & Illuſtriſſime rerum Divinarum Antiſtes, Venerabiles, Reverendi, & Eccleſiaſtici Viri, cæterique Auditores, ne turpe ſit, de officio Paſtorum Eccleſiæ dicere incipientem, pertimeſcere; multa tamen ſunt, quæ præter rei ipſius, de qua dicturus ſum, excellentiam, mihi timorem hoc loco hodierna luce afferunt. Etenim video me corona conſeſſus veſtri cinctum ampliſſima, conſpicio me antehac vix uſitata Religioſorum Ordinum & Prælatorum frequentia ſtipatum, cerno complures pietate, vitæ & morum integritate, doctrina ipſa & dicendi facundia, me longe ſuperiores adeſſe, ut me, ſi non perorantem, attamen balbutientem, vel lingua hæſitantem audiant. Ante oculos mihi verſatur is, qui rem Eccleſiaſticam univerſam per omnes Moraviæ fines, quaſi in ſpecula conſtitutus, cum ſpectata virtute, ſingulari doctrina, rara pietate, tum & ipſa ſpecie corporis tuetur. Adeſt, qui ut agnoſcat vultum

peco-

pecoris ſui, & oves omnes ſuæ fidei concreditas, in ſuum ovile congreget, hanc Sanctam Synodum conſtituit, ut penitus introſpiciat, vel quibus inſidiis grex ſibi commiſſus antehac petitus, vel certe quibus præſidiis a luporum rabie ſeptus in poſterum eſſe queat. Dignæ Paſtore, Præſule, Epiſcopo, Principe, partes. Quæ quidem omnia, neſcio, quid dicenti horroris afferant, neſcio, quam novi hujus judicii nova forma oratoris terreat oculos. Sed me recreat, & reficit, quod non mea, ſed Illuſtriſſimi Principis voluntate & arbitrio, hunc locum ad dicendum ornatiſſimum conſcenderim, quæ res non periculum mihi, ſed prælidium denunciat, neque ſolum, ut quieto, ſed etiam ut magno ſim animo, hortatur, neque auxilium modo orationi meæ, ſed & benevolentiam, & ſilentium pollicetur. Fretus etiam veſtro, cæteri Auditores, in me ſtudio, omnem mihi attentionem polliceor, cum aliis de cauſis, tum vel maxime, quod de Sacerdotum & Paſtorum munere ſim verba facturus hic, ubi locus huic orationi datus ab ampliſſimorum Ordinum lectiſſimis Viris.

Ut vero rem hanc ſcitu digniſſimam aggrediamur, id velim intelligant, ſi qui auditorum adſunt, vel qui minus huic Sanctiſſimæ Præſulum, & Sacerdotum coronæ faveant, vel omnino cum hæreticis ſentiant, Ordines Sacros omnes in eo tantum conſiſtere, ut ſint Miniſtri, uti vocant, verbi, nos id, qua ii temeritate aſtruunt, eadem fidei conſtantia inficiari. Novimus nos in Eccleſia Paſtores, Prælatos, Præpoſitos, Epiſcopos: novimus D. Paulum non tantum dicentem, *qui docet in doctrina*, [c] ſed etiam ſubjungentem, *qui præeſt in ſolicitudine*: novimus eundem hortatum Hebræos: *Obedite Præpoſitis veſtris*, (d) *& ſubjacete illis, ipſi enim pervigilant, quaſi rationem reddituri pro animabus veſtris, ut cum gaudio hoc faciant, & non gementes.* Idem non tantum Miniſtros, ſed & diſpenſatores Myſteriorum Dei requirit. Idem Mileti coacto Epiſcoporum Concilio, eos vel hoc nomine ad rem Eccleſiaſticam digne adminiſtrandam cohortatus eſt, quod a Spiritu Sancto poſiti fuerint, regere Eccleſiam Dei. Age vero, unde initium adminiſtrationis hujus ſument? Utique a domo propria, & familia ſuæ fidei concredita. Hinc totam domum everrere oportet, cum muliere non carnali, ſed Evangelica ſcopas adhibere, admovere faces, illuſtrare focos, triclinia, cubicula, demum ædium angulos omnes, ſi quid latitare conſpexerint, quod ſaluti tum propriæ, tum aliorum obicem conſtituat, id ſcopis etiam adhibitis everrere, quo drachma perditum inveniatur: videre, quos alant, qua fide, qua in Deum pietate & conſcientiæ integritate, demum quibus moribus conſpicuos. Itane vero? ita profecto. Si enim D. Paulus a vidua ſingularem domus gubernationem requirit, dum inquit: *Si quis* [e] *ſuorum, & maxime domeſticorum, curam non habet, fidem negavit, & eſt infideli deterior*; quid a Sacerdote, quid ab animarum Præſule exiget, cum eum vult ſuæ domui bene præpoſitum, quod uſque adeo neceſſarium oſtendit, ut ſine eo Paſtor minime eſſe poſſit. *Si enim quis ſuæ domui præeſſe neſcit*, (f) *quomodo Eccleſiæ Dei diligentiam habebit?* Erit is quidem Paſtor, ſed adumbratus, ſed adulterinus, ſed, ut cum Zacharia loquar, Paſtor & idolum, non diſſimilis moribus Sobnæ Præpoſito templi, quem Iſaias, jubente Domino, graviſſimis verbis coarguit. Ut vero magna cum domeſticorum, tum aliorum cura teneantur, quis ambiget neceſſe fore, ut Divino inprimis amore ſint incitati, atque adeo inflammati? Etenim quid aliud, dum Filius Dei optimi Paſtoris partes Petro detulit, tertio repetito ſermone in eo expetiit, niſi amorem Chriſti? Quo tertia quoque reſponſione confirmato, audiit: *Paſce oves meas.* (g) Dignum te mearum ovium Paſtorem, Apoſtolorum Collegio, imo univerſo terrarum orbi, renuncio, a quo non vereor, oves ad ſanguinem emulgendas, non timço lanam una cum pelle tondendam, nedum viſcera ipſa eruenda; verum, quem arbitror, anima & ſanguine proprio, a luporum nefaria rabie oves meas vindicaturum, ac proinde te, uti prudentem, & fidelem mihi ſervum, ſupra familiam meam, Vicarium, Rectorem, & Paſtorem conſtituo. Hinc illæ voces D. Pauli, omnibus Præſulibus digniſſimæ, poſita prius infinitorum pro Chriſti Evangelio ſuſceptorum periculorum ſerie, *Quis*, inquit, *infirmatur*, (h) *& ego non infirmor? Quis ſcandalizatur, & ego non uror?* Nec hic amori ſuo terminum, metamque figendam putat, niſi etiam alibi aſſerat, ſe *anathema* futurum *a Chriſto*, (i) *pro fratribus* ſuis, *qui ſunt ſecundum carnem.* O quanta tibi D. Paule amoris, & exactorum certaminum gloria manet? Nobis vero, ut eandem cum D. Paulo aſſequamur, pari ſtudio contendendum erit. Ac proinde ſi re noſtra fuerit, ut omnibus iis negotiis, quæ vel ſpecie ipſa nos ab animarum cura avocant, nuncium mittamus.

Jam enim, ſi querimoniam, aſſiduo

(c) Rom. 12. (d) Hebr. 13. (e) 1. Timoth. 5. (f) 1. Timoth. 3.
(g) Joan. 21. (h) 2. Cor. 11. (i) Rom. 9.

fletu, lachrymisque digniſſimam ! videre eſt plurimos, qui ordinis, dignitatis, & Magiſtratus ſui obliti, iis negotiis, quæ olim, nec ipſis quidem, qui in Eccleſia erant contemptui, concedebantur, ultro citoque ſe ingerunt, & ſummo laicorum ſcandalo ſeſe implicant. Nobis certe aliud acclamat D. Paulus: *Nemo militans Deo* [k] *implicat ſe negotiis ſæcularibus, ut ei placeat, cui ſe probavit.* Sed ubi nunc illa tua, D. Paule, Timotheo tradita doctrina? Adhibe, quas potes faces, circumſpice omnes angulos, vide, ſi eſt, qui ex his negotiis ſeſe expediat. Non quidem negaverim, eſſe; at pauciſſimos. Ad vivos revertatur oratio. His expediti, negotia agent Dei, & imbuent ſe ſcientia Sacerdote digna. Quid enim Ezechiel a Sacerdote requirit, ut inter pollutum & immundum dijudicet? Scientiam. Quid Malachias ab eodem, cum Angelus Domini exercituum ſit? Scientiam. Id vero verius eſſe, ex eo conſtabit, ſi Deo, Divisque omnibus inviſam Sacerdotum ignorantiam æqua judicii trutina examinaverimus. Ereenim quam graviter eorum inſcitiam ferat Dominus, teſtis eſt Iſaias: *Speculatores*, inquit, *ejus omnes cæci*, (l) *neſcierunt univerſi: canes muti, non valentes latrare: videntes vana, dormientes, & amantes ſomnia. Et canes impudentiſſimi, neſcierunt ſaturitatem. Ipſi Paſtores ignoraverunt intelligentiam, omnes in viam ſuam declinaverunt, unusquisque ad avaritiam, a ſummo uſque ad noviſſimum. Venite, ſumamus vinum, & impleamur ebrietate, & erit ſicut hodie, ſic & cras, & multo amplius.* Quid vero Jeremias? *Sacerdotes* [m] *non dixerunt, ubi eſt Dominus? Et tenentes legem, neſcierunt me, & Paſtores prævaricati ſunt in me.... Propterea adhuc judicio contendam vobiscum, ait Dominus, & cum filiis veſtris diſceptabo.* Quid Ezechiel: *Sacerdotes* [n] *ejus contempſerunt legem meam, & polluerunt Sanctuaria mea: inter ſanctum, & profanum, non habuerunt diſtantiam, & inter pollutum & immundum non intellexerunt.* Quid ergo? *Et effudi ſuper eos indignationem meam,* [o] *in igne iræ meæ conſumpſi eos: viam eorum in caput eorum reddidi, ait Dominus Deus.* Has minas juſtitiæ (p) Sacerdotum intentatas, quis non ſtupefactus exhorreſcat, quæ ipſorum dæmonum nos filios conſtituit? *Filii* ſiquidem *Heli*, (q) *filii Belial, neſcientes Dominum, neque officium Sacerdotum ad populum.* Sumite itaque optimi Paſtores, Sacrorum Bibliorum volumina: volvite Eccleſiaſticos & Sacrorum Conciliorum, inprimis Concilii Tridentini Sacros Canones: ſumptus præcipuos in colligendis & conſervandis Bibliothecis, ut ſempiterna ſtudii, & doctrinæ veſtræ vigeat memoria, impendite: date operam, ut nihil vos lateat eorum, quæ ad tuendam cum propriam, tum proximi (r) Sancti Patres tradiderunt. Figite animis veſtris, Apoſtolorum facile Principe Petro dignam ſententiam: *Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris*, (s) *parati ſemper ad ſatisfactionem, omni poſcenti vos rationem de ea, quæ in vobis eſt ſpe*, & fide. Pertimeſcite dictum [t] Prophetæ: *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.*

Hac vero ſcientia acquiſita, neceſſe eſt, ut quivis in hanc cogitationem veniat, ſe ſpeculatorem gregis Chriſti conſtitutum, & ſibi id, quod Ezechieli, dictum exiſtimet: *Fili hominis:* (u) *Speculatorem dedi te domui Iſrael.* Quid ita? Ut enim ſpeculatoris eſt, de editiori loco plus omnibus contemplari; ita neceſſe eſt, ut Paſtor propoſita dignitatis ſublimitate & altitudine, majori ſcientia inſtructus ſit, quo aliorum miſeriis & neceſſitatibus valeat proſpicere, & clamet cum Iſaiaco Leone: *Super ſpeculam Domini ego ſum*, (x) *ſtans jugiter per diem: & ſuper cuſtodiam meam ego ſum, ſtans totis noctibus.* Qua in ſpecula conſtitutus, videat, quam parum tutus grex Domini ſit a fraude nequiſſimorum Dæmonum: videat, ex quo occultis inſidiis in apertum latrocinium conjiciatur. Quo viſo acclamet, ut is apud Iſaiam in ſpecula conſtitutus: *Surgite Principes, arripite clypeum.* Quid eſt hoc? Defigite oculorum aciem in terribiles adverſariorum copias, intueamini phalanges aſperas, non ex ſenibus deſperatis, non ex agreſti luxuria, non ex helluonibus, decoctoribus, vadimonii deſertoribus collectas, non ferro, ſcuto, telisque hiſce vilioribus circumſeptas, ſed exercitus omni armorum genere, quibus non provocati nos laceſſant, inſtructos, quibus ad intentanda omnia nobis adverſa, ingenium ipſis ſuum abunde ſatis eſt. *Non* enim *eſt nobis colluctatio* [y] *adverſus carnem & ſanguinem; ſed adverſus Principes & Poteſtates, adverſus mundi Rectores tenebrarum harum, contra ſpiritualia nequitiæ in cœleſtibus.*

Vis alium exercitum ſpectare, immanem ac crudelem, gregi iſti inſidiantem? Hunc ipſum tibi de eadem ſpecula ſpectare licebit. *Caro*, inquit, *concupiſcit adverſus ſpiri-*

(k) 2. Tim. 2. (l) Iſa. 56. (m) Jerem. 2. (n) Ezech. 22.
(o) Ibid. (p) *Legendum arbitror:* inſcitiæ. (q) 1. Reg. 2.
(r) *Supple:* ſalutem, *vel quid ſimile.* (s) 1. Petr. 3. (t) Oſeæ 4.
(u) Ezech. 3. (x) Iſa. 21. (y) Epheſ. 6.

ſpiritum, (z) & *ſpiritus adverſus carnem: hæc enim ſibi invicem adverſantur.* Quod quam grave ſit duellum, vis, & eventus ipſi enunciant. *Manifeſta* enim *ſunt opera carnis*, [a] *quæ ſunt fornicatio, immunditia*, & quæ ſequuntur. Hinc oritur vigilantia cum cura, quanta poteſt eſſe maxima, cum ſciat ſibi rationem de ſingulis animabus reddendam exactiſsimam. Etenim qui oves perdiderit, vel lupis rapientibus, vel latronibus adorientibus, vel lue aliqua, aut alio id genus caſu ſæviente, is forte aliquam a Domino gregis veniam impetret: ſi vero pœnas exiget, damnum non niſi pecunia conſtat; At vero, ſi cui Chriſti grex commendatus, is animam pro anima reddat, neceſſe eſt. Nam ſi is, qui ſcandalum dederit uni ex minimis agniculis gregis hujus, id conſequitur pœnæ; ut Divino judicio dignus cenſeatur mola aſinaria, qua collo ejus alligata, in profundum maris præceps agatur; quid de eo ſtatuendum, cujus ſupina negligentia anima minima ex altiſsimo dignitatis gradu ad tartara præcipitatur? Neque enim ſine cauſa graviſsimi periculi denuntiatione terret Ezechielem, dicens: *Si me dicente ad impium:* (b) *Impie, morte morieris; non fueris locutus, ut ſe cuſtodiat impius a via ſua; ipſe impius in impietate ſua morietur, ſanguinem autem ejus de manu tua requiram.*

Videor mihi videre, aliquos magno animi mei ſenſu, harum rerum commemoratione excitari, ad functionem hanc, quam ante hac, majori diligentia obeundam: alios vero munus hoc ſuſceptum, ob rei cum dignitatem, tum gravitatem reformidare. Ex his primos perbeatos, poſtremos infeliciſſimos merito dixerim: quod ex iis, qui etiam inviti ad dignitates evecti ſunt, facili conjectura aſſequemur. Nam ſi ii hoc nomine excuſari non potuerunt, nos qua ratione crimen hoc a nobis removebimus, aut a graviſſima culpa eximemus? Reclamavit vocationi ſuæ Ezechiel, at compulſus ire ad gentes Apoſtatrices, ad filios dura cervice & indomabili corde, ad domum exaſperatricem, & exaſperantem, ad ſubverſores & ſcorpiones, ad domum Iſrael attrita fronte, ac ita quidem compellitur, ut ni eat, ni dicat, ni arguat, ſe in perpetuum animæ diſcrimen adductum iri ſentiat. Moyſes unus, & facile primas e ſacrorum virorum numero, tantum abfuit a Judæorum præfectura, quod eam etiam detrectarit, ita ut Deum pene iratum in ſe concitarit; nihilominus cum ad aquas contradictionis deliquiſſet, nihil illi aſſiduæ principatus ſui recuſationes profuerunt. Neque etiam Heli, ſtudio aut cupiditate honorum & ambitione ductus dignitatem Judicis & Sacerdotis ſibi paravit; hic tamen ob male in filios adminiſtratam functionem, cervice confracta, periit. Quid Saulem commemorem, qui omnium Regum Judæorum primus, tantum abeſt, ut Regni Iſraelitici gubernacula ambierit, ut errantes potius Patris aſinas quæſierit, quemque cum a Samuele Rex renunciaretur, domi latitantem Dominus manifeſtaverit. Aſt nunquid hæc cunctatio, hæc declinatio Regni ſuſcipiendi, poſt ejus patrata in regno adminiſtrando crimina, obicem objecit Divinæ vindictæ? Nunquid repreſſit, a Domino in Saulem latam ſeveram, gravemque ſententiam? Quare nullus ſe extra omnem cauſam, culpamque poſitum arbitretur, ſi coactus ad hanc functionem ſuſcipiendam, eam poſtmodum non ea vigilantia & ſingulari virtute, qua debuit, adminiſtraverit. Hac itaque quiſque vigilantia, ubi aliquid viderit deeſſe gregi, quam celerrime advolet, & ſibi id Sapientis dictum arbitretur: *Diſcurre,* (c) *feſtina, ſuſcita amicum tuum: ne dederis ſomnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ. Eruere quaſi damula de manu, & quaſi avis de manu aucupis.* Tum aggredienda ovis, ſumma inprimis lenitate animi. Aliter enim cum ovibus, & iis perditis, aliter cum lupis rapacibus agendum eſſe cenſeant. Videant, quam leniter aggreſſus ſit Corinthios D. Paulus: *Spero*, inquit (d), *quod uſque in finem cognoſcetis, ſicut & cognoviſtis nos ex parte, quod gloria veſtra ſumus, ſicut & vos noſtra, in die Domini noſtri* JESU CHRISTI. Et infra: *Adjutores* (e) *ſumus gaudii veſtri.* Cujus animus ad hæc ſimilia Paſtoris colloquia non exardeſcat, & ſtudio emendationis inflammetur? His ſuccedant admonitiones, exhortationes, conciones, ſumma cum doctrina conjunctæ, *Arma* liquidem *militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed potentia Deo ad deſtructionem munitionum, conſilia deſtruentes, & omnem altitudinem, extollentem ſe adverſus ſcientiam Dei, & in captivitatem redigentes omnem intellectum in obſequium Chriſti.* Oportet enim Paſtorem continentem eſſe, *amplectentem eum,* (f) *qui ſecundum doctrinam eſt, fidelem ſermonem: ut potens ſit, exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere*: oportet, ut ſermo Chriſti habitet in nobis cum omni ſapientia. Quantum vero interſit, hoc medio eſſe inſtructum: idem teſtis eſt. *Attende tibi,* (g) *& doctrinæ: inſta in illis: Hoc enim faciens, te ipſum ſalvum facies, & eos, qui te audiunt*: ſiquidem, *qui bene* [b] *præſunt Presbyteri, duplici honore digni* ſunt,

(z) Gal. 5. (a) Ibid. (b) Ezech. 33. (c) Prov. 6.
(d) 2. Cor. 1. (e) Ibid. (f) Tit. 1. (g) 1. Tim. 4.
(b) 1. Tim. 5.)

ſunt, *maxime qui laborant in verbo, & doctrina.* Rem hanc, vita & tactis illuſtraſſe D. Paulum, D. Lucas teſtis eſt. Hic enim teſte conſcientia, Epiſcopis omnibus, Mileti congregatis, auſus fuit dicere: *Vigilate*, memores, *quod per* (*i*) *triennium nocte ac die non ceſſaverim, cum lacrymis monens unumquemque veſtrum:* Ita vult, ut accedat inprimis vitæ & morum noſtrorum integritas, & clariſſimis monumentis teſtata, conſignataque vitæ Sanctitas. *Qui* enim *alios doces*, [*k*] *te ipſum non doces. In omnibus*, inquit (*l*), *te ipſum præbe exemplum bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate, verbum ſanum, irreprehenſibile; ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens malum dicere de nobis.* Ac talis, cum & faciat, & dicat, *magnus*, ut Chriſti (*m*) fert ſententia, *in regno cælorum* cenſebitur. Huic ſi accedat ſingularis animi ſenſus, qui ob res adverſas, & peccata populi ſuſcipitur, ſimiles erunt Davidi, qui luxit interitum Abſolonis: Moyſi, qui populi ſcelus in idololatria patratum, deflevit, & rerum novarum & exitialium ſtudioſum, multis lachrymis proſequutus eſt: ſimiles Patriarchæ Jacob, qui viſa tunica Joſeph, ſanguine conſperſa, querebatur. Erit ex eorum numero, de quibus (*n*) Malachias: *Inter veſtibulum & altare plorabunt Sacerdotes, Miniſtri Domini, & dicent: Parce populo tuo: & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, ut dominentur ejus nationes.*

Accedat poſtremo Sacramentorum quam fidiſſima diſpenſatio. In quorum adminiſtratione linceos oculos adhibeat ad ſummam animi munditiam, & vitæ Sanctitatem, & corporis puritatem: *Sacerdotes*, inquit ille, *qui accedunt ad Dominum, ſanctificentur, ne forte percutiam eos.* Et: *Qui habuerit maculam, panes non offerat Deo ſuo*, nec accedat ad miniſterium ejus: memores ſimul illius Poetæ:

Vos quoque abeſſe procul jubeo: diſcedite ab aris
Queis dedit heſterna gaudia nocte Venus.
Caſta placent ſuperis. Pura cum mente venite,
E manibus puris ſumite fontis aquam.

Quid ita? Etenim ſi Moyſes legem Domini accepturus, omnibus triduo interdixit uſum Matrimonii: *Eſtote*, (*o*) inquit, *parati in diem tertium, & ne appropinquetis uxoribus veſtris*; quid Sacerdotibus noſtris fugiendum ſtatueris, qui non legem, ſed Legislatorem ſuſcepturi ſunt? Unde & D. Paulus vult, ut nos Miniſtros Chriſti in caſtitate exhibeamus. Advertant deinde, ne exteriores in templo, rebusque Divinis, internarum in corde ſordium ſint indices. Quare ſi ſupellectilem ſuam nitidam, comptam, & ſordibus omnibus deterſam volunt; agant Dei negotia, adſit templis ornatus, qui aulam, qui menſam Dei deceat. Lavantur pallæ ſacræ altarium, mappæ, ſtrophiola: purgentur calices, patenæ, ciboria: Tum vero ornatus Sacerdotalis munditiam ſingularem præſeferat, cum multorum Angelorum frequentia ſtipatus, Sacris operaturus, templum, chorum, ipſas ſacras aras accedit. Mirum enim dictu eſt, quantum conferat, his quaſi armis ſeptum, ad legationem iſtam procedere, & impetum Divinæ contra nos ſævientis iræ a cervicibus hominum, ipſis Angelis obſtupeſcentibus, arcere. Etenim jam Chore, Dathan, & Abiron nefandæ conjurationis Principibus æternis ſuppliciis, vivis mortuisque mactatis, cum plurimi acervatim ex populo concidiſſent mortui; Aaron interſtitit, & vim ignis cohibuit. At qua ratione? *In veſte*, inquit Sapiens (*p*), *poderis, quam habebat, totus erat orbis terrarum* (ut in Sacerdotum veſte tota Chriſti paſſio) *& parentum magnalia in quatuor ordinibus lapidum erant ſculpta, & magnificentia tua in diademate capitis ejus ſcripta. His autem ceſſit, qui exterminabat, & hæc extimuit.* O Sacerdotii incredibilem vim, cujus ſanctitas non modo in anima, ſed corpore, & veſtimentis ipſis eluceſcit! Etenim ſi in veteri hæc acta ſunt; quid in nova lege tempore noſtro fiet, ubi Principis Sacerdotum ſanctitas, & animi ſplendor, non Ovidiana quadam, ſed Divina metamorphoſi in corpus, & veſtimenta Chriſti, transmiſſa eſt? Quid ergo mirum, ſi ſacris Sacerdotum veſtibus, tanta ſanctitatis Deus edat inſignia, quibus non orbis terrarum, non parentum magnalia, ſed Chriſti Servatoris de mundo, carne, peccato, Diabolo parta victoria, non alienis ſtipendiis, ſed proprio ſanguine comparata trophæa conſcripta ſunt? Videor mihi jam videre, Illuſtriſſime Princeps, & penitius intueri, animos Paſtorum omnium mirifice incitatos, nihil moliri amplius, quam ut in eo curam, cogitationemque omnem defigant, ut conſiderata dignitatis excellentia, quivis eorum ad gloriam Divinæ Majeſtatis, ad Eccleſiæ Catholicæ ſplendorem & amplitudinem, ad ſalutis cum propriæ, tum alienæ defenſionem, indies contendat. Video vos ſingulari, rerum domeſticarum ſtudio, ovium amore, contemptu rerum ſæcularium, ſcientia, vigilantia, zelo Divino, vitæ exemplo, adminiſtratione rerum Divinarum, cum omni munditia inſtructos, obviam

(*i*) Act. 20. (*k*) Rom. 2. (*l*) Tit. 2. (*m*) Matth. 5.
(*n*) Joel. 2. (*o*) Exod. 19. (*p*) Sap. 18.

viam ire ſponſo, & ſponſæ. Videor audire D. Paulum vobis acclamantem: *Qui bene* [q] *miniſtraverint, bonum gradum acquirent, & multam fiduciam in fide, quæ eſt in Chriſto JESU*, Domino noſtro. Videor videre Principem Paſtorum omnium accurrentem, vos obviis ulnis excipientem, & ſuper omnia bona conſtituentem. Quare agite, agite, inquam, & injuria horum temporum conſiderata, Eccleſiæ tot hæreſum tempeſtatibus expoſitæ, tot ſchiſmaticorum injuriis, procellisque agitatæ, veſtra diligentia, vigilantia, doctrina, integritate vitæ, ſolatio, præſidioque ſitis: & Chriſti Domini, & Antiſtitum veſtrorum exſpectationi, ſatis ſuperque fide & amore in oves veſtras incitati, ſatisfaciatis. Tum tu, Chriſte, quem propter beneficia Optimum, propter vim vero Maximum ſemper nominavimus, hos omnes inſignes animarum præſides, a nefariorum luporum ſcelerata ſocietate ſequeſtratos, æternis trophæis, tuo ſtudio, merito, & Sacroſancto Sanguine partis, auctos, cæleſtibus domiciliis excipies, & ubertate domus tuæ repletos, corona, & aureola Doctoribus & Paſtoribus digna, redimitos, ad dextram tuam conſtitues, ut qui ſpeculatores ovium ſuarum in militanti, iidem ſpeculatores æternæ tuæ Majeſtatis, in triumphanti Eccleſia, iterum ſine fine ſempiterna & lætitia exultent, & gaudio triumphent. Dixi.

Oratione finita, Reverendus Dominus Cancellarius ad mandatum Illuſtriſſimi legit, & promulgavit *Caput III. IV. V. VI. VII. Statutorum Synodalium*, ut ſequitur:

CAPUT III.

De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio debite, ac reverenter celebrando.

DIviniſſimum Sacræ Euchariſtiæ Sacramentum, quanto reliquis novæ legis Sacramentis a Chriſto Domino inſtitutis, nobilitate & dignitate, propter realem ipſiusmet Domini in eo præſentiam, antecellere non ambigitur; tanto majori quoque veneratione & cultu exquiſitiori eſt proſequendum ab iis, quorum ſalutis cauſa inſtitutum fuit. Ac proinde (r) & actus ipſe myſticus, quem Miſſam vocant, in quo per conſecrationem, oblationem, & communionem, Paſſionis Dominicæ jugis in Eccleſia Dei, juxta præceptum ejusdem Domini ſit memoria, eo majori cum dignitate ac decentia eſt peragendus: quo ſolenniores cæremonias olim circa illa, quæ hujus incruentæ Hoſtiæ umbræ & ſignificationes erant, Dei ipſius juſſu adhibitas fuiſſe, luculenter ſacra Pagina teſtatur. Sacerdos itaque, rem Divinam facturus, non ignarus, ſe pro conditionis humanæ fragilitate tam mundum eſſe non poſſe, ut de meritis ſuis præſumens, haud præmiſſa debita Exomologeſi, ad altare ſummi Dei accedere queat; primo conſcientiam ſuam diligenter examinet, atque ea, in quibus a Divinæ legis mandatis ſe declinaſſe adverterit, per Sacramentum confeſſionis expiare non prætermittat: ac demum puro corde, ac animo ad ſuperos erecto, ad Myſteria tractanda accedat. Et quamvis tanta Sacratiſſimæ hujus actionis ſit Majeſtas & dignitas, ut merito ſummam in animis Sacerdotum, per quos celebratur, devotionem excitare, neve immundis ad eam obeundam conſcientiis properare audeant, Apoſtoli Pauli minacibus verbis in memoriam reductis, eosdem deterrere debeat; ut tamen legis rigor ad bene agendum eos pœnæ metu inducat, quos Divinus amor & ipſa rei tractandæ dignitas in officio non continet: Statuimus, & decernimus, ut ſinguli tam Cathedralis Eccleſiæ noſtræ Prælati, Canonici, Presbyteri, quam alii, quibus animarum cura ex Parochiali, vel alio quolibet munere incumbit, peccata ſua ſemel ad minimum quolibet menſe (niſi delicti cujuspiam commiſſi conſcientia maturiorem pœnitentiæ ſacræ medelam expoſceret) confiteantur, ac Sacroſanctum Miſſæ holocauſtum frequenter, pro ſuis & commiſſorum ſibi populorum peccatis offerant. Cujus quidem Sacrificii uniformiter, quo ad externas attinet ceremonias, peragendi ritum & normam, ex noſtro, quem edituri ſumus propediem, Miſſam celebrandi modo, deprompent, eumque & non alium quempiam peregrinum, & inuſitatum, diligentiſſime, atque exactiſſime ſervabunt: &

(q) 1. Tim. 3. (r) Concil. Trid. Seſſ. 22. in doctrina de Sacrificio Miſſæ.

& id quidem ſub pœnis, Canonibus Sacris contra Presbyteros, irreverenter ad Miſſam accedentes, latis, ſub aliisque gravioribus arbitrio noſtro pro irreverentiæ qualitate imponendis.

CAPUT IV.

Quomodo & qualiter Sacerdos ad Altare accedens circa Divina ſe gerere debeat.

SIquidem externorum corporis humani geſtuum compoſitio, non vulgare ad cognoſcendam internam animi diſpoſitionem indicium facit, ea propter Sacerdos Divina peracturus, abſolutis primum iis, quæ ex præſcripto a Nobis Miſſam celebrandi modo, ante acceſſum altaris ſunt dicenda, curet diligenter, ut in Sacrario veſtis ſacræ apparatum omnem, nitida excultum munditie, ita per artus ſuos diſponat, ſicque induatur; quo Sacer hic cultus & ornatus, Dominicæ Paſſionis myſteria repræſentans, pietatis (*s*) Chriſtianæ religioſam inſpectantis populi animis excitare queat meditationem. Prodibit igitur Sacerdotalis officii amictus inſignibus, cavens accurate, ne vel humerali per ſcapulas fluctuante, vel aliqua Albæ non bene ſuccinctæ parte, ad unum latus longius æquo prominente, ſyrma trahere, aut attracta anteriori ex parte eadem Alba, tibias pavonum more ſpectandas proponere videatur. Ex Sacrario ad Altare prodeundo, oculos, modeſtiæ Sacerdotalis indices, in circumſtantes non jactitet, nec caput hanc vel in illam partem, puerorum inſtar, circumvertat; ſed demiſſo ante pectus obtutu, gravitate inceſſus, muneris quoque ſui excellentiam & ſublimitatem teſtetur. Dehinc iis, quæ in genuflexionibus, aliisque reverentis erga Deum animi ſignis conſiſtunt, non prætermiſſis, ubi jam Divinum Officium aggreſſus fuerit, quæ clara voce juxta Miſſalium rubricas legenda ſunt, clare, diſtincte, intelligibiliter, & devote legat, nec feſtinando nimium, nec etiam verba languidius & exquiſitius, quam convenit, protrahendo, in illis etiam proferendis, quæ majoris reverentiæ cauſa preſſiori voce dici ſolent, talem vocis moderationem adhibeat, ne, quod ſubmiſſe legendum venit, mentaliter duntaxat percurrat. In converſionibus demum ad populum faciendis, manibus extendendis, complicandis, aliisque circa Miſſæ Sacrificium exterioribus cæremoniis caveat, ne vel ludicra capitis in diverſum jactatione, vel impudica fluctuantium huc & illuc oculorum contorſione, aut geſticulationum indecentium ſcurrilitate, hominem minime præſentem ſibi, vel hiſtrionem quempiam, agere videatur: ſed per omnia gravitatis memor exiſtat, decenterque non ſolum manus complicet, vel extendat, ſed etiam Cruces, inconcinna digitorum divaricatorum velocitate, quaſi præruptas, & conſequenter ſemiperfectas non faciat; at digitorum honeſte extenſorum, atque in perfectam Crucis formam ductorum miniſterio, ad efformanda hæc ſacra ſignacula utatur, aliaque omnia circa hoc tremendum Sacrificium (*t*) ita devote, decenter, reverenterque peragere ſtudeat, ne a quopiam miniſterium ipſius reprehendi, ſed potius tam internæ devotionis, quam externi cultus ſtudium, digne laudari & commendari poſſit.

CAPUT V.

De Altari, Ciborio, atque omni Eccleſiaſtica ſupellectili munde conſervanda.

ETſi munditiem, quam Dominus per Prophetam ab iis, qui vaſa ipſius ferunt, requirere dignatur, in cordis & animi ab omni criminum labe purgati candore & puritate, inprimis conſiſtere, dubium non eſt; nec illud tamen omittendum erit a ſido quoque Eccleſiaſte, quod & Salomon ille ſapientiſſimus pro auguſtiori Dei Optimi Maximi cultu, diligens decorem Domus Domini, ex ejusdem Dei præcepto olim abunde legitur præſtitiſſe, & ipſa novæ legis myſteriorum amplitudo ex-

(*s*) Concil. Trid. Seſſ. 21. de Sacrific. Miſſæ Can. 7.
(*t*) Concil. Trid. Seſſ. 22. in Decreto de obſervand. in celebr. Miſſæ.

expoſcit. Altare itaque, in quo incruentum illud Sacrificium tradito a Majoribus ritu peragitur, Pontificalis benedictionis authoritate conſecratum eſſe debet: alias in eo rem Divinam fieri Sacrorum Canonum præſcripta, niſi ſuperimpoſito portatili, vetant. Unde non niſi in Altari conſecrato, cujus nec lapis fractus, nec ſuo loco motus, nec ſigillum ſepulchri violatum eſſe debet, vel certe altare viaticum, ſeu portatile habenti, quisque noſtrorum celebrabit Sacerdotum: qui ſecus fecerit, per Sacros Canones conſtitutis pœnis omnino mulctandus. Mappis porro ad minus binis, altare conteget, easque puras & nitidas conſervabit, ſimiliter & ornamenta Altaris, quæ vulgo Antipendia vocant, decenter inſterni, & utroque ex latere æqualiter a facie menſæ altaris ita, ne diſtortum aliquid iſthic appareat, appendi curabit. Candelabra, ſeu ceroferaria, nitide (ſi ex metallo quopiam conflata fuerint) expoliet, quemadmodum etiam urceolos, vel ampullas, aquæ & vino pro Sacrificii Miſſæ uſibus ſacris excipiendo neceſſarias, munde ita, ne vel pulverum aſperginem contrahant defœris, vel intus mucorem ex longo ſitu redoleant, aſſervabit: Calices, & patinas ſacras, adeoque omnem pallarum, corporalium ſupellectilem, abſterget frequenter, & abluet, nitidiſſimeq; conſervabit: atque aquam ablutionis eorum, in ſecretiorem Sacrarii partem (prout fieri ſolet) effundet, ne foras projecta, tranſeuntium pedibus, non ſine injuria & irreverentia tanti Sacramenti, conculcetur. Purificatoria quoque, id eſt, ſtrophiola, ex tenuiori tela, Crucibus ex omni latere in extremitatibus inſignita, confici faciet, quibus non ſolum in extergendo & ſiccando ante & poſt Communionem, atque ablutionem calice, ſed etiam in ore abſtergendo, circa Divinorum operationem utetur, aliudque mantile, ſeu linteolum oblongum, ad ſiniſtrum latus altaris dependens, pro manibus abſtergendis habebit, depravatumque aliquorum, mappas majores Altarium commaculantium, & ſacculis, qui recondendis facti ſunt calicibus, ipſos calices ante & poſt ablutionem mundare indecenter conſueverunt, morem unice vitabit. Caſulas, pluvialia, & alias veſtes ſacras, a tinearum injuriis & ſitu, frequentiori excuſſione & ventilatione defendet, ac tuebitur. Cymelia, ſeu Clenodia, præſertim vero ea, quibus Sanctorum incluſæ ſunt reliquiæ, non in obſcuro aliquo (uti multi conſueverunt) angulo, ſed in armario decenter, mappa linea, vel ſerica intus circumquaque ſuffulto aſſervabit. Locum vero ipſum, in quo Diviniſſimum reponi ſolet Euchariſtiæ Sacramentum, ab aranearum telis, pulveribus, aliisque id genus ſordibus, diligenter cuſtodiet, iſthicque tabernaculum, ſeu vaſculum, cui Euchariſtia includitur, corporali ſuffultum, & tunicella, atque velo, ex pretioſa, quoad ejus fieri poterit, materia deforis ornatum, non niſi ſuper corporali ſubſtrato collocabit: quo loci, etiam ſacros liquores, ſuis diſtinctos vaſculis, reverenter ſervare poterit, unice curaturus, ne unquam clavem Ciborii cuipiam homini laico concredat, cum valde ſit indignum, profanorum hominum contrectari manibus ea, quorum miniſterium præter ſolos Sacerdotes, etiam Angelicæ non eſt conceſſum ſublimitati. Tantum abeſt, quod digne ſit ferendum, ſi forte facta laicis Sacrorum contrectandorum, vel pro libitu adeundorum poteſtate, in ſuperſtitioſos abuſus quidpiam horum (ut ſæpe evenit) ſuffurari ab aliquo ſceleſto homine contingeret. Sacramentum porro Euchariſtiæ, quod pro quotidianis infirmorum uſibus, in templis religioſiſſime conſuevit aſſervari, ſingulis quatuordecim diebus hoſtias recentes conſecrando, & veruſtiores, earumque fragmenta reverenter ante ablutionem ſumendo, renovabit Sacerdos; ne, ſi forte diutius hoſtiæ conſecratæ aſſerventur, ex humiditate loci mucorem contrahant, vel omnino corrumpantur. Lampadem quoque ante Ciborium appenſam ſedulo curabit, & lumine Sacrum Corporis Dominici pignus nunquam carere patietur. Fontem quoque Baptiſmalem, in Parocialibus Eccleſiis haberi ſolitum, operam dabunt Parochi, ut una cum luſtralibus undis clauſum, honeſteque coopertum, munde conſervent. Tandem eos ſe in con-

ſervandis pure ac nitide rebus, ad Sacros Eccleſiæ uſus deſtinatis, exhibebunt, quos debita reverentia, merito Creatori impendenda & præſtanda, illos eſſe, ſui ipſius ampla Majeſtate ob oculos poſita expoſcit, ne opus Domini negligentius, quam par eſt, tractantes, maledictionem filiorum Heli, gravi ſalutis propriæ cum diſpendio, incurrant.

CAPUT VI.

De Horis Canonicis.

HOrarum Canonicarum, ſive Officii nocturni, diurnique quotidianum penſum, Clericis cum ratione Ordinum Sacrorum, tum etiam propter Beneficia Eccleſiaſtica, Sacrorum Canonum, & Conciliorum authoritas adeo neceſſarium facit, ut quicunque id mera ex negligentia & vecordia, & quotiescunque prætermittit, toties peccato mortali obnoxius reddatur, atque ad reſtitutionem partis fructuum beneficii, pro rata omiſſæ recitationis earundem Horarum computandæ, teneatur. Quocirca ſtatuimus, atque ultra gravem Dei indignationem, quam qui in obſequiis Divinis oſcitantes, & deſides ſunt, incurrunt, ſub pœna amiſſionis fructuum, & ſuſpenſionis a beneficio, aliisque pœnis, arbitratu noſtro infligendis, omnes & ſingulos Prælatos, Canonicos, Presbyteros, tam curatos, quam eos, quibus nulla animarum cura ex officio incumbit, reliquosque omnes, Clericali adſcriptos militiæ, in Sacris actu exiſtentes, ac beneficia Eccleſiaſtica poſſidentes, paterne in Domino hortamur; ut conſcientiarum ſuarum, & debiti officii habita ratione, Horas Canonicas ſtatis, quoad ejus fieri poteſt, temporibus, debita cum attentione ac devotione quotidie recitent, neve labiis in laudes Divinas reſolutis, mentem per ludicra evagari patiantur: ſed animo recollecto, atque ad Deum, cui decora, jucundaque præſtari debet laudatio, erecto, diſtincte orationes, preces, ac Pſalmos, aliaque omnia juxta rubricarum Breviarii tenorem, per totius anni Feſtos, profeſtosque dies diſpoſita legant: ita ut nec verba nimia linguæ præcipitatione ac volubilitate obtruncent, & abſorbeant, nec nimium muſſitando ita mentaliter duntaxat, verbis non expreſſis, orare videantur, quo nec ſeipſos audire, nec prolata intelligere queant. Qua ratione enim a Deo audiri poſtulabunt, cum ſe ipſi non audiant? Aut quomodo Horas Canonicas fructuoſe recitaſſe dici poterunt, qui mimica labiorum velocitate plus, quam linguæ officio, in alloquendo Creatore ſuo uti, eidemque ceu illudere non verentur? Quemadmodum etiam illi præfatis pœnis ſe ſe obnoxios reddunt, qui Horas Canonicas, deteſtabilem illam, & depravatam conſuetudinem ſequuti, non niſi tunc, dum celebraturi ſunt, putant recitandas: ſicut & ii, qui dum peregre proficiſcuntur, ab earum recitatione, Officio de Beata Virgine, vel ſeptem Pſalmis, aliisve precatiunculis recitatis, ſe immunes & exemptos arbitrantur; cum tamen Deum offendant, & conſcientias ſuas non levi reatu gravent, fructusque beneficiorum, ſi quæ habent, non faciant ſuos, ſed eos tanquam injuſte perceptos ad fabricam Eccleſiæ, in qua beneficium obtinent, vel in pauperes erogare teneantur. Ut itaque huic ſalutari Conſtitutioni, debite ab omnibus ſatisfiat, monemus tam Cathedralis noſtræ Decanum, quam Collegiatarum Præpoſitos, Archidiaconos diſtrictuum, & Decanos rurales, ut bono ſuo exemplo alios in id excitantes, vigilanter attendant, & quos ea in parte negligentes repererint, præmiſſis pœnis in eos animadvertant.

CAPUT VII.

De Agendis & Breviario Romano recipiendo.

CUm in Sacramentis adminiſtrandis, ceremoniisque Eccleſiaſticis peragendis, uniformitas merito requiratur, quo ii, qui unius moris in domo Dei ſunt, diverſitatis cujuspiam internæ, per externorum variam functionem minime notentur, eapropter libros Agendorum, tam Sacramentalium, quam Ceremonialium, recens impenſa noſtra typis edendos curavimus: & quemadmodum propoſitis iisdem tunc tempo-

temporis, ex eorum præſcripto, tam Sacramenta adminiſtrari, quam ceremonias omnes peragi, a Diœceſis noſtræ Clero expetiimus; ita nunc ſtatuimus, & decernimus, ut nullo alio Agendorum Sacramentalium & ceremonialium libro, quisquam Sacerdotum, & aliorum quorumvis Diœceſis noſtræ Clericorum, quam eo, qui authoritate noſtra in lucem prodiit, uti præſumat, utque ab omnibus curam animarum gerentibus, in Eccleſiis fidei ipſorum commiſſis, & extra, pro quotidianis uſibus habeantur, & infra menſem a publicatione Conſtitutionum hujus Synodi, ab unoquoque emantur, vel a vitricis Eccleſiarum comparari curentur, ſub pœna duarum marcarum, in uſus Seminarii Cleri noſtri convertenda, & per Archidiaconos & Viſitatores exigenda, ſerio injungimus. Breviarii vero, quod ante plures annos, Prædeceſſorum noſtrorum labore, ad Diœceſis hujus uſum accommodatum & excuſum fuerat, atque etiamnum aliquorum manibus teritur, cum tam pauca jam extent exemplaria, ut vix decimus quisque reperiatur in Diœceſi noſtra Sacerdos, qui id habeat, multique ſubinde viſi hactenus fuerint, libellos qualescunque precatorios Breviariorum loco circumferre, & negligentiam ea in parte intolerabilem, ſolo exemplarium Breviarii defectu excuſare: nonnulli aliarum Diœceſeon Breviariis uti, adeo quod non ſolum ſummam Divini cultus, una eademque in Diœceſi perturbationem inde ſequi, ſed etiam periculoſiſſimum diſcrimen animarum Sacerdotes omiſſione officii incurrere, non ſine gravi dolore adverteremus; idcirco hujusmodi defectui debite occurrere volentes, in eam quantocius curam Nobis incumbendum, operæ pretium duximus; quo & uniformitas in perſolvendo hoc Sacerdotali penſo ſervari, & tam ſupinæ, craſſæque negligentiæ aliquorum poſthac allegandæ, omnis præſcindi occaſio poſſet.

Conſiderantes proinde Breviarii veteris ad ritum Diœceſis noſtræ, olim ſub Anteceſſore noſtro Stanislao Turſone, bonæ & ſanctæ memoriæ editi, non minus inconcinnam quibusdam in locis compoſitionem, quam etiam Lectionum & Hiſtoriarum, non ſatis probatarum ſimplicitatem, demum & indecoram partim brevitatis, partim prolixitatis officiorum diſpoſitionem: cupientes præterea ſine longiori dilatione, periculo animarum, quod negligentes ex parte Horarum Canonicarum omiſſionis incurrunt Sacerdotes, pro Paſtorali noſtro officio providere; ſiquidem dicti veteris Breviarii emendandi, corrigendi, atque decentiorem in ordinem redigendi, tam laborioſa foret cura, ut vix annorum plurium ſpatio corrigi, ac typis mandari poſſet: aliarum Diœceſum præclarum exemplum, nobis quoque tanta in neceſſitate ſequendum, atque Breviarium Romanum, ex Decreto Sacroſancti Concilii Tridentini reſtitutum, juſſuque PII Quinti Pontificis felicis recordationis editum, abolito, & abrogato veteri Diœceſis noſtræ Breviario, recipiendum: idque in uſus officii privatim recitandi, apud Clerum Diœceſis noſtræ inducendum, conſtituimus: nihil tamen in Eccleſiis noſtris, ratione officiorum Divinorum, juxta veteres rubricas decantandorum innovantes, vel eo quod id temporis minus poſſibile futurum videatur, propter librorum Eccleſiaſticorum, uti Gradualium, Antiphonariorum, atque aliorum ad perſolvenda ſolenniter Divina officia deſtinatorum defectum, & non minus maximos, qui inſumendi in iis recudendis forent, ſumptus, quam longam annorum, operi tam laborioſo neceſſariorum ſeriem. Cæterum ne Patronorum Moraviæ, Divorumque Eccleſiæ noſtræ Tutelarium particularia officia, quæ alias in Breviario Romano non habentur, omitti contingat, debitæ erga Patronos devotioni, & venerationi pro eo, ac par eſt, deeſſe nolentes, officia de illis optimo, prout fieri poterat, ordini reſtituta, novis eorundem Sanctorum hiſtoriis, ex fide dignis annualium regionum harum noſtrarum codicibus depromptis, atque in Lectiones Matutinarum precum diſtributis, ornavimus & auximus, ſpecialemque rubricellam officiorum de Patronis, una cum indice Feſtorum, ſimul & vigiliarum, ſeu

jejuniorum, in Diœceſi noſtra obſervari ſolitorum, ſub prælum primo quoque tempore daturi ſumus, quo ad calcem Breviarii Romani adjuncto, uniformi modo in celebratione Sacrificii Miſſæ obſervando, qui propediem quoque juſſu noſtro ad uſum Cleri noſtri in lucem edetur, compacta, vel ſeorſim in forma libelli colligata, pro temporum opportunitate a Sacerdotibus, aliisque Clericis, qui ad Horas Canonicas recitandas obſtringuntur, officia de Patronis Provinciæ, non jam ſub communi Sanctorum, ſed particulariter recitari queant. Ne itaque inpoſterum exemplarium Breviarii penuria & defectus, negligentiæ, vel potius impietati Clericorum, in Diœceſi hac noſtra ſuffragari & patrocinari poſſe videatur; Statuimus, ut univerſi & ſinguli ejusdem Diœceſis noſtræ Clerici, quos Horarum Canonicarum quotidie dicendarum conſtringit neceſſitas, non alio poſthac Breviario in recitatione officii extra Chorum, & Eccleſiam utantur, quam Romano, officia majora publice in Eccleſiis more antiquo nihilominus decantaturi. Qua in parte ſicut ab omnibus voluntati ac Decreto noſtro obedienter ſatisfieri, ſub pœnis arbitratu noſtro per Archidiaconos diſtrictuum, in viſitationibus infligendis, præcipimus, & mandamus; ita nobis de univerſo Clero noſtro pie in Domino pollicemur, neminem, favente Deo, repertum iri, qui conſilio, ac ordinationi huic noſtræ non obſequatur: præſertim cum facile quisque videat, quam bono ordine prædictum Breviarium Romanum ſit diſpoſitum, quantusve fructus, Horas Canonicas ex eo quotidie recitaturis obvenire poſſit: cum nimirum Scripturæ pro tempore occurrentis ſacras Lectiones, demum Sanctorum Patrum authenticas explanationes, atque inſuper Sanctorum vitas, ex fide dignis depromptas authoribus, in eo ſint habituri: adeo quod vel ſola in terendo quotidie ſtatis horis Breviario diligentia, iis, qui fertiliori, faciliorique ſunt ingenio, non difficile recte, honeſteque vivendi monitionem graviſſimam, quotidie inſtillare, & materiam, doctrinæ ſalutis populo proferendæ, uberrime ſine multorum librorum laborioſiori revolutione ſuppeditare queat. Ut itaque ſalutare hoc, & neceſſarium Romani Breviarii in uſum apud nos inducendi conſilium ac decretum eo faciliorem progreſſum fortiatur, certo Bibliopolæ id negotii dedimus, ut primo quoque tempore plura exemplaria ejusdem Breviarii Olomucium advehat, eaque venum exponat: ita ut ſinguli de exemplari, quod edendis per nos officiis de Patronis conveniat, infra ſpatium unius menſis a tempore eorundem exemplarium copiæ factæ, ſub pœna trium marcarum, in uſus Seminarii Cleri noſtri convertendarum, & per Archidiaconos diſtrictuum, talium inobedientia & negligentia deprehenſa, exigendarum, ſibi providere teneantur.

Abſoluto per Dominum Cancellarium ſeptimo Capite Conſtitutionum Synodalium, Admodum Reverendus Dominus Abbas Welegradenſis Illuſtriſſimo Domino, & Sacræ Synodo luculentis verbis defectum Breviariorum ſui Ordinis Ciſtercienſis exponens, inſtantiſſime petiit, ut juxta tenorem Bullæ PII Papæ Quinti, quæ incipit: *PIUS Epiſcopus, Servus Servorum Dei. Ad perpetuam rei memoriam. Quod a nobis poſtulat ratio Paſtoralis officii, in eam curam incumbimus, &c.* Permiſſu Illuſtriſſimi Domini, uti loci Ordinarii, & Venerabilis Capituli Olomucenſis, Breviario Romano ipſe & alii Monaſterii ipſius Fratres libere uti poſſint, donec illis de propriis ſui Ordinis Breviariis fuerit proviſum. Quam petitionem dicti Domini Abbatis Illuſtriſſimus Princeps ex conſilio Admodum Reverendorum Dominorum Decani & Capituli Eccleſiæ Olomucenſis, atque Virorum Religioſorum, eidem conſilio adhibitorum, juſtam & rationi conſentaneam, licitamque judicans, eidem Reverendo Domino Abbati, & Fratribus Monaſterii ipſius, uſum Breviarii Romani conceſſit, donec de Breviariis Ordinis Ciſtercienſis iisdem fuerit proviſum. Quo facto Cancellarius proſequutus eſt, & continuavit lectionem Statutorum Synodalium, & legit, ut ſequitur:

CAPUT VIII.

De prædicatione Verbi Dei.

QUemadmodum humani corporis vires imminui & labefactari eſt neceſſe, niſi naturæ humanæ convenientibus ſuſtententur alimentis: non ali-

aliter ſane animas Chriſti fidelium lenta quaſi tabe extenuari, & deformari credibile eſt, ſi diuturniori fame Verbi Dei torqueantur. Ovium itaque fidei noſtræ concreditarum ſaluti ac emolumento ſpirituali hac in parte prodeſſe ac providere cupientes, decernimus, ut nemo inpoſterum per Diœceſim noſtram, tam ex Regularibus, quam ex ſecularibus ad prædicandum prodire præſumat prius, quam ſe coram Nobis, uti Ordinario, vel licentiam, vel benedictionem (prout id per Sacrum Concilium Tridentinum *Seſſ. V. Cap. II. de Reformat.* ſtatuitur) petiturus præſentet, & poſt examen debitum a Nobis approbetur; idque ſub carceris pœna, & aliis durioribus animadverſionibus, quibus Ordinariæ authoritatis contemptores Sacrorum Canonum Decreta perſtringi volunt. Illis porro, qui uti ad Parochialia munia obeunda, animarumque curam gerendam, ita conſequenter ad prædicandum Dei Verbum per Nos approbati fuerint, hoc primario curæ eſſe debet, ut lectioni Sacræ Scripturæ & Sanctorum Patrum diligenter incumbant, & non niſi bene præparati in publicum prodeant: firmiterque ſibi proponant, & diligenter elaborent, ne contra communem ſenſum & conſenſum Eccleſiæ Catholicæ, quæ columna & firmamentum eſt veritatis, aliquid in medium proferant, neve in explanandis Scripturis proprii capitis conceptus, ſed Sanctorum Patrum & Doctorum Eccleſiæ mentem ſequantur: ne ſi contrariam (quod Deus avertat) Apoſtolicæ Eccleſiæ doctrinam aſtruere conentur, tanquam non acquieſcentes ſanis ſermonibus Domini noſtri JEſu Chriſti, & ei, quæ ſecundum pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbi, nihil ſcientes, lanquentes circa quæſtiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur inſidiæ, contentiones, blaſphemiæ, ſuſpiciones malæ, conflictationes hominum mente corruptorum, & qui veritate privati ſunt, reputentur, & a cœtu fidelium explodantur. Quid vero pro concione ſit loquendum ad ædificationem proximorum, facile charitas, quam Spiritus Dei puris pectoribus infundere ſolet, edocebit.

Evangelium enim ex ipſius Chriſti Domini præcepto omni creaturæ annunciandum & prædicandum eſſe per orbem univerſum, nemo Chriſtianus eſt, qui non norit. In quo prædicando hanc periculoſiſſimo iſtorum temporum noſtrorum ævo methodum ab Eccleſiaſticis ſervari expedit & decet, ut primo fundamentum fidei recte ſtabiliatur: deinde charitas per exhortationes pias in mentibus hominum excitetur. Conciones itaque ſingulæ eo dirigendæ erunt, ut ex iis ſalutaris doctrinæ ad fidei ſtabilimentum pertinentis copioſus hauriatur fructus ſimul, & charitatis Chriſtianæ præceptorum neceſſaria compendia reſultent. Quod utique fiet, ſi Concionatores Evangelia pro tempore occurrentia, aliasve Scripturas Canonicas populo explanaturi, verum & genuinum Scripturarum ſenſum, menti Sanctorum Patrum congruentem, fideliter reſervaverint, ac demum moralia, vitæ ad Chriſtianæ Religionis normam componendæ, præcepta ex ipſis Sacræ Scripturæ verbis & explicationibus elicere, populoque proponere haud prætermiſerint. Curare propterea debent, ut diebus Dominicis (*u*) & in Quadrageſima una ad minimum pars concionis ea, quæ ad doctrinam Chriſtianam pertinent, in ſe contineat, ad quod Catechiſmo Romano, ad Parochos ex Decreto Sacri Concilii Tridentini edito, commodiſſime utentur. Demum Catechiſmum Catholicum Caniſii minorem, cujus exemplaria, tam Bohemica, quam Germanica venalia facile haberi poſſunt in locis, in quibus Scholæ ſunt, a pueris memoriæ mandari, ac demum in Templis per interrogationes ac reſponſiones mutuas in lingua vernacula recitari curabunt, diligenterque ipſimet explicabunt, adeoque unice incumbent, ut anno quolibet, delecto ad id quadrageſimali tempore, circa Salve, vel etiam alias, prout illis commodius viſum fuerit, univerſam doctrinam Chriſtianam percurrant: quo ea non ſolum in puerorum, ſed etiam eorum, qui maturiori ſunt ætate, mentibus plantata, ad reddendam rationem ſuæ fidei inſtructi reddantur.

CA-

(*u*) Conc. Trid. Seſſ. 24 Cap. 4. de Reformat.

CAPUT IX.

De Sacramentorum administratione.

CUm in Sacrosancta Tridentina Synodo, quam communi consensu, Domino inspirante, in omnibus & per omnia sanctissime servandam suscepimus, doctrina vera de Sacramentis Ecclesiæ, aliisque ad fidem Catholicam pertinentibus, plenissime sit tradita, Nos circa ea, quæ tam doctrinam de iisdem Sacramentis, quam de articulis fidei spectant, nihil plane hic statuere volumus, nisi ut in Sacramentis dispensandis non aliam normam Sacerdotes nostræ Diœcesis sectentur, præter eam, quæ in eodem Sacrosancto Concilio Tridentino sancte traditur, idque sub anathematis pœna. Statuimus quoque, ut pro administratione Sacramentorum Ministri eorum nihil prorsus exigant, neque verbis, neque signis, directe vel indirecte aliquid eo nomine petentes; ne videlicet ex turpi licitatione, & Sacrorum mercatu pernicioſam Simoniæ labem incurrant, pœnisque contra nefarios ejusmodi homines in Canonibus Sacris contentis se se obnoxios reddant. Ritus quoque & formulas Sacramentorum administrationis non vulgari aliquo, & a sectariis usurpato, sed approbato Cathedralis Ecclesiæ nostræ more, a Romano in essentialibus minime dissentiente, nec discrepante, ex præscripto Agendorum libri, usu & sumptu nostro editi, observent: atque ceremoniarum circa id adhiberi solitarum significationem ac vim (x) rudi plebeculæ pro Concionibus opportune explicare non prætermittant, & ad debitam earum observantiam ac venerationem frequentibus monitionibus inducere conentur. Circa Baptismi vero & Matrimonii Sacramenta hoc exactissime observent ii, qui curam gerunt animarum, ut libros conficiant, (y) in quibus baptisatorum, eosque ex Fonte Sacro levantium, nec non eorum, qui Matrimonium contrahunt, nomina (prout id ipsum Sacrosanctum Concilium fieri districte præcipit; & mandat) annotent, quo de parentela & cognatione cujusque facile constare possit. Quod autem ad confessionem Sacramentalem attinet, nullos plane turmatim, sed seorsim singulos audiant, diligenterque peccata, & eorum circumstantias, habita semper ratione ætatis & conditionis personarum, examinent ac inquirant: formam solitam absolutionis, quam memoriæ fideliter mandare debent, observent, idque nullatenus committant, ut retro Altare, vel in Sacrario, aliove abstruso Templi angulo, confessiones pœnitentium, præsertim fœminarum excipiant; verum in loco patenti, & omnibus conspicuo, ad Exomologesin accedentes audiant. Parochiam quoque unius alter invadere, vel Parochianos alienos ad Baptismi, Pœnitentiæ, Eucharistiæ, atque Matrimonii (z) Sacramenta, sine licentia proprii eorum Parochi, admittere non præsumat. Si culpabilem se ea in parte aliquis exhibuerit, præter id, quod suspensionem ipso jure incurret, & tam diu ea innodatus ex ejusdem Sacri Concilii Tridentini Decreto remanebit, donec a Nobis absolvatur: etiam ad restitutionem eorum, quæ nonnullis in locis ex antiqua & laudabili consuetudine Parochis, Sacramenta administrantibus, pie offerri solent, injuriam passo tenebitur, & trium marcarum mulcta, in usus Seminarii Cleri nostri convertenda, punietur.

CAPUT X.

De sacris liquoribus quolibet anno renovandis.

SIquidem aliquorum Sacramentorum debita administratio sine sacris liquoribus expediri Catholico more non potest, eapropter decernimus, ut singuli Parochi, aliarumque Ecclesiarum Rectores, omnesque illi, ad quos Sacramentorum administratio ex officio curæ animarum spectat, quotannis tempore debito, & solito, nimirum intra octavam Paschæ, liquores sacros ab Archidiaconis districtuum suorum petant, & accipiant: prohiben-

(x) Conc. Trid. Sess. 24. C. 7. de Refor.
(y) Conc. Trid. Sess. 24. C. 1. de Refor. Matrim.
(z) Conc. Trid. Sess. 24. Cap. 1. de Reform. Matrim.

Digitized by Google

bentes ſerio, ne, quemadmodum hactenus indigne factitatum novimus, homunciones prophanos, pro ejusmodi liquoribus expediant, ſed ſi Clericorum copia haberi non poſſit, ad minus Ædituorum, vel Vitricorum Eccleſiæ, qui eos dedita cum reverentia in pixidibus, ſigillo Archidiaconi diſtrictus obſignatis, perferant, opera utantur: qui ſecus fecerint, pœnis pro arbitrio noſtro Canonicis mulctandi.

CAPUT XI.

Ne Prælati Sacerdotes peregrinos, ſine commendatitiis propriorum Ordinariorum ſuſcipiant.

QUos vaga mens honeſti bonique propoſiti minus tenaces factos, certis ſedibus conſiſtere non ſinit, atque ad mutandum crebro domicilium inordinata animi levitas impellit, experientia quotidiana didicimus, non exiguum ſcandalorum fomitem ex his, facile ad Sacra exercenda receptis, ac admiſſis, in vulgus prodiiſſe: quin potius id aliquando eveniſſe, compertum eſt, quod nonnulli deplorati homines, nullis inſigniti Ordinibus, ut collapſis vitæ ſceleſtæ rationibus qualicunque modo conſulerent, Sacerdotalis officii dignitatem mentiti, ab incautioribus quibusdam Eccleſiarum Præſidibus ſine teſtimonii legitimi productione recepti, Sacramenta illicite & ſacrilege adminiſtrarint, & Presbyterorum munus, ad quod legitime vocati minime fuerunt, obierint. Nonnulli præterea, aliis ex Diœceſibus, ob ſceſerum admiſſorum enormitatem, in exilium acti, vel etiam religionum votis impie violatis, ex Monaſteriis elapſi, vita in hac quoque Diœceſi noſtra non minus, quam in Patria ſua licentioſe traducta, variisque ſcandalis datis, ſummum Clero noſtro apud ſeculares odium conflarunt, magnamque infamiæ notam ſuis moribus toti Ordini noſtro inuſſerunt. Quorum malitiis ut debite obvietur, & occaſiones prædictorum inconvenientium præcidantur; ſtatuimus, ne quisquam Prælatorum tam ſecularium, quam Regularium Diœceſis noſtræ inpoſterum Sacerdotem, vel Clericum alterius Diœceſis ad Parochialem, Sacellanalem, vel aliam quampiam functionem Eccleſiaſticam obeundam, ſine formatis, ſuſpicione omni prorſus carentibus, & proprii ipſius Sacerdotis, vel Clerici Ordinarii commendatitiis literis, non ſolum liberam ipſius dimiſſionem, verum etiam vitæ honeſtatem & bonam converſationem atteſtantibus, ſuſcipiat, aut ad Sacra exercenda, Divinaque celebranda admittat. Sic enim futurum pie in Domino confidimus, ut commiſſa hactenus per externos errores ſcandala tollantur, dum vel Domeſtici fidei duntaxat, vel ii, quorum vitæ innocentia & ſanæ doctrinæ ſtudium, fide dignorum commendabitur teſtimoniis, in partem ſolicitudinis Paſtoralis adſciti fuerint & vocati.

Lectis Conſtitutionibus & promulgatis, Illuſtriſſimus Princeps ex ſede ſua conſurgens, ſolitas ceremonias continuavit, iisque peractis, Seſſioni ſecundæ ex placito Patrum finis eſt impoſitus, tertiaque Seſſio pro die ſequenti ad horam decimam quintam indicta fuit.

SESSIO TERTIA.

DIE XIV. Novembris hora præfixa ad pulſum campanæ majoris viciſſim omnes Prælati ſæculares & regulares, Canonici, Parochi, aliique ſæculares & regulares Clerici, qui primis duabus Seſſionibus Synodi interfuerunt, in dictam Eccleſiam Cathedralem convenere, tunc a Sacro ſolenniter per Reverendum Dominum *Joannem Roſenbluth, Præpoſitum Sternbergenſem*, Ordinis Canonicorum Regularium Sancti Auguſtini, ſub Infula ad ſummum Altare decantato, Illuſtriſſimus Princeps, albo pluviali auro contexto indutus, atque Pontificalem geſtans infulam, ſolitas, juxta Pontificale Romanum, ceremonias exorſus eſt: iisque peractis, Reverendus Dominus *Petrus Grodecius, Præpoſitus Brunenſis, & Canonicus Olomucenſis* accepta ab Illuſtriſſimo Benedictione, cecinit Evangelium, ut in Pontificali præſcribitur. Finito Evangelio, Illuſtriſſimus Dominus incipit Hymnum: *Veni Creator!* Choro & Clero occinente uſque ad finem. Tunc in ſuo quisque ſedili ſe collocavit, ac illico Reverendus Dominus *Theodorus Engls LL. Licentiatus, Archi-Diaconus & Curiæ Epiſcopalis Olomucenſis Officialis*, conſcenſo

ambone, Orationem de Diſciplina Eccleſiaſtica ad Clerum habuit in hæc verba:

ORATIO.

CUm turbulenta Arriani furoris tempeſtate Dei Eccleſia jactaretur, Reverendiſſime Antiſtes, Reverendi Patres, cæterique Sacerdotes, & Auditores Ornatiſſimi, Aphraatem, unum ex primi Ægypti Monachis, a Valente Imperatore interrogatum, cur e ſolitudine Antiochiam divertiſſet, reſpondiſſe ferunt: nulli e domeſticis, ſi quod fulgur in ædes paternas incidiſſet, eſſe ceſſandum: verum his, ut aquam hauriant, feſtinandum: illis, ut ignem proſerpentem ſuffocent, accurrendum: omnibus, ut domum, in qua ſint & nati & educati, ſartam tectam habeant, enitendum. Atqui nunc tam acerbo errorum incendio Eccleſiæ culmen conflagratum concidit, tam funeſto flagitiorum igne, Domus Dei fulcra inflammata corruunt, tam peſtifero calore fundamenta correpta concutiuntur, ut ſi ullo ſæculo, hoc certe maxime triſtem illam Prophetæ [a] orationem, uſurpare liceat: *Quanta malignatus eſt inimicus in Sancto! Et gloriati ſunt, qui oderunt te, ... Incenderunt igni Sanctuarium tuum, polluerunt tabernaculum nominis tui, quaſi in ſylva lignorum... exciderunt januas ejus, in ſecuri, & aſcia dejecerunt eam.* Nemo itaque opinor, erit, Patres, quem vel cum Valente iſto capiet admiratio, vos hodierno conventu, in publicum prodiiſſe ad ea capienda conſilia, quibus, ſi non incendium reſtingui, ſaltem ne flammæ impetus longius pervadat, impediri poſſit. Multa ſunt, quorum ſolicitudo ad Eccleſiæ ſalutem ſaltem eſt utilis: & nihil tam neceſſarium, quam ut gregis Dominici Paſtores, frequenter, libenterque conventus celebrent, quibus & pia, & ſana, de ovium paſtu inter ſe conſilia agitent, & quod e re ſit Eccleſiæ, non modo votis conſentientibus decernant, ſed & viribus conjunctis, exequantur. Hoc vobis præcipuum noſtis præſidium relictum, ad hortum Dominicum, a noxiis vitiorum, errorumque herbis purgandum, quod & legibus non Apoſtolicis & Eccleſiaſticis tantum, ſed & Imperatoriis Decretum, & exemplis veteſtiſſimis uſurpatum, quanti Majores noſtri fecerint, & opinio declamat, qua ſummam, ſi libere ad Concilia convenire liceret, Eccleſiæ felicitatem prædicabant: & deſiderium indicat, quo in ſummis periculis Synodos frequentabant: & ſtudium indefeſſum, in Decretis Patrum exequendis, oſtendit. Atque iſtorum veſtigiis vos hodierno die inſiſtere probatis, adeoque iſtam negligentiæ culpam, a vobis depellitis. Etenim cum duo ſint, quæ Patres Toletani jam olim ad Eccleſiam conſervandam, & reſtituendam neceſſaria, judicabant, Conciliorum coactio, & ad diſciplinam Eccleſiæ retinendam, executio; Vos, Patres, ad Dominici ovilis inſpectionem convenisſe videmus, conſilia de lupis abigendis, morbidis ovibus ejiciendis, cepiſſe, haud obſcure intelligimus, leges, ad diruta ſepta reficienda ſancitas, advertimus. Verum in re tanta, cum Orator adhibendus ſit, qui tum ornate ac prudenter, tum pie ac graviter verba faciat; ac illud mihi dicendi imperitia, judicii inopia, ac infantia neget: hoc vero neque mea ferat ætas, neque oratio ſine Dei metu eſſe poſſit; erit, Auditores, veſtri candoris, ac pietatis, me dicentem in altero benigne ſublevare, in altero religioſe adjuvare. Statuite ergo, vos non meam, ſed eorum orationem audire, quorum authoritati, & vos plurimum defertis, & ego in hoc dicendi onere, etſi arduo, viribusque impari, ſuſcipiendo, cedere debui, aut potius Sanctorum Patrum ſententias vobis annunciari & recitari, rectæ rationis judicium explicari exiſtimate, neque a quo proficiſcatur, ſed quid ferat, attendite. Cogitate Diviniſſimum Moyſen, prophani hominis Jethro admonitionem admiſiſſe, & quod Cicero ait, ſummos Gubernatores, in magnis tempeſtatibus, a vectoribus nonnunquam utiliter admonitos fuiſſe. Itaque diu mihi cogitanti, qua in re, aut materia, exilem & jejunum hunc meum ſermonem conſummare velim, ratio in eam ſententiam deduxit, neque hoc loco indignam, neque a ſtudiis veſtris alienam fore orationem, ſi cum & Patres Calcedonenſes conventus habere ſanxerunt, ut, quæ correctione opus habent, ex Patrum regulis, Sacrisque Canonibus & Conſtitutionibus emendentur, & in hanc curam, celeberrima quæque Concilia hujus generis incubuerint, ut mores fidelium integri conſerventur, de diſciplina Eccleſiaſtica verba faciam.

Primum itaque oſtendam, Eccleſiæ diſciplinam a Deo inſtitutam, Præſulumque curæ mandatam: deinde explicabo, quantopere ea, quorundam negligentia, & conniventia, ſummo & ſuo & Eccleſiæ malo collapſa ſit: denique, quid ad eam inſtaurandam opus ſit, breviter monebo.

Magna eſt rerum humanarum varietas, nihil in iis tam bene conſtitutum, nihil tam valide munitum, quod non in deterius prolabatur, quod non concidat; niſi & aſſidua cura ſuſtentetur, & ſubinde renovata ſolicitudine erigatur. Malum hoc, tam eſt pervagatum; ut non modo florentiſſimis Imperiis, ornatiſſimis Rebusp. ac Illuſtribus Familiis

(a) Pſal. 73.

miliis sit & infestum, & exitiosum ; sed in Christi Regnum, in Dei Domum, quæ cœlesti Panoplia ab ipso Deo firmata, tam truculenter grassetur, ut non solum misere perturbata, sed prope etiam eversa videatur. Itaque quemadmodum Viri prudentes, ut Regna & familias, ob improbas hominum machinationes nutantes, ab interitu vindicarent, sive a Deo impulsi, sive a natura edocti legum vincula, ac suppliciorum metum, invenerunt ; sic Divino beneficio, ne acerbior aliquis casus Ecclesiam involveret, disciplina Canonica in eam invecta est : res, si D. Augustino credimus, tam ad omnem administrationem necessaria, ut, non dico, sine ea, Episcopus plebi, non Rex genti, non Judex provinciæ, recte præesse possit ; sed neque maritus conjugem, neque Pater filium, neque Dominus servum, cum laude regat. Atque istius tam præclari ac Divini inventi curam, vos Patres, & Pastores sustinetis: vobis apud Prophetam (*b*) Dominus locutus est : *Ecce ego dedi verba mea in ore tuo: ecce, ego constitui te super gentes, & regna, ut evellas, & destruas, & dispердas, & dissipes, & ædifices, & plantes.*

Nolite ergo hanc curam abjicere, si non & Divinum mandatum negligere, sanctissima exempla Ecclesiæ contemnere, & cum certissima ratione pugnare velitis. A vobis Deus exigit, ut incessanter clametis, quasi tuba vocem elevetis, populo sua scelera annuncietis : vobis mandavit, ut vulpeculas vineæ suæ infestas capiatis, gregem suum solicite visitetis. Prædicate igitur, Pastores, verbum, instate opportune, importune: cum omni imperio arguite, peccantes corripite, apprehendite disciplinam, ne irascatur Dominus, & pereatis de via justa: utimini potestate, quam vobis Deus, non in destructionem, sed ædificationem tribuit: injicite contumacibus frenum Ecclesiasticarum censurarum, quo tanta audacia reprimatur, & ferocia mitigetur. Hoc agite in animarum curatione, quod in corporum medicis videmus, qui morbi ratione, non dulces modo, sed & acerbas potiones ægrotis propinant, & vulnera nunc leniunt, nunc exasperant. Scio, Auditores, gravissimis Pontificibus videri, plus in corrigendis improbis interdum agere benevolentiam, quam severitatem : plus exhortationem, quam comminationem: plus charitatem, quam potestatem. At mansuetudo Medici, si morbi vim confirmet, carnificina est : Regis clementia in regni hostes, tyrannis est : Pastoris bonitas in lupos sævientes, in oves contagiosas, est crudelitas. Ergo cum multi oratione neque blanda, neque acerba flectantur, viam disciplinæ ingrediemini, non certam modo, quæ a Deo monstrata, sed & planam & expeditam, quæ omnium vestigiis trita est. Usque enim adeo, ipsa etiam natura facem vobis præfert, ut in ea sequenda ab hominibus a fide & pietate dimotissimis, tum præcepta, tum exempla petere liceat. Memoria aliquis secum, obsecro, reperat, quæ Plato, quæ Aristoteles, quæ alii in effingenda Reip. absolutæ forma, literis mandarunt : cogitet, quæ a barbaris legum-latoribus de religione & justitia sunt sancita : perpendat, quam severi impietatis extiterint vindices, & videbit in eorum decretis & studiis, non claram modo civilis administrationis effigiem, sed ne minime obscura Ecclesiasticæ disciplinæ vestigia reperiet. Quid enim aliud volebat Templi Epidaurici inscriptio, quæ sceleratis aditum intercludebat? Quid illa XII. Tabul. lex, quæ impios donis iras Deorum placare vetabat? Quid censoria Romanorum potestas, quæ populi mores regebat, in Magistratu probrum non ferebat. Utinam vero cujus umbram tanto studio prophani isti homines, ad ementitas religiones propagandas, ad fucatam probitatem mortalibus instillandam consectati sunt ; ejus veram rationem mediocri diligentia ad Christianæ pietatis ac justitiæ fructum aliqui tenerent ! Utinam pudorem in his excitet disciplinæ studium, ab illis naturæ ductu susceptum, vobis vero Divinis decretis, & exemplis propositum. Intuemini, Auditores, veterem Synagogæ gubernationem : inspicite primam Ecclesiæ & institutionem & administrationem ; semper apud Dei populum Divinum hoc institutum viguisse animadvertetis. Moyses Deo authore mandavit, ut, qui in Legem graviter peccasset, instar immundi, & abominandi haberetur, a tabernaculi aditu ad tempus arceretur : qui gravius deliquisset, a Synagoga ejiceretur, e Dei populo excisus, cum Israeliticis non censeretur: qui morum flagitio minime destitisset, diro anathemate percussus, æternis suppliciis adjudicaretur. Et hæc sanctissima Christi instituta, in ipsis Ecclesiæ cunabulis quanta cura excoluerint primi a Deo relicti Pastores, Apostoli, Episcopi : quanta solicitudine Pontifices ad disciplinam augendam, firmandamque incubuerint, Canones Apostolici, Conciliorum Decreta, Pontificiæ Sanctiones, non obscure id declarant, tot in errata populi censuris refertæ, ut undique improbis suspensiones, undique irregularitates, & interdicta infligant. Agite igitur ista tuendæ fidei, servandæ pietatis arma, Divinitus nobis tradita, semper a piis Pastoribus exerta, nolite depo-

(*b*) Jerem. 1.

deponere; ſed quod Deus apud Prophetam jubet, accingite lumbos veſtros, agite & loquimini omnia, quæ Deus nobis præcepit. Imitamini in coercendis exceſſibus Divini Moyſis fervorem: Joſuæ induſtriam vobis proponite: Phinees induite zelum, opitulamini pietatis cultui, jam pene defloreſcenti: quod illi ferro, quod igne in vitiis vindicandis cum laude egerunt, vos nequaquam armis diſciplinæ, delictis puniendis intermittite. Sequimini Ducem veſtrum Jesum, flagello in ſacrilegos Domus Dei prophanatores ſævientem, templo, everſis menſis, effuſo ære, impuros mercatores ejicientem. Veniant vobis in mentem ſanctiſſima Majorum exempla, Cypriani, Ambroſii in Theodoſium, Auguſtini in Bonifacium Comitem. Iſtorum vobis in diſciplina, magnis etiam periculis cuſtodienda, imitandus eſt zelus: iſtorum vobis revocandum ſtudium, ſi eum veſtræ adminiſtrationis fructum Eccleſiæ ferre cupitis, quem veterum ſolicitudo & conſtantia reliquit. Inſpicite, quæſo, mores, & vitam Sacerdotum antiquorum: integritatem & innocentiam plebis animo volvite: reducite in memoriam florentem priſcæ Eccleſiæ faciem; & quid diligentia, ſolertique opera animadverſionis effectum ſit, colligite. Quamdiu illa pudoris & modeſtiæ magiſtra viguit, vere Paſtores forma erant, exemplum facti: in omni pietate, morum integritate, & honeſtate vivebant: quod nomine, quod ore, quod habitu profitebantur, in eorum vita lucebat: vere de Sacerdotibus affirmabatur, quod ligneis utentes calicibus, ipſi eſſent aurei: tanta & myſteriorum eruditione, & Majorum pietate fulgebant. Et quod iſtis ſtudiis & Cleri & populi, magnus Chriſtiano nomini ſplendor allatus, magna Eccleſiæ tranquillitas acceſſerit, & parta ſit, nemo tam eſt ignarus, quin probe calleat. Teſtis eſt ipſa rerum natura, diſciplinæ beneficio iſta vel maxime comparata. Quid enim non magis conſtrictis improborum auſibus bonorum floreat pietas, cum evulſis zizaniis, ſuſpenſo lolio, ager cultior, ſeges lætior videatur? Teſtis eſt nefarius apoſtata Julianus, non ſolum Chriſtianis Legibus, Sacerdotum innocentiam, plebis pietatem, Eccleſiæ fines proferri querens, ſed & ſimilem diſciplinæ formam Ethnicis inſtituendam, Arſatio Galatiæ Pontifici mandans. Teſtes ſunt denique ipſi hæretici, qui ut perditionis ſectas introducant, ut infauſtam ſobolem propagent, annon ſacrilegas errorum ſuorum officinas, velut ſubdolæ Chriſtianorum ſimiæ, confectis diſciplinæ umbris obducunt? Quantum ea in re, veterum quorundam hæreticorum fuerit ſtudium, ex Novatianis apud Cyprianum, ex Donatiſtis apud Auguſtinum, ex aliis apud Epiphanium diſcere licebit. Noſtrorum vero, quis non perſpexit fraudem? Intuemini immanes iſtos cyclopas, an non diligentiſſime ſpeluncis ſuis proſpiciant, ne quis avitæ pietati deditus, pedem in iis figat? An non advigilent, ut coercendis publicis flagitiis, larva honeſtatis ſe obtegant? Proinde ſi unquam ſolicite attendere, diligentem curam adhibere oportuit, jam vero potiſſimum, quando tot hoſtes, ut diximus, & inimici Crucis Chriſti, variis, peſtiferisque doctrinis, fideles inficere, atque in ſuam maſſam pertrahere moliuntur. Ad canem ut cædas, baculus requiritur: Ecce vobis baculus ille Paſtoralis, cenſuræ ſalutares Eccleſiæ, quibus tanquam ſtruma civitatis & peſtis Chriſtianæ Reipub. ſunt exſecandi. Iis tanquam arundineis bacillis, ſi non fugentur, quid enim tartarei illi Cerberi non ſpernunt? Accingite vos gladio ſpiritus, penetrabiliore omni enſe ancipiti, gregem vobis commiſſum a lupina direptione illæſum conſervare: Agnellos ex immanium ferarum trifaucibus eripite, ſtygios Leones ope & gratia Divina, ejusque ſanctiſſimi ſermonis virtute confodite, jugulate, ac demum, ut obmuteſcant, cogite. Qua in re quanta diſcretio, prudentia quanta requiratur, multis perſequi, neque res, neque tempus poſtulat: quod omnes tanquam expertiſsimi Medici, diverſis morborum generibus, diverſa antidota noveritis præparare, & ſeveritatis rigorem æquitate, & lenitatem quadam ſeveritate moderari. Auditis, Patres, cæterique Auditores, diſciplinæ ſeveritatem a Domino Paſtoribus mandatam, auditis, quibus ea Sanctionibus contineatur.

Audite nunc, quomodo ea, quorundam negligentia & conniventia collapſa ſit. Nolim hic meum ſermonem ita accipi, ac ſi omnes officii minus debite adminiſtrati arguam: quam plurimos enim muneri commiſſo gnaviter & ſtrenue incumbere, apparet. Porro per omnia, Apoſtolus inquit, temetipſum præbeas formam bonorum operum. Nihil [vult dicere] eſt virtutis præconium foris, niſi vitæ innocentia domi. Deſtinati eſtis in Republ. Chriſtiana cenſores morum, accuſatores ſcelerum, & omnis iniquitatis extirpatores; cavete igitur omni ſtudio, ne, quod in aliis cupitis ademptum, in vobis tenacius hæreat: proſpicite, ne quod verbis recte & ſancte plantetur, prava & diſſoluta vita eradicetur. Sal terræ & lux mundi cum ſitis; quid vita indecenti, puro ſermoni tenebras offunditis? ac non magis gregi univerſo facem præfertis ad juſtitiæ opera? Cur non ſalem ſapientiæ ſuper fideles inſunditis, ut omnes vitæ veſtræ exemplo etiam tacite moveantur, nihil efferre, quod ſanctitatem non ſapiat: nihil agere, quod cœleſtem juſtitiam

ſtitiam non redoleat? Populus enim ob ingenii ſtuporem, ex vita Doctorum, omnem doctrinæ veritatem metitur: nullum tenet inter Doctorem & doctrinam diſcrimen: pie admonitus juſſa Sacerdotum ridet, jure caſtigatus eorum vitia regerit. Quis enim aures benignas præbebit homini ambitioſo, de contemnendis honoribus diſputanti? Quis avarum, quis ſuperbum, quis perfidum, & id genus ſceleribus coopertos homines, de liberalitate, humilitate, dictorum ac factorum conſtantia, de honeſtate, ac reliquis virtutibus diſſerentes ac perorantes attente audiet? Audite, quid non humana, ſed Divina vox apud Malachiam edicat: Sacerdotes eſſe a Deo repudiatos, Sacerdotio excidiſſe, cunctis honoribus exutos, & vice verſa affectos ignominia, quod ſcientiam a ſe abjecerint, Legem Dei ventis tradiderint. Teſtis eſt futurorum præſcius Daniel, Sacerdotes ob ſcelera contemptiſſimos fore, ac mundi fabulam, quod pactum Domini irritum fecerint. Teſtis Hieremias in Threnis, Sacerdotes ob flagitia ſua, tanquam lapides platearum diſperſos iri. Teſtis tota antiquitas, teſtes omnes Orthodoxi Patres, Sanctimoniam Clericorum, Religionem ſtabiliviſſe; eorundem peccata hanc ipſam evertiſſe. Omitto exempla, ne ſit infinitum. Tantum hoc a vobis peto, ut taciti de omnibus, quos quondam in Clero fuiſſe cognitum eſt, cogitetis; intelligetis unumquemque illorum prius a ſua vita, quam vulgi opinione eſſe laudatum. Attendite ergo vobis, attendite gregi veſtro, ſuper quem vos Chriſtus poſuit, regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo. Diligenter agnoſcite vultum pecoris veſtri, greges veſtros conſiderate: *Omne* (c) *caput languidum, & omne cor mœrens. A planta pedis uſque ad verticem, non eſt ſanitas in eo: vulnus & livor, & plaga tumens, non eſt circumligata, nec curata medicamine, nec fota oleo.* Conſiderate, quanta, dum non vigent leges, Sacerdotalem ordinem, in quo ſanctitatis exempla lucere oportebat, improbitas invaſerit: quanta populum Chriſtianum occuparint flagitia, quantis Dilecta Dei Sponſa involuta miſeriis? Quos Deus lucem mundi eſſe voluit, ignorantiæ tenebris immerſi ſunt; quos oportebat eſſe lucernam, toti domui lucentem, imperitia cæcutiunt: quos ſal terræ eſſe decebat, parum Chriſto dignum ſapiunt. Stare quidem adhuc ex parte videmur, dum veteris ſtatus veſtigium ſervatur. Verendum tamen, ne conſummatum Eccleſiæ naufragium evenat. Id jam inſtat nobis præſens: inſtat, inquam, o Paſtores, porrigite manus, in genua inclinate, paterna veſtra viſcera commoveantur, lacrymas profundatis. Quid enim aliud agitis, dum in domo Dei ſcelera cernitis, & flagellum, quod Chriſtus vobis tradidit, continetis? dum peſtem, qua oves corruptæ ſunt, ſentitis, & contagionem foveris? Audite ergo Sacerdotes, quoniam vobis eſt judicium: quia laqueus facti eſtis ſpeculationi, & rete expanſum ſuper Thabor. *Væ Paſtoribus Iſrael, qui paſcunt ſemetipſos* & ſolos, a duobus Sanctiſſimis Vatibus Ezechiele & Jeremia infertur: *Nonne greges a Paſtoribus paſcuntur* (d)? *Lac comedebatis & lanis operiebamini, & quod craſſum erat, occidebatis, gregem autem meum non paſcebatis. Quod infirmum fuit, non conſolidaſtis: quod ægrotum, non ſanaſtis: quod confractum, non alligaſtis: quod abjectum, non reduxiſtis.... Et diſperſæ ſunt oves meæ, factæ ſunt in devorationem omnium beſtiarum agri... Erraverunt greges mei in cunctis montibus.. & ſuper omnem faciem terræ diſperſi ſunt, eo quod non erat, qui requireret.* Cogitate igitur, quæ ſit muneris veſtri amplitudo, quæ dignitas & honor, atque ingratum animum exhorreſcite: percellat illum horrenda illa Dei vox: *Audite Reges,* (e) *& præbete aures, qui continetis multitudinem:... quoniam vobis data eſt poteſtas a Domino, & virtus ab Altiſſimo, qui interrogabit opera veſtra, & cogitationes ſcrutabitur, quia cum eſſetis miniſtri ejus, non recte judicaſtis, neque cuſtodiſtis legem juſtitiæ, neque ſecundum Dei voluntatem ambulaſtis.* Agnoſcite itaque, quid fieri debeat: expaveſcite, qui ſalutem animarum incuria impeditis. Parcite, obſecro, parcite ſanguini, qui pro vobis effuſus eſt: cavete periculum, terreat vos horrendum illud Divinæ comminationis fulgur. *O Paſtor,* (f) *o idolum derelinquens gregem! gladius ſuper brachium tuum, & ſuper oculum dextrum: brachium tuum arriditate ſiccabitur, & oculus tuus dexter tenebreſcens obſcurabitur.*

Reſtat nunc poſtremum, in quo diſciplinæ reparandæ ſpes omnis ſita eſt. Qua in re cum & ſi vos ſalvos cupitis, jam tutos vos eſſe oporteat; id vobis providendum eſt, ut quibus diſciplina profligata eſt, hæc a vobis quam longiſſime dimoveatis, vigeant vero, quibus ipſa jam olim conſtituta, & longo tempore conſervata eſt. Atque tribus iſtis omnem non modo diſciplinæ interitum, ſed honeſtatis everſionem debere, & ratio & experientia convincit, quorundam dico inſcitiæ, vitæ ſcandaloſæ, & deſidiæ. Quod ſi ergo eam Eccleſiæ reſtitutam cupitis, id unice curandum erit, in Clero ſint homines ornati doctrina, pietate fulgeant, zelo Dei inflammentur, vitæ innocentia, in qua omnis doctrinæ inſtaurandæ ſpes collocata eſt, præ omnibus polleant; ut quod

(c) Iſa. 1. (d) Ezechiel. 34. (e) Sap. 6. (f) Zachar. 11.

verbo fieri jubent, factis ipſis, vitæ innocentia, & ſanctimonia contectatum reddant. Iſtis ſepti prælidiis, nulla eos difficultas, in ſuſcepto onere remorabitur: quibus deſtituti, non dico diſciplinæ fructum, ſed ne formam quidem ſperare licebit. Vultis Eccleſias bene verbo veritatis inſtrui, vultis enutriri filios in correptione, non vultis figulinam (ut ait ille) in dolio diſcere, hoc eſt, cum animarum periculo pietatem meditari; animarum Curatores, quantum fieri poteſt, exhibete, qui ſacras literas didicerint: ſciant, quomodo oporteat converſari in Domo Dei: ſciant decenter gregem Dominicum paſcere, ut poſſint præeſſe in ſolicitudine. Illud tamen etiam ſtatuite; literarum ſcientiam, ſolum pietatis ſtudium ad mores hominum corrigendos, non ſufficere; niſi ſopitus in animis Sacerdotum fervor rurſus exſuſciretur, niſi extinctus religionis, & innocentiæ zelus mentes eorum inflammet, niſi ab iſto negligentiæ ſomno excitati, diligentius poſthac evigiletis. Apoſtoli igitur conſilium ſecuti, operam date ſolicitudini, exhortationi, doctrinæ. Hoc unum meditemini, in hoc uno eſtote, ut profectus veſter notus fiat omnibus. Operarios vos præbete, non erubeſcentes: ſtate in fide, viriliter agite, & confortamini, omnia veſtra in caritate fiant. Excutite iſtum ab animis veſtris languorem, æmulamini vos Dei æmulatione: Divino zelo armati, non collaborate modo Evangelio; ſed bonam in eo militiam militate. Erratis, erratis inquam, ſi vos in tam periculoſo Chriſtiani orbis bello, ſpectatores exhibere ſatis eſſe ducitis. Intuemini, intuemini, ad vos igitur hujus rei conſideratio pertinet. Conventum hodierna die agitis, auditis, quanta Eccleſiam mala occuparint, quanta nos pericula infeſtent, & dum non datis operam, ut fibras flagitiorum exſcindatis, ut omnem furoris materiam, illud miſeriarum Seminarium extirpetis, Catholicæ fidei & integritatis plantaria femineris; tam horrendis erroribus implicamini, ut non jam ab Eccleſia, ſed Deo ipſo, a Chriſto Servatore, manifeſtam defectionem nonnulli moliri videantur. Quod ſi ergo neque Dei mandatum, quo vobis cura commiſſa eſt, neque Majorum exempla, quæ vos ad diligentiam cohortantur, ut tandem manus auxiliatrices adhibeatis, vos excitant; obſecro, inconſutilis Chriſti tunica tam miſere dilacerata, grex Dominicus, qui inſtructione cumprimis indiget, denique ſalus propria, quæ cuilibet quam maxime cordi eſſe debet, vos moveant & inflamment. Date, date, inquam, operam, quantum vires & facultates ſinunt, ut iſta Sathanæ mœnia convellatis, arcem ipſius veſtro conatu diruatis, Dei domicilium in animis hominum exciteris, pietatis fundamenta in moribus jaciatis. Nihil majus, aut Divinius excogitari poteſt, ad coercendas hominum cupiditates, ut ea vitia, quæ legibus humanis, & judiciis emendari nullo modo poſſunt, iſtis veſtris cenſuris expedite: primum latenter ac amice, tum paulo acerbius, demum graviori animadverſione ex poteſtate Divinitus vobis tradita utimini. Habetis Præſulem, abſit hic omnis aſſentationis nota, ſi fervor religionis, ſi pietas, ſi eruditio, ſi eloquentia, ſi cæteræ dotes Epiſcopo dignæ ſpectentur, nulli ſecundum. Habetis ducem memorem veſtri, veſtras libertates ſumma cum laude tutantem, quæ non ſemper facultas datur. Omnes boni, quorum nec contemnenda pars in Clero, ad reformationem mente, voluntate, ſtudio, virtute, voce conſentiunt. Vinea Chriſti a peſſimis feris depaſta, oppreſſa noxiis humoribus Eccleſia, vobis ſupplex manus tendit mater communis: vobis ſe, vobis ſalutem filiorum, vobis ipſam Eccleſiam, vobis & vigilanti veſtræ cuſtodiæ, muros atque urbis tecta commendat. Tot igitur piis Eccleſiæ lachrymis, tam paterno Præſulis animo, tantæ veri Antiſtitis vigilantiæ, tot fidelium ſuſpiriis ut digne reſpondeatur, vobis hodierna die providendum eſt. Retinenda eſt vobis conſtantia, gravitas, perſeverantia: reperenda, & quaſi poſtliminio reducenda eſt vetus illa ſeveritas. Tum tu, Sancte Deus, nobis illa Saturnia regna, & tuis Vicariis authoritatem debitam reſtitues: Cunctos perfidiæ ſocios, a tuis aris, & templis, a tectis urbis, ac mœnibus, a vita, fortunisque fidelium omnium arcebis, & omnes inimicos Catholicorum, hoſtes religionis, ſcelerum fœdere inter ſe nefaria ſocietate conjunctos, mactabis. Vos, Auditores, capietis denarium, pro fideli navata opera in vinea Domini, æternam atque immarceſſibilem cœleſtis gloriæ coronam: audietisque gratiſſimam illam Chriſti æterni Judicis vocem: *Euge ſerve bone* (g) *& fidelis, quia ſuper pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui*, ad quod nos omnes deducat, qui eſt benedictus in ſæcula.

Ubi peroraſſet Archidiaconus, Illuſtriſſimus Princeps ex conſilio & placito Patrum Cancellario injunxit, ut ſuggeſtu conſcenſo Statutorum Synodalium reſiduam partem legeret, & publicaret, quæ quidem per illum lecta & promulgata fuere, ut ſequitur.

CAPUT

(g) Matth. 25.

CAPUT XII.

De Vita & honeſtate Sacerdotum, & aliorum Clericorum.

QUæ de orthodoxæ fidei myſteriis, nec non de Chriſtianæ charitatis officiis per Sacerdotes populo proponi ſolent, longa experientia compertum eſt, vix debitam perſuaſionis vim ac efficaciam ſortiri, niſi illorum tradendorum ratio univerſa vitæ inculpatæ exemplo ſalutari, ab iis, per quos traduntur, comprobetur. Unde qui in ſortem Domini vocati ſunt, Divinorumque miniſterio addicti, ſi morum gravitate atque honeſtatis ſtudio dignitatem ipſimet ſuam tueantur, non parum authoritatis ad pie honeſteque vivendum aliis præſtat; ſi vero a vocationis ſuæ religioſo inſtituto deflectentes, vel in minima re delinquunt, adeo ordinis ſui diminuunt authoritatem, ut illum dignitatis decorem & ſplendorem retinere nequeant, qui ad ſeculares in officio continendos, maxime utilis, imo plane neceſſarius eſſe videtur. Sic enim natura comparatum videmus, ut quiſque etiam ex infima plebe, facilius fidem accommodet iis, quæ ſequenda proponuntur, ubi cum dictis Magiſtri facta quoque ipſius convenire, & non aliud verbis doceri, aliud vero vita exprimi advertit. Doctrinam itaque ſuam efficaciorem fore intelligens Sacerdos, eam, quæ ex vitæ laudabilis uberrimo fonte deprompta, atque ad alios derivata fuerit, diligenter in eam incumbet curam, ut omnes vitæ ſuæ actiones ad exactam pietatis, & honeſtatis componat normam, ſicque in luce & celebritate hominum verſetur, ne Chriſtianam aliis ſuadens modeſtiam, eosque in lege Domini erudiens, incompoſitorum morum offendiculo, animos populi a doctrina ſua tanto reddat magis averſos, quanto minus verba ipſius factis reſpondere fuerint viſa. Cogitet, turpe eſſe Doctori, quem culpa redarguit ipſum: conſideret, quanta ſit officii ſui dignitas & majeſtas, cumque non ignoret, ſe mediatorem inter Deum & homines conſtitutum eſſe, ita dignitatem ſuam tueatur, ne ſe tanto honore indignum præbeat. Dies & noctes in lege Domini meditetur, quidque ipſum facere conveniat, ſedulo attendat: ita ut lucem & facem quandam ad vitam beatam tendentibus præferre videatur. Ille ſiquidem unus ex illis eſt, quos Dominus ſal terræ in Evangelio, & lucem mundi appellat. Ille pro univerſo terrarum orbe legatione ad Deum fungitur, deprecatorque eſt apud Dominum, ut peccatis mortalium propitius fiat. Ille, quod puriſſimis ac beatiſſimis denegatum eſt Spiritibus, Sacroſanctum Corporis & Sanguinis JEſu Chriſti Sacramentum Divini verbi virtute conficit. Ille peccati labe oppreſſos homines, conceſſa ſibi cœlitus ligandi & ſolvendi poteſtate, in ſpem Regni cœleſtis erigit, & cum Deo Optimo Maximo, qui ſe a peccatoribus avertere ſolet, in gratiam eosdem redire facit, eosque ad tartara ruentes, e medio curſu revocatos, vitæ æternæ reſtituit. Officii itaque Sacerdotalis ſublimitatem ſanctitate morum eo magis ornandam convenit, quo ſeveriore vindicta negligentia & contemptus Sacrorum, qui ex Miniſtri impuritate reſultat, a Deo juſtiſſimo punietur.

CAPUT XIII.

De caſtitate Clericorum, & ne cum ſuſpectis mulieribus converſentur.

COntinentiæ ſtudium quemadmodum etiam in iis, qui nullo ejus ſervandæ voto, aut neceſſitate adſtringuntur, maxime laudabile eſt, & commendabile; ita eos imprimis decet, quorum pars hæreditatis ipſe Dominus eſt, in cujus ſortem vocati, vaſa corporum ſuorum in ſanctitate poſſidere, ſeque ab omni carnalium deſideriorum impuritate & immunditie diligenter cuſtodire debent. Ut igitur Diœceſis noſtræ Clericorum mores & actus in melius reformentur, neve eorum inhoneſtæ converſationis ſuſpicio, offendiculi anſam præbeat ſecularibus, ſtatuimus, ut nullus Sacerdos aut Clericus (*b*) cum fœminis ſuſpectis converſationem

(*b*) Conc. Trid. Seſſ. 25. Cap. 14. de Reform.

nem habere, easque nec domi retinere, nec earum domos frequentare præsumat: & si forte aliqui ex naturalis pietatis officio matrem, amitam, sororem, aut alias consanguineas, Canonibus Sacris concessas, in domibus retinendas atque alendas duxerint, meminisse debent, & in his aliquando instigante diabolo, aut in pedisequis earum scelus perpetratum fuisse, atque proinde præstare, periculi evitandi causa, tales personas extra domos Clericorum, degere, ne vel consanguinitatem ignorantibus sinistra suspicio ingeratur, vel turpe aliquid contra conscientiam, & Dei mandatum committendi occasio relinquatur. Atque infelici hoc quidem ævo adeo Clericorum Diœcesis nostræ mores depravatos esse non sine justo animi dolore advertimus; ut in carnalium concupiscentiarum cœno sepulti, plus libidinibus nefandis vacare, quam Divinorum, ad quæ tractanda vocati sunt, pia exercitatione occupari videantur. Hinc nonnulli ad Matrimonia prætensa post Ordines Sacros susceptos convolare, atque eas, quibus illicite copulati sunt, legitimarum uxorum loco habere, nec minus cum illis, quam cum liberis incontinentiæ nefandæ testibus, publice circumvehi non verentur. Nonnulli etiam, si talia Matrimonia de facto non contrahunt, mulierculârum tamen inhonestarum pravam & impudicam non evitant cohabitationem, ac sub matrum-familias, vel coctricum prætextu, eas in domibus suis magno cum scandalo plebis, & totius Ordinis Ecclesiastici dehonestamento retinent.

Quorum perversitati ut tandem opportunis remediis obvietur; monemus serio Archidiaconos, aliosque omnes Prælatos, ad quos jus visitandi, aut etiam corrigendi aliqua ratione pertinere dignoscitur, ut quoscunque in districtibus suis repererint Clericos cujuscunque gradus, dignitatis, & eminentiæ, qui inhonestas mulieres in domibus suis retinent, aut etiam in alienis specioso quovis prætextu fovent, vel earum commercia, atque consortia quovismodo affectant, memores officii sui, eosdem ad Nos deferant, quo secundum Sacrorum Canonum Decreta contra tales diffidentiæ filios legitime procedere, & impudicitiam ejusmodi pœnis pro delictorum enormitate inflictis compescere, ac exterminare possimus. Dignum est enim, ut quos ad vitæ decora domesticæ laudis exempla non revocant correctionis, saltem medicina compellat, utque ferro abscindantur vulnera, quæ fomentorum non senserint medicinam.

CAPUT XIV.

Ne Clerici noctu per plateas vagentur, sed in domibus suis pernoctent.

QUia tenebræ ad malum fabricandum, atque honestati adversas actiones obeundas sunt accommodatissimæ; Statuimus & districte præcipimus, ne posthac Clerici nocte intempesta, & hora suspecta, per vicos & plateas locorum, in quibus commorantur, noctuarum, aut vespertilionum more, oberrent: imo nec in domibus secularium sine gravi causa, & summa necessitate, pernoctare audeant; sed domi suæ quisque præsertim eorum, quibus animarum cura incumbit, se contineat: ut si forte aliqua vel confessionis infirmorum excipiendæ, vel alterius Sacramenti administrandi ex inopinato ingrueret necessitas, non per alienas domos quæri, sed propriis in ædibus illico reperiri, officiumque suum exequi possit. Qui contra fecerit, seque culpabilem ea in parte exhibuerit, sciat, se pœna inobedientiæ debita, ad primam Archidiaconi sui denunciationem a Nobis correptum & cohercitum iri.

CAPUT XV.

De sobrietate a Clericis servanda, tabernis non frequentandis, & conviviis ac comessationibus fugiendis.

CUm D. Hieronymo teste, luxuriosa res sit vinum & tumultuosa ebrietas, cumque venter mero æstuans cito despumet in libidines, idemque Apostolus

ſtolus moneat dicens: *Nolite* (i) *inebriari vino, in quo eſt luxuria*; ea propter Clerici, quorum ſenſus ad obeunda miniſteria ſacra vigere, & mentes ad Deum erectas eſſe convenit, ſobrietatis ſtudio omnibus antecellere, & ebrietatis, quæ mentis inducit exilium, libidinisque provocat incendium, cane pejus & angue fugere debent. Animadverſo itaque, temulentiæ vitium adeo Cleri noſtri mentes, ad enormia quævis perpetranda pronas & faciles jam reddidiſſe; ut verecundiæ Sacerdotalis immemores, talia committere palam non vereantur, qualia in hominibus ſecularibus quivis Magiſtratus, impunita nullo modo relinquere ſolet: laudabile temperantiæ ſtudium reſtituere, multisque ex ebrietate provenientibus malis occurrere cupientes, mandamus, & ſtatuimus, ut Clerici ſanctam, & Miniſtris Dei dignam ſobrietatem, tanquam honeſtatis magiſtram colant, ejusque, ſive in domibus privatis, ſive apud alios obſerventur, apprime (*k*) exiſtant.

Tabernas itaque publicas, bibendi vel edendi cauſa, niſi peregrinationis neceſſitate compellantur, ingredi, atque ibidem cum hominibus prophanis, ad patinas variis nidoribus fumantes, meroque aut cereviſia ſpumantes pateras, turpiter hærere ſibi nefas putabunt: convivia, & comeſſationes, choreas, alcas, aliosque infames luſus, omnino vitabunt (*l*), & ſi forte honeſti cujusdam viri menſæ adhibiti fuerint, modeſtiæ ac gravitatis Clericalis memores, caveant diligenter, ne tantopere vel epularum illecebris, vel fœcundiorum calicum ubertate, atque vini potentia obruantur, ut diſtento ventre, & mente poculorum calore perturbata, in plauſus & riſus inconditos ſolvantur, & fabellas inanes ibidem referendo, aut in cantus laſcivos prorumpendo, ſcurras & hiſtriones potius, quam Sacerdotes ſe exhibeant.

Si vero plures Sacerdotes, aliosve Clericos ad anniverſarium alicujus defuncti, vel Dedicationis Eccleſiæ diem, vel ad primum novelli Sacerdotis Sacrum, aut alia quavis honeſta de cauſa congregari, & refectionem neceſſariam, abſolutis primum iis, quæ munus eorum concernunt, ſumere contigerit; ſine benedictione menſæ non accumbent, neque etiam ſine gratiarum actione iſthinc recedent. In convivio autem id omnibus curæ erit, ne ſe invicem indecora ad potus æquales invitatione & obligatione gravent: neve pro ſalute aliorum (ut inter ſeculares fieri ſolet) immania pocula exhauriant: id enim ſicut indecens eſt & oneroſum, ita a ſervis Dei remotiſſimum eſſe debet. Barbaricum namque ingurgitandi ſe ſe morem, cum ii omnes, qui excelſiorum quorumvis officiorum functionibus exercendis deſtinantur, ſtudioſe fugere ſoleant; equidem Sacerdotes, quorum muneris amplitudinem humanis verbis explicare difficile eſt, fœtidam ingluviem ſectari, & nocturno (ut ille) fœtere mero, certare diurno, non ſolum minime decet, ſed abominabile inprimis eſt ac horrendum. Expendant accurate Sacerdotes, quam multa olim mala pepererit ebrietas, quantave clade ſequaces ſui quotidie afficiat. Noe, quem univerſo genere humano naturæ ſummus opifex Deus pro ejusdem generis conſervatione, cataclyſmo vel diluvio ſubduxerat, vino preſſus nudavit fœmora. Loth, quem Sodomorum iniquitas, a recto bene vivendi propoſito abducere non potuit, vicit ebrietas. Holofernem bellicoſiſſimum, imbellis fœminæ manu obtruncari fecit ebrietas, nuncque tantam in genere humano ſtragem facit, ut plures vino obruti pereant, quam hoſtili perimantur ferro. Et quamvis de Cleri noſtri pietate nil, Domino juvante, diffidimus, adeo ut unumquemque vocationis ſuæ debitam habiturum rationem, & ſicut alia fœda vitia, ita crapulam & ebrietatem, quæ ad turpitudinem omnem fores patefaciunt, vitaturum eſſe non ambigamus; ſi qui tamen (quod abſit) conditionis ſuæ immemores hac in parte ſe ſe exhibuerint, ſciant, ſeveriores pœnas inobedien-

(i) Epheſ. 5. (k) *Supple:* Studioſi, vel quid ſimile.
(l) Conc. Trid. Seſſ. 22. Cap. 1. de Reformat.

dientiæ, temeritatisque eorum coercendæ per nos adhibitum, belluinamque hanc carnalium ſenſuum exorbitationem, ultra diſtributionum quotidianarum & aliorum proventuum ſubtractionem, atque ab officio & beneficio (ut Canones Sacri decernunt) ſuſpenſionem, commenſuratis delicto animadverſionibus, ultum iri.

CAPUT XVI.

Ne Clerici in ædibus ſuis vina aut cereviſiam propinent.

HUmanæ leges cauponum ſuſpectam habentes fidem, non pauca contra eosdem edidere Statuta: adeo, ut jam tam vilis negociationis genus etiam apud inconditum vulgus male audiat, ſubindeque ergaſteria ex neceſſitate adeuntes, non minus contra lucri avidos tabernarum exercitores, armare ſe ſe conſueverint, quam ſi ſub Jove frigido, inter ſpælæa ferarum pernoctandum foret. Et de tali proinde illicito quæſtu, ſuſpicionis, & ſcandalorum, facile inde provenientium vitandorum, cauſa ſtatuimus; ne quiſpiam ex Prælatis tam ſecularibus, quam regularibus *Canonicis*, Parochis, aliisve Diœceſis noſtræ Clericis, publicam tabernam, in qua vinum aut cereviſia venum exponatur, domi ſuæ, quam incolit, habere præſumat: neve privilegiis, quæ olim Majorum noſtrorum fundis Eccleſiæ conceſſit pietas, in grave animæ ſuæ periculum, totiusque Ordinis Eccleſiaſtici dedecus maximum abutatur. Si enim Clerico, extra peregrinationis neceſſitatem, tabernas edendi, bibendive cauſa ingredi Sacri Canones prohibent; quanto minus tabernas exercere, & vile cauponis miniſterium obire, eidem ex dictorum Canonum præſcripto licebit. Id tamen non prohibetur, ut ſi forte Prælati regulares vina, ex propriarum cultu vinearum, ex decimis, vel etiam alia quæcunque habuerint, ea in locis opportunioribus, extra clauſuram Conventus, ſine ſcandalo, ſæcularium opera requiſita propinari curari poſſint. Si qui reperti poſthac fuerint, Statuti hujus immemores, vino ipſo, quod ſic venum exponere auſi fuerint, per Fiſcalem noſtrum privandos, ac pœna Canonica, pro arbitratu noſtro inſuper ſe irremiſſibiliter mulctandos, certo ſcire debent.

CAPUT XVII.

Ne Clerici comam nutriant aut barbam.

ANtiquis Statutum novimus Canonibus, ne Clerici barbam, comamve nutriant: quod cum eo duntaxat intelligendum ſit modo, ut non plane deraſis capitibus, mentoque glabro, & quaſi pſilotro levigato, Clericos incedere oporteat, ſed ne comam ita relaxent, ut concinnati & calamiſtrati appareant, vel barbas, præſertim labro ſuperiori inſitas, adeo producant, quo irreverentiam Sacris Myſteriis altaris Domini irrogent; idcirco decernimus, ut tam in coma, quam in barba, Diœceſis noſtræ Clerus, præſertim vero Sacerdotes, debitum non tranſcendant modum, ac modeſtiam: ne hirſutioribus barbis ſilveſtres homines, comave laxiori fœminas referant, ac non minus Sacramentis, quæ tractant quotidie, injurii fiant, quam laicis ſcandaloſi. Quod ſi qui nihilominus poſt Decretum hoc noſtrum immodeſtiam hac in parte ſuam corrigere, debiteque ac congruenter tonderi noluerint, poſt primam Archidiaconi, aliorumque Viſitatorum monitionem, inviti ab iis tonderi poterunt, pro arbitrio inſuper noſtro inobedientiæ nomine mulctandi.

CAPUT XVIII.

Ne Clerici armis offenſivis utantur.

ARmorum uſum præternaturalis hominum, in genus proprium ſævientium, induxit crudelitas: eo lapſu temporis progreſſa, ut non ſolum illatas ſibi injurias, parvi vi repellere: ſed etiam non laceſſita aliorum bonis, & ſaluti inſidiari præſumeret. Cum itaque Sacerdotis ſit, obeſſe nemini, prodeſſe vere velle omnibus, ſerio prohibe-

Digitized by Google

hibemus Clericis Diœceſis noſtræ, ne extra peregrinationis & viarum longiorum periculi neceſſitatem, in locis, quæ inhabitant, arma offenſiva, uti bombardas, frameas, machæras, ſicas, aliaque id genus necis inferendæ inſtrumenta deferant, ſed quemadmodum Evangelium pacis concredito ſibi populo, tanquam fideles ipſius ſummi pacis Authoris miniſtri, annunciant; ita quoque, beatæ pacis ſtudio ſibi nihil antiquius eſſe, re ipſa declarent, ac teſtentur: memores ejus, quod B. Ambroſius in oratione contra Auxentium dicit, nempe ſuas ſibi lachrymas arma, hæcque duntaxat Sacerdotis munimenta eſſe, aliter autem, ſe nec poſſe, nec debere reſiſtere. Quod ſi quis vocationis ea in parte ſuæ debitam habere nolens rationem, talia arma deferre, ſeque tumultibus hominum ſeditioſorum data opera immiſcere præſumpſerit, pœnas Canonicas ſe nullatenus effugiturum, atque ad aliorum exemplum caſtigandum fore ſciat. Nec enim decet eos, qui in Spiritu lenitatis errores populi corripiendo, manſuetudinis cultores ſe ſe exhibere debent, ſecularis Magiſtratus inſtar gladiis, atque aliis id genus telis, non ſecus, quam faſcibus, ſecuribusque, eidem populo formidabiles reddi, cujus Paſtores, non percuſſores, a Deo ſunt conſtituti.

CAPUT XIX.

De habitu & tonſura Clericorum.

EX habitu corporis, diverſas humanorum officiorum functiones, etiam ab iis, apud quos ignotus ſit quisque, agnoſci ſolere, tam verum eſt; ut jam vix aliter, quam ex veſtium differentia, nobilis ab ignobili, doctus ab indocto, pauper a divite, primo intuitu diſcerni queat, imo & diverſarum nationum populi, non ſecus ac certo quodam diſcrimine, a ſe invicem ſeparentur. Ne itaque Clericalis vocationis dignitatem indecentis habitus dehoneſtet ratio, neve in eos, qui in ſortem Domini vocati ſunt, quidpiam tanto indignum munere, per homines prophanos committi contingat, ſi Clerici neglecto profeſſionis ſuæ indice veſtitu, ſecularium more induantur; diſtricte præcipiendo ſtatuimus, ut quilibet Diœceſis noſtræ Clerici, immunitate libertatum & privilegiorum Clericalium gaudere cupientes, veſtes (*m*) ordini, ſtatuique ſuo competentes, nimirum talares deferant, nimia brevitate, vel longitudine non notandas. Pannis rubeis, aut viridibus non veſtiantur, atque omnia, quæ ſecularem redolent pompam, prorſus abjiciant & devitent. Cæterum cum Hierarchicus Eccleſiæ ordo etiam in minimis merito ſervari debeat, ut pro eo, ac in domo Dei diſtincta cernuntur officia, veſtitus quoque diſparis, minoris vel majoris cujusvis Perſonæ Eccleſiaſticæ dignitatem demonſtrantis, certa ratio ineatur, quove facilius Magiſter a Diſcipulo, Prælatus a ſubdito, Sacerdos ab eo, qui in aliis inferioribus eſt ordinibus, dignoſcatur; decernimus, ut ſericeas veſtes, nullus Sacerdos deferre poſthac audeat, niſi ſit Cathedralis Eccleſiæ Canonicus, aut in Cathedrali, vel Collegiata Prælatus, aut Doctor, vel alias in aliqua Facultate promotus: quibus quidem cum ejusmodi habitus in ſignum Prælaturæ vel dignitatis duntaxat concedatur, unice curæ eſſe debet, ne vanæ gloriæ & elationis animi vitio tentati, debitæ immemores reddantur demiſſionis. Nullus præterea Clericorum, exceptis privilegiatis, ut paulo ante dictum fuit, perſonis, deferat orificia & fimbrias de pellibus ſebellinis vel marturinis, ſive circa collum, ſive in anteriori ſuffultura, aut in manicis. Induſiis quoque acu elaboratis, & coloribus criſpatis lactucarum inſtar, ſibi interdictum omnino putabunt Clerici noſtri omnes: talia enim vanitatis & levitatis cum non obſcura ſint argumenta, a Clero gravitatis debitæ ſtudioſo & modeſtiæ ſectatore aliena eſſe debent. Annulos plures nemo eorum geſtet, niſi cui id tanquam Prælato, vel Doctori, aut

(*m*) Concil. Trident. Seſſ. 14. Cap. 6. de Reformat.

aut Magiſtro in aliqua facultate convenit: imo & hos quoque unico ſaltem annulo contentos eſſe decet, ne dignitatis ſigno ad faſtum inanem abuti videantur. Quod ſi forte aliquando longioris itineris ſuſcipiendi ingruerit neceſſitas, ii, qui in Sacris ſunt, recutitis, & medias coxas vix contegentibus veſticullis, inflatis femoralibus, & palliolis brevibus non utentur, ne milites potius, aut quosvis laicos, quam ſacris initiatos Ordinibus referant. Calcaria inaurata & fibulas aureas, vel alio precioſo ex metallo factas non geſtabunt. Clericalem tonſuram, quæ coronæ Servatoris noſtri ſpineæ glorioſam repræſentat memoriam, ſinguli pro ſuſceptorum Ordinum ratione deferent. Secus qui fecerint, & neque tonſuram, neque habitum Clericalem deferentes, ſecularium hominum commerciis ac conſortiis ſe ſe implicaverint, aut etiam veſtes precioſiores, quam dignitatis eorum poſtulat ratio, geſtaverint, poſt primam admonitionem ab Archidiaconis talibus veſtibus in uſum pauperum arbitrio noſtro convertendis privari poterunt, & tanquam indigni privilegiis Clericalibus, ſibi imputabunt, ſi forte per ignorantiam a laicis verbo, vel facto eos contigerit offendi: fruſtra enim legis implorat auxilium, qui in legem committit: & indecens eſt, eum protectionis Eccleſiaſticæ gaudere beneficio, qui Clericalis militiæ nota ſuppreſſa, inconvenienti vocationi ſuæ corporis cultu dignitatem, in qua poſitus eſt, dehoneſtare non veretur.

CAPUT XX.

Ut Clerici mutuo ſe ſe honorent.

HOnor, qui Majoribus per minores exhiberi ſolet, a natura ipſa hominibus etiam iis, qui alias barbariem innatam ſpirant, inſitus eſſe videtur. Unde valde inconveniens eſt; illos debita non affici a minoribus reverentia, quos ad Sacerdotalis faſtigium dignitatis Divina providentia evehere eſt dignata. Quocirca monemus omnes & ſingulos Diœceſis noſtræ Prælatos, Presbyteros, aliosque cujusvis ordinis Clericos, ut ſubditi quidem & inferiores id, quod officii eorum expoſcit ratio, in honorandis Prælatis, Superioribusque ſuis non prætermittant, ſed eis debitam reverentiam domi & foris exhibeant: hi vero viciſſim manſuetudinis & charitatis, qua merito Eccleſiaſtici Dynaſtæ ſubjectum ſibi Clerum paterne complecti, ac fovere tenentur, immemores haud exiſtant. Si enim a laicis debite honorari volunt, ut ſe ſe mutuo honore invicem complectantur, bonumque iisdem laicis ea in parte præbeant exemplum, neceſſe eſt. Cogitent Prælati, idem plane eſſe infimorum quorumvis Sacerdotum officium, quod & ipſi gerunt, ac eapropter honorem, qui ipſis per inferiores impenditur, ſervata debite dignitate ſua, pari officio compenſare non verecundentur. Conſiderent itidem & inferioris conditionis Sacerdotes, aliique Clerici, Hierarchicum Eccleſiæ militantis ordinem id expoſcere, ut togatis hiſce ſatellitibus, ſui non deſint Præſides atque Duces, quorum cura & ſolicitudine univerſa Eccleſiaſtica Respublica gubernetur: ideoque illis tanquam Magiſtratui a Deo conſtituto, obediant in rebus juſtis ac honeſtis, & honorem, quem dignitas atque authoritas eorum meretur, filiali ex amore deferre non recuſent; ne ſi vel immorigeri Majoribus ſuis fuerint, vel eos deſpexerint, dignas inobedientiæ & ſpreti Numinis Divini, quod in Magiſtratu legitimo honoratur, & deſpicitur, pœnas incurrant.

CAPUT XXI.

De Clericis ad Judicium ſeculare provocantibus, & Inſtitutiones aut Beneficia Eccleſiaſtica a Secularibus petentibus.

AMpla Clericalis militiæ dignitas quemadmodum ex multis aliis prærogativis aperte colligitur, ita vel inde manifeſte apparet, quod nec Legis humanæ, nec alicujus conſuetudinis tanta poſſit eſſe authoritas, quæ efficiat, ut Clerici coram ſeculari Judice tam de crimine, quam in civili cauſa conveniri queant. Qua in re non ſolum

lum Canonicarum Sanctionum, verum etiam Legum Civilium Clericali ordini ſuffragatur munimen, utpote cum antiquorum Eccleſiæ Patrum Decretis & Imperatorum perpetuis Edictis abunde ſit cautum, ne Clerici alibi, quam coram Eccleſiaſticis Judicibus conveniantur, ipſique Clerici nullam habeant Judicem laicum ſibi conſtituendi facultatem. Unde magno animi dolore nonnullorum ex Diœceſis noſtræ Clero puſillanimitatem, animique dejectionem vel potius temeritatem hactenus advertimus, dum ii vocationis, dignitatisque propriæ immemores, jurisdictionem implorare haud vererentur ſecularem, ſeque mutuo in cauſis ſine Canonico terminandis, ad judicium pertraherent laicorum, & a laicis ſe ſe eodem trahi paterentur. Quæ res cum non exiguum toti Ordini Eccleſiaſtico, gignat præjudicium; Nos talium exorbitationi obviare cupientes, nihil aliud hic decernendum putamus, quam quod olim in Milevitano & Carthaginenſi Conciliis eo in genere conſtitutum fuiſſe, Sacri Canones teſtantur: nempe ne Clerici Clericos, relicto ſuo Pontifice, ad judicia publica pertrahant, alioquin cauſam perdant, & a communione habeantur extranei, ſique in criminali, ſeu in civili negotio, derelicto Eccleſiaſtico judicio publicis judiciis ſe purgare voluerint, quanquam pro eis lata ſit ſententia, locum ſuum amittant, & hoc quidem in criminali; in civili vero perdant quod evicerint, ſi locum ſuum maluerint obtinere. Cauti ergo ſint inpoſterum Diœceſis noſtræ Clerici, ne brachii ſecularis inopportune implorantes authoritatem, non ſolum cauſarum, ſed, quod majus eſt, ordinis proprii patiantur jacturam, nec putet quisquam, privilegio in favorem ſuum inducto, ſe hac in parte renunciare poſſe, cum privilegium, quo Eccleſiaſticus ordo a laicali eximitur judicio, perſonale minime ſit cenſendum, ſed toti Eccleſiaſtico ordini conceſſum, adeo ut illi, tanquam juri publico, privatorum pactis nequeat derogari. Quod vero ad eos attinet, qui cum non ignorent, nullam circa ſpiritualia diſponendi laicis concedi poteſtatem, ſed potius eos, non imperandi authoritatem, & obſequendi neceſſitatem manere, animarum tamen curam, & Eccleſiarum regimen ab illis ſuſcipere, ſicque ſine inſtitutione Canonica, quæ ad Ordinarios, (n) vel eorum jure hac in parte fruentes, ſpectat, dicta beneficia retinere, in iisque Sacramenta adminiſtrare non reformidant: cum tam temerarii Eccleſiaſticæ diſciplinæ & Canonicarum Sanctionum contemptus, pœnis ab iisdem Canonibus Sacris conſtitutis merito puniri debeat, tantaque Clericorum, Magiſtratus ſuos vilipendentium, præſumptio ſit refrenanda; ſtatuimus & decernimus, ut nullus inpoſterum beneficium Eccleſiaſticum ex manu laici, ſive is Patronus ſit, ſive ſimplex territorii, in quo id beneficium ſitum eſt, tenutarius, ſuſcipere audeat, cum Patronis laicis non niſi jus præſentandi competat, inſtitutio vero ad Ordinarium ſpectet, quemadmodum etiam ad illum perſonæ præſentatæ de jure pertinet examen & approbatio, ſeu improbatio. Quocirca monemus Archidiaconos diſtrictuum, ut inter alia viſitationum ſuarum capita illud inprimis diligenter perquirant, an Parochus, aliusve quispiam Sacerdos, Eccleſiaſtico gaudens beneficio, Canonice ſit inſtitutus, quove titulo ſui poſſeſſionem obtineat beneficii: quoscunque a laicis, ſine Ordinarii voluntate ac inveſtitura, beneficia obtinere repererint, contra illos Canonice, tanquam intruſos, proceſſuri.

CAPUT XXII.

Ut Clerici ſecularibus negotiis ſe non immiſceant. & illicitas venationes devitent.

CUm ſecundum Apoſtolum nemo militans Deo negotiis ſecularibus ſe immiſcere debeat, ſane Clerici, quos togatæ militiæ Summo rerum omnium Opifici obſtrinxit Sacramentum, ab iis, quæ vocationi ipſorum minime conveniunt, quæve eos a tractandis Divinis diſtrahunt, plane abſtinere debent.

Primum igitur Clericus dignitatis ſuæ memor, ſive in minoribus, ſive

(n) Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 9. de Reform. & Seſſ. 14. cap. 13. de Reform. & Seſſ. 24. cap. 18. de Reform.

in majoribus ſit Ordinibus, nulli laico operam ſuam eo modo addicendam putabit, ut negotia ipſius adminiſtrans, in famulatu & miniſterio laici eſſe videatur. Quam enim ſit indignum, Summi Dei Miniſtros vel ad ratiocinia obligari, vel objurgationes herorum duriorum ſufferre, aliaque vilia obire officia, facile quisque conjicit. Unde & Sacrorum Canonum cautum eſt Decretis, ne iis, qui aliena negotia aliquando tractarunt, & ad rationes ex adminiſtratione ſua dandas obligantur, Sacrorum Ordinum ſuſcipiendorum detur facultas prius, quam rationes reddant, & ſecularibus negotiis omnino nuncium remittant. Ad hæc cum, Imperatore teſte, opprobrioſum ſit Clericis, ſi peritos ſe monſtrare velint rerum forenſium, ea propter officia Procuratorum, Syndicorum, Cauſidicorum, Tabellionum, aliaque id genus non ſuſtinebunt, neque etiam juſtam alicujus defenſionem in judicio publico ſuſcipere præſument, niſi Eccleſiæ, & perſonæ miſerabilis, uti ſunt orphani & viduæ: idque ſervata ſemper ordinis Clericalis dignitate, quo illos non ſpe lucri cujuspiam temporalis, ſed amore duntaxat Dei & proximi, patrocinium impendiſſe facile apparere queat. A negotiationibus quoque illicitis, quæ etſi nonnunquam ex ſe licitæ ſint, diverſis tamen ex cauſis inhoneſtæ & injuſtæ efficiuntur, abſtinebunt. Circa rem familiarem curandam ea moderatione utentur, ut non ex radice cupiditatis & avaritiæ, ſed partim otii fugiendi, partim vitæ honeſte ſuſtentandæ cauſa, ad exercitia œconomica deſcendere nonnunquam videantur. Quocirca illi merito ſunt reprehendendi, qui ad domeſticarum rerum curam omnes animi & corporis conatus conferunt, neglectisque ſpiritualibus, ad quæ vocati ſunt, primariam de agris, vineis & pecoribus ſollicitudinem gerunt, plusque temporis ſtivæ premendæ, & ſulcis ducendis, quam Sacerdotalis officii exercitio impendunt. Quemadmodum & & illi ſua digni ſunt reprehenſione, qui clamoſis & oppreſſivis venationibus indulgere non verecundantur, officiique Sacerdotalis gravitatem indigna circa feras inſequendas & canes urgendos levitate dehoneſtant. Quæ quidem omnia ſupradicta, pro eo ac ſervis Dei minime conveniunt, atque vocationi eorum plane repugnant, diligenter a Diœceſis noſtræ Clericis caveri debent. Quod ſi quiſpiam eorum, ſalutis, vocationisque propriæ immemor, a propoſito ea in parte ſuo deſiſtere noluerit, ſeque nihilominus ſæcularibus implicaverit negotiis, ſciat ſe Canonicæ ultioni ad exemplum aliorum ſubjiciendum, ad officiumque debitum pœnæ ſeveritate revocandum.

CAPUT XXIII.

Ne Clerici Sanctimonialium clauſtra intrent.

QUia in fœmineo ſexu tanta eſt naturæ imbecillitas, ut plerumque ex judicii fragilitate, etiam contra propria laborare ſoleant commoda, idcirco tam humanis, quam Divinis legibus multa eidem ſexui conceſſa fuerunt, quæ viris negantur, quemadmodum quoque vice verſa nonnulla interdicuntur, quæ viris ſolis obeunda relinquuntur. Quas itaque ad virginitatem perpetuo colendam, Summoque Deo conſecrandam ſingularis induxit devotio, adeo ut mundi contemptis illecebris, caſtiſſimarum mentium acie, in Sponſum cæleſtem Chriſtum JEſum defixa, cultui Divino ultro ſeſe mancipandas duxerint; earum pium inſtitutum juvandum, obicesque omnes & obſtacula, nec non impedimenta univerſa, caſto adverſantia propoſito, tanto majori cura ſunt amovenda, quanto facilius ipſas ab incepta ſancte vivendi norma declinare poſſe, vel ipſa naturæ earum fragilitas ſat ſuperque inſinuare videtur. Sacrorum ergo Canonum, & Sacroſancti Concilii Tridentini (o) inhærentes Decretis & diſpoſitioni, omnia, quæ de clauſura Sanctimonialium ibidem ſtatuuntur, pro majori domus Dei decore, & ſuſpicionum malarum vitandarum gratia, diligentiſſime in Diœceſi noſtra obſervari ſtatuimus, ſerio ſub excommunicationis

(o) Conc. Trid. Seſſ. 25. cap. 5. de Reformat.

nis latæ ſententiæ pœna, omnibus tam Secularibus, quam Regularibus cujuscunque ſtatus & conditionis Clericis (præter eos, qui ex ordinum ſuorum privilegiis jus viſitandi clauſtra ejusmodi obtinent, quos tamen officii ſui diligenter, & ſine offenſione præſtandi, commonitos eſſe velimus) prohibentes, ne ſine expreſſa noſtra, aut Ordinarii, aut Viſitatoris ab ordine deputati, licentia, in ſcriptis conceſſa, clauſtra Monialium, aliquo negotiorum vel etiam conſanguinitatis prætextu, intrare præſumant, multoque minus Deo dicatas virgines, literarum miſſionibus, vel per internuncios inquietare attentent. Quod ſi forte aliquis temerario auſu hanc Sacrorum Canonum, dictique Concilii, demum & noſtram violare præſumpſerit Conſtitutionem, noverit ſe pœna carceris, aliisque durioribus animadverſionum generibus corporis afflictivis cohercitum iri: dignum ſiquidem, ut quos ipſa Eccleſiaſticæ honeſtatis ratio non permovet, pœnarum ſaltem acerbitas ad meliorem vitæ frugem reducat.

CAPUT XXIV.

De Conſtitutionibus præſentis Synodi obſervandis, & Archi-Diaconorum circa viſitationes peragendas diligentia.

QUæ ad majorem præpotentis DEI gloriam, ex Diœceſis noſtræ præſenti neceſſitate, pro cultus Divini inſtauratione, diſciplinaque Eccleſiaſtica revocanda, in Synodo hac noſtra, Domino inſpirante, ſtatuimus, ea omnia una cum Actis Synodalibus per ſuas diſtincta Seſſiones & Capitula, poſt abſolutam prædictam Synodum, primo quoque tempore Typis mandari, utque omnes & ſinguli Diœceſis noſtræ Clerici exemplaria dictorum Statutorum Synodalium (quæ Officialis noſter venum exponi curabit) emant, penes ſe habeant, & exactiſſime univerſa in iis contenta obſervent, decernimus, paterneque ad id omnes in Domino hortamur, & monemus. Quia vero fruſtra eſſent in Rebuspublicis Leges, niſi forent ii, qui eas exequerentur, & contra eorundem transgreſſores debitam exercerent authoritatem; eapropter ſerio monemus Archidiaconos diſtrictuum, ad quos munus viſitationum obeundarum de jure & antiqua Diœceſis hujus conſuetudine pertinet, ut officii ſui, quod ſane non exiguum eſt, utpote eorum, qui ob partem ſolicitudinis Paſtoralis, oculi Epiſcoporum non immerito vocantur, apprime memores, temporibus commodis, viſitationes Eccleſiarum & Parochiarum faciant: per quam diligenter, in iisque omnia, quæ ad cultus Divini incrementum, inſtaurationemque, nec non ad animarum curam debite a Parochis adminiſtrandam, demum & vitæ, morumque Cleri honeſtatem reducendam, & manutenendam ſpectant, accuratiſſime provideant, ac demum peractarum annis ſingulis viſitationum proceſſus Nobis præſentent, quo defectibus occurrere, morbisque animarum mederi in tempore pro muneris noſtri ratione poſſimus. Qua in parte etſi de ſedulitate ac diligentia prædictorum Archidiaconorum pie in Domino meliora quæque nobis pollicemur, ſi tamen (prout hucusque accidit) aliquem eorum in officio, munereque proprio debite obeundo remiſſiorem & oſcitantiorem inpoſterum fore contigerit, contra talem uti ignavum, vocationique ſuæ minime ſatisfacientem ad fructuum ſui Archidiaconatus, imo etiam creſcente (quod abſit) negligentia, ipſius officii Archidiaconalis privationem Canonice proceſſuri ſumus.

Lectis per Cancellarium Conſtitutionibus ſupraſcriptis, & per omnes Prælatos, Clericosque tam ſeculares, quam Regulares, qui Synodo intererant, approbatis, Illuſtriſſimus Princeps ex ſaldiſtorio ſuo ad omnes Prælatos & totum Clerum præſentem converſus, ſequenti uſus eſt Peroratione.

PERORATIO Illuſtriſſimi Principis.

QUi navium gubernandarum Præfecturam ſuſcipiunt (Fratres in Chriſto Chariſſimi) etſi navigandi

di rationem universam eorum duntaxat arbitrio instituí adeo est necessarium, ut eos, qui sese navigiis commiserunt, non nisi de portu assequendo cogitare sit opus; quia tamen communis est tam nauclero ipsi, quam navigantibus salutis & periculi ratio, si forte insperata mari tempestas ingruat, si compactæ vi sævientium ventorum nubes, offusis tenebris, cœlum diemque ex oculis navigantium eripiant: si antennarum gemitus, rudentum stridor, malique nutantis horribilis aspectus, dissecti artemonis fissuræ, ipsaque totius navalis machinæ, inter æstuantis pelagi fluctus & procellas jactatio, præsentissimum naufragii periculum denunciant, ac improvisæ mortis incutiant metum, quis, obsecro, navigantium tam prodigus salutis propriæ fuerit, qui periclitanti mari, & pro communi bono laboranti nauclero, auxiliatrices ultro non afferat manus? Communis equidem periculi timor, communisque spes anxia salutis, etiam inertis & pigerrimi cujusque manus ad durissimos labores obeundos, celeriter expedit, atque non assuetum remis & conto, ad transtra & puppim cito ferri cogit. Hæc certe navis Ecclesia Dei est: cujus in hac Provincia gubernandæ clavum, nobis immeritis, præpotens tradidit Deus, quæ vos una cum concredito fidei nostræ populo, non jam pro vellere aureo, ad Colchos, ut olim de Jasone, Æsonis filio, prodiderunt fabulæ, sed pro immarcessibili vitæ æternæ corona, ad cœlestem illam Hierusalem navigantes, per æstuosi maris procellas, perque mundi istius syrtes & charibdes periculosissimas defert, atque optatum, superatis, juvante Domino, fluctibus, portum indubie pollicetur. Quam vero hæc navigatio, nobis qui naucleri vices agimus, simul & vobis omnibus sit periculosa, videte. En vix a continente in altum progressi, velis & remis instamus, cum illico immanes sævientium ventorum fluctus, variarum nempe hæresum infernalia monstra, nutantem huc & illuc cymbam exagitare, & in commotos fluctus impellere incipiunt, adeo ut non levi naufragii metu etiam animosissimus quisque corripi facile possit; nisi summi illius Navarchi Christi Domini, hanc navem D. Petro Apostolorum Principi, legitimisque ipsius Successoribus commissam: fluctuum quidem impetu concutiendam, non tamen unquam mergendam fore, certissima promissione solaretur. Nobis itaque pro salute vestra gnaviter laborantibus, navigiumque hoc pro virium tenuitate dirigentibus, etsi consurgentium tempestatum discrimina magnam ingerunt animi perturbationem; vestram tamen ad conatus nostros promovendos, & juvandos fidem atque alacritatem intuiti, præ gaudio vix molestiarum tanti laboris non obliviscimur. Si enim id, quod nobis justæ lætitiæ materiam subministrat, aliquantulum commemorare libet, vestrum omnium, singulare ad ferendas prædictæ navi fluctuanti suppetias, studium in hac nostra Synodo, quam, Domino auxiliante, non infauste jam peregimus, abunde, satque luculenter contestatum, qua laude, quibus encomiis efferendum erit? Et quia calamitosus Orthodoxæ Religionis, in Patria hac nostra tot hæresibus infectæ, status, pro extirpandis novorum dogmatum letalibus plantis, seria tandem consilia a nobis suscipi; & contra violentos hæresum turbines, navigio isti, quod nos omnes alueo suo continet, provideri exposcebat; vos una nobiscum in hoc tam necessario, quamdiu exoptato, nostro communi Conventu, Catholicæ fidei professionem, tanquam communis militiæ tesseram, unanimiter feciistis, ipsumque Sacrosanctum Concilium Tridentinum, quod rite credendi, ac recte vivendi, non secus, quam pixis nautica transfretandi certissimas proponit normas, lætis mentibus, pro eo, ac obedientes Sanctæ Matris Ecclesiæ filios decet, acceptastis, & firmissime amplexi estis. Insurgant itaque jam venti, commoveatur mare, ebulliant vesani fluctus, ipseque infernalis Æolus obscuros ex carcere Austros, Africos, Notos, Aquilonesque omnes relaxet, nec non densam turbati aeris caliginem furientium nimborum fragore commisceat: nobis enim salutari fidei scuto munitis, naveque nostra certissimis provisa fidei velis, rudentibus & anchoris, nulla

pror-

prorſus naufragii faciendi incumbet ſolicitudo: quin potius ipſiſſima ſalutis ſpes perpetuo affulgebit. Sed ad ſedulitatem diligentiamque veſtram in defendenda hac nave revertemur. Et quia in navigantibus Divini Numinis placandi ſtudium elucere debere, ſapienter animadvertiſtis; in hac noſtra Synodo non pauca Divini cultus, rite & uniformiter peragendi ſtatuta, a nobis pro domus Dei decore propoſita, pie approbaſtis: utque inpoſterum eorum præſcripto Divinorum peragendorum ratio, in Diœceſi noſtra dirigatur, unanimiter conſenſiſtis. Et quemadmodum navigantes, ſubmerſionis vitandæ cauſa, ſæpenumero mercium pondere navem exonerare, ſalutique propriæ, facultatum jactura conſulere ſolent; haud aliter vos quoque deteſtanda vitia, quæ in Clerum noſtrum irrepſerunt, non exiguo ſui pondere, navem hanc ſanctam premere, curſumque ipſius præpetem remorari cernentes, Decreta, vitaria, & honeſtatem Cleri concernentia, per nos oblata, ultro acceptaſtis, veſtræque vitæ rationem ad eorum normam vos compoſituros eſſe, unanimi conſenſu profeſſi ac polliciti eſtis: quantumque in vobis fuit, nos dirigendæ huic navi intentos, unice conſiliis, operaque veſtra juviſtis.

Quo nomine licet vos a nobis aliquam exſpectare gratiam non exiſtimamus, quin potius eam ab illo recipere malle putamus, cujus cauſam egiſtis: cujus gloriam potiſſimum ſpectaſtis: cujus denique honorem promoviſtis; vel ob id tamen vobis, quantas maximas valemus, non agere haud poſſumus gratias; quod tanta animorum promptitudine ea, quæ per nos pro communi bono in conſilium deducta fuere, promoveritis, vosque ſalutaribus hujus Synodi Statutis & Decretis obedienter ſubmiſeritis. Agite ergo jam, Fratres Dilectiſſimi, agite, & prout ſacram hanc Cymbam variis agitatam procellis veſtra ope juvare cepiſtis, ita eidem certiſſimam ſpem ſalutis æternæ poſt tot diſcrimina vobis afferenti, de velis & remis bonorum operum veſtrorum, vitæque honeſtæ & inculpatæ, nec non de veræ doctrinæ anchoris providete. Luceat ſic lux veſtra, ut hiſce variarum ſectarum tempeſtatibus obortis, atque ingruente errorum tetra caligine, ſacra hæc navis, extra quam nulla eſt ſalus, infeſtos ſcopulos evitare, & luce probitatis, pietatis, honeſtatisque veſtræ inter denſas tenebras adjuta, glorioſum de procellis, & tot lernæis irati maris monſtris, triumphum agere valeat. Nihil equidem vocationi veſtræ magis convenit, quam ut ea, quæ populo vobis commiſſo quotidie ſectanda proponitis, honeſtæ vitæ exemplis, in vobis ipſis conteſtemini & probetis. Munia enim, officiaque veſtra, etſi per ſe ſint excellentiſſima; non parum tamen dignitatis accedet iisdem, ubi vos morum honeſtas & vitæ Sacerdotalis integritas, illis ſuſtinendis idoneos eſſe comprobaverit. Præcingite igitur lumbos veſtros, & exorbitantibus ſenſibus carnalium deſideriorum, arctos lupatos, & fræna injicite: futurum eſt enim, ut doctrina veſtra tanto acceptior evadet populo, quanto vos ſtudiis virtutum ſeſe eminentiores advertet. Ad hæc conatus veſtros, pro ſalute ovium fidei veſtræ concreditarum ſuſceptos, puritatis amator Deus eo facilius promovere dignabitur; quo clementius & benignius vos per tot Sacrarum Scripturarum oracula ad innocentiam vitæ & munditiam cordis invitare non ceſſat. Si enim ſobrie, juſte & pie, ut Apoſtolus monet, vixeritis, fideliterque & diligenter gregibus vobis commiſſis invigilaveritis, iisque morum integritate, & vitæ innocentia, nec non ſalutari doctrina præfulſeritis; dubium non eſt, quin tandem ex hoc mortalium corporum ergaſtulo evocati, a ſummo illo ovium noſtrarum Paſtore Chriſto Domino, vocem illam jucundiſſimam audituri ſitis: Euge ſerve bone, quia in pauca fuiſti fidelis, ſupra multa te conſtituam, intra in gaudium Domini tui. Quod ut mihi & vobis omnibus contingat, præſtare dignetur is, qui omnis perfectionis eſt Author. Cui honor ſit & gloria in ævum, amen.

Abſoluta Peroratione, ad laudem & gloriam DEI Omnipotentis, totiusque cœleſtis Curiæ, finis Synodo eſt impoſitus, omni-

omnibusque Parochis ex mandato Illuſtriſſimi Principis per Cancellarium ſignificatum & injunctum fuit, ut antequam ex Civitate Olomucenſi excederent, ſinguli ad Archi-Diaconos diſtrictuum, vel Decanos ſuos rurales venirent, iisque nomina, cognominaque ſua, atque etiam nomina Parochiarum, quibus præſunt, vel locorum, in quibus operam ſuam Eccleſiæ Dei locant, inſcribenda darent: tandemque Indulgentiæ quadraginta dierum toti Clero authoritate ordinaria per Illuſtriſſimum Principem ſunt conceſſæ, & per dictum Cancellarium publicatæ. Quibus omnibus peractis, Domini Prælati & totus Clerus, congregatione ſoluta, ad Curiam Epiſcopalem, invitati juſſu Illuſtriſſimi Principis, refectionis ſumendæ gratia convenerunt, iisque lautum epulum exhibitum fuit.

Acta & geſta ſunt hæc Olomucii in Cathedrali Eccleſia, præſentibus ibidem Admodum Reverendis Dominis *Melchiore Pirneſio a Pirn, Decano. Joanne Styrsky a Stirn, Præpoſito & Archidiacono Brunenſe. Theodoro Engels a Gymnich, Jurium Licentiato, Archidiacono & Officiale. Joanne Jerger J. U. Doctore, Scholaſtico & Canonico Brunenſe. Wenceslao Chyba a Kouaczow, Seniore. Ulrico Ritmano J. U. Doctore. Luca Leto. Chriſtophoro Stredelio, Sac. Theologiæ Baccalaureo & Archidiacono Znoymenſe. Matthæo Strikovio, Artium & Philoſophiæ Magiſtro. Joanne Tarnawsky, J. U. Doctore. Georgio Sekera, Sac. Theologiæ Baccalaureo. Petro Grodecio de Brod, J. U. Baccalaureo. Joanne Martino & Alberto Coſſubio, Præpoſito Cremſirienſi, Canonicis*: Item admodum Reverendis, Venerabilibus & Religioſis Dominis, *Eggerdo a Schwoben, Protonotario Welegradenſe. Paulo Grunwaldt a Grunwaldt, Gradicenſe. Sebaſtiano, Badenſe, Lucenſe, Abbatibus. Joanne Roſenbluth a Schwartzenbach, Sternpergenſe, & Joann. Fulneenſe Præpoſitis. Bartholomæo Villerio. Joanne Wernero. Leonhardo Rubeno. Hurtado Perez, Societatis JEſu, Provinciale, Rectore, Regente, & Theologis. Ludovico Romano, Hieronymo Jacobello. Joanne Conrado Han. Dionyſio. Dominico. Joanne Baptiſta, Ordinum DD. Dominici, Franciſci, & Carthuſiæ Provincialibus, Prioribus & Guardiano. Chriſtino Neuferle. Joanne Fiſchero, Eccleſiæ Collegiatæ Brunenſis Canonicis. Joanne Schidlovino. Michaële Regulino honoris Vicariis. Paulo Broſovio. Thoma Krentzio. Nicolao Judice. Joanne Stirnitzko. Egidio Fabro. Leopoldo Cæſare. Georgio Koſteletz. Olomucenſis, Brunenſis, Znoymenſis, & Oppavienſis diſtrictuum Decanis ruralibus.* Et aliis Parochis, Presbyteris & Clericis, ad minus trecentis, quorum nomina brevitatis ſtudio hic omittere viſum fuit.

Lunig Spicilegii Eccleſiaſtici Continuat. III. in appendice pag. 150.

Mentio Synodi Diœceſanæ Olomucenſis

Anno Chriſti M. D. LXVIII. celebratæ

Sub Revmo GUILIELMO PRUSSINOUSKY de WICZKOVA, Olomucenſis Eccleſiæ Epiſcopo.

Meminit hujus Synodi P. Joannes Schmidl *in ſua Hiſtoria* Provinciæ Bohemiæ Societatis JESU, Parte I. Lib. III. a N. 121. *Ex cujus narratione ſequentia, quæ ad Synodi notitiam faciunt, excerpenda, & hoc loco inſerenda duxi: Acta authentica una cum Conſtitutionibus Synodalibus daturus, ubi eadem amicorum opera accepero.*

GUilielmus Epiſcopus, ut erat commodorum Eccleſiæ ſuæ ſtudioſiſſimus, Synodum univerſi Cleri Diœceſani, ab annis fere quinquaginta intermiſſam, convocare jam pridem decreverat. Sed quod eo uſque non potuit aliarum mole rerum impeditus, id anno tandem Milleſimo quingenteſimo ſexageſimo octavo perfecit. Diem Conventui fixerat decimam Maji, qua & Synodo initium datum.

Tria præcipue fuere, de quibus coram ſe agitari Præſul voluit: *de obedientia* nimirum *Eccleſiæ, ejusque Prælatis exhibenda: de ſervanda Fidei unitate:* ac demum *de honeſtate vitæ, rectaque Cleri diſciplina reſtauranda:* atque ad hæc eadem Capita Conſtitutiones plerasque omnes referri placuit, quas *Joannes Grodecius*, Vir eruditus, *Brunenſis tunc Præpoſitus*, futurus non diu poſt Guilielmi in Olomucenſi Cathedra Succeſſor, ſcripto conſignandas, & Synodo, ut probarentur, offerendas ſuſceperat.

Dictam igitur ad diem convenere in Cathedrale S. Wenceslai Templum Olomucenſe ducenti & quinquaginta de Clero. Hos inter Doctores quinque, aliique plures e Socie-

Digitized by

cietate JEſu numerabantur, quos Epiſcopus non ex Diœceſi tantum ſua, ſed Praga etiam, Viennaque ad ſuam hanc Synodum invitandos cenſuit. Ante omnia Epiſcopus pro impetranda *Spiritus Sancti gratia* Miſſam decantavit: tum compoſitis omnibus, & ſubſelliis, quæ in medio Templi gradibus aliquot aſſurgebant, occupatis, Archidiaconus Capituli, *Martinus Smalcerus* Orationem *de obedientia Eccleſiæ, ejusque Præſulibus præſtanda* recitavit. Cantatæ dein *Sanctis* in auxilium advocandis *Litaniæ*, atque aliæ *ſolennes Synodorum cæremoniæ* peractæ. Poſt hæc *M. Sigismundus Dominatius*, Soc. JEſu, Profeſſor Rhetoricæ, de inſtituto & utilitate Synodorum dixit. Demum ex Seminarii Alumnis quiſpiam, idemque *Canonicus Olomucenſis*, cui demandatum id munus fuit, *primam Statutorum partem*, quæ *de Fide* agebat, legere aggreſſus eſt, eamque lectionem ad continuas aliquot horas perduxit. Rogatis ad extremum Cleri ſententiis, omnia placere ſibi, una omnes voce profeſſi ſunt. Solus fuit *Proſtannenſis Curio*, qui cum pauculis ſuis contra nitebatur; ſed hunc, quia manifeſtum eſſe hæreticum pridem conſtabat, non ceu partem Synodi, ſed ut auditorem, ſi forte reſipiſceret, Epiſcopus adeſſe permiſerat. Ita Conventus illo die dimiſſus eſt.

Alter Synodi dies eundem Matutini temporis ordinem, eandemque fere actionum ſeriem habuit. *Sacræ Præmonſtratenſis Familiæ Abbas Gradicenſis*, Epiſcopali ritu ſolenne Sacrificium obtulit, cæteræque ſecuræ cæremoniæ. *P. Wolffgangus Piringer*, *Soc. Jeſu*, *Convictus Olomucenſis Regens*, *de calamitatibus*, *Eccleſiæ & Regioni ab hæreſi inflictis*, *deque Summi Pontificis Auctoritate* peroravit. Altera etiam *pars Statutorum de Sacramentis* lecta: quam communi acclamatione: *Placet*, omnes probavere. Ipſe dein Epiſcopus, poſtquam *de Sacramentorum dignitate* multa fuiſſet præfatus, ad *Diſputationem*, pomeridianis horis inſtituendam a *P. Adalberto Bauſſeck*, *Soc. Jeſu*, *Theologiæ apud Viennenſes Profeſſore*, quem eum in finem, ut Synodo adeſſet, Præſul expetierat, univerſos invitavit.

Venere poſt prandium omnes. Cum aſſediſſent, *M. Bartholomæus Weiſſagius*, *Soc. Jeſu*, ſermone prævio *de utilitate Diſputationum* diſſeruit. Tum *P. Adalbertus* deſtinatum ſibi locum conſcendit, omnesque prælectos hucusque ac promulgatos *Synodi articulos* defendendos ac propugnandos ſuſcipiens, poſtquam eosdem Sacrorum Bibliorum teſtimoniis, Sanctorum Patrum ſententiis, Conciliorum œcumenicorum auctoritatibus, variisque argumentis aliis ſtabiliviſſet, *Theſesque Theologicas* inter præſentes diſtribui curaſſet, provocavit ex cœtu univerſo, ut ſi forte adeſſent, qui ſecus opinarentur; ſuam quisque mentem coram expromerat. Cum nemo omnium, nec illorum etiam, qui die præcedenti adverſabantur, obloqui quidpiam vellet; *P. Henricus Blyſſemius*, Patria Colonienſis, tunc *Collegii Soc. Jeſu Pragenſis Rector*, dilucidandæ potius, quam impugnandæ veritatis gratia nonnulla oppoſuit. Similis diſputatio ſequenti etiam biduo inſtituta: pluresque fuere, qui exercitationis pariter cauſa adverſariorum vices agerent: Inter cæteros *Præpoſitus Sternbergenſis*, & *Canonici quidam*, tum & *e Societate Jeſu P. Laurentius Magius Provincialis*, *P. Balthaſar Hoſtovinus*, *Ss. Theol. Doctor*, ejusdemque *apud Olomucenſes Profeſſor*, atque alii duo.

Ultima Synodi die turbatum quidpiam fuit. Poſt Miſſam ex more decantatam, auditus iterum eſt *M. Sigismundus Dominatius*, qui *de Sacerdotii dignitate*, orationem, publicis deinde typis vulgatam, ad congregatos habuit. Secuta *Lectio partis ultimæ Statutorum*, qua *de Reformatione*, *Clerique reſtauranda diſciplina* agebatur. In hac cum præter cætera *habitus modeſtior*, & *qui Clericis magis congrueret*, præſcriberetur, *vano ac ſuperfluo multorum luxu damnato*; tam odioſum iſtud plerisque eſt viſum, ut vix clamoribus abſtinerent. At Epiſcopus gravi oratione interlocutus, cum, quid Ordo Clericalis, quid ejusdem dignitas & Profeſſio poſtularet, inſigni eloquentia declaraſſet, cunctos in ſententiam adduxit. Sic concordi, communique omnium lætitia *Synodus ſoluta* eſt, & *Cantico Ambroſiano* terminata.

Unum notari hic velim, quod & Laudarus ſupra Author obſervat, *Concilium Tridentinum*, quod ante quatriennium finitum modo fuerat, in hac tamen *Olomucenſi Synodo* anni 1568. communi ſolennique Decreto publicatum non fuiſſe. Quanquam enim *Gulielmus* Epiſcopus nihil optarer vehementius, quam ut œcumenici ejusdem Concilii Canones, cæteraque Statuta unanimi Cleri ſui, totiusque Diœceſis conſpiratione reciperentur; quia tamen ad illum uſque diem nihil *ab Imperatore Maximiliano*, nihil *a Proceribus aliis*, ad quos id negotium pertinebat, vel actum hanc in rem, vel conſtitutum fuerat, (*) habita ante Synodum cum primoribus Cleri, aliisque viris, ſapientia ac doctrina claris conſultatione, illud optimum factu viſum, ut, ne qua daretur *Cæſari* offenſionis occaſio, ab expreſſa Tridentini & ſolenni receptione abſti-

(*) Quam multis aliis in Provinciis Germaniæ Concilium Tridentinum receptum fuerit ante annum 1568., vide in Synodis prioribus Tomi præcedentis.

abſtineretur quidem, tam crebra tamen illius, ac ſingulis reperita pagellis fieret mentio, ipſæque Conſtitutiones ad normam Tridentinarum ita aptarentur, ut publicam receptionem, quanquam ſolenniter facta fuiſſe in hac Synodo dici non poſſet, placere tamen *Olomucenſibus*, imo & optari ab eisdem, deſiderarique, non obſcure appareret. Unde & illud demum evenit, ut *receptio iſta ſolennis*, & Generalis Concilii *promulgatio publica* apud Olomucenſes ante Synodum anni 1591. quam ſupra retulimus ſub Epiſcopo Stanislao Paulowsky, peracta non fuerit.

Cujus tamen dilationis cauſa nec Guilielmi, nec aliorum, qui cum ſecuti ſunt, Epiſcoporum ſocordiæ, ſed deproperatis potius eorundem funeribus tribuenda eſt: cum intra unius ſexennii non integri ſpatium Eccleſia Olomucenſis, quatuor præſtantiſſimis Epiſcopis, continuo ordine, inopinato prorſus ac repentino fati genere ſe viduatam luxerit. Veneni eisdem propinati ſuſpicio vel ea de cauſa vehementior fuit, quod *inter Sacerrimos viros* (verba recito Patris Schmidl) *perditiſſimus quidam parricida*, Joannes (*cognomen & conditionem hominis, etſi ſciam, meum non eſt referre*) *verſaretur: homo ingenio quidem præſtans, ob quod* Philoponi *agnomen adſciverat; at faſtoſus inprimis, & in venenis miſcendis artifex habitus, qua ſcelerata ſcientia quatuor continenter Olomucenſes Epiſcopos ſe ſuſtuliſſe, poſtea in tormentis faſſus eſſe dicitur: ob quod a* Wenceslao Brzezan, *Hiſtoriæ* Roſenſis *Scriptore*, Epiſcopicida *vocitatur*.

Primum hæc inter funera fuit ipſiusmet, quem ſæpe jam commemoravimus, *Guilielmi Pruſſinovski de Wiczkova*. Hic quarto poſt celebratam Olomucii *Synodum*, anno, nimirum 1572. die Sabbathi poſt Ss. Corporis Chriſti Octavam, quam ſupplicatione publica Olomucii honoraverat, Cremſirium, Epiſcoporum Sedem, reverſus, graviſſima ſubito ægritudine corripiebatur, pluribus ſimul malis, podagra, colica, continuo inſuper vomitu, ſtomachique, mirum in modum intumeſcentis, doloribus dire adeo exagitatus; ut cum Sabbatho ægrotare cœpiſſet, die Lunæ, quæ in 16tam Junii incidebat, graſſanti per viſcera veneno ſuccumbens, maximo bonorum omnium luctu vivere deſierit. Circa annum 1534. ex vetuſtiſſima, notiſſimaque in Hiſtoriis *Equitum Pruſſinoviorum* gente apud Moravos natus, ſplendorem ſui generis, ingenii præſtantia, prudentiæque ac doctrinæ laudibus egregie illuſtravit, ſæpe ob eas dotes Cæſareas ad Legationes adhibitus. Maxime tamen pietate in Deum, avitæ Religionis, Catholicæque Fidei, & Eccleſiæ propugnandæ ſtudio, ac cæteris, quæ Præſulem ornant, virtutibus enituit. Anno Chriſti 1565. quem ætatis ſuæ primum ac trigeſimum numerabat, ex *Brunenſi* ac *Litomericenſi Præpoſito*, *Olomucenſem* ad *Cathedram* evectus, curandis Diœceſis ſuæ commodis, ſubditorumque ſaluti promovendæ, ita ſe ſe impendit; ut nec ſuſcipiendis eum in finem laboribus, nec ſumptibus liberaliſſime expendendis pepercerit. Tertio ab adito Epiſcopatu anno *Synodum*, cujus *acta* paulo ante enarravimus, celebravit. Ad hæreſes, quæ in variis Moraviæ locis jam invaluerant, aut inde profligandas, aut ne ad ulteriora ſubjectarum ſibi animarum damna ſe ſe extenderent, prohibendas, *Societatis Jeſu Patres*, *Olomucium*, Collegio ibidem, quod incolerent, Academia, quam adminiſtrarent, Scholisque magnifice conſtitutis, ac dein etiam *Brunam* advocavit. Rectam juventutis, ut una cum literis etiam ſanis veræ fidei principiis, probaque morum ac virtutum diſciplina imbueretur, inſtitutionem primis in curis habuit: atque ut iſta ad ſtudia tenellos animos vehementius incitaret, ipſe traditas Patribus diſcentium Scholas inviſere, poſitaque in medio ſella diſputantes audire, ſegniores animare, proficientes ulteriorem ad progreſſum impellere, bene meritis præmia largiri non dubitavit. Porro ne aliquando Moravis ſuis probatorum deeſſet copia Magiſtrorum, quorum tunc penuria maxime laborabatur; plura ejusdem Societatis Religioſis ædificia moliri, aut eorum curæ gubernanda tradere, tum *Olomucii*, tum *Brunæ* ingentis animi excelſitate meditabatur. Sed his ejus conſiliis, aliisque magnis, quæ pro Deo & Eccleſia, ac Diœceſi præſertim ſua exequi decreverat operibus, ne abipſo perficerentur, præmatura, quam dixi, mors intervenit. Defuncti corpus *Cremſirio Olomucium* deportatum, ibidemque, ut juſſerat, in erecti a ſe, fundatique *Collegii Templo* depoſitum fuit, ut eos inter Patres, quibuscum ejusdem Religionis & Inſtituti conſors vivere ſæpe antea, ſed incaſſum optaverat, ſaltem poſt mortem requieſceret. Sepulchro ab *Helena Sorore* appoſitum hoc fuit Epitaphium, æri inciſum:

REVERENDISSIMO ET ILLUSTRISSIMO
PRINCIPI AC DOMINO,
D. GUILIELMO PRUSSINOWSKY
A WICZKOWA,
EPISCOPO OLOMUCENSI,

DIVORUM CYRILLI ET METHUDII PRÆSULUM MARCOMANNORUM IN RECTA LINEA SUCCESSORI DIGNISSIMO, HUJUS COLLEGII, ET SCHOLARUM SOCIETATIS JESU FUNDATORI, TEMPLIQUE INSTAURATORI LIBERALISSIMO: FIDEI

DEI CATHOLICÆ ACERRIMO PROPUGNATORI, NEC NON STUDIORUM ATQUE PAUPERUM OMNIUM MECŒNATI, AC PATRONO BENIGNISSIMO. HELENA SOROR UNICA, UNICO FRATRI PIENTISSIMO, GEMEBUNDA POSUIT.

OBIIT ANNO DOMINI MDLXXII. DECIMO SEXTO CAL. JULII, ÆTATIS SUÆ XXXVIII. EPISCOPATUS VERO SEPTIMO.

Hæc de Pruſſinovio ex occaſione Synodi ab ipſo celebratæ paulo prolixius: cætera brevius proſequemur.

Secutus *Pruſſinovium* fuit in Cathedra Olomucenſi, qui eidem jam antea in dignitate & Officio Præpoſiti Brunenſis ſucceſſerat, *Joannes Grodecius de Grody*, gente *Sileſius*, eruditiſſimis merito Præſulibus annumerandus. Par illi cum Anteceſſore nobilitas, par virtus, & animi magnitudo, nec minus etiam Religionis ac Fidei tutandæ ſtudium: quo jam diu antea cum illo ad procurandas Moravicæ Eccleſiæ e Societate JESU ſuppetias, pia quadam æmulatione munificentiæ convertaverat, meritus propterea, ut ſicuti Pruſſinovius Collegii Olomucenſis, ita ipſe Brunenſis Domus Fundator agnoſceretur & honoraretur. Multa, quæ Anteceſſoris præcipitata mors aut abrupit, aut imperfecta reliquit, ipſe perfecit, conſummavitque: plura facturus, ſi vita illi diutius ſuperſtes fuiſſet. Tenuit Cathedram anno unico & menſibus fere quatuor. Eundem, cujus antea funeſta facta eſt mentio, Philoponum adverſarium habuit, qui cum Epiſcopum ſuum lite vincere non potuiſſet, parricidali ipſum veneno creditur conſopiviſſe. Epiſcopatum adiit anno 1572. 15. Septembris. Deſeruit anno 1574. die octava Januarii.

Non diu poſt rurſus alia duorum ſecuta ſunt Præſulum Olomucenſium funera. Prior horum fuit *Thomas Albinus*, natione Bohemus, J. U. Doctor, Archiepiſcopi Pragenſis antea Vicarius, & Regius Decanus in Carlſtein: magnæ vir eruditionis, & egregiæ in rebus Eccleſiaſticis tractandis dexteritatis. Anno 1574. menſe Martio in Grodecii locum ſuffectus, anno mox inſequente, cum idem Martius recurreret menſis, ſimili fere, qua bini Anteceſſores, morte ſublatus fuit, anni unius, non prorſus integri, Epiſcopus.

Alter *Joannes Mezon*, Telecenſis appellatus, eo quod Telecium Moraviæ oppidum natale illi fuerit ſolum. Romæ in Collegio Germanico, nuper a Gregorio XIII. Papa erecto, ſtudiis, ſacrisque diſciplinis excultus, cum adhuc ibidem verſaretur, *Grodecio* Epiſcopo ſuggerente, Decanus Collegii Canonicorum ipſomet a Pontifice nominatus fuit: paucosque dein poſt annos Olomucenſis Capituli votis ad vacantem ab *Albini* morte Cathedram evectus. Perjucunda fuit eidem Gregorio Papæ iſta eligentium ſuffragatio propterea, quod Mezonius primus fuerit, qui ex fundati a ſe Germanici Collegii Alumnis Epiſcopalem ad dignitatem emerſerit. Cum dotibus omnibus ad Antiſtitis munus digne obeundum inſigniter eſſet exornatus, Diœceſin univerſam in magnas magnarum rerum ſpes erexerat; Verum has, cum vix biennium in Cathedra exegiſſet, ipſius quoque deproperata mors abſtulit. *Nimirum*, inquit P. Schmidl, *inter venena ſedebant Optimi Præſules, ejus ante parata, ut conſtans ſuſpicio fuit, qui ita dolorem ſuum ulciſci, ut inimicitias finiri gaudebat.*

Poſt hæc tamen quatuor, quæ recenſui, Epiſcoporum intra annos non omnino ſex ſublatorum funera, Divino tandem beneficio, ſua reſtituta fuit Olomucenſi Sedi ſecuritas, & ab ulteriori maleficio immunitas.

Obierat *Mezonius* Anno 1578. die 6. Februarii: ejusdem anni die 25. Martii novi Antiſtitis ſuſcepta electio. Diviſo in partes Capitulo, concertatum aliquamdiu: tandem tamen cordatiorum Electorum prævalente ſuffragio, Epiſcopale munus STANISLAO PAULOWSKY delatum fuit, viro magnis, multisque meritis eo honore digniſſimo, quique viginti, quibus Diœceſim Olomucenſem glorioſiſſime rexit, annorum ſpatio feliciter ſupplevit ea, quæ tot aliis a Prædeceſſoribus ob ſubitanea eorundem fata præſtari non potuere. Cum celebratam ſub ipſo Synodum ſupra a pag. 320. exhibuerimus, pro more noſtro, pauca quædam adhuc de rebus ab eo præclare geſtis hic nobis commemoranda ſunt, quod, non immemor tamen præſcriptæ mihi brevitatis, perlubenter faciam hoc loco, tum ut magni illius viri glorioſior vigeat apud poſteros memoria ob ingentia ejusdem in Chriſti Eccleſiam merita; tum vero ſimul, ut in opere hoc noſtro tenue ſaltem aliquod exſtet grati animi monumentum, ob plurima, maximaque, quæ ab eodem in minimam Societatem noſtram profecta ſunt beneficia.

Ortus erat STANISLAUS ex Equeſtri, & antiquiſſima apud Polonos, Sileſiosque *Pauloviorum* familia, indeque indolem hauſit generoſis natalibus parem. Confecto curſu ſtudiorum, juris utriusque Laurea inſignitus, ac Eccleſiaſticæ Militiæ adſcriptus, Præpoſitii Brunenſis munus per decennium, Scholaſtici Olomucenſis per biennium, atque inſuper ſub quatuor Epiſcopis, qui eum præceſſerant, arduum Cancellarii officium ita geſſit, ut per harum functionum veluti gradus, viam ſibi ſtraverit, qua ad Cathedram fuit elu-

ctatus. Eximium ſemper in eo, uti virtutum omnium, ita fidei Catholicæ adverſus hæreſes propugnandæ, provehendæque ſtudium eluxit: quod Epiſcopali dein in Cathedra conſtitutus, quanto ſublimiori loco conſederat, tanto luculentius fecit effulgere, latiusque diffudit: nullis Acatholicorum minis, aut machinationibus contrariis deterritus. Vix ullum ſuorum in numero Aulicorum tolerare diu potuit, qui ejurata hæreſi, cum Catholica reconciliari Eccleſia non vellet. Imo hoc unum habuit in Votis, ut ad illam, tanquam unicum verumque Chriſti ovile, gregem ſuum univerſum reduceret. Illud certe feliciter effectum vidit, ut in omnia Diœceſis ſuæ oppida, pagosque Catholicus Sanctiſſimam Euchariſtiam ſumendi ritus denuo inveheretur: Patrum Societatis JESU, ad id evincendum uſus opera, quos eum in finem ampliſſima inſtructos potestate, funétiones ſacras pro Societatis more ubilibet obeundi, publicoque ad Curiones commeatu munitos, per Moraviam omnem miſit. Iisdem Patribus (multum enim ipſorum laboribus indefeſſis, docendique methodo delectabatur) Catecheſis Chriſtianæ Olomucii quotidie explicandæ munus demandavit, cui quidem explicationi ipſe, cum vacabat, intereſſe voluit, pulchro non minus, quam potenti ad rudiorem plebem excitandam, convocandamque exemplo. Mupia Epiſcopalia tanta animi promptitudine, imo & voluptate peragenda ſuſcepit; ut ab iisdem, ſi quo modo poſſet, obeundis, nulla difficultate, nulla corporis ægritudine, impediri ſe ſineret. Tridentini Concilii Canones & Decreta, quod eo uſque Olomucii factum non fuerat, Anno 1591, in congregata a ſe Synodo promulgari, perque Diœceſin univerſam recipi fecit. Eadem in Synodo quam multa alia tum ad abuſus tollendos, tum ad reſtaurandam Cleri diſciplinam, præclare conſtituerit, facile intelligent, qui ejusdem Acta, Statutaque voluerint perluſtrare.

Jurium, poſſeſſionumque Eccleſiæ ſuæ tutandorum, vindicandorumque ſtudioſiſſimus, pro ea, qua apud Rudolphum Cæſarem valebat, gratia, impetravit, ut quæcunque Anteceſſoribus ſuis conceſſa olim fuerant privilegia ac prærogativæ, novo Diplomate, authoritate Imperatoria ſtabilirentur. Titulos *Principis Imperii*, & *Regiæ Capellæ Bohemiæ Comitis*, injuria temporum fere obliteratos, ab oblivione vindicatos, in uſum revocavit, & Succeſſoribus reſtituit. Arces & oppida ſuæ Cathedræ vectigalia, ſed jam pridem alienata, aliisque oppignorata, præſtito Lytro redemit, plura alia ſuo ſtudio, curisque acquiſita veteribus adjecit: omnia denique, quæ vitium contraxerant, aut ruinam minabantur, refecit, inſtauravit: Merito propterea Olomucenſis Epiſcopatus Reſtaurator appellatus.

Nec illud ſilentio prætereundum, quod eloquentiæ ſuæ vi, graviſſimarumque cauſarum momentis, Catholicos Moraviæ Proceres eo adduxerit, permoveritque, ut ſi quod illis competeret Eccleſiarum Paſtores nominandi jus; iſtud integrum in Olomucenſem Epiſcopum ultro volentesque transferrent. Quod ejus conſilium in maximum Rei Catholicæ emolumentum, & in æternam plurimarum animarum ſalutem ceſſit. Hac enim ratione cautum ſapientiſſime fuit, ne, ſi forte, qui Patronorum in jus eſſent ſucceſſuri, ad hæreticos deficerent; ab his pro Paſtoribus lupi Catholicis obtruderentur communitatibus, ſed ut e diverſo Epiſcoporum providentia, probatæ fidei, vitæque Parochi Eccleſiis præficerentur.

Atque ex hac ejus vita publica facilis conjectura eſt, qualis fuerit privata. Integritatis, puritatisque morum, uti amator eximius, ita cuſtos ſolicitus, caſtimoniæ intaminatæ nitorem non conſervare ſolum, ſed etiam perpolire ſtuduit: Hunc in finem veterum Patrum de ea virtute ſententias, propria manu deſcriptas circumferebat in Breviarii ſui libro, quo mentem & oculos per intervalla reflexit, tanquam ad ſpeculum, ut ſe luſtraret. Ob ſincerum, qui inſigni prudentiæ jungebatur, animi candorem hæreticis pariter, atque Catholicis chariſſimus erat: fecitque harum connexio virtutum, ut non ſolum verſutorum technas eluderet, ſed & ut omnes ſibi devinciret. Multus erat in legendis illis, quæ tum ad eruditionem, tum ad pietatem augendam facerent, ſemperque inter prandendum, cœnandumque anagnoſten adhibebat, quem legentem auſcultaret. Inter Sanctos Cælites Divam Annam, Deiparæ Virginis Matrem, & Chriſti Aviam, præcipue venerabatur, ejusque cultum in ſubditis etiam ſuis promovere plurimum adnitebatur. Famulitium Aulicum, quod numeroſum habuit, non verbis tantum, ſed, quæ multo plus movent, exemplis ipſe ſuis omnem ad virtutem incitavit: fuitque illud plane ſingulare, quod indies eosdem, antequam illos ad ſomnum a ſe dimitteret, in deſtinato ad id loco congregaverit, ubi ipſe tantæ Authoritatis Præſul, omnibus ad recitandas ſecum Litanias, aliasque preces, in verba præivit. Quæ una res quantum & propriæ pietatis fovendæ, & ejusdem apud alios exſtimulandæ deſiderium indicet, nemo non videt.

Demum ut de ipſius in Societatem JEſu amore, quidpiam dicam; hanc ille ſicuti ad ſua ſtudia Fidei, pietatisque percommodam cen-

cenſuit, ita ardentiſſime dilexit, eique benefaciendi occaſiones non tantum oblatas arripiebat, ſed etiam quærebat. Collegiis *Pragenſi*, *Brunenſi*, & *Olomucenſi* plurima beneficentiæ ſuæ reliquit argumenta: & poſtremum hoc quidem annuo perpetuoque quingentorum florenorum cenſu donavit. Convictoribus noſtris domum propriam & Templum attribuit: Alumnorum Epiſcopalium, jam antea inibi conſtitutorum numerum auxit. His, aliisque pluribus cum ſibi Societatem obſtrinxiſſet meritis: Ipſum viciſſim, P. Claudius Aquaviva Generalis meritorum univerſæ Societatis conſortem ac participem renuntiavit. Poſt vitam tot piis operibus, totque rebus præclariſſime geſtis illuſtratam, quartana novem fere menſium febri exhauſtus, pientiſſime obiit, perenni apud poſteros memoria digniſſimus.

Plura de illo vide apud P. Schmidl, Hiſt. Soc. Jeſu Prov. Bohemiæ Parte I. & II.

SYNODUS DIOECESANA
WRATISLAVIENSIS
Anno Chriſti M.D.XCII. Clementis VIII. Papæ I. Rudolphi II. Imp. XVI.

ACTA ET CONSTITUTIONES
SYNODI DIOECESANÆ,
Quæ fuit celebrata Wratislaviæ in Inſula S. Joannis, Anno M.D XCII. Menſe Octobri.

Præſidente Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Principe ac Domino, Domino ANDREA (*), Epiſcopo Wratislavienſe, Coronæ Regni Bohemiæ Principe Ligio, Superioris & Inferioris Sileſiæ Capitaneo Supremo.

P R Æ F A T I O,
PRIMÆ SYNODI HUJUS EDITIONI PRÆMISSA.

NOS ANDREAS, DEI GRATIA EPISCOPUS WRATISLAVIENSIS, CORONÆ Regni Bohemiæ Princeps Ligius, ſuperioris & inferioris Sileſiæ Capitaneus, toti Clero Diœceſis noſtræ, cujuscunque dignitatis & gradus, Salutem in Domino.

QUo Inſtituto & conſilio Synodum Diœceſanam celebraverimus, prolixiori aliqua & ſupervacanea repetitione opus eſſe, non exiſtimamus. Præter id enim, quod a nobis evidentiſſimæ & graviſſimæ rationes & cauſæ in ipſo Synodi celebrandæ initio expoſitæ fuerunt; neminem ex vobis reperiri arbitramur, qui non vel ipſe ſummam, urgentemque utilitatem hujus inſtituti, nullo etiam monente agnoſcat, vel ex Sacroſancti Concilii Tridentini Decretis & Sanctionibus: exemplo item Eccleſiæ Catholicæ Antiſtitum, & laudabili, utilique conſuetudine intelligat. Nos ſane hoc reſpeximus maxime, ut Majorum inſiſtentes veſtigiis, communicato conſilio & accurata deliberatione, in Synodo noſtra ea conſtitueremus, quæ huic Diœceſi publice, privatimve prodeſſe viderentur: quo nomine easdem deliberationes de Synodi voluntate ſcripto comprehendi curavimus, ut ad multorum perveniret notitiam, & perpetuitati inſerviret. Quia vero docuit, monuitque nos ea fides & obedientia, qua Sanctæ Sedi Apoſtolicæ devincti ſumus, & quam hactenus integram & illibatam conſervavimus, ut quid in Synodo Diœceſana actum eſſet, quidve concluſum, juſtiſſimo ejusdem Sedis Apoſtolicæ judicio & cenſuræ ſubjiceretur: omnia ea, ſicut geſta & conſcripta fue-

(*) De Andrea Jerino, Epiſcopo Vratislavienſi, vide ſub finem hujus Synodi.

Digitized by Google

fuerunt, Sanctissimo & Beatissimo in Christo Patri ac Domino, Domino CLEMENTI, *Divina Providentia hujus nominis Papæ octavo, Sacrosanctæ Romanæ ac Universalis Ecclesiæ Pontifici Maximo, Domino nostro Clementissimo, Romam transmisimus. Sua autem Sanctitas, licet aliis gravissimis totius Christianæ Reipublicæ oneribus & difficillimis negotiis, si unquam alias, nunc maxime implicata esset; tamen sicut fidelissimus Christi ovium Pastor, nostræ Diœcesi deesse noluit: quin ex Paterna benignitate Processum & Decreta Synodi nostræ Sacræ Congregationi Illustrissimorum Patrum, Tridentini Concilii Interpretum, judicio expendenda dedit. Quo facto Illustrissimus & Reverendissimus Dominus, Dominus Hieronymus, Tituli Sancti Pancratii S. R. E. Presbyter Cardinalis Matthæius, tandem ad nos ex Urbe remisit, cujus Illustrissimæ D. Literas, quod iis Synodi nostræ Decreta authoritate S. Sedis Apostolicæ approbentur & confirmentur, una sub initium imprimi curavimus: sicuti etiam ad finem adjecta sunt, quæ idem Illustrissimus Dominus Cardinalis, Constitutionibus Synodalibus appresso Sigillo Romæ subjecit.*

Eadem Decreta igitur nunc typis Nissenfibus in publicum damus, ac benevole hortamur, monemus, ac mandamus serio omnibus Diœcesi subjectis nostræ, præsertim vero, qui Deo & Sacris suam consecrarunt vitam, ut non solum has Constitutiones diligenter manibus volvant & revolvant; verum etiam reipsa specimen edant ejusmodi, unde appareat, facta & opera optimæ nostræ, & Synodi voluntati & Sanctionum præscripto, consona esse & respondere. Quod eo magis futurum arbitramur, cum Sanctissimi D. N. & Sanctæ Sedis Apostolicæ auctoritas & approbatio accesserit. Optamus vos omnes in Domino recte vivere & valere. Datum ex Civitate nostra Nissensi die 28. Septembris, Anno Millesimo quingentesimo nonagesimo quinto.

EPISTOLA

Illustrissimi Cardinalis MATTHÆI *ad Reverendissimum D. Episcopum Wratislaviensem de Synodi approbatione.*

PERILLUSTRI ET REVERENDISSIMO DOMINO, UTI FRATRI, DOMINO EPISCOPO WRATISLAVIENSI, &c.

Perillustris & Reverendissime Domine, uti Frater.

SYnodum Diœcesanam Wratislaviensem, ab Amplitudine T. istic nuper habitam, & ad Sanctissimum Dominum nostrum missam, Illustrissimi Patres Tridentini Concilii Interpretes, quibus id munus a Sanctitate Sua mandatum fuit, accurate perlegerunt, & mature examinarunt: in eaque Summam Amplitudinis T. pietatem, devotumque in Catholicam Religionem, & in hanc Sanctam Sedem studium agnoverunt. Itaque non admodum multa necesse fuit immutare, vel corrigere.

Eam ipsam Synodum nunc ad Amplitudinem T. mittimus, paucis in locis aptatam & emendatam, sicut in ejus margine descriptum videre licebit. Nihil autem opus esse existimamus illam cohortari, ut curet tam salutaria ipsius Synodi sic aptatæ Decreta a suis subditis diligenter custodiri, atque executioni mandari; quandoquidem eam ad suum Pastorale munus, grave quidem & laboriosum, in istis præsertim locis sibi impositum, sedulo ac solicite explendum, satis per se ipsam incitatam scimus.

Tantum Divinam Clementiam rogamus, Amplitudini T. concedat, ut ex pio hoc labore, & egregia opera, quam in suorum subditorum salute procuranda suscepit, uberrimum fructum percipere queat. Qua in re Illustrissimi Patres, ubi opus erit, sua officia & studia Amplitudini T. libenti animo pollicentur, & omnia prospera & salutaria a Domino precantur.

Romæ die XXV. Augusti M.D.XCIV.

Amplitud. T. Perillustri & Reverendissimæ

Uti Frater Studiosiss.
HIER. Card. MATTHÆIUS.

ORDO

Digitized by Google

ORDO ET PROCESSUS
Synodi Diœceſanæ.

IN NOMINE SANCTÆ, ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, DEI PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

IN tam dubia, & ancipiti res humanæ omnes poſitæ ſunt conditione, ut nihil in iis tam perfecti reperiatur, nihil vel Legum vel Sanctionum repagulis, ſolerti, ac prudenti Legislatorum induſtria tam munitum; quin lubrica, ac præcipiti, malorumque plurimorum inſtigatrice, & effectrice cupiditate, novisque artibus, aut callide multa eludantur, aut malitioſe pervertantur.

Quocirca omnibus iis, qui ad aliquod primariæ Dignitatis faſtigium evecti ſunt, perpetua quædam incumbit neceſſitas, ne unquam ſecuritati, aut Legum confiſi conſtantiæ, ſomnolentos, parumque perſpicaces gubernationi afferant oculos; ſed eorum aciem hinc inde magna cum vigilantia circumferant, ut exigente uſu, & ſuccreſcente malitia, quovis tempore novis legibus condendis, antiquis vero reſtaurandis, atque ad uſum revocandis, ſi communi conſulendum ſaluti ſit, perpetuo excubias agant. Quod cujuscunque ordinis excellentiſſimos ſemper Magiſtratus feliciter cœpiſſe, & magno cum ſucceſſu Imperia, Regna, Ditionesque ſtabiliſſe, & in exoptata tranquillitate, & harmonia conſervaſſe, Hiſtoriarum tam Sacrarum, quam profanarum Codices illuſtribus exemplis paſſim referunt, & teſtantur.

Hunc præclarum imitatus morem *Reverendiſſimus, & Illuſtriſſimus in Chriſto Pater, ac Dominus, Dominus ANDREAS, Dei, & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Wratislavienſis, Coronæ Bohemiæ Princeps Ligius, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, & Supremus ſuperioris, & inferioris Sileſiæ Capitaneus*, cum magno animi dolore videret, & reipſa experiretur, labaſcente priſca pietate, & Catholicæ Religionis diſciplina corruente, hiſce temporibus Eccleſiæ membra ſuæ Diœceſis utili aliqua correctione & reformatione omnino indigere; nihil quidquam ab ipſo ſtatim initio accepti Epiſcopatus, ſibi præclarius, aut optabilius judicavit, quam ut, ſicuti in politica gubernatione, ita in Eccleſiaſtico munere, quoad ejus fieri poſſit, omnia priſtinæ integritati reſtitueret, & agrum Domini a ſentibus, & zizaniis emundaret. Itaque accurata, & diligenti cum Venerabili Capitulo *Cathedralis Eccleſiæ Wratislavienſis* deliberatione ſuſcepta, publica citatione ad valvas Eccleſiæ Cathedralis Sancti Joannis Wratislaviæ, & alibi etiam in Collegiatis, & primariis Eccleſiis Parochialibus affixa, vocatis omnibus, & ſingulis legitime, qui de jure, vel conſuetudine fuerant vocandi, Synodum Diœceſanam Wratislaviæ celebrandam indixit: ut, Deo annuente, communi conſilio propoſitum ſuum exequi inciperet, & quæ ab antiquo ſancte, & ſalutariter conſtituta quidem; fragilitate tamen, & perverſitate humana neglecta, & corrupta fuerunt, opportunis remediis, novisque, ſi opus eſſet, Conſtitutionibus in priſtinum ſtatum, & integritatem revocaret.

Die Synodi adveniente, Reverendiſſima Celſitudo Sua *in Profeſto Sancti Michaelis*, mature Wratislaviam venit, & ſepolita omnium Politicorum negotiorum cura, quæ ad *Synodi* celebrationem ſecundum Prædeceſſorum Epiſcoporum Wratislavienſium morem uſui, & commodo eſſent, in ordinem redegit.

Promotorem Synodi Dominum *Paulum Albertum S. Theologiæ Doctorem, Scholaſticum: Bonaventuram Han J. U. Doctorem, Decanum Sanctæ Crucis, Secretarium: Lectorem* vero Dominum *Conradum Waibelium, S. Theologiæ Doctorem, Vicarium in Spiritualibus, ac Officialem Generalem*, omnes Cathedralis Eccleſiæ *Wratislavienſis* Prælatos, & Canonicos inſtituit. Duo præterea *Notarii publici*, qui Synodi acta diligenter annotarent, fuerunt requiſiti, Dominus *Adamus Keſſelius, Eccleſiæ Collegiatæ Sanctæ Crucis Canonicus*, & *Daniel Zwick*, utriusque Capituli *Wratislavienſis Notarius juratus*.

Priusquam de Articulis, Religionem, Cultum Divinum, mores Clericorum, & temporalia concernentibus conſultatio inſtitueretur, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus ſingulari in Religionem Catholicam zelo & cura, vero animarum Paſtore digna, a precibus initium fieri debere cenſuit: ob id ſupplicationes, ſeu Litanias tribus diebus ante Synodum decantari, & jejunia pro fauſta, & felici continuatione Synodi devote peragi juſſit, ipſeque Epiſcopus, audito prius magna devotione Ss. Miſſæ officio, inſtitutæ ex Cathedrali S. Joannis Eccleſia in Collegiatam S. Crucis Proceſſioni, ſubſequentibus Prælatis, & Canonicis, ac Aulica ſuæ Reverendiſſimæ Celſitudinis Familia interfuit. Collegiata Eccleſia S. Crucis ſimiliter Proceſſionem pari cum devotione in Cathedralem Eccleſiam abſolvit.

Ipſa indictionis Synodi die, mane hora quinta, & ſexta, campana majori ad *Synodum* duabus vicibus ſignum datum eſt: ultimo vero & tertio impulſu circa horam ſeptimam dato, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus, comitantibus cum Reverendiſſimo Domino *Adamo Epiſcopo Nicopolienſe, Abbate in Arena, & Suffraganeo Wratislavienſi*, DD. Prælatis, & Canonicis Eccleſiæ Wratislavienſis, atque ſeptem Abbatibus, alioque Clero ſubſequente, Eccleſiam Cathedralem Wratislavienſem Divi Joannis ingreſſus eſt, & cum preces Domino Deo, flexis genibus, peculiari ſcabello, ad inferiorem gradum ad hoc diſpoſito, obtuliſſet, Chorus incepit Hymnum: *Veni Sancte Spiritus.* Quo finito Reverendiſſimus D. Epiſcopus Verſum: *Emitte Spiritum tuum*, &c. una cum oratione: *Deus, qui corda fidelium* &c. &c. Choro debite correſpondente, devote decantavit. Poſtmodum recedente reverendiſſimo Domino Epiſcopo in Sacriſtiam, Promotor Synodi per Venerabilis Capituli Notarium omnes ad Synodum ſpectantes ex ſcheda ordine conſcripta evocavit, atque cuilibet locum ſuum aſſignavit, in ſtallo videlicet dextro verſus Altare prope ſtallum, aut Sedem Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, primo loco Reverendiſſimum Dominum Suffraganeum Infula, & Stola ornatum, ad latus demiſſiore tamen loco cum Pedo Epiſcopali Sacellano aſſiſtente.

Deinde Dominos: *Joannem Sitſch Præpoſitum, Adamum Landeck Decanum, Chriſtophorum Gerſtmannum Cuſtodem, Andream Bogarsky J. U. Doctorem, Vincentium Salinum, Magiſtrum Balthaſarem Habicht, Bonaventuram Han J. U. Doctorem, Georgium Scholtz S. T. Doctorem, & Magiſtrum Caſparum Hiltprandum Prælatos, & Canonicos Eccleſiæ Cathedralis Wratislavien.: Adamum Keſſelium Eccleſiæ Collegiatæ S. Crucis Canonicum*, præterea *Concionatorem, & Pœnitentiarium Eccleſiæ Cathedralis.* Item *Magiſtri Hoſpitalis S. Mathiæ* ablegatum, & *Andream Rosnecium Præpoſitum Falckenbergenſem* collocavit. Siniſtri vero lateris Sedes Domini Abbates, ſine Infulis tamen, occuparunt: videlicet *D. Hieronymus, Lubenſis, D. Joannes, S. Vincentii Wratislaviæ, Jacobus, Saganenſis*, Dominus *Nicolaus, Heinrichovienſis, D. Antonius, Camenicenſis, D. Caſparus, Griſſovienſis, D. Georgius, Jemelnicenſis*, & *Laurentius Girlicius*, ablegatus *Abbatis Raudenſis.*

Nomine Capituli *Eccleſiæ Glogoviæ majoris Georgius Schulteti Præpoſitus, Martinus Lembuſius Decanus*, & *Caſparus Sellius Archidiaconus.*

Nomine Capituli *Niſſenſis Nicolaus Tinczman Medicinæ Doctor.*

Nomine Capituli *Opolienſis Jacobus Zuretius, Decanus, Joannes Kuna, Archidiaconus, Joannes Zwick, Cuſtos.*

Nomine Capituli *Ratiborienſis Petrus Sebiſch, Decanus*, & *Sebaſtianus Tieſſowsky, Cuſtos.*

Nomine Capituli *Glogoviæ* ſuperioris *Albertus Petricius, Decanus, Matthæus Adam, Præpoſitus Cruciferorum Niſſæ* valetudine adverſa impeditus abfuit. Intra Abbates ipſorum Sacellani ordine ſtabant, baculos manibus ſuſtinentes.

Commendatores Lignicenſis, Swidnicenſis, & Creutzbergenſis excuſatione abſentiæ uſi ſunt.

Ex *Præcentoribus* adfuerunt Chori minoris Cathedralis Eccleſiæ, & minoris Chori Collegiatæ Eccleſiæ S. Crucis, & in Crypta: Poſtea *Archi-Presbyteri, Parochi*, & alii *Sacerdotes* ab utraque parte fuerunt locati.

Cum ſuo jam quisque loco conſediſſet, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Pallio, Mytra, aliisque Pontificalibus amictus, ſolita cum ceremonia, & Sacrorum Miniſtris Eccleſiaſticis Viris ſtipatus, ex Sacriſtia ad Altare proceſſit, ubi faldiſtorio inclinatus incepit Antiphonam: *Exaudi nos.* Reſpondentibus duobus Canonicis Wratislavienſibus Dominis *Doctore Nicolao Tinczmanno*, & *Magiſtro Caſparo Hiltprando*, Regentibus: *Domine* &c. reliquum Chorus: *Quoniam*, & *Salvum*, cum Clero abſolvit. Poſt: *Exaudi*, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus Orationem: *Omnipotens ſempiterne Deus* &c. ex Pontificali Romano recitavit. Qua oratione finita, Reverendiſſimo miniſtrantes Vicarii duo flexis genibus Litaniam *Kyrie eleyſon* inceperunt, toto Choro correſpondente uſque ad Verſum: *Ut hanc præſentem Synodum viſitare, diſponere, & benedicere digneris*, quem Verſum ter Dominus Epiſcopus facta cruce repetiit, Choro correſpondente: *Te rogamus audi nos.* Deinde Vicarii proſequebantur Litaniam uſque ad finem. Tandem Reverendiſſimo incipiente: *Oremus*, duo Vicarii ſimul reſpondebant: *Flectamus genua*: & *Levate.* Abſolvit Reverendiſſimus orationem ex Pontificali Romano, depoſitoque pluviali, accipiebat Caſulam a duobus Canonicis, & incipiebat Miſſam ſolemnem de Spiritu Sancto, more Romano. *Ad Agnus Dei* Domini Canonici miniſtrantes Reverendiſſimo pacem dederunt, unus Suffraganeo, alter Lubenſi Abbati. Abſoluto Ss. Miſſæ Sacrificio, Reverendiſſimus dedit Benedictionem, quam circa *Pax Domini* juxta Pontificale Wratislavienſe omiſit. Porro in Sacriſtia Pontificalem ornatum exuit Reverendiſſimus Epiſcopus, & ſedem præparatam

tam acceſſit, ibique conſidens Dominum *Doctorem Georgium Schultetum* Canonicum, de *Synodo* prudenter, & docte perorantem, & integre abſolventem audivit. De Cathedra autem, aut ſuggeſtu deſcendente *Schulteto*, Reverendiſſimus per Promotorem propoſuit, Suam Reverendiſſimam, & Illuſtriſſimam Celſitudinem deſiderare, quo omnes ad *Synodum* ſpectantes cum ſua Reverendiſſima Celſitudine in Curiam Epiſcopalem ſe conferrent, ut Synodus juſto ordine, & legitimo modo inciperetur. Omnes itaque, & ſinguli Clerici, cujuscunque ſtatus, ac dignitatis, Aulicis Reverendiſſimi D. Epiſcopi præcedentibus, & tandem ſolo Promotore Cappa, & Almutio induto, præeunte Reverendiſſimum D. Epiſcopum in Hypocauſtum Curiæ ſuæ ſubſequebantur. Prælatis, & Canonicis ſolis habitum rubeum deferentibus, alii enim cappas, & ſuperpellicea ſua depoſuerant. In eodem Hypocauſto Reverendiſſimus D. Epiſcopus ſolus ad menſam decenter ornatam, illique imagine Crucifixi appoſita conſedit, rocketo, & cappa rubea, & mucetto rubro indutus. Et latus quidem unum Prælati, & Canonici Eccleſiæ Cathedralis, alterum vero Domini Abbates occupabant, reliquis ſuo ordine, ut in Eccleſia conſederant, medium deligentibus Hypocauſti locum. Cumque omnes intentos oculos, & mentem haberent; a Regii vatis dicto initium ſumens Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus: *Ecce quam bonum, & quam jucundum ſit, habitare fratres in unum*: piam, & gravem exorſus eſt ad Clerum orationem:

Jamque ab initio ſtatim accepti Epiſcopatus totam ingenii vim, & mentis aciem eo intendiſſe, ajebat, ejusmodi ut reperiret medicinam, quæ Cleri diſciplinæ exſuſcitandæ, & reſtauraudæ conducere videretur. Quam ob rem cum Clerum convocari neceſſe eſſet omnino: ſe quidem dintius id in animo habuiſſe, ut Synodus *celebraretur Diœceſana, verum multa longe neceſſarium, & honeſtum propoſitum impediviſſe.*

Principio quidem peſtem hinc inde miſerabili multorum ſtrage graſſantem; quam paulo poſt genuina Regum Poloniæ electio, tumultusque Bellici in hac Provincia, & Regno Poloniæ ſubſecuti eſſent. Pace tandem cum eodem Regno Poloniæ concluſa, difficile Legationis munus a Sacra Cæſarea Majeſtate Domino noſtro Clementiſſimo ad Sereniſſimum Poloniæ Regem, & Regni Ordines ſibi fuiſſe demandatum, ad certo confirmandas juramento pacis conditiones: non multo poſt iterum ad Regni Poloniæ fines ſe miſſum ad Sereniſſimum Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Fratrem Maximilianum reducendum. A publicis itaque negotiis ubi paulum nauciſci otii, & veluti reſpirare licuerit, nihil ſe reliqui feciſſe, ut aliquando tandem inductione Synodi, & *conventu tam præſtantium Eccleſiaſtici Ordinis Virorum, voti ſui, & expectationis optatæ compos redderetur. Quem felicem, & diu deſideratum diem cum bodie intueatur, Venerandum etiam laudabili numero aſpiciat Clerum, plurimum ſe lætari, & ſibi ex animo gratulari dicebat, atque pluribus demonſtrabat, non tantum* bonum, & jucundum *eſſe* fratres habitare, *ſed* in unum *etiam convenire: Exemplo id Apoſtolorum fieri, qui ſuborta difficultate aliqua, & exigente naſcentis Eccleſiæ uſu convenerint; quemadmodum Hiſtoria de Circumciſione Judæorum tollenda, & apud Chriſti ſectatores abroganda luculenter conteſtetur, ubi re examinata, Apoſtoli his concluſerunt verbis:* VISUM EST SPIRITUI SANCTO, ET NOBIS. *Hinc a Succeſſoribus Apoſtolorum* Generalia Concilia, *ab inferioribus vero* Provinciales, & Diœceſanas Synodos *fuiſſe celebratas: ſicut etiam in politica gubernatione, & in Imperiis, Regnis, ac Ditionibus, rite ad normam, & juſtæ Lancis æquitatem conſtituendis, regendoque dignis Legum repagulis populo, ab Imperatore Comitia, a Regibus & Principibus Diætæ, & Conventus, poſcente uſu, indicantur. Ob ſimiles cauſas, & Eccleſiæ utilitatem ſe omnes, qui* Synodo *intereſſe tenentur, convocaſſe, ut ſalutaria omnium conſilia coram audiret de iis præcipue rebus, de quibus in hac* Synodo *agere conſtituiſſet, quæ potiſſimum* quatuor Capitibus *eſſent comprehenſa.*

Primo: *quomodo Religio Catholica Adverſariorum variis artibus, & machinationibus collapſa reſtaurari, & Sr.* Concilii Tridentini *Decretis conſtans authoritas, ita quidem ut ibidem a Patribus ſancte conſtituta in poſterum in hac Diœceſi obſerventur, conciliari, & ſtabiliri poſſit.*

Secundo: *Cultus Divinus, qua ratione recte, ac decenter peragi debeat.*

Tertio: *Corrupti Clericorum mores quomodo reformandi.*

Quarto: *In Temporalibus quid commodo Eccleſiarum ſtatui debeat, tum Clericorum certi redditus quibus modis conſervandi, incerti vero, ac dubii ad certitudinem, quantum fieri liceret, reducendi, & ſtabiliendi.*

Atque ita ſi communicatis prudenti circumſpectione, & examine accurato tot Sapientum conſiliis, ac habito inde juſto delectu de hiſce Sanctiones conſcriberentur, & ab earum obſervatione in poſterum non diſcederetur; cenſuit Reverendiſſimus D. Epiſcopus, nihil aliud, quam optimum ſucceſſum certo exſpectandum eſſe, idque præter alias in Sacris Bibliis Hiſtorias, Joſuæ teſtari exemplum, cum Divinæ memor Legis Judaicum populum, ne Deos colerent alienos, hortaretur &c.

Quibus ſic propoſitis, Reverendiſſimus per *Lectorem Decretum de modo vivendi, & aliis in Concilio ſervandis, Seſſione ſecunda Concilii Tridentini* legi curavit; idque præcipue propter Seſſionem Clericorum, quod nulli propterea præjudicium generetur, nullique novum jus acquiratur; quod tota *Synodus* per verbum *Placet* approbavit. Quæſivit dehinc *Synodi Promotor*, utrum omnes, qui de jure, vel conſuetudine *Synodo* intereſſe deberent, præſentes eſſent; monuitque, ut abſentium Procuratores, aut Ablegati abſentiæ certam redderent rationem. Omnibus ex ſcheda per Notarium evocatis, præſentes vocati honorifice aſſurgebant.

Poſtmodum oblatæ fuerunt literæ *Michaelis Waltheri, Abbatis Raudenſis*, qui infirmitatis excuſatione uſus, loco ſuo *Laurentium Girlicium Sacellanum* ablegaverat. A *Magiſtro Hoſpitalis S. Mathiæ Wratislaviæ* per Fratrem *Joannem Pruſſium* idem factum. Similiter & a *Zarenſis Diſtrictus Archi-Presbytero*, qui nomine ſuo, ut *Synodo* intereſſet, *Antonium Parochum Toſtenſem* Wratislaviam miſit. Pauci (incertum, qua de cauſa) ſine ulla excuſatione emanſerunt: ii ſi ex inobedientia, & contumaci neglectu, aut ſine juſta cauſa alia, id feciſſe deprehenderetur, in eos animadvertere Epiſcopus conſtituit, & Clero per *Promotorem* mandavit, ne aliquis ante finitam *Synodum*, niſi ſpeciali Suæ Reverendiſſimæ Celſitudinis licentia Wratislavia diſcedat.

Et cum fides ſit fundamentum ſalutis æternæ, Reverendiſſimus D. Epiſcopus, Ss. Oecumenici Concilii Tridentini pium inſtitutum, tum etiam *Provincialis Petricovienſis*, & a Prædeceſſore ſuo Epiſcopo MARTINO piæ mem. celebratæ *Synodi* Diœceſanæ conſuetudinem obſervare volens, flexis genibus, tactis Ss. Dei Evangeliis, Profeſſionem fidei prius ſolus, & conſequenter totus Clerus ſimul, prælegente *Synodi Lectore*, eandem Profeſſionem juxta PII QUARTI ſel. record. præſcriptum fecit.

Exhibebant deinde, requirente hoc Reverendiſſimo Domino Epiſcopo, DD. Archi-Diaconi ſuas viſitationes: *D. Julius Landut, Archidiaconus Wratislavienſis*, propter morbum, quo domi detinebatur, per *D. Doctorem Georgium Schultetum, Canonicum Wratislavienſem*, viſitationem ſuam obtulit: ſubſecutus eſt *D. Adam Landeck Legnicenſis*, hinc *Caſparus Sella Glogovienſis*, & *Joannes Kuna Oppolienſis Archidiaconi*, ſuas quisque Reverendiſſimo Domino Epiſcopo obtulit viſitationes. Iis Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus ob hanc diligentiam gratias egit, hortatusque eſt eosdem, ut parem inpoſterum pro ipſorum munere adhibere non prætermittant.

Exhibitæ quoque fuerunt variæ Parochorum querelæ, quæ cum in magnum excreſcerent numerum, Reverendiſſimus D. Epiſcopus tribus ex DD. Canonicis Cathedralis Eccleſiæ Wratislavienſis, *Nicolao Tinczmanno*, D. *Bonaventuræ Han*, & D. *Conrado Waibelio* id dedit negotii, ut ſupplices libellos, & querelas reviderent, & Suæ Reverendiſſimæ Celſitudini referrent, quo Cleri querelis tempeſtive, & cum fructu ſuccurreretur.

Conſcripſerat Reverendiſſimus D. Epiſcopus ante *Synodi* congregationem *Conſtitutiones*, vel *Articulos* quosdam, qui ad inſtitutum Eccleſiaſticum, & ad conſervandam, & augendam Catholicam Religionem neceſſarii erant viſi. Ex iis, quæ fidem, & Religionem Catholicam concernerent, legi curavit: poſt omnium conſilia audire cupiens, primo Prælatorum, & Canonicorum Eccleſiæ Cathedralis, quid de his videretur, ſententiam rogavit: qui omnes Conſtitutiones utiliter promulgari poſſe, unanimi conſenſu judicabant.

DD. Abbates vero ſemel atque iterum ſeorſim deliberandi, & conſultandi quoddam ſpatium ſibi petebant concedi. *Quam rem novam, nec ante prioribus in Synodis uſitatam cum Reverendiſſimus D. Epiſcopus arbitraretur; eosque moneret, ut quilibet in libero dicendi, & conſultandi loco libere ſuam ſententiam proferret:* tunc DD. Abbates, Reverendiſſimi Domini Epiſcopi ſe ſubmittentes voluntati, per *D. Abbatem Vincentinum*, virum doctrina, & rerum uſu ampliſſimum, egerunt gratias Epiſcopo pro Paterna iſta cura, quam in conſcribendis, & proponendis illis *Articulis*, & *Conſtitutionibus* de Religione, Sua Celſitudo habuiſſet. *Videre ipſos in lectis* Articulis *præter reliqua, Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum ex præſcripto* Concilii Tridentini *urgere, ut D. D. Abbates juxta ejusdem Concilii Decreta Magiſtrum in ſuis quisque Monaſteriis alerent, qui noviter receptos Ordinis Fratres pietatis, & bonarum artium fundamenta fideliter docereret.*

cret. Id DD. Abbatibus hucusque summæ curæ fuisse, quemadmodum qui Wratislaviæ sua haberent Monasteria, nunquam utile hoc institutum prætermisissent. Et licet etiamnum domi Præceptoribus non destituerentur, se tamen uberioris disciplinæ gratia aliquos in Seminarium Episcopale Nissam mittere velle. Omnia itaque Decreta, maturo consilio a Reverendissimo Domino Episcopo conscripta, & jam lecta, ipsos Dominos Abbates approbare: unicum solummodo Caput, quo jus instituendi, seu investiendi Parochos, Reverendissimo Domino Episcopo reservaretur, in ipsorum Abbatum præjudicium positum videri: Eos hucusque a longo tempore viros pios, & doctos Parochiis præfecisse sine aliqua Domini Episcopi institutione, & quandoquidem in tanto Clericorum defectu seculares Sacerdotes habere non potuerint, se fratribus interdum Monasteriorum Parochias regendas commisisse, eamque possessionem ipsos ex longa consuetudine obtinuisse, rogare itaque DD. Abbates, ut Reverendissimus D. Episcopus jus illud instituendi Parochos, sicut hucusque ab ipsis observatum esset, integrum Abbatibus relinquere velit. Deinde quando visitationes Parochorum in Monasteriorum fundis per Dominos Archidiaconos inposterum instituerentur, ut DDnis Abbatibus visitationibus hujusmodi interesse liceret.

Ad ea Reverendissimus D. Episcopus respondit: *Se nihil novi constituere, sed ex* Concilii Tridentini *Decretis* (sicut ex eodem Concilio Sess. 14. cap. 10. & Sess. 25. cap. 9. de Reformatione *fuerunt lecta*) *nihil aliud optare, quam ut sit Hierarchia bene ordinata: nihil quidquam in præjudicium DD. Abbatum fieri, neque eos juris alicujus facere hac in parte jacturam: quin imo liberum permanere DD. Abbatibus Præsentationis jus, si quod haberent: non iniquum vicissim esse, ut Episcopo loci ordinario authoritas salva conservetur, eique investiendi jus integrum permaneat, & relinquatur.* (Videndæ sunt hac de re Sacræ Congregationis Notæ infra Tit. de Parochis.) *Pontifices enim Maximos suas Bullas Collationum & Provisionum, Sacratissimos Cæsares, Serenissimos Poloniæ Reges* (*ut de aliis nihil dicatur*) *Præsentationes Episcopo mittere, ac misisse; multo magis ergo Abbates id decere, ut Episcopo investiendos præsentent, ne ordo Hierarchicus quovis modo turbetur.*

Et quamvis DD. Abbates affirmarent, non semper expedire, ut Præsentationes essent perpetuæ propter Religiosos Fratres, quibus interdum Parochiæ conferuntur, & ad Monasteria revocantur, ut existimant majus etiam commodum Monasteriis hac ratione accedere, atque ideo demuo illos rogare, sui ut ratio habeatur, & Privilegia confirmentur ipsorum, quibus a tam longo tempore integrum fuisset jus investiendi.

Tamen Reverendissimus Dominus Episcopus, a Sti. Concilii Tridentini Decretis recedere se nec velle, nec posse respondit.

Quandoquidem præterea in Constitutionibus prælectis, secularibus Clericis liberam testandi facultatem concessam esse intellexerant DD. Abbates, *si Religiosi in Parochiis e vivis excederent, ad quem relicta pertinerent*, rogabant; Reverendissimus Dominus Episcopus ad hæc: *Monasterio*, inquit, *fratrum res derelictas accrescere, cum Testamenti ob paupertatis votum non habeant factionem: Si vero seculares Clerici in Parochiis, non condito Testamento decederent; Statuta Provincialia & Synodalia juxta praxin quotidianam observanda esse, ut scilicet post sumptus funebres debita exsolvantur: deinde Consanguineis aliqua hæreditatis pars; Fabricæ item & Ecclesiæ, in quo intestatus obiit, vel vel Parochiæ portio quædam relinquatur.*

Post acclamationem *Placet* Reverendissimus Dominus Episcopus proponebat: *Magnam esse penuriam Catholicorum Servitorum, quorum opera Domini Abbates, & Abbatissæ in Præfecturis, & aliis officiis uterentur; cogitasse itaque se, non convenientius huic malo remedium reperiri, nisi ut certus nobilium puerorum numerus, scilicet viginti quatuor, honeste alerentur, qui in fide, moribus, & disciplinis Catholice instructi suo tempore tum aliis, tum ejusmodi officiis præficerentur: in quem finem ædes Nissæ jam emisset: saltem a Clero consilium se requirere, utrum magis conferat, sumptus facere in Nobiles vel plebeos.* Venerabili Capitulo Cathedralis Ecclesiæ placuit Reverendissimi Domini institutum, ut *Nobiles præcipue, si haberi possint, in eum finem alantur: cum in Episcopale Seminarium nonnisi juvenes, qui in Ecclesiastico statu Deo, & Ecclesiis suo tempore inserviant, recipiantur.*

Domini Abbates, *hoc unum se dolere*, dicebant, *quod non habere possent Catholicos: esse in Aulis Principum magis gratos homines Nobiles, quam plebeos.* Rogabant itaque Dominum Episcopum, *ut Nobiles convenientis ætatis reciperet, ipsos suam operam offerre.*

Abba-

Digitized by Google

Abbatem enim Sancti Vincentii in eum finem quatuor hucusque aluisse, ut ipsorum opera aliquando uteretur.

Reverendissimus Dominus Episcopus respondit: *Non minores XVIII. annis recipi in Seminarium Clericorum: in receptione Nobilium se observaturum, ut XIV. sint annorum, qui si aliquot annis pietati, ac studiis operam dent, futurum, ut vel circa XX. ætatis annum commode servitiis Principum, & Abbatum adhiberi queant.*

Porro Clericorum Seminarii Episcopalis sumptum annuum Reverendissimus Dominus Episcopus tribus millibus florenorum æstimabat, imo eundem etiam superari numerum, & quatuor millia non raro excedere, Expositorum consignationes, & regesta testari. *Quandoquidem vero difficile sibi esset, in utroque Seminario Clericorum scilicet & Nobilium sæcularium sarta tecta omnia conservare, tot Scholares Clericos, & Laicos cum ipsorum Doctoribus, Magistris, Præceptoribus, & Servitoribus alere: petere se vigore* Constitutionis Concilii Tridentini Sess. XXIII. Cap. XVIII. de Reformatione, *ut Prælati, & Canonici præcipue, ac totus Clerus ad Seminarium Clericorum contribuere velint.*

Capitulum Cathedralis Ecclesiæ Wratislaviensis Prælatorum, & Canonicorum decumbentium absentiam inprimis allegabat; rogans, ut Reverendissimus tantum concederet spatii, donec cum aliis Confratribus hac de re consilium capere posset: tamen cum Reverendissimus responsum a Venerabili Capitulo urgeret, Capitulum asseverabat: *Reverendissimi Domini Episcopi Proventus, Capitulares redditus longe superare, decimis ubique collapsis, & in fertones Episcopales commutatis; rogare se, quandoquidem Venerabili Capitulo Proventus tertiæ partis Episcopatus competant, ut Reverendissimus retentis duabus partibus, tertiam Venerabili Capitulo juxta* Conc. Trid. *assignet, inde ad Seminarii conservationem partem adjici posse.*

Reverendissimus Episcopus Venerabilis Capituli Responsum non satis æquo animo ferre visus est, æstimavitque merito, se aliud Responsum expectare debuisse. *Nam quod de tertia parte Proventuum Episcopatus, seu mensæ Episcopalis Capitulo assignanda dictum sit, illud sine ullo fundamento prolatum esse. Capitulum enim proprias habere villas sylvas, & alia bona divisa, & distincta a bonis, quæ ad mensam Episcopalem pertinerent: de proventibus & bonis mensæ Episcopalis ne Tetruncium quidem competere Capitulo, neque Concilium Tridentinum quidquam de hac re constituisse. Quod vero de collapsis Decimis dictum sit, illud quidem non negari, sed Episcopi quoque Decimas, quæ amplissimæ fuerint, ad eundem modum sicuti Capituli collapsas esse. Recordari se inter alia Statuta Ecclesiæ Cathedralis unum extare, quo Episcopus ad certa quædam onera sit obligatus, ad simplum Capituli contribuere duplum: æquum igitur, ut ad Seminarium etiam ad duplum Episcopi, Capitulum contribuat simplum. Quod si illis grave hoc videretur, ac existimarent, æquam non servari proportionem, petiit Reverendissimus, ut quilibet Prælatus, & Canonicus Cathedralis Ecclesiæ de suis proventibus contribuat decimam, vigesimam, trigesimam, vel quinquagesimam partem, se ad eundem modum paratum esse de proventibus mensæ Episcopalis decimam, vigesimam &c. contribuere, & hunc modum esse longe justissimum, ut quo plures quis habeat redditus, eo plus etiam conferat.*

Venerabile Capitulum tempus deliberandi in alterum diem petiit, & impetravit.

DDnis Abbatibus placuit institutum Reverendissimi, operamque suam non denegarunt, sperantes, si quid contribuerint, Reverendissimum Dominum Episcopum contentum fore, ut in Clericorum Seminario Nissensi suos alumnos alant, quorum opera uti possint.

Capitulum Glogoviæ majoris de collapsa Religione, & Censuum imminutione conquestum est, atque hinc fieri, ut, unde commode vivant, vix suppetat: Scholæ Rectores, & Professores stipendio commodo destitui, Ecclesiam etiam ipsam muram quodammodo manere: excusari itaque sese petierunt in iis, quæ de contributione proposita essent.

Capitulum Nissense, & Oppolience certum responsum ad ulteriorem cum fratribus absentibus consultationem rejecit.

Capitulum Ratiborience, & Glogoviæ superioris summam allegarunt paupertatem, quam excusationem, ut certam, Reverendissimus Dominus Episcopus non gravatim admisit.

Præpositus Rosenbergensis se ex Prælati sui Domini *Abbatis in Arena* voluntate dependere, ait.

Vidit Reverendissimus Dominus Episcopus, pro Seminario Clericorum inanem contributionis spem esse; nihilominus se a pio proposito suo in alendis Clericis, & pueris Nobilibus desistere nolle asseveravit.

Ex

zed by Google

Et quia major diei pars rerum tractatione consumpta esset, dimisit Clerum Reverendissimus Dominus Episcopus, Abbates vero apud se in prandio retinuit. Commisit autem Reverendissimus DD. Archidiaconis, ut suis Archipresbyteris demandarent, quo absentes Sacerdotes, qui *Synodo* huic non interfuissent, suo tempore convocarent, atque ab eis professionem fidei exigerent. *Synodi* etiam *Promotor*, innuente Reverendissimo Domino Episcopo, jussit, ut sequenti die, hora septima ad sonum campanæ majoris totus Clerus ad Sacrum Missæ officium, & tandem in Curiam ad *Synodum* vicissim reverterentur.

SECUNDA DIE SYNODI mane vicissim campanæ impulsu signum dabatur; sub tertium pulsum, eodem ordine, quo præcedente die, eodemque Prælatorum, Canonicorum, & Abbatum, totiusque Cleri comitatu, in Cathedralem Ecclesiam ingressus Episcopus Sacrum Missæ officium de Beata Maria Virgine, quod a Reverendissimo Domino Adamo Episcopo Nicopolitense, & Suffraganeo Wratislaviense celebrabatur, devote audivit, ac in Curiam reversus, ut cœptam *Synodi* tractationem continuaret, per *Promotorem* diversa Capita *de Cultu Divino rite peragendo*, ut de illis deliberaretur, proponi jussit: & cum ad *Caput de Cantilenis, in Ecclesia ante Concionem decantandis*, perventum esset, placuit *Synodo*, idque devotioni plebis plurimum conferre quidem censuit, ut omnibus universim Ecclesiis Cantiones ejusmodi concederentur: evitandæ autem confusionis, & disparitatis causa, opportunum esse, ad unam certitudinem redigi cantilenas, in quibus, ut certitudini, & conformitati devotio conjungeretur, Reverendissimus Dominus Episcopus curam eandem Dominis *Doctori Andreæ Bogursky*, præterea *Concionatori*, & *Pœnitentiario majoris Ecclesiæ* commisit, qui utroque & Germanico, & Polonico idiomate cantiones probatas, & pietati inservientes colligerent, & Episcopo afferrent, illi tum curæ fore, ut in usum multorum typis Nissensibus excusæ in publicum prodirent.

Baptizandi ritum quod attineret, DD. Abbates gravibus, & urgentibus de causis, ac rationibus consultum existimabant, in Sacramento Baptismi *Joannis Jeusentritii*, Episcopatus Misnensis Administratoris, Viri in Religione juvanda probatissimi, Germanica baptizandi forma magis, quam Latina hactenus consueta, utendum esse. Quam difficultatem Dominus Reverendissimus exemit, cum diceret: *Formam baptizandi potius secundum Agendam Metropolitanæ Ecclesiæ Gnesnensis ubique servandam, quam novi aliquid statuendum esse: non displicere tamen, quin imo hortari, ac monere, ut paulatim & adhibita in consilium prudentia, a Parochis Germanico, aut etiam, ubi ejus linguæ usus sit, Polonico sermone, populo Ceremoniæ opportunis verbis explicentur: ita enim futurum, ut modus Germanice baptizandi in iis locis, ubi partim a Parochianis desideraretur, partim in quibusdam locis nunc in usu esset, pedetentim diligentia Parochorum tolli posset.*

De Breviario Wratislaviensi, cujus exempla desiderarunt, Reverendissimo Domino Episcopo, approbante, *Synodo* placuit, usum Romani Breviarii esse introducendum, non ut Wratislaviense tollatur, sed ut propter defectum Wratislaviensis Breviarii, recens ordinandi ad recitationem Breviarii Romani assuefiant.

Placuerunt etiam *Synodo Articuli de Cultu Divino* omnes. Ad Reformationem Clericorum condescendendum erat: ejus a Capite initium sumendum, judicabat æquum Reverendissimus D. Episcopus, ac hortabatur, ut libere, ac confidenter omnes, & singuli publice indicarent, si quid in Sua Reverendissima Celsitudine emendatione dignum animadverteretur. Cum autem tota *Synodus* uno ore profiteretur, omnia, quæ hactenus gesta essent, Episcopali officio, ac muneri convenientissima, & cum pietate conjuncta fuisse: preces adjiciebant, ut quemadmodum sancte cœpisset, progrederetur, mercedemque a Deo Optimo Maximo expectaret.

Capita deinde de moribus Clericorum approbarunt, præcipue vero ea Constitutio, ne Clerici pro aliis in causis pecuniariis fide juberent, DD. Abbatibus plurimum placuit, se unicum hoc optare, ut a fidejussionibus liberentur.

Cum autem ex Abbatibus quidam subsequenti die certis de causis abitum pararent, rogabant Reverendissimum Dominum Episcopum, *ut quibus in rebus a sæcularibus gravarentur, benigne audire, consilium impartiri, & auxiliatrices porrigere manus dignaretur.* Æquissimo desiderio Abbatum benigne annuit Reverendissimus, & ad omnia, & singula partim a vestigio in Synodo publice, partim etiam altera die privatim sufficienter respondit: ac in omnem eventum nec consilio, nec auxilio DD. Abbatibus quovis tempore, & occasione sese defuturum, humanissime est pollicitus, monuitque paterne, ut sequenti die omnes mane campanæ signo dato ad rem Divinam faciendam redirent, & residuis *Synodi* negotiis incumberent. Cæterum

rum insumpta jam majori parte diei, humaniter Clerum, ut cibo, & potu reficeretur, Episcopus invitavit.

Pulsu campanæ tertio, *dic etiam Synodi tertia*, præcedente, in præsentia Reverendissimi Domini Episcopi, & Cleri totius, D. *Abbas Vincentinus* officium de S. Joanne Baptista, Patrono Ecclesiæ Wratislaviensis celebravit. Post hæc in Curia Episcopali de temporalibus quædam proposita, eaque post diligens examen approbata fuerunt.

Tum Ecclesiæ Cathedralis Capitulum Seminarii faciens mentionem; *si idem Clericorum augeretur numerus, consultum arbitrabatur, atque ob id, cum* Concilium Tridentinum Sess. XXIII. cap. XVIII. de Reformatione, *certum præscribat, ad Seminarii sumptus contributionis modum, rogabat, ut Reverendissimus ex Prælatis, vel Canonicis Ecclesiæ Cathedralis unum, alium etiam Capitulum nominaret, qui postmodum ea de re consultarent, suæque Reverendissimæ Celsitudini, quid fieri expediat, referrent.* Quod Venerabilis Capituli Responsum Reverendissimo D. Episcopo non displicuit, adjecitque, Dominos Archidiaconos nudius tertius Visitationes suas obtulisse; quæ propter occupationes, sicuti oportebat, accurate revideri nondum potuerint, sed adhibiturum se Viros doctos, qui diligentius hæc expendant, & in medium consulant, qua ratione petitionibus Clericorum satisfiat.

Et cum Reverendissimus D. Episcopus tum a Prælatis, tum ab aliis Clericis aliquoties intellexisset, quædam in Concilio contineri Tridentino, quæ non modo difficilia, sed quasi impossibilia in hac Provincia observatu essent: Episcopus, utrum ea scriptis consignata in promptu haberent, interrogabat; quæ aliqua moderatione indigerent, & quorum præcedente etiam *Synodo* mentio facta esset; ea enim de re ad Ss. Sedem Apostolicam tempestive ut referretur, se non prætermissurum. Cathedralis Ecclesiæ Capitulum aliquot Capita in scriptis Reverendissimo obtulit, rogavitque, ut dispensationem, si ita S. Reverendissimæ Celsitudini visum esset, apud Ss. Sedem Apostolicam urgeret. DD. Abbates, & Collegiatarum Ecclesiarum Capitula difficultates quasdam ex Concilii Tridentini Decretis allegabant, eas ut similiter in scriptis exhiberent, Episcopus commodissimum judicavit. Ad extremum; ubi gravamina Clerus exhibuisset, Reverendissimus Dominus Episcopus sese una cum aliquot Prælatis & Canonicis ex Ven. Capitulo legere, ad amussim expendere, & necessitatibus eorum consulere velle, clementer promisit.

Quibus ita peractis, cum Reverendissimo Domino Episcopo interrogante, utrum Decreta his diebus lecta approbarent, ita, ut emendata imprimi possint, reliqui annuissent DD. Abbates conditionem adjiciebant, *sibi Decreta placere, in omnibus, in quibus non sint contra jura, immunitates, & Privilegia Monasteriorum, de quo solenniter protestabantur.* Reverendissimus D. Episcopus protestationem eatenus admisit, *quatenus non præjudicaret juri, & libertati Reverendissimi, tanquam loci Ordinarii*: item *Ss. Canonum, & Concilii Trid. Decretis, de quo se in contrarium solenniter protestationem interponere, ajebat.*

Et hisce Reverendissimus Dominus Episcopus omnibus benignissimis verbis gratias egit, *quod ad citationem, & requisitionem* ipsius, Synodi Diœcesanæ *negotiis, quæ ex Sacris Canonibus, Provincialibus, & Synodalibus Constitutionibus, & Concilio Tridentino sua habuerint fundamenta, interfuerint. Nihil amplius nunc superesse, quam ut ea, quæ pie, & sancte a Diœcesana Synodo unanimiter constituta sint, firmiter, & inviolabiliter ab omnibus observentur, Deusque pro augmento Religionis, & Fidei Catholicæ sedulo imploretur.*

Dataque Benedictione, omnibus licentiam abeundi concessit, præterquam iis, quibus ad querelas, vel consilium impertiendum, vel auxilium afferendum erat.

NOMINA PRÆCIPUORUM, QUI AD SYNODUM hanc Diœcesanam Wratislaviæ convenerunt.

REverendissimus, & Illustrissimus in Christo Pater, ac Dominus D. ANDREAS, Dei gratia Episcopus Wratislaviensis, Coronæ Bohemiæ Princeps Ligius, Sacræ Cæsareæ Majestatis Consiliarius, atque Supremus superioris, & inferioris Silesiæ Capitaneus, Præsidens in Synodo.

Reverendissimus D. Adamus, Episcopus Nicopolitanus, & Suffraganeus Wratislavien.

EX CAPITULO CATHEDRALIS Ecclesiæ Wratislaviensis.

Reverendi Domini

Joannes Sitsch, Præpositus.

Adam Landeck, Decanus.

Pau-

Paulus Albertus, S. Th. Doctor; Scholasticus.
Christophorus Gerstman, Custos.
Andreas Bogursky, J. U. Doctor.
Vincentius Salnius.
Balthasar Habicht, Artium liberalium Magister.
Bonaventura Han, J. U. Doctor.
Georgius Schultetus, S. T. Doctor.
Conradus Waibelius, S. T. Doctor, Vicarius in Spiritualibus, & Officialis generalis.
Casparus Hiltprandus, Art. liber. Magister.
Georgius Andreades, S. T. Doctor, Can.

EX DOMINIS ABBATIBUS.

DD.

Hieronymus, *Lubensis.*
Joannes, *S. Vincentii Wratislaviæ.*
Jacobus, *Saganensis.*
Nicolaus, *Heinrichovienſis.*
Antonius, *Camenicensis.*
Casparus, *Grissovienſis.*
Gregorius Stojanus, *Jemelnicensis.*
Laurentius Girlicius, Ablegatus *Michaëlis Waltheri*, Abbatis *Raudensis.*
Prior in *Pratis* ad *Glogoviam Superiorem*, Ordinis *Sancti Pauli*, primi Eremitæ.

COLLEGIATARUM ECCLESIARUM ABLEGATI.

Glogoviæ Majoris.

Georgius Schultet..s, Præpositus.
Martinus Lembusius, Decanus.
Gasparus Sella, Archidiaconus.

Sanctæ Crucis Wratislaviæ.

Adamus Kessel, Artium liberal. Magister.

Nissensis.

Sebastianus Hartman, S. T. Doctor, Præpositus.
Nicolaus Tinczman, Medicinæ Doctor.

Oppolienſis.

Jacobus Zuretius, Decanus.
Joannes Kuna, Archidiaconus.
Joannes Zwick, Custos.

Rathiborienſis.

Petrus Sebisch, Decanus.
Georgius Stephetius, Custos.

Glogoviæ minoris.

Albertus Petricz, Decanus.
Magistri Hospitalis S. Mathiæ, Ablegatus Fr. *Joannes Prussius.*

Cathedralis Ecclesiæ Wratislavienſis Concionator, & ejusdem Ecclesiæ Pœnitentiarius.

Falckenbergenſis.

Andreas Rosnecky, Præpositus.

PRÆPOSITI MONASTERIORUM.

Frat. *Wenceslaus*, Præpositus Rosenbergenſis.
Fr. *Joannes Fuchs*, Præpositus Zottenſis.
Fr. *Franciscus Welle*, Præpositus in Seitsch.
Fr. *Georgius Faber*, Præpositus in Novo Castro.

PRIORES, & FRATRES.

Fr. *Martinus Opicz*, Prior ex Conventu *S. Vincentii Wratislaviæ.*
Fr. *Albertus*, Concionator Rosenbergenſ.
Fr. *Mathias Bittner*, Senior Conventus Saganenſis.
Fr. *Balthasar Rothentorn*, Prior ad Divam Virginem in *Arena Wratislaviæ.*
Fr. *Paulus Soravienſis*, Prior Conventus *Sancti Adalberti Wratislaviæ*, Ordinis Prædicatorum.
Fr. *Dominicus Wansovita*, Prior Conventus *Suidnicenſis S. Crucis*, Ordinis Prædicatorum.
Fr. *Blasius Gedanenſis*, Prior Ordinis Prædicatorum ad *St. Petrum & Paulum Glogoviæ majoris.*

PRÆCENTORES.

Zacharias Felckel, *Sanctæ Crucis Superioris Wratislaviæ.*
Albertus Molitorius, *Sanctæ Crucis in Crypta Wratislaviæ.*

ARCHI PRESBYTERI, SEU DECANI RURALES.

Ex Wratislavienſi Archi-Diaconatu.

Melchior Jentsch, Parochus ad *S. Mauritium.*
Casparus Schoresius, Parochus *Grotkovienſis.*
M. Christophorus Lachmit, Parochus *Cantensis.*
Jacobus Arienus, Parochus *in Czirkowicz.*
Albertus Tricesius, *Richtalenſis.*
Stanislaus Podolsky, *Ostrossovienſis.*

Ex Archi-Diaconatu Glogoviæ majoris.

Mathias Heinicius, loco Parochi in *Hoenkirch.*
Georgius Weigel, Parochus in *Preichaw.*

Ex Archi-Diaconatu Legnicenſi.

M. *Laurentius Joniſcher*, Virginum in *Lubenthal* Pœnitentiarius.
Mathias Renner, Parochus in *Olbersdorff.*

Ex Archi-Diaconatu Oppolienſi.

Ex Sede Roſenbergenſi Vitus Bædeſto, Parochus in *Dobrudczin.*
Ex Sede Strelcenſi Clemens a Stock, Parochus in *Groſſowicz.*
Ex Sede Tboſtenſi Joannes Prziſſowsky, Parochus *in Tboſt.*
Ex Sede Gleywicenſi Joannes Servacius, Parochus ibidem.
Mathias Mazureck, Parochus in *Petri Villa*, Senior.
Ex Sede Zarenſi, & Wladislavienſi Joannes a Ploſta, Parochus in *Jadlownick.*
Ex Sede Ratbiborienſi Georgius Richtineck, Parochus in *Lyscky.*
Valentinus Sartoris, Senior.

Ex Sede Ugesdenſi Petrus Cervus, Parochus *Lesnicenſis.*
Ex Sede Coslenſi Caſparus Leſſius, Parochus ibidem.
Stanislaus Wartman, Parochus in *Koſtenthaal*, Senior.
Ex Sede Glogoviæ minoris Sebaſtianus Rudolphi, Parochus *Schönovienſis.*
Ex Sede Cilicenſi loco *Jacobi Rudolphi Vincentius Matthæi*, Canonicus *Ratbiborienſis.*
Adamus Charinus, Parochus *Cilicenſis* Senior.
Ex Sede Falckenbergenſi Petrus Zmarcky, Vicarius *Falckenbergenſis.*

Præter ſupraſcriptos Prælatos, & Sacerdotes, in dignitatibus, & officiis conſtitutos, ex Religioſis Fratribus, Eccleſiarum Vicariis, Altariſtis, & Parochis Villarum, magnus adfuit numerus, quorum Nomina recenſere ſupervacaneum videretur.

CONSTITUTIONES SYNODI DIOECESANÆ.

DE FIDE, ET RELIGIONE CATHOLICA.

De Profeſſione Fidei.

CAPUT I.

QUi Sacras ædes, Theatra, privatasque domos magnifici alicujus operis erigere, & ſtructurarum, ſuique Nominis perpetuitati, ac memoriæ inſervire volunt, in fundamentum primo cogitationes, & labores convertunt: idque ut omni ſtudio firment, & ſtabiliant; circulos, aliasque ex Geometrica diſciplina convenientes figuras mutuati, ad earum normam, & artificis certam delineationem, ſolum aut ante firmum occupare, aut fragile ſaxis, aliaque materia accommodata firmare conſueverunt. Fruſtra enim duraturæ molis, & ædificiorum conſtantiam ſibi pollicerentur; niſi fundamenti immobilis certitudo omnes reliquas ſtructuræ partes ad operis uſquè abſolutionem, humeris velut in ſeſe reciperet, & ſuſtulciret. Cum igitur omnes, qui Chriſti Eccleſiæ inſerti, ejus profeſſioni nomen ſuum vere dederunt, magnam animo moliantur felicitatis perpetuæ ſtructuram, quæ in omnem æternitatem duratura ſit; a fundamento, quod eſt FIDES CHRISTIANA, & CATHOLICA, ſine qua impoſſibile eſt placere Deo, ad imitationem Sanctorum Patrum, in hac Synodo noſtra exordium ſumendum erit: ut hoc idoneo, & infallibili fundamento poſito, reliqua omnia facilius ſuperſtrui, & ſine ullo ruinæ metu firmius, certiusque ſtabiliri poſſint. Etſi autem in ea Synodo, quæ Anno M.D.LXXX. (*) ab Illuſtriſſimo Principe, ac Reverendiſſimo Domino MARTINO, Epiſcopo Wratislavienſe, proximo Anteceſſore noſtro, piæ, & felicis memoriæ celebrata eſt, omnes, qui interfuerunt Synodo, Fidei Catholicæ Profeſſionem ſecundum Bullam, ſive Præſcriptum

PII

(*) Vide Synodum hanc Tomo VII. præcedente, a pag. 873.

Digitized by Google

PII QUARTI Pontificis Maximi, ſolenniter præſtiterunt; quia tamen ab eo tempore non pauci Prælati, Canonici, & alii Beneficiati in Domini ſortem vocati acceſſerunt, eos fidei Profeſſionem facere, & quæ corde credunt, tum aliis gravibus de cauſis, tum ut omnes intelligant, perpetuam eſſe debere in Eccleſia Dei concordiam, unanimitatem, & conſenſum, Nobis præeuntibus, ore idem profiteri, & alios etiam repetere, in hac Synodo, ſicut paulo ante dictum eſt, æquum cenſuimus. Quoniam autem non ſufficit, ut Eccleſiaſtici, quorum exiguus numerus eſt, ſoli credant, aut ſoli officii ac muneris ſui admoneantur; ſed ad Dei Optimi Maximi gloriam, ad Catholicæ Religionis propagationem, & ad Chriſtianæ Reipublicæ utilitatem pertinet; ut in hac fide Catholica omnes, qui Chriſti Eccleſiæ inſerti ſunt, illique nomen dederunt, inſtruantur; ſequentes *Articulos*, ſeu *Conſtitutiones*, in *Synodo* conſcriptas, ſalvis tamen prioribus Decretis, tam Diœceſanæ, quam Provincialium Synodorum, ac reliquis Ss. Eccleſiæ Catholicæ, inprimis vero Oecumenici, & Ss. *Concilii Tridentini* Præceptis, Sanctionibus, & Ordinationibus, ubi a Ss. Sede Apoſtolica juſtiſſimæ cenſuræ trutina examinatæ, & approbatæ fuerint, imprimi, & publicari curabimus, ut ad omnium æque notitiam perducantur. Omnes igitur Chriſtianos, & præcipue Ordinis Eccleſiaſtici Viros, ſicuti Catholicam Religionem profiteri, & pro illa etiam laudabili Sanctorum Martyrum exemplo vitam, & ſanguinem profundere paratos eſſe decet; ita Salvatoris noſtri Præceptis, qui pollicitus eſt, coram Patre ſuo eos ſeſe agniturum, qui in hoc mundo ipſum confeſſi eſſent, & Sacroſancto *Concilio Tridentino Seſſ. XXIV. Cap. XII. de Reformatione*, adducti ſtatuimus, ut in poſterum nemo ad quamcunque Prælaturam, Canonicatum tam in Cathedrali, quam Collegiatis Eccleſiis, ad Parochiam Manſionariam, vel Vicariam, vel ad munus concionandi, priusquam ſolennem Fidei Profeſſionem fecerit, ullo modo admittatur. Et quoniam experientia conſtat, tenella puerorum ingenia, quidquid in puerili ætate imbibunt, tenaciſſime retinere, & ad Præceptorum nutum atque exemplum ſeſe conformare; ſtatuimus, ut Scholarum Rectores, Magiſtri, Baccalaurei, & alii, qui pueros literis Germanice legendis, & ſcribendis, atque in Arithmeticis rationibus inſtituunt, ab Archi-Diaconis, & Viſitatoribus compellantur, quo hanc Fidei Profeſſionem faciant, ut ſecurius, & tutius pueri illorum inſtitutioni concredi poſſint. Inpoſterum etiam ad hujusmodi officia exercenda in Civitatibus non admittantur, niſi fidei Profeſſionem faciant, atque etiam, ſi Ordinario viſum fuerit, ſtipulata manu promittant, ſe nec libros laſcivos, aut ſuſpectos, illis prælecturos, aut quidquam contra Catholicam Fidem unquam docturos. Idem obſervari volumus de Fidei Profeſſione in iis, qui Religionem aliquam ingredi volunt, idque, ut ante annum probationis fiat: cum indignum cenſeamus, ut, qui ad perfectiorem ſtatum aſpirant, de Fide, & Religione veluti dubios ſuos Superiores relinquant. Et hæc quidem Fidei Profeſſio coram Nobis, vel noſtro in Spiritualibus Vicario Generali, flexis genibus, & debito cum reverentiæ honore præſtanda erit.

De forma Profeſſionis Fidei.

CAPUT II.

FOrma autem hujus Profeſſionis nulla alia ſit, quam quæ Bulla, ſive Reſcripto PII QUARTI Pontificis Maximi hiſce, quæ ſequuntur, verbis eſt comprehenſa:

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet:

Credo in unum Deum Patrem omnipotentem, &c.

Nomina eorum, qui Fidei Profeſſionem quovis in loco fecerint, Tituli item Beneficii, ſeu Parochiæ, ſive Eccleſiæ, ad quam quisque promovendus, vel jam promotus ſit, Epiſcopalis Cancellariæ regeſtis peculiaribus inſerantur, nemoque ſine Authentico Profeſſionis Fidei Teſtimonio ad poſ-

ſeſſionem Prælaturæ, Canonicatus, vel Parochiæ Manſionariæ, Vicariæ admittatur.

De Concionatoribus.

CAPUT III.

QUi agris conſerendis occupantur, in ſemine deligendo non poſtremam, imo præcipuam ferme curam habent, quod alias feraciſſimum, & bene excultum ſolum, ob ſeminis imperfectionem ſpem ferentis fruſtratur. Seminis autem perfecte vivacis tantam norunt eſſe vim, & efficaciam, ut terræ etiam qualitate non nihil reſiſtente, ipſa cultura lætis culmis, ac ariſtis proveniat, & enaſcatur, fructu copioſo abunder, & meſſe locupletet. Ut igitur in agro fidei apud populum noſtræ Diœceſis ſimilis fructus exſpectari poſſit: præter Symbolum Fidei, quo Sacroſancta Romana Eccleſia utitur, & præter Articulos omnes in eo contentos, quos populus firmiter credet, vivido & vivifico Verbi Divini ſemine opus erit. Statuimus itaque, ut omnes Prælati, Parochi, & alii, ad quos munus docendi ſpectat, diligenter omnia dogmata Catholicæ Religionis populo ſummo ſtudio, & cura, cum in publicis Concionibus, tum privatim etiam quavis commoda occaſione proponant, & ut quam plurimos Chriſto lucrifaciant, perennem, & ſalutarem operam navent. Fieri enim non poteſt, quin ex aſſidua cultura in cordibus humanis ſeges læta proventura ſit; cui pullulanti, & naſcenti Miſericors Deus rorem Benedictionis aſperget, & fructum æterna beatitudine fœcundabit. Ad hanc rem & cumprimis ad prædicandi officium ſeligantur Viri Catholici, pii, graves, & maxime idonei, qui tam vita, quam doctrina populo præeant, & qui morum integritate, & cognitione Scripturarum Utriusque Teſtamenti, quam maximam in Vinea Domini facere conentur meſſem.

Quid docere debeant Concionatores.

CAPUT IV.

ARticulos de hominis juſtificatione; de Miſſæ Sacrificio: de Sacramentis: de invocatione Sanctorum: de veneratione Reliquiarum, & Imaginum: de Purgatorio: de Indulgentiis, & Votis: & ſi qui ſunt alii, qui a ſceleſtis Neotericis in dubium impie vocantur, Parochi fideliter explicent; quid credendum ſit, doceant, prudenter etiam calumnias diluant Hæreticorum, qui Sacramenta, & Articulos Fidei, & Ceremonias Eccleſiaſticas, & totum denique Cultum Divinum, ac Religionem Catholicam cum alias paſſim, tum præcipue ad imperitam, & nimis credulam multitudinem plebis indeſinenter calumniari non verentur. Dum diebus Dominicis, & aliis diebus Feſtis Evangelica Hiſtoria populo legitur, Parochi, & Concionatores circumſpecte quippiam ex controverſiis pro Auditorum captu explicabunt. Quodſi Parochus ejus eruditionis non ſit, ut dilucide, ac ſolide ejusmodi quæſtiones tractare poſſit: ſatius erit ab ipſo ſimpliciter veritatem, omiſſa diſputatione proponi. Hortetur autem populum ad timorem Domini, ad Religionem Catholicam conſtanter retinendam: vel ſi Catholicus non ſit, ad amplectendam eandem, ad bona opera exercenda, & ad pie vivendum: dehortetur contra ab omni ſcelere, flagitio, atque ab his maxime vitiis, ad quæ peculiariter homines ſuæ Parochiæ ſenſerit propendere.

Ordo quis a Concionatoribus ſit obſervandus?

CAPUT V.

PRædicationis in Eccleſia Dei munus præcipuum, ac perneceſſarium cum magno adminiſtretur fructu, ac utilitate, ſi modo recte, & ex ſincera charitate erga Deum, & proximum, & ſecundum præcepta, & exempla Sanctorum Patrum, qui hæc profitentes, fidei Catholicæ propagatione plurimum Eccleſiæ contulerunt, exerceatur; neceſſarium eſſe duximus, Curatis omnibus, iis præſertim, qui parum moratæ plebis Rectores ſunt, certum modum præſcribere, quo ad utilitatem eorum, quos inſtruunt, ipſorum officium potiſſimum dirigatur. Idcirco ſtatuimus, & ordinamus: ut Paro-

Digitized by Google

Parochi auditoribus ſuis præter Evangeliorum explicationem partes Catechiſmi Romani certis anni temporibus, & hoc quidem ordine, explicandas ſibi ſumant: A die Epiphaniæ ad Quadrageſimam uſque, decem Præcepta Dei: In Quadrageſima de Pœnitentia, & Eucharitiæ Sacramento: Tempore Paſchæ de Baptiſmo, & Confirmatione: Circa Feſtum Pentecoſtes de Oratione Dominica: Poſt Feſtum Trinitatis Symbolum Apoſtolorum. Et ſic unius anni circulo reliquas Catechiſmi partes abſolvant. Expedit etiam, ut doceant plebem Apoſtolicarum Traditionum, & Sacrarum Ceremoniarum ordinem, vim & inſtitutionem: quo religioſius, & majori cum reverentia, omnes pietatis capaces illam excellentem harmoniam penitus cognoſcant, & amplectantur. Indulgentiarum literas in omnibus paſſim Eccleſiis revideri ab ordinariis Viſitatoribus, & ad conſolationem animarum a Parochis, & aliis Concionatoribus certo tempore, quod ex circumſpecto Viſitatorum arbitrio conſtituetur, ex Cathedra publicari, & promulgari jubemus. In genere autem ex Sacroſancti Concilii Tridentini Decretis ſtatuimus, ut nemo, Nobis contradicentibus, prædicare præſumat.

De Concionatoribus Regularium.

CAPUT VI.

IDem quoque obſervandum eſt quoad Regulares ex Decreto Concilii Tridentini, quo etiam cautum eſt, ut nullus Regularis Canonicus, aut Monachus, cujuscunque ordinis, prædicare præſumat, ne in ſuis quidem Eccleſiis, niſi Superiorum ſuorum licentia, & morum, vitæ, & ſcientiæ examen, & approbatio præcedat. Quâ in re longe utilis adhibenda erit cautio, ut eorum quilibet ejusmodi conſenſus apud Nos fidem faciat, & benedictionem petat. In aliis autem Eccleſiis, quæ Ordinum non ſunt, præter conceſſionem ſuorum Superiorum, eamque recentem, & legitimam, ſine licentia noſtra nullo modo poſſunt prædicare. Monachi autem errones, qui, nomine ſolum Regulares, extra clauſtra, & obedientiam Religionum ſuarum hinc inde oberrant, & divagantur: Presbyteri item ejus conditionis ſæculares (niſi ſint Nobis noti) ne in Civitate, vel Diœceſi conciones faciant, ſunt prohibendi. Ne Parochi, aut Concionatores ſedulitatis, & laboris jacturam faciant, ſuoque munere ſine fructu fungantur, quod fit, ſi plebs a Sacris, & concionibus abſit: Præfectis, & Magiſtratui in omnibus Ditionibus noſtris ſerio injungimus, ut tempore Concionum & Divinorum Officiorum, otioſam, & bibulam turbam a tabernis, a foro, & plateis abigant, & ut concionibus, & Divinis Officiis interſint, niſi legitimis cauſis impediantur, diligentiſſime hortentur, vel potius authoritate ſua omnino curent.

Hortamur autem omnes alios, cujuscunque ordinis, vel ſtatus fuerint, ut in locis, & Dominiis ſibi ſubjectis idem fieri curent. Id cum Chriſtianæ pietati convenientiſſimum ſit, omnino futurum, Nobis plane perſuaſum habemus.

A quibus Concionatores abſtinere debeant.

CAPUT VII.

CUm homo omnis ad humanitatem, & bene dicendum natus ſit potius, quam ad infigendum mordacis linguæ aculeum, aut ad inſpergendam factis alienis labem; id præ cæteris Concionatores Religioſi, & ſæculares meminiſſe debent: quos ſerio monemus, ut in ſuggeſtu a ſcommatibus, maledictis, & convitiis omnino abſtineant. In confeſſo eſt enim, ſi ſemel, atque iterum ejusmodi dicteriis aſperiorem infixerint morſum; vulnus aut difficillime perſanari, aut, ſi ſanetur, cicatricoſum nihilominus relinqui locum, quod in publico convitia paſſi exacerbatiores magis ac magis reddantur, eosque odio habeant, quos veluti Patres, & ſalutis aſſertores, alias venerati fuiſſent. In quæſtionibus controverſis ſi mentio pro concione fiat, moderata linguæ temperies adhibenda, & cavendum eſt, ne temere convitia jactent, ſed ſalva Catholicæ

unitatis veritate charitatem, & benevolentiam erga omnes præ ſe ferant. In reprehendendis criminibus gravitatem adhibeant, & prudentem aliquam vehementiam, iracundiæ omnis expertem, & vitia quidem redarguant ſolum, neminem autem unquam nominatim perſtringant, nec ullo ſignorum genere detegant: nullum ordinem, ſtatum, aut tribum aſperius appellent, multo minus aperte & nominatim vel Eccleſiaſticum, vel Civilem Magiſtratum reprehendant. Nocturno tempore nemini liceat concionari, nec, dum die habetur Concio, in eadem Eccleſia clara, vel ſubmiſſa voce Miſſæ legentur, vel Horæ Canonicæ decantentur, nec Baptiſmi Sacramentum eadem hora, niſi neceſſitate aliud exigente, adminiſtretur, vel quidquam aliud agatur, quod Concionatorem ipſum, vel Auditores turbare poſſit.

Si Concionator errores aut ſcandala in populum diſſeminare deprehendatur, aut alius Sæcularis, vel Regularis, contradicentibus Nobis, prædicare præſumat, iis ſine mora conciones interdici mandamus.

Quales Libros Parochi habere debeant?

CAPUT VIII.

UT Rectores Eccleſiarum ſecundum ſanam Scripturæ intelligentiam Verbum Dei annuntient, librorum vere Catholicorum honeſta ſupellectili inſtructos eſſe eos oportet: Statuimus igitur, & mandamus, ut omnes Parochi præter *Sacra Biblia* unam, & alteram Poſtillam Catholici Scriptoris, qualis eſt *Thomæ Stapletonii*, *Ludovici Granatenſis*, *Jacobi Feuchtii* &c. &c. *Catechiſmum* item *Concilii Tridentini*, *Summam Sylveſtrinam Franciſci de Victoria*: *Doctoris Navarræ Rationale Divinorum Officiorum*. *Directorium audiendi confeſſiones Polanci*; & Authorem præterea approbatum, qui fidei tractet controverſias, ſibi comparent: neque alicui Parochiam credi volumus, qui aliquos ſaltem prædictorum librorum non habeat. Curæ autem erit Nobis, ut apud Bibliopolas Niſſenſes tales libri venales reperiantur: ne apud Parochos ob penuriam exemplorum excuſationi ulli ſuperſit locus. Parochi villarum, qui legitimo impedimento tempore pomeridiano Chriſtianam doctrinam, & Catechiſmum juventutem docere non poſſunt, ante concionem Orationem Dominicam, & Salutationem Angelicam: poſt concionem Symbolum Apoſtolorum, alio vero tempore Præcepta Decalogi, quinque Præcepta Eccleſiæ articulata voce recitent, & juventus præeuntem imitetur, & paulatim addiſcat.

De Proclamationibus poſt Concionem.

CAPUT IX.

INdecorum, quinimo ineptum eſt, Sacra profanis miſceri. Huic, ut ſalubri occurratur remedio, Statuto noſtro expreſſe, & ſerio cavemus, ne proclamationes fiant in templis quarumvis rerum, quæ ad ſæcularem magis negotiationem quandam, quam ad Eccleſiam pertineant: ut ſunt: venditiones domorum, agrorum, & ejus generis etiam leviorum.

De Lectionibus Sacris.

CAPUT X.

COnſueverunt Medici peritiores in periculoſis, & acutis morbis omni cura variarum medicinarum compoſitiones, ex artis ſuæ penetralibus deſumptas, in promptu habere, ut contumacium morborum lethalem vim frangant, uſu medicinæ præſtantis arceant, aut corpus jam ægrum reſtituant ſanitati. Id in hæreſum quoque morbis, ubi cum corpore anima in periculo verſatur, faciendum eſſe, Ss. Concilium Tridentinum cenſuit: cujus Decretis inſiſtentes ſtatuimus, ut a Parochis quidem ubique pro concione Evangelium explicetur, Fides Catholica doceatur; apud Eccleſiam vero Cathedralem, tanquam in loco ob majorem frequentiam Prælatorum, Canonicorum, aliorumque Sacerdotum magis celebri & honorato, ſingulis ſeptimanis bis, vel ſemel ad minus legatur Lectio Theologica, qua contro-

verſi

verſi articuli hujus temporis explicentur, & Adverſariorum argumenta, Catholicorum dogmata impugnantia refutentur, & velut antidotus præſentiſſima veneno ſectariorum opponatur. Hora lectionis ea præfigatur, quæ Vicariis Manſionariis, & reliquis Sacerdotibus, & Clericis in pſallendis Horis Canonicis, & Cultui Divino in Eccleſia, nullum afferat impedimentum.

In Schola Civitatis noſtræ Niſſenſis, ubi propter Seminarium Clericorum, & Pædagogium Nobilium ſæcularium major eſt Scholaſticorum numerus, & frequentia: præter Lectiones controverſiarum, caſuum etiam conſcientiæ Lectio bis vel ter in ſeptimana ſecundum captum auditorum adjiciatur.

Abbates Wratislaviæ commorantes, Fratres ſuos, qui nec in Seminario noſtro Niſſæ, nec in aliqua Academia ſtudent, ad Lectiones in Inſula Wratislavienſi audiendas mittant. De reliquo omnes Abbates juxta antiquas conſuetudines, & Statuta Provincialia, & *Concilii Tridentini Decretum*, in ſuis Monaſteriis, & Conventibus Magiſtrum Theologiæ, qui Sacram Scripturam interpretetur, alant, ut ſuo tempore ex ipſorum gremio idonei ad Monaſteria gubernanda, aut Eccleſias Parochiales regendas inveniantur.

Sed & Catechiſmum Parochi, maxime in populoſis oppidis, & locis, vel mane, vel a prandio doceant: vel certe advigilent, ut Ludimagiſtri, & Pædagogi in Scholis pueris fidei Rudimenta ſedulo inculcent.

De Libris.

CAPUT X.

CElebrium Rerumpublicarum Hiſtorici præter cætera laudabiliter conſtituta, hoc non in poſtrema poſuerunt laude, quod ſcurriles libros ob dicacitatem & ingenii virulentiam urbe ſua interdixerint; ne illorum lectione caſtis, & honeſtis civium moribus aliquid venenatæ mordacitatis inſtillaretur. Eandem enim cautionem adhibendam in moribus, & vita cenſebant, quam peſtis contagioſa lue ſæviente, alii naturæ ductu ad conſervationem ſui adhibere conſueverunt: cujus ut ſævitiam effugiant, antidotis ex variis terra naſcentibus utuntur, & fructus, odores, liquores, peſti ſpecifica vi adverſantes, ab extremis Indis petunt; inprimis vero cavent, ne in loco infecto commorentur, cum ex aëris contagioſi attactu nihil niſi certum veneni periculum, & mors ob oculos verſetur. Hanc induſtriam Nos quoque imitari æquum eſt, ut & morum honeſtatem, vitæque integritatem, populo Chriſtiano dignam, in Diœceſi noſtra conſervemus: arceamus autem potiſſimum ea hæreticorum librorum venena, ex maledici, & blaſphemi profecta ſpiritus ſuggeſtione, quæ peſte eo nocentiora ſunt, quo magis præcipuam humanæ eſſentiæ partem, animam videlicet, invadunt, ac æternæ damnationi, & cruciatibus obnoxiam reddunt. Remedium autem vix ullum efficacius reperitur, niſi ut infeliciſſimæ hujus infectionis occaſio evitetur: quod fiet, ſi Concionatores, & Parochi ſedulo invigilaverint, ut hæreticorum libri improbatæ lectionis extirpentur: ſicut Nos vigore hujus Conſtitutionis ſerio omnibus mandamus, inprimis vero Clericis, qui populum docent, ne libros ejusmodi apud ſe retineant, aut alios ſuæ commiſſos fidei habere patiantur: neque illos libros internoſcere difficile erit, cum jam pridem in certum catalogum relati, & a Patribus *St. Concilii Tridentini*, ac a Pontificibus Maximis damnati fuerint; quod Ss. Sedes Apoſtolica videret, omnes lucubrationes, ex Hæreticorum prodeuntes officina, perennes eſſe fontes, qui perpetuum ſcaturiunt virus, & inſtar aconiti ſuccum proferunt lethalem. Hujus præcavendi cauſa iterum mandamus, ne Prælati, & Curati ullo modo in locis eorum jurisdictioni ſubjectis, eos importari, aut publice vendi, aut quovis modo in fidelium manus devenire patiantur. Qui monitis obſecundare noluerint, ii Commiſſariis, & Officialibus denuntientur, ut contumaci licentiæ huic opportunum frænum injiciatur. Et ne ignorantiæ ſit excuſatio, operæ pretium erit, catalogum

Digitized by Google

logum librorum prohibitorum ſingulis annis Niſſæ in convocatione Parochorum poſt Ss. Paſchæ feſtivitatem; per Archidiaconos vero Archipresbyteris, & per hos reliquis ſubjectis Parochis in ſuis congregationibus, quas certis anni temporibus habere tenentur, publicari. Nemo etiam Curatorum propria authoritate ad ejusmodi librorum lectionem accedat, ſitque memor graviſſimarum Conſtitutionum, quæ a JULIO TERTIO, & a PAULO QUARTO, aliisque Romanis Pontificibus, ſel. rec. hac de re editæ ſunt. Quod ſi quis damnatæ illius lectionis libros aliquos ſcienter apud ſe retinuerit: intra octodecim dies a fine hujus Synodi, ſub pœna & mulcta arbitraria Viſitatoribus ordinariis tradi volumus.

De Parochis.

CAPUT XII.

QUi in civilibus vitæ humanæ actionibus, muniisque gubernandis prudentiam conſultricem adhibent, eo reſpiciunt maxime, ut rebus gerendis dignos, & idoneos præficiant; rati hoc valde opportunum felicis ſucceſſus medium eſſe, & imperitos, parvique judicii homines plus ſæpius detrimenti, quam commodi publicæ rei afferre.

Id in Eccleſiæ negotiis ſimiliter ut obſervetur, cum magna æquitate, ac uſu maximo conjunctum cenſemus. Sicuti igitur in tota paſſim Diœceſi exactiſſimum habere delectum volumus, dum animarum cura ſæcularibus Sacerdotibus credenda eſt, ut præſtantiorum, potiorumque habeatur ratio; ita ſimiliter in Monaſteriorum Parochiis hanc deſiderari circumſpectionem novimus; ideoque ex *Ss. Concilii Tridentini* præſcripto ſancimus, ut occurrente vacatione Parochialium, quæ juris Patronatus Abbatiarum, aut alias Eccleſiaſtici fuerint, ſervetur ad unguem, quod ſalubriter conſtituit idem Concilium Tridentinum *C. XVIII. Seſſ. XXIV.* Verſ. *Si vero juris Patronatus*: In Beneficiis autem curatis, unitis Abbatiis, aut aliis Regularium Monaſteriis, ſervetur Decretum ipſius Concilii *C. VII. Seſſ. VII.* atque *Conſtitutio PII V.* ſel. rec. *de Vicariis perpetuis.* Si vero ipſismet Monaſteriis, aut domibus Regularium cura animarum immineat, obſervandum utique eſſe, quod habetur Decreto *Cap. XI. Seſſ. XXV. de Regularib.* Nulli autem Parocho, vel Rectori Eccleſiæ admiſſo, & approbato, ſuam Parochiam, Beneficium, Eccleſiam ſine licentia noſtra expreſſa deſerere, & alio migrare liceat. Monachi vero, vel Regulares, cujuscunque ſint ordinis, aut ſtatus, rejecti a ſuis Abbatibus, Superioribus, vel Prælatis, Paræcias ſub aliis non obtineant, niſi cauſam dimiſſionis in ſcriptis legitimam probent. Meminerint autem Abbates, ne Fratres ſuos jam Profeſſos, licet inobedientes, aut etiam rebelles, ex Monaſteriis ita dimittant, ut neglectis votis, ſæcularium vivendi morem ſibi aſſumere auſint: ſed juxta Ordinis ſui Regulam digna animadverſione in viam revocent, vel contumaces, addito vitæ, ac morum vero teſtimonio, ad aliud Monaſterium Ordinis ejusdem dimittant.

Eam ſi habet negotiorum multitudo peculiarem veluti vim in plerisque humanis rebus; ut varietas, & copia accuratam, quæ alias adhiberi poterat, diligentiam excludat, aut torpidiorem reddat; multo magis in Eccleſiaſticis muniis id uſu venire certo conſtat. Bene igitur cum Eccleſiis agi arbitramur, ſi unica ab unico Rectore, curam animarum habente, pie, fideliter, & ſufficienter gubernetur. Occaſio alicujus incommodi ut evitetur; volumus, ut nemo plures Eccleſias Parochiales etiam juris Patronatus obtinere poſſit, quamvis earum fructus valde tenues exiſtant, niſi a Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuerit: cum multitudo ſegniora efficiat officia, & neceſſum ſit, quosdam ſubditos aliquot Dominicis diebus prædicatione Verbi Dei, & Ss. Miſſæ Sacrificio, & Sacramentorum adminiſtratione negligi, & defraudari.

De

Digitized by Google

De Archi-Diaconis, & quod præcipuum eorum in Viſitatione officium eſſe debeat?

CAPUT XIII.

BOni Paſtores præter eam, quam adhibent curam, ne oviculæ paſcuis commodis, ac pabulo ſufficienti deſtituantur, ſylvarum quoque latebras indagare, & perſcrutari ſoliti ſunt, an lupus aliquis in inſidiis ibidem lateat, qui prædæ cauſa gregem invadere, & oves rabido dentium morſu dilaniare poſſit; cognita enim luporum vicinitate Paſtores diligentius excubias agunt, canum cuſtodias adhibent, & malum a grege arcent, & avertunt. Parem ſedulitatem, imo accuratiorem ab animarum Paſtoribus requiri, & Salvatoris noſtri admonitio, & ipſa ratio docet. Idcirco ſtatuimus, ut Archidiaconi in ſuo quisque Archidiaconatu, Parochos Catholicos & obedientes non ſolum viſitet, lepram a non lepra dijudicet, & Chriſti, ejusque Eccleſiæ Catholicæ inſertas oves a ſectariis ſecernat, & tueatur; verum etiam lupis illis pro viribus omnem in gregem Dominicum irruendi præcludat vigilanti oculo commoditatem. Opportunum erit hac de cauſa, Archidiaconatuum Eccleſias, & Paræcias annotare, quæ & quo tempore a Fidei Catholicæ unitate deſciverint, cujus jurisdictioni in temporalibus ſubjecti ſint, quam ſectam Lutherine, Calvini, aut Schwenckfeldii &c. &c. amplectantur. Ad hæc an Parochiani omnes ea ſectariorum lue, & luporum morſibus infecti ſint: an aliquibus peſtiferum vulnus perſanari, & ex famelicis faucibus beſtiarum eripi poſſint. Ita enim jacula prævisa minus ferient, & notæ Sectariorum latebræ minus extimeſcendæ erunt: quin contra, circumſtantiæ certa conſignatione exhibitæ, ad defendendum, tuendum, & augendum ovile, magnum adjumentum præbebunt.

De Scholis.

CAPUT XIV.

JUlianus Imperator, magnus ille apoſtata, & acerrimus Chriſtianorum perſecutor, omnem Chriſti doctrinam radicitus evellere, & extirpare volens, callidiſſimum reperit inventum; & in toto Romano Imperio Chriſtianis Scholas interdixit. Animadvertit aſtutus veterator, fruſtra adultiores, & conſtantis ætatis homines dogmate imbutos eſſe, ſi juventutis inſtitutio tolleretur. Quo enim fundamento niti debebat Religio, ſi illud diruceret, brevi temporis ſpatio, maximam doctrinæ Chriſtianæ jacturam in Chriſtiano populo futuram, argutis oculis proſpiciebat. Neque res humanæ rationis calculo, ſucceſſu fuiſſet deſtituta; niſi idem apoſtata Julianus, qui ex Perſico rediturus bello, funera crudeliter voverat Chriſtianis, & excidium minatus erat; in conflictu ſagitta lethaliter vulneratus, cœlos aſpiciens, & impiis his verbis: *Viciſti Galilæe*, ſermonem ad Chriſtum convertens, crudelem animam efflaſſet. Evidentiſſima igitur Scholarum neceſſitas, vel Nobis tacentibus ſuadet: idque etiam hac Conſtitutione ſancimus, ut tanti ædificii tam in Eccleſiaſtica, quam Politica Republica fundamentum primum ubivis conſervetur, & opportunus ad id in civitatibus, oppidis, & pagis etiam majoribus, ubi prius non ſit, eligatur locus, & hæc prior adhibeatur cura; ſecundaria, ut in Scholis habeantur Præceptores Catholici, probatæ vitæ, ætatis juſtæ, eruditionis, ut locus & officium exiget, ſufficientis. Hique cum ad id muneris eliguntur, fidei Profeſſionem juxta Conſtitutionem Sanctæ mem. Pii Vti, & Decretum a Nobis ſuperius editum, emittant: Iis mandamus ſerio, ut unum, eundemque Catechiſmum Petri Caniſii prælegant, cum variis Authorum Catechiſmis ingenia puerorum confundantur. Univerſim Scriptoribus Catholicis ſolummodo locum in Scholis concedimus, ſuſpectos autem omnes plane proſcribimus, & perpetuo exilio mulctamus. Nam ut Theologica omittantur, plerumque etiam Grammatici, Dialectici, & Rhetorici libri, a Sectariis vario errorum cumulo contaminati in lucem prodeunt, unde infectionis periculum imminet juventuti: Superiorum inſpectio, a quorum voluntate in aſſignandis prælectionibus, & Authoribus probatis,

Præceptores nunquam recedent; huic malo occurret, & ſalutarem manum adhibebit. In Germanicis Scholis idem Catechiſmus germanice proponendus, & explicandus eſt.

Porro Præceptores diebus Feſtis, & maxime Dominicis, hora aliqua conveniente Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Decalogum, Præcepta Eccleſiæ, & alia, quæ in Catechiſmo continentur, pro captu, & ingenio puerorum pueris, qui literas non didicerunt, explicent. Atque huic negotio in oppidis, & pagis Paſtores, ac Sacellani, aut Clerici, Scribæ, aut alii ad hoc idonei incumbant. Prælati Eccleſiarum tam Cathedralis, quam Collegiatarum, & Monaſteriorum, ſubditorum ſuorum filios ad Scholas Hæreticorum mitti ſerio prohibeant, eosque potius Catholicis Præceptoribus inſtruendos mandent tradi. Plurimi inopes, cum numeroſa prole abundent, quorum indoles magnum in literis progreſſum pollicetur, ac paupertas parentum, quo minus ad frugem perveniant, & emergant, filiis obſtaculo ſit: hortamur omnes Eccleſiaſtici ordinis Viros, alioſque ex bonis Eccleſiaſticis viventes, ut ipſi in tanta neceſſitate Eccleſiæ, & Religionis Catholicæ juvandæ commoditate, promptos, hilares, ac liberales ſe præbeant, & pauperum, & vilioris conditionis hominum filios in ſtudiis liberaliter juvent. In primis ferme Rudimentis literarum indoles quemque commonſtrabit, an ad graviores diſciplinas idoneus videatur. Si ad altiora aſpirantes in mediis ſubſiſtent, vel id non infrugiferum erit. Viſitatores cum alias viſitant, Scholas non prætergrediantur: idem faciant ſæpius, quibus ex officio id peculiariter incumbit.

De Librariis.

CAPUT XV.

NOn liceat cuivis, de rebus Fidei & morum, ad ædificationem doctrinæ pertinentium, quidlibet ulla ratione ſcribere, vel imprimere, vel impreſſos libros divendere, aut apud ſe retinere, aut ſcripta etiam communicare, ſine Superiorum Eccleſiaſticorum licentia, & examine, ac noſtra approbatione (quæ in fronte, vel fine libri ſcripti, vel impreſſi apponenda eſt) ſub pœna anathematis, ac arbitraria pecuniæ, & amiſſionis librorum. Similiter nec Librariis, Bibliopolis, & Typographis conceſſum ſit, in noſtras Ditiones ullos Sectariorum libros importare, advehere, & ibidem exponere venales. Quocirca vetuſtiorum Provincialium Synodorum exemplo ſtatuimus, ut ſingulis annis ab iis, quibus munus viſitandi incumbit, vel quibus Nos hoc committimus, Bibliopolarum libri venum expoſiti viſitentur. Quilibet autem Parochus apud ſuæ Parochiæ Patresfamilias caute inquirat, an libros hæreticos in ſuis domibus habeant, & ſi quos deprehenderit, Viſitatoribus, vel Nobis ſignificet.

Ne in locis, jurisdictioni Eccleſiaſticorum ſubjectis, diſſenſionis, & perfidiæ ſpiritus diſſeminetur, injungent omnes ſuis Præfectis, ut quoad ejus fieri poteſt, neminem jus Civitatis acquirere, aut in Senatum cooptare ſinant, aut ad officia honoratiora admittant, qui non prius, ſe Eccleſiæ obtemperaturum, receperit.

DE CULTU DIVINO, ET ECCLESIIS.

CAPUT I.

CUm omne illud, quod in Templis manufactis agitur, totum in nobis ſpirituali reædificatione compleatur: ipſaque Domus Dei in terris conſtituatur, ut in ea fidelium ſuorum exaudiat preces, viſitet animum, excitet affectum, ſuæ gratiæ ſurroget auxilium, & Nominis conſervet cultum; merito ſane ejusmodi locorum dignitatem, & reverentiam pro viribus tuemur. Et quoniam compertum eſt, non raro Eccleſias ſine Anteceſſorum noſtrorum licentia, ac ſine ulla dote ædificatas eſſe, quæ ſartæ tectæ conſervari, & pro decore Domus Dei exornari nequeunt; Statuimus, ut nulla Eccleſia de novo inpoſterum a quocunque, quan-

quantumvis pio ducatur zelo, absque permissione nostra, exstruatur. Cum vero ex nostra licentia constituenda fuerit, fidelium in hac Diœcesi auctior numerus, & insignis, ac manifesta utilitas novam erigi Ecclesiam veluti cogeret; ad hanc situs decens, honestus, & populi capax deligendus erit, ab aliis ædibus tantum distans, ut commodo circumiri spatio possit: Altare vero majus Orientem versus in ea constituatur. Ante dotis vero assignationem sufficientem, ullum construi Templum prohibemus: quia enim ad rem Divinam faciendam, & cultum peragendum, conservandam etiam ipsam Ecclesiæ structuram, redditibus opus est; ne, si his careat Ecclesia, postea quam ædificata, & consecrata fuerit, in profanum usum vicissim converteretur. Domicilia nostra maximis sæpe sumptibus exornare, & aeris intemperiem, ac injuriam arcere consuevimus: majorem adhibemus solertiam ad corporis deperditas, aut labascentes vires recuperandas: quanto æquius est, in ædibus Deo constructis, & dedicatis fieri, in quibus pretiosissima salutis nostra pharmaca conficiuntur, ipsa nimirum Sacramenta administrantur, animæ Dei Verbo pascuntur; ut nimirum integræ ab omni detrimento, & injuria conserventur. Et Collegiatas, vel alicujus Monasterii, vel Prælati ruinosas, vel collapsas Ecclesias, Capitula, vel Prælati earum; Parochiales autem instaurentur ex fructibus & proventibus, ad easdem Ecclesias quomodocunque pertinentibus: qui (*) non fuerint sufficientes, omnes Patroni, & alii, qui fructus aliquos ex dictis Ecclesiis provenientes percipiunt, aut in eorum defectum Parochiani opportunis mediis reficere, & restaurare cogantur, quacunque appellatione, exemptione, vel contradictione remota, quemadmodum opportune sancitum est Decreto *Tridentini Concilii Cap. VII. Sess. XXI.* Ab iisdem nundinationes, & mercatus Laicorum arceantur: accessus, in villis præsertim, muniatur, ne brutis animalibus ullus pateat ingressus: & eo tempore, quo Divina celebrantur officia, aut conciones ad populum habentur, deambulationes, nugæ, & risus minime tolerentur, ut Domus DEI domus orationis & videri, & dici vere possit.

Non sine dolore intelleximus, quasdam Ecclesias, & Oratoria publica in profanos usus converti, ita ut in iis deponantur, quæ ejusmodi locum minime decent, utpote ligna, asseres, cementum, grana, arma bellica, &c. Hæc ut deformitas tollatur, ex omnibus Ecclesiis omnino hujusmodi amoveri, aut alias opportune accommodari mandamus, ne Domus Dei suo decore destituatur. Quod si in villis, præter Ecclesiam, nullus reperiatur ad arma bellica asservanda locus, in secretiorem aliquam Ecclesiæ partem, ne in conspectu sint, poterunt reponi. Nemo etiam absque dote idonea, & licentia nostra, Oratorium aliquod publicum constituat.

Ciborium picturis Sacris ejusmodi exornetur, quæ populum doceant, in eo Venerabile Sacramentum Corporis Christi asservari, & quæ ad adorandum incitent. Lychnus olei in lampade, vel candela accendatur, ad minus tempore Divinorum officiorum, si tenuitas proventuum non fert, ut perpetuo ad honorem tanti Sacramenti ardeat.

Curati omnes certum aliquem locum ad confessiones excipiendas in Ecclesiis suis constituant, neque is retro Altare, aut in obscuro aliquo Ecclesiæ angulo existat.

Suggestus pariter, ex quo Conciones ad populum habentur, opportune, & decenter per Vitricos Ecclesiæ, Parocho monente, erigatur.

De Altaribus.

CAPUT II.

CUm plerique Beneficiatorum, piarum obliti fundationum, Altaria sua, ornamenta, sacramque supellectilem vel negligant omnino, vel minus æque curent, minusque instructam, aut

(*) *Supple:* si.

aut ornatam habeant; mandamus, ut intra tres menſes poſt hujus Synodi publicationem, ornamenta ſacra Beneficiati reficiant, & Altaria exornent, prout honeſtas, & loci pietas poſtulaverit: alioquin per alios, Beneficiatorum tamen impenſis, cavebitur ne quid indignum patiatur Domus Domini: in quem uſum & fructus arreſtare licebit. Idem faciendum de domibus Beneficiatorum, ut tempeſtive inſtaurentur, perpetuoque, uſufructuariorum ſumptibus, conſerventur in debito ſuo ſtatu; ſic tamen, ut habeatur ratio proventuum, ne, plusquam par eſt, ſeſe gravari Beneficiati conquerantur.

De ſupellectili Eccleſiarum.

CAPUT III.

PAtresfamilias, civilitatis, & munditiei in re domeſtica ſtudioſi, ſupellectilem etiam mundam amant; nec ſatis cenſent, reliquam domum cœnaculis, & cubiculis exornatam eſſe, niſi mundities in utenſilibus appareat. Non abſimili modo Nos quoque æquum cenſemus, ut in re ſacra adminiſtranda, præter templi ſtructuram, arasque affabre, Sculptoris, & Pictoris, aliorumve Artificum manu præparatas, & devotioni accommodatas, ſupellex quoque Eccleſiæ munda, & nitida ſervetur. Quare in Eccleſia Cathedrali, Collegiatis, & Monaſteriis Sacriſtanis, in Parochialibus vero Parochis curæ erit, ut corporalia, & purificatoria, quæ ubi aliquando ob frequentem communionis uſum immunda fuerint, a Clerico, ſaltem Diacono, laventur, in vaſe ad hoc peculiariter deſtinato; poſtea vero Monialibus dentur, ut purius lavent. Ubi Moniales non ſunt, dentur alicui honeſtæ matronæ; quod ſi vetuſtate attrita fuerint, in cineres concrementur, qui in Sacrario, in locum peculiarem projiciendi erunt. Quæ nova ſubſtituuntur, ea ex puriſſimo, & mundiſſimo linteo fiant, & in medio acu non pingantur.

Monemus omnes, quibus Eccleſiæ commiſſæ ſunt, ut paramenta, & ornamenta omnia, ad Eccleſias ſpectantia, ut ſunt: Cruces, vexilla, thuribula, vaſa aſperſoria, imagines, ſive ſculptiles ſint, vel depictæ, pulvinaria, mappas, ſeu vela, calices, & patenas, manutergia, capſulas, ampullas, corporalia, ſuperpellicea, albas cum ſtolis, manipulis, caſulis, fimbriis amictis, Monſtrantiis, & quibuscunque aliis, ad cultum Divinum, & miniſterium pro Sacerdotibus neceſſariis, recte, munde, & tute conſervent, eademque reficere, & augere ſtudeant. Veſtes Sacerdotales, & ad cultum Divinum benedictæ, in profanos uſus non convertantur; ſed ex antiquis caſulis, dalmaticis, & pluvialibus, pulvinaria, burſæ corporalium, coopertoria librorum, reliquiarum, antipendia, & alia hujusmodi fiant. Et quæ non ſunt conſecrata, conſecrentur adhuc, reparentur vaſtata, & deſtructa, atque diligenter proſpiciatur, ne rodantur per mures, vel per vermes. In Sacriſtiis habeantur ciſtæ, & almaria ad hæc ſufficientia, & munda, & recte diſpoſita. Si aliquid paretur novi, non prius ſacris adhibeatur uſibus, quam ab Epiſcopo, vel ejus Suffraganeo benedictum fuerit. Nullæ imagines, quæ imperitæ plebi ad obſcœna magis, quam ad devotionem, & pietatem incitamentum præbent, in Eccleſiis ſtatuantur. Quæ vero antiquitate videntur eſſe conſumptæ, renoventur; mutilæ autem, & truncatæ, aut reparentur, aut tollantur, neque in Proceſſionibus publicis hujusmodi deformes imagines circumferantur.

Sancta antiquitas organorum concentum, & inſtrumenta muſica in Eccleſiis ad meræ devotionis, & pietatis uſum haberi juſſit; nihil igitur ſæculare, vanum, aut amatorium, organiſtæ atque muſici unquam ſonent, aut cantent.

Cœmiteria, fidelium dormitoria, ne in vanos, & ſeculares convertantur uſus, tuto claudentur; ne quadrupedibus pateat ingreſſus: atque in eorum medio, ubi loci commoditas tulerit, Crux erigatur.

Baptiſteria ſerventur munda, caute clauſa, ac ita parata, ne aqua effluat, habeantque opercula non ſpurca, ſed honeſta, ornata, & aliquo colore depicta.

picta. Rector etiam Ecclesiæ claves ad Baptisterium solus custodiat, & nemini concredat.

Aquam benedictam, quæ singulis annis, adhibitis Oleis Sacris renovanda est, ex Baptisterio nemini dent, vel concedant, postquam Sacrum Chrisma est admixtum; cum notorium sit, homines sæpissime iis ad superstitiones, fascinationes, & maleficia horrenda abuti.

De Sacramento Baptismi.

CAPUT IV.

CUm Ceremoniæ, quæ in Sacramenti Baptismatis administratione adhiberi solent, ab hæreticis rideantur, eamque ob causam nonnulli in baptizandis infantibus easdem prætermittant, aut ad libitum mutent; mandamus omnibus Curatis, & Rectoribus Ecclesiarum Parochialium, ut quando antiquissimos Ecclesiæ ritus in Baptismo parvulorum exhibent, sicuti eos sancte observari volumus, nonnunquam brevem aliquam catechesin de eorum origine, institutione, seu fine, ad susceptores, & astantes faciant, maxime eo loco & tempore, ubi & quando aliquem contemptum & horum rituum, & Latinæ linguæ, in qua peraguntur, oriri posse probabiliter subvererentur. Parochus cum honore & reverentia Baptismum conferat, diligenterque advertat, ut unus tantum Patrinus, vel ad summum unus & una admittatur, qui infantem de fonte levent, inter quos spiritualis cognatio contrahitur, ut *Concilium Tridentinum in Cap. II. Sess. XXIV.* habet. Et quia in hac tota Provincia a multis jam annis usitatum est tam apud Nobiles, quam apud plebeios, ut ad infantum suorum Baptisma quamplurimos invitare soleant: diligenter Parochi scifcitabuntur, quos ex illis pro veris Patrinis habere velint, eosque in librum, quem peculiarem ad hoc habere tenentur, una cum nomine infantis, Patris item & Matris, & certa anni ac diei consignatione annotabunt. Advertent autem, ne Baptismi formam immutent, aliquid addendo, minuendove; eandemque obstetrices, quæ aliquando, dum Sacerdos tanta celeritate adesse non potest, & mora periculo non vacat, infantes baptizant, doceri curent. Quod si infans in necessitatis articulo ante baptizatus, ad Ecclesiam deportaretur, & dubium esset, an obstetrix rectam Baptismi formam observasset, eum nonnisi adjecta conditione baptizent: nimirum: *Si non es baptizatus, ego te baptizo In Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Adhortentur Curati suos Parochianos, ne infantes ad Sacrum Baptismi fontem, & lavacrum deferendos diu detineant; sed quantocitius baptizare curent, nec ullo modo ultra octavam diem Sacramentum, tam ad salutem necessarium, differri patiantur. Præterea Susceptores, seu Patrinos infantis erudiant de ipsorum officio: quod baptizato, tanquam filio spirituali, impendere, & Christianæ Religionis rudimentis fideliter imbuere teneantur. Nec permittant illis ridicula, vel gentilium, & impiorum hominum nomina imponi; sed eorum potius, quorum fidem, & virtutem Christianam in cœlis jam dudum novimus esse remuneratam.

De Confirmatione.

CAPUT V.

QUandoquidem illis, qui a Christo Rege in militiam conscripti, & adversus spirituales nequitias, & tenebrarum potestates, dum vivunt, continuo pugnare coguntur, salutariter provisum est per Confirmationis Sacramentum; quo fortiores, & confirmatiores ad profitendum Nomen Domini JESU CHRISTI efficiantur: illud sane cum devotione amplectendum est. Singulis itaque annis opportunis temporibus, & maxime, si fieri potest, circa Festum Paschæ, & Pentecostes Dominus Suffraganeus ad celebriores, & magis populosas Civitates se conferat, & id Sacramentum administret: per Parochos autem populus de dignitate & præstantia hujus Sacramenti prius erudiatur, quem & ad eam Civitatem certa præscripta die evocare Parochi debent. Quo vero majori cum fructu, & utilitate hoc Sacramentum a fidelibus percipiatur, omnes

Curati adultos admoneant, ut nonniſi poſt peccatorum ſuorum confeſſionem, & ſi placuerit, Euchariſtiæ ſumptionem, ad Confirmationis Sacramentum accedant. Infantes rationis impotes, & qui ad ſeptimum ætatis annum nondum pervenerunt, non confirmentur; niſi rationabilis aliqua cauſa contrarium ſuadet; quod confirmantis prudenti arbitrio relinquitur. Obſervabunt etiam, ne confirmandi absque Suſceptore, vel Patrino compareant, qui dextra ſuſcipiat, confirmandum teneat, offeratque Epiſcopo adminiſtranti hoc Sacramentum. Admonendi etiam ſunt, ex Confirmationis Sacramento inter confirmantem, & confirmatum, illiusque patrem, & matrem, ac tenentem, cognationem ſpiritualem contrahi, & Sacramentum hoc, ſicut Baptiſmum, reiterandum non eſſe.

De Euchariſtia.

CAPUT VI.

CUm Divinum illud, & admirabile Sacræ Euchariſtiæ Sacramentum, panis Angelorum, animarum noſtrarum ſalutare medicamentum, Viaticum ſalutis æternæ, & pretioſum futuræ gloriæ pignus, ſumma cum religione, & cultu adminiſtrari debeat: & a fidelibus participari tanto frequentius, quo majori cum diſpendio animæ illius uſus intermittitur; Idcirco Parochi, omnes laicos homines utriusque ſexus adhortabuntur, ut Sacroſanctam Euchariſtiam, niſi legitimum adſit impedimentum, ad minimum quater in anno, in Paſcha quidem ex præcepto; in Feſtis vero Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatiſſimæ ſemper Virginis Dei Genitricis MARIÆ, & Nativitatis Domini noſtri JESU CHRISTI, ex pia devotione ſumant. Licet autem ab initio Chriſtianæ Religionis aliquando unius, aliquando utriusque ſpeciei uſus fuerit; progreſſu tamen temporis Sancta Mater Eccleſia, gravibus & juſtis cauſis adducta, conſuetudinem ſub altera ſpecie communicandi approbavit, & pro lege habendam decrevit. Quoniam vero ex indulto quodam a felicis record. PIO PAPA QUARTO conceſſo Regno Bohemiæ, cui Provincia hæc & Diœceſis Wratislavienſis incorporata eſt, laicis Calicis uſus ſub certis forma & conditionibus permiſſus fuit; quæ tamen in ejus exhibitione, quantum experimento comperimus, non ſervantur, ſeu a communicantibus implentur: nec plerumque uſus hujusmodi recte aut decenter, ut deberet, a Sacerdotibus adminiſtratur; idcirco Nos Sanctæ Catholicæ, & Apoſtolicæ Eccleſiæ veterem generalem, atque approbatam conſuetudinem, quoad, Domino ſuffragante, poterimus, ſervare, & reſtituere cupientes, Dilectis Nobis in Chriſto Scholarum Rectoribus & Magiſtris, præſentis Decreti tenore præcipimus, & mandamus, ut, quos inſtituunt, vel erudiunt Scholares in Scholis parochialium ecclesiarum, ad unius ſpeciei uſum ſedulo adhortentur, & ſuo, aliorumque exemplo aſſuefaciant, & fideliter de ejus veritate pro captu eorundem informent: & quia parentes, & propinqui Scholarium a Communione unius ſpeciei filios ſubinde retrahere ſolent, Parochus, & Scholæ Magiſter, communicatis conſiliis, cum parentibus, & propinquis agant, eosque diligenter, & benigne admoneant, ne huic ordinationi, quæ inter cætera ad ipſius ſcholaſticæ diſciplinæ conformitatem retinendam plurimum facit, contradicant. Quod tum obtinebunt facilius, ubi illos accurate docuerint, ex fide Catholica eſſe, tantum ſub una, quantum ſub utraque ſpecie contineri, ac ita Sanctam Eccleſiam ſemper credidiſſe. Parochi etiam & Confeſſarii in audiendis confeſſionibus, confitentes, ubi opus erit, de veritate hujus Sacramenti, & legitimo ejus uſu inſtruant, eisque ſedulo inculcent, magis neceſſarium, & tutius eſſe, ut ſe religioſe, & antiquiſſimæ conſuetudini Sanctæ Matris Eccleſiæ accommodent, quam ut paucorum Neotericorum, non recte utentium, exemplum perperam imitentur. Omnes jejuni, parati, ac ab omni prius peccati letifери ſordibus per confeſſionem expiati, ad hoc Sacramentum accedant, admoneanturque univerſi a ſuo quisque Parocho, ut in Sacramenti Euchariſtiæ diſpenſatione aſtantes, genua flectant, atque pio cordis affectu Sanctiſſimum

Digitized by Google

ſimum hoc Sacramentum adorent. Ad infirmos Venerabile Sacramentum, una ad minimum Hoſtia in Ciborio relicta, deportetur debita cum reverentia, luminaribus videlicet accenſis, & ſigno campanulæ adhibito : Sacerdos vero ſtola, & ſuperpelliceo decenter ornatus , inter eundum Pſalmos reciter, moneatque Parochianos ſuos, ut illud devote comitari non intermittant; neque properanter, ſed moderato & gravi incèſſu progrediatur. Et cum Summos Principes advenientes, ſummo honore excipere , & comitatui nos adjungere ſoleamus ; ſummum quoque honorem huic Sanctiſſimo Sacramento, in quo Rex Regum præſens eſt, ut exhibeamus, recta ratio, & Sacri Canones nos docent. Quocirca diligentem operam dabunt omnes ii, ad quos hujus Sacramenti adminiſtratio pertinet, ut in iis Eccleſiis, ubi fieri poteſt, ſub baldachino, ſeu umbella, tam ad ægrotos, quam in Proceſſionibus publicis deferatur. Cubiculum quoque infirmi ab omnibus ſordibus, & inquinamentis purgetur, atque ſacris exornetur imaginibus. Menſa etiam, in qua hoc Sacramentum reponi poſſit, munda, mappa tecta, & luminaribus accenſis ſit parata. In Eccleſiis habeantur vaſcula argentea, in quibus utraque ſpecies tuto, absque effuſione, & corruptione conſervari, & ad infirmos deferri poſſit, maxime in iis locis, ubi utriusque ſpeciei uſus adhuc retinetur. Sacræ Hoſtiæ bis, vel ſemel in menſe renoventur. In eorum vero gratiam, qui ſub utraque ſpecie hoc Sacramentum ſumere contendunt, in frequentioribus communitatibus, utpote Civitatum, & oppidorum, utraque ſpecies aſſervari poterit, & ſæpius renovari. In locis vero ruralibus nonnullorum infirmorum conſuetudini, qui utramque ſpeciem petunt, annuendum eſt, ſi prius Miſſæ Sacrificium Parochus celebraverit: ubi infirmi, ne ad extrema vitæ momenta hujus Sacramenti uſum ſemper differant, a Parochis ſunt admonendi.

De Sacrificio Miſſæ.

CAPUT VII.

UT eorum rationem haberemus, ad quos animæ cura in communitatibus duntaxat agricolarum pertinet, hunc certum ordinem circa Miſſarum Solemnia, diebus Dominicis & Feſtis peragenda, inter ipſos obſervari volumus, eumque maxime ad eorum, quibus præſunt, devotionem accommodatum, quæ multis adminiculis, ut infirmitati & ſimplicitati eorum conſulatur, ſuffulcienda eſt. Poſt tertium campanæ pulſum, & aquæ luſtralis benedictionem, peracto circuitu, in quo publice preces ab Eccleſia de more inſtituuntur; Sacerdos pluviale, quo indutus erat, ante altare deponat, caſulam aſſumat, & Miſſam continuo exordiatur, Schola, vel Miniſtro Eccleſiæ Introitum Miſſæ, *Kyrie eleyſon*, & *Gloria* concinente : quibus finitis, & Epiſtola jam lecta, Præcentor cum tota communitate aliquem Sacrum Hymnum in vernacula lingua ipſis familiarem, loco Gradualis decantet : Poſt Evangelium, & Symbolum decantatum , Sacerdos caſulam ante altare deponat, ſuggeſtum aſcendat, & plebem Verbi Dei prædicatione reficiat. Abſoluta concione, & precibus de more dictis, ad altare iterum accedat, & aſſumpta caſula Sacrum continuet. Poſt elevationem Ss. Euchariſtiæ, quam populus flexis genibus adorare debet, alius hymnus in lingua vulgari decantetur , & Sacro finito, populum data benedictione in pace dimittat. In illis vero Eccleſiis ruralibus , in quibus hymnos vulgari lingua decantari conſuetum non fuit, ſed ubi totum Officium latine canitur, nihil immutandum eſt : quin imo Parochos hortamur, ut in Eccleſiis ruralibus, ubi Scribæ, & Scholares ſunt, omiſſis germanicis Hymnis, dum celebrant, conſuetudinem latine cantandi totum officium Miſſæ introducant. Curabimus autem eorum, qui maxime huic Myſterio, & Fidei Catholicæ integritati congruunt, delectum fieri, & quemadmodum ordine ſecundum Miſſæ partes, & Feſti ſolennitates decantari debeant, typis excudi.

Sanci-

Digitized by Google

Sancimus præterea, & præcipimus, ne quis Sacerdos ſolus ad celebrandam Miſſam accedat, ſed ad minimum unum adhibeat Miniſtrum, qui eum modeſte una cum libro, dum e Sacriſtia ad Altare progreditur, antecedat, & ad publicas orationes Eccleſiæ nomine det reſponſum. In Altari, quod decenter ornatum, & duabus mappis, ſeu tobaleis tectum eſſe debet, duæ candelæ ardeant. Præter corporale mundum ſit etiam ſubſtratorium: palla, qua calix tegitur, non ex membrana, ſed puro ſit linteo, & cum purificatorio, non cum ſacculo, calix mundetur. Sacris veſtibus iidem, nec laceris, nec ſordidis, nec male compoſitis ſe induant: ſic induti nemini loquantur, aut per Eccleſiam diſcurrant, vel inter celebrandum inquiete circumſpectent.

Cum de Sacrario egrediuntur, id faciant demiſſis oculis, non feſtinanti, & incompoſito inceſſu: genuflexiones in actione Sacri Canonis circa conſecrationem hoſtiæ, & calicis: item quotiescunque poſt conſecrationem hoſtia, & calix eſt tractandus, decenti motu corporis fiant, manibus altari innixis, & ſcabellum ſubpedaneum flexo genu dextro attingant.

De Pœnitentia.

CAPUT VIII.

CUm regeneratos, poſtquam ad rationis uſum pervenerunt, ex Dæmonis ſuggeſtione, erga Deum infeſtet ingratitudo, ut juſtitiam ipſius beneficio, & gratiam in Baptiſmo ſuſceptam ægre conſervent, & tueantur, ſæpe etiam prorſus amittant eandem; noluit ſane omnipotens, & in miſericordia mitiſſimus Deus, opus manuum ſuarum omnino perire, qui ob peccati ſervitutem in Dæmonis poteſtatem deveniſſent: ſed Pœnitentiæ Sacramentum, quo lapſis poſt Baptiſmum beneficium mortis Chriſti applicatur, in remedium vitæ inſtituit. Ab illius igitur ſalutari uſu & fructu, ne aliquis ignorantia vel errore, quod hoc ſæculo frequenter evenire ſolet, deſiſtat, ſed ad eum quærendum utiliter excitetur; idcirco ſtatuimus, ut poſthac in iis locis, ubi major neceſſitas, vel evidens utilitas propter populi frequentiam id poſtulaverit, de confeſſione peccatorum inſtituenda in initio Quadrageſimæ Catechiſmus hunc in modum doceatur. In Eccleſia inter pueros duos prius ad hanc rem inſtructos, & idoneos, dialogus fiat, de requiſitis, & ad confeſſionis integritatem, & pœnitentiæ veritatem pertinentibus: idque in præſentia Parochi, cui curæ erit, aliquid explicatius, ſi aſtantium utilitas id requireret, adjicere. Parochis ad hoc utile erit, ut diligenter ſe exerceant in lectione alicujus Summæ caſuum conſcientiæ, & librorum ſuperius a Nobis nominatorum.

In adminiſtratione hujus Sacramenti eandem omnes & formam verborum, & abſolvendi obſervent modum. Forma talis ſit: *Ego te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Modus autem hic eſt: *Miſereatur tui omnipotens Deus, & dimiſſis omnibus peccatis tuis perducat te in vitam æternam. Amen. Dominus noſter JESUS CHRISTUS, qui eſt Summus Pontifex, te abſolvat, & ego authoritate illius, licet mihi indigniſſimo, conceſſa, abſolvo te imprimis a vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, & quantum poſſum, & tu indiges, deinde te abſolvo ab omnibus peccatis tuis in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Paſſio Domini noſtri JESU CHRISTI, & merita Beatiſſimæ, ſemperque Virginis MARIÆ, & merita Sanctorum omnium, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

Ante feſtum Paſchæ, aut in Quadrageſima ſinguli Parochi ſingulas obeant domos, inquirantque diligenter, & inſcribant numerum eorum, qui & confiteri, & Sacram Euchariſtiam ſumere teneantur. Animadvertant deinde, an confeſſi fuerint, & communicaverint: hoc enim modo agnoſcent oves ſuas, & eos, qui ad Euchariſtiam non accedunt. Non prætermittant etiam parochianos ſuos exhortari, ut ad hoc Pœnitentiæ Sacramentum (cujus adminiſtratio laborioſiſſima eſt) non demum in Vigilia S. Paſchæ accurrant, ſed

ſed potius, ſi fieri poſſit, in oppidis certis tribubus: in villis vero, ubi ad unam Eccleſiam plures villæ pertinent, communitatibus villarum certos nominent dies, quibus ad conſcientias exonerandas Eccleſias accedant: præter id integrum erit cuivis, animi ſui puritatem frequenti peccatorum confeſſione conſervare.

Medici advertant, ne facile ægroti ſuſcipiant curam, antequam ipſi de ſpirituali ſalute fuerit proviſum, a qua ad corporalem medicinam ſalubrius proceditur; & ſalubrem PII V. ſanctæ mem. obſervent Conſtitutionem de ægrotis poſt triduum non confeſſis, per Medicos non inviſendis.

Quotiescunque evenerit, ut Confeſſarius pœnitentem, qui in caſum reſervatum incidiſſet, abſolvere non poſſit, eum ad Nos, vel ad alium, habentem facultatem abſolvendi, mittat; ſin pœnitens id facere recuſet, ſuſcipiat id curæ Confeſſarius, ut tacito nomine illius, & caute, ne ſigillum confeſſionis violetur, caſum referat ad eum, qui ejusmodi facultatem habet, & abſolutionem impetret.

De Extrema Unctione.

CAPUT IX.

QUemadmodum Clementiſſimus Salvator noſter ſervis ſuis quovis tempore voluit de ſalutaribus remediis adverſus omnia omnium hoſtium tela eſſe proſpectum; ita Extremæ Unctionis Sacramento finem vitæ, tanquam firmiſſimo quodam præſidio munivit, maxime cum vehementiſſimos adverſarii noſtri inſultus ſub finem vitæ experiamur. Non igitur intermittant Parochi hoc Sacramentum fidelibus adminiſtrare periculoſe infirmantibus; idque decenter peragant, ſtola, & ſuperpelliceo induti, capite detecto, lumine accenſo, adhibita unctione Sacri Olei ſub conſueta forma: Per iſtam unctionem indulgeat tibi Deus, quidquid oculis, auribus, & ſimilibus deliquiſti: neque omnes corporis partes inungant, ſed eas duntaxat, quibus natura hominis tanquam organis ſenſuum prædita eſt: videlicet oculos, pedes &c. ſicuti in Agenda habetur: partes inunctas bombyce, aut ſtuppa abſtergant, ejusque combuſti cineres in Sacrarium mittantur.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT X.

DUm Sacri conferuntur Ordines, character inviſibilis animæ imprimitur, magnaque ad Sacra Myſteria peragenda, & diſpenſanda tribuitur poteſtas; ideo tanto magis ordinandorum qualitas attendenda eſt, quanto ex illis, dum minus caute diſcernuntur, majora in mentibus fidelium ſcandala, & Divini cultus contemptus deinceps generantur. Quia igitur a minoribus Ordinibus ad altiores gradus, & Sacra Myſteria ingreſſus obtinetur; neminem iis initiari volumus, quem non ſcientiæ ſpes majoribus Ordinibus dignum oſtendat, quemadmodum *Tridentinum Concilium* conſtituit. Hi vero ad Sacros Ordines Presbyteratus poſthac non admittantur, niſi absque mora Diaconi facti, & niſi aliter Nobis viſum fuerit, ad noſtrum Seminarium Clericorum ſe recipiant, atque in eo tam diu, donec totum illud tempus, quod pro majoribus Ordinibus conſequendis a jure ſtatutum eſt, ibidem commorentur. Quo fiet, ut accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, edoceantur, ac in unoquoque munere juxta præſcriptum Superiorum iſtius loci exerceantur: & Sacramentorum præterea tradendorum, maxime quæ ad confeſſiones audiendas, videbuntur opportuna, & rituum, & ceremoniarum formas ediſcere queant. Regularibus duntaxat exceptis, qui tamen, niſi inſtitutionis ſuæ, morum, & doctrinæ coram Examinatoribus noſtris ſufficientem rationem dederint, nequaquam in Ordinandorum numerum adſcribantur. Convenit autem ad majorem reverentiam, & majeſtatem huic Sacramento conciliandam, ut cum cantu ſolemni Sacri Ordines in Eccleſia Cathedrali, niſi Nobis, vel Suffraganeo noſtro aliud viſum fuerit, conferantur præſentibus & aſſiſtentibus Eccleſiæ Canonicis, & Prælatis. Cum ab Archidiacono ordinandi examinantur, Suffraganeus una cum Domino

Scholaſtico, Officiali, & Cathedralis Eccleſiæ Concionatore, & Notario Capituli ab ipſo Archidiacono vocentur, ſimulque in Curia noſtra, vel alio loco commodo conveniant: ii interrogent ordinandos de omnibus, quæ ipſos ſcire oportet. Quod ſi quis prædictorum Dominorum juſta de cauſa examini intereſſe non poteſt, alius, ut ſubſtituatur, licebit.

De Matrimonio.

CAPUT XI.

HOrtamur contrahentes Matrimonium, ut in Eccleſia, non alibi contrahant; eosdemque monemus, quod, niſi ex *Tridentini Concilii* præſcripto Parochum, & teſtes adhibuerint, Matrimonium irritum erit, & contrahentes, ad ſic contrahendum erunt inhabiles. Ut impudentium hominum vitetur temeritas, qui frequenter per fraudem ac nefas, multas diverſis locis uxores ducere audent: mandamus, ut *Concilii Trid.* ea de re ſervetur Decretum, ne temere Paſtores homines ignotos cum Sacramenti contumelia conjungant: & ne quis alterius Parochianos, ſine expreſſa Parochi, aut noſtra licentia ac facultate, audeat copulare.

Proclamationes ante Matrimonium veteri more conſuetas, & Decreto *Concilii Trid.* demandatas, non omittant Paſtores; examinenturque contracturi, num aliquo impedimento prohibeantur, ut conjuges inter ſe eſſe non poſſint. Si conjecturam habeat Paſtor impedimenti, Nos, ſeu Archidiaconos, & Commiſſarios noſtros conſulat, antequam Matrimonio jungat, de quibus dubitat. Qui legitimum impedimentum ſciens reticuerit, & nihilominus conjunxerit, arbitrariam, certam tamen pœnam, incurret.

De Ceremoniis, & Officiis Divinis.

CAPUT XII.

CEremoniæ Catholicæ in multis Eccleſiis noſtræ Diœceſis negligenter peraguntur. Cum autem his pietatis, & Religionis Chriſtianæ ſignaculis ſimplicium mentes in Dei cognitione eleventur, aliorumque Chriſtianorum corda in commemorationem beneficiorum, a Divina Bonitate collatorum evehantur, & ubi fides, & devotio accreſcat, Spiritus Sanctus operetur, ac præſentium animos moveat efficaciter; convenit ſane, ut illæ ſic in Eccleſiis religioſe conſerventur. Nullæ vero ceremoniæ noviter inventæ, & non approbatæ in Eccleſiis peragantur, aut recipiantur ſine noſtro judicio, & approbatione. Et cum non raro contingat, ex aliena Diœceſi Parochos in hac Diœceſi Parochiis præfici, & eosdem ritus in celebratione Miſſarum, ac aliarum Ceremoniarum, ac Sacramentorum adminiſtratione diverſos adferre, diverſis etiam Agendis uti; operam dabunt Archi-Presbyteri, ut ab omnibus uniformis modus, & ratio obſervetur, quæ in Agenda Eccleſiæ Metropolitanæ Gneſnenſis de Ceremoniis Eccleſiaſticis ſiut promulgata.

De Proceſſionibus.

CAPUT XIII.

IN publicis ſupplicationibus, ac ſtationibus obeundis, quarum Scriptura atteſtante, magna eſt, & utilis neceſſitas, adhortamur omnes in Domino, ut in iisdem ſupplicationibus modeſtiæ, & pietatis memores, a quacunque levitate, riſu, colloquio, & confabulatione abſtineant, eaque devitent, quibus Divina Majeſtas magis ad iram provocatur, quam ad miſerationem inducitur. Quilibet propterea Clericorum habitu decenti, & Ordini ſuo convenienti induatur, locum ſuum competentem occupet, Roſaria, vel Breviaria in manibus geſtet.

De Cantilenis Germanicis.

CAPUT XIV.

CUm etiam ex antiquo more juxta diverſitatem temporum diverſæ cantilenæ in lingua vernacula in Eccleſiis hujus Diœceſis a fideli populo vel ante, vel poſt concionem ſoleant decantari; eam ſane conſuetudinem, ut laudabilem, & devotioni plebis inſervientem approbamus, & perſeverare cupi-

Digitized by Google

cupimus : ita tamen , ut nulla cantio cantetur, quæ non in libello, quem in hunc uſum ſingulariter imprimi curabimus, contineatur. Porro illi cantionum libri , qui ab hæreticis ſunt compoſiti , vel qui hæreſin ſapere videntur, quibus Miniſtri Eccleſiarum in quibusdam locis uti conſueverunt, omnino tollantur.

Miniſtri Parochiarum, quos Scribas vocant, absque veſtitu, & habitu corporis decenti, quo ſe Miniſtros eſſe Dei & Eccleſiæ demonſtrent, in Choro pſallere, aut cantare non auſint.

De Reliquiis.

CAPUT XV.

UT Reliquiis veris Sanctorum, in quibus Spiritus Sanctus aliquando habitavit, & quæ de futura corporis glorificatione nos commonefaciunt, debitus honor exhibeatur; eas in honeſtis loculis aſſervari, in loco conſpicue ornato collocari, nec non in publicis fidelis populi deprecationibus & ſupplicationibus cum omni veneratione circumferri mandamus. Prohibemus etiam, ne a Laicis, cujuscunque ſint ordinis, vel dignitatis , Reliquiæ parum reverenter attingantur, tum ne quisquam ex capſulis, vel reliquiariis, absque noſtra licentia aliquid eximere præſumat : ſecus facientes dignis pœnis coerceantur.

De Horis Canonicis.

CAPUT XVI.

AB eo tempore , quo divinitus, primum e medio plebis ſelecti ſunt, qui eſſent Sacerdotes Dei Altiſſimi, Sacerdotum ſemper fuit officium, orare pro populo : quamvis enim Chriſtus vere Summus Sacerdos tempore novæ Legis uno Sacrificio ſui Corporis in Cruce mundi peccata tulit; orationis tamen neceſſitas neganda non eſt, cujus certe præcipua cura Eccleſiæ Miniſtris incumbit.

Meminerint igitur omnes, & ſinguli in Sacris Ordinibus conſtituti, Sanctionis illius, in *Lateranenſi Concilio* promulgatæ, & a PIO V. Pontifice felicis recordationis amplius declaratæ, quomodo illi, qui in precibus Canonicis abſolvendis negligentiores reperiuntur, pœnas amiſſionis fructuum Beneficii incurrant , noverintque, tales cum condigna ſatisfactione ad reſtitutionem eſſe compellendos.

De Breviario Romano.

CAPUT XVII.

INter multa, quæ Religionis Catholicæ commendant unionem, plurimum etiam facit uniformis precandi, & orandi ratio, & modus. Cum Romana igitur Eccleſia in dicendis, pſallendisque Horis Canonicis conformitatem inducendam laudabile cenſemus, cum quod Breviarium Diœceſanum a nonnullis minus caſtigatæ lectionis inſimuletur; tum quod Romani Officii accuratior perfectio, & integritas uſum ejus omnibus Eccleſiis commendet, facile in promptu ſit, jamque a multis Diœceſanis, & imprimis *Niſſæ in Seminario Clericorum* recitetur. Idcirco ſtatuimus, & ordinamus, ut ab omnibus Clericis ſæcularibus, quocunque nomine cenſeantur , hujus officii uſus poſthac recipiatur. Ad officia vero quod attinet, quæ in Choro Eccleſiæ ſub Notis Gregorianis decantantur, dabimus operam, ut primo quoque tempore ad Romani Breviarii formam, quoad fieri poteſt, accommodentur. Quemadmodum & ea, quæ de Patronis hujus Provinciæ peculiaria habentur , ſeorſim imprimi curabimus, ut Breviariis Romanis apte inſeri queant.

DE MORIBUS.

CAPUT I.

SI diligenter ea expendimus vitia, quæ paſſim his deploratis Sæculis ſelectiſſimum Chriſti ovile infeſtant, vix gravius, aut perniciosius ſeſe offert, quam quod in ipſis Dominici gregis Ductoribus reperitur, a quibus præclara bonorum operum exempla, & vitæ merita exſpectanda erant. Quare diligentiori opus eſſe cenſemus admonitione, ut ſi totum ovile ſanum, & integrum cupimus, omnia ea a Paſtoribus reſecemus, unde infectionis in

grege periculum metuatur. Si enim unica ovis morbida a toto gregis corpore ſecernitur, & removetur, ne contagio in reliquas ſerpat, cum unius, quam multorum jactura levior ſit; quis non videt, in ovili Chriſti multo majorem ſolicitudinem requiri, ut non ſolum morbidæ oves excludantur, verum etiam opera detur, ut cujus manu, & ore paſcendæ & nutriendæ ſunt oves, a cujus diſpenſatione & cura, gregis vel ſalus, vel pernicies dependet, is integra ſit valetudine, incorruptis moribus, planeque vitiis vacuam, & inſontem afferat mentem. Quod facile eveniet, ſi & officii ſui, & ſe Paſtores, & Sacerdotes Dei eſſe, ſanguinemque ovium ab eorum manibus requirendum meminerint: ſi Sanctorum Patrum exempla in memoriam revocaverint, qui corpus, & animam Deo conſecrantes, exteriores etiam ſenſus & affectus ita refrænarunt, ut luculentiſſimo ſui exemplo cum intima humilitate, & conſpicua integritate omnia ad gloriam Dei, & proximi ædificationem conferrent.

Neque vero ſufficit Sacerdotem a vitiis immunem eſſe; quinimo decet, ut virtutum gemmis exornatus in populi conſpectum prodeat, & munere ſuo fungatur: certoque ſibi perſuadeat, nullum rei Eccleſiaſticæ bene feliciterque adminiſtrandæ, & populi procurandæ ſalutis efficacius præſidium eſſe, quam ſi de virtutibus differentem, velut ſpeculum virtutum coram inſpiciant, & admirentur.

Admiratio enim ad imitandum incitat, & allicit, mirabilem amoris nexum conciliat, accidetque, ut ad monitoris, vel ducis exemplum ſuos quoque mores componere, & accommodare conentur, & in emendationis progreſſu inter ſeſe certent.

De Caſtitate.

CAPUT II.

OMnes, & ſingulos Clericos, inprimis vero Prælatos, & Canonicos ſerio monemus, & adhortamur, ut ſe ipſos omni tempore & moribus conſpicuos, & pietati, caſtitatique deditos exhibeant. Contra eos autem, qui in conſpectu populi decus Sacerdotale per ſceleratam concubinatus fœditatem turpiter proſtituere non verentur, & in maximum animarum ſuarum detrimentum in eo perſeverant, cum ſcandalo ſuſpectas perſonas in domo, vel extra detinentes; Conſtitutionem Sacri *Concilii Tridentini*, tanquam ſalubre remedium opponimus: ut, niſi infra menſem unum poſt hujus *Synodi* publicationem, quam vim habere volumus peremptoriæ monitionis, ab hujusmodi exceſſu reipſa, ac ſerio deſtiterint, atque perſonas hujusmodi penitus dimiſerint, pœnas in *Concilio Tridentino*, & in priori *Synodo Diœceſana* conſtitutas, ipſo facto incurrant.

De Sobrietate.

CAPUT III.

QUi ebrietatem voluntariam dixerunt inſaniam, eamque ſi in pauciores producatur dies, ſæpius in manifeſtum evadere furorem; plurium hiſtoriarum tam ſacrarum, quam profanarum exemplis edocti retulerunt. Quotquot enim ex ſummis Monarchis, & terrarum Principibus turpi huic ingurgitationis vitio obnoxii fuerunt, ii cum alias nec numeroſo hoſtium exercitu, nec imbrium æſtu, aut frigoris inclementia & horrore vincerentur, hoc unico bibendi inſatiabili ardore & ſcypho fatali victi, Majeſtatem ſuam vario vitiorum genere labefactatam proſtituerunt; ut de plebis fece mentionem faciamus nullam, apud quam eo turpiora flagitia ex hoc vinoſo ebrietatis fonte ſcaturiunt, quo plus affectuum imperio regitur: ut in omni genere deteſtandus ſit ingurgitationis luxus, quod tam corporis, quam animæ infirmitatis cauſam, & materiam tribuat. Tum vel maxime in Eccleſiaſtici Ordinis hominibus, quorum ſenſus in perpetua Divini Miniſterii actione vigere debet.

Ad evitandum vero ingens, & periculoſum malum occaſiones primo abrumpendas eſſe cenſemus. Itaque ſi aliqui ex Clericis, dignitatis ſuæ immemores, in publicis tabernis ex amore luxus, non neceſſitatis alicujus even-

eventu, versari, & scandalosius vivere præsumant, in eos per Officiales, seu Commissarios nostros, diligentius animadverti, & deprehensum, pro qualitate delicti, arbitraria pœna volumus mulctari. Multo major pœna illos maneat, qui pridie inebriati ad tremenda Mysteria peragenda accurrerint, non expiati legitima pœnitentia, & ab aliquo designatorum Confessariorum absoluti. Est enim valde absurdum, præposterum, & indignum, quod Sacerdotes velint omnem reverentiam huic Sacramento a laicis exhiberi, quam tamen ipsi moribus, ac religione sua non declarent, & impudentissimo audeant ore, quod crapulam pridianam non decoxit, ad tantum Sacrificium accedere.

De Confessione.

CAPUT IV.

AD animi puritatem conservandam cum maxime valeat peccatorum confessio, præcipimus omnibus, & singulis Sacerdotibus, ut quater ad minimum intra anni circulum peccata sua vere confiteantur suis Archi-Presbyteris, vel alteri Sacerdoti licentiam habenti: & de hoc requisiti a Visitatoribus per Schedam fidem facere teneantur subsequentis tenoris: *Anno tali* &c. *die tali* &c. *Sacramentalem peccatorum confessionem mihi N. fecit N., quod ego propriæ manus subscriptione testor.* Quod si quis salutis suæ deprehendetur æquo negligentior, nec huic ordinationi nostræ locum dederit, ut impietatis suæ pœnam aliquam luat, illi partem fructuum suorum ipsi defalcandam statuimus, quæ fabricæ Ecclesiæ, aut alteri pio loco, arbitrio nostro, applicetur.

De Habitu.

CAPUT V.

ETsi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos tam sæculares, magis autem Regulares, & Monachos, vestes, proprio congruentes Ordini semper deferre, ut per decentiam habitus extrinseci morum honestas intrinseca ostendatur: & cum inoleverit tanta non solum Clericorum sæcularium, sed & Regularium, & Monachorum temeritas, Religionisque contemptus, ut vestes etiam deferant publice, statui suo non convenientes, pedes in diversis ponentes, unum in Divinis, alterum in carnalibus; monemus omnes, qui nostræ jurisdictioni subsunt, ut habitum honestum Clericalem, illorum Ordini, ac dignitati congruentem deferant sub pœna a Nobis, seu nostro Vicario, vel Commissariis infligenda. Quia vero Regularibus, ac Monachis ex Regula cujusque Ordinis determinatus est habitus in colore, materia, & forma: de sæcularibus vero Clericis multa tum antiquiora Concilia, tum Provinciales, & Diœcesanæ Synodi decreverunt; iis adhuc insistendum censemus, & quicunque contrafeciisse deprehensus fuerit, sive Sæcularis, sive Regularis, puniatur.

Sacerdote Primitias celebrante, æquum est, auspicium tanti Ministerii gratulatione publica hilariter excipi: sed ita tamen concedendum, ut eam gratulationem, ac lætitiam nulla turpitudo vitiet. Absit igitur in convivio temulentia, ludicra omnia, cujusmodi sunt saltationes, choreæ, & hujusmodi alia, prorsus tollantur. Servetur autem decorum per omnia, ac Sacerdotalis ratio habeatur dignitatis.

Qui detractores, & diffamatores aliorum existunt, & publice, vel secrete rixas disseminant, acerbe puniantur.

Cavebunt etiam, ne ad sæculare tribunal mutuo sese Clerici vocent: ne pecuniam ad usuram præstent, aut contractus illicitos constituant sub pœna amissionis pecuniarum, similiter & fidejussiones pro sæcularibus evitent.

In iis causis, quæ vinculum, aut fœdus Matrimoniale concernunt, aut ab ea dependent, nemo cognoscere, concordare, transigere, aut definire præsumat, qui non ad hoc a Nobis, vel a Sede Apostolica facultatem obtinuerit: alias processus, sententias, concordias, & transactiones ejusmodi judicamus, & decernimus nullas & frivolas, & quæ merito nullum debent sortiri effectum.

Digitized by Google

Judices ordinarii cauſarum Matrimonialium ante omnia curent, ne ignorent ea, quæ ad Sponſaliorum juſtitiam requiruntur: ſententiam latino vel germanico ſermone publicent, eamque omiſſis in ea decidendi rationibus, claram, & absque omni verborum ambiguitate concipiant.

Nemo in tantæ avaritiæ prorumpat cupiditatem, ut lucri gratia aliena prædia conducat, vel alia re illicita, & a Sacris Canonibus prohibita, cupiditati ſuæ ſatisfacere ſtudeat.

Cumque omnes Religioſi, qui ſe Divino cultui, ſpretis mundi illecebris, devoverunt, in altiorem ſublati locum conſpiciantur, & in eos, tanquam perfectionis ſpeculum, reliqui oculos conjiciant, & ex iis ſumant, quod laudabiliter imitentur; decet omnino, ut ipſi ſtatus, & obligationis ſuæ ſint memores, eaque devitent, quæ ab illius dignitate aliena ſunt; quæque ad eandem tum augendam, tum retinendam faciant, ſedulo exequantur.

Inprimis igitur *Decretis Tridentini Concilii* inhærentes, ordinamus, ut Monaſteria, in quibus viget Regularis obſervantia, ſi eorundem Superiores admoniti, infra ſex menſes non viſitaverint, ut ad Nos viſitatio, & correctio illorum devolvatur.

Quod ſi prætenderint ſe a jurisdictione noſtra eſſe exemptos, neque eam admittere vellent, aliud Nos facere non poterimus, niſi ut ſecundum *Concilii Tridentini* præſcriptum contra ipſos procedamus.

Qui extra Monaſteria viventes, ita notorie deliquerint, & populo ſcandalum exhibeant, a ſuis Superioribus dignis pœnis coerceantur: quod ſi a Nobis moniti illud facere Superiores intermiſerint, ne peccata impunita maneant, Nos ipſi in illos animadvertemus, authoritate Nobis a *Tridentino Concilio* tributa.

Ea autem loca, quæ a devoto fœmineo ſexu religioſe inhabitantur ſub Monaſtica diſciplina, aut Regulari obſervantia; nemo ingrediatur, ſed ex Pii V. felicis rec. Conſtitutione Monaſtica clauſura perſeveret, nec ſibi liberius extra divagandi licentiam aſſumant, neque aliquo modo Monaſterio egredi permittantur.

DE TEMPORALIBUS.

COllatores Beneficiorum Eccleſiaſticorum, aut qui jus præſentandi habuerint, caveant, ne lucri alicujus gratia aliquem ad ea promoveant, nec quidquam, vel ultro oblatum, accipiant, dignis tantum & habilibus perſonis ea conferant.

Quicunque jus habent præſentandi Nobis, aut aliis, quibus jus inveſtiendi legitime competit, præſentent, non autem de facto conferant.

Illud etiam in communi præcipimus, & ſerio mandamus quibuscunque Sacerdotibus, ne Parochias ullas ſine Canonica inſtitutione, ſervata forma concurſus, a *Concilio* præſcripta accipiant.

Ubi etiam habenda eſt ratio eorum, qui continuis, & perpetuis obſequiis deſerviunt Eccleſiis, ne ipſis, cum pondus diei, ac æſtus ferunt, in Beneficiorum, ac Altarium collatione præferantur alii, qui propter otium, & pigritiam non merentur, aut quos jura etiam, quo minus capaces ſint, excludunt.

Neque ulla electio in quibuscunque Monaſteriis, ſive exemptis, ſive non exemptis per abſentiam Commiſſariorum noſtrorum adminiſtrata, Canonica & legitima cenſeatur; ſique Conſtitutioni huic alicubi non obtemperatum, ſed ſecus aliquid factum fuerit, ſolenni præmiſſa proteſtatione, de nullitate actus procedatur.

Cum ferme omnes Parochi, aut de tenuitate ſuorum proventuum, aut de alienatione quorundam cenſuum, fructuum, agrorum, & ſimilium: aut de tarda, ac moleſta decimarum ſolutione conquerantur; volumus, ut omnes Parochi ſua vera gravamina conſcribant, eaque quot annis in convocationibus ſuis Archi-Presbyteris tradant, hi autem cum ſuis Archi-Diaconis, & Commiſſariis noſtris eam rationem ineant, qua

qua his incommodis ſuccurri poſſit, demum Nobis rem omnem integre indicent, & exponant.

Et cum poſt obitum Altariſtarum, & Sacerdotum, multorum beneficiorum, & Altarium regeſta ſupprimantur, & beneficia Eccleſiaſtica ſic passlatim intereant, aut in laicorum, ſeu etiam hæreticorum veniant manus: omnibus ſub pœna amiſſionis, ac privationis injungimus, ut Regeſta, vel literas cenſuum ſuorum, reddituum, ac proventuum in originali Nobis intra trimeſtre ſpatium exhibeant, quæ in noſtra Cancellaria, aut in Eccleſiæ Cathedralis Archivis aſſerventur: copia autem, ſeu transſumptum authenticum Regeſtorum, & literarum, ex noſtra Cancellaria Beneficiatis petentibus concedatur.

Ne etiam propter imperitos, ac illiteratos Eccleſia detrimentum aliquod patiatur, aut animarum negligatur cura; Archidiaconis, & Viſitatoribus noſtris injunctum volumus, & cum ſcitu, & voluntate noſtra iis, qui Parochiis præſunt, & vel ob ingenii exiguitatem, ac doctrinæ tenuitatem, vel populi numeroſam multitudinem tanto oneri non ſufficiunt, cogant Rectores adjungendos ſibi Coadjutores, & Vicarios idoneos, & his congruam fructuum portionem aſſignent, & alias juxta *Tridentini Concilii Decretum*, quod diligenter exequi curent.

Sæpius Parochorum negligentia, & incuria ædificia ſarta tecta non conſervantur. Unde fit, ut Parochiani aliquando nimium graventur, ſi domus, horrea, ſtabula a fundamentis veluti ædificanda ſint: Archi-Diaconi itaque, & Viſitatores Parochos admoneant, ut ſarta tecta conſervent, aut Patronos Eccleſiæ mature, & in tempore certiores reddant, qui efficient, ut ea mature, & opportune inſtaurentur.

In omnibus univerſim Parochiis obſervari volumus, aliquot ut Regeſtorum libri perpetuo extent, & a Parochis aſſerventur.

In *priori* omnia, Eccleſiæ ejus Parochialis pretioſiores res, vaſa aurea, argentea, & clinodia, veſtes ſacras, aliaque cujuscunque generis fideliter annotatas habebunt.

In *ſecundum*, baptizatorum, patrinorum, ac parentum nomina diligenter inſcribent, cum anni, menſis ac diei certa conſignatione.

Tertius liber nomina Matrimonium contrahentium (ubi temporis etiam exacta mentio adjicienda eſt) ſibi vendicabit.

Quartus nominibus eorum, qui ex hac vita decedunt, cum ſimili temporis annotatione inſerviet.

Quintum ſolers Parochorum Oeconomica diſciplina adjiciet, in quem redditus, cenſus, fructus, proventus omnes accurate & integre conferibent, & ſingulis annis repetent.

In *prioribus quatuor* Libris conficiendis ſi perſpicax Archidiaconorum oculus calamum parochorum oſcitantiorem, aut negligentiorem repererit; non impune quidem evadent Parochi; gravius tamen, & quidem defalcatione quartæ partis fructuum eos puniri mandamus, qui in *quinto* libro conficiendo voluntati noſtræ, & Conſtitutioni huic non ſatisfecerint; ſed tam in Eccleſiæ, quam propriis commodis ſocordes, & dormitantes fuerint reperti.

Ea bona, quæ ad Eccleſias, Monaſteria, vel Beneficia ſpectant, non tanquam propria, & ſua, ſed ut Chriſti Patrimonium tractare, uſurpare quivis meminerit: inque eum convertat uſum, in quem Fundatores olim humili in Deum obſervantia converti voluerunt; omnino autem non alienet, niſi in caſibus a jure permiſſis: qui ſecus fecerint, pœnam privationis, adminiſtrationis, & ſuſpenſionis officiorum ſuorum incurrant.

Statuimus præterea, & ordinamus, ut eo tempore, quo Beneficiatis ſuorum beneficiorum poſſeſſio datur, præter antiqua, quæ extare volumus, nova iterum Inventaria, & inſcriptiones omnium bonorum tam immobilium, quam mobilium ad ipſa Beneficia ſpectantium conficiantur, vel per Notarium publicum, ſi haberi poterit, aut alium ex illa communitate hominem fide dignum, aut per Vitricos etiam

Digitized by Google

etiam Ecclesiæ, qui omnia vasa sacra, vestes, fundos, agros, domos cum qualitatibus & continiis suis accurate annotabunt.

Omnes etiam Clerici Beneficiati studiose inquirant, ut detentores injustos, seu occupatores bonorum Ecclesiasticorum, seu Decimarum, allodiorum, domorum, & censuum ad Nos deferant, re prius cum Officialibus, & Commissariis nostris communicata: Idem fiet in eo casu, in quo impedimentum, seu diminutio aliqua in rebus ad Ecclesiam, vel Beneficium spectantibus, infertur.

Ne Ecclesiarum, atque Ecclesiasticarum personarum immunitates, & privilegia violentur, Præfectis nostris serio mandamus sub gravissima indignatione, reliquos vero Magistratus seculares una cum *St. Concilio Trid.* obnixe rogatos esse volumus, ut ea, quæ non solum a Summis Pontificibus, sed etiam Supremis Principibus concessa sunt, secundum Juris Civilis, & Canonici dispositionem integra permanere patiantur.

Nemo Beneficiatorum debita enormia, & quæ facultatibus, & fructibus sui beneficii non respondent, contrahere præsumat: Quod si quis modum excessisse comperietur; Officialibus, Commissariis, & Archi-Presbyteris injungimus, ut absque ulteriori dilatione rationem administrationis ab illo exigant, & terminum solutionis certum constituant. Quo elapso, si creditoribus non fuerit satisfactum, certa fructuum suorum portio per Curatores a Nobis constituendos in hunc usum defalcabitur.

Si qui etiam ex Clericis, pupillorum, personarum miserabilium sunt Tutores, vel inposterum fient; serio prohibemus, ne absque facultate nostra, vel nostrorum Officialium, vel Commissariorum bona mobilia, vel immobilia, multo minus pecuniam, quovis modo, ratione tutelæ, ad se recipere præsumant.

Cum munera excœcent oculos Sapientum, & mutent verba justorum, ultima hac Constitutione monemus, caveant Judices in foro Ecclesiastico, ne a partibus coram se litigantibus munera quæcunque, & quovis etiam prætextu accipiant; si enim delinqui hac in parte aliquid animadverterimus, ne impune ferant, Nobis curæ erit.

HAs Constitutiones huic Provinciæ, hisque hominum moribus accommodatas, Illustrissimus, & Reverendissimus in Christo Pater ac Dominus, Dominus ANDREAS, (*) Dei, & Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Wratislaviensis, Coronæ Bohemiæ Princeps Ligius, Sacræ Cæsareæ Majestatis

(*) ANDREAS JERINUS, Episcopus *Vratislaviensis XL.*, industriæ suæ, doctrinæque, ac virtutum meritis ad culmen illud Cathedræ Episcopalis ascendit. *Reudlingæ*, Sueviæ oppido, Patre Senatore natus, cum acri perspicacique polleret ingenio, post navatam felici successu literis operam, aliquamdiu apud Nepotes *Ottonis Truchsesii*, Cardinalis Augustani, dum Studiis Lovaniensi in Academia vacarent, præceptorem egerat. Inde Romam profectus, Septennium posuit in Collegio Germanico, quod olim ex S. Ignatii, Soc. JESU Fundatoris, consilio sub annum 1552. a *Julio III.* Papa, maximo totius Germanicæ Nationis emolumento erectum, dein vero, deficiente censu annuo, prope collapsum, recentissime tunc, anno nimirum 1573. a *Gregorio XIII.* ex integro restauratum, censuque & perpetuo, & amplissimo dotatum fuit. Ex eo Collegio eductus, Prætorianam Pontificis Maximi Helvetiorum cohortem sacris concionibus excolendam accepit. Tum Ss. *Theologiæ Doctor Bononiæ* renuntiatus, rediit in Germaniam, ac *Dilingæ* Parochi munus gessit, donec ejusdem, quem supra diximus, *Gregorii XIII.* favore Canonicorum *Vratislaviensium* Collegio adscriptus fuit: ex quo tempore altiora continuo ad subsellia eluctari cœpit, ac veluti saltu quodam Episcopalem ad gradum se se extulit: Nam non diu post Præpositi dignitate auctus, ac demum ad ipsam Cathedram *Vratislaviensem*, quæ a *Martini Gerstmanni* morte vacaverat, communi atque unanimi Electorum suffragio promotus est anno 1585. Ad has, intervallo non longo congestas in eum dignitates cumulus dein accessit ex benevolentia *Rudolphi* Cæsaris, qui viri merita civili etiam honore coronaturus, Utriusque

tis Consiliarius, & Supremus superioris, & inferioris Silesiæ Capitaneus, in Diœcesana Synodo unanimi omnium approbatione publicari curavit, reservata, humili obsequendi studio, & singulari observantia Sanctissimo Domino nostro, & Sanctæ Sedi Apostolicæ liberrima censura, & judicio. Sicuti enim seipsum Reverendissimus, & Illustrissimus Dominus Episcopus Sanctitatis Suæ voluntati permittit : ita expressa, & semel, atque iterum solenniter repetita protestatione, testatum publice fecit Reverendissimus Dominus Episcopus, si quidquam S. D. N. Sanctaque Sedes Apostolica reperiat, quod Fidei Catholicæ articulis, Sacrorum Canonum Sanctionibus, unitati & consensui Ecclesiæ; inprimis *Ss. Oecumenico Concilio Tridentino* quovis modo repugnare, aut hæresis contraxisse saporem videatur, se id omne pro non dicto, non scripto habere, censuræ subjicere, & S. Sanctitatis clementem, & benignam voluntatem, cui omnino obsecundare velit, expectare.

NOS HIERONYMUS, Tituli Sancti Pancratii S.R.E. Presbyter Cardinalis MATTHÆIUS, fidem facimus, & attestamur, Decreta facta in *Synodo Diœcesana Wratislaviensi* a Perillustri, & Reverendissimo Domino Episcopo Wratislaviensi, & ad S. D. N. missa:

---

que Silesiæ Præfectum constituit: ac multis dein sæpe laudibus ob res domi, forisque, in Legationibus præsertim quintum obitis, præclare actas, condecoravit?

Statim a suscepto Episcopatu pro insigni suo in Religionem studio, duo hæc sibi, quanto citius posset, curanda proposuerat : Primum erat, ut ad stabiliendam in subditorum animis Fidem Catholicam, ac simul ad restaurandos in Clero, populoque mores Diœcesanam Synodum cogeret. Sed hanc ante annum 1592, qui ab obtenta Cathedra septimus erat, congregare non potuit, tum grassante per Silesiam peste, tum tumultibus belli Polonici, ex duplici Regis electione nati : tum denique variis, quas pro Cæsare, ad pacem componendam, confirmandamque, in Poloniam suscipere debuit, Legationibus impeditus : prout hæc ipse testatur in Præfatione sua ad Synodum habita. *Vide supra pag.* 371.

Alterum erat, ut strenuos e Societate JESU operarios, qui gregem suum diligenter excolerent, atque adversus Neotericorum, & fidei hostium errores sana & orthodoxa doctrina communirent, Vratislaviam accerseret, stabili ibidem in sede, constituto pro eisdem Collegio, collocandos. Verum huic ejus consilio Acatholici Silesiæ Status omni contentione, viribusque se se opposuere, pauculosque illi duntaxat, qui Vratislaviæ, tanquam in temporanea statione subsisterent, habere permissum fuit, qui non diu post ejus obitum, cum necessario præsidio, tutelaque adversus insectantium persecutiones destituti essent, loco cesserunt.

Anno 1596. nova in Poloniam Legatione perfunctus, cum contracto jam morbo æger in Silesiam rediisset, obiit 15ta die Novembris, postquam Ecclesiam suam annis undecim administrasset magno pacis studio, nec minore cum commendatione pietatis, ac sapientiæ.

JERINO mortuo, tribus annis vacavit Sedes ob graves altercationes, tricasque in novi Præsulis electione exortas. Tandem ex Pontificia, Cæsareaque authoritate PAULO ALBERTO Suevo collata est dignitas Episcopalis, qua tamen gavisus diu non fuit, cito ex Cathedra ad æternitatem avocatus : cui demum successit JOANNES a SITSCH.

Hæc de JERINI Successoribus adnectere placuit, ut manifestum fiat, quam parum fidendum sit Episcoporum Vratislaviensium Catalogo, quem Author *Hist. Ecclesiasticæ Germaniæ*, idiomate Gallico *Typis Bruxellensibus Francisci Foppens* anno 1724. editæ, vulgavit : in quo substitutis variorum Episcoporum nominibus, quos alii Scriptores ignorant, non tantum nulla *Joannis Sitschii*, & *Pauli Alberti*, sed neque *Andreæ Jerini* & *Martini Gerstmanni* fit mentio, quos tamen circiter ab anno 1574. ordine continuo Vratislaviensi Ecclesiæ præfuisse, partim publica fides celebratarum ab ipsis Synodorum, quarum alteram sub *Jerino* jam dedimus, alteram sub *Gerstmanno*, Tomo præcedente retulimus : partim etiam domestica Societatis nostræ monumenta, grataque & frequens in Annalibus nostris beneficiorum ab eisdem acceptorum memoria, ut nihil de Scriptoribus aliis dicam, evidenter evincit. *Vide Hubnerum Quæstion. Politico-Historicarum Lib. IV. P. Schmidl Hist. Soc. JESU Provinc. Bohem. P. I. & II.*

missa: a Sacra Congregatione Illustrissimorum Patrum *Tridentini Concilii* interpretum, emendata, atque aptata fuisse, nec non eorundem Decretorum originale apud ipsam Congregationem remansisse: cum quo hujusmodi Decreta hoc libello Chartarum XXXVI. quarum prima incipit: *Ordo, & Processus Synodi Diœcesanæ &c. &c.* postrema vero: *Has Constitutiones &c.* & desinit: *Velit expectare.* descripta, & collata in omnibus & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu subscripsimus, & ab infra scripto Secretario item subscribi, Sigillique nostri impressione communiri mandavimus. Datum Romæ die XXV. Augusti M.D.XCIV.

HIER. Card. MATTHÆIUS.

Bernardinus Rossius pro Secretario.

SYNODUS TRIDENTINA DIOECESANA

Anno Christi MDXCIII. Clementis VIII. Papæ II. Rudolphi II. Imp. XVIII.

LUDOVICUS, (*) MISERATIONE DIVINA S.R.E. TIT. S. LAURENTII IN LUCINA, PRESBYTER CARD. MADRUTIUS, EPISCOPUS TRIDENTINUS, &c. UNIVERSIS ET SINGULIS SÆCULARIUM ET REGULARIUM ECCLESIARUM PRÆLATIS, DECANIS, PRÆPOSITIS, CANONICIS, PRIORIBUS, PLEBANIS, PAROCHIALIUMQUE ECCLESIARUM RECTORIBUS, CAPELLANIS, CÆTERISQUE BENEFICIATIS, CURATIS ET NON CURATIS QUIBUSCUNQUE, PER CIVITATEM, ET DIŒCESIN NOSTRAM UBILIBET CONSTITUTIS, SALUTEM, ET SINCERAM IN DOMINO CHARITATEM.

CUm primum, sic DEO disponente, ad hujus Ecclesiæ Episcopale munus admoti fuimus, illud præcipue studuimus, ut illius regiminis rationem ad Divini Nominis gloriam, & populi Nobis commissi salutarem directionem, juxta Sacri Trid. Concilii præscriptum, institueremus. Quum enim immensa DEI clementia ad totius orbis Christiani salutem illud in hac nostra Civitate inchoatum, & perfectum vidissemus, facile intelligere potui-

(*) LUDOVICUS MADRUCIUS, Cardinalis CHRISTOPHORI MADRUCII, civis & Episcopi Tridentini, cujus in Historia Sacri Oecumenici Concilii, eadem in urbe celebrati, perfrequens est mentio, ex fratre nepos erat, & æmulator egregius, iisdemque, quibus ille, viis, virtutum scilicet, scientiarumque, & rerum magnarum bene gerendarum studiis, ad maximas dignitates eluctatus est.

Anno 1561. 26ta Februarii a PIO IV. Papa Cardinalis Diaconus Tit. S. Callisti, postea Tit. S. Onuphrii: dein Cardinalis Presbyter S. Anastasiæ, mox S. Laurentii in Lucina: demum Episcopus Cardinalis Sabinus, & supremus hæreticæ perfidiæ Inquisitor constitutus: Christophoro Patruo suo, anno 1578. defuncto, in Episcoparu Tridentino regendo successit, ibidemque anno 1593. Cleri sui Diœcesani Synodum habuit, in qua sequentia edidit Statuta.

Floruit in eo Viro cum doctrinæ, prudentiæque laude conjuncta, ut *Ciaconus* ait, plena antiquitatis auctoritas, gravitasque Senatoria, sententiarum ac verborum librata ponderibus, unde factum, ut ejus judicio & effatis plurimum ab omnibus tribueretur. Variis per Germaniam Legationibus, arduis pro Ecclesia DEI laboribus, amplissimisque Magistratibus egregie perfunctus, obiit Romæ anno sæculari 1600, tam rebus, quam honoribus gestis clarissimus. Successorem habuit in Sede Tridentina Carolum Gaudentium Madrucium, qui & ipse dein Cardinalis Episcopus Sabinus creatus fuit. Hunc quartus ex eadem familia Antistes excepit Carolus Emanuel Madrucius. *Alphonsus Ciaconius de Vita & rebus gestis Summorum Pontific. & S. R. Eccles. Cardinalium. Histoire Ecclesiastique d'Allemagne Typ. Bruxellensib. Franc. Foppens a. 1724.*

Digitized by Google

tuimus, ultra obedientiæ debitæ rationem (quæ nobis cum omnibus Episcopis, in gratia, & communione Sedis Apostolicæ constitutis, communis est) ipsum hujus Sacri Concilii nomen nos quasi specialiter admonere, ut promptiori studio saluberrimas illius Constitutiones, & Decreta, tanquam falcem quandam assumeremus, qua sentes, & vepres, qui temporum injuria in hac vinea, quæ Divina voluntate nobis excolenda obtigit, exscinderentur. Ubi itaque per difficultates, & impedimenta, quæ regiminis nostri initia exceperunt, licuit, per plures visitationes, quas partim per Nos ipsos, partim per deputatos idoneos viros obivimus, per diversa etiam Decreta, ac serias admonitiones id, quantum in Nobis fuit, egimus, ut ipsius Episcopalis officii functiones ita dirigerentur, ut quoad fieri posset, tam Clerus, quam populus nostræ Diœcesis, traditæ a Sacro *Concilio Tridentino* disciplinæ, vita & moribus responderet. Unde etiam sæpius Prædecessorum Synodales Constitutiones, quibus hujus Episcopatus regimen maxime niti videbatur, ad prædicti *Concilii* præscriptum reformare cupivimus. Verum cum publicis, iisque gravissimis de causis, sæpius hinc avocati fuerimus, diutius, quam volebamus, id differre coacti fuimus: tandem vero Dei benignitate opportunitatem toties desideratam nacti, una cum Ven. Capitulo Cathedralis Ecclesiæ nostræ, & totius Cleri Synodali præsentia Constitutiones a bonæ mem. CARDINALE(*)BERNARDO, & pluribus aliis Prædecessoribus nostris longa serie ad hujus Diœcesis usum, & necessitatem accommodatas, Divino implorato auxilio, matura deliberatione præhabita, prout horum temporum ratio exigere videbatur, juxta Sacri *Concilii* regulas, & dispositiones innovavimus, ampliavimus, ac reformavimus, prout etiam præsenti earum publicatione & editione innovamus, ampliamus, & reformamus, auctoritate nostra ordinaria. In virtute sanctæ obedientiæ, ac sub pœnis & censuris in illis contentis, vos districtius requirentes, quatenus hujusmodi Constitutiones, & Statuta prompto affectu suscipiatis, & pro Statutis Synodalibus observetis. Omnia tamen, ut debemus, Sanctæ Sedis Apostolicæ judicio submittendo, ac salvis etiam Patriarchalibus ordinationibus, dispositionibus, nec non aliorum Prædecessorum nostrorum constitutionibus, quatenus in usu sunt, & per præsentes has nostras non sunt aliter declaratæ, seu correctæ, quibus derogare non intendimus.

De Professione Fidei.

CAPUT I.

CUm eorum, qui JESU CHRISTI Salvatoris nostri gregi pascendo, præpositi sunt, præcipua cura esse debeat, ut Fidem, sine qua impossibile est placere Deo, unam, illibatamque conservent, ac fideli populo proponant & prædicent: Nos hanc Fidei unitatem, in Diœcesi nostra, quoad, favente Deo, possumus, integram & ab omni labe sinceram servare volentes, duximus Constitutionibus nostris Synodalibus præmittendam esse ejusdem Fidei Professionem, ex forma, quam sanctæ mem. PIUS IV. Pontif. Max. ex Generalis *Concilii Tridentini* sententia præscripsit, videlicet:

Credimus, & profitemur omnia, & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur: Credo in unum Deum, Patrem omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium, &c.

Volumus autem, ut qui in hac nostra Diœcesi ad Canonicatus, & dignitates quascunque, etiam Regulares, ac beneficia curata promoti fuerint, hanc Fidei Professionem emittant, secundum præscriptum *Conc. Trid. Sess. XXIV. Cap.* 24. incip. *Cum dignitates in Ecclesiis &c.*

Et quia in hac nostra Diœcesi multis locis contingit, Parochos ob populi frequentiam, & Parochiarum amplitu-

(*) Fuit is Bernardus de Glöss, Christophori Madrucii Antecessor: Cardinalis creatus anno 1530. Obiit 1539. Constitutiones ejus Synodales, quarum hic, & postea sæpius fit mentio, hucusque non reperi.

plitudinem, plures habere cooperatores, quibus confeſſiones audiendi, & Divini Verbi prædicandi munus communicatur; ſtatuimus, ne quis in cooperatorem aſſumarur, niſi prius in noſtra, aut Vicarii. noſtri mandato, in alterius manu, Fidei Profeſſionem emiſerit.

Monemus vero omnes, qui ex præcepto Sacri *Concilii Tridentini* Fidei Profeſſionem emittere tenentur, præcipue autem illos, quibus animarum cura quoquomodo incumbit; ut attente & diligenter emiſſæ Profeſſionis fidei formam, & quæ in illa continentur, conſiderent, curentque ore prolata, opere adimplere, docendo ſubditos ſuos, & plebem ſibi commiſſam, ut in ſuſcepta a Majoribus fide conſtanter perſeverent: Conſtitutiones, Traditiones, Statuta, & Cæremonias Sanctæ Matris Eccleſiæ obſervent: Summo Pontifici, tanquam vero Chriſti in terris Vicario, debitam obedientiam præſtent.

De Hæreticis.

CAPUT II.

ET cum hæreſis Fidei Catholicæ, ut certiſſima peſtis, adverſetur, omni ſtudio eſt elaborandum, ne illius contagione grex fidei noſtræ commiſſus inficiatur. Statuimus itaque, ne quis in hac noſtra Diœceſi, ea docere, tenere, credere, aut aſſerere, quovis modo præſumat, quæ Sancta Catholica Romana Eccleſia damnat, & anathematizat. Libros item, Scripta, & Tractatus, ea continentes, nullus importare, vendere, emere, recipere, legere, aut quomodolibet penes ſe tenere audeat, ſub pœnis, quæ tam in Summorum Pontificum, & Sacri *Concilii Trid.*, quam orthodoxorum Imperatorum, & Catholicorum Principum Conſtitutionibus, nec non noſtrorum Anteceſſorum Decretis continentur. Quare univerſis & ſingulis, tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus perſonis diſtricte in virtute ſanctæ obedientiæ, & ſub cenſuris Eccleſiaſticis præcipimus, ut excluſa omni malitia, ſi quos ſciunt hæreticos, vel de hæreſi qualitercunque ſuſpectos, eos Nobis, aut Vicario noſtro, ſine mora revelare procurent. Prælatis inſuper, & Eccleſiarum Parochialium Rectoribus committimus ſub eisdem pœnis, & aliis, arbitrio noſtro infligendis, ut ſi quos intellexerint diſſeminare errores, aut hæreſes, conventicula facere, de Fide & Religione obloqui, prohibitæ & damnatæ lectionis libros, tractatus, aut ſcripta palam, vel occulte tenere, aut legere, tales Nobis quamprimum denuncient: tum vero diligenter vultum ſui gregis obſervent, & ſi quos inordinate ambulare, neque per omnia ad fidelium uſum juxta Statuta, Ordinationes, & laudabilem antiquam Catholicæ Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem ſe ſe conformare cognoverint; eos in Chriſti viſceribus moneant, & corrigant: quos ſi contumaces, ac depravato affectu perſpexerint, de eo Nos, vel Vicarium noſtrum quanto citius edoceant.

Moneant etiam confitentes, ut ſi quos noverint de hæreſi ſuſpectos, Eccleſiaſtico judicio denuncient, oſtendantque, ex charitate, & obedientia erga Sanctam Matrem Eccleſiam, eos ad hoc teneri, cum & errantium ipſorum correctio, & reliquorum ſalus ex eo pendeat, ut latens virus detegatur: intimando pœnitentibus, illos beneficium abſolutionis obtinere non poſſe, ſi hæreticos, & ab Eccleſia deſciſcentes ſcienter occultaverint.

Et quia publici commercii ratio in his locis, ſecum trahit promiſcuum quandoque hominum concurſum, etiam ex locis, ubi hæreſis impune graſſatur; Curati diligentiores ſint, præcipue nundinarum tempore, in inveſtigando, an per diverſoria, de Religione ſermones habeantur, & a quibus, & quales: an libri prohibiti adferantur, diſſeminenturque: an diebus, quibus ab Eccleſia interdictum eſt, veſci carnibus, illæ menſis apponantur: & ſimilia. Et ſi quid tale reperierint, Nos, aut Vicarium noſtrum certiores reddant, ſuos ſubditos frequenter, ac diligenter admonentes, ut ſtabiles in fide, aures nullis novitatibus accommodent.

Quod ſi Parochi compererint, opiniones damnatas diſſeminari, vel alias perverſorum hominum dictis, aut factis tentari, ac labefactari fidem puſillorum;

lorum; tales redarguere, & Catholicæ veritatis rationibus confutare ſtudeant, impiisque eorum conatibus ſe ſe opponant, etiam invocato (ſi opus fuerit) brachii ſæcularis auxilio, Nosque, aut Vicarium noſtrum Generalem de eo quanto citius admoneant.

Cum etiam aliquibus hujus noſtræ Diœceſis partibus mercimoniorum, vel aliis de cauſis, contingat, pueros, &.adoleſcentes ad civitates, & loca hæreſi infecta, a ſuis ablegari; Parochi ſolicite parentes, vel majores, aut in quorum ſunt poteſtate, dehortentur, ne juvenes, vel pueros ad hujusmodi loca mittant, vel certe eos probatis, & Catholicis viris diligenter commendent; ipſos vero juvenes efficaciter obteſtentur, ut in Religione Catholica conſtanter perſiſtant, ne, dum momentaneum commodum ſectantur, æternæ ſalutis jacturam faciant, ſeque ſemper, dum in locis ſuſpectis commorantur, virorum Catholicorum, & proborum conſortio adjungant, hæreticorum familiaritatem, & conſuetudinem, quantum poſſunt, devitantes.

Deinde domum reverſos Parochi diligenter examinent, an monitioni ipſis factæ ſatisfecerint, hoc eſt, an Catholice vixerint: an ſtatutis ab Eccleſia temporibus peccata ſint confeſſi, & Sacram Euchariſticam ſumpſerint. Et ſi quos a via recta deflexiſſe, hæreticisque imbutos eſſe opinionibus cognoverint; eos Nobis, vel Vicario noſtro quamprimum denuncient.

Tunc vero Parochi gravibus verbis dehortentur parentes, vel majores, ſeu in quorum poteſtate ſunt juvenes, ne omnino ad illas partes eos mittant, in quibus nullum Catholicæ Religionis exercitium eſt relictum. Si vero Parochi viderint parentes, vel majores, tanquam ſalutis ſuorum impie prodigos, hanc dehortationem contemnere, ſuumque mittendi propoſitum exequi, tales, ut de hæreſi vehementer ſuſpectos, non tantum diligenter obſervent, ſed etiam Nobis, vel Vicario noſtro denuncient.

Et quia non ſolent deeſſe, qui ipſam teneram juventutem erroneis opinionibus inficere conantur; ordinamus, ne quis poſthac ullo prætextu ad docendi munus admittatur, ne ad ipſa quidem prima literarum elementa tradenda, niſi prius Profeſſionem Fidei in manibus Parochi, in cujus Parochia munus exercere volet, emiſerit; quam ſi eorum quis facere detrectaverit, illico Nobis, vel Vicario noſtro denuncietur.

Mandamus proinde, ut Parochi diligenter pernoſcere ſtudeant Inſtitutores puerorum ſuæ Parochiæ, videantque, ut ſe ſe huic Conſtitutioni per omnia conforment. Et qui ab Eccleſiis, vel Parochis ſtipendium accipiunt, præſertim per diſtrictum Atheſinum, niſi quæ ad Latinam linguam pertinent, diligenter docuerint, Parochi eos propria authoritate ab officio removeant. Super omnia autem curent Parochi, ne quid a Magiſtris Catholicæ fidei, & bonis moribus contrarium prælegatur, aut in diſcipulorum manibus verſetur: Scholam etiam cum oratione: *Veni Sancte Spiritus*, inchoent, & cum *Oratione Dominica*, *Salutatione Angelica*, *Symbolo Apoſtolorum*, & *Decem Præceptis*, ac aliqua gratiarum actione terminent.

De Libris prohibitis, & Typographis.

CAPUT III.

CUm etiam ex nimia Librariorum, & Typographorum licentia magna immineant pericula; Nos, ut illis, juxta Decretum Sacri *Concilii Trid.* opportune occurramus, ſtatuimus, & prohibemus, ne quis, ſive incola fuerit, ſive peregrinus, libros damnatorum, aut ſuſpectorum ſecundum Indicem Romanum, & ejus regulas, in hanc noſtram Diœceſim, & Ditiones inferre, aut venales tenere audeat, ſub pœnis confiſcationis librorum, & aliis, noſtro, ſeu Vicarii noſtri Generalis arbitrio infligendis.

Statuimus item, & ordinamus, ne Parochi locorum, in quibus, ſtatis anni temporibus, nundinæ celebrantur, ullos libros venales proponi patiantur, niſi Bibliopolæ ipſis eorum indicem, ſeu catalogum prius exhibuerint exa-

minandum; ut pernicioſi a bonis, & probatis diſcerni queant.

Quod ut accuratius obſervetur, diſtricte præcipimus omnibus cujuscunque ſtatus Præfectis, & Judicibus terrarum, jurisdictionum, & locorum temporalis Dominii hujus Eccleſiæ Tridentinæ, cæteros vero ſerio in Domino requirimus, ut Parochis in hujus noſtri Decreti executione, ſua auctoritate, & auxilio adſint, ut ſi contigerit, damnatæ lectionis libros penes aliquem reperiri, curent juxta præmiſſa, contra importantes, & tenentes ſevere procedi.

Si item reperti fuerint libri, aut ſcripta, ſive tractatus, cantilenæ, aut ſimilia, vernacula, & vulgari lingua compoſita, in quibus contineantur hæreſes, ſeu errores, aut ſcandaloſa; ea, licet Indice Romano non contineantur, Parochi diligenter colligant, neque patiantur evulgari: curentque, ut contra ſimilia importantes, ut ſupra dictum eſt, pro modo culpæ ſevere procedatur.

Idem facient de picturis, quibus vel Religio Catholica traducitur, aut hæreſis ſimplici populo obtruditur.

Admonemus etiam Decanos rurales, ut pro viribus & ipſi non tantum in propriis Parochiis, ſed etiam in totis ſuis Decanatibus in hoc advigilent, ipſos Parochos ſui officii admonendo, &, ſi neceſſitas poſtulabit, brachium ſæculare contra inobedientes invocando. Quod ſi in hoc remiſſius viderint procedi, de eo quamprimum Nos, ſeu Vicarium noſtrum certiorem faciant.

Impreſſores vero, juxta modum eis a *Sancta Tridentina Synodo* præſcriptum, nullum librum, vel quodcunque ſcriptum, tam antea ubivis locorum impreſſum, quam non impreſſum, excudere poſſint ſine noſtra, vel Vicarii noſtri licentia: ipſa vero originalia cum exemplis concordantia, in Archivio noſtro reponi volumus, ne cui fraudi locus relinquatur. Contra facientes, præter exemplorum amiſſionem, alias pœnas noſtro arbitrio luent.

De Blaſphemis.

CAPUT IV.

UT populus a blaſphemiæ abominabili peccato ſe ſe contineat, Parochi & Verbi Dei Concionatores ejus enormitatem ſæpe exponent; pœnas a Lege Divina, a Sacris Canonibus, a Summis Pontificibus, ac noſtris etiam Anteceſſoribus in blaſphemos promulgatas, ipſis ob oculos ponendo.

Interim etiam in Domino monemus, & diſtricte mandamus quibusvis Judicibus tam Eccleſiaſticis, quam ſæcularibus, ut contra hujusmodi Majeſtatis Divinæ contemptores debitis pœnis procedant.

Et quoniam reprimenda eſt etiam eorum temeritas, qui Sacræ Scripturæ verbis, & ſententiis abutuntur, ad profana, fabuloſa, ſcurrilia, vanitates, ac ſcommata, contumeliasque eas convertentes; ſi quisquam id facere deprehenſus fuerit, pœnis debitis ſevere contra eum, juxta ſupra dictorum Legum rigorem, procedemus.

De Superſtitionibus.

CAPUT V.

LIcet Divina Lex maxime deteſtetur magos, ſtriges, ariolos, incantatores, divinos, ſortilegos, & id genus ſuperſtitioſos, ac maleficos homines: ac contra tales, & illis credentes, illos conſulentes, eorum opera utentes, non tantum extent ſeveræ Dei comminationes, ſed etiam Legibus tam Eccleſiaſticis, quam Sæcularibus graviſſimæ illis pœnæ infligantur; nihilominus intelligimus, hujuscemodi diabolicas impietates & abominationes nondum a noſtro Epiſcopatu plane exulare. Proinde diſtricte mandamus, ut contra quoscunque maleficos, ſtriges, incantatores, necromantas, divinos, & id genus ſacrilegos impoſtores, ligaturis, characteribus, incognitis figuris, imaginibus, verbis ignotis, dæmonum invocationibus, adorationibus, Sacramentorum, aut Sacramentalium abuſu, & profanatione, aut quolibet alio modo ſuperſtitioſo, de futuris contingentibus inveſtigantes, theſauros, &

& res perditas ſimili modo inquirentes, pluvias, ſiccitates, tempeſtates procurantes, maleficia inducentes, aut etiam maleficio ſolventes, aut quomodolibet ſuperſtitioſa, vana, pernicioſa, ut præfertur, attentantes, nec non illos de his, & ſimilibus conſulentes, illis faventes, & cooperantes, ſevere ſecundum Sacrorum Canonum præſcripta, & Summorum Pontificum Conſtitutiones, pro modo culpæ, etiam tanquam contra ſuſpectos de hæreſi, aut apoſtaſia a fide, procedatur.

Moneantque Parochi fideles omnes, ſub pœna excommunicationis, ut ſi tales noverint, illos Nobis, aut Vicario noſtro denuncient.

Et quia plerumque contingit, aliquos animi ſimplicitate in hæc delabi, non attendentes delicti gravitatem; injungimus Parochis & Curatis, nec non Verbi Dei Concionatoribus, ac Confeſſoribus, ut fideli populo, etiam in caſu amiſſionis rerum ſuarum, acceſſum ad divinatores prohibeant, ſæpeque in mentem reducant, quam Deo abominabile ſit hoc delictum, quod cum manifeſta, aut certe occulta dœmonum ſocietate conjunctum, illaqueatas animas tenebrarum poteſtati mancipat. Ac propterea moneant eos, ut non ſolum graviores, & atrociores ſpecies ſuperſtitioſarum impietatum, ſed etiam illas evitent, quæ leviores & vanæ videntur: cum ubique ſe ſe his inimicus dœmon ſua operatione, ad fallendas, & in præceps trahendas animas, immiſceat. Si vero moniti non reſipuerint, tunc Nobis, aut Vicario noſtro ſine mora eos indicare teneantur.

Si cui Parocho, aut Curato, vel Confeſſario inſtrumenta, ſcripta, aut alia, ad hujuscemodi artium diabolicarum exercitium facta, a pœnitentibus, aut aliis exhibita fuerint, ea quamprimum Vicario noſtro Generali tradant.

De Prædicatione Verbi Dei.

CAPUT VI.

QUoniam ad culturam agri Dominici, ipſi Verbo Dei ineſt vis incomparabilis, admonemus curam animarum exercentes, ut præcipuam officii ſui, ac ſolicitudinis partem poſitam eſſe meminerint in ejusdem Verbi prædicatione. Ex qua, ut populus ipſis commiſſus majorem fructum capiat, eos in Domino hortamur, ut ſermonem ſuum captui ejusdem populi accommodent, præcipue huc reſpicientes, ut fidei Chriſtianæ rudimenta, & ſalutis monita tradentes, pietatis, & Religionis documenta fidelium animis, Deo cooperante, imprimant: ac proinde in Dei Verbo meditentur die, ac nocte, ſcientes, omnem Scripturam, Divinitus inſpiratam, utilem eſſe ad docendum; & Verbum Dei eſſe malleum, conterentem petras; & ſæpe in ſimplicitate ſuſcipi a puſillis & parvulis, trementibus ſermones ejus.

In exponendo vero Sacro Evangelio, & Verbo Dei annunciando, nullibi ab intelligentia Sanctæ Matris Eccleſiæ deflectant, unanimem Sanctorum Patrum, ejusdem Eccleſiæ Doctorum interpretationem, & ſententiam, ſine hæſitatione ſequentes: atque hac ſalutari doctrina innixi, Dominicis, & Feſtivis diebus, quando populus majore frequentia ad Eccleſiam confluit, ea præcipue explicabunt, quæ omnes ſcire neceſſarium eſt ad ſalutem.

Tum vero diligenter meditentur, quæ Sacrum *Concilium Tridentinum* fidelibus a Parochis, diverſis occaſionibus potiſſimum exponi, & doceri mandat. Quare Catechiſmum Romanum, & ex modernis illos auctores, qui omiſſis ſuperfluis quæſtionibus, ea tractant, quæ fideli populo his temporibus pro recta fidei, & pietatis inſtructione ſunt proponenda, aſſidue perlegant.

Maxime vero curabunt, ut populus intelligat gravitatem delictorum, eorum præcipue, quæ frequentius in ipſorum Parochiis committuntur: ea denique ſæpius inculcabunt, quæ ad vitam pie, & Chriſtiane inſtituendam requiruntur. In fine autem ſermonis ſemper vulgari lingua Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decem Præcepta ſubjungant.

Obſcuras, ac indeterminatas quæſtiones, audientium captum excedentes,

tes, quæ ad pietatem parum, vel nihil faciunt, omittant.

Apocrypha, vana, fabuloſa, & Evangelicæ prædicationis gravitate indigna, evitent.

Hæreticorum opiniones, & argumenta e ſuggeſtu non referant, niſi quando id neceſſitas poſtulat: atque tunc ita ſint inſtructi, ut dilucidis, & claris reſponſionibus ea diluere valeant; ne ullus in mentibus audientium ſcrupulus hæreat.

Amarulentias, aut inconcinnum rigorem, quo auditores non ædificantur, fugiant: ubi vero verborum acrimoniam res ipſa poſtulat, ſit ſermo ſale conditus, & ſpirans charitatem: ſeveritas pungat, & dirigat: percutiat, & ſanet.

In ſumma, hoc tantum munus ea charitate, prudentia, & aſſiduitate exequantur, quam fidelis populi inſtructio, & ad ſalutem per mandatorum Dei obſervantiam, directio poſtulabunt: ſciantque, ad id efficiendum, magnum pondus acceſſurum eſſe, ſi vitæ innocentia, integritateque miniſterium Verbi commendetur. Quod ſi Parochi huic ipſorum Divini Verbi prædicandi officio non ſatisfecerint, contra eos ſevere procedemus, & ad illa remedia deveniemus, quibus ipſorum negligentia, ac defectus ſuppleantur, juxta *Tridentini Concilii* præſcriptum *Seſſ. V. Cap. II. de Reform.* & *Seſſ. XXIV. C. IV.*

De Doctrina Chriſtiana.

CAPUT VII.

UT teneræ ætatis animis Fidei, & Religionis, unde univerſæ vitæ pie inſtituendæ ratio pendet, rudimenta inſtillentur; omnes Rectores, Capellanos, & alias perſonas Eccleſiaſticas hortamur, & in Domino iis injungimus, ut huic tam neceſſario operi diligenter invigilent: parvulos, & quoscunque alios, rudimentorum fidei ignaros, Dominicis & Feſtivis diebus in Eccleſiis congregent, ac contenta in libello ſub noſtro nomine, ea de re edito, ſtudioſe iisdem prælegant, & interpretentur.

Quod ut majori fructu præſtare poſſint; parentibus, tutoribus, ac patribus familias ſerio mandamus, ut filios ſuos, & alios ſibi ſubjectos, ad ſaluberrimum hoc exercitium mittere non prætermittant.

De Prædicatoribus extraordinariis examinandis.

CAPUT VIII.

QUia ſæpe uſuvenit, ut diverſorum Ordinum Prædicatores, Quadrageſimali tempore ad villas, & Parochias per Diœceſim noſtram deſtinentur, admodum exiguo populorum fructu: dum vel nimium juvenes mittuntur, vel in iis, quæ ad veram pietatem tradendam ſpectant, parum inſtructi;

Ideo præcipimus, & ordinamus, ut Vicarius noſter, & qui ad hoc deputati ſunt, juxta locorum neceſſitatem, & qualitatem perſonarum, illos dirigant, & ſi quos noverint alias ſcandaloſe ſe geſſiſſe, vel non illa eſſe eruditione, & prudentia, ut prædicandi munus decenter exequi poſſint; tales non admittant, neque eis literas, aut patentes concedant, ſine quibus a nullo Parocho noſtræ Diœceſis quemque Religioſum volumus ad munus prædicandi extra Regulares Eccleſias admitti.

Qui vero ad prædicandi munus per Diœceſim deſtinabuntur, ſerio a Vicario noſtro admoneantur, ut tam Parochos, quam populos, ad quos mittuntur, paterna benevolentia, & pietate proſequentes, munus ſuum cum charitate, & prudentia exequantur. Illa miſſa faciant, quæ rudis populi intelligentiam excedunt. Verum cognito ex Parochis, & probis viris ſtatu, & conditione populi, ad ejus ſe captum accommodent: de Chriſtianis virtutibus, & oppoſitis vitiis, prout neceſſitas exiget, ita tractent, ut ad ſalutaria auditores dirigant, & ab illis peccatis, & vitiis, ad quæ procliviores noverint, avocent.

Et quia admiſſi ad concionandi munus, etiam ad confeſſiones audiendas approbantur, volumus, ut illis diſtricte inhibeatur, ne ſe ſe in caſibus, Epiſcopo, nedum Summo Pontifici Roma-

Romano, reſervatis, ingerant. Et ſi quem ex rationabili cauſa a proprio Parocho abſolutionem non impetrare cognoverint, talem neque ipſi abſolvant. Venientes ab aliis Parochiis ſine ipſorum Parochorum licentia, omnino non abſolvant, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio prædicandi, & confeſſiones audiendi in noſtra Diœceſi, & aliis ad arbitrium noſtrum, vel Vicarii noſtri.

Moneantur, ut tam in Concionibus, quam in Confeſſionibus ſalutari cum rigore tractent caſus uſurarios, & illicitos: & quæ in præſenti Synodo ſtatuta ſunt, atque in admonitionibus ad Parochos, & Curatos editis continentur, diligenter obſerventur; tum etiam edicta, quibus damnatorum contractuum ſpecies proponi curabimus, attente meditentur.

Si quis autem ex iſtis Concionatoribus (quod abſit) in concionibus, vel alias ſe ſcandaloſe geſſerit, id Nobis a Parochis indicari volumus, ut contra eos juxta diſpoſitionem *Concilii Tridentini Seſſ. V. Cap. II. de Reform.* procedi poſſit.

De Sacramentis in genere.

CAPUT IX.

QUia fidelis populi ſanctificationem, & juſtitiam Sacramenta Eccleſiæ regulariter operantur, augent, & amiſſam reparant; Parochi docebunt juxta Sacri *Concilii Tridentini* præſcriptum, hæc ipſa Sacramenta a Chriſto Domino noſtro ad lapſæ per peccatum naturæ reparationem inſtituta, Divinæ gratiæ eſſe inſtrumenta, quibus inexhauſta virtus Paſſionis & Mortis ejus digne ſuſcipientibus applicatur.

In adminiſtrandis vero Sacramentis, volumus per Parochos, & animarum curam gerentes, exacte eum modum, & cæremonias obſervari, quæ tum e Sacris Canonibus per Oecumenicum *Concilium Tridentinum*, tum in *Rituali* noſtro præſcribuntur: in primis diligenter obſervando, ut ante cujuscunque Sacramenti adminiſtrationem, breviter lingua vernacula ad captum ipſorum ſuſcipientium, explicetur vis, & uſus ipſius Sacramenti.

Fugiant vero in adminiſtratione Sacramentorum, omnem ſpeciem avaritiæ, neque quicquam ex pacto, vel conventione exigant: ſed Sacramenta ipſa bene diſpoſitis, absque dilatione, pro loco, tempore, & neceſſitatis exigentia, pie, prompteque adminiſtrent juxta Eccleſiæ inſtitutum.

Poſt ipſa vero Sacramenta adminiſtrata non prohibentur recognitionem ex conſuetudine debitam exigere, juxta *Cap. Ad Apoſtolicam. de Simon.* In quo tamen caveant, ne offendiculum, aut ſcandalum præbeant.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT X.

DOceatur populus, natura filios iræ per Baptiſmum regenerari in filios & hæredes vitæ æternæ: qui cum propterea differri minime debeat, ſtatuimus, natum infantem quamprimum, vel ad ſummum intra octiduum, ad Eccleſiam eſſe deferendum & baptizandum. Parochus autem, antequam ad baptizandi actum deveniat, diligenter inquirat, an infans ob aliquod periculum fuerit baptizatus, & ſi repertus fuerit rite eſſe baptizatus, eo caſu, ne ſub conditione quidem amplius baptizet, ſed tantum impoſito nomine infanti, conſuetas preces, Sacram Unctionem, atque alia adhiberi ſolita, juxta ipſum *Rituale* adjungat.

Et quia experientia docet, aliquando conſtare vix poſſe, an a laicis baptizatus, Baptiſmum vere ſuſceperit; ideo ad medendum in hoc Sacramento tam periculoſæ incertitudini, Parochus quomodolibet baptizatum, ubi probabiliter de Baptiſmi validitate dubitat, baptizet juxta modum præſcriptum in *Rituali.*

Doceant etiam Parochi diligenter formam & materiam hujus Sacramenti, admoneantque omnes viros juxta ac mulieres, ne facile moveantur ad baptizandum infantem: ſed tunc tantum, quando probabiliter periculum mortis timetur, nec copia eſt præſentis Sacerdotis, aut alterius Sacris initiati: & tunc adhibita aqua naturali, & ſimplice, accurate utantur integra forma:

Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: verba ipſa formalia ſemel tantum proferendo.

Moneant præterea Parochi infantum parentes, ut baptizandis Sanctorum potiſſimum nomina imponi curent, in quorum tunc ſortem vocantur.

Ad levandos de Sacro Fonte infantes ſit tantum unus Compater, aut una Commater, vel ad ſummum unus & una: Neque admittantur publice criminoſi, hæretici, aut excommunicati: imo neque illi, qui absque legitimo impedimento omiſerint ſemel ſaltem in anno, tempore ab Eccleſia conſtituto, peccata ſua confiteri, & Sacram Euchariſtiam ſumere.

Item moneri volumus compatres, & commatres de ſpirituali cognatione, quæ in ſuſceptione contrahitur, ac illius impedimento, juxta *Concilii Tridentini* declarationem *Seſſ. XXIV. Cap. II.*

Statuimus etiam, ut compatres, & commatres, non impuberes deligantur; ne videatur infans infantem offerre, ac ſponſorem ſe Deo pro alio conſtituere, qui quod promittit, non intelligat.

Inſuper improbamus illorum faſtum, qui citra caſum neceſſitatis ambitioſe curant, ſuos infantes in domibus privatim baptizari, poſt habito Templo Domini.

Et cum baptizandi renuncient diabolo, & pompis ejus, fideles admoneantur, ut filios regenerandos offerant cum devotionis affectu, eas pompas devitantes, quæ jactantiam & oſtentationem præ ſe ferunt.

Habeant inſuper Parochi librum bene ligatum, & qui poſſit conſervari, &, cum neceſſitas poſtulat, ad manus etiam poſt longum tempus haberi, in quo annotent nomen baptizati, patris, matris, & ſuſceptorum, diem quoque, menſem, & annum: tum etiam, ſi infans illegitimus, aut ex incerto patre natus eſt.

Reliqua ad Sacramentum hoc rite adminiſtrandum pertinentia, ex *Catechiſmo Romano*, & *Rituali* noſtro petantur.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT XI.

PEr Baptiſmum renati, Sacramento Confirmationis augentur in gratia, & perfectum animi robur accipiunt, ac ad luctam contra diabolum, mundum, & carnem armantur, quo ſtabiles in fidei ſuſceptæ confeſſione, perfectos ſe Chriſti milites exhibeant: quod a Parochis populo Dei diligenter inculcari volumus.

Moneant pariter, Sacramentum hoc ſumma reverentia, devotione, humilitate, ac omni puritate, prævia in adultis confeſſione, ſuſcipiendum eſſe. Nulli minori ſeptennio præbeatur.

Parochi, priusquam Sacrum Chriſma ſit adminiſtrandum, doceant confirmandos de hujus Sacramenti inſtitutione, materia, effectu, & miniſtro, juxta illa, quæ in Catechiſmo ad Parochos traduntur. Quod etiam Epiſcopus, hujus Sacramenti Miniſter ordinarius, de more præſtare ſolet.

Teneant Parochi librum, in quo nomina confirmatorum, & compatrum deſcribantur, uti de baptizatis injungitur.

Admoneantur præterea ſuſceptores, & ſuſcepti, de ſpirituali cognatione, quam contrahunt; & de onere, ac obligatione, doctrinam Chriſtianam confirmatos docendi.

Decet etiam, ne mulieres adultos, neque viri adultas, teneant, ſed in utrisque ſervetur ſexus conformitas: & ne junior ſeniorem offerat: atque in univerſum, qui non fuerit confirmatus, & eo anno non fuerit ſua peccata confeſſus, & Euchariſtiam non ſumpſerit: qui Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decem Præcepta non calleat: item publice criminoſus, hæreticus, aut alias excommunicatus. Hi, inquam, nullo pacto confirmandum offerre præſumant. Pater, & mater filium, aut filiam non offerant. Denique offerentes quicumque, nullis armis inſtructi accedant.

De

Digitized by Google

De Sacerdotibus, ad Sacrum Chriſma conficiendum mittendis.

CAPUT XII.

NE propter defectum Clericorum, qui in die Cœnæ Domini ad Sancti Chriſmatis confectionem neceſſario requiruntur, aliquod ſcandalum oriatur; Prædeceſſorum noſtrorum Decreto inhærentes, mandamus, ut in illam diem per Rectores Eccleſiarum Parochialium, & alios ex infra ſcriptis ſex Decanatibus, & aliis Eccleſiis noſtræ Diœceſis mittantur Sacerdotes viginti quatuor: videlicet ex *Præpoſitura Sancti Michaelis ad Atheſim*, mittatur Sacerdos unus: ex *Decanatu ad longum Atheſim* quinque: ex *Decanatu Bulzani* duo: ex *Decanatu Vallium Annaniæ & Solis*, quinque: ex *Decanatu Judicariarum*, quinque: ex *Clero Arcbi*, unus: ex *Decanatu Ripano*, unus: ex *Decanatu Vallis Lagarinæ*, quatuor. (Cura autem, & munus deputandi eos, qui quotannis mittendi ſunt, Decanis Ruralibus incumbat.) Qui quidem Sacerdotes hora congrua, ſub pulſu campanæ magnæ, ut moris eſt, præſto adſint in Eccleſia Cathedrali, cum aliis officium peracturi. Et eo finito, ac Chriſmate conſecrato, teneantur pro omnibus illis, a quibus miſſi ſunt, ſecum Chriſma deferre: diſtricte prohibentes, ne ab illis, aut aliis noſtræ Diœceſis Sacerdotibus, & Curatis, ad Chriſma recipiendum laicus ullus mittatur, neque Sacriſta ulli laico illud deferendum dare præſumat. Contrafacientes pœna decem librarum mulctentur, applicanda eorum Parochiali Eccleſiæ.

Quod ſi forte contingat, Tridenti Chriſma non confici; tunc ipſi Decani foranei pro tempore providebunt, ut Tridento deferatur, & claſſes ſingulæ prædictorum Decanatuum mittant Sacerdotem ad ſuum Decanum, a quo Chriſma accipiat pro ſua claſſe: contribuendo ipſi Decano libras ſingulas in ſingulos ſuæ claſſis Plebanos, pro ſumptibus in deferendo factis.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT XIII.

DE Sacro hoc, admirabili, & tremendo Myſterio, vix paucis dici poſſunt, quæ populo fideli a Parochis ſunt inculcanda, ut condecenter ſe ſe præparet ad fruendum myſtico hoc Angelorum cibo, quo mens omnium ſpiritualium charismatum abundantia impinguatur. Hortentur ergo ante omnia plebem Parochi, ut prævia diligenti diſcuſſione propriæ conſcientiæ, & per integram, & fructuoſam pœnitentiam, cum timore, & tremore accedant ad tanti Regis menſam.

Quadrageſimali vero tempore, diebus Dominicis, & ante hebdomadam ſanctam, ſæpius omnes moneant utriuſque ſexus fideles, in legitima ætate conſtitutos, ut ſe ſe præparent per Sacramentalem Confeſſionem ad ſumendum tempore Paſchali Sacram Euchariſtiam. Quod ſi quis Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepto in hoc non paruerit; ſemel, aut iterum infra octavam Paſchæ admoneatur: ſi ne tum quidem evigilaverit, Parochus, vel Curatus ejus nomen ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem quamprimum deferat.

In illis Eccleſiis, in quibus animarum cura exercetur, tam in Civitate, quam extra per Diœceſim, aſſervetur Euchariſtia in vaſe argenteo intrinſecus deaurato, ſuper Altari majore, in Tabernaculo, quoad fieri poteſt, ornatiſſimo, lampasque coram eo perpetuo luceat: & quum ad ægrotos defertur Sacramentum hoc, evocetur populus campanæ ſono, & præſertim ſocietates, ſi quæ ſunt: Sacerdos devote & reverenter pſallendo illud deferat, cota, ſtola, & pluviali indutus: adſint item cerei, & umbella. Pluviale tamen, & umbella alicubi per Diœceſim, ex cauſa omitti poſſunt.

Proceſſio, quæ ſingulis annis in feſtivitate Corporis Chriſti fit, celebretur devote, & reverenter: adſit per vias, & congruis locis ornatus, quam fieri poteſt, decentiſſimus. Nil exponatur, agatur, vel repræſentetur, quod riſum, ſeu irreverentiam moveat, aut profanam ſapiat vanitatem: nec tor-

menta, aut bombardæ in ipſa Proceſſione diſplodantur.

De Sacrificio Miſſæ.

CAPUT XIV.

QUoniam vero his temporibus exulceratiſſimis hoſtes Eccleſiæ nihil acrius impugnant, quam Sacrificium Miſſæ; Parochi, & alii curam animarum gerentes, diligenter meditentur, quæ de Sanctiſſimo hoc Sacrificio Oecumenicum *Concilium Tridentinum* ſtatuit, quidque doceri de eodem poſtulet. Circa quod etiam Catechismum Romanum conſulant, fideles populos crebro admonendo, ut tremenda hæc Myſteria pie venerentur, illorum vim, fructumque ineffabilem, quantum quidem fieri poteſt, & intelligere ſtudeant, & ardenti animi deſiderio ad illum anhelent.

Tum vero diligenter attendatur Decretum *de obſervandis, & evitandis in celebratione Miſſæ. Seſſ. XXII.* quibus adjungenda eſt diligens lectio, & cognitio *Rubricæ* ipſius *Miſſalis* reformatæ.

Sacerdos celebraturus, ſi conſcius ſibi fuerit peccati mortalis, Sacramentaliter confiteatur, juxta Decretum *Conc. Trid. Seſſ. XIII. Cap. VII.* incip. *Si non decet.*

Noverint etiam Sacerdotes maxime decere, ut qui frequentius, vel ex devotione, vel officio celebrant, ſingulis hebdomadibus Sacramentaliter confiteantur.

Nullus Sacerdos, ut aliam Eccleſiam honoret, propriam deſerat ſine Sacrificio Miſſæ diebus Dominicis, aut aliis Feſtivitatibus, quibus ex præcepto Eccleſiæ populus Miſſæ Sacrificio intereſſe debet, niſi Eccleſia, quam honorare intendit, ſit vicina, & ad illam populus ſuæ Eccleſiæ tunc confluere ſoleat.

Nullus Sacerdos ſæcularis audeat primam Miſſam celebrare ſine noſtro, aut Vicarii noſtri conſenſu: quo obtento, juxta Decretum *de obſerv. & evitand. in celebrat. Miſſ.* omnino abſtineat ab omni illiberali eleemoſynarum exactione: quæ cum a ſordido quæſtu non abſit, pari modo fugienda eſt in omni celebratione Miſſarum.

Muſici & Organiſtæ a cantu laſcivo, a profanis carminibus ad choreas accommodatis, in Eccleſia abſtineant.

Statuimus præterea, & ordinamus, ut Miſſas debitas quilibet Sacerdos, aut Beneficiatus per ſe, vel per alium idoneum, perſolvat ſuis Altaribus, & Capellis, juxta eorum fundationes.

Idemque in Eccleſiis, ubi diebus Dominicis, & aliis ſolennitatibus Miſſæ Sacrum, & Veſperæ decantari ſolent, inpoſterum diligenter ſervetur.

Volumus etiam, ut juxta *Tridentini Concilii* Decretum, fidelium vivorum ſuffragia, Miſſarum ſcilicet Sacrificia, orationes, eleemoſynæ, aliaque pietatis opera, quæ pro defunctis fieri conſueverunt, ſecundum Eccleſiæ inſtitutum pie, & devote fiant, ipſique Rectores, Parochi, & Beneficiati fideliter & diligenter juxta Teſtatorum fundationes, ea præſtent & perſolvant.

Præterea populus moneatur, ut diebus ſaltem Dominicis, & majoribus Feſtis, ad proprias Parochias accedat ad audiendum Verbum Dei. Ipſi autem Parochi, & Curati infra Miſſarum Solennia ex iis, quæ in Miſſa leguntur, aliquid exponant, atque inter cætera ipſius Miſſæ myſterium aliquod declarent.

Damnanda vero eſt illorum irreverentia, qui Dominicis, aliisque Feſtis diebus, quibus ex Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepto in ſuis Eccleſiis Miſſam integram audire cum teneantur; nihilominus temere de Templo ante Miſſam finitam, & Sacerdotis benedictionem recedunt: & pariter illorum, qui dum Miſſa celebratur, & Divinum Verbum prædicatur, fabulis & nugis in cœmiterio tempus extrahunt, plerumque ſæcularia tractantes, malo fidelium exemplo, & contra Sacrorum Canonum Sanctiones. Cui malo Nos opportune providere cupientes, ſtatuimus, ut Parochi, & Curati omnes aliquando per annum in Eccleſiis publicent Canonem antiquum Cap. *Miſſas, Diſtinct. I. de Conſecrat.* cujus tenor eſt: " Miſſas die Dominica ſæcularibus to-
" tas audire, ſpeciali ordine præcipi-
" mus: ita ut ante benedictionem Sa-
" cerdotis egredi populus non præſu-
mat:

" mat: quod ſi fecerint, ab Epiſcopo " publice confundantur."

Qui igitur admoniti in prædictis contrafecerint, ſubjaceant, præfatorum Canonum pœnis, atque inſuper mulctam incurrant librarum duarum per Syndicos exigendarum, & Parochiali Eccleſiæ, vel alii pio uſui, ad arbitrium Parochi, applicandarum, quibus etiam pro ipſo labore exigendi, dentur quaterni cruciferi ex hujusmodi mulcta.

Moneant Parochi, & Rectores ingredientes Eccletias, ut omnino bombardas, haſtas, & alia arma inſueta deponant; qui ſi non obedierint, tanquam contumaces, Nobis, vel Vicario noſtro deferantur.

Si vero ſcandala, vel pericula ab hujusmodi contumacibus veriſimiliter oritura timeantur, Sacerdotes etiam a celebrando abſtineant.

De Ara portatili.

CAPUT XV.

INſuper omnibus & ſingulis Sacerdotibus ſub pœna excommunicationis, & marcharum quinque prohibemus, ne in noſtra Diœceſi ſuper Ara portatili, ad requiſitionem cujusquam celebrare præſumant, ſine ſpeciali noſtra licentia, in ſcriptis habita; & non niſi in dedicato ad hoc oratorio, a Nobis, vel Vicario noſtro, viſitando.

In viſitationibus etiam Altaria portatilia perquirantur: & quæ non ampla, & commoda reperta fuerint, tollantur.

De cætero vero lapis conſecrandus pro Altari portatili ſit longitudinis unius ſaltem palmi cum dimidio, & latitudinis unius palmi, ita ut commode calicem cum hoſtia capiat.

De Altarium ornatu, Imaginibus, & cultu Reliquiarum Sanctorum.

CAPUT XVI.

ALtaria decenti ornatu, quantum fieri poteſt, exculca & nitida ſint, & ante omnia ſalutiferæ Crucis ſigno condecorata, ac pari ſtudio Eccleſiæ ipſæ, ſicut decet domum Dei, ab omni ſitu, & ſqualore vindicentur, puræque, ac mundæ conſerventur.

Si quæ fuerint in Eccleſiis imagines vetuſtate, aut alias indecoræ, & offenſionem præbentes, eæ debito modo tollantur.

Ne (*) vero in cultu Reliquiarum Sanctorum, quæ in aliquibus Diœceſis noſtræ Eccleſiis reconditæ reperiuntur, abuſus ullus oriatur, vel minus decenter cuſtodiantur; mandamus, illas per Sacerdotes, quorum curæ ſub inventario authentico committantur, diligenter & honorifice in loco ſacro, & ſub diligenti clavium cuſtodia in capſulis, vel pyxidibus, ſe a manu laica contrectentur, conſervari, & non niſi cum reverentia oſtendi, in viſitationibus vero ordinariis eas diligenter recenſeri volumus.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT XVII.

CUm Sacramento Pœnitentiæ, lapſis poſt Baptiſmum, beneficium Mortis Chriſti applicetur, alia tamen ratione, quam in Baptiſmo: Parochi, & alii, curam animarum exercentes, ſæpius per annum, præcipue vero tempore Quadrageſimæ diligenter populo explicabunt ſaluberrimi hujus, & maxime neceſſarii Sacramenti virtutem & efficaciam.

In primis vero docebunt, quid ab illis, qui a ſuſcepta ſemel gratia excidentes, peccatorum ſordibus Spiritum Sanctum contriſtaverunt, requiratur. Quod ut efficacius præſtare poſſint Parochi, habeant in promptu Sacri *Concilii Tridentini* de Sacramento Pœnitentiæ & juſtificatione impii doctrinam, meditentur etiam diligenter, quæ in *Catechiſmo ad Parochos* de his traduntur. Quibus omnibus adhibeant probatiores Summas, illos Auctores, qui dilucide, pie & erudite de Sacramento Pœnitentiæ, ejusque partibus tractant: illud præcipue intendentes; ut cum timore, & tremore diſcant fideles recogitare

(*) Cap. 2. de Reliq. & vener. Sanct. C. Corpora. de Conſecr. Diſt. 1.

gitare dies ſuos in amaritudine animæ ſuæ: quo excitati, Dei miſerantis auxilio, per veram contritionem, integram confeſſionem (qua diſtincte & ſigillatim peccata ſua enumerent, & in ſpecie recenſeant) & operis ſatisfactionem, poſſint pervenire ad eam gratiam, quæ ex Dei inſtitutione, Sancto hoc Sacramento, adminiſtratur.

Quapropter primis ſtatim diebus Quadrageſimæ publicabunt Capitulum: *Omnis utriuſque ſexus, &c.* (*), populumque monebunt, ut tempeſtive ſe præparet ad confeſſionem.

Habeant caſus Epiſcopo reſervatos: item Bullam in Cœna Domini, ut ſi qui eos adeunt, hujusmodi caſibus irretiti, ſciant eos cum charitate, & opportunis monitionibus, conſilio etiam, & auxilio, ad illos dirigere, qui facultatem habent tales abſolvendi, in quo magna circumſpectione curabunt, ne aliis innoteſcat, tales reſervatis caſibus eſſe illaqueatos.

Si qui rationabili cauſa petunt a propriis Parochis licentiam alteri Sacerdoti confitendi, ea non gravate concedatur; ita tamen, ut probato Sacerdoti confiteatur, ab eoque fidem habeant in ſcriptis de confeſſione facta.

Et quia nonnunquam contingit, aliquos a proprio Parocho abſolutionem Sacramentalem non obtinere, ſi cauſæ negatæ abſolutionis ſunt manifeſtæ, puta contractuum damnatorum, vel concubinatus, vel quævis alia Canonica; tunc nullus alius Sacerdos ſæcularis, aut Regularis, tales abſolvat, ne ſub prætextu quidem Jubilæi quantumvis ampli, cum nullæ facultates illi ſuffragentur, qui absque debita ſatisfactione prætendunt informi confeſſione effugere pœnas Cap. *Omnis utriuſque ſexus.*

Et quia difficillimum eſt, delicta intelligere, & pœnitentium animos, tot & tam diverſis peccatorum involucris involutos, fructuoſe tractare; Confeſſarii ad audiendas confeſſiones approbati, diligenter & attente conſiderabunt caſus difficiliores, ut ſunt, qui ab uſurariis, & aliis illicitis, & injuſtis contractibus: item a materia reſtitutionum, cenſurarum Eccleſiaſticarum, & ſimilibus pendent: quos ſi de ſua peritia, & ſcientia diffidentes, evolvere non poterunt, alios peritiores, & magis expertos conſulant.

Quapropter injungimus etiam Decanis foraneis, ut aliquando per annum Sacerdotes congregent, & ſi quid obſcurum aut difficile occurret circa caſus conſcientiæ, inter ſe conferant, & ſi neceſſarium videbitur, ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem referant.

Et quia Sacerdotes vice Dei Salvatoris noſtri, hoc ſori conſcientiæ judicium exercent; meminerint, ſibi inevitabilem impoſitam eſſe neceſſitatem, ut vitæ, & morum integritate muneri tam ſublimi reſpondeant; proinde in primis Dei auxilio ſe ſe exhibeant ut Miniſtros Chriſti, in patientia, & charitate.

In audiendis confeſſionibus eam adhibeant gravitatem, quæ Divinum hoc Tribunal decet.

Non niſi in Eccleſia confeſſiones audiant, exceptis caſibus neceſſitatis. Sint induti cotta & ſtola, ſedentesque audiant confitentes.

Mulieres tantummodo clara luce (niſi gravis cauſa excuſet) audiant, idque in loco patente, & in ſedibus confeſſionalibus, ad hoc deputatis.

Et quia experientia docet, multos ſalubrius confiteri, ſi animi eorum apoſite, & cum charitate tractentur; ideo ſecundum neceſſitatem locorum, temporum, & perſonarum, Confeſſarii advertant ad ea peccata, quibus confitentes magis obnoxios conſpiciunt, ac quanta poſſunt diligentia, prudentia, & charitate, nunc manſuetudine, & commiſeratione, nunc etiam (ſi id neceſſitas poſtulabit) ſalutari cum rigore, quærant animarum lucrum, & pœnitentium ſalutem.

Proinde curabunt, ut ipſi pœnitentes ſinceram eorum erga ſe charitatem agnoſcentes, vulnera animarum, & anguſtias conſcientiæ liberius, & fidelius detegant.

Et

(*) Cap. de Pœn. & Remiſſ. peccat.

Digitized by Google

Et quia non deſunt, qui arbitrentur ſe ſatisfacere præcepto & neceſſitati Sacramentalis confeſſionis, per quandam generalem confeſſionem; Parochi & Concionatores, ubi id maxime neceſſitas poſtulat, monebunt de integræ confeſſionis partibus, tum præcipue, de ipſa peccatorum, & circumſtantiarum eorundem neceſſaria enumeratione: ac propterea Parochi non admittant pœnitentes catervatim, videantque, ut tanta diſtantia a confitente cæteri abſint, ut quæ dicuntur tam a pœnitente, quam Sacerdote, a circumſtantibus audiri non poſſint. Et populum ſuum moneant, ut tempeſtive ad confitendum accedant, nec ad ultimos Quadrageſimæ dies differant.

Non raro etiam contingit, ut adverſa valetudine laborantes, majorem curam gerant corporis, atque externorum bonorum, quam ipſius animæ. Ut igitur eorundem imbecillitati conſulatur, ſerio monendos eſſe duximus Medicinæ Profeſſores, ut cum primum ad ægrotos vocati fuerint, omni ſtudio eos inducere nitantur, ne animæ minus, quam corporis ſalutem quærant: quod futurum eſt peccatorum ſincera confeſſione, & Euchariſtiæ ſumptione: Nam & hæc ad ſanitatem corporalem recuperandam, via eſt valde expedita. Quod quidem ſi infirmi facere negligant; Nos inhærentes *Conſtitutioni fel. rec. Pii V.* quæ incipit: *Supra gregem Dominicum*, &c. Omnibus & ſingulis Medicis noſtræ Diœceſis mandamus, ut poſt ſecundum diem (niſi Confeſſarius ægroto ex rationabili cauſa, longius ad confitendum ſpatium conceſſerit) infirmum amplius non viſitent, donec peccata ſua fit confeſſus, & Sacram Euchariſtiam ſumpſerit. Alioquin pœnas in ſupra dicta Bulla contentas, ipſo facto Medici ipſi incurrant.

Vetamus autem ſub interminatione Divini Judicii, ne ullus Sacerdos tam regularis, quam ſæcularis, terminos Parochiarum, qui a Majoribus noſtris, aut a Nobis ſunt conſtituti, transgredi (ſola neceſſitatis cauſa excepta) & alienæ curæ ſubjectos, ad confeſſionem admittere, aut alia Sacramenta adminiſtrare præſumat, niſi deſuper proprii Parochi petita licentia. (*)

De Examine eorum, qui ad audiendas Confeſſiones deputantur.

CAPUT XVIII.

CONcilium *Tridentinum Seſſ. XXIII. Cap. XV.* prohibet, ne ullus Sacerdos, etiam Regularis, poſſit ſæcularium, nec Sacerdotum quidem confeſſionem audire, nec ad id idoneus reputari, niſi aut Parochialem Eccleſiam regat, aut ab Epiſcopo per examen (ſi illi videbitur eſſe neceſſarium) aut alias idoneus judicetur, & approbationem, quæ gratis danda eſt, obtinuerit. Extat præterea *Conſtitutio Pii Quinti Anno M.D.LXXI.* edita, quæ incipit: *Romani Pontificis Providentia* &c. qua declarat loco citato Concilii, comprehendi etiam Regulares mendicantes, & conſequenter jubet, omnes hoc Epiſcoporum examen ſubire.

Quocirca Nos etiam gravibus ſcandalis, quæ ex illorum aut ignorantia, aut negligentia oriuntur, qui ſe ſe audiendis confeſſionibus ingerunt, occurrere volentes: Statuimus, & vetamus ſub pœna excommunicationis, ne ullus Sacerdos tam ſæcularis, quam Regularis, beneficium curatum non obtinens, audiendis confeſſionibus ſe ſe immiſceat, niſi primo a Nobis, vel Vicario noſtro fuerit approbatus.

Et ut fructuoſe hæc audiendarum confeſſionum facultas iis tantum impertiatur, qui poſſint debito modo animarum languoribus, ſalutaris pœnitentiæ medicamentis ſuccurrere, admonemus omnes, ad audiendas confeſſiones approbatos, nec non illos, qui ad hoc munus deſtinantur, aut aſpirant, ut diligenter Catechiſmum Romanum, & approbatas Summas perlegant, multiplices conſcientiæ caſus attente conſiderent, ſe ſeque ita, Domino juvante, præparent, ac diſponant, ut poſſint cum ſpirituali animarum lucro hoc Dei Tribunal exercere.

Volu-

(*) Trid. Seſſ. XIV. Cap. VII.

Digitized by Google

Volumus etiam, ut qui audiendarum Confeſſionum facultatem requirunt (niſi ſint ejus doctrinæ, & experientiæ, ut examini ſubjiciendi non videantur) diligenter interrogentur de forma abſolutionis; de peccatorum differentiis, & circumſtantiis; de excommunicationibus, irregularitatibus, de caſibus, reſervatis, de ſatisfactionibus, pœnitentiis, & aliis, quæ neceſſario hoc conſcientiæ judicium exercentes, ſcire debent.

Quod ſi ex reſponſionibus apparuerit, aliquem Catechiſmum Romanum, vel non legiſſe, vel non percepiſſe, nec ſtudium adhibuiſſe, ut ex lectione, & meditatione probatarum Summarum, aliorumque piorum Tractatuum potuerit inſtrui, ad hoc munus non indigne tractandum; is omni reſpectu poſtpoſito, repellatur, neque prius admittatur, quam conſtiterit, eum tantum profeciſſe, quantum muneris hujus recte exequendi ratio expoſtulat.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT XIX.

PArochi congruo tempore fidelibus hujus Sacramenti virtutem & efficaciam explicabunt, illosque monebunt, ut procurent, illud infirmis in tempore adhiberi, quo percipientes, quæ circa ipſos hoc extremo pietatis officio aguntur, intelligant, ſe hujus Sacramenti gratia munitos, ex hac mortali vita expeditiorem viam ad Cœlum habere.

Ipſos infirmos verbis placidis, & piis erigent in ſpem exuberantis Miſericordiæ Dei; illos exhortantes, ut hoc Sacramentum ea devotione ſuſcipiant, ut & corporis & animæ ſalutem Benigniſſimæ Dei voluntati reſignent. Hæc autem, & alia his accommodata, Parochis abunde ſuppeditabit diligens lectio Catechiſmi Romani.

Quod ſi Regularis ad alicujus infirmi Confeſſionem audiendam vocatus fuerit, is, ſi periculum mortis infirmi imminere cognoverit; moneat adſtantes, ut tempeſtive Parochum de languentis periculo certificent. Si vero probabiliter poſſit præſumere, ipſos id in tempore fortitan non facturos; ipſemet Parochum adeat, ne ex ignoratione periculi contingat, infirmum abſque Extremæ Unctionis ſolatio decedere.

Atque ut hoc Sacramentum in debita reverentia habeatur, ſtatuimus, ut Sacrum Oleum in tuto & honeſto loco, & vaſculo argenteo, vel ſtanneo, mundo & decenti, ab aliis Sacrorum Oleorum vaſculis diſtincto, honorifice ſervetur, &, qua decet reverentia, deferatur.

In cæteris ad Ritualis noſtri præſcriptum, & cæremonias Miniſtri recurrant.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT XX.

PArochi, & alii omnes, quibus Verbi Dei populo annunciandi cura commiſſa eſt, doceant juxta *Sacri Concilii Tridentini* præceptum, JESUM CHRISTUM ſalutis noſtræ Auctorem, ut dilectæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ viſibile reliquit Sacrificium, ſic etiam viſibile inſtituiſſe Sacerdotium.

Ac propterea populum diligenter monebunt, ut ſpiritualem hanc poteſtatem non hominum meritis, aut conditione metiantur, ſed potius in ipſis Miniſtris, Dei miniſterium venerantes, omnibus tam Sacerdotibus, quam iis, qui in aliis Ordinibus Eccleſiæ (quibus quaſi gradibus ad Sacerdotium aſcenditur) conſtituti ſunt, debitam reverentiam exhibeant. Et quia non omnes Sacerdotes pari ſunt poteſtate, ratione jurisdictionis tam fori interioris, quam exterioris; Ideo moneantur populi, ut ſuis propriis Parochis, quibus cura ſalutis animarum ipſorum eſt commiſſa, non ſolum reverentiam, ſed & obedientiam exhibeant, ipſorumque monita libenter ſuſcipiant. Quod multo idem magis locum habet in conſideratione Epiſcopalis dignitatis, cui ultra proprias functiones Pontificales, ratione plenariæ poteſtatis jurisdictionis in utroque foro; competit alios graviores caſus, prout regiminis ratio exigit.

Digitized by Google

exigit, reſervare, aliaque ordinare, & ſtatuere, ad quæ fideles omnes Diœceſani obligantur, & in quibus inferiores Sacerdotes, etiam Curati, ſe ſe ingerere non poſſunt. Unde monendi ſunt populi, ut Epiſcopi ſui conſtitutiones, ordinationes, reſervationes, edicta, interdicta, & excommunicationes venerentur, ſoliciteque ad illum recurrant in iis, quæ ipſius auctoritati reſervata cognoverint.

Quod item longe magis in his obſervandum, quæ Summo Pontifici Romano noverint reſervata.

In ſumma docebunt, in Dei Eccleſia (quæ eſt ut caſtrorum acies ordinata) Divina inſtitutione differentibus functionibus, & poteſtatibus, ſub uno in terris Chriſti Vicario, omnia eſſe ordinate diſpoſita, in opus miniſterii, ad conſummationem Sanctorum.

Præcipimus autem Parochis, ut quotiescunque intelligent, ordinationes eſſe habendas (quod per edictum illis innoteſcet) id populo, ubi aliqui fuerint ordinandi, annuntient, atque hortentur, ut Deum orent, quo in tanti miniſterii partem ii tantum aſſumantur, qui & vitæ exemplo, & doctrina ſalutari populo prælucere poſſint.

Edictum, in quo ordinandorum nomina continebuntur, ita promulgabunt, ut de Sacramenti dignitate, & utilitate, aliqua præmittant: moneant etiam omnes, ut ſi quid habent adverſus aliquem ex ordinandis, ob quod tanquam indignus repelli poſſit, aut alias noverint, aliquo impedimento irretitum, id ſecreto, omni odio, ac paſſione ſepoſitis, ipſi Parocho denuncient: quod ſi cauſa ſubſit, cur Parocho id forte aperire nolint, Vicario noſtro Generali, vel Decano rurali ſignificent.

Parochi autem ipſi ſub Divini judicii interminatione, ſi quid intellexerint, aut noverint de promovendis, quo indigni poſſint judicari, id tempeſtive denuncient, omni perſonarum poſtpoſito reſpectu.

Obſervent etiam ſuæ Parochiæ pueros, & alios, qui ad Clericalem ſtatum, & ordinem aſpirant; illosque ex charitate ſalutaribus monitis dirigant, & quantum poſſunt, juvent, ac parentes moneant, ut ſi filios ſuos cupiunt Clericali ſtatui adſcribi, eorum exactiorem tam in literarum, quam morum diſciplina curam habeant.

De obſervandis in collatione Ordinum.

CAPUT XXI.

CUm diſciplina Eccleſiaſtica nulla re magis labefactetur, quam cum indigni promoventur ad Clericalem ſtatum, & Doctor gentium moneat, manus nemini cito imponendas eſſe; Nos, ut ea adhibeatur diligentia in Ordinum collatione, quam rei ipſius gravitas poſtulat, monemus omnes, & quoscunque Diœceſis noſtræ Clericos in minoribus Ordinibus conſtitutos, qui ad majores aſpirant, ut juxta Sacri *Concilii Tridentini* determinationem *Seſſ. XXIII. Cap. V.* ſe ſe per menſem ante ordinationem, Nobis, aut Vicario noſtro, nec non Archidiacono præſentent; quo Parocho, aut cui magis expedire videbitur, poſſit committi inquiſitio de natalibus, ætate, moribus, & vita: neque ullus præſentetur, aut admittatur ad ordinationem, qui literas teſtimoniales, inquiſitionem, juxta noſtram, vel Vicarii noſtri commiſſionem factam continentes, non exhibuerit, ad quod Archidiaconus pro muneris ſui ratione, diligenter advertat.

Parochi (ſi inquiſitione diligenter facta, nullus quicquam opponet) inquiſitionem ipſam obſignatam Nobis, vel Vicario fideliter mittant, vel ipſi ordinandi deferant.

Præſentatis autem omnibus, qui ordinari intendunt, præfigetur certus dies, quo ad examinationem faciendam, tempeſtive compareant.

Curet autem Archidiaconus, ut in ipſa examinatione ea omnia diligenter obſerventur, quæ Sacrum *Conc. Trid.* ſtatuit *Seſſ. XXIII. Cap. XI. XII. XIII. & XIV.*

Et quia in Eccleſiæ Miniſtrorum ordinatione, nihil aliud attendi debet, quam ipſius Eccleſiæ utilitas, ante collationem Ordinum magna eſt adhibenda cautio in examine, maxime eorum,

Digitized by Google

qui ad Sacros Ordines assumuntur; an videlicet illa intelligant, & sciant, quæ ad Ordinem illum exercendum requiruntur. Et in primis, an Breviarii, & Missalis ipsius Rubricas reformatas norint, & quæ ulterius hac de re Cæremoniale continet, & docet.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT XXII.

PArochi opportunis occasionibus de Sacramento Matrimonii ea docebunt juxta Sacri (*) *Concilii Trid.* Decreta, quæ fideles scire tenentur. Utque Sacramentum hoc in nostra hac Diœcesi in debita veneratione habeatur, præcipimus Parochis, ut quoties necessarium duxerint, Decretum ipsius Concilii *de Matrim. Sess. XXIV. C. I.* publicent & explicent: Tum vero exeunte interdicti tempore, videlicet, Dominica præcedenti Epiphaniam Domini, & secundo vel tertio Festo Paschatis populum diligenter moneant, ut accurate observent, quæ de Sacramento Matrimonii sunt constituta, & uti Sancti hujus Sacramenti dignitas postulat, cum omni honestate, in timore Domini Matrimonia rite & legitime contrahant. Non solum a clandestinis, & invalidis Matrimoniis, sed etiam a clancullariis, & furtivis promissionibus & pactis de contrahendo abstineant.

Quod si Parochi, fama, aut aliis argumentis cognoverint, istis viis rudem, & simplicem juventutem circumveniri; parentes, & eos, in quorum potestate sunt, admoneant, ut caute perichitantium pudori & famæ consulant.

Ut vero hac in re audacia quorumdam debite coerceatur: si qui occultis, & dolosis promissionibus suæ cupiditati viam aperire tentaverint, & a Parochis moniti, eas promissiones legitimis solemnitatibus Matrimonio rite contracto stabilire detrectaverint; hos Nobis, vel Vicario nostro Parochi ipsi denuntient ad hoc, ut contra ipsos, tanquam pudoris, & honoris circumventores, & qui impie, & impudenter venerando Matrimonii nomine abutuntur (reservata parti actione) juxta Canonum dispositionem, pœnis tam pecuniariis, quam etiam carceris, & banni, prout rei, & personarum qualitas postulabit, procedatur.

Denunciationes super contrahendo Matrimonio non fiant, nisi prius certus sit Parochus de consensu contrahentium.

Si contrahentes fuerint diversarum Parochiarum, non deveniatur ad ipsum Matrimonium, nisi Parochus, ubi solemnizandum erit, certior sit factus ab alio Parocho de publicationibus etiam ab illo jam factis, & quod nullum sciatur legitimum impedimentum.

Interdicti tempore nullus Parochus Matrimonium absque speciali nostra, vel Vicarii nostri licentia, sub pœna viginti florenorum, ad opus pium arbitrio nostro applicandorum, audeat solemnizare.

Qui aliquod sciverint impedimentum legitimum, illud Parocho tempestive denuntient, sub pœna mortalis peccati, aliisque pro personarum, & facti qualitate nostro arbitrio, vel Vicarii nostri infligendis.

Impedimentum inter se extare scientes, nullo modo sub spe dispensationis obtinendæ contrahant, sed prius dispensationem obtinere curent.

Si scientes impedimentum, de facto contraxerint, pœnam decem; quod si etiam ausi fuerint consummare, viginti florenorum ad opus pium nostro arbitrio applicandam incurrant, ultra alias pœnas, & pœnitentias, juxta scandali, & personarum qualitatem infligendas.

Si Sacerdos sciens impedimentum, solemnizare Matrimonium ausus fuerit; præter pœnam suspensionis a Sacris Canonibus constitutam, mulctam quinquaginta florenorum, nostro arbitrio applicandam, incurrat.

In Sponsalibus, Parochi moneant contrahentes, mulieres præsertim, per ipsa verba de futuro non contrahi tunc Matrimonium, sed obligari tantum ipsas partes ad contrahendum (si nullum extiterit impedimentum) forma *Concilii Tri-*

(*) Sess. XXIV. Cap. I. de Reform. Matrim.

Digitized by Google

Tridentini ſervata; ubi Parochi, quando interveniunt ſponſaliorum contractui, diligenter caveant, ne verba adhibeant, quibus per conſenſum contrahentium ipſum Matrimonium contrahitur.

Serio etiam, ac frequenter Parochi inculcabunt, ut qui tantum per verba de futuro contraxerunt, quatenus ſalutem animæ ſuæ charam habeant, in eadem domo minime cohabitent, atque a copula carnali, donec Matrimonium legitime contractum ſit, abſtineant.

Parochi ſedulam operam præſtent, ut ſponſi antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem confiteantur, & Sanctam Communionem accipiant, juxta piam *Concilii Trid.* exhortationem.

Prohibeatur per Parochos damnabilis ille abuſus, quo vulgus alicubi in nuptiis ad ſecunda vota tranſeuntium, vel alias polygamorum, tintinnabulis, & id genus aliis rebus importune perſtrepere conſuevit ad domum ipſorum ſponſorum, contra Sancti hujus Sacramenti dignitatem. Et in ſumma ea omnia Parochi prohibeant, quæ in contrahendis Matrimoniis Sacramenti reverentiam videntur imminuere, nihilque, in Eccleſiis præſertim, fieri permittant, quod indecentiam, aut petulantiam præ ſe ferat.

Parochus in celebrando Matrimonio, ſi tempus id patitur, brevi ſermone aliquo, ipſius Sacramenti Sanctitatem commendet: de bonis Matrimonii, fide, prole, & Sacramento, juxta id, quod abunde Catechiſmus Romanus ſuppeditabit, ſermone inſtituto.

Præterea Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus inhærentes, etiam ſub excommunicationis pœna interdicimus omnibus tam Clericis, quam laicis per Diœceſin noſtram ubilibet conſtitutis, ne ullus eorum de cauſis matrimonialibus cognoſcere, concordare, ſeu diffinire judicialiter præſumat, absque noſtra licentia & mandato ſpeciali.

Contra conjugatos utriusque ſexus, qui nulla legitima cauſa, ſed propria temeritate, ſibi mutuo cohabitare nolunt (etiamſi a fornicatione alias abſtineant) niſi infra terminum a Parocho præſcriptum, ad cohabitationem redierint, arbitrariis pœnis procedi volumus. Quibus etiam obnoxios eſſe declaramus, qui eos fovere in domibus ſuis auſi fuerint.

Parochi denique ſæpius per opportunitatem moneant fideles in ſtatu matrimoniali degentes, ut maritali caſtitate & charitate honorabile ſuum conjugium comprobent. In primis vero eos diligenter monebunt, ut filios in timore Domini inſtituant, ut videantur intelligere, illos ad Matrimonii bonum tum demum pertinere, ſi per rectam educationem Chriſtianæ pietati & religioni inſerantur.

De Feſtis, & diebus jejuniorum.

CAPUT XXIII.

PRæter Feſta, quæ ex præcepto Eccleſiæ celebranda ſunt, & in quorum vigiliis (legitimo impedimento ceſſante) jejunandum, a cibis ex uſu Eccleſiæ Catholicæ vetitis, abſtinendo, ac ſemel tantum in die, circa meridiem cibum ſumendo; in Epiſcopatu noſtro Tridenti, ſolemniter ab omnibus celebrandum eſt Feſtum Divi Vigilii Epiſcopi & Martyris glorioſi, Patroni ipſius Civitatis, ac totius Diœceſis.

Qui vero in diebus præfatis, ex præcepto Eccleſiæ celebrandis, nec non Sancti Vigilii, opus ſervile, ſine urgenti neceſſitate feciſſe, deprehenſus fuerit, præter Divinam ultionem, & amiſſionem animalium ac inſtrumentorum, quibus uſus fuerit, Eccleſiæ locorum, vel alias arbitrio noſtro, vel Vicarii noſtri applicandorum, pœnam etiam duorum florenorum incurrat; quorum quarta cedat denuncianti, reliquæ vero tres partes fabricæ Eccleſiæ loci applicentur. Ad quam mulctam exigendam teneantur Syndici, ſeu Maſſarii Eccleſiarum, quibus fuerit applicata: habeantque exactores pro ſuo labore, quaternos cruciferos: & ſummarie, ac de plano, ſine figura judicii in his procedatur.

Si qua vero inciderit ingens neceſſitas operis alicujus faciendi; Parochi, aliique Curati, habita ratione loci, rei, temporis, & perſonarum, poterunt (dummodo id caute & citra ſcandalum fiat) diſpenſare; in quo ipſorum conſcientiam oneramus.

Feſta autem Sanctorum Siſinii, Martirii, & Alexandri Martyrum: Item Sanctæ Maxentiæ Matris Sancti Vigilii, Sancti Romedii Confeſſoris, & Sancti Simonis innocentis Martyris, ejusdem Tridentinæ Civitatis & Diœceſis Advocatorum, in Eccleſiarum Dedicationibus, & juxta piam cujusque loci conſuetudinem, obſervanda ſunt; quemadmodum Feſta Sancti Martini, Catharinæ, Antonii, Mariæ Magdalenæ, Rochi, Agnetis, Gregorii, & ſimilia.

De Eccleſia Cathedrali.

CAPUT XXIV.

CUm Venerabile Cathedralis Eccleſiæ Capitulum Nobis, uti capiti, arctiſſime ſit conjunctum, meritoque illius exemplo, & auctoritate fideles totius Diœceſis plurimum moveantur: Nos Decanum, & Canonicos in Domino monemus, ut ea, qua decet eorum ordinem, gravitate, habitu, inceſſu, & converſatione ſe vere Eccleſiæ Senatum exhibeant, curentque non tantum aliis prælucere obſervatione eorum, quibus Eccleſiaſticæ dignitatis ſtatus continetur, augetur, & obſervatur; ſed in illud etiam incumbant, ut inferior Clerus Cathedralis Eccleſiæ ſtatuta, & ordinata circa vitam, mores, honeſtam cohabitationem, habitum & tonſuram, diligenter obſervet.

Nos quoque, quotiescunque id juſtitiæ ratio poſtulabit, officio noſtro, ſecundum Sacrorum Canonum & *Concilii Tridentini* diſpoſitionem, pro debita ſalubriter ordinatorum obſervantia & executione non deerimus.

Et quia aſſidua Canonicorum Reſidentia cum ipſius Eccleſiæ dignitate, & decore maxime eſt conjuncta, ac Divinus cultus ab ea plurimum pendet; Ideo eam juxta antiquam hujus Eccleſiæ conſuetudinem, & *Concilii Tridentini* præſcriptum diligenter præſtabunt.

Sciant autem, *Concilii* diſpoſitione Canonicos teneri ita ſuam præſentiam Eccleſiæ debitis temporibus exhibere, ut quæ hebdomadatim, ex præbendarum onere incumbunt, Miſſas, & officia accurate præſtent. Ac proinde in ordinariis ſextarum feriarum Capitulis, ſæpius diligenter providebunt, ut propriis functionibus, & officiis omnes tam de gremio Capituli, quam Capellani, & inferiores Sacerdotes Cathedralis Eccleſiæ ſatisfaciant.

Videant, ut in Choro diligenter ſecundum Romanæ Eccleſiæ ritum, Divinæ laudes perſolvantur: tum Cæremoniæ concinne, & cum dignitate obſerventur: & ſi quid temporum injuria irrepſit, quod Romanæ Eccleſiæ conſuetudini non correſpondeat, id emendetur.

Circa animarum curam, quæ Cathedrali Eccleſiæ conjuncta eſt, aut Eccleſiis ipſi Capitulo incorporatis competit, ea obſerventur, quæ in viſitationibus, juxta Sacri *Concilii Trid.* diſpoſitionem diffuſe præſcripta fuerunt: quæque in proxima futura præſcribentur: idemque de Manſionariorum, & Capellanorum officio dicimus.

Et quia diſtributiones diebus feriatis valde ſunt exiles, ordinamus, ut congruæ portionis acceſſione augeantur.

In collationibus, & proviſionibus Canonicatuum ea ſerventur, quæ Sacrum *Concilium Trid.* ſtatuit, tam circa ætatem, quam alias qualitates. Serventur etiam diligenter, particularia Summorum Pontificum indulta, huic Eccleſiæ circa Canonicorum aſſumptionem conceſſa, in quo ſi ſe ſe aliquæ difficultates objicient, ad S. D. N. erit pro congruo remedio, aut diſpenſatione recurrendum.

Et quia gravitas Collegii Canonicorum maxime pendet ex dignitate perſonarum, quæ aſſumuntur; decori illius maxime videtur convenire, ut in Capitulo adſit Theologus præbendatus. Ideo juxta Decretum *Concilii Tridentini Seſſ. V. Cap. I. de Reformatione*, ordina-

Digitized by Google

dinamus, ut prima vacatura præbenda promoto in Sacra Theologia in univerſali Academia conferatur. Qui tamen ſecundum indultorum præſcriptum, illius capax ſit, & cui lectionis Theologicæ munus incumbat.

Item etiam de ſecundo loco vacatura præbenda ſtatuimus de Pœnitentiario, qui qualitates habeat a Sacro *Concilio* requiſitas, quique præbendæ ſecundum indulta ſit capax.

Demum quando Statuta Ven. Capituli ſunt maxima ex parte conflata ex Synodalibus Anteceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus; Capitulum curabit, ut illa, juxta *Sacri Concilii Tridentini* diſpoſitionem, & præſentes Conſtitutiones, reformentur, & amplientur, prout præſentium temporum ratio poſtulat.

Laudabilem, longævam, & præſcriptam conſuetudinem circa primarios fructus, a noſtris Prædeceſſoribus Epiſcopis Tridentinis confirmatam: Nos etiam confirmamus, videlicet: ut omnes Beneficiati cum cura, vel ſine cura, exempti, vel non exempti, primarios fructus beneficiorum, & Eccleſiarum quarumcunque, per mortem, aut permutationem, vel qualitercunque vacantium, ac toties quoties ea vacare contigerit, in collatione, ſeu inveſtitura eorundem beneficiorum teneantur, ac debeant, & quilibet eorum teneatur, & debeat Maſſariis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Sancti Vigilii, ſecundum eorum taxam dare, & reſpondere; ſeu ſuper hoc cum eis concordare. Quam conſuetudinem, a noſtris Anteceſſoribus acceptam, volumus inviolabiliter obſervari; omnibus exceptionibus juris & facti remotis.

Et cum Eccleſia hæc noſtra Cathedralis ita nobis ſit cordi, ut eam quam ornatiſſimam, & omnibus neceſſariis inſtructiſſimam eſſe deſideremus: hortamur, & requirimus Vener. Decanum, & Canonicos ejusdem, ut officia omnia, præſertim Maſſariatus, perſonis integritate, fide, & induſtria præſtantibus committant, quæ non per ſubſtitutos, ſed per (*) ipſos ea adminiſtrent.

De Viſitatione Eccleſiæ Sancti Vigilii.

CAPUT XXV.

ANteceſſorum noſtrorum Decretum ſequentes, mandamus omnibus & ſingulis Plebanis, & Rectoribus Eccleſiarum, qui annuatim Eccleſiam matricem Sancti Vigilii cum plebibus ſibi commiſſis, viſitare conſueverunt, ut ſingulis annis, in Feſtivitatibus Sancti Vigilii, ſeu in Anniverſario Dedicationis, vel in Feſtivitatibus Paſchatis Reſurrectionis, aut Pentecoſtes, juxta morem & conſuetudinem eorundem, una cum laicis utriusque ſexus ad hoc aptis, uno nimirum pro qualibet domo, ſe Tridentum conferant, ac præſentent ad tumulum, & Altare Sancti Vigilii, in ſignum ſubjectionis, & reverentiæ, ſub pœna decem librarum fabricæ Sancti Vigilii applicanda, quam quemlibet Presbyterorum, ac etiam laicorum, huic noſtro Decreto contravenientium incurrere volumus. Alii vero Plebani de mandato noſtro, Parochianos ſuos adhortentur, ut & ipſi Eccleſiam Sancti Vigilii ſupra dictis diebus viſitent.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT XXVI.

CUm ad Divini cultus obſervationem & augmentum in primis pertineat, adſcriptos Eccleſiaſtico Ordini cæteris vita & moribus prælucere, ac quodammodo præire: Nos CARDINALIS BERNARDI Conſtitutionem novantes, omnibus Clericis per Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis, cujuscunque gradus, vel conditionis exiſtant, præcipimus, & mandamus, ut, qua decet in ſortem Domini vocatos, gravitate, modeſtia, & inculpabili converſatione (quemadmodum etiam Sacrum *Tridentinum Concilium* pie requirit) irreprehenſibiles ſe ſe exhibeant.

Abſtinentia a comeſſationibus, compotationibus, & intempeſtivis conviviis, choreis, luſibus, ſpectaculis, taber-

(*) *forte*: ſe ipſos.

tabernis, illicitis venationibus, uſura, mercatura, & aliis negotiis, & exercitiis ſæcularibus, quibus Sanctitas Clericali ſtatui debita contaminatur : Armorum etiam deportatione, rixis, & aliis, de quibus Sacri Canones, præſertim *Trid. Concilium* ſalubriter & copioſe ſtatuit.

Et quia per decentiam exterioris habitus, compoſiti animi affectus potiſſimum declarantur; ordinamus, ut omnes Clerici coronam gerant decentem & conſpicuam juxta cujusque Ordinis gradum. Barbas vero tales gerant, ne videantur partium quarundam raſura, militares homines imitari; vel plane abraſas, vel circumtonſas gerant, præcipue vero pilorum præſciſione ſuperiora labra appareant.

A ſericis præſertim pretioſioribus abſtineant : in Eccleſiis & in publico veſtes gerant talares nigras, juxta hujus Epiſcopatus conſuetudinem : ſubtaneas habeant ad talos uſque demiſſas, vel quæ genua ad minus contegant; vel ſaltem ſuperiores veſtes talares portent clauſas, ita ne inhoneſte pectus, ventrem, & femora oſtendant.

In villis & pagis tamen pro neceſſitate aliquando brevioribus uti poterunt. Nunquam incedant thorace & caligis ſolis induti. Birreta habeant quadra, nec in Eccleſia, aut coram Epiſcopo utantur galero : Camiſiarum collaria deferant non criſpata, neque admodum elaborata, quæ laſciviam præ ſe ferant.

Parochi, Cooperatores, & Beneficiati, quum ex obligatione fundationis Divino Officio interſunt, cottis ſint induti. Quod ſi qui huic Conſtitutioni non paruerint, contra eos procedatur, juxta Sacri *Concilii Tridentini* Decretum *Seſſ. XIV. Cap. VI.* cujus circa hæc tenor talis eſt:

" Propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ quantumcumque exemptæ, quæ " aut in Sacris fuerint, aut dignitates, " perſonatus, officia, aut beneficia quæ" liacumque Eccleſiaſtica obtinuerint, " ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam " per edictum publicum moniti fue" rint, honeſtum habitum Clericalem, " illorum ordini, & dignitati congruen" tem, & juxta ipſius Epiſcopi ordina" tionem, & mandatum non detule" rint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, " ac officio, & beneficio, ac fructibus, " redditibus & proventibus ipſorum be" neficiorum : nec non (ſi ſemel cor" repti denuo in hoc deliquerint) etiam " per privationem officiorum, & bene" ficiorum hujusmodi coerceri poſſint, " & debeant, ſecundum Conſtitutio" nem CLEMENTIS V. in Concilio " Viennenſi editam, quæ incipit : *Quo" niam innovando, & ampliando.*"

In minoribus Ordinibus conſtituti, ſciant maxime decere, ut ad minus omnibus Solennitatibus, & Feſtis præcipuis Beatæ Virginis, Sacram ſumant Euchariſtiam, quod ſi non faciant, tales ad altiores Ordines non facile admittantur.

De Clericorum & mulierum ſuſpecta, & probibita cohabitatione.

CAPUT XXVII.

CUm deceat Clericos non ſolum malo, & culpa, ſed etiam omni culpæ ſuſpicione vacare, prohibemus eisdem, omnem ſuſpectam mulierum cohabitationem : ſtatuentes, ut nullus Sacerdos, ſive Clericus de cætero mulieres apud ſe habere, & tenere audeat, præter matrem, ſororem, amitam, aut aviam; vel extraneam, quæ excedat annum quadrageſimum quintum, eamque bonæ famæ, ſub pœna florenorum decem, quotiescunque contra factum fuerit, in pios uſus applicandorum.

Declarantes etiam illarum cohabitationem eſſe pro ſuſpecta habendam, quæ alias in eorundem, aut aliorum concubinatu fuerint, licet ob ſenium de præſenti videantur carere ſuſpicione; Item & illas ſuſpectas dicimus, quæ de lenocinio diffamatæ exiſtant.

Quantopere vero deteſtandus ſit concubinatus in his, qui Divinis officiis, ac miniſteriis ſunt adſcripti, nullis nos verbis aptius explicare poſſe arbitramur, quam quibus utitur Sacrum *Concilium Tridentinum*, cujus hac de re Decretum ideo de verbo ad verbum his

his noſtris Conſtitutionibus inſeri voluimus, ut omnes intelligant, Nos juxta illius præſcriptum, contra quoscunque, nullo perſonarum habito reſpectu, ut officii noſtri ratio exigit, proceſſuros: cujus tenor eſt:

Quam turpe, ac Clericorum nomine, qui ſe Divino cultui addixerunt, ſit indignum, in impudicitiæ ſordibus, & concubinatu verſari, &c. *Vide Tomo noſtro VI. pag.* 930.

De ebrietate Clericis vitanda.

CAPUT XXVIII.

QUia etiam in Clericali ordine inveniuntur aliqui ita vino dediti, ut limites temperantiæ, & honeſtatis transgredientes, ipſos ſæculares, alioquin erga religionem bene affectos, ſua temulentia ita offendant, ut debitum Ordini Eccleſiaſtico reverentiæ affectum exuant; Nos huic malo occurrere volentes, Clericos cujuscunque ordinis ſerio monemus, ut ab hujusmodi vitio ſibi caveant: Statuentes, & ordinantes, quod ſi quis Sacerdos, aut Clericus in Sacris conſtitutus, poſt debitam admonitionem (quæ etiam auctoritate præſentis Decreti facta cenſeatur) ab ebrietate, nec non tabernis, & diverſoriis (excepta cauſa neceſſitatis) aliisque intempeſtivis conviviis, & compotationibus non abſtinuerit; prima vice, qua in aliquo præmiſſorum deliquerit, ultra alias pœnas delicti, ſi quod ibi per eum committi contigerit, pœna decem librarum mulctetur, fabricæ Eccleſiæ, cui inſervit, pro duabus tertiis, & alia tertia parte denunciatori etiam ſecreto, applicanda. Si ſecundo deliquerit, mulcta duplicetur, ac jejunet ſemel in pane, & aqua ſub reatu peccati mortalis. Si tertio, mulcta & jejunium triplicentur. Si vero ulterius in hoc vitio inſorduerit, tanquam incorrigibilis, graviori pœna, etiam privationis officii, vel beneficii, noſtro, vel Vicarii arbitrio puniatur. Verum ſi Clericus, Sacro Ordine non initiatus, vel beneficium non obtinens, in præmiſſis, vel aliquo præmiſſorum deliquerit; pœnas vel mulctas per Nos, vel Vicarium noſtrum arbitrandas, ſe noverit incurſurum: Quod ſi his modis correpti tales ſe ſe non correxerint, vel ob ſolum hoc ebrietatis crimen rejiciantur, quotieſcunque ſe examinandos, vel ſuſcipiendorum Ordinum, vel concurſus ad beneficium obtinendum occaſione, præſentaverint.

Volentes inſuper, & ſerio mandantes, quod in quolibet caſuum præmiſſorum, tam ex mero officio, quam alio quocumque modo, Vicario noſtro beneviſo, contra transgreſſores ſummarie & de plano procedatur.

De Horis Canonicis dicendis.

CAPUT XXIX.

ANteceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, ſtatuimus, & ordinamus, ut Rectores tam Collegiatarum, quam Parochialium Eccleſiarum, procurent in Eccleſiis ſuis haberi libros Horarum, ſecundum uſum Eccleſiæ Romanæ, juxta cujus ſtylum, officium rite peragi poſſit; idque integre, diſtincte, intelligibiliter, atque attente, tanquam cum Deo colloquentes, perſolvant.

Qui vero Horas Canonicas, aut domi, aut foris, ſeu in itinere, abſque legitimo impedimento omiſerint, ultra peccatum, quod incurrunt, pœnis *Conſtitutionis Pii V.* quam hic ſubjungendam duximus, ſubjaceant, quæ ſic habet:

" Ex proximo Lateranenſi Concilio pia, & ſalubris Sanctio emanavit, " ut quicunque habens Beneficium Eccleſiaſticum cum cura, vel ſine cura, " ſi poſt ſex menſes, quam illud obtinuerit, Divinum Officium, legitimo " ceſſante impedimento, non dixerit, " beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis, & temporis, ſuos non " faciat; ſed eos, tanquam injuſte perceptos, in fabricas ipſorum beneficiorum, vel pauperum eleemoſynas " erogare teneatur. Verumtamen ne " multorum animi ſuſpenſi teneantur, " cujusmodi ratæ prædictæ ratio ſit habenda, Nos huic rei evidentius, atque expreſſius providere volentes, " ſtatuimus, ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus in-

termi-

" termiſerit, omnes beneficii, ſeu be-
" neficiorum ſuorum fructus, qui illi,
" vel illis diebus reſponderent, ſi quo-
" tidie dividerentur : Qui vero Matu-
" tinum tantum, dimidiam : qui cæte-
" ras omnes Horas, aliam dimidiam :
" qui harum ſingulas, ſextam partem
" fructuum illius diei amittat.

" Item, ſi aliquis Choro addictus,
" omnibus Horis Canonicis, cum aliis
" præſens adſit, non tamen recitans;
" fructusque & diſtributiones ſola præ-
" ſentia, juxta Statuta, conſuetudinem,
" fundationem, vel forte aliter aſſig-
" natas, ſibi lucrifeciſſe prætendant:
" is etiam præter fructuum, & diſtri-
" butionum amiſſionem (ſicut ille, qui
" primis ſex menſibus officium non
" dixerit) niſi legitimum impedimen-
" tum ipſum excuſaverit; grave pec-
" catum ſe intelligat admiſiſſe.

" Declarantes præſtimonia, præ-
" ſtimoniales portiones, ac qualiacun-
" que alia beneficia, etiam nullum om-
" nino ſervitium habentia obtinentes,
" cum prædictis pariter contineri.

" At quicunque penſionem, fru-
" ctus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut
" Clericus percipit, eum modo prædi-
" cto ad dicendum Officium parvum
" Beatæ MARIÆ Virginis, decernimus
" obligatum, & penſionum, fructuum,
" rerumque ipſarum amiſſioni obno-
" xium."

De Seminario.

CAPUT XXX.

SEminarium ex ſententia Sacri *Concilii* (*) *Tridentini* ſtabilire cupientes, ultra Prioratum *Sanctæ Crucis* extra muros Tridenti, & alia, jam ante ad ipſum Seminarium deſtinata; eidem in præſenti *Synodo*, infra ſcripta beneficia, una cum oneribus ſuis, in perpetuum applicamus, & incorporamus, ſine præjudicio tamen in præſentia poſſidentium.

Videlicet:

Hoſpitale, ſeu Prioratum *Campelli*, cum ſuis annexis.

Prioratum *S. Thomæ*, *Ripæ*, & *Archi.*

Hoſpitale, ſeu Prioratum *Sancti Hilarii Roboreti.*

Prioratum *Sanctæ Margaritæ*, vallis *Lagarinæ.*

Hoſpitale, ſeu Prioratum *Sancti Martini Tridentini.*

Prioratum *Sancti Thomæ*, in plebe *Romani*, vallis *Annaniæ.*

Prioratum, ſeu Capellam *Sanctæ Brigidæ*, in plebe *Maleti*, vallis *Solis.*

Prioratum in *Tonalo.*

Beneficium *Sancti Danielis*, plebis *Flavoni.*

Beneficium *Sancti Galli*, in plebe *Revodi.*

Beneficium *Sancti Lazari*, ibidem.

Beneficium, ſeu Clericatum in Eccleſia Parochiali *Leudri.*

Beneficium *Sancti Jacobi* de *Airono*, plebis *Thioni.*

Ut autem interea temporis (videlicet donec præfata beneficia cum effectu Seminario per vacationem applicabuntur) illud ſuſtentari queat; Nos temporarie providentes, juxta ejusdem Concilii præſcriptum, deputamus Ven. & Nob. Hieronymum a Roccabruna, Canonicum & Archidiaconum, nec non Hon. Presbyterum Pompeum Arnoldum, Beneficiatum Eccleſiæ Sancti Vigilii, Oeconomum noſtrum, qui pro parte noſtra, penſatis neceſſariis ſumptibus, una cum Ven. Nob. Sylvio de Prato, Canonico & Vicario noſtro Generali, ac Hon. Presbytero Bartholomæo Bonetto, Deputatis pro parte Capituli, & Cleri Civitatis, definiant portionem ex menſa Epiſcopali, & Capituli, ac fructibus quorumcunque beneficiorum noſtræ Diœceſis detrahendam, & eidem Seminario (ut præmittitur) medio hujusmodi tempore præſtandam.

De Collatione Beneficiorum, examine, & Examinatoribus.

CAPUT XXXI.

UT animarum cura, quæ merito ars artium a Sacris Canonibus appellatur, a dignis & idoneis perſonis adminiſtretur, in collationibus, ſeu proviſionibus quorumcunque Beneficiorum curatorum, etiam juris Patronatus,

(*) Seſſ. XXIII. C. de Reform.

natus, formam Sacri *Concilii Tridentini* ſervari volumus, quæ præſcribitur in *Cap. XVIII. Seſſ. XXIV.* incip. *Expedit.*

Examinatores autem, qui concurrentium ſufficientiam explorent, in futurum quoque, ſicut jam obſervatum fuit, in *Synodo*, aut alias, prout expediet, etiam extra *Synodum* ſubrogari volumus, ſervatis omnibus in eorum electione, quæ in eodem Decreto *Concilii* ſtatuuntur.

Qui per Examinatorum approbationem, Beneficium Eccleſiaſticum obtinuerit, ſi ad aliud poſtmodum, vel per concurſum, vel aliter promoveri voluerit, teneatur rurſum ſe examini ſubjicere, in quo tam ejus ſufficientia, quam anteactæ vitæ ſeries exploretur, maxime ſi a beneficio ſimplici ad curatum aſpirabit.

Nullus illegitime natus, in Eccleſia, in qua pater beneficium obtinet, beneficium poſſideat; aut patri in illa ſerviat in Altaris miniſterio: & diſtricte ſervetur *Conſtitutio Concilii Tridentini Seſſ. XXV. Cap. XV. de Reform.* incipiens: *Ut paterna.*

Ut obtinentes Beneficia incompatibilia de diſpenſationibus doceant.

CAPUT XXXII.

ANteceſſorum noſtrorum Decreto circa Beneficia incompatibilia inhærentes, & Sacri *Concilii Tridentini* ordinationi ſatisfacere volentes; ſtatuimus, & ordinamus; ut quicunque Clerici in noſtra Diœceſi plura beneficia obtinent, infra quatuor menſes a publicatione præſentium in *Synodo* præſenti facta, immediate ſequentes, de legitimis ſuis titulis, & compatibilitate; & ſi incompatibilia, de diſpenſationibus doceant: alioquin ex ſententia *Decreti Tridentini* (*) *Concilii*, juxta *Conſtitutionem Gregorii X. in Conc. generali Lugdun.* editam, quæ incipit: *Ordinarii*, contra ipſos procedemus.

De Reſidentia Curatorum.

CAPUT XXXIII.

QUicunque in hac Civitate ac Diœceſi noſtra, beneficia obtinent, quibus animarum cura incumbit, in iis perſonaliter reſideant: quod qui non præſtiterint, præter mortale peccatum, quod committunt, noverint beneficii etiam fructus pro abſentiæ ratione, ſuos ſe non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poſſe; tum etiam contra abſentes procedendum eſſe juxta *Tridentini Concilii* determinationem *Seſſ. XXIII. Cap. I.* incip. *Cum præcepto Divino* &c. ad finem §. *Eadem omnino.*

Proinde habentes curam Eccleſiæ Parochialis, vel alterius, ab ea non diſcedant abſque noſtra, vel Vicarii noſtri licentia in ſcriptis obtenta.

Si vero ex cauſa Nobis, vel Vicario noſtro cognita, & approbata, alicui licentia diſcedendi a Parochiali fuerit conceſſa (quæ bimeſtre tempus, niſi ex gravi cauſa non excedat) Subſtitutum idoneum a Nobis, vel Vicario noſtro approbandum, cum debita, & certa mercedis aſſignatione relinquant, ut ab eodem Concilio ordinatum eſt; teneanturque, qui diſcedendi tales obtinuerunt licentias, de reditu ſuo Nos, vel Vicarium noſtrum quamprimum certiorem facere.

Quod ſi ob gravem cauſam contigerit diſceſſio repentina, infra ſex dies curent id Nobis, vel Vicario noſtro ſignificari, nec ultra terminum a Nobis, vel Vicario noſtro, aut Decano foraneo præſcriptum abſint.

Sed ne tum quidem Eccleſiam ſuam absque Sacerdote, ad Sacramenta adminiſtranda approbato, relinquant. Quod ſi approbatus a Nobis, vel Vicario noſtro haberi non poterit, ad breve illud tempus, quo abeſſe contigerit, aliquem ſubſtituant Decani ruralis judicio & conſenſu.

Illis temporibus, quibus Sacræ Confeſſiones frequentantur, nullus facile, niſi ſtatim eodem, vel ad ſummum ſequenti die rediturus, a propria Parochia diſcedat.

Qui Beneficium curatum obtinuerit, ſi intra annum a die commiſſæ ſibi adminiſtrationis, Sacerdotii ordinem non

(*) Seſſ. VII. C. V. de Reform.

non ſuſceperit, nulla etiam prævia monitione, beneficio ſe privatum intelligat, juxta *Cap. Licet Canon.* & *Cap. Cum in cunctis.*

Curatis Vicarii, & Coadjutores quando deputandi.

CAPUT XXXIV.

QUoniam vix provideri poteſt, ut non aliquando etiam ad curata Beneficia imperiti, & parum idonei irrepant, & indigni, quibus animarum cura relinquatur ; Volumus, ut ſi qui tales in hac noſtrâ Diœceſi reperti fuerint, contra eos procedatur juxta *Decretum Concilii Tridentini Seſſ. XXI. Cap. VI. de Reformatione* , tenoris infra ſcripti, videlicet: " Quia illiterati & " imperiti Parochialium Eccleſiarum " Rectores Sacris minus apti ſunt Of- " ficiis , & alii propter eorum vitæ " turpitudinem, potius deſtruunt, quam " ædificant ; Epiſcopi etiam, tanquam " Apoſtolicæ Sedis delegati, eisdem " illiteratis, & imperitis, ſi alias ho- " neſtæ vitæ ſint, Coadjutores, aut Vi- " carios pro tempore deputare, par- " temque fructuum iisdem pro ſufficien- " ti victu aſſignare, vel aliter pro- " videre poſſint, quacunque appellatio- " ne & exceptione remota.

" Eos vero, qui turpiter & ſcanda- " loſe vivunt, poſtquam præmoniti fue- " rint, coerceant & caſtigent, & ſi ad- " huc incorrigibiles in ſua nequitia per- " ſeverent, eos Beneficiis juxta Sacro- " rum Canonum Conſtitutiones, ex- " ceptione & appellatione quacunque " remota , privandi facultatem ha- " beant.

Et quia contingit aliquibus in locis, ob itinerum difficultatem & longinquitatem, ut fidelis populus ægre ad Parochiales Eccleſias pro Baptiſmi, & aliorum Sacramentorum ſuſceptione , cultusque Divini frequentatione poſſit convenire : ob id in diverſis locis, ac villis extent controverſiæ & lites inter ipſos populos, ac inter populos & Parochos; ordinamus, ut in futura proxima viſitatione, inſpecta locorum diſtantia, itinerum difficultate, plebis frequentia, & aliis circumſtantiis, juxta Sacri *Concilii*(*) *Tridentini* diſpoſitionem provideatur.

Curati ſubditos ſuos ne gravent in exactione Jurium Parochialium.

CAPUT XXXV.

UT Parochi, & omnes curam animarum exercentes , ſive in ea cooperantes, non tantum ab avaritia, ac labe Simoniaca, ſed etiam ab omni hujusmodi vitiorum deteſtabilium ſuſpicione , ſe plane illibatos ſervent; attente *Concilii Tridentini Decretum, de obſervand. & evitand. in celebrat. Miſſ.* meditentur. Nos autem , ut ſaluberrimam hanc doctrinam factis comprobent, volumus , ut ſuæ curæ commiſſos nullatenus gravent in Juribus Parochialibus, de ſepulturis, & aliis ſpiritualibus quibuscunque, ullo modo etiam paciſcendo. Sed & in ſpecie Confeſſarii caveant, ne pœnitentias pecuniarias confitentibus imponant, quæ in ſuam utilitatem quomodocunque vergere poſſint; ſed pro qualitate confitentium forſitan impoſitas , eorundem conſcientiæ, vel in eleemoſynas miſerabilium perſonarum, vel piorum locorum erogandas, penitus relinquant.

De Foro Eccleſiaſtico.

CAPUT XXXVI.

CUpientes, ut in foro noſtro Eccleſiaſtico omnia quam minimis ſumptibus , breviſſimoque tempore peragantur; Statuimus, ut tam in cauſis ſummariis, quam ordinariis, probatoriæ dilationes per dies continuos utrique parti communes conſtituantur, ſervando tamen, ut dilationes in ordinariis, dies viginti non excedant; & in ſummariis duodecim, niſi ex aliqua legitima, & rationabili cauſa Judici videantur longiores concedendæ : idem etiam ſervetur in reprobatoriis dilationibus.

In cauſis ſummam florenorum decem non excedentibus, ſi Clericus Clericum, vel Laicus Laicum convenier, ſum-

(*) Seſſ. XXI. Cap. IV.

Digitized by Google

ſummarie, ſimpliciter, & de plano ſine figura judicii, ſed ſola veritate rei inſpecta, dirimendi, & decidendi facultatem etiam Decanis foraneis in ſuo Decanatu concedimus.

Advocati, Procuratores, & Notarii publice criminoſi ad forum Epiſcopale non admittantur: admiſſi vero, ſi tales ſint, etiam ex officio rejiciantur: & admittendi jurent in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri, omnia ſe ſervaturos, quæ in ipſa Juramenti formula, eisdem proponenda, continebuntur.

Iidem Notarii pro mercedibus ſuis non recedant a *Sacri* (*) *Concilii Tridentini* præſcripto. Et cum ab officio decedunt, omnia inſtrumenta, aliasque ſcripturas in dicto foro a ſe confectas, aut in acta relatas, Vicario noſtro conſignent, qui diligenter curet & inſtet, ut mortuo aliquo eorum Notariorum, ſtatim omnes ſcripturæ ſub inventario conſignentur, ac penes ejus officium conſerventur, donec de loco idoneo Archivii provideatur.

De Eccleſiaſtica Libertate & Immunitate.

CAPUT XXXVII.

QUæ Sacrum *Concilium Tridentinum* ſtatuit de Eccleſiaſtica libertate, ea noſtris etiam Conſtitutionibus de verbo ad verbum inſerenda duximus: ut omnes graviſſimum dicti Sacri Concilii judicium intelligentes, ſciant, qualiter ſe ſe circa perſonas Eccleſiaſticas, earumque libertatem, ac immunitatem gerere debeant.

" Cupiens Sancta Synodus Eccle-
" ſiaſticam diſciplinam in Chriſtiano
" populo non ſolum reſtitui, ſed etiam
" perpetuo ſartam, tectam a quibus-
" cunque impedimentis conſervari,
" præter ea, quæ de Eccleſiaſticis per-
" ſonis conſtituit, ſæculares quoque
" Principes officii ſui admonendos eſſe
" cenſuit, confidens eos, ut Catholicos,
" quos Deus Sanctæ Fidei, Eccleſiæ-
" que protectores eſſe voluit, jus ſuum
" Eccleſiæ reſtitui non tantum eſſe
" conceſſuros; ſed etiam ſubditos ſuos
" omnes ad debitam erga Clerum, Pa-
" rochos, & ſuperiores Ordines reve-
" rentiam revocaturos; nec permiſſu-
" ros, ut Officiales, aut inferiores Ma-
" giſtratus, Eccleſiæ, & perſonarum
" Eccleſiaſticarum immunitatem, Dei
" ordinatione, & Canonicis ſanctioni-
" bus conſtitutam, aliquo cupiditatis
" ſtudio, ſeu inconſideratione aliqua
" violent; ſed una cum ipſis Principi-
" bus debitam Sacris Summorum Pon-
" tificum, & Conciliorum Conſtitutio-
" nibus obſervantiam præſtent.

" Decernit itaque, & præcipit, Sa-
" cros Canones, & Concilia generalia
" omnia, nec non alias Apoſtolicas
" Sanctiones in favorem Eccleſiaſtica-
" rum perſonarum, libertatis Eccleſia-
" ſticæ, & contra ejus violatores edi-
" tas, quæ omnia præſenti etiam De-
" creto innovat, exacte ab omnibus
" obſervari debere. Propterea que ad-
" monet Imperatores, Reges, Reſpubli-
" cas, Principes, & omnes, & ſingu-
" los cujuscunque ſtatus, & dignitatis
" exiterint, ut, quo largius bonis tem-
" poralibus, atque in alios poteſtate
" ſunt ornati, eo ſanctius, quæ Eccle-
" ſiaſtici juris ſunt, tanquam Dei præ-
" cipua, ejusque patrocinio tecta, ve-
" nerentur, nec ab ullis Baronibus,
" Domicellis, Rectoribus, aliisve Do-
" minis temporalibus, ſeu Magiſtrati-
" bus, maximeque Miniſtris ipſorum
" Principum lædi patiantur; ſed ſevere
" in eos, qui illius libertatem, immu-
" nitatem, atque jurisdictionem impe-
" diunt, animadvertant; quibus etiam
" ipſimet exemplo ad pietatem, Re-
" ligionem, Eccleſiarumque protectio-
" nem exiſtant, imitantes anteriores
" optimos, religioſiſſimosque Principes,
" qui res Eccleſiæ ſuæ imprimis auc-
" toritate, ac munificentia auxerunt, ne-
" dum ab aliorum injuria vindicarunt:
" Adeoque ea in re quiſque officium
" ſuum ſedulo præſtet, quo cultus Di-
" vinus devote exerceri, & Prælati,
" cæterique Clerici in reſidentiis, &
" officiis ſuis quiete, & ſine impedi-
" mentis, cum fructu, & ædificatione
" populi permanere valeant." Hactenus *Concilium Tridentinum.* (**)

Et

(*) Seſſ. XXI. Cap. I. de Reform.

(**) Seſſ. XXV. Cap. XX.

Et quoniam non raro contingit, aliquos ex diverſis cauſis, manum Judicis ſæcularis pertimeſcentes, ad Eccleſias, Sacraque loca confugere; ut Eccleſiaſtica immunitas juxta Sacros Cánones illæſa, inviolataque conſervetur, mandamus Presbyteris, atque Clericis quarumcunque Eccleſiarum, ut Nos, ſeu Vicarium noſtrum in Spiritualibus quamprimum de confugientibus ad Eccleſias ſuas, certiores faciant, quo conſiderata perſonarum, locorum, factique qualitate, decerni poſſit, quod Sacrorum Canonum diſpoſitioni conſentaneum eſt. Non poſſit autem ſæcularis poteſtas citra Eccleſiaſticæ Superioritatis licentiam (quæ non detur, niſi in caſibus a jure permiſſis) fugientes ad Eccleſiam inde extrahere.

Ne Clerici ad Judicia ſæcularia trahantur.

CAPUT XXXVIII.

QUia ad Eccleſiaſticam libertatem imprimis pertinet, ut Clerici Eccleſiaſticis, tanquam propriis Judicibus, ſubjiciantur: præſenti Decreto ſtatuimus, ne quis Clericum, cujuscunque gradus ſit, ad tribunal Judicis ſæcularis trahere præſumat, neque Judex ſæcularis ſuæ cognitionis officium contra eum ullatenus interponat. Si ſecus factum fuerit, tam actor, quam Judex ſententiam excommunicationis ipſo facto incurrant, nunquam ad abſolutionis beneficium admittendi, donec parti læſæ de injuriis, & expenſis ſatisfecerint, vel caverint, æſtimatione, & declaratione coram Nobis, vel Judicibus noſtris legitime facienda; ſalvis Conſtitutionibus aliis ſuper hoc promulgatis.

De Officio Decanorum Ruralium.

CAPUT XXXIX.

QUoniam Decani Rurales ideo potiſſimum conſtituuntur, ut Clericorum honeſtatem, & confraternitatis ſuæ utilitatem procurent, mandata noſtra, & Vicarii noſtri debite exequantur, & ſingula, quæ a Superioribus injunguntur, ad notitiam confratrum ſuorum deducant, ipſos ſerio admonitos volumus, ut meminerint ſe in partem ſolicitudinis noſtræ eſſe vocatos. Quare eis diſtricte præcipimus, & in vim juramenti Nobis præſtiti, mandamus, ut ſi quos exceſſus ſciverint, quibus Eccleſia ſcandalizetur, quales ſunt, ſi quid (quod Deus avertat) circa Sacramenta, & eorum adminiſtrationem ſacrilege, vel irreverenter committatur, hæreſis ſuſpicio, furtum manifeſtum, homicidium, inceſtus, concubinatus, notoria fornicatio, manifeſta uſura, aut alia delicta tam Clericorum, quam aliorum: præterea ſi Clericus excommunicatus ſe publice Sacris adminiſtrandis ingereret: ſi uſuram qualitercunque exerceret: ſi poſt monitionem Decani, tabernis, aut aliis locis inhoneſtis, ludis publicis, comeſſationibus, potationibus, & aliis actibus illicitis palam ſe immiſceret: ſi in habitu laicali, aut inhoneſto incederet, & id genus alia, diligenter ea omnia Nos, aut Vicarium noſtrum edoceant.

De Eccleſiis, quæ ſunt obnoxiæ Juri Patronatus, earumque Patronis, & bonis.

CAPUT XL.

JUris Patronatus Eccleſia, ſeu Beneficio aliquo vacante, volumus, Patronum tam laicum, quam Eccleſiaſticum, infra tempora a jure præſcripta, præſentare; alioquin Nos juxta Sacrorum Canonum diſpoſitionem, ea conferemus.

Prohibemus inſuper, ne ullus Patronus ſub prætextu juris Patronatus, vel quovis quæſito colore, quicquam occupet, ſeu uſurpet eorum, quæ ad ipſa beneficia ſpectant, ſed Sacerdotibus, ſeu Clericis, ad beneficia admiſſis, atque inſtitutis, omnes proventus, res, & bona quæcunque integra relinquat: neque auſu ſacrilego ex eisdem penſionem, partemve ullam reſervare, vel aliam quamcunque pactionem ſimilem apponere præſumat: alioquin tam recipiens, quam dans, uti Simoniacæ labis rei, eo ipſo excommunicationis pœnam incurriſſe cenſeantur, & inſu-

insuper Patronus omni suo, quod superinde habebat, jure : instituendus vero, nominationis, seu præsentationis commodo, ipso facto sit privatus.

Præterea Patroni in iis, quæ ad Sacramentorum administrationem, & Divinum Officium peragendum spectant, nullatenus se præsumant ingerere ; neque visitationi ornamentorum Ecclesiæ, aut bonorum stabilium, seu proventuum fabricarum se se immisceant. Si quid tamen aliqua reformatione dignum animadverterint; id Nobis, aut Vicario nostro quam primum significent.

Insuper vacante quacunque hujusmodi Ecclesia, de nostro, vel Vicarii nostri, & nullatenus Patroni ordine, Vicarius constituatur idoneus, & fidelis, qui regat Ecclesiam, necessitatibus provideat, fructusque percipiat, & usque ad nostram, vel Vicarii nostri deliberationem, fideliter reservet, rationem debitam de iis redditurus.

Denique omnino prohibemus, ne quis, prætextu juris Patronatus, præsentatos Clericos, & per Nos admissos, ac institutos audeat amovere, aut in exercitio officii sui quovis modo impedire, vel alios auctoritate propria assumere, sine nostro consensu, sub pœna amissionis juris Patronatus: contra intrusum vero pœnis suspensionis a Divinis, & aliis arbitrio nostro, vel Vicarii nostri, procedi volumus.

Propterea Visitatoribus nostris mandamus, ut si quid fraudis, vel suspicionis in Bullarum recognitione, aut alias repererint, opportune juxta Sacrorum Canonum regulas providere non omittant.

De Ecclesiis sartis tectis conservandis, & reparandis, si quæ vetustate sint collapsæ.

CAPUT XLI.

UT Ecclesiæ sartæ tectæ custodiantur, Constitutionem *Cardinalis* BERNARDI sequentes, tecta, ex quorum neglectu & vitio plerumque ruinarum initium contingit, per communitates sub excommunicationis, & interdicti pœnis arbitrio nostro infligendis, refici mandamus: si quæ vero de præsenti sint in nostro Episcopatu, aut futuris temporibus erunt Ecclesiæ ruinosæ, & quæ reparatione indigeant, volumus in iis restaurandis, servari Decretum *Concilii Tridentini Sess. XXI. Cap. VII. de Reform.* incip. *Cum illud quoque.* Ac proinde præcipimus, ut in proxima futura visitatione hujusmodi Ecclesiarum status, ac necessitas diligenter consideretur, eaque omnia remedia adhibeantur, quæ dicti *Concilii* Constitutione proponuntur.

De novis Ecclesiis erigendis.

CAPUT XLII.

PRæsenti Constitutione declaramus, ut juxta Canonicas Sanctiones nullus intra fines Parochiæ erigat, vel erigi patiatur novas Ecclesias, vel in campis icones, vel capitellos sine licentia nostra. Cum populus novitate gaudeat, & matrices Ecclesiæ talibus occasionibus fraudentur debitis honoribus, & sæpenumero hominum temeritate, falsa pro veris in his locis publicari compertum sit ; volumus, & mandamus, ut Rectores Parochialium Ecclesiarum, ubi similia attentantur, ad Nos, vel Vicarium nostrum recurrant: ut cum causæ cognitione, quod cum pietatis, & servitii Divini commodo conjunctum erit, decernere possimus.

De occupationibus Decimarum, & aliorum bonorum Ecclesiasticorum.

CAPUT XLIII.

USque adeo inexplebibilis & cœca temporalium rerum cupido quorundam hominum animos occupat, ut nec ab iis, quæ Dei sunt, ejusque præcepto Ecclesiis, illarumque Ministris debentur, non secus ac si profana, & in nullius Dominio essent, invadendis, se contineant.

Quod cum alicubi in hac nostra Diœcesi circa Decimas, & nonnulla alia bona Ecclesiarum evenire deprehenda-

mus Conſtitutionem bonæ mem. *Cardinalis BERNARDI* innovando, eos, qui occupant, aut detinent bona Eccleſiæ Sancti Vigilii, aut aliarum Eccleſiarum Civitatis, vel Diœceſis noſtræ, niſi infra ſpatium trium menſium a publicatione præſentis Decreti (quem terminum eis, & eorum cuilibet pro peremptorio, ac monitione Canonica aſſignamus) ea reſtituerint, in his ſcriptis excommunicamus, Decreto Sacri *Concilii Tridentini* (cujus normam in exequendo ſequi volumus) inhærentes; quod propterea hic de verbo ad verbum inſerendum duximus. Videlicet:

" Si quem Clericorum, vel Laico-
" rum, quacunque is dignitate, etiam
" Imperiali, aut Regali præfulgeat, in
" tantum malorum omnium radix, cu-
" piditas occupaverit, ut alicujus Ec-
" cleſiæ, ſeu cujusvis Sæcularis, vel
" Regularis beneficii, montium pieta-
" tis, aliorumque piorum locorum ju-
" risdictiones, bona, cenſus, ac jura,
" etiam feudalia, & emphyteutica, fru-
" ctus, emolumenta, ſeu quascunque
" obventiones, quæ in Miniſtrorum,
" & pauperum neceſſitates converti de-
" bent, per ſe, vel alios, vel timore
" incuſſo, ſeu etiam per ſuppoſitas per-
" ſonas Clericorum, aut Laicorum, ſeu
" quacunque arte, aut quocunque quæ-
" ſito colore, in proprios uſus conver-
" tere, illosque uſurpare præſumpſe-
" rit, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos
" jure pertinent, percipiantur; is ana-
" themati tamdiu ſubjaceat, quamdiu
" jurisdictiones, bona, res, jura, fru-
" ctus, & redditus, quos occupaverit,
" vel qui ad eum quomodocunque,
" etiam ex donatione ſuppoſitæ perſo-
" næ pervenerint, Eccleſiæ, ejusque
" Adminiſtratori, ſive Beneficiato inte-
" gre reſtituerit, ac deinde a Romano
" Pontifice abſolutionem obtinuerit.
" Quod ſi ejusdem Eccleſiæ Patronus
" fuerit, etiam jure Patronatus, ultra
" prædictas pœnas, eo ipſo privatus
" exiſtat. Clericus vero, qui nefandæ
" fraudis & uſurpationis hujusmodi fa-
" bricator, ſeu conſentiens fuerit, eis-
" dem pœnis ſubjaceat, nec non qui-
" buscunque beneficiis privatus ſit, &
" ad quæcunque alia beneficia inhabi-
" lis efficiatur, & a ſuorum Ordinum
" executione, etiam poſt integram ſa-
" tisfactionem, & abſolutionem, ſui
" Ordinarii arbitrio ſuſpendatur." *Hactenus Concilium Tridentinum.*

Pari etiam pœnæ ſubjicimus eos, qui ſciunt tales detentores, & occupatores bonorum hujusmodi, ſive feudorum, niſi infra præfatum tempus illos manifeſtaverint. Et ſi occupatores & detentores hujusmodi bona reſtituere neglexerint, ultra præfatas pœnas, omnibus aliis juribus, quæ ab Eccleſiis tenent, hoc noſtro Decreto eos perpetuo privamus, & privatos eſſe decernimus. Volentes, ut hæc Conſtitutio ter in anno publicetur, quum major veriſimiliter populi multitudo in Eccleſiis reperitur: Denunciatores autem, etiam ſecretos, talium occupatorum, ultra mercedem Divinam ſuis præmiis non fruſtraturi.

Statuimus item, & ordinamus, ut Beneficiati, & alii Clerici ſtudeant indagare, ſi qui ſint detentores bonorum Eccleſiarum, aut Decimarum, oppreſſores piorum locorum, & miſerabilium perſonarum, viduarum, pupillorum, & orphanorum; & ſi quos repererint, illos Nobis, aut Vicario noſtro in Spiritualibus notificent, ut contra eos, prout juſtitia poſtulat, procedi poſſit, in quo ſi negligentes fuerint, eorum conſcientias oneramus; reſervata etiam Nobis, vel Vicario noſtro arbitraria punitione.

Et quia Sæcularium nonnulli interdum temeritate propria Decimas, quas omnium Dominus ſolvi præcepit, in totum, vel pro parte ſubtrahere, vel per fraudem diminutas, & vitiatas præſtare non verentur, in animarum ſuarum grave periculum; Præcipimus cunctis Prædicatoribus & Confeſſoribus, tam Religioſis, quam ſæcularibus in virtute ſanctæ obedientiæ, quatenus in Prædicationibus, & Confeſſionibus, fidelem populum ſtudioſius moneant, & inducant, ut memores ſalutis animarum ſuarum, Decimas omnium terra naſcentium, ſine ulla diminutione, & fraude: perſonales vero ſecundum laudabilem conſuetudinem perſolvant, ſi pœnas damnationis æternæ voluerint evitare.

Et

Digitized by Google

Et quoniam magni momenti esse putamus, quod ultra jam superius dicta saluberrimum etiam *Concilii Trident. Decretum de Decimis*, ad fidelis populi notitiam deducatur, illud hic de verbo ad verbum subjungi voluimus. Videlicet:

" Non sunt ferendi, qui variis " artibus Decimas Ecclesiis obvenientes, subtrahere moliuntur, aut qui " ab aliis solvendas, temere occupant, " & in rem suam vertunt; cum Decimarum solutio debita sit Deo: & qui " eas dare noluerint, aut dantes impediunt, res alienas invadunt. Præcipit igitur Sancta Synodus omnibus cujuscunque gradus, & conditionis sint, ad quos Decimarum solutio spectat, ut eas, ad quas de jure tenentur, in posterum Cathedrali, aut quibuscunque aliis Ecclesiis, vel personis, quibus legitime debentur, integre persolvant. Qui vero eas aut subtrahunt, aut impediunt, excommunicentur, nec ab hoc crimine, nisi plena restitutione secuta, absolvantur."

Omnibus igitur tam Ecclesiasticis, quam sæcularibus Judicibus, Officialibus, & Ministris nostris serio præcipimus, quatenus gratiam nostram caram habent, ut Ecclesiasticis personis, & earum Ministris, pro ipsarum Decimarum consecutione, omnino præsto sint, auxilium eis præbendo adversus pertinaces, & quovis modo in solvendis Decimis fraudem committere attentantes.

De Novalibus.

CAPUT XLIV.

PLacuit, bon. mem. *Cardinalis BERNARDI* Decretum super Novalibus, per Nos innovatum, hic subjungere. Videlicet:

Licet Laici in Ecclesiarum Parochiis Decimas possideant ab antiquo, Novalium tamen Decimas, quæ in Parochiis ipsis insurgunt, nullo modo, seu titulo valent possidere. Præsenti itaque Constitutione decernimus, Novalia hujusmodi non ad Laicos, prætextu Decimarum, sed ad Ecclesias, sub quarum districtu crescunt, pertinere, juri communi, ac Constitutionibus quondam bon. mem. Episcopi ALEXANDRI, ac aliorum Prædecessorum nostrorum, inhærendo, mandamus Laicis, & Novalium ipsorum detentoribus, ut ea libere Ecclesiis dimittant, sub pœnis in eisdem Constitutionibus contentis; in quibus præcipitur omnibus & singulis Plebanis nostræ Diœcesis, sub excommunicationis pœna, ut postquam tales detentores legitime declarati fuerint, excommunicationis sententiam incidisse, publice diebus Dominicis, & Festivis, candelis accensis pariter & extinctis, & campanis pulsatis, excommunicati denuncientur. Quibus pœnis successores & hæredes Novalia ipsa usurpantium, pari judicio volumus subjacere.

Insuper mandamus universis & singulis colonis, & affictalinis, qui agros convertunt in prata in fraudem, ne Decimas solvant, sub excommunicationis pœna, ut ab ejusmodi fraude desistant; sed de fructibus, etiam secundariis, quotiescunque etiam in anno nascuntur, & quibus de jure tenentur, Decimas dent, & sine aliqua diminutione persolvant.

De bonis Ecclesiæ non alienandis.

CAPUT XLV.

UT bona, quæ pia fidelium devotio Ecclesiis contulit, illæsa & integra custodiantur, bon. mem. Antecessoris nostri *Cardinalis* BERNARDI Decreto inhærentes, vetamus omnibus Præpositis, Prælatis, Decanis, Prioribus, Beneficiatis, & aliis quibuscunque tam sæcularium, quam Regularium Ecclesiarum Rectoribus, ne Beneficiorum suorum bona tam immobilia (qualiacunque ea sint) quam mobilia; præsertim ad Canonicæ, vel Ecclesiæ ipsius usum pertinentia, citra nostrum consensum in scriptis habitum, alienare audeant; sed contra, omni studio advigilent, ne ipsorum incuria, aut culpa dissipentur, aut ab aliis usurpentur.

Prohibemus præterea omnibus antedictis, ne caducitates, & devolutiones

Digitized by Google

nes bonorum Ecclesiarum, & Beneficiorum remittere, aut super his transigere, vel novas locationes perpetuas sine nostra licentia, ipsis contractuum instrumentis inserenda, concedere possint: Decernentes, hujusmodi citra nostram licentiam celebratos contractus quoscunque, licet aliis solennitatibus alioqui sint vallati, nullius esse roboris & efficaciæ. Notarios autem, tales contractus scribentes, suspensionis ab officio per annum, & insuper quinque marcarum pœna mulctari volumus. Mandantes, ter in anno, tempore congruenti, hanc Constitutionem per Parochos publicari.

De bonis Ecclesiarum administrandis.

CAPUT XLVI.

CUm Ecclesiarum bona in Dominio Dei sint posita, possessio eorum apud Ecclesiam, administratio vero apud Rectores; omnes Clericos, & Sacerdotes beneficiatos admonemus, & serio eis præcipimus, ut bonorum hujusmodi diligentem curam habeant, studeantque & invigilent, ne a quoquam usurpentur. Quod si vero in hoc ab aliquo impediantur, Nobis id denuncient. Et si per eorum negligentiam, Ecclesiæ passæ fuerint damnum, pœnis juris, & aliis, nostro arbitrio afficiantur.

Districte prohibentes Laicis, ne de sepulturis dandis se intromittant: nec campanas, aut alia ad cultum Divinum deputata, contra voluntatem Presbyterorum, quocunque modo contrectent, sed eorum usum integrum Parochis permittant: nec in Ecclesiis, & rebus earundem quicquam propria auctoritate ipsi statuere, aut ordinare præsumant. Quod Decretum sæpius per annum in Ecclesiis publicari mandamus.

De conficiendis Inventariis reddituum Ecclesiarum.

CAPUT XLVII.

NE bona Ecclesiarum injuste occupentur, Antecessorum nostrorum menti inhærentes, statuimus sub pœna quinque florenorum, ut quilibet Beneficiatus infra annum a publicatione præsentis Constitutionis, bonorum, tam mobilium, quam immobilium Ecclesiæ, & beneficiorum suorum per Notarium publicum, Inventarium authenticum curet faciendum: in quo bonorum mobilium quantitates, & confinia accurate describantur. Quod quidem Inventarium, seu copia ejus authentica, Nobis in dicto termino præsententur, originali apud Ecclesiam, seu Beneficiatum remanente; contra negligentes autem Vicarius noster ad pœnas prædictas, aliasque graviores pro qualitate contumaciæ, procedat.

De Locationibus bonorum Ecclesiarum.

CAPUT XLVIII.

EAdem ratione prohibemus, ne quis Clericus, cujuscunque ordinis existat, redditus, aut bona ad Beneficium, vel Ecclesiam suam pertinentia, ad longius tempus, quam ad triennium locare possit, neque factam jam locationem renovare, aut prolongare ad longius spatium, quam de triennio in triennium: decernentes, ut contractus hujusmodi locationum factus ad longius tempus, validus non sit, nisi consensus & beneplacitum a Nobis obtentum sit, & instrumento insertum.

Similiter prohibemus Beneficiatis quorumcunque Beneficiorum, & Ecclesiarum, anticipate aliquid recipere a conductoribus suis, ne qua successoribus fraus, aut præjudicium fiat, juxta *Decretum Concilii Trident. Sess. XXV. Cap. XI.* incip. *Magnam Ecclesiis.*

Ne vacantes Ecclesiæ spolientur.

CAPUT XLIX.

STatuimus, ne ullus Ecclesiasticus, vel sæcularis, quocunque officio in Parochia fungatur, sive dignitate præemineat, Ecclesiarum vacantium, aut Clericorum decedentium, maxime Paro-

Digitized by Google

Parochorum, bona rapiat, diſſipet, aut invadat, juris Patronatus, aut alio quocunque prætextu. Contrafacientes, ſi jus Patronatus habeant, illud eo ipſo amittant, & ut alii quicunque anathemati, & aliis pœnis ſubjaceant, juxta *Decretum Concilii Trident. Seſſ. XXII. de Reform. Cap. XI.* incip. *Si quem Clericorum.* Quod Decretum aliquoties per annum publicari volumus.

Curet autem Decanus Ruralis, vel ipſo abſente, Commiſſarius, aut proximior Parochus, quem ædituus Eccleſiæ ægrotantis, de periculoſa ejus infirmitate, & obitu (ſi ſequatur) quamprimum certiorem faciat: omnia bona mobilia, & ſcripturas ipſius defuncti in tuto loco reponi, & obſignari, quouſque Nos, vel Vicarius noſter certiores facti ſimus. Interim ipſe Decanus provideat de idoneo Sacerdote pro populi, & beneficii exigentia, uſque ad ulteriorem noſtram, vel Vicarii noſtri deliberationem.

De Syndicis, & Juratis Eccleſiarum.

CAPUT L.

ECcleſiarum indemnitati providere cupientes, præſenti Conſtitutione ordinamus, ut præter Rectorem, ſive Plebanum, tanquam principalem, quotannis duo laici bonæ famæ & converſationis, & qui ſolvendo ſint, vel tot, quot fuerint neceſſarii, & opportuni Syndici, ſeu Jurati fabricæ cujusque noſtræ Diœceſis Eccleſiæ conſtituantur. Qui quidem laici hujusmodi Syndicatus, ſeu procurationis officia, citra eorum privata commoda, fideliter, cum ſcitu, & conſenſu Plebani, exerceant; rationem de ſingulis per eos collectis, levatis, diſtributis, & factis, in præſentia ipſius Rectoris, ſive Plebani, tanquam principalis Procuratoris, & aliorum, juxta laudabilem cujuscunque loci conſuetudinem, ſingulis annis, temporibus conſuetis, una cum reſiduis reddendo. Quæ reſidua, & in univerſum, omnia fabricæ credita, ſub ipſorum Syndicatu facta, intra trimeſtre Succeſſoribus exacta conſignent; ſin minus, de ſuo ea præſtare teneantur.

Succeſſores vero munus hujusmodi ſuſcipientes, jurent in manibus Parochi, ſe fideliter officium ſuum facturos. Parochis vero præſentis Decreti auctoritate, hujusmodi juramentum recipiendi, etiam mulcta retinentibus Syndicis indicta, facultatem impertimur. Quod noſtrum Decretum qui transgredi auſi fuerint, ii per Rectorem, ſeu Plebanum Canonice moniti, ſi in præmiſſis non ſatisfecerint, eo ipſo Sacrorum Canonum pœnas incurrant: Plebani vero de his ad Nos, vel Vicarium noſtrum referant.

Quâ in re ſerio monemus ipſos Rectores, ut diligenter officio ſuo ſatisfaciant, alioquin & Deo, & Nobis negligentiæ rationem reddituri, condignamque punitionem recepturi.

Et ut Eccleſiarum neceſſitatibus opportune ſubveniatur: ordinamus, ut pecuniæ ad eas pertinentes, ſcripturæ item, & quæcunque literarum monumenta aſſerventur in capſis firmiter ad hoc conſtructis, & loco tutiore poſitis, quæ, uti & gazophylacia, duabus, vel tribus clavibus, pro locorum conſuetudine, obſerentur: quarum unam Parochus, alteram ſæcularis Poteſtas (ubi ita conſuetum eſt), tertiam Syndici habeant: ita ut neque dicti Syndici, neque alii poſſint iis pecuniis uti, aut aliis utendas dare.

Et qui hactenus pecunias hujusmodi penes ſe habuerunt, cogantur ſub pœna duplici, fabricæ applicanda (quam etiam duplicem pœnam, novo Syndico, intra dictum bimeſtre exactionem negligenti, applicandam eidem fabricæ, imponi mandamus) infra idem ſpatium omnino eas reddere novis Syndicis, ad neceſſarios Eccleſiarum uſus reponendas, & ubi occaſio tulerit, impendendas.

Prohibemus etiam, ne oblationes, quæ in gazophylaciis, & capſis in Eccleſiis conſtitutis fiunt, a laicis, etiam jus Patronatus habentibus, occupentur; neve propria auctoritate in illis ſe ipſi ingerant, quacunque arte, vel quæſito colore, in proprios uſus illas convertendo, ſeu impediendo, ne ab iis, ad quos de jure pertinent, percipiantur, ſub pœna excommunicationis, & aliis

juxta *Decretum Concilii Trident. Seſſ. XXII. Cap. XI.* §. incip. *Si quem Clericorum.*

Et quia ſæpe magnæ quibusdam in locis fieri conſueverunt impenſæ, in adhibendis Notariis, & conficiendis inſtrumentis & ſcripturis: item in aliis rebus, quæ in libris Eccleſiarum ſcribuntur: Cupientes ipſarum Eccleſiarum indemnitati conſulere; ſtatuimus, quod ſcripturis & libris ipſarum Eccleſiarum, nec non locationibus temporalibus, & affictibus (quos vocant) perpetualibus, ſecundum Conſtitutiones noſtras faciendis, uſque ad ſummam viginti quinque Rhenenſium, Plebani manu coram Syndicis ipſius Eccleſiæ, aut Regulanis, ſeu Juratis villarum, vel duobus ſaltem idoneis teſtibus, notatis, plena adhibeatur fides, non ſecus ac ſi Notarii publici manu ſcriptæ eſſent. Id quod etiam ad ſcripturas, eadem ſolennitate antehac factas, extendi volumus. Mandantes etiam, ut impenſæ, quæ in rationibus Syndicorum recipiendis, fieri conſueverunt, quantum fieri poteſt, moderentur, ac ſuperfluæ tollantur: præſertim illæ, quæ in comeſſationibus & compotationibus, in Eccleſiarum detrimentum fieri ſolent.

De Legatis ad pias cauſas, & ad quæ teneantur Notarii.

CAPUT LI.

VOlumus & mandamus, inhærendo Conſtitutioni bon. mem. *Cardinalis BERNARDI*, ut nullus Notarius per totam Diœceſim noſtram præſumat conficere ullum teſtamentum, niſi aliquid fabricæ Eccleſiæ Cathedralis Sancti Vigilii Tridenti fit legatum, ſub pœna decem florenorum.

Mandamus etiam diſtricte eisdem Notariis, ſub pœna reficiendi Eccleſiæ de ſuo, quanti illius interierit, nec non peccati mortalis (cujus abſolutionem Nobis, vel Vicario noſtro expreſſe reſervamus) ne animos teſtantium avertant, quominus legata ad dictam fabricam, ac alias Eccleſias, & pias cauſas, faciant.

Præterea dolenter audivimus, quod fidelium, tam Clericorum, quam Laicorum teſtamenta, atque ultimæ voluntates, & maxime pro animarum ſalute, ad pios uſus legata, & relicta, ſuis debitis executionibus perverſe, & negligenter multis in locis multipliciter fruſtrentur, & retardentur.

Cum itaque ultima voluntas teſtantium, & præſertim ad pias cauſas, debita executione nullo modo ſit fraudanda, & noſtro incumbat officio Paſtorali, talibus providere, teſtamentaque defendere, & exequi; univerſis noſtræ Diœceſis & jurisdictionis Eccleſiaſticis, & Sæcularibus ſub interminatione Divini Judicii & aliis pœnis, quæ Nobis, vel Vicario noſtro, pro qualitate facti, & perſonarum, infligendæ videbuntur, inhibemus, ne teſtamenta & ultimas voluntates Eccleſiaſticarum, vel ſæcularium perſonarum, maxime ad uſus pios, earumque executionem negligant, retardent, vel impediant: Nec teſtamentorum & legatorum, quæ ad Divinum cultum pro animarum ſalute ſunt facta, & cauſarum occaſione ipſorum, pro tempore motarum, & movendarum cognitioni ſe intromittant; ſed eam ad Nos, vel Vicarium noſtrum remittant.

Mandantes etiam ſub eadem pœna omnibus Notariis, ut hujusmodi legata pia, quæcunque in ſuis inſtrumentis habent, intra duos menſes, a publicatione præſentis Decreti computandos, omnino in ſcriptis exhibeant (etiamſi antehac aliquando ea exhibuerint) Parochis, ſeu Curatis locorum, ubi degunt hæredes ad ipſa legata obligati; & in poſterum etiam ſucceſſive, quæcunque legata pia habebunt, intra duos menſes computandos a die mortis ipſorum Teſtatorum, ſeu Codicillantium, exhibeant dictis Parochis, ſeu Curatis: Qui pariter, tanquam de animabus ſibi commiſſis, diſtricte rationem reddituri, ſeriis adhortationibus efficere ſtudeant, ut legata hujusmodi infra idoneum tempus, juxta Teſtatorum diſpoſitionem, executionem habeant. In quibus exequendis ſi Notarii, & hæredes ad legata obligati, culpabiles fuerint; ultra præfatas pœnas, incurrant mulctam unius floreni, fabricæ Eccleſiæ Parochialis applicandam: & nihilominus per ipſos Parochos, vel Cura-

Curatos Nobis, vel Vicario noſtro quamprimum denuncientur, ad hoc, ut officio noſtro ſatisfacere valeamus.

Ipſi quoque Parochi, & Curati, in prædictis negligentes, eandem pœnam incurrant.

Inſuper Decretum hoc integrum ſaltem bis per annum publicetur in Eccleſiis.

De Legatorum piorum commutatione.

CAPUT LII.

QUoniam omnium piarum diſpoſitionum in caſibus a jure conceſſis executores ſunt Epiſcopi; propterea ſi quæ commutationes Legatorum ad pias cauſas faciendæ videbuntur, mandamus, eas ad Nos referri, ut poſſimus juxta *Decretum Concilii Trid. Seſſ. XXII. Cap. VI.* circa eas providere.

Sicubi vero vel propter magnum numerum Miſſarum ex legatis, vel propter tenuitatem eleemoſynarum aliqua opus fuerit nova proviſione, ut piis teſtantium mentibus ſatis fiat; mandamus pari modo, de iis ad Nos referri, ut poſſimus in Synodo, prout expedire videbitur, providere.

De Teſtamentis Clericorum.

CAPUT LIII.

NE circa Clericorum teſtamenta, & eorum executiones ullæ fraudes committantur, & bona per eos relicta ad alios uſus, quam ſunt deſtinata, diſpenſentur; ſtatuimus, ut quicunque in noſtra Diœceſi extra Civitatem Executor, ſeu Commiſſarius bonorum relictorum per Clericos decedentes, ſe intromittere velit, in executione facienda, antequam manum ad aliqua bona detrahenda apponat, omnino conficiendum curet Inventarium authenticum bonorum in hæreditate defuncti Sacerdotis repertorum (ſi quidem ad valorem Rhenenſium quinquaginta aſcendunt) illudque ad Nos mittat, & de obitu Nos, vel Vicarium noſtrum, quamprimum certiorem faciat, & ubi legitime requiſitus fuerit, Nobis, aut dicto Vicario integram de inventis, vel diſtributis, reddat rationem.

Si vero probabiliter ad valorem quinquaginta Rhenenſium non aſcendunt, Executor ipſe, præſentibus Syndicis, vel duobus teſtibus fide dignis, Inventarium conficere poſſit quo caſu etiam ſupra ſcripta ſervare obligatus ſit.

Si quis vero præmiſſis non ſervatis, bona cujuscunque Clerici, Nobis immediate ſubjecti, diſpenſare præſumpſerit, ultra refectionem de ſuo proprio, arbitrio noſtro puniatur.

Mandamus inſuper omnibus Parochis, per Diœceſim noſtram ubilibet conſtitutis, ut ſi quem Regularem cujusvis Ordinis extra clauſtra, & ſuorum obedientiam in hac noſtra Diœceſi mori contingat, ejus bona quæcunque quamprimum annotent, & Nobis Inventarium transmittant, eaque diligenter cuſtodiant; donec a Nobis aliud deſuper ſtatuatur, ſub pœnis arbitrio noſtro exigendis.

De portione fructuum, poſt mortem Clerici reſtantium, Succeſſori aſſignanda.

CAPUT LIV.

QUia vero frequenter controverſiæ inter Clericos noviter promotos ad Beneficia, & Executores defunctorum, ſuper fructibus reſtantibus occurrunt, cuinam debeant applicari: proinde Nos Canonum Sanctiones imitando, ordinamus, hujusmodi inter præmiſſos noſtræ Diœceſis, extra Civitatem noſtram, faciendam eſſe diviſionem: Videlicet, ut de ſuperexiſtentibus fructibus, talis Succeſſoribus aſſignetur portio, unde judicio Vicarii noſtri, vel Decani Ruralis, honeſte ſuſtentari valeant, uſque ad integrorum, & novorum fructuum perceptionem, quocunque anni tempore decedere contingat Anteceſſorem, ne plebs occaſione tali debito fraudetur obſequio.

De Sepulturis.

CAPUT LV.

STatuimus & ordinamus de occiſis, ſeu prævenis mortuis in enormibus & manifeſtis peccatis, cujusmodi ſunt interdicti, excommunicati, ſeipſos

ex desperatione interimentes, Hæretici (quorum sepultura in Ecclesia, (*) ipso facto, Ecclesiastico interdicto subjicitur) publici concubinarii, & usurarii manifesti; quod in Cœmeterio non sepeliantur, si sine confessione, vel saltem signis contritionis decesserint: Et qui scienter tales sepelierint absque speciali licentia nostra, vel Vicarii nostri, sententiam excommunicationis, hac nostra monitione præmissa, ipso facto, & ulteriorem pœnam, etiam arbitrio nostro infligendam incurrant. Adjicientes, ut cadavera contra hanc nostram Constitutionem sepultorum exhumentur, & sepultura careant Ecclesiastica.

Ut insuper occurramus nimiæ quorundam ambitioni, qui non contenti fidelium Cœmeterio, loco ad hoc destinato, in ipsis Ecclesiis, atque adeo juxta altaria volunt sua, suorumque cadavera tumulari; serio prohibemus, ne ullus posthac cujuscunque conditionis, vel gradus existat, sepulchra nova in Ecclesiis condere præsumat, sine nostra, vel Vicarii nostri licentia speciali. Qua obtenta teneantur nihilominus sepulchra ipsa, solo æquata, lapide ita plano tegere, ut vel annorum, vel aliarum imaginum sculptura desuper transeuntium pedes non offendant, nec Divinum Officium impediant.

Parochi non permittant ulla in Ecclesiis, aut Capellis depingi arma, nisi ab iis, qui eas fundaverint, aut in toto, vel majore parte dotaverint, restauraverint, aut alias notabiliter de iis sint benemeriti.

De Regularibus.

CAPUT LVI.

UT, qui Regularem vivendi normam elegerunt, secundum Regulas suas, & Decreta Sanctæ *Oecumenicæ Synodi Trid.* vivant, decernimus, atque mandamus omnibus Præpositis, Prioribus, Guardianis Civitatis nostræ, ut ultra professionis suæ Regulas, omnia ea & singula, quæ in eodem *Concilio Tridentino de Reformatione Regularium* sancita, quæque per Summos Pontifices decreta sunt, tum in admissione ante Religionis Professionem, tum etiam in electionibus ad regimen Monasteriorum, & reliqua vitæ norma instituenda, plene & exacte observent. Qua in re, ne quis negligentiæ, aut inobedientiæ suæ impunitatem speret, præsenti Decreto scire volumus Regulares omnes, Nos in casibus, quos Nobis dictum *Concilium Trident.*, tum fel. record. Pont. Maxim. PIUS V, & GREG. XIII. suis Constitutionibus hac in parte delegant, contra transgredientes severe esse processuros. Ante omnia vero caveant, ne ullas mulieres, cujuscunque conditionis sint, intra Monasteriorum suorum septa admittant; alioqui pœnis in dictis Bullis contentis severe puniendi.

Ut autem Novitii in Monasteriis, præsertim Sancti Michaelis, & Sanctæ MARIÆ in *Gries* admissi, utiles evadant Religioni; Præcipimus Præpositis, ut provideant de Ludimagistris sufficienter eruditis, & bonæ famæ, qui eos tam bonis literis, quam moribus instruant, & doceant; qui in manibus ipsorum Præpositorum Professionem fidei ante omnia emittant. Habeant etiam Theologum, qui Religiosos in iis, quæ regulam, Conciones, conscientiæ casus, & id genus alia respiciunt, omni, qua potest, diligentia instruat, juxta *Sacri Concilii Trid. Decretum, Sess. V. Cap. I. de Reform.*

De Monialibus.

CAPUT LVII.

MOniales etiam ad Regulæ, quam professæ sunt, præscriptum, vitam suam componant, Ordinumque suorum vota custodiant: ante omnia vero clausura, sicubi neglecta fuit, restituatur, & inviolate observetur, juxta præscriptum supra dictarum Constitutionum PII V. & GREG. XIII.

Serio etiam mandamus, sub eisdem censuris, & pœnis, omnibus & singulis personis, cujuscunque status & conditionis sint, tam Ecclesiasticis, quam laicis, ne ullo quæsito colore, audeant ingredi Sanctimonialium septa, sine nostra, vel Vicarii nostri licentia in scriptis obtenta, sub excommunicationis pœna ipso facto incurrenda, juxta *Trid. Conc. Sess. XXV. Cap. V. de Regul. & Monial.*

In

(*) *Supple*: hæc.

ed by Google

In aliis, quæ ad Sanctimonialium disciplinam spectant, ea serventur, quæ Sacrum *Trid. Concilium*, & supradicti Pontifices in allegatis Constitutionibus præcipiunt, quorum omnium observationem, & executionem Nos exacte prosequemur.

Is tantum numerus Monialium constituatur, & in posterum conservetur, qui vel ex redditibus propriis Monasteriorum, vel ex consuetis eleemosynis commode sustentari possit, juxta *Decret. Conc. Trid. Sess. XXV. Cap. III.* incipiens: *Concedit Sancta Synodus.*

De Clericis ignotis, & peregrinis, ac Regularibus extra Claustra degentibus.

CAPUT LVIII.

NE quis Clericus, aut Religiosus profugus, aut alias criminosus in Episcopatu nostro posthac refugium, aut latibulum quærat; Statuimus & ordinamus, ut de cætero nullus Religiosus extra claustra degens, aut ignotus, sive peregrinus Sacerdos, nedum ad ullam partem curæ animarum exercendam, sed nec ad Sacrum celebrandum (itinerantibus, qui suorum Ordinariorum, aut alio, qui fide dignas literas exhibeant, exceptis) sine nostra, aut Vicarii nostri licentia, in scriptis habita, admittatur. Si secus factum fuerit, qui id permittit, si quidem Beneficiatus fuerit, quoties contravenerit, pœnam decem floren. incurrat: si non fuerit Beneficiatus, arbitrio nostro, una cum ab ipso admisso, puniatur.

Licentiam autem hujusmodi nulli, neque sæculari, neque Regulari Sacerdoti peregrino concedi volumus, nisi & formatas, & sui Ordinarii testimoniales ac commendatitias exhibeat.

Si qui vero Religiosi extra claustra ad præsens in Diœcesi nostra moram trahunt, etiamsi alias a Nobis, vel Vicario nostro commorandi licentiam impetraverint, volumus, ut infra duos menses a præsentium publicatione, se coram dicto Vicario sistant, licentiamque obtentam exhibeant. Quod nisi fecerint, contra eos, juxta Sacros Canones procedemus, procedique mandamus; nulla eis licentia, aut tolerantia, elapso dicto termino, suffragatura.

Porro si quis hujusmodi Religiosos contra hanc nostram prohibitionem fovere præsumpserit, contra eum per Vicarium nostrum debitis pœnis, etiam excommunicationis (si opus fuerit) procedatur.

De Quæstuariis Ordinum mendicantium.

CAPUT LIX.

TAmetsi Quæstuariorum nomen, atque usum *Concilium Trid.* penitus abolevit, nihilominus Bullæ Pii V. inhærentes admittimus, ut Fratres Ordinum mendicantium nostræ Diœcesis, possint eleemosynas solitas per Episcopatum nostrum petere, & qui Sacerdotes fuerint, Divina Officia interpetendum celebrare, ad quod tamen licentiam (quæ ultra annum se non extendat) in scriptis a Nobis, vel Vicario nostro obtinere, & Parochis, ac aliis quibuscunque, animarum curam gerentibus, ad quos divertent eleemosynas petituri, ostendere, eleemosynasque per se ipsos, non autem per personas substitutas, colligere teneantur.

Quibus per licentiam hujusmodi, Missas tantum celebrandi, non autem concionandi, aut confessiones audiendi facultas data intelligatur, aliis quibuscunque, præter antedictos Religiosos mendicantes, penitus interdictis, & exclusis. Indulgentias autem publicare, aut icones, cruces, vel similia, occasione illa vendere, nulli supradictorum liceat.

De Confraternitatibus.

CAPUT LX.

CUm per Diœcesim nostram Confraternitates multæ institutæ reperiantur ad pia opera exercenda; easdem per Rectores vitæ, & morum integritate probatos, pie ac recte gubernari cupimus: Mandantes, quod cum earum privilegiis diligenter examinentur,

Digitized by Google

tur, ac visitentur: & quæ negligenter, vel indecenter haberi compertæ fuerint, si nulla alia ratione ad observantiam condecentem reduci poterunt, tollantur: de cætero vero nullæ absque auctoritate nostra institui, vel erigi possint.

Parochi vero ac Decani, intra quorum fines Confraternitates constitutæ reperiuntur, eandem adhibeant diligentiam, ut omnia in eis decenter, & pie peragantur.

Et si quos redditus, aut alia bona possident, ea omni studio conservari, & singulis annis per Massarios administrationis exactam rationem reddi volumus.

De Hospitalium, & aliorum piorum locorum administratione.

CAPUT LXI.

QUia Sacrum *Trident. Concilium* Nobis imponit curam providendi, ut Hospitalia, & alia loca pia fideliter administrentur; statuimus, ut qui ad Hospitalium, Montis pietatis, & piarum Confraternitatum quarumcunque regimen assumentur, jurent, in manibus Vicarii nostri, vel ab eo deputati, se fideliter officium suum facturos, bona ipsorum locorum ad deputatos usus dispensaturos, & si quæ indebite alienata fuerint, recuperaturos.

Ne vero bona hujusmodi locorum piorum, & eleemosynas ad privata sua commoda convertant, omnia mobilia & immobilia bona in inventarium diligenter redacta, durante eorum administratione (quæ ultra triennium non extendatur) nullatenus conducere, vel suis usibus accommodare possint; ac singulis annis Nobis, vel Subdelegatis nostris administrationis rationem reddere teneantur: recusantes Ecclesiasticis censuris compellantur.

Qui vero Hospitalia, ad pauperum usum instituta, in Prioratum, administrationem, vel quemcumque alium titulum obtinuerint, fabricas ruinosas restaurent, & sartas tectas custodiant, debitaque onera præstent. In quo si negligentes fuerint, secundum Sacrorum Canonum, & *Concilii Trident.* dispositionem contra eos procedemus.

Mons pietatis Civitatis nostræ (unde mutuas pecunias gratis pauperes accipiunt) & si quæ sunt alia hujusmodi, in Diœcesi nostra, a Præfectis, quorum fides, innocentia, & charitas graviorum virorum testimonio commendata fuerit, studiose ac fideliter administrentur. Et omnia juxta *Concilium Trident.* a Vicario nostro visitentur, & recognoscantur.

De Adulteris & Concubinariis.

CAPUT LXII.

FŒdum adulterii, & concubinatus peccatum a nostro Episcopatu eliminatum cupientes, Sacri *Trident.*(*) *Concilii* præscriptum inviolabiliter observandum duximus: Cujus Decretum ob id hoc loco inseri voluimus, ut sciant omnes, Nos contra eos processuros secundum dicti *Concilii* regulas, cujus Decreti tenor est:

"Grave peccatum est, homines solu-
" tos concubinas habere: gravissimum
" vero & in hujus magni Sacramenti
" singularem contemptum admissum,
" uxoratos quoque in hoc damnationis
" statu vivere, ac audere eas quando-
" que domi etiam cum uxoribus alere,
" & retinere. Quare ut huic tanto
" malo Sancta Synodus opportunis re-
" mediis provideat; statuit hujusmodi
" concubinarios tam solutos, quam
" uxoratos, cujuscunque status, & dig-
" nitatis, & conditionis existant, si
" postquam ab Ordinario, etiam ex
" officio, admoniti ea de re fuerint,
" concubinas non ejecerint, seque ab
" earum consuetudine non sejunxerint,
" excommunicatione feriendos esse, a
" qua non absolvantur, donec reipsa
" admonitioni factæ paruerint. Quod
" si in adulterio, vel concubinatu per
" annum, censuris neglectis, perman-
" serint, contra eos ab Ordinario se-
" vere pro qualitate criminis proceda-
" tur. Mulieres, sive conjugatæ, sive
" solutæ, quæ cum adulteris, seu con-
" cubinariis publice vivunt, si ter ad-
" monitæ non paruerint, ab Ordinariis
" locorum, nullo etiam requirente;

ex

(*) Sess. XXIV. Cap. VIII. de Reform. Matrim.

Digitized by Google

" ex officio graviter pro modo culpæ " puniantur, & extra oppidum, vel " Diœceſim, ſi id eisdem Ordinariis " videbitur, invocato (ſi opus fuerit) " brachio ſæculari ejiciantur: aliis pœ- " nis, contra adulteros, & concubina- " rios inflictis, in ſuo robore perma- " nentibus."

Ne Parentes cum filiis, aut filiabus, aut fratres cum ſororibus in uno lecto dormiant.

CAPUT LXIII.

QUandoquidem intelligimus, in hac noſtra Diœceſi parentes cum filiis, vel filiabus, fratres cum ſororibus, & aliis conſanguineis ſuis proximis, adultis præſertim, in uno lecto interdum dormire, cum evidenti inceſtus, & animarum ſuarum periculo; ne id in poſterum fiat, vel paupertatis, vel alterius cujuslibet neceſſitatis prætextu, monemus Parochos, ut ſuos Parochianos, poſito ipſis ob oculos periculo peccati horrendi imminentis, minis, & pœnis ab hujusmodi condormitione deterreant, & ſi neceſſitatem ita exigere videant, Nobis, vel Vicario noſtro denuncient, pro qualitate facti coercendos, & puniendos. Pariter matres, & nutrices hortentur, ne infantulos noctu in lecto ſecum habeant, propter periculum ſuffocationis: vel ſaltem ita eos accommodent, ut non periclitentur: quemadmodum etiam in noſtro Rituali monentur, & poterunt Parochi opportune Dominicis diebus per annum aliquoties hoc Decretum inſinuare.

De Uſuris, & illicitis contractibus.

CAPUT LXIV.

QUamvis uſuraria pravitas, quanto pluribus Conſtitutionibus reprimitur, tanto acrius per novas fraudes erumpit; ſolerter nihilominus cupidorum hominum avaritiæ & iniquitati obviam eundum eſſe, & Divinæ, & humanæ leges admonent. Ac proinde Nos, *Cardinalis* BERNARDI, & aliorum Prædeceſſorum noſtrorum Conſtitutiones renovantes, ſtatuimus, ut juxta Canonicas Sanctiones contra quoscunque manifeſtos uſurarios ſevere procedatur.

Et quia cupiditatis ſtimulis acti avari, & omnis Chriſtianæ pietatis obliti, lucris per fas, & nefas inhiantes, variis technis, & fraudibus uſurariam pravitatem contegunt, & obvolvunt;

Quandocunque contractus aliquis, ſub titulo & nomine venditionis, emptionis, locationis, ſocietatis, permutationis, aut quovis alio celebratus fuerit, ſi ex circumſtantiis perſonarum, rerum, temporis, pretii, lucri, aut aliis veriſimilibus conjecturis conſtiterit, ſecundum latentem contrahentium mentem, contractum diverſum eſſe a ſubſtantia realis, puri & legitimi contractus, ſub cujus nomine celebratus fuit; Declaramus uſurarium eſſe, & pro tali haberi debere, ac contra ita contrahentes, ut contra uſurarios, eſſe procedendum (etiamſi tales contractus, ut injuſti, & illegitimi, fuerint in judicio reſciſſi) ob lucrum certum, vel probabile, habitum, aut expectatum, ex pecunia, re exhibita, vel non exhibita, vel ejus pretio.

Quod ſi Notarii ſcienter celebraverint contractus tales, aut ubi etiam res, de quibus contrahitur, non extant, vel ubi pecunia, de qua fit mentio in inſtrumento, realiter non exhibetur, aut non integre exhibetur, vel pro pecunia diverſæ merces, res mobiles, aut ſe moventes juſto pretio etiam non æſtimatæ repræſentantur, aut pro repræſentatis habentur; declaramus illos teneri in conſcientia ad damna parti læſæ reficienda: Et tales Notarios ipſo jure, & facto cenſeri privatos, tamquam indignos officio tabellionatus, eosque a matricula Notariorum deleri volumus. Decernentes etiam, quod teſtes, qui ſcienter intervenerint talibus fraudulentis, & ſimulatis contractibus, item proxenetæ, qui tales contractus tractaverint, tanquam participes pravitatis uſurariæ, velut uſurarii puniantur.

Quia vero multiplices iſtæ ſimulatorum contractuum fraudes, vulgo notæ non ſunt, Parochi, Concionatores,

Digitized by Google

res, & Confeſſarii per occaſiones eos ardenti ſtylo inſectentur, deteſtabilem eorum iniquitatem, & pœnas graviſſimas exaggerando.

Quod ut facilius præſtare queant, Nos per ſpeciale edictum Viſitatoribus in hoc Epiſcopatu damnatorum hujusmodi contractuum ſpeciebus propoſitis, ipſis normam, quam ſequantur, ſuggeremus.

De Judæis.

CAPUT LXV.

QUoniam honeſtas exigit, & univerſalis Eccleſiæ conſuetudo ſervat, ut Judæi a Chriſtianis aliquo notabili ſigno diſcernantur: Volumus, & ordinamus, ſignum illud eſſe debere circulum de filis croceis in veſte extrinſeca ante pectus quoad maſculos, & duas rigas flavi coloris in peplis mulierum. Volumus etiam Cap. *Poſt miſerabilem*, *De uſuris*, huic Statuto eſſe annectendum, & inſerendum, & cum eo publicandum: cujus tenor ſubſequitur:

Poſt miſerabilem, & infra. Judæos ad remittendas Chriſtianis uſuras per Principes & Poteſtates compelli præcipimus ſæculares, & donec eis remiſerint, ab univerſis Chriſti-fidelibus tam in mercimoniis, quam in aliis, per excommunicationis ſententiam, eis jubemus communionem omnimodam denegari.

Famulatum autem Chriſtianorum, præter quam in caſibus a Sacris Canonibus permiſſis, penitus eis interdicimus, ſub pœnis ipſorum Canonum, arbitrio noſtro aggravandis.

Capitulum: *Omnis utriusque.*

De pœnit. & remiſſ.

CAPUT LXVI.

OMnis utriusque ſexus fidelis, poſtquam ad annos diſcretionis pervenerit, &c.

De Conſtitutionibus.

CAPUT LXVII.

NE quis autem harum Conſtitutionum Synodalium ignorantiam prætendere valeat, præcipimus omnibus tam Religioſis, quam ſæcularibus Presbyteris, noſtræ juriſdictioni ſubjectis, cujuscunque ſtatus & dignitatis exiſtunt, ſub pœna duorum florenorum, fabricæ S. Vigilii applicandorum, (*ut earum*) exemplum infra ſpatium duorum menſium, poſtquam impreſſæ fuerunt, habere procurent, vitamque ſuam ac mores juxta earum ductum & normam ita inſtruant, ac reforment, ut quibus præſunt, iisdem & præluceant ad laudem & gloriam Dei, qui ſit benedictus in ſæcula. Amen.

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI CARDINALIS CHRISTOPHORI MADRUTII &c.

Declaratio circa normam conſtituendi cenſus, ſive affictus.

CHRISTOPHORUS, DEI GRATIA EPISCOPUS TRIDENTI, ADMINISTRATOR BRIXINENS. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ETſi ex Paſtorali officio teneamur omnia promovere, & toto mentis conatu intendere, quo ſubditorum noſtrorum utilitati, & commodo generaliter conſulatur; tamen ſpecialiter humeris noſtris incumbit, diligenti cuſtodia invigilare, ne in ſæcularibus negotiis, quæ ſingulis diebus homines pro augmento bonorum temporalium inter ſe tractant, & celebrant, aliquid committatur, quod animos in gehennam præcipites trahat. Cujus quidem ſolicitudinis Prædeceſſores noſtros fuiſſe diligentiſſimos animadvertimus, dum pro temporum qualitate ipſos varias, & diverſas Conſtitutiones promulgaſſe videmus, quibus omnes uſurariæ pravitates penitus e mentibus hominum evellerentur: ſed uſu venit (ut a natura omnis ætas ad malum proclivis eſt)

Digitized by Google

est) quod quanto plures ederentur inhibitiones, tanto majores excogitarentur fraudes, colores, quibus non solum animæ a præcipitio non sunt retractæ, sed etiam pauperum subditorum nostrorum irreparabilis jactura est subsequuta. Quum vero necesse sit, ut aliquis modus contrahendi existat, & novissima Constitutio per immediatum Prædecessorem nostrum felicis recordationis promulgata, etsi in se sanctissima fuerit, tamen male interpretantium technis, & cautelis adeo periculosa, & damnosa effecta sit; ut nisi efficacia remedia adhibeantur, totalem ruinam ipsis pauperibus sit allatura.

Nos vero Prædecessorum nostrorum vestigia laudabilia imitando, negotium hujusmodi maturo consilio sæpius discussimus, & tandem omnibus circumstantiis, quæ pro temporum qualitate erant considerandæ, diligenter consideratis: statuimus, ordinamus, & decernimus, ut infra.

Quia cassamus, abrogamus, & tollimus omnes, & singulas Constitutiones, per Prædecessores nostros qualitercunque emanatas, & editas circa contractus affictuum bladorum, & vini generis cujuscunque celebrandos, & maxime Constitutionem novissimam, & volumus, disponimus, & ordinamus, ut in antea affictu generis cujuscunque impune fieri, & celebrari possint, dummodo fiant in ratione Rhenensium sex pro stario frumenti, siliginis quinque, milii quatuor: Bladi vero alterius generis cujuscunque Rhenensium trium; vini Theroldici Rhenensium septuaginta quinque, bulliti septuaginta, dulcis sexaginta. Pecuniæ vero in ratione quinque pro centenario, cum pacto tamen perpetuo redimendi, non obstante præscriptione aliqua juris municipalis, vel communis.

Item, quod in casu devolutionis propter Canonem non solutum, Dominus agere possit ad devolutionem cum defalcatione tertii, respectu duntaxat capitalis, in quo tertio etiam intelligantur inclusi affictus retenti, quos Dominus aliter consequi non possit, nisi præcedente de anno in annum mandato de solvendo affictum affictalinis facto, de quo appareat legitime, quibus mandatis non præcedentibus ut supra, devolutio locum non habeat.

Item quod ab affictibus celebratis ab anno Millesimo, quingentesimo citra, affictalini omnes possint, & valeant se affranchare, & Domini ad id teneantur.

Item quod prædicta omnia & singula intelligantur locum habere, & habitura solum, & duntaxat in affictibus habentibus præambulam venditionem, ab eodem affictalino, & non in iis, qui propria bona ab aliis, quam a conductore acquisita, locant.

Publ. die 19. Januarii 1545. et in actis d. Francisci Zelis Not. Malef.

Moderatio affictuum, sive censuum

Illustrissimi & Reverendissimi Cardinalis
LUDOVICI MADRUTII.

LUDOVICUS, MISERATIONE DIVINA S. R. E. TITULI S. HO. NUPHRII PRESBYTER CARDINALIS MADRUTIUS, EPISCOPUS TRIDENTINUS &c.

CUm a nonnullis annis citra non parvæ querelæ exortæ fuerint inter debitores & creditores annuorum affictuum, qui in hoc nostro Episcopatu Trident. celebrari consueverunt, super qua controversia alias coram tunc temporis Commissario Cæs. fuerunt ab utraque parte plures supplicationes, & scripturæ allegationum productæ, ac processus formatus, qui postea ab eodem Commissario fuit transmissus ad Suam Cæsaream Majestatem, quæ deinde causam ad Nos remisit, Nobis mandando, ut super ea provi-

ſionem opportunam faceremus, ne ſubditi contra honeſtatem, & æquitatem gravati remanerent. Proinde Nos conſiderata ipſa commiſſione, conſideratoque diligenter tenore Conſtitutionis, per proximum Prædeceſſorem noſtrum ſuper affictibus promulgatæ, ac partibus in contradictorio, & ſeorſum ſæpe auditis, & cauſa maturo conſilio ad longum diſcuſſa: volentes aſſiduis querelis, & indemnitati pauperum ſubditorum, juxta prædictam commiſſionem Cæſ. proſpicere: hoc præſenti Decreto affictus omnes redimibiles, & ſecundum formam dictæ Conſtitutionis celebratos de cætero reducendos, & moderandos eſſe duximus, prout eos ſcilicet ex nunc & pro anno præſenti, & pro aliis annis futuris moderamus in hunc modum.

Videlicet:

Frumenti ad rationem groſſorum - 26
Siliginis ad rationem groſſorum - - 21 } pro ſtario.
Milii ad rationem groſſorum - - - 17 }
Vini bulliti pro plauſtro ad rationem Rhenenſium quinque pro plauſtro.
Vini dulcis ad rationem Rhenenſium 4. Librarum 1. pro plauſtro.
Olei pro Galeta ad rationem Librarum 4. groſſ. 3.
Butyri ad rationem Librarum 4. groſſ. 3. pro pondere.

Poſſint tamen creditores recipere ſolutiones in ſpeciebus, ſi maluerint, ſed ad ratam precii prædicti, & non in majore quantitate. Et hanc noſtram moderationem tam diu ſervari volumus, donec generali Conſtitutione ſuper creandis novis affictibus per Nos proviſio fiat.

Quo vero ad affictus factos per nonnullos præter, & contra formam Conſtitutionis prædictæ, & qui a debitoribus allegantur illiciti, & uſurarii, committimus omnibus Judicibus ordinariis noſtri Epiſcopatus, ut ſuper eis juſtitiam ſummariam adminiſtrent, tam in irritando contractus irritandos, quam in puniendo, prout juris erit.

In quorum fidem & teſtimonium præſentes fieri, Sigillique noſtri appenſione juſſimus muniri.

Datum Tridenti in arce noſtra boni conſilii XI. Septembris 1579.

Ad Mandatum Illuſtriſſimi & Rvmi Dni Cardin. pr. &c.

CAROLUS GROTTA, &c.

Declaratio prædictæ clauſulæ:

Poſſint tamen &c.

Supra dicta clauſula declaratur, & intelligitur, quod creditores poſſint recipere ſolutionem in ſpeciebus, ſi maluerint, ſed ad ratam pretii prædicti, hoc eſt, quod poſſint recipere tantum vini, & frumenti, ſeu aliarum ſpecierum ad pretium commune currens tempore ſolutionis, quantum importat pretium in pecunia taxatum, in ipſo Decreto; Non autem quod poſſint recipere ſpecies in majori quantitate.

Decretum in Cancellaria boni conſilii, die 23. Septembris 1579.

Forma conſtituendi Cenſus in Epiſcopatu Tridentino, & declaratio nonnullorum caſuum, & contractuum illicitorum.

Juxta intentionem datam in Synodo Dioeceſana ſub Cap. LXIV. de Uſuris, & illicitis contractibus habita de anno 1593.

CAROLUS, MISERATIONE DIVINA S. R. E. TITULI S. THOMÆ IN PARIONE PRESBYT. CARD. MADRUTIUS, EPISCOP. TRIDENT. &c. AD PERPETUAM REI MEMORIAM.

ETſi Prædeceſſores noſtri animarum ſaluti, ac commodis ſubditorum ſumma cum diligentia invigilantes, diverſas pro temporum qualitate

Sari-

Sanctiones, & Conſtitutiones in publicum edere non neglexerint, quibus avaritiæ libidinem extinguerent, & uſurarum pravitatem e ſubditorum mentibus funditus evellerent; tamen cum ex fide-dignorum relatione didicerimus, & ex uſurariis criminationibus diebus ſuperioribus juſſu noſtro peractis, compertum habeamus, avaritiæ fomitem animos ſubditorum noſtrorum adeo inciraſſe, ut poſtpoſitis omnibus piiſſime editis Sanctionibus, & Conſtitutionibus, non vereantur, variis, occultis, & palliatis modis pauperes in cenſuum, ſive affictuum creationibus defraudare, & circumvenire: maxime dum mercibus & rebus ad eorum rem non facientibus, injuſto, exceſſivoque valore ad libitum taxatis, & pretiis conteſſionatis loco numeratæ pecuniæ decipiuntur. Nos pro debito muneris noſtri, Prædeceſſorum noſtrorum laudabilia veſtigia ſequendo, ut hujusmodi circumventiones eliminentur, & animarum ſalus pro poſſe noſtro ſalubriter proſpectum, ac indemnitati pauperum, ne inexplebili uſurarum voragine miſerabiliter abſumantur, conſultum ſit; ſtatuendum eſſe duximus, ut ſtatuimus, ordinamus, & decernimus, quatenus deinceps cenſus, ſive affictus conſtitui debeant ſuper re immobili, certis limitibus deſignata.

I. Fructifera de ſui natura, & apta ad reddendum affictum.

II. Quæ ſolum maneat obligata ſolutioni cenſus, non autem alia ipſius venditoris bona, niſi ratione evictionis, & ad ſecuritatem rei, nimirum quod ea ſit vendentis, & fructifera, & capax ad illius cenſus ſolutionem.

III. Valeatque tantum, quantum capitale affictus, & tertium de pluri, ob caſum repetitionis ſortis, ut infra dicetur.

IV. Deinde vero integrali pretio in pecunia numerata, coram teſtibus, & Notario tempore Inſtrumenti, & non confeſſionato, aut quod dicitur anticipato interveniente: quod quidem pretium revera, quacunque fraude, ſimulatione, & fictione remota venditor accipiat. Præterea ſub pacto de retrovendendo quandocunque, nulla obſtante præſcriptione, non coacto venditore ad redimendum.

V. Ad hæc ſi res periret in parte, vel in totum, pro parte, vel in totum reſpective periiſſe intelligatur periculo emptoris: aut ſi pro parte, vel in totum, caſu tamen fortuito, efficeretur infructuoſa, ad ratam emptoris quoque periculo Canon ceſſet.

VI. Quod ſi dolo, vel culpa venditoris id contigiſſe probatum fuerit; is teneatur præcipuum cenſus reddere, aut illum ſuper alia re immobili, ad ſuperius traditam normam, conſtituere.

VII. Si autem Dominus rei cenſuariæ illam vendere voluerit, Dominus cenſus præferendus erit cuicunque alteri emptori, eique denuntiato pretio & conditionibus, quibus res eſt vendenda, dies quindecim exſpectentur, num ipſe velit eam emere. Reliqua vero circa taxam, & devolutionem, ſeu verius ſortis repetitionem, ob Canonem non ſolutum, tribus ſucceſſivis annis factis mandatis, & alia præſentibus non contraria, expreſſa in Conſtitutionibus Prædeceſſorum noſtrorum, firma volumus, uſque ad aliam noſtram deliberationem permanere.

VIII. Declarantes bona ob Canonem non ſolutum devoluta, ſeu loco ſortis propter moram, ut ſupra, extracta, poſſe redimi, & recuperari per cenſuarium quandocunque ſoluta ſorte, affictibus incurſis, ac omnibus expenſis. Decernentes proinde, quod affictus, ſive cenſus, ſub alio modo, & forma, aut pactis in futurum celebrandi, nulli ſint, ac fæneratitii eſſe intelligantur, ita ut pœnis quoque debitis ſubjaceant.

IX. Nempe ut principales contra præſcriptam formam affictus conſtituentes, pro ſingulo affictu mulctam decem, viginti quinque, quinquaginta, & centum marcarum, & plus & minus, juxta caſuum, & perſonarum qualitatem, Fiſco applicandarum, incurrant, &c.

Notarii eos ſcribentes, præter alias pœnas, pro arbitrio infligendas,

ipſo jure, & facto cenſeantur privati officio tabellionatus.

Teſtes quoque & Proxenetæ, tanquam participes pravitatis uſurariæ, veluti uſurarii puniantur. Cenſus vero, præter juris diſpoſitionem, & Conſtitutionem Prædeceſſorum noſtrorum, præteritis temporibus celebratos, ſubjacere volumus debitis juris cenſuris.

Ut autem magis cognoſcatur, quibusnam modis ſub palliata emptione, & venditione cenſuarius contractus, contra, & præter ſupra expoſitam normam in fraudem uſurarum celebrari conſueverit, diverſisque aliis figmentis, & ſimulationibus uſura in his Regionibus committatur; nonnullos, magisque frequentes caſus ſubjicere operæ pretium duximus, ut etiam cauſa ſupradictæ noſtræ Conſtitutionis de cenſibus conſtituendis magis cognoſcatur, ab ejusmodique illicitis, & fœneratitiis contractibus abſtineatur, & ignorantiæ craſſæ objectio neminem excuſet.

X. Quidam enim ab indigentibus pecunia emunt fundum, vel aliud ſtabile, & eodem contextu illud locant venditoribus ſub annuo aſſictu, & cum pacto redimendi. In quo quidem genere fraus, vel ſaltem injuſtitia multifariam committitur. Primo, quia pretium non ſolvitur ſecundum qualitatem, & quantitatem fundi, nec emptor habet intentionem emendi, quia in ſe non retinet fundum, ſed locat venditori: nec venditor pariter habet intentionem vendendi, quia non vult a ſe abdicare, ſed in ſe retinere, ſub ficto nomine conductionis: Item quia penſio, ſeu aſſictus non conſtituitur habito reſpectu ad fructus fundi, prout haberi debet, ſed habito reſpectu ad pecuniam: Item quia onera, & pericula rejiciuntur in conductorem, cum tamen pertinerent ad locatorem, quando vere eſſet Dominus rei locatæ: Item, quia per pactum oneratur venditor ad expenſas inſtrumenti emptionis, ad quas tamen tenetur emptor, qui libere, & absque ullo onere lucratur fructus. Ex quibus, præſertim ex depravata voluntate contrahentium, eorumque intentione contractus evidenter redditur illicitus. Nec illum excuſant Conſtitutiones anni 1545. quia illæ præſupponunt rectam intentionem in contrahentibus ſemper adeſſe.

XI. Nonnulli conſueverunt emere annuos redditus, ſeu cenſus pro pretio quidem a Conſtitucionibus præſcripto; ſed obſtringunt venditorem ad retro emendum, & ad pretium reſtituendum infra tot menſes, poſt monitionem ſibi factam, & interim emptor percipit redditus: Quod pactum a jure improbatur, quia ex eo detegitur depravata intentio contrahentium, non quidem emendi vendendi, ſed mutuum exercendi. Contractus enim hujusmodi recedit ab emptione annui cenſus, cujus natura eſt, ut ſors perpetuo alienetur, & redemptio pendeat a libera voluntate, & facultate venditoris; ſed quando repetitio ſortis pendet a voluntate emptoris, contractus reſolvitur in mutuum uſurarium, licet effigiem emptionis præ ſe ferat.

Alii ob aſſictus per triennium non ſolutos, agunt ad devolutionem omnium bonorum obligatorum, putantes ea indiſtincte in commiſſum incidiſſe, cum tamen devolutio non debeat admitti, niſi in contractibus emphyteuticis, & in aſſictibus celebratis cum præambula, & vera emptione, ex qua dominium directum vere fuerit translatum in emptorem.

In aſſictibus autem conſtitutis ſuper rebus alienis, qui mos eſt frequens in hac regione, ſcilicet, ubi quis emit aſſictus, ſeu jus percipiendi aſſictus, pro quibus venditor ſupponit, & pro pignore obligat fundos; tunc cum emptor non emat fundos, nec dominium directum acquirat, ſed ſolum emat aſſictus, non poteſt habere locum pœna commiſſi, ſaltem ex æquitate, nec conſolidatio utilis cum directo. Et quamvis ex ſtylo quorundam Notariorum, ea pœna in contractibus aliquando inferatur, non eſt tamen obſervanda, cum naturæ, & ſubſtantiæ contractus adverſetur, ac repugnet pacto redimendi, quod per devolutionem extinctum remaneret. Emptori autem absque devolutione competunt alia remedia, ad conſequendum aſſictus non ſolutos.

Aliqui autem vendunt animalia, vina, grana, & alias merces, pro gravi & exceſſivo pretio, & quia emptores non habent tunc pecuniam paratam, eos conſtringunt ad ſolvendum, & conſtituendum annuos affictus. In qua re venditor duplicem quæſtum facit: primo in ſorte, quam integram, & ſolidam non ſolvit: deinde in reditu annuo, qui in hac anguſta, & ſterili regione aſcendit ad rationem ſeptem pro centum ad minus: & poſt aliquod tempus ſortem augent ex his exceſſivis affictibus decurtis, & non ſolutis, ſimul cum augmento novorum affictuum.

Quidam etiam anticipata ſolutione emunt vili pretio fruges tradendas a venditore eo tempore, quo veriſimile eſt, eas majori pretio eſſe valituras, & quas venditores plerumque venales non habent: quæ anticipatio ſolutionis habet mutui rationem, quia ementes, antequam res poſſint eis tradi, cenſentur mutuare pecunias venditoribus, ut recipiant lucrum, quod eſt ultra veram æſtimationem.

XII. Alii e converſo vendunt vina, grana, & alias merces carius, quam omnino valeant tempore contractus, ob datam emptoribus dilationem ad ſolvendum: qui contractus etiam mutui rationem implicat, quia perinde eſt, ac ſi emptor ſtatim numeraſſet pretium venditori, & venditor illud mutuaſſet emptori, uſque ad terminum, cum lucro, quod pariter erat ultra verum pretium.

Aliqui habentes granum venale, illud vendunt tempore hyemis, nulla tunc facta æſtimatione, ſed poſtea pretium taxant quanti plurimi eo anno, uſque ad novas fruges venierit.

Plerique vero pecunias mutuant, cum pacto, ut mutuatarius emat ab eis vinum, bladum, pannum, & animalia, vel nomina debitorum ſuſcipiat, & quo melius fraudem cooperiant, imprimis conficiunt inſtrumentum ſub figura & nomine venditionis, pro majori pretio, quam res tunc vendi poſſent, & quibus emens non indigebat, deinde certam pecuniæ quantitatem mutuo perſolvunt. Et licet videantur duo contractus, tamen cum ſint facti eodem contextu, & in eodem inſtrumento, cenſetur unus factus contemplatione alterius, quia emptor eas res non emiſſet, niſi venditor ei pecunias mutuaſſet, nec ipſe quoque mutuaſſet, niſi alter quoque emiſſet pro eo pretio, & ita vendens lucrum acquirit ex mutuo, & uſuram committit.

XIII. Quidam alio genere fraudis utuntur, præſertim contra ruſticos, quia emunt ab eis oves, vel boves, aut alia animalia, quæ ſciunt, aut credunt eos non habere, eademque ficte eisdem locant, ſub annua penſione, vel ſi emunt animalia revera extantia, aut propria habent, ea locant cum pacto, ut ſors ſit ſalva, ſeu illius valor, & pretium, & animalia ſint periculo conductoris, quod tamen ad locatorem uti Dominum pertinere deberet, & in his caſibus latet uſura.

Et idem cenſendum eſt de locantibus propria animalia revera extantia, ac æſtimata: quæ etiamſi pereant citra culpam, & fraudem conductoris, volunt tamen, præter annuam penſionem antea perceptam, dictorum animalium æſtimationem a conductore ſibi perſolvi: quod, ut patet omnino iniquiſſimum eſt.

Alii tradunt alteri frumentum, ſeu ſiliginem ſub nomine mutui; ſed pretio ſummæ taxato, cum pacto, ut tempore meſſis reſtituatur frumentum novum: uſque ad quantitatem dicti pretii. Qui contractus claudicare videtur: quia ſi eſt venditio, emptor tenetur ad pretium, non autem ad frumentum: ſi eſt mutuum, debitor tenetur reſtituere frumentum in eadem menſura, & qualitate, & non pretium.

Quidam autem credunt alteri pecunias, & conficiunt inſtrumentum ſub nomine gratuiti mutui; ſed poſt diſceſſum Notarii & teſtium recipiunt ex pecunia numerata ſeptem, aut decem ex centum, pro intereſſe anticipato, & tamen mutuatarius remanet debitor de tota ſumma contenta in inſtrumento.

Aliqui apertas exercentes uſuras mutuant pecunias ad tempus, modo ſub fide, modo ſub pignore rei mobi-

lis, vel ſtabilis, ad rationem ſeptem pro centum, & pro excuſatione objiciunt conſuetudinem regionis, & Conſtitutiones Trid. & quia benefacienti naturaliter liceat beneficium rependi. Quæ tamen conſuetudo ab eis introducta, cum ſit irrationabilis, & Divino juri contraria, non excuſat, præſertim in foro poli; nec ſimiliter Conſtitutiones, quia non loquuntur de mutuo repetibili, ſed de redemptione annui cenſus pecuniarii, ad rationem quinque pro centum. Et cum mutuatio ſit opus charitatis, debet gratis fieri, & conferens beneficium, non debet plus accipere, quam dedit; nec quæſtum facere ex neceſſitate alterius. Imo quod gravius eſt, plerumque ex decurſo hujusmodi intereſſe augent ſortem, & ex uſuris in capitale redactis alias renovant, & exigunt uſuras ſub nomine intereſſe.

Propterea his calliditatibus occurrere, & ſubditorum commodis, ac animarum ſaluti proſpicere volentes, ut pro debito Paſtoralis noſtri officii tenemur,

Admonemus imprimis omnes Chriſti fideles, ut ab ejusmodi contractibus omnino abſtineant, & inerti otio relicto, honeſtis exercitiis incumbant, ne dum reprobis artibus lucrum temporale acquirere procurant, proprias animas in æternum amittant.

Et ulterius conſiderantes Nos, uſurarum crimen in hac regione eo uſque invaluiſſe, ut neminem fere jam id committere pudeat; prohibemus omnes & ſingulos prædictos contractus, tanquam illicitos, fœneraticios, & ſimulatos: Mandantes, ne quis uſurarium manifeſtum, ſive ſit manifeſtus de jure, ſive de facto, vel quovis alio modo convictus, ad Eccleſiaſticam recipiat ſepulturam, niſi idonea præſtita cautione de uſuris reſtituendis.

Inſuper declaramus, omnes & ſingulos uſurarios ſubjacere debere quibuscunque pœnis, & cenſuris Eccleſiaſticis, infra deſcribendis, contentis in *Conſtitutione Lugdunenſis Concilii*, quam ſingulis annis in prima Dominica Quadrageſimæ, per Rectores animarum publicari mandamus, & inviolabiliter obſervari, ultra mulctam pecuniariam marcarum decem, viginti quinque, quinquaginta, & centum, in præmiſſa Conſtitutione affectuum impoſitam, quæ etiam in præmiſſis caſibus locum habeat.

Similiter obſervari mandamus contra omnes Uſurarios Statutum ſub *Cap.* 68. *Lib. primo Civilium.*

XIV. Idcirco omnibus, & quibuscunque Judicibus, potiſſimum vero Vicario noſtro in Spiritualibus Generali diſtricte injungimus, ut contra uſurarios, Notarios inſtrumenta ſcribentes, proxeneras, mediatores, conſultores, & alios quoscunque, qui ejusmodi contractibus illicitis, quoquo modo interfuerint, auxilium, & opem præſtiterint, diligenter inquirant, & procedant, ac ultra debitam reſtitutionem, cenſuris Eccleſiaſticis, & aliis pœnis, tam juris Canonici, quam Civilis, & Statutariis, ac præſentis Conſtitutionis omnino coerceant: Alioqui ſi in hoc tam deteſtabili vitio compeſcendo deſides erunt, indignationis noſtræ pœnam ſciant ſe incurſuros.

Cujus noſtræ Conſtitutionis, & diſpoſitionis, & declarationis tenorem in omnibus locis, qui ſub noſtra ditione continentur, publice manifeſtari mandamus.

Conſtitutio Concilii Lugdunenſis.

QUamquam uſurarii manifeſti, de uſuris, quas receperant, ſatisfieri expreſſa quantitate, vel indiſtincte in ultima voluntate mandaverint, nihilominus tamen eis Eccleſiaſtica denegetur ſepultura, donec de uſuris ipſis fuerit, prout patiuntur facultates eorum, plenarie ſatisfactum: vel illis, quibus eſt facienda reſtitutio, ſi præſto ſint ipſi, aut aliis, qui poſſint eis acquirere, vel eis abſentibus, loci Ordinario, aut ejus vices gerenti, ſive Rectori Parochiæ, in qua teſtator habitat, coram aliquibus fide dignis de ipſa Parochia. Quibus quidem Ordinario, Vicario, aut Rectori, prædicto

&to modo, cautionem hujusmodi eorum nomine liceat præsentis Constitut. auctor. recipere : ita quod illis perinde actio acquiratur, ac si servo publico de ipsius Ordinarii mandato idonee de restitutione facienda sit cautum. Cæterum si receptarum usurarum sit quantitas manifesta, illam semper in cautione prædicta exprimi volumus, alioquin aliam recipiens cautionem hujusmodi arbitrio moderandam, ipse tamen scienter non minorem, quam verisimiliter creditur, moderetur : & si secus fecerit, ad satisfactionem residui teneatur: Omnes autem Religiosos, & alios, qui manifestos usurarios, contra præsentis Sanctionis formam ad Ecclesiasticam tumulum fuerint admittere sepulturam, pœnæ Lateranen. Concilii, contra usurarios promulgatæ, statuimus subjacere. Nullus manifestorum usurariorum testamentis interfit, aut eos ad confessionem admittat, sive ipsos absolvat, nisi de usuris satisfecerint, vel de satisfaciendo pro suarum viribus facultatum præstent (ut præmittitur) idoneam cautionem. Testamenta quoque manifestorum usurariorum aliter facta, non valeant, sed sint irrita ipso jure.

Dat. Trid. ex Arce nostra boni consilii, die XIII. Januarii 1609.

Ad Mand. Illustr. & Rev. D. D. Card. Episc. Princip. Trid. &c. pr.

PETRUS ALLEXANDRINUS DE NEUSTAIN, Cancell.

GRAVAMINA

Propositа per Mag. D. D. Conss. Civitatis, adversus novam formam constituendi Census, sive Affictus in Episcopatu Tridentino.

§. I. *Fructifera de sui natura, & apta ad reddendum affictum.* Et paulo inferius: *Fructifera, & capax ad illius census solutionem.*

Primo. Pare aggravio, che per detta Constitutione sia esclusa l'antica consuetudine, & usanza approvata di poter constituir censi sopra le case, il che però da molti summisti viene admesso, & tollerato ; & anco in se è raggionevole ; poiche occorrerà, che molti poveri Cittadini, & Artigiani ritrovandosi quella sol casa, con la commodità di poter constituir sopra censo, cavaranno danari da porsi a traffico tale, che sarà causa in buona parte di sustentar la famiglia loro. Et non dimeno non saranno privi d'habitarla; cosa, che non haverebbero, quando astretti à venderla, dovessero privarsi di quella, & del solito, che lor causa la commodità del traffico, & consequentemente l'utile, & guadagno.

§. II. *Quæ solum maneant obligata solutioni census, non autem alia ipsius venditoris bona, nisi ratione evictionis, & ad securitatem rei.*

Secundo. Se considera, che, stante queste Constitutioni, il Padrone del censo volendo conseguir l'annual suo fitto, sarebbe sforzato con grave suo scommodo, & disturbo (non potendo proceder contra altri beni per non esser sottoposti ad obligo, se non per l'evittione) far pignorar l'affittalino ogn'anno sopra le true del luogo obligato, il che, manco potrebbe fare, essendo notorio, che nel tempo solito dello scosside de censi, sono no solo di già raccolte tutte l'entrade, mà etiandio in buona parte consumate. Donque per valersi del suo, doverebbe necessariamente procedere alla subhastatione di parte del luogo obligato. Onde oltra li gravi litigii, spese, e travagli auverrebbe, che in puoco tempo la proprietade, & fondamento del censo restarebbono estinte à evidente, & enormissi-

Digitized by Google

missimo danno d'incauti compratori; confidando perciò, che sarà provisto, permettendo, che resti si l'hypotheca speciale nel luogo, ove sarà fondato l'affitto, si anco la generale sopra li altri beni del venditore, non solo per l'evittione, mantenimento, & validezza totale del contratto, mà anco per l'annual interesse, & frutti correnti, spese, & danni; che per conseguir quelli vengono patiti dai Patroni.

§. III. *Valeat tantum, quantum capitale afficlus, & tertium de pluri.*

Tertio. Vedendo, che oggidì li stabili, & possessioni sono in prezzo tale, che à voler constituir l'affitto sopra'l valor del capitale col terzo di più, senza dubio il fondo non sarà atto, ne capace, à render il 7 pro cento, detratte le spese, e parte colonica; onde si deve conchiudere, che per esse Constitutioni più tosto sono constituiti li censi sopra le fatiche del povero contadino, che sopra'l fondo; non essendo quello atto per se alla rendita di trè, overo quatro per cento, contra l'espressa mente, & parola della Bolla; onde si desidera, che fosse lecito constituirli sopra tal quantità, che sia atta à render frutto equivalente all'interesse del capitale sborsato: tanto più ch'in esse Constit. vien statuito, che se in parte si facesse infruttuoso'l fondo, ciò sii anco in pregindicio del Patrone del censo, havendo in ciò risguardo alli frutti, & non al capitale, & valor del fondo.

§. IV. *Deinde vero integrali pretio in pecunia numerata, non confessionata, aut, quod dicitur, anticipata.*

Quarto. Par non leggiero aggravio, attesa la strettezza del denaro, & del paese, non poter almeno con legitimo, & liquido credito, & con'il valor vero, & real di robba constituir il censo; il che non solo per il passato è stato sempre osservato; mà anco da Dottori in materia de censi in termine della Bolla admesso, & tollerato, massime potendosi (per oviare alle fraudi) ritrovare strada, & mezo, che in caso de far Constit. de censi in questa guisa, si debba dal giudice interponere il Decr. causa cognita.

§. V. *Ad hæc si res periret in parte, vel in totum efficeretur infructuosa, casu tamen fortuito.*

Quinto. Ne questa Constitutione par esser senza aggravio considerabile, per le chiare regole in jure, & opinione de Scriventi, che vogliono, che possi liberarsi l'emphiteuta, ò livellario in tutto, e non in parte; altrimente s'il fondo non perisse in tutto, e non in parte, non essendo convenevole, che'l livellario giochi al sicuro. Et in ciò il livellario & censuario convengono insieme probabilmente. Et meno può star l'altra, che se la cosa in tutto, overo in parte fortuitamente, si facesse infruttuosa, parimente debba cessar il censo pro rata al compratore. Concioſiache quindi si causarebbe senza dubio introduttione nuova di liti infinite, & immortali; Poiche la maggior parte de censuari per porre intrico, & sotterfuggere i pagamenti de censi usand'ogni cautela, & astutia s'opporrebber'à i Patroni, con dire di non haver cavato dal fondo obligato frutto bastevole alla reintegratione dell'affitto per siccità, freddi, geli, copia soprabondante d'acque, tempeste, & altri simili accidenti, ascrivendo il tutto (ancorche fosse più presto per difetto, & colpa sua, ch'altrimente) benche indebitamente, in tutti li accidenti accennati per scudo di quella general parola: infruttosa, senza farne la raggionevole distintione, pretendendone perciò ristoro, ò remissione. Nelche quali litigii auverrebbero? quai spese? quai travagli? ciascun può giudicare, se non volesse il Padron del censo del continuo far custodire le frue, & assister al raccolto di quelle, come se del loco, ne fosse egli assolutamente Padron; il che gli sarebbe di troppo grave scommodo, e danno; Et quando in tempo d'infruttuosità si dovesse permetter ristoro all'affittalini, portarebbe l'honesto, che li Padroni parimente in tempo di fertilità sentissero ristoro, e reintegratione de danni patiti; acciò concorresse trà di loro parità nel bene, & nel male, per le tritte regole in jure; meglio

meglio ſia dunque per iſchivar queſti, & altri diſturbi, & travagli, che reſti preſſo gl'Affittalini incommodo,& commodo. Che s'il fondo gli apportarà frutti in quantità, e di gran prezzo il tutto cede à beneficio ſuo, & ſe per contrario, n'habbi patienza, & nell' uno, & nell'altro caſo ringracii il ſignore.

§. VI. *Quod ſi dolo, vel culpa venditoris id contigiſſè probatum fuerit, is teneatur pretium cenſus reſtituere.*

Seſto. Si duolo che conſiderandoſi la malitia dell'Affitalino nel peggiorar il fondo, & luogo ſoggetto all'affitto, ſe gli laſci in libertà, ſe per eſſe parole come per raggion commune ſopra quelle fondata di potere, overo reſtituire il danaro, overo fondar l'affitto ſopra altri beni, dovendo per ogni ragion in pena de fraude commeſſa ſolo eſſer in libertà del Patron del cenſo, over di repeter il danaro, over far quello conſtituire ſopra altri beni; poiche altrimente facendo il Contadino, che nelli tempi preſenti è molto ſagace, & accorto potra trovar mille occaſioni (dãnegiando il luogo) di rimover l'affitto d'un luogo, & riporlo nell'altro.

§. VII. *Si autem Dominus rei cenſuariæ illam vendere voluerit.*

Settimo. Che venendo 'l caſo che l'Affittalino in fatto, avanti li quindeci giorni ſtatuiti à deliberare al Padrone del cenſo, overo avanti la denontia alienaſſe il fondo ſoggiogato, non ſia per qualche clauſula annullativa, overo legale impediente la translatione del dominio proviſto, a fine, che volendo il Padrone rihaver il fondo non ſii aſtretto à porſi in lite, & intentar un giuditio ordinario, potendogli eſſer ſoccorſo con un ſummario poſſeſſorio eſſecutivo.

§. VIII. *Declarantes bona ob canonem non ſolutum devoluta. Alii ob affictus per triennium non ſolventes agunt ad devolutionem.*

Ottavo. Pajano notabilmente gravatorie le ſudette Conſtitutioni, perche in eſſe non ſolo ſi concede patto alli cenſuali di redimer il fondo devoluto dopò li trè mandati, alterandoſi in ciò gl'ordini, & conſtitutioni già da paſſati Statuenti in queſta materia introdotti; quali è da credere, che habbino molto ben peſato, & conſiderato queſto negotio, & perciò, per raggione probabile meno, habbino conceſſo patto alcuno da redimere, dovendoſi vedere, che li Cenſuarii puoco ſi curarebbono di pagar il cenſo, mà il tutto con varie cavillationi, & oſtacoli ingiuſti, & illeciti ſotterfugendo i pagamenti, laſciarebbono ſcorrer alla peggio, giovando loro, in caſo de divolutione haver il patto di redimer; mà anco ſi concede perpetuo, e non à tempo limitato, che ſe pure ſi voleva conceder queſto patto (ancorche gravatorio) poteva ſcorrere, quando s'havelle conceſſo conforme lo ſtile, & Conſtitutione delle ſubhaſtationi; ne' quali da Ragneli cento in giù, li debitori hanno patto da redimer la coſa ſubhaſtata di mez'anno, & da detta ſumma in ſù, ſia quanto ſi voglia, d'un' anno intiero, & non oltra. Venendo in ciò parimente alterati li Statuti di queſta Città in materia de preſcrittioni, & anco le leggi communi, da cui vien admeſſa la preſcrittione, anco contra la Chieſa Romana, ne' ſuoi caſi: oltra che reſtando il dominio del fondo in dubio, & incerto, ſi cauſarà, che 'l più delle volte ſaranno, overo dal Padrone, overo d'altri laſciati deſerti li Luoghi, & Poſſeſſioni devolute; & di più per non laſciar venir queſto caſo, ſi cauſaranno aſperità contro poveri Fittalini, che pure nel termine di trè anni, over nel fine potriano ritrovar danari per pagare gl'affitti incorſi, & ſollevarſi dalla devolutione. Aggiongendoſi, che gli Affittalini, in cui pregiudicio occorrerà la devolutione, habbino non ſolo il patto ſodetto perpetuo de reſcottere la coſa devoluta; mà anco agievolezza di far ciò con il ſborſar ſolo la ſorte con l'incorſi & ſpeſe, nel che vien ad'eſſere levato al creditore anco quel poco beneficio del terzo di più, che ſi dava dalle paſſate Conſtitutioni, nel qual però venivano computati gli affitti incorſi

corsi triennali. Quindi resultarà che all'Affittalini molte volte tornerà à conto di non curarsi delle devolutioni, potendo rihaver il fondo devoluto, & à beneplacito suo, & in tempo forsi di maggior rendita, prezzo, & stima, senza sottogiacere à pena alcuna, mà solo pagando (come s'è detto) la sorte incorsa, & spese à evidente danno solo de creditori. Restando oltra di ciò notabil aggravio, che nell'affitti ordinarii, non s'admette la devolutione, mà solo nelli contratti Emphiteotici, & quelli ch'hanno preambula, & vera venditione, contra l'ordine di Statuenti passati, quali in questa materia non fanno distintione, ò differenza alcuna trà quelli, & questi, mà tutti indifferentemente comprendon sotto'l capitolo. Item quod in casu devolutionis; & si deve conchiudere certamente, ch'anco ne i censi ordinarii si faccia translatione del dominio diretto per l'antico stile, & approvata osservanza di questo Paese praticata universalmente ne i contratti, Instromenti publici di constitutioni, & cessioni d'affitti ordinarii, ove specificatamente quella si scopre in quelle parole, dedit, vendidit, cessit, transtulit unum affictum una cum proprietate, & directo dominio, unde solvitur; & anco in altre clausule solite di tali Instrumenti, che non si transferisse il dominio diretto, si dourebbe dire più tosto obligo personale, & reale insieme, secondo l'opinion de Dottori; E percio ne i censi ordinarii ancora deve havere luogo la pena del commesso, & consolidatione del dominio utile col diretto; la quale tanto più viene à esser admissibile, quando, che già dalle passate Constitutioni raggionevolmente fù introdotta à terrore delli Affittalini, acciò che più facilmente pagassero li censi, & successivamente à beneficio loro, & de creditori insieme, & doppo, che sono state fatte esse Constitutioni passate, quando devolutioni sono mai occorse? Certo puoche, percioche ciascun Affittalino, benche debole, volendo però pur nel termine d'anni trè (come s'è detto di sopra) haver tempo, & commodità de far danari per pagar li restanti, senza cascar nella devolutione sodetta; quale se non fosse, in vero li Padroni di censi sarebbono à guisa dalli Affittalini strusciati ne i pagamenti, che di raro, ò non mai restarebbono da quelli compitamente sodisfatti. Et perciò niuno, ò puochi si ritrovarebbono, che sotto questa constitutione (ritrovandosi puochi parimente hoggidi ch'ancor sotte le passate vogliono comprar fitti, cosi difficili sono di scuotersi, & mantenerli, come è notorio) vogliono far simili acquisiti de censi, & affitti: Ilche redondarà finalmente tutto à danno, & rovina de poveri Contadini, che nei lor bisogni gli sovenghi, se non alienando totalmente le proprie sostanze; tanto più sentendosi gravata questa Città, che per essa dichiaratione viene non solo datto legge alli censi futuri; mà anco alli passati; quali essendo stati fondati da Padroni, mentre v'era una forma di constitutioni diversa dalla presente, nondimeno esser sottoposti (altrimente sarebbe notabilissimo danno, & universal pregiudicio di questo Paese) a queste novamente publicate, mà restar solo sotto le passate, in quei stessi termini, modo, via, & forma, ne' quali fin qui sono state prattcate & osservate senz' alteratione alcuna, ch'action seguita nanzi à chiara prova sottogiacer non deve a legge nuova. Dovendosi, e potendosi restringere essa dichiaratione solo a censi futuri, & non à passati.

§. IX. *Nempe ut principales contra*

prædictam formam affictus constituentes,
pro singulo affictu,
Et Notarii eos scribentes,
Testes quoque, & Proxenetæ tanquam
participes.

Nono. Ci preme non solo la gravità delle pene, dovendo bastar le statutarie & legali, mà anco che indifferentemente li Notari, Testimoni, & Sensali à quelle soggiaciono; potendo occorrer (come occorrono) casi, che non solo li Testimoni, e Sensari, che per il più sono persone idiote, mà anco li Notari, Dottori, & persone capaci non sappino cognoscer la qualità delli casi, & varietà de contratti, & paliate usu-

Digitized by Google

uſure, ſolo con grande conſideratione & ſtudio, & fatica. Oltra che eſſendo per li Statuti de queſta Città al cap. 68. in civilibus, & legal intelligenza de Dottori, & in vero con raggione applicata la pena che ad Uturari ſi leva alla parte, in ſolevatione del danno patito, quella venghi hora levata, ſperando ch'in ciò meno verrà pregiudicato in conto alcuno a eſſi Statuti.

§. X. *Quidam enim ab indigentibus emunt fundum.*

Decimo. Che per la generalità delle parole habbia ad eſſer prohibito (ceſſando le fraudi narrate in detto Capit.) il comprar il fondo, & poſcia incontinente il relocarlo al venditore per temporale, over perpetual affitto, & livello. Ilche come uſitato da tempo, che non vi è memoria in contrario, & admeſſo dalle paſſate Conſtitutioni in queſto diſtretto, non conviene ch' hora ſia indifferentimente prohibito; maſſime potendo, & dovendo li contrafacienti eſſer penitentiati in foro poli; & quelli anco potendoſi in caſo di fraude, e di malitia caſtigare ſenza ſimili prohibitioni in foro fori di pene ſtatutarie, & legali comminate in altre Conſtitutioni.

§. XI. *Nonnulli conſueverunt emere annuos reditus, ſeu cenſus pro pretio.*

Undecimo. Che dovendo eſſer la legge chiara, ſii nella generalità delle ſodette, & ſequenti parole prohibito il comprar il cenſo già conſtituito d'altri, con il patto, del quale ſi fa mentione; non potendoſi conſiderar fraude, inganno, ò malitia; ne meno ritrovandoſi ciò eſſer vietato per qual ſi voglia legge Canonica, overo Civile; perciò ſarà neceſſario, nel preſente ſopraſcritto capo dichiararſi talmente, che contra la mente non ſii reſtretto il commercio, & contrattar trà le perſone.

§. XII. *Alii e converſo vendunt vina, grana, & alias merces carius, quam omnino valeant tempore contractus, ob datam emptoribus dilationem ad ſolvendum.*

Duodecimo. Si pone per reverente ricordo, che ſi reſta con grandiſſimo dubio, che per non eſſer preſcritto modo, & meta à quelli, che danno in credenza, di qualche lecito, & honeſto guadagno, qual anco in foro conſcientiæ ſi ſuol admettere, conſiderata la qualità delle perſ. in caſo di penurie, & careſtie, li poveri Contadini non trovaranno robbe in credenza; Ilche cauſarà loro, che dovendo alienare li ſtabili, viveranno in continua miſeria con le famiglie loro: onde gli Gentil' huomini, & Cittadini non ritrovaranno ſecurezza ne' Contadini di poter locar li ſuoi maſi.

§. XIII. *Quidam alio genere fraudis utuntur, &c. quod tamen ad locatorem.*

Terzodecimo. Che ſii giudicata uſura, s'il Padrone nel locar, ô affittar un ſuo maſo, overo poſſeſſione, con eſſi parimente conſegnaſſe al conduttore alcuni animali ſtimati, de quali valendoſi egli ne ſuoi biſogni per la vechiaja, overo diffetto naturale moriſſero, ſolo il Padrone habbia da ſentir il danno, volendo ogni honeſta raggione, che ponendovi il Padrone il capitale, & il conduttore la fatica, à quello reſti il capitale ſicuro, & à queſto la metà de nodrumi; overo almeno, che ſi come il conduttore ne cava la metà del frutto, & non del ſuo, mà di metà concorreſſe nella perdita fatta dell'animali. Et però ſi giudica, che ſarebbe meglio, poſtpoſta ſimil prohibitione, fargli ordine, e preſcriverſi modo di fare ſoccide d'animali, quale ſi ſominiſtrarà d'approvarſi, à fine che, per la ſodetta inhibitione generale, non ſia cauſato danno à poveri Contadini, che altrimenti non ritrovaranno ſoccorſo coſi facilmente in ſimili biſogni.

Digitized by Google

§. *XIV. Idcirco omnibus, & quibuscunque Judicibus, potiſſimum vero Vicario noſtro in Spiritualibus.*

Finalmente. Si reputa notabil, e praticabil aggravio, che l'officio ſpirituale, preſa quindi occaſione, vogli non ſolo conoſcere le cauſe mere ſpirituali; mà anco le laicali in termine di leſione, errore di calcoli, conti di partide, & ſimili, & quelle avocare da Giudici ſecolari; il che vien à cauſar gravame notabile, non ſolo per particolari, per le ſpeſe eccelſive, ch'occorrono; mà anco generale, sì alla Città, & Podeſtaria, sì anco alla temporal giurisdittione di queſto Veſcovado; levandoſi in queſta maniera l'appellationi, & riccorſi; & quelle introducendoſi avanti il Metropolitano.

Alche ſi ſpera, che ſarà proviſto, & oviato.

DECRETA, ſive RESPONSIONES ad ſingula Capita Gravaminum propoſitorum per Mag. DD. Conſs.

Ad Primum.

NOn prohibet Conſtit. cenſus ſuper domibus, quia inter res fructiferas cenſetur: dummodo in illius æſtimatione habeatur ratio ad id, quod locari poteſt, juxta infra declarata ad tertium Caput.

Ad Secundum.

Non eſt reſtricta facultas conſequendi cenſus non ſolutos ſuper aliis bonis ſtabilibus, quam mobilibus ipſius conſtituentis cenſum; ſed hypotheca reſtringitur, ut in Conſtitutione, ſuper re certis finibus deſignata ratione capitalis, & ſi alia bona per cenſuarium poſſiderentur, conſulere ſibi Dominus poterit, absque diminutione fundi obligati, per dimiſſionem ex Salviano interdicto in rem hypothecatam, tamdiu retinendam, donec de fructibus fuerit ei integre ſatisfactum, & ideo vana eſt propoſita ſpeculatio.

Ad Tertium.

Quia fundus vere non emitur, ſed jus percipiendi annuum cenſum, æſtimatio facienda erit, non habita ratione pretii fundi, ſed juris exigendi illum annuum cenſum, qui vere emitur, & proinde juſtum pretium erit, deſignando, & obligando tantam quantitatem fundi, de qua percipi poſſit cenſus, qui ſolvi promittitur, ex quibus ceſſat dubium propoſitum.

Ad Quartum.

Licet in foro conſcientiæ in caſibus ſinceris compenſatio fieri poſſit; tamen in foro fori indiſtincte ad tollendas palliatas fraudes, quæ ut plurimum fieri ſolent, non admittitur: & ſi ſecus determinaretur, contrariaretur Bullæ Summi Pontificis, quæ ubique terrarum ſervari debet.

Ad Quintum.

Male conqueritur: quia fundus non dicitur fieri infructuoſus ratione grandinis, pruinæ, vel ſiccitatis; ſed ex aliis caſibus, quibus fundus ipſe perit in totum, vel in partem: nec bene infertur de emphyteuſi ad cenſum; quia, ut notorium eſt, differunt.

Ad Sextum.

Per illa verba non gravantur Domini cenſus: & fraudibus, ſi opus erit, aliis etiam opportunis remediis, & modis occurretur.

Ad Septimum.

Non eſt prohibitum contrahentibus adjicere in inſtrumento opportunas clauſulas ad corroborationem eorum, quæ in Conſtitutione conceduntur.

Ad Octavum.

Pactum redimendi eſt de ſubſtantialibus cenſus, adeo quod, illa pactione ſublata, contractus haberet vim mutui, & eſſet uſurarius, contra quem nulla cadit præſcriptio legis communis, nec municipalis, aut pacto vel conſuetudine induci poteſt, nec potuit, quæ, uti corruptela nil in eſſe poſuit, uti etiam dictum eſt in Conſtitutione ſub §. Alii ob afflictus per triennium. Propterea non admiſſibilia petuntur: prout male con-

Digitized by Google

conqueruntur, Conſtitutionem extendi ad præteritos cenſus ; quia aliter ex ejusdem lectura conſtat.

Ad Nonum.

Nihil derogatur Statuto Capit. 68. quod firmum manet reſpectu pœnæ parti applicandæ, ſed diſponitur de pœna Fiſco debita, in qua arbitranda Judices diſcrete, & moderate, habita ratione qualitatis, caſuum, & perſonarum procedant.

Ad Decimum.

Non prohibetur ſincera fundi emptio, & ejusdem non ſimulata locatio ſub penſione, correſpondente fructibus de jure permiſſa.

Ad Decimum primum.

Superflua & minus neceſſaria declaratio petitur, cum ſatis recte intuentibus Conſtitutionem pateat, in ipſa fieri diſpoſitionem de creandis cenſibus, & non de emendis jam creatis.

Ad Decimum ſecundum.

Notetur verbum : *omnino* , quo excluditur nimius exceſſus , & non honeſtus, & licitus , & ceſſabit dubium.

Ad Decimum tertium.

Caveant a prohibitis in præſenti Conſtitutione ; cæterum modus conſtituendi ſocidas licitas a legibus ſatis præſcribitur.

Ad Ultimum.

Cauſæ non ſpectantes ad forum ſpirituale , remittantur ad Judicem ſæcularem , prout ita mens fuit, & eſt Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini.

QUÆSITA facta per Notarios Judicariarum: ſuper forma noviſſime edita conſtituendi Cenſus, ſuper primo Capite incipiente:

Quatenus deinceps cenſus. §. Præſupponendo, quod conſtituatur affictus, ſive cenſus capitalis Rhenen. centum.

Primo. QUæritur, an tertium de pluri, de quo fit mentio in dicta forma, debeat eſſe Rhenen. 33. & car. 20. An quinquaginta & ſic petia terræ, ſuper qua dictus cenſus fuerit conſtitutus , debeat eſſe valoris dictorum Rhenen. 133. gr. 20., an 150. an aliter?

Secundo. An dicta petia terræ debeat æſtimari per probos viros ? & quatenus debeat ita æſtimari; An dicti probi viri poſſint eligi a partibus , vel a Judice, & a quo Judice ? Et an dicta res poſſit æſtimari per contrahentes ?

Tertio. Præſuppoſito, quod dicta res fuerit æſtimata juxta dictam formam ; videlicet æquo & juſto pretio, & quod tamen ex ea non percipetentur tot fructus , ex quibus dictus affictus , ſive cenſus juxta tenorem Conſtitutionum, ac earum moderationem poſſet ſolvi integre , & ſic non eſſet capax ad illius ſolutionem; poteritne accipi ex alia petia terræ in majore quantitate pretii ſupradicti , limitati in prædicta forma , ſeu ex prædicta, ſi eſſet majoris pretii ? Et pro quanta quantitate ad hoc, ut ſit capax ad ſolutionem dicti cenſus juxta dictam formam ?

Quarto. Ulterius quæritur, ſi pretium liquidatum, ſeu limitatum petiæ terræ , ſuper qua fuerit conſtitutus cenſus, decreverit pro medietate, ſive plus, vel minus, & cenſuarius vellet ipſam Domino dicti cenſus renunciare, & amplius dicto cenſui non ſubjacere ; an Dominus dicti cenſus tenebitur eam accepiare minoris valoris, & pretii capitalis, & affictuum retentorum, & ſic de dicto capitali cenſus, & affictibus occurſis amittere? Stante, quod ſi pretium dictæ rei creverit, Dominus cenſus a cenſuario invito eam habere non poterit ; & ita in hoc caſu, Dominus cenſus eſſet pejoris conditionis, quam ipſe cenſuarius, quod non videtur juri conſentaneum.

Quinto. Item, an in Inſtrumento conſtitutionis affictus tritici, & vini graſpati, licet celebretur in quolibet menſe anni, debeat poni & ſcribi, quod dictus affictus debeat dari & ſolvi per cenſuarium Domino ſingulis annis in-

tra octavam S. Michaëlis reſpectu tritici: reſpectu vero vini graſpati in vindemia proxima, prout ante hac fuit obſervatum: & ſi ita fieri non debeat; quid in hoc fieri, & obſervari debeat?

Sexto. Item, an cenſuarius pro majori cautione, & ſecuritate Domini, debeat jurare, rem, ſuper qua conſtituit cenſum, eſſe ſuam liberam, & expeditam, & nulli alii obligatam, ſaltem pro quanto ipſe ſciat.

Super ſecundo, incipiente: Deinde vero integrali pretio.

Septimo. Præſupponendo, quod emptor affictus, ſive cenſus, contraheret cum ſuo debitore liquido, & claro, ex cauſa legitima, & ſolveret eidem venditori, ſive cenſuario in præſentia Notarii, & teſtium, pretium capitalis affictus, conſtituti juxta dictam formam; an creditor poſſit expedito negotio in præſentia dicti Notarii, & teſtium, recipere ex dictis pecuniis a dicto cenſuario, & debitore, volente ſatisfacere dicto ſuo debito: & quatenus non poſſet recipere eo momento, id eſt, expedito dicto negotio a dicto debitore, quando poſſit, & ſi nunquam ex dictis pecuniis poſſet recipere in ſolutum, ex qua cauſa hoc a jure reprobatur? Et quid in dicto caſu agendum ſit, ut dictus creditor conſequatur a dicto affitalino, & debitore creditum ſuum liquidum, ut ſupra dictum fuit, & de quo non eſt aliqua inter contrahentes controverſia?

Octavo. Item ſi Titius volet cedere Sejo affictum, quem ipſe a Sempronio emit; an ipſe Sejus in ſolutum pro dicto affictu mobilia, & ſe moventia dare poterit? Et ſi poterit, cur non poterit etiam dare in emendo ſimilem affictum, ut in prædicta ceſſione: & caſu, quo mobilia, ac ſe moventia in ceſſione dicti affictus, dari non poſſent, & quod Dominus dicti affictus (ut quotidie occurrit) ob neceſſitatem propriam, talem affictum vendere, aut cedere cogatur, & non inveniat promptam pecuniam, quid agere debeat?

Nono. Item an per prædictam formam cenſuarius tenebitur (prout antehac obſervatum fuit) ſolvere mercedes inſtrumenti conſtitut. dicti affictus? Et an in dicto inſtrumento id licite Notarius ſcribere poterit de voluntate contrahentium, prout pariter antehac obſervatum fuit? Cum id in dicta forma non videatur prohibitum in contractibus cenſuum.

Decimo. Item an Notarius, qui eſt confecturus inſtrumentum ſuper dicto affictu, & teſtes debeant continue intereſſe ad videndum fieri, & obſervari contenta in aliquibus ex ſupra ſcriptis Capitulis, &, quatenus debeant intereſſe, ad quæ debeant: an vero ſufficiat, quod ſint præſentes publicationi inſtrumenti, prout antehac obſervatum fuit?

Super quibus omnibus & ſingulis

Quæſitis

Quæritur, quid agendum ſit; ne contrahentes, Notarius, & teſtes incidant in pœnas contentas in dicta forma?

RESCRIPTA ad dicta QUÆSITA, facta per Notarios Judicariarum.

Ad Primum.

TErtium capitalis Rhen. centum, in præſenti propoſito ſunt Rhen. 33. car. 30. & non quinquaginta, qui efficiunt dimidium capitalis prædicti: & petia terræ, ſuper qua conſtituendus erit talis cenſus, debebit ad minimum valere 133. car. 20. & reddere fructus ſufficientes ad ſolutionem cenſus, ut in tertio Capitulo infra declarabitur, licet poſſit etiam valere de pluri in modico exceſſu.

Ad Secundum.

Non eſt neceſſaria æſtimatio, quotiescunque ſciunt contrahentes verum pretium: & illius in creatione cenſus habeatur debita ratio: & in caſu, quo partibus non liqueat de valore, æſtimatio poterit fieri omni meliori modo contrahentibus bene viſo; dummodo ſincere fiat, & absque fraude, & dolo.

Ad Tertium.

In æſtimando valore bonorum, ſuper quibus conſtituendus eſt cenſus, attendendum eſt potiſſimum ad pretium, quo ipſa bona venundari, & communi-

Digitized by Google

muniter æſtimari poſſent, & quos reditus, & fructus quotannis afferant. Nam ſi fundus valuerit quingentis florenis, & redderet ſolummodo fruges valoris Rhen. 14.; non debebit in æſtimatione facienda ad hunc effectum appretiari ultra Rhenen. 200. & ita intelligitur illa clauſula in Conſtitutionibus, quod res cenſualis ſit apta ad reddendum affictum.

Ad Quartum.

Valor rei cenſuariæ attenditur, & æſtimatur tempore, quo conſtituitur cenſus: & ſi poſtea auctus, vel diminutus fuerit, exinde nullum Domino oritur præjudicium; reliqua declarata ſunt a jure communi.

Ad Quintum.

Quamvis paciſci liceat inter contrahentes, ut ſolutio affictus fiat tempore eis bene viſo, dummodo annus integre expleatur; tamen magis congruum, & veniens eſt, ut affictus tritici, & vini graſpati, cum poſſint a Dominis prætendi in ſpecie, ſolvantur tempore, quo prædictæ fruges ſolvendæ extant.

Ad Sextum.

Non eſt neceſſarium jusjurandum.

Ad Septimum.

Non prohibetur cenſuarius diſtrahere pecuniam receptam pro venditione cenſus in exolutionem æris alieni, & in alios ejus uſus; dummodo ſponte id faciat, nulla præcedente, aut ſubſequente, ad id coactus conventione, aut obligatione, idque fiat poſt perfectum contractum.

Ad Octavum.

In conſtitutione cenſus debet intervenire realis numeratio, & ſolutio pecuniæ: ſecus in ceſſione, aut venditione cenſus jam conſtituti, in qua dari poterunt aliæ res, quam pecuniæ, juxta conventa.

Ad Nonum.

Cenſuarius de jure non poteſt gravari ad ſolutionem mercedis inſtrumenti.

Ad Decimum.

Facta publicatione, & ſtipulatione inſtrumenti partibus præſentibus, non eſt ulterius neceſſaria Notarii præſentia, & teſtium.

Alia QUÆSITA facta per Notarios Judicariarum.

Primo. QUæritur, an verba illa, *tempore ſolutionis*, poſita in declaratione clauſulæ (*poſſint tamen creditores*) intelligantur, & intelligi debeant tempore S. Michaelis, quo tempore cenſuarii tenentur ſolvere affictum, ſeu intereſſe: vel tempore, quo effectualiter fit ſolutio?

Secundo. Quæritur, an cenſuarii tempore affrancationis, & liberationis affictus, ſive cenſus, teneantur, & debeant ſolvere mercedes inſtrumentorum conſtitutionis dicti affictus, ad formam hanc noviſſimam celebratorum, prout & an. hoc fuit obſervatum, cum ſint ex conventione, & pacto expreſſo obligati.

Tertio. An dicti cenſuarii teneantur, & debeant tempore affrancationis affictus conſtituti poſt noviſſimas Conſtitutiones, ſolvere ſaltem pactum retrovendendi, cum ſint propria jura ſua.

RESCRIPTA ad dicta QUÆSITA facta per dictos Notarios.

Ad Primum. ITa intelliguntur verba, ut attendatur tempus, quo fit per mandatum a creditore cenſus ſpecialis interpellatio, & declaratio, ipſum velle ſolutionem in ſpecie, non autem in pecunia.

Ad Secundum, & Tertium. Mercedes Notariorum ſunt ſolvendæ per emptorem cenſus, cujus gratia fit inſtrumentum, prout jura diſponunt, quibus per noviſſimam Conſtitutionem nihil additum fuit: ſed quod fieri debuit, ac debet, ad tollendos abuſus, declaratum; & idem intelligatur de exigua mercede pacti, cum pactum ipſum ſit acceſſorium, & de ſumma eſſentia contractus; prout e converſo venditor cenſus tenebitur integras ſolvere mercedes inſtrumenti liberationis, quia fit in ipſius favorem.

Sign. 17. *Aprilis* 1612.

CON-

CONSTITUTIO NOVA
SUPER DISSOLUTIONE CENSUS.

Quomodo ſcilicet, & quando in alia ſpecie, quam in pecunia numerata, invito Domino cenſus, illius redemptio fieri debeat, & poſſit.

CAROLUS EMANUEL MADRUTIUS, DEI GRATIA, EPISCOPUS, PRINCEPSQUE TRIDENTINUS &c.

LIcet in cenſus redemptione pretium Domino cenſuali contradicenti, in alia ſpecie, quam in pecunia numerata alioquin reſtitui nequeat; ſæpius tamen contingere rerum magiſter uſus teſtatur, quod juſta neceſſitatis cauſa impellente, potiſſimum vero, ubi debitoris inopia, vel hæreditatis aditio cum benef. l. & invent. facta, judiciariæ ſeparationi, ſeu bonorum diſcuſſioni inter concurrentes creditores locum aperit, ille volens, nolens, adverſus cenſualis contractus naturam, cogatur vel prædia cenſita, vel alia debitoris bona, etiam in ſortis cenſualis extinctionem, in ſolutum accipere pro æſtimatione a peritis facta: Qua in re plures indebite ſe gravari conquerunt, dum illa non ex fructuum quantitate (quos in hac regione cenſuales conventiones ex Anteceſſor. noſtror. Conſtitut. in ratione ſeptem pro centum producere ſolent) ſed ex quodam commercior. abuſu deſumitur, ita ut qui redditum annuum florenorum ſeptem pro centum ab initio adepti fuerant, vix tres, vel quatuor ex bonis poſtmodum in ſolutum acceptis in fructibus percipiant. Idcirco ſubditorum noſtrorum commodo & cujusque indemnitati proſpicere volentes, Anteceſſor. noſtror. placito inhærentes, qui in conſtitutione cenſus ineunda illud juſtum pretium eſſe decreverunt, cui fructuum ex fundo cenſito percipiendorum modus reſpondeat, jubemus, & ſtatuimus, eandem æſtimationis normam in cenſus quoque diſſolutione obſervari; proindeque deinceps ubicunque ſupervenientis neceſſitatis cauſa cenſuales creditores compulerit ad reſtitutionem ſortis in alia ſpecie, quam in pecunia numerata, recipiendam, pretium bonorum in ſolutum illis aſſignandorum, ex fructibus, quos annuatim proferre ſolent, vero valore ita liquidari, ut cui addicuntur, ex illis proventum annuum conſequatur æquipollentem emolumento, quod ex cenſu conſtituto ante reſolutionem annuatim percepiſſet. Ad fraudes porro propellendas, quæ in debitorum pernitiem facile conſtrui poſſent, volumus, & mandamus, antequam bona, juxta normam hic præſcriptam æſtimanda, cenſualibus creditoribus in ſolutum addicantur, eadem per dies novem publicæ haſtæ ſubjacere, trinoque edicto voce præconis ter in diverſis diebus intra proximos ſex dies publice, & palam in locis ſolitis venalia proclamari, illique venditionis jure aſſignari, qui in una, vel alterna ex publicis auctionibus plurimum licitando obtulerit: dummodo licitationis pretium æſtimationis ex ratione fructuum deſumptæ modum excedat: neque cuiquam præſentem Conſtitutionem ſuffragari decernimus, niſi ordinem, & formam præfatarum ſubhaſtationum ad amuſſim obſervaverit. Declarantes, eandem ad ſortem duntaxat cenſualem pertinere, neutiquam vero ad fructus, ſive affictus cenſuales decurſos protendi; ſalvo ſemper, & in quocunque caſu, jure offerendi poſterioribus creditoribus, ex juris vel Statutorum providentia competente, cui derogatum nolumus.

Dec. in Conſ. die Merc. XI. Feb. 1637.

Ad Mand. Illuſtriſſ. & Rev. D. D. Epiſc. & Princ. in conſilio.

FELIX ALBERTI, Cancell.

CON-

Digitized by

CONTRACTUS AD CAPUT SALVUM.

Præter Summiſtas, in verbo *Uſura*, ſciendum eſt, *Sixtum V.* edidiſſe *Conſtit.* ſuper Contractibus, ſocietatum *ad Caput Salvum*, vel alia pacta illicita continentibus, & quomodo impoſterum iniri debeant, ut patet ex ejus Conſtitut. publicata Romæ die 25. Octobris 1586. fol. 154. in Bullar. incip. *Deteſtabilis avaritiæ ingluvies*, & infra.

HAc noſtra perpetuo valitura Conſtitutione damnamus, & reprobamus omnes, & quoscunque contractus, conventiones, & pactiones, poſthac ineundos, ſeu ineundas, per quos, ſeu quas, cavebitur perſonis, pecunias, animalia, aut quaslibet alias res, ſocietatis nomine tradentibus, ut etiamſi fortuito caſu quamlibet jacturam, damnum, aut amiſſionem ſequi contingat, ſors ipſa, ſeu capitale ſemper *ſalvum* ſit, & integrum a ſocio recipiente reſtituatur: ſive ut de certa quantitate, vel ſumma in ſingulos annos, aut menſes, durante ſocietate, reſpondeatur. Statuimusque, hujusmodi conventiones, & pactiones, uſurarios & illicitos poſthac cenſeri debere, atque impoſterum non licere iis, qui pecunias, vel animalia, aut alias res in ſocietatem tradent, de certo lucro, ut præfertur, percipiendo, inter ſe paciſci, & concordare: neque etiam ſive ad certum, ſive ad incertum lucrum convenerint, ſocios, qui ea recipient, ad ſortem ſeu capitale *ſalvum*, & integrum, ubi illud caſu fortuito perierit, vel amiſſum erit, reddendum, quovis pacto, aut promiſſione ſibi obligare. Ac ne de cætero ſocietates ineantur ſub hujusmodi pactis, & conditionibus, quæ uſurariam pravitatem ſapiunt, diſtricte interdicimus, & prohibemus. Sed potius cuncti noverint, ſocietates hujusmodi, cum impoſterum unus pecuniam, animalia, aut alias res, & bona, alter vero operam, vel induſtriam confert, pure, ſincere, & bona fide, ſicut decet, juſtis, & æquis conditionibus, & pactis, ſecundum juris diſpoſitionem, ac ſine ulla prorſus fraude, palliatione, aut uſurariæ pravitatis labe, aut ſuſpicione, ineundas, ſeu contrahendas eſſe: ita, ut non ad certam ſummam, aut quantitatem, ab omni periculo, & damno, ut præfertur, immunem, lucri nomine perſolvendam, neque ad capitale, ſi caſu fortuito perit, reſtituendum, ſocius accipiens teneatur. Si vero finita ſocietate ipſum capitale exſtat, ei, qui illud in ſocietatem contulerit, reſtituatur, niſi ſocio recipienti fuerit communicatum, aut aliter inter ipſos contrahentes ſuper eo legitime conventum ſit. Ac præterea iidem contrahentes fructus, expenſas, & damna in commune conferant, & prout æquum, & juſtum fuerit, ſibi communicent, atque dividant. Decernentes, ſi qui contractus, conventiones, & pactiones in futurum contra noſtram hujusmodi prohibitionem de facto initi fuerint, nullam ex eis, tanquam per hanc eandem Conſtitutionem noſtram damnatis, & reprobatis, etiamſi juramento, aut in forma Cameræ Apoſtolicæ, vel alias quomodolibet roborati fuerint, obligationem civilem, aut naturalem oriri, nullamque actionem realem, aut perſonalem, nec Judicis officium, neque aliud quodcunque jus cuiquam competere, neque quoad ſortem, ſeu capitale integrum recuperandum, quod caſu fortuito perierit, aut amiſſum erit, neque quoad certas ſummas, & quantitates in ſingulos annos, aut menſes lucri ſocialis nomine promiſſas. Si quis vero impoſterum ſub prædictis conditionibus, & pactis contrahere præſumpſerit, aut prætextu ſimilium contractuum, conventionum, & pactionum, ſocietatis nomine initorum, qui hucusque durant ad exactionem dictæ ſortis, ſeu capitalis, ſive illius pretii, & valoris, poſtquam illud in toto, vel in parte caſu fortuito perierit, aut amiſſum ſit, aut certa ſumma, vel quantitatis annuæ, aut menſtruæ ſibi promiſſæ, in futurum procedere auſi fuerint, eos univerſos, & ſingulos in pœnas, contra manifeſtos uſurarios, & fœneratores a Sacris Canonibus, & Conciliis

ciliis Generalibus latas & promulgatas, eo ipso incurrere, & contra illos, uti manifestos usurarios, & fœneratores, via juris, aliisque opportunis remediis procedi posse, & debere; sicque omnibus &c.

Lünig Continuat. III. Spicileg. Ecclesiast.

SYNODUS VIRDUNENSIS

Anno Christi MDXCVIII. Clementis VIII. PP. VII. Rudolphi II. Imp. XXIII.

SUB ERRICO (*) A LOTHARINGIA, EPISCOPO.

CONSTITUTIONES

Editæ & promulgatæ in Synodo Virdunensi, celebrata per ILLUSTRISSIMUM & REVERENDISSIMUM PRINCIPEM, ERRICUM a LOTHARINGIA, Episcopum, & Comitem Virdunensem anno Domini 1598. die 15. Julii.

ERRICUS A LOTHARINGIA, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS, ET COMES VIRDUNENSIS, AC SACRI IMPERII PRINCEPS, UNIVERSIS AC SINGULIS DOMINIS ABBATIBUS, PRIORIBUS, DECANIS, ARCHIDIACONIS, ARCHI-PRESBYTERIS, SEU DECANIS RURALIBUS, RECTORIBUS ECCLESIARUM PAROCHIALIUM, SEU EORUM VICARIIS, CAPELLANIS, PRESBYTERIS ET CLERICIS NOSTRARUM CIVITATIS ET DIŒCESIS, SALUTEM IN DOMINO.

QUantum onus Nobis imponat Episcopalis officii ratio cogendæ Synodi Diœcesanæ, satis declarat Sacrosanctum *Tridentinum Concilium*, cum eam plerisque in locis ab Episcopis celebrari quotannis præcipit. Quare cum primum ad hanc Civitatem nostram accessimus, impositam humeris nostris, licet tanto oneri ferendo imparibus, officii Pastoralis curam obituri, in

(*) Nicolao Bocherio, Episcopo Virdunensi, anno 1593. e vivis erepto, ex nominatione Clementis VIII. Papæ, successit ERRICUS, Dux Lotharingiæ, filius Principis Nicolai, Comitis Vaudemontii, frater Caroli Cardinalis ac Tullensis Episcopi, & Aloysiæ Reginæ Galliarum. Is adolescentiam egit sub institutione præstantissimi viri Christophori de la Valle, Tullensium postea Antistitis, quo Præceptore ad omnem disciplinam ac virtutem, quæ Ecclesiæ Præsulem ornaret, egregie formatus fuit. Verum vix tertius ab oblata illi Episcopali dignitate transierat annus; cum oneris Pastoralis & curæ, quæ huic dignitati annexa est, expensa gravitate territus, ut onus tam arduum excuteret, ipsi renuntiare honori, & alicubi Religiosa in domo abdere se se meditabatur. Præ cæteris Ordinibus Societatem JESU amplectendam sibi statuit, in qua nimirum interposita voti Religione præclusum Sacris dignitatibus aditum noverat. Romam igitur cum in finem iter suscipere instituit, ut veniam a Romano Pontifice peteret, Pastorale deponendi pedum, aulamque Episcopalem cum Socieratis domicilio commutandi. Quod quidem consilium etli dissimulare omni studio niteretur; celare tamen omnino non potuit. Nam Mussipontani Collegii Rector illud subodoratus, ad Claudium Aquavivam Societatis Generalem scripserat, quanti interesset publicæ rei, ut vir tantus Ecclesiæ sibi commissæ gubernacula non abjiceret. Illud plus admirationis habuit, quod viginti adolescentes nobiles, qui de isto Errici, Societatem amplectendi desiderio inaudierant, ipsius incitati exemplo, comites illi se se, & non itineris tantum, sed ejus-

Digitized by Google

in id maxime animum intendimus, ut hanc vel præcipuam officii noſtri partem expleremus: quam licet multis implicatam difficultatibus cerneremus propter intermiſſam a 13. vel circiter annis ob bellicos tumultus cogendæ Synodi conſuetudinem, ob idque fieri non poſſe videremus, ut tot incommoda, quæ tam longa ſecum intermiſſio afferre ſolet, abuſumque multiplicem, qui tum in Clerum, tum in populum irrepſit, tam cito tolleremus: Ne tamen in dies omnia in pejus ruerent, in longius tempus differendum non duximus. Quapropter ab iis, quæ vel majoris ſunt momenti, vel prom-

ejusdem etiam propoſiti ſocios adjunxerint, una cum ipſo a Generali Claudio flagitaturi, ut inter Societatis Tirones adlegerentur. Tam pulchro comitatu ſtipatus Romam pervenit anno 1596. Sed neque Pontificem, jam antea a Claudio de re tota edoctum, neque ipſum Claudium in vota flectere, immo nec ab Aulæ Romanæ Proceribus impetrare potuit, ſuas ut preces intercedendo fulcirent. Una erat omnium vox, multo plus eum ad DEI gloriam collaturum boni, ſi in ſuſcepta jam dignitate Eccleſiaſtica perſiſteret, quam ſi abditus viveret in ſtatu religioſo. Longe faciliorem ad concedendum petita, experti ſunt Claudium Generalem aliqui ex Errici, quos dixi, comitibus: Nam eorum quinos Romanis Tironibus addidit: alios Virdunenſe ad tirocinium probandos deſtinavit: cæteros vero, quod inſciis plerique parentibus ac invitis, Romam abiiſſent, partim ad ſuos remiſit, partim aliud in tempus diſtulit.

Erricus interim Princeps ab iſta in Societatem JESU ingrediendi ſpe dejectus, anno 1597. Virdunum rediit, atque altero mox anno (1598) Diœceſano Clero congregato, Synodales, quas infra referemus, Conſtitutiones promulgavit.

Eodem anno arduum aggreſſus eſt negotium introducendæ Reformationis in Monaſteria Ordinis Sancti Benedicti, reſtaurandæque Diſciplinæ Regularis in iis præcipue Abbatiis, quarum illi, *Commendæ*, ut vulgo dicitur, nomine, demandata fuerat adminiſtratio. Quam rem, maximis licet implexam difficultatibus, quantis illo animis urgendam ſuſceperit: quam ſtrenue fortiterque promoverit, ac demum confecerit, vide apud *Auguſtinum Calmet, Ord. S. Bened. Abbatem Nanceji ad S. Leopoldum, Hiſtoriæ Lotharing. Eccleſ. & Civil. Tomo III.*

Verum hos ipſos inter ſacros labores & curas, identidem adhuc pii Principis animum antiqua ſtimulabant deſideria, quibus mundanarum rerum ac tumultuum pertæſus, Religioſam ſolitudinem anhelabat. Quare anno 1601. Literas ad Cardinalem Bellarminum dedit, ſperans, eo ſequeſtro ac deprecatore impetraturum ſe, quod ſuis ipſe precibus ante quadriennium a Clemente Papa obtinere non potuit. Sed irrito rurſum conatu, ut datæ ad ipſum a Ven. Bellarmino Reſponſoriæ docent, quas ex *P. Joſ. Juvencio, Hiſtor. Soc. JESU Part. V. Lib. XXV.* integras exhibeo:

HENRICO a LOTHARINGIA, EPISCOPO VIRDUNENSI.

ILLUSTRISSIME, & REVERENDISSIME DOMINE.

Binas uno tempore ab Illuſtriſſima D. Veſtra literas accepi, quibus mihi duo negotia commendabantur, & præterea deſiderium Sanctæ animæ Veſtræ aperiebatur, veniendi ad Urbem, dimittendæ curæ Paſtoralis, & collocandi in tuto ſalutem ſempiternam. Quod ad negotia attinet, faciam omnino, quod potero. Sed non multum potero; quia pendet ab aliis permultis, qui non facile juribus ſuis cedunt. Cum de re pecuniaria agitur, nimium eſt, quam multis difficultatibus negotia impediantur.

Quod vero ad pium deſiderium pertinet adipiſcendi pennas columbarum, & volandi ad locum dulciſſimæ quietis; dicam Illuſtriſſimæ D. V. quod mihi occurrit. Non exiſtimo ſolidiorem quietem, & veriorem ſalutis ſecuritatem in ulla re poſſe reperiri, quam in Dei voluntate, tota animi devotione perficienda. Illam Domini vocem præter ceteras ſemper amavi: Pater, transfer calicem hunc a me: Veruntamen non mea, ſed tua voluntas fiat. *Empti ſumus pretio magno: proinde ut ſervi empitii ſimplicem obedientiam Domino noſtro debemus. Dum nobis conſcientia noſtra vere renuntiet, nos non quæſiviſſe, non optaſſe, non elegiſſe locum altiorem: nunc etiam honorem temporalem nobis cordi*

promptiori egent remedio, initium ſumentes, hæc, quæ ſequuntur, his noſtris Conſtitutionibus, pro ea, quam hactenus de ſtatu noſtræ Diœceſeos cognitione habere potuimus, ſtatuenda judicavimus, cæteris incommodis, quæ in dies Nobis clarius innoteſcent, diligentius proviſuri tum in ſequentibus Synodis, tum etiam univerſam Diœceſim noſtram generali & ſolemni viſitatione luſtraturi: quod propediem, Deo favente, Nos facturos ſperamus.

De Fidei Profeſſione.

I.

COnſiderantes, quanti ſit momenti, ut hæc noſtra Diœceſana Synodus (in

---

non eſſe, hunc libentiſſime depoſituris, ſi liceret; non video, cur in Dei voluntate, per imperium Vicarii ſui nobis expreſſe propoſita, acquieſcere non debeamus. Paſtorale onus grave eſt: ſolicitudine & periculo plenum: Nec minus fortaſſe gravis, & periculoſa eſt dignitas Cardinalitia. Si Opifici atque Emptori noſtro placuit, nos in has anguſtias & pericula vocare; qui ſumus nos, qui dicamus illi: Cur ita feciſti? Qui nos dilexit, & animam ſuam pro nobis poſuit, dicere dignatus eſt Petro, & in eo Paſtoribus omnibus: Si amas me, paſce oves meas. *Quis igitur erit, qui audeat Domino reſpondere: Nolo paſcere oves tuas, ne perdam ſalutem meam; niſi qui non Deum, ſed ſe ipſe amat? Verus Dei amator cum Apoſtolo dicet: Malo anathema eſſe a Chriſto pro fratribus meis, quam non ſubire ſarcinam, quam mihi Dei amor impoſuit.*

Sed neque periculum ſalutis ullum eſſe poteſt, ubi regnat Caritas. Nam etſi ex ignorantia, vel infirmitate humana in multis labamur; tamen Caritas operit multitudinem peccatorum.

Illuſtriſſime & amantiſſime Domine, ſi ulla ſpes eſſet, ut cum DEI beneplacito, & Vicarii ipſius benedictione ad quietem Religionis D. V. venire, & ego redire poſſemus, id certe omnino eligendum eſſet: Sed quia ſpes ejusmodi nulla affulget; propterea ſcripſi, quod ſcripſi: & quod mihi frequenter dico, Sanctæ animæ Veſtræ, quam propter onus Paſtorale angi video, dicere volui. Si per negotia licuiſſet, D. V. Romam venire, rem gratiſſimam non ſolum mihi, ſed & Cardinali Baronio, & aliis permultis feciſſet. Sed quando præſentia Veſtra frui nobis non licet; ſaltem orationum Veſtrarum ſuffragio non deſtituamur. Romæ die 6. Novemb. 1601.

His Bellarmini literis levati aliquantisper fuerunt Errici Epiſcopi angores, ſed non ante, quam poſt Clementis VIII. obitum penitus ſublati. Nam Anno 1609. denuo Romam profectus, a Paulo V., Clementis Succeſſore, impetravit, ut translato in Carolum a Lotharingia, Comitem de Chaligny, nepotem ſuum, Epiſcopatu, Paſtorali onere, quod eum tamdin excruciaverat, tandem ſolveretur. Datæ ea de re Literæ Pontificiæ anno 1610. DEO igitur ſoli deinceps, ac ſibi vixit uſque ad annum 1623., quo obiit die Aprilis 27. Nanceji.

Author *Hiſtor. Eccleſiaſt. Germaniæ, editæ Bruxellis idiomate Gallico apud Franciſcum Foppens anno* 1724. ait, Errieum, Epiſcopatu deſerto, ingreſſum fuiſſe Ordinem Capucinorum; *Auguſtinus* autem *Calmetus Hiſtor. Eccleſiaſt. & Civil. Lotharingicæ Tomo III.* factam illi quidem a Paulo V. poteſtatem, ſcribit, Religioſum iſtud Inſtitutum amplectendi; id vero quominus exequeretur, debilitatem valetudinis, ac virium obſtitiſſe. Poſt mortem tamen Capucinorum indutum habitu, & ad S. Nicolaum in ejusdem Sacri Ordinis Cœnobio, quod magna ex parte fundaverat, fuiſſe ſepultum.

Pauca nunc etiam commemoranda veniunt de CAROLO, Errici Nepote & Succeſſore, tum, quod cum iis, quæ modo narravimus, quodammodo connexa ſint rerum ſimilitudine, tum, quod ſingularia, quibus eminuit, ornamenta virtutum digniſſima ſint, ut imitanda aliis proponantur. Educatus hic Princeps teneris ab annis fuerat ad conſectandam laudem bellicam, glorioſiſſimæ illi familiæ hæreditariam, ad quam illuſtrandam omnibus etiam naturæ præſidiis comparatus videbatur. Sed maturiorem ad ætatem provecto Errieus Patruus, qui ipſum ſibi Succeſſorem optaverat, ſuaſit, ut ſacram in Eccleſia militiam ſequi mallet, quam profanam in caſtris. Nec multis opus erat ad id perſuadendum Principi, ſuapte indole ad omnem virtutem propenſo. Anno igitur 1617. cum ad Sacras functiones

Digitized by Google

(in qua ad DEI Omnipotentis gloriam, tam de moribus reformandis, Chriſtianeque inſtituendis, quam de avita Religione, Fideque orthodoxa, in commiſſo Nobis grege, conſervanda, & corroboranda, acturi ſumus) rite inſtituatur: antequam ad ſingulas res pertractandas accedamus, Sanctorum Patrum veſtigiis inhærentes, qui in ſacratioribus conſiliis in principio ſuarum actionum, Confeſſione Fidei, tamquam ſcuto quodam tutiſſimo munire ſe conſueverunt, ſtatuimus, ut ab omnibus Profeſſio Fidei (ſine qua placere Deo impoſſibile eſt) juxta formam traditam a Sanctiſſimo D. N. bonæ memoriæ PIO QUARTO, & receptam in hac noſtra Diœceſi a Prædeceſſoribus noſtris,

---

nes jam eſſet idoneus, ab eodem Errico Virdunenſis Epiſcopus conſecratus fuit. Atque ex eo tempore hoc unum egit, ut verum ſe Miniſtrum Dei Altiſſimi, dignumque Eccleſiæ Præſulem exhiberet. Eum in finem viros pietate non minus, quam doctrina claros ſibi adjunxit, quibuscum conſultaret aſſidue, eorumque ex inſtitutione diſceret, quæ ſcire Epiſcopum, quæ facere oporteret. Præter hos Sapientem delegit ſibi conſcientiæ arbitrum, quem veluti Angelum tutelarem, ac Divinæ voluntatis interpretem venerabatur, cujusque ſine conſilio agebat nihil. Unde factum, ut tota ejus vivendi ratio ad prudentiæ, virtutisque regulas compoſita, exemplum eſſet omnibus & norma, quam imitarentur. Nihil illi jucundius erat, quam ea, quæ Paſtoralis ſunt muneris, per ſe ipſum exercere. Ipſe pro concione dixit ad populum: Ipſe SSma Sacramenta petentibus adminiſtravit: Ipſe parvulos, rudemque plebem Sacra Catecheſi imbuit: Ipſe hæreticos reconciliavit cum Eccleſia: Ipſe Diœceſim ſuam viſitando luſtravit: quod, dum faceret, oviculas ſuas non tantum doctrina & Verbo Dei pavit, ſed largas etiam eleemoſynas in pauperum ſinus effudit. Vitam aulicam adeo non amavit, ut etiam perhorreſceret. Quod ſi vel occurrentis aliquando negotii magnitudo expoſceret, vel officii ratio poſtularet, ut ad Aulam Lotharingiæ Ducis inviſeret; invito id penitus, ac refugiente animo fecit. Heus! inquiebat ſibi, quo imus? Aëri miſcebimur, qui quanto ſuavior, tanto inſalubrior eſt: quem vix quisquam ſibi familiarem fecerit, quin contagionem inde & noxam contrahat. O quam timendum iſtud eſt mihi, ne Princeps Epiſcopum damnet. Conſimilia his ſenſa ut aliis quoque inſpiraret, quos ad aulicam vitam ipſa adſtringit proſapia & naſcendi conditio; egregiam pro eorundem inſtitutione lucubratiunculam compoſuit, in qua hunc unicum ſibi præfixit ſcopum, ut oſtenderet Principibus, eosque doceret, qua ratione poſſint, debeantque cum nobilitate virtutem, cum aularum illecebris pietatem, cum Principali ſupra ſubjectum ſibi populum jurisdictione & auctoritate debitam Summo DEO, ejusque mandatis obedientiam conjungere. Illuſtria ſunt, inquit Calmetus, quæ in eo opuſculo proponuntur principia, nobili etiam ſtilo, & qui dignus ſit authore ſuo, pertractata.

Quinquennio circiter eo fervore Diœceſin adminiſtraverat Carolus, cum paribus ſtimulis, ac olim Errico, Patruus, ad Religioſam ſolitudinem, ſectandamque in Societate JESU vitæ ſanctioris perfectionem impellebatur: qua quidem in re conſequenda multo, quam ille, felicior extitit: quod enim Errico a Clemente VIII. ſemper negatum, ſupra vidimus; mox Carolus, ac petiit, a Gregorio XV. impetravit.

Non abs re erit, ſi quæ ejus conſilii ſuſcipiendi occaſio illi fuerit, qua ſimul promptitudine & conſtantia id fuerit executus, breviter commemorem. Solenne Carolo erat, Spiritualibus, ut loquimur, exercitiis vacare quotannis, octo vel decem diebus in receſſu pio. Anno tamen 1622. hujus conſuetudinis quodam quaſi horrore perfuſus, imperare ſibi non poterat, ut abruptis ſuo more negotiis reliquis, notam peteret ſolitudinem, licet ad eam interne ſe vocari & impelli adverteret. Ter, quaterve Nancejum hac mente venerat, ut Sacrarum exercitationum moderatorem exquireret e Collegio Societatis; ſemper re infecta redierat. Id cum animo ſuo reputans vir prudens, facile intellexit, iſtam inconſtantiam non aliunde oriri poſſe, quam a malo dæmone. Quare obnitendum contra exiſtimans, ſepoſitis tantisper aliarum rerum curis, adhibitisque præter uſitatum modum precibus, tanto majore fervore & contentione pietatis, ſacris iſtis commentationibus excolere animum cœpit, quanto potentius inde retrahere malignus hoſtis conabatur. Vix primos in eo receſſu dies exegerat, cum afflari ſe ſenſit rerum Divinarum ſenſu prorſus inſolito, eoque tam ſuavi, ut cohibere ſe non poſſet, quin in lachrymas

noſtris, clare & diſtincte emittatur, juramentumque juxta formam ibi traditam a ſingulis præſtetur, de retinenda inviolabiliter Fide Catholica. Eſt vero hujusmodi: Ego N. firmiſſima fide credo & confiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum DEUM Patrem Omnipotentem, factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium; &c.

II.

Statuimus autem convenienter Decretis Sanctorum Conciliorum & Summorum Pontificum; ut proviſi de Beneficiis quibuscunque, curam animarum habentibus, dignitatibus, Canonicatibus, Monaſteriis, Conventibus, Domibus, & aliis quibuscunque locis Regularium quorumcunque Ordinum, teneantur a die adeptæ poſſeſſionis, intra duos menſes coram Nobis, vel Vicario noſtro Profeſſionem Fidei juxta for-

---

præ mentis dulcedine erumperet. Iſtam animi ſuavitatem excepit deſiderium vehemens vitæ ſanctioris, cum certa deliberatione obſequendi in rebus omnibus Divinæ voluntati, quoties hæc ſibi innoteſceret. Abſolutis Exercitiis cum Virdunum rediiſſet, accidit paulo poſt, ut ibidem in Collegio Societatis ſcenæ committeretur Alexius ex domo Paterna profugus. Pio huic & jucundo ſpectaculo cum intereſſet Epiſcopus, novo repente pietatis ardore ſuccenditur. Pervolutat animo excellens illud Chriſtianæ virtutis exemplum, quod aſpectui ſubjiciebatur: exardeſcit imitandi ſtudio: demum voto ſe obſtringit, in Religioſa Societatis ſepta tranſiturum, ſi modo votum probaret P. Fagonius, quo arbitro conſcientiæ utebatur; ſi Pontifex Maximus pateretur. Ubi ratum haberi votum audiit, nihil cunctatus, miſit illico Nancejum, qui Lotharingiæ Ducem arrepti conſilii certiorem faceret, datisque per Tabellarium Literis ad Ludovicum Galliarum Regem, ſibi ut liceret cum bona ejus venia Virdunenſes Inſulas transmittere Franciſco, fratri ſuo natu minori; hominem ſibi fidum legavit Romam, ut rei exequendæ veniam a Rom. Pontifice exoraret. Dux difficilem ſe præbuit initio, multaque per aliquot dies molitus eſt, ut eum a propoſito dimoveret. Magis obſtitit Caroli Mater vidua, quæ tamen & ipſa demum non ſolum obluctari deſiit, ſed generoſum filii exemplum imitata etiam fuit: dum mundo pariter valedixit, Deoque ſe in Monaſterio Sancti Sepulchri, quod Carolo-villæ condiderat, Religioſam complexa vitam, devovit. Illud mirum permultis eſt viſum, quod ipſe Pontifex Gregorius intellectis Caroli Epiſcopi votis precibusque, confeſtim annuerit, ne audito quidem, ut moris eſt, Purpuratorum conſilio: prolixe etiam eidem per literas gratulatus, quod aulæ ſplendorem cum paupertate Chriſti permutare, ipſiusque nominatim in Societate militare Deo decreviſſet. *Agnoſcere ſe*, (ſcribit inter cætera) *felicitatem illius, gratiasque DEO agere, qui per illum velit augere Sanctarum artium, Chriſtianorumque triumphorum exempla &c.* Demum, *Proficiſcere*, inquit, *ad eam Sacræ militiæ Societatem, Catholici nominis defenſione, & hæreticorum excidiis clariſſimam. &c.* His acceptis SSmi Literis Carolus dimiſit illico opima, quibus inſtructus erat, Sacerdotia, & Teſtamentum condidit, cui ſubſcribens exclamaſſe fertur: *Utinam hoc puncto temporis ampliſſimas Eccleſiæ dignitates, atque adeo regnum opulentiſsimum poſſiderem: quam libenter omnia dimitterem Chriſti gratia!*

Tandem compoſitis Nanceji, Virdunique rebus, omnibusque obſtaculis, quibus ejus conſtantia tentata diu fuit, feliciter ſuperatis, maximo ſui apud Diœceſanos relicto deſiderio, magnis itineribus Romam perrexit, ut ibidem remotior a ſuis vitæ religioſæ tirocinium poneret. Oblatam Societatis tunicam tam cupide arripuit, toties ac tam ſuaviter exoſculatus eſt; ut Patribus, qui circumfuſi aderant, multum lachrymarum excuſſerit. Nec vero de hoc animi ardore unquam remiſit: quin potius ex continuo cum Deo commercio, tam ſuavibus conſolationibus, animique deliciis perfuſus fuit; ut dicere ſoleret, vel unici momenti in ſpiritualibus iſtis ſuavitatibus tranſacti præmio, quam abundantiſſime ſibi rerributum eſſe promiſſum a Chriſto centuplum pro omnibus, quæ deſeruiſſet in mundo bonis. Annis aliquot præterlapſis, cum amici cujusdam ſui literis ad ſe Romam perſcriptis accepiſſet, rumorem increbuiſſe in Aula Lotharingica, ſe minus tranquille vivere in Societate, ac ſuppœnitere jam conſilii ſui: Reſcripſit ad eundem libere, *non modo falſa eſſe, quæ jactarentur: ſed præterea ſe, ſi nondum eſſet in Societatem receptus, nec*

recipi

formam positam emittere, sub pœnis in jure contentis, privationis nimirum fructuum, & aliis, arbitrio nostro imponendis. Nulli vero ad prædicandum Verbum Dei, vel Confessiones audiendas, ante emissam eandem Fidei Professionem admittantur. Nisi alia de causa eam prius coram Nobis emiserint.

III.

Quia vero multum refert, ut puerilis ætas a teneris annis Christianis moribus & præceptis rite instituatur, multumque ad hoc conducit, ut qui eos instituunt, in fide stabiles sint; Statuimus, ut quicunque juventuti erudiendæ quoque modo præficientur in hac Civitate, coram Nobis, vel Vicario nostro: in aliis vero locis coram Decano, vel Parocho loci cum duobus testibus teneantur eandem fidem profiteri.

IV.

Nullus vero in posterum ad ea munera admittatur, qui testimonio sui Parochi, & duorum, triumve virorum fide dignorum non manifestet, se in Ecclesia Catholica semper perseverasse, quique secum non habeat testimonium ab iisdem vitæ honeste & Catholice actæ. Mandamusque omnibus Presbyteris Parochialibus, & aliis, curam animarum gerentibus, ut hæc nostra Constitutio diligenter observetur, Nosque quamprimum certiores faciant, si ab his, quorum est Ludimagistrorum institutio, vel approbatio, aliter, quod absit, attentari contingat: fratresque nostros Archidiaconos, aliosque Visitatores in Domino rogamus, ut inter visitandum solicitos se præbeant, ne Parochi hac in parte suo officio desint, eosque, qui contra fecerint, ad Nos deferant puniendos.

De Hæreticis manifestandis & vitandis.

V.

AD eandem fidei firmitatem inviolabiliter conservandam, mandamus omnibus Decanis, Parochis, & eorum Vicariis, ut diligenter inquirant, an in plebe sibi commissa, ullus vel hæreticus, vel suspectus de hæresi resideat, Nosque quamprimum, Synodo absoluta, certiores faciant: Statuimusque in posterum, ut bis in anno circa Festum Paschatis, & Sanctorum omnium, vel etiam sæpius, si opus sit, teneantur singuli Parochi suo Decano deferre, an in suis locis quispiam hæreticus, vel suspectus hæreticæ pravitatis reperiatur; ut Nos ab eodem Decano sine mora certiores facti, remedium promptum adhibeamus. Et quamvis nulli tales (quod esset optandum) reperirentur; volumus nihilominus, ut dictis temporibus Parochi Decanos, Nos vero Decani etiam ea de re certiores faciant: ut illa cura levati, Domino Deo pro tam singulari beneficio gratias pro virili parte agamus.

VI.

---

recipi aliter posset, quam usque ad Japones peregrinando; nihil dubitaturum, sortem hanc optatissimam usque in Japoniam per sexcenta vitæ pericula quæsitum ire. Addidit, *nec recusaturum se remigum ministerio addici, ut Societatis veste donaretur.* Adeo de statu suo judicium non mutaverat.

Anno 1628. die 8. Decembris, anticipato ex singulari privilegio tempore, cum quatuor Societatis vota emitteret, quintum adjecit, & scripto complexus fuit, *se semper quæsiturum majorem DEI gloriam in rebus gravibus, & semper defensurum Immaculatam Beatissimæ, & dulcissimæ Virginis, Matris suæ, Conceptionem &c.* Ex voluntate Superiorum, quorum ab arbitrio totus pendebat, Roma reversus in Galliam, Burdigalensi primum, dein & Tolosanæ Societatis JESU Professorum domui præfuit, illustribus ubique nobilissimarum virtutum prælucens exemplis. Postquam annis non plus undecim in Societate cum insigni sanctimoniæ laude vixisset, Tolosæ morbo correptus, ex quo se moriturum prædixit, cum annum ætatis quadragesimum nondum penitus complesset, felici & pretiosa in conspectu Domini morte obiit anno Christi 1631. 28. Aprilis: quo die ejusdem etiam apud nos memoria quotannis ex Menologio Societatis recolitur.

P. Jos. Juvencius Histor. Soc. JESU Parte V. P. Julius Cordara ejusd. Hist. Parte VI. Augustin. Calmet. Hist. Ecclesiast. & Civil. Lotharing. Tom. III. P. Nadasi anno dierum Memorabil. Soc. JESU.

Plura de P. Caroli a Lotharingia virtutibus vide in ejus vita, a P. Condé conscripta.

V I.

Ad hæreticorum conventicula, & conciones, multo minus ad profanam eorum cœnam, nemo accedat: qui ſecus fecerit, ipſo facto ab officio & beneficio per ſex menſes ſuſpenſus maneat, ſi Sacris ſit initiatus, vel Beneficiarius: ſi laicus, triginta Francorum mulctam, & aliam corporalem, ſi Nobis videbitur, ſubeat.

V I I.

Hæretici, qui ad Eccleſiam Catholicam redeunt, publice vel privatim, prout Nobis in Domino videbitur, coram Nobis, vel Vicario noſtro, præſentibus Notario, & duobus ſaltem teſtibus, errores omnes & hæreſes abjurabunt juxta formam in Pontificali præſcriptam, Fidemque Catholicam profitebuntur ſecundum tenorem Bullæ PII QUARTI, de Fidei Profeſſione, quam in eum finem in linguam vulgarem converti curabimus, eamque manu propria ſubſignabunt.

De Fidei Articulis, a Parochis populo tradendis.

V I I I.

QUoniam quorumdam Fidei Articulorum cognitio ita eſt ad ſalutem neceſſaria, ut ſine illa nemo, ſi adultus ſit, ſalutem conſequi poſſit; ideo in id diligentius incumbent Parochi, ut eorum facilem explicationem populo rudi & imperito tradant. Ii vero præcipue continentur in Symbolo Apoſtolorum, quod ſingulis diebus Dominicis, vel decimo quinto quoque ſaltem die, tam latine, quam lingua vernacula volumus palam recitari. Imprimis vero ſequentium Articulorum, maxime ad ſalutem neceſſariorum, memoria populo ſæpe erit refricanda, ut eorum cognitionem ſibi frequenti illa repetitione acquirat.

1. Deum eſſe unum, eumque remuneratorem juxta Apoſtoli ſententiam.

2. Myſterium Sanctæ Trinitatis, id eſt, in Deo unam eſſe Eſſentiam & tres Perſonas diſtinctas, ſcilicet Patrem, Filium, & Spiritum Sanctum.

3. Has tres Perſonas, unum tantum eſſe Deum, ejusdemque eſſentiæ & potentiæ. Non autem eſſe plures Deos.

4. Patrem eſſe Creatorem rerum omnium, primamque Trinitatis Perſonam.

5. Filium, nempe ſecundam Trinitatis Perſonam, ſuſcepiſſe carnem humanam, ut nos liberaret e poteſtate diaboli (cui propter originale peccatum, in quo omnes naſcimur, propter prævaricationem primorum parentum, ſubjiciebamur) incarnatumque eſſe de Spiritu Sancto, natum ex MARIA Virgine, hominem factum, paſſum ſub Pontio Pilato pro univerſi generis humani liberatione: deſcendiſſe ad inferos, ut Patres, qui in lymbo detinebantur, redimeret: tertia die reſurrexiſſe, in Cœlos aſcendiſſe, ubi ſedet ad dexteram Patris, interpellans pro nobis apud Patrem gemitibus inenarrabilibus: unde venturus eſt ad judicandos vivos & mortuos (qui omnes reſumptis corporibus ad vitam revocandi ſunt: reddendumque unicuique juxta opera ſua, nempe vitam æternam iis, qui recte: & ſupplicium ſempiternum iis, qui male vixerint.

6. Spiritum Sanctum tertiam eſſe Trinitatis Perſonam, ex Patre, Filioque procedentem, ſanctificantem tum ſingulos Chriſtianos, qui ſe a peccati mortalis reatu puros & integros ſervarint, tum univerſam Eccleſiam, Chriſti Sponſam.

7. Hanc Eccleſiam unam eſſe, & Catholicam, nec errare poſſe: extra quam non magis ſalus eſſe poſſit, quam extra Arcam Noe tempore diluvii: & e contrario in ea omnium peccatorum quorumcumque gravium veniam & remiſſionem obtineri poſſe.

I X.

Quæ omnia fidelis populus modo ſimul, modo per partes a ſuis Parochis, vel aliis idoneis clare edoceatur in lingua vulgari, & eodem fere modo, quo hic explicata ſunt, cum vix rudis populus altioris explicationis capax eſſe poſſit.

X.

Quia vero parum conducit ſcire, quæ credenda ſunt, niſi etiam probe intel-

Digitized by Google

intelligantur, quæ ab unoquoque fidelium fieri & vitari convenit; præcipimus iisdem Parochis, eorumque Vicariis, ut in omnibus Ecclesiis Parochialibus, & illis annexis, Oratio Dominica, qua quid sperare debeamus a Domino Deo discimus, Dei mandata, & Ecclesiæ septem Sacramenta, quæ præsertim ad quemlibet pertinent: septem opera misericordiæ, tam spiritualia, quam corporalia, cæteraque præcipua Capita doctrinæ Christianæ Festis, Dominicisque diebus tam latine, quam in lingua vernacula recitentur.

XI.

Quæ omnia, si propter populi tædium quolibet die Dominico recitari non possint, ita saltem distribuantur, ut omnia decimo quinto quoque die, vel saltem semel in mense percurrantur.

XII.

Moneant vero Parochi sibi commissos, ut diligenter supra dicta memoriæ commendent, tum ut ea opere exequantur, tum etiam, ut liberos, famulos, ancillas, & alios suæ curæ commissos, edoceant. Sic vero in omnibus supradictis subditos instruant Parochi, ut non tantum ipsa verba psittacorum more exterius percipiant, sed etiam verborum vim & sententiam.

XIII.

Parochi neminem ex suis subditis ad Matrimonium contrahendum admittant, aut cuiquam literas testimoniales ad Ordines præbeant, qui in supra dictis non fuerit sufficienter instructus.

De Prædicatione & expositione Verbi Dei.

XIV.

PRovideant Parochi, ut singulis Dominicis & Festis diebus, aut saltem semel in mense, extra Quadragesimam, in Quadragesima vero sæpius Verbum Dei populo prædicetur: quod si hoc ipsi facere non possint, curent, ut per idoneos id præstetur; Ne populus spirituali alimento destitutus, justam habeat occasionem de ipsis conquerendi.

XV.

Nullus, sive Regularis sit, sive sæcularis quantumcumque exemptus, audeat prædicationis munus sibi usurpare, nisi a Nobis approbatus sit & examinatus, si ita videbitur, approbationemque in scriptis habeat, a Nobis, vel a Vicario nostro gratis obtinendam. Et ut abusus, qui hactenus irrepere potuerunt, prorsus aboleantur; revocamus hac nostra Constitutione omnes facultates hactenus vel a Nobis, vel a Prædecessoribus nostris concessas quibusvis personis, cujuscunque conditionis existant, prædicandi Verbi Dei: ita ut si deinceps voluerint concionandi munus exercere, a Nobis, vel Vicario nostro de novo approbationem petere (quam sane nemini, qui idoneus repertus fuerit, intendimus denegandam) teneantur. Quare monemus omnes Superiores Religiosorum, & alios quosvis, qui vel concionari, vel alio quovis modo Verbum Dei publice, vel per se, vel per sibi subditos disseminare solent, ne vel ipsi concionentur, neve suos ad id dimittant, antequam de novo a Nobis, vel dicto Vicario nostro, ut dictum est, approbentur. Singulis vero Presbyteris Parochialibus, & eorum Vicariis, sub pœnis arbitrio nostro imponendis, mandamus, ut neminem ad prædicandum Verbum Dei, vel publice populum docendum admittant, nisi prius scripto illis constet de approbatione a Nobis, vel a Vicario nostro, a publicatione præsentium facta.

De Libris prohibitis.

XVI.

NOn liceat in hac nostra Diœcesi ullos libros venales proponere, sub pœna confiscationis librorum, & aliis, nisi prius juxta Indicem, jussu *Tridentini Concilii* factum examinati fuerint. Cujus rei curam Vicario nostro committimus, ejusque conscientiam oneramus.

XVII.

Volumus autem, ut statim, absoluta Synodo, is aliquos deputet, qui visitent officinas Bibliopolarum, ut si quos libros prohibitos ibi repererint,

Digitized by Google

eos ſtatim poſtpoſita omni mora amoveant, curentque, ut in ſingulis officinis habeatur ſupradictus Index, ut juxta ejus tenorem, & non aliter, libri deinceps venales proponi poſſint. Cum primum vero extraneus Bibliopola in hanc Civitatem, ad libros vendendos appulerit, ſtatim antequam libros venales proponat, Vicarium noſtrum adeat, ut ab eo facultatem, poſt examinatos libros accipiat : in aliis vero locis Parochum loci, ſub pœna confiſcationis librorum, & incarcerationis ad noſtrum arbitrium.

De Beneficiariis.

XVIII.

NUllus ad Parochiale beneficium obtinendum in hac Diœceſi admittatur, qui minimum annum ſtudio caſuum conſcientiæ, vel Juris Canonici non vacaverit, aut ſui Præceptoris teſtimonio munitus non fuerit, quod in dictis ſcientiis ſatis profecerit ad alios docendos.

XIX.

Qui vero Vicarii munus obire voluerint, tantumdem dictis ſtudiis tribuiſſe debebunt : nec ullis precibus admittantur ad ea munera obeunda, niſi conſtet per examen, ſcientia ſufficienti præditos eſſe. Super quo conſcientiam Examinatorum oneramus.

XX.

Omnes Parochi in Eccleſiis ſibi commiſſis reſideant, officiumque ſuum per ſe, quantum fieri poteſt, exerceant : pœnas vero ſtatutas a *Tridentino Concilio* contra non reſidentes, incurrere ſe ſciant, qui ſine facultate abfuerint ultra tempus in jure permiſſum. Quascunque vero facultates, hactenus a Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris de non reſidendo conceſſas, hac noſtra Conſtitutione revocamus, volumusque, ut intra quindecim dies poſt Synodum finitam Decani Nos certiores faciant, niſi jam fecerint, quinam in ſuo diſtrictu, & quas ob cauſas non reſideant, eosque (ipſorum tamen expenſis) monendos curent, ut quam primum ad Eccleſias ſuas revertantur, vel certe Nobis ſuæ abſentiæ rationem reddant.

XXI.

Quicunque beneficium, qualecunque ſit, in noſtra Diœceſi deinceps conſequetur, jurabit ad Sancta DEI Evangelia, ſe per Simoniæ labem beneficium non obtinuiſſe, neque poſſit facere ſuos fructus, niſi coram Nobis, Vicario noſtro, vel alio Deputato, juramentum tale præſtiterit.

XXII.

Nemini Beneficium Eccleſiaſticum, quodcunque illud ſit, conferatur, qui decimum quartum ætatis annum non attigerit. Curatum vero ante vigeſimum quintum obtinere nemo poſſit, juxta Summorum Pontificum Decreta.

De Dominicis, Feſtisve diebus rite obſervandis.

XXIII.

DOlendum eſt, Dominicis, Feſtisve diebus Divinis Officiis, præſertim vero Auguſtiſſimo Miſſæ Sacrificio, & Sacræ Concioni plerosque vel omnino non intereſſe, vel eo imperfecto abſcedere. Quod malum ne longius ſerpat in dies, Mandamus, ut Parochi diligenter obſervent, quinam a Divinis ſine juſta cauſa aberunt, ſibique ſubditos moneant, ut in ſuis Parœciis, quantum fieri poterit, Officia Divina, maxime vero Sacrum Miſſæ Officium audiant: abſcedentes autem, eo imperfecto, Parochi ſevere increpent. Qui ter moniti ſi ſe non corrigant, ad Vicarium noſtrum, ab eo graviter puniendi, deferantur.

XXIV.

Moneant vero Parochi Patres-familias, ut filios & famulos, quos in animalibus paſcendis occupant, Dominicis, Feſtisve diebus Miſſæ jubeant intereſſe, cum illis ſalutis ſuorum major cura, quam lucri cujuspiam temporalis eſſe debeat.

XXV.

Mandamus autem ſub pœnis arbitrio noſtro imponendis, ne quid Feſtis diebus vendatur, aut ematur, quod ad victum, aut ægrotorum curationem neceſſarium non ſit.

XXVI.

Digitized by Google

XXVI.

Nundinæ autem & mercàtus, ſi qui in Feſtum diem inciderint, in antecedentem, vel ſequentem, qui Feſtivus non ſit, transferantur.

XXVII.

Choreæ & ſaltationes, vel alii ludi, quantumlibet honeſti tempore Divini Officii, vel Concionis non fiant. Qui ſecus feciſſe deprehenſus fuerit, gravi pœnæ ſubjaceat.

De blaſphemia & juramento vitando.

XXVIII.

ÆGre & dolenter audivimus, Sanctiſſimum DEI & Sanctorum nomen palam ſine ulla reverentia uſurpari: imo vero plerisque ad ſingula pene verba (non ſine perjurii periculo) in ore eſſe: quodque dolendum magis eſt, ſæpe etiam blasphemari. Quapropter volentes ex commiſſa Nobis plebe peſſimam jurandi conſuetudinem penitus eliminari, cum juxta Eccleſiaſtem, Vir multum jurans repleatur iniquitate, juxta Concilii Lateranenſis Decreta, & bonæ memoriæ NICOLAI PSALMÆI Prædeceſſoris noſtri Conſtitutionem, ſtatuimus & mandamus, ut quicunque Deo maledixerit, contumelioſisque aut obſcœnis verbis Dominum Noſtrum JESUM CHRISTUM, vel Glorioſam Virginem ejus Matrem, ullumve Sanctorum, aut Sanctarum Dei blasphemaverit: prima vice fructibus unius anni beneficiorum Eccleſiaſticorum, quæcunque obtinuerit, ſi Clericus ſit, mulctetur, & ſecunda dignitates & beneficia omnia ipſo facto amittat, ad eaque retinenda ſit deinceps inhabilis. Si vero Laicus ſit, ſecundum Canonicas & Civiles Conſtitutiones ſevere puniatur.

XXIX.

Parochi Patres-familias moneant, ne patiantur ullum genus juramenti, vel maledictionis a filiis, famulis, ullove ex familia uſurpari: & ne ipſi parentes malum exemplum ſupra dictis præbeant, ab omni juramento prorſus abſtineant.

XXX.

Doceant vero populum, quot mala ex frequenti juramento proveniant, quod tam variis locis Scripturæ (quæ plagam a domo ſæpe jurantis nunquam diſceſſuram aſſeverat) quam variis exemplis ex Patrum hiſtoriis decerptis illuſtrabunt: varias autem jurandi formulas, a populo uſurpari ſolitas, Parochus data occaſione aperiet, damnabitque.

De Sacramentis.

XXXI.

CUm Sacerdotum, præſertim vero Parochorum præcipua functio ſit Sacramentorum adminiſtratio, toti in id incumbent, ut, qua par eſt, reverentia & cultu ea pertractent. Et, quoniam, cum Dei Miniſtri ſint, Domino, qui ſanctus eſt, conformare ſe debent; caveant diligenter, ne ullo lethali crimine irretiti, ullius Sacramenti, quodcunque illud ſit, functiones obeant: Id enim ſine alio peccato mortifero, graviſſimoque ſacrilegio, facere non poſſunt. Quare primum confiteantur, vel, ſi copia Confeſſarii deſit, ſaltem animo, cum propoſito confitendi conterantur.

XXXII.

Cum Sacramenta Eccleſiæ non ſolum ſine Simoniæ labe, verum etiam ſine avaritiæ ſuſpicione miniſtrari debeant, caveant iidem Parochi, cæterique, qui quoquo modo Sacramenta miniſtrandi facultatem habent, ne populum, præſertim vero pauperes, importunis exactionibus gravent: quamvis ab iis, qui ſolvendo ſunt, non prohibeamus eos debitum ſtipendium exigere.

XXXIII.

Ægrotos, etiam non vocati, ſæpius inviſant, & ad Sacramentorum ſuſceptionem hortentur, eorumque animabus impenſe provideant, ſcientes, ſe pro eis rationem, juxta ſententiam Apoſtoli, Domino Deo reddituros.

De

Digitized by

De Sacramento Baptiſmi.

XXXIV.

QUamvis Sacramentum Baptiſmi, quantum fieri poteſt, ſine ſacris ritibus & cæremoniis, vel extra Eccleſiam miniſtrari non debeat: quia tamen interdum id non patitur baptizandi neceſſitas; permiſſa eſt eo caſu baptizandi facultas in privatis ædibus, Sacerdoti primum, vel, ſi is abſit, alteri Sacris initiato: qui ſi item abfuerit, Laicis, primum mari, deinde fœminæ, non tamen patri vel matri baptizandi, ſi alii reperiantur, qui rite tenuerint veram baptizandi formam, quam fuſa in caput pueri aqua ſic proferant: *Ego te baptizo in Nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.* Cui nihil vel addant, vel detrahant. Sint vero ſolliciti Parochi, ut præſertim obſtetrices doceant dictam baptizandi formulam, idque tam latina, quam vernacula lingua, eamque, aquam effundendo, ſimul pronuntient.

XXXV.

Quod ſi baptizatus poſtea vixerit, cum primum per valetudinem licuerit, eum parentes in Eccleſia Parochiali ſiſtant: ubi ſi rectam baptizandi formam ſervatam eſſe, poſt diligentem inquiſitionem conſtiterit, ei tantum omnes cæremoniæ Baptiſmi adhibeantur, & ne quidem ſub conditione (quod fieri a quibusdam ignaris Parochis intelligimus) verborum forma repetatur.

XXXVI.

Parochi nullius precibus, vel authoritate induci ſe patiantur, ut plures, quam unum, vel ad ſummum unum & unam, compatrem, & commatrem admittant, juxta *Tridentinam Synodum.* Sint vero hi ſuſceptores, ſeu ſuſceptrices, adulti bonæ æſtimationis, nec ullo modo de hæreſi ſuſpecti: eosque ſui officii moneant, quamve affinitatem contrahant, edoceant: Monachos vero, Monialesve ad id nullatenus recipiant.

De Euchariſtiæ Sacramento.

XXXVII.

PArochi neminem publice a Communione repellant, qui publicus, vel notorius peccator non ſit: peccatores autem manifeſtos & notorios nullo modo ad eam admittant, niſi publice conſtet, quod pœnitentiam egerint, vitæque melioris propoſitum fecerint.

XXXVIII.

Curent, ut tabernaculum, in quo Sacra Euchariſtia ſervatur, ornatum & bene ſeptum, ac munitum, vasque, in quo aſſervatur, mundum ſit: & ante illud, quantum per Eccleſiæ facultates licebit, lampas accenſa colluceat.

De Celebratione Miſſarum.

XXXIX.

Sacerdotibus alienæ Diœceſis rei Divinæ faciendæ facultatem non faciant Parochi in ſuis Eccleſiis, niſi oſtenſis literis teſtimonialibus & dimiſſoriis Ordinarii, ultra ſex menſes a data non valituris.

XL.

Nullus Sacerdos in privatis ædibus, vel extra Eccleſiam & Oratoria, Divino tantum cultui dicata, quæ vel a Nobis, vel Prædeceſſoribus noſtris deſignata, aut viſitata non ſint, Miſſam celebret.

XLI.

Nemo bis eodem die ſacrificare præſumat, niſi in caſibus a jure permiſſis, vel quibus id ex officio incumbit, quorum non eſt, aliis poteſtatem facere, ſuo loco iterum celebrandi. Qui ſecus fecerit, pœnis arbitrio noſtro taxandis, ſubjacebit.

XLII.

Ornamenta, & inſtrumenta altarium pro celebratione Miſſæ pura & munda ſerventur, ſed maxime corporalia, & purificatoria: quæ in poſterum non ex ſerico, ſed ex linteo fieri mandamus. Dabuntque operam Curati, ut ſemel, vel ſæpius in hebdomada, ubi plures Miſſæ celebrari ſolent: ubi vero pauciores, decimo quinto quoque die diligenter abluantur, neque in uſum profanum ulla ratione convertantur.

XLIII.

Digitized by Google

XLIII.

Volumus, Vicarium noſtrum Generalem in ſingulis Decanatibus Magiſtrum cæremoniarum idoneum conſtituere, idque intra tres menſes : qui omnes novos Sacerdotes , antequam primum Sacrum celebrent, cæterosque, qui minus decenter id præſtant, Miſſæ ritibus ac cæremoniis inſtituat. Nullusque ſub gravi pœna præſumat primum Sacrum facere in hac Diœceſi, niſi ſyngrapha præfati Magiſtri cæremoniarum manifeſtet, ſe in prædictis ritibus & cæremoniis ſatis inſtructum eſſe.

XLIV.

Irrepſit error in Miſſale noſtrum (Librariorum, ut credimus, inſcitia) cum in officio diei Paraſceves ante illa verba (Pax Domini) dicitur conſecrari vinum per mixtionem Corporis Chriſti cum vino. Id enim falſum eſt, cum vinum non conſecretur niſi per formam. Quare omnes ex ſuis Miſſalibus hæc verba: *Quia hic conſecratur vinum per Corpus Domini*, deleant intra quindecim dies.

XLV.

Qui vero bis dicto die Paraſceves Officium facere tenentur , ſecundum Sacrum ſtatim poſt adorationem Sanctiſſimi Sacramenti factam terminabunt, diligenterque cavebunt, ne ſecundo communicent cum (ut ex prædictis patet) non ſint amplius jejuni. Sed adoratione facta Sanctiſſimum Sacramentum cum omni devotione in Ciborio, ſeu capſula reponent.

XLVI.

Sacerdotes celebraturi, quo puriores ad rem Divinam faciendam accedant, ſaltem ſemel in hebdomada peccata ſua confiteantur, niſi eos propter lethalem culpam frequentius id facere oportuerit.

Nemo vero præſumat ad tremendum hoc Myſterium cum peccati mortiferi conſcientia accedere, quantumcumque ſibi contritus videatur, ſi quidem habeat Confeſſarii copiam, quæ ſi deſit, abſtinendum omnino erit, niſi ratione officii ad vitandam populi offenſionem ad id cogantur, & nullus ſit, qui id muneris obire velit.

XLVII.

Curent Sacerdotes , ut hoſtiæ, quibus uti debent ad ſacrificandum, nimis vetuſtæ non ſint: ex puro tritico fiant, & ſingulis menſibus novas fieri curent, vinum vero purum ſit & recens hauſtum. Urceoli denique, quibus vinum & aqua conſervantur, ſemper ſint mundi.

De Sacramento Pœnitentiæ.

XLVIII.

NEmo ſub pœna ſuſpenſionis ab officio per ſex menſes, ipſo facto incurrendæ , & aliis pœnis arbitrio noſtro imponendis, in hac noſtra Diœceſi præſumat ullas confeſſiones noſtrorum ſubditorum audire, niſi vel beneficium Parochiale obtineat, vel a Nobis approbatus ſit per examen juxta *Tridentinum* : Declarantes abſolutiones nullas aliter factas. Facultates autem hactenus conceſſas revocamus, Eccleſiarumque Rectoribus mandamus, ne ullum ad audiendas confeſſiones admittant, qui novam approbationem a data præſentium non habeat.

XLIX.

Parochus unius loci (quod ſibi nonnulli falſo perſuadent) non poſſit audire confeſſiones alienorum Parochianorum, etiam extra tempus Paſchatis ſine licentia proprii Parochi: cum juxta *Tridentinum* nullius ſit momenti abſolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem jurisdictionem Ordinariam, vel delegatam non habet.

L.

Non ſint vero difficiles Parochi in concedenda ſuis ſubditis facultate, alteri Sacerdoti a Nobis approbato confitendi, ſive in Paſchate , ſive extra illud tempus. Quando tamen in Paſchate alteri confitebuntur, debebunt Parocho manifeſtare, quod confeſſi ſint: alioqui contra eos, tamquam non confeſſos, procedent juxta *Lateranenſis Concilii Decretum.*

LI.

Irrepſit quidam error & abuſus intolerabilis in hanc noſtram Diœceſim, audiendi in Paſchate multos pueros,

etiam doli capaces, ſimul confitentes. Quare propter graviſſima incommoda, quæ ex talibus confeſſionibus promanare poſſe intelligimus, ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrendæ, prohibemus, ne ullus Sacerdos plures pueros ſimul, poſtquam octavum ætatis ſuæ annum attigerint, audiat: minores vero ætate ita Parochus ſimul audiat, ut nullam Confeſſionis Sacramentalis formam præ ſe ferat, ſed omnibus ſimul juſſis Orationem Dominicam recitare benedictionem largiatur.

LII.

Penitus vero eliminetur is, qui ex diaboli officina proceſſit, interrogandi modus, quo ignari quidam Sacerdotes pœnitentes ſub conditione interrogant: ſi hoc vel illud feceris, confiteris? Ea enim interrogandi ratio, niſi in dubiis, præterquam quod confeſſionem irritam, & nullius valoris faciat, tam Confeſſarium, quam pœnitentem, graviſſimo ſacrilegio obſtringit.

LIII.

Quoniam magnopere confert ad populi Chriſtiani diſciplinam, ut *Tridentinum Concilium* monuit, graviora quædam ſcelera non a quibusvis: ſed a ſummis tantum Sacerdotibus, Epiſcopis nempe, remitti: ideo mandamus in virtute obedientiæ omnibus Sacerdotibus, nulla ratione caſibus in *proceſſu Bullæ Cœnæ*, vel quomodolibet Apoſtolicæ Sedi reſervatis, niſi in mortis articulo, ſe immiſceant. Quorum caſuum catalogum, cum ſemper Confeſſarii præ oculis habere debeant, ad levandam eorum memoriam his Conſtitutionibus addi, Deo dante, curabimus. Ut porro munus hoc audiendarum Confeſſionum Sacerdotes ſuſcipiant alacrius, præter eos caſus, quos jus commune, ratione alicujus cenſuræ annexæ, reſervat Epiſcopis, circa quos nihil intendimus innovare, hos dumtaxat Nobis cenſuimus reſervandos.

1. Homicidium voluntarium.

2. Raptus Virginum & Monialium, violentaque earum oppreſſio, vel defloratio.

3. Inceſtus cum matre propria, vel cum matre conjugis.

4. Percuſſio Patris & Matris, ſi ſit formalis: non autem, ſi caſu, ſe defendendo, vel fugiendo, quis Patrem aut Matrem læſerit.

5. Uſura manifeſta & notoria, ſive notoreitate juris, ſive facti.

6. Publice perjuri in judicio, & ea de re convicti in judicio publico, & non aliter.

7. Percuſſio & violenta detentio Clericorum.

8. Eccleſiaſticæ libertatis oppreſſio, ſeu violatio.

9. Eccleſiam polluentes per ſanguinis vel ſeminis effuſionem manifeſtam & notoriam.

10. Qui ad magicas artes, veneficia, & ſuperſtitiones, Euchariſtia & Chriſmate abutuntur.

11. Peccatum Sodomiticum cum qualibet perſona, & beſtialitas.

12. Adulterium publicum, manifeſtum, & notorium.

Præter ſupra dictos autem, reſpectu Sacerdotum tantum, & aliorum, qui ſunt conſtituti in Sacris Ordinibus, ſequentes caſus Nobis duximus reſervandos.

1. Concubinarius publicus, id eſt, qui concubinam ſecum domi habet, vel eam alibi palam frequentare dignoſcitur.

2. Qui mulierem quamcumque gravidam reddidit, poſtquam factum in populi notitiam venit. Antequam autem id populo innoteſcat, non reſervatur.

3. Qui explevit fornicationem cum filia ſpirituali, id eſt, cum ea, quam vel baptizavit, vel cujus confeſſionem audivit, vel quæ in fornicatoris Parœcia quomodocunque domicilium habet.

4. Ebrietas uſque ad crapulam & vomitum, ſi id in populi notitiam venerit.

5. Clerici per ſaltum ſcienter promoti, vel ab alieno Epiſcopo, ſine noſtra licentia, quomodolibet ordinati.

6. Qui aliqua cenſura excommunicationis, ſuſpenſionis, interdicti, vel aliqua irregularitate irretiti, Miſſam celebrarunt, vel aliam Ordinis Sacri functionem ſcienter exercuerunt.

LIV.

Digitized by Google

LIV.

Hos omnes caſus tantum hac præſenti Conſtitutione Nobis, & Succeſſoribus noſtris reſervamus, priores quidem reſpectu omnium tam Laicorum, quam Clericorum: poſteriores reſpectu Sacerdotum, & aliorum Sacris Ordinibus initiatorum, a quibus nemo, ſine ſpeciali facultate noſtra, vel Vicarii noſtri poterit abſolvere, niſi in articulo mortis: irritum declarantes, quod ſecus a quocunque fuerit attentatum.

LV.

Parochi, aliive Sacerdotes, ſemel in anno, idque circa feſtum Paſchæ, Decanis vel confiteantur, vel ab iis facultatem petant, alium Confeſſarium, a Nobis approbatum, adeundi: reliquo vero tempore anni permittimus, ut aliis approbatis a Nobis, ad confeſſiones audiendas, confiteri poſſint. Extraneis autem, niſi in itinere, vagabundis, vel non approbatis, nulla ratione confiteantur.

LVI.

Hortetur Parochus populum ſuæ curæ commiſſum, ut cum primum quis in aliquem morbum inciderit, Confeſſarium accerſere curet, oſtendatque ſe non minus ſolicitum de animæ, quam de corporis ſalute. Evellat vero Parochus e ſuorum mentibus pravam illam opinionem, quod Sacramentorum ſuſcipiendorum memoria mortem acceleret.

De Extrema Unctione.

LVII.

EXtremæ Unctionis Sacramentum curet Parochus, ut ægroto, dum integris eſt ſenſibus, quantum fieri poteſt, exhibeatur.

LVIII.

Parochus miniſtraturus Extremam Unctionem non deſtillet inpoſterum Sacrum Oleum in palmam ſuam ſiniſtram, ut habetur in Rituali: tum ne Sacrum Oleum in terram effundatur, tum ad evitandam populi offenſionem, qui ea occaſione minoris, quam par eſt, hoc Sacramentum facit; ſed juxta Paſtorale Romanum virgulam ſtanneam, vel argenteam intingat in Oleum Sacrum, ejusque extremitate ægrotum in partibus debitis ungat.

LIX.

Curatus, antequam hoc Sacramentum conferat, interroget decumbentem, an recordetur alicujus peccati, habeatque aliquid, quod conſcientiam gravet: qui ſi affirmat, abſcedant aſſiſtentes, ejusque confeſſionem excipiat. Si neget, eum conſoletur, ad agendumque Deo gratias hortetur, recitataque a Miniſtro generali confeſſione ſuper ægrotum hanc abſolutionem generalem recitet: *Miſereatur tui* &c. *Indulgentiam & remiſſionem* &c. per modum orationis, non autem per formam Sacramentalem Sacramenti Pœnitentiæ, quod quidam ſacrilege faciunt. Multo vero minus Sacerdos ægrotis indulgentiam plenariam (quod male nonnulli faciunt,) largiatur, niſi eam indulgentiam æger a Summo Pontifice obtinuiſſet.

LX.

Parochi ante Extremam Unctionem ægrotos moneant, ut teſtamenta conficiant, domuique ſuæ ita diſponant, ut meminerint, ſe in die judicii Deo reddituros rationem, de oblata ſibi & neglecta bene merendi occaſione.

De Sacramento Ordinis.

LXI.

AD Sacros Ordines non admittantur, qui beneficium Eccleſiaſticum, quo honeſte ſuſtentari poſsint, non obtinent. Si qui vero alii judicio noſtro admittendi videantur; id non fiat, niſi vel Patrimonium, vel penſionem ſexaginta aureorum annuatim liquide obtineant: quod patrimonium, ſeu penſionem alienare nequeant, niſi Nobis manifeſtarint, quod aliunde honeſte vivere poſsint: Aliter facta alienatio irrita ſit ipſo facto, juxta *Tridentinum.*

De vita & honeſtate Clericorum.

LXII.

REnovantes, quæ in Sacris Canonibus de vita & honeſtate Clerico-

Digitized by Google

ricorum habentur, mandamus omnibus Archidiaconis & Decanis, ut diligenter invigilent; ne Clericorum vita aliis offenſionem, ſcandalumque pariat, cumprimumque Nos certiores faciant, ſi quæ offenſio ex Clericorum depravatis, corruptisque moribus in populo exorta fuerit: ſuper quo ipſorum conſcientias oneramus.

Quæ vero ſpecialiter duximus hoc loco conſtituenda, hæc ſunt.

LXIII.

Sacerdotum & aliorum Clericorum veſtitus ſit honeſtus, & ſtatui conveniens.

Omnes talarem veſtem, & pileum quadratum ordinarie geſtent. Si vero rus proficiſcantur, tunicella ad poplitem ſaltem producta, utantur.

LXIV.

Ferant omnes Tonſuram Clericalem, eamque ſatis latam: crines vero & barbam non nutriant ſaltem in ſuperiori parte labiorum.

LXV.

Mulierum conſortium, multo magis contubernium, fugiant, niſi quarum ætas & mores ſuſpecti non ſunt.

LXVI.

Si quem vero contra hanc noſtram Conſtitutionem deliquiſſe conſtiterit, eo ipſo pœnis in *Tridentino*, contra fornicarios ſtatutis, ſine alia monitione, quam tenore præſentium ſuppleri volumus, ſubjaceat, aliisque pœnis arbitrio noſtro imponendis.

LXVII.

Choreas nec privatim, nec publice agant Sacerdotes, vel Sacris initiati, graviſſimas alioquin pœnas ſubituri.

LXVIII.

Alearum ludum, & venationem, præſertim clamoſam, ſibi prohibitam noverint Clerici: qui ſecus fecerint, graviter ſe ſciant a Nobis caſtigandos.

LXIX.

Sacerdotes, aliosve in Sacris conſtitutos, cauponarum aditu & uſu, quibus, non ſine gravi laicorum ſcandalo, nonnullos nimis addictos audimus, præter itinerantes interdicimus: ab omni vero crapula & ebrietate de cætero abſtineant.

De Sacramento Matrimonii.

LXX.

MEminerint Parochi, juxta *Tridentini* mandatum, ſæpe in memoriam revocare commiſſo ſibi populo, Matrimonium contractum ſine Parochi præſentia cum duobus, tribusve teſtibus, invalidum eſſe.

LXXI.

Moneant iidem futuros conjuges, ut antequam Matrimonium contrahant, peccata ſua confiteantur, Sacramque ſumant Synaxim, quo abundantiorem ad Matrimonii onera gratiam conſequantur.

LXXII.

Sacramentum Matrimonii nullo modo in Monaſteriis, aliisque locis, quam in Eccleſiis Parochialibus, ſine licentia noſtra celebretur.

De Ludimagiſtris.

LXXIII.

SInt in ſingulis Parochiis, quantum fieri poterit, Ludimagiſtri, qui pueros ſcribere & legere, primaque fidei rudimenta & principia docere poſſint.

LXXIV.

Expediret puellarum inſtitutioni præfici probatam viduam, aut puellam grandiorem, maturam tamen, quæ eas honeſte vivendi formam, & legendi rationem ſtudioſe doceat. Quare videant Parochi, an id commode fieri poſſit, in magnis præſertim Parœciis & urbibus.

De Rebus ad Eccleſiam pertinentibus.

LXXV.

PArochi, præſentibus tribus honeſtis viris, quos ipſi ſeligent quotannis, dati & accepti a Scabinis computum exquirant. Id autem quam primum faciant, ut in proxima viſitatione ejus rei Nobis ipſi rationem reddant.

LXXVI.

Digitized by Google

LXXVI.

Parochi ad proximam Synodum secum deferent Catalogum, tum baptizatorum, tum etiam conjunctorum Matrimonio: præter quem Catalogum Decani alium secum deferent Sacerdotum, qui in suo districtu mortui sunt, a quo tempore id non est factum. Si quis vero id non egerit, decem Francorum mulctam subibit, applicandam operibus piis, ad nostrum arbitrium. Inventarium item bonorum mobilium Ecclesiæ singulis annis renovabunt, & cum Inventario superioris anni conferent; ut intelligant, an aliquid deperierit.

Si quid vero refectione egeat, curent, id ab iis, quorum interest, fieri.

LXXVII.

Curent ex Ecclesia & Cœmeterio exportari, seu extrahi supellectilia, aliasque res prophanas, si quæ adhuc illis locis reconditæ sint; neque in posterum in Ecclesia hujusmodi res asserventur, nisi propter hostiles incursus, vel gravem necessitatem.

LXXVIII.

Registrum præterea censuum suarum Ecclesiarum diligenter servent, & unum exemplar manu Notarii publici signatum, ad visitationem proxime futuram fieri curent. Si quæ vero bona a Scabinis bellorum prætextu, aut alienata, aut obligationibus supposita sint, ea de re Nos etiam Curati moneant, ut damna Ecclesiarum reparari provideamus.

Non intendimus autem his nostris Constitutionibus quicquam vel innovare, vel immutare circa Decreta, Statuta, & Constitutiones, a Prædecessoribus nostris in præcedentibus Synodis latas & promulgatas, præterquam in casibus reservatis; ad quos reformandos & moderandos permultorum Nos preces & rationes permoverunt. Cæteris omnibus, quorum in his Constitutionibus mentio facta non est, in suo robore permanentibus, maxime vero, quæ respiciunt Fidem Catholicam, Sacramentorum administrationem, examen promovendorum, Decanorum & Curatorum officium, Sacri Concilii Tridentini observationem, cujus singulos articulos, Prædecessorum nostrorum vestigiis inhærentes, tam ad Fidei integritatem, quam morum correctionem pertinentes, cæteraque Sacrorum Canonum Decreta & Statuta recipi, & inviolabiliter custodiri præcipimus. Iis, inquam, omnibus in suo robore permanentibus, omnia & singula, his nostris Constitutionibus contenta, tamquam juri & æquitati consentanea, vobis supradictis, & cuilibet vestrum intimamus, insinuamus, & ad vestram notitiam deducimus: eaque, qua debemus obedientia & reverentia, auctoritati & judicio S. Romanæ Ecclesiæ, omnium Ecclesiarum Matris & Magistræ, emendanda & corrigenda submittimus.

Acta, lecta, & publicata in Synodo Diœcesana Virdunensi, die 15. Julii Anno 1598.

REVERENDISSIME PATER, & Venerabiles Domini: PLACENTNE HÆC VOBIS?

Quibus respondentibus, (PLACENT) vel annuentibus.

Lector subjungit:

DEO GRATIAS.

De Mandato Reverendissimi & Illustrissimi Principis, Domini mei, ERRICI a LOTHARINGIA, Episcopi & Comitis Virdunensis.

EXAMINATORES PAROCHORUM & promovendorum ad Ordines & Beneficia.

D. Nicolaus Henart, Archidiaconus de Vosago in Ecclesia Tullen.

D. Petrus Chenetius, Archidiaconus de Vepria.

F. Nicolaus Malteste, Doctor Theologus, Religiosus Ordinis S. Augustini.

F. Servatius la Rue, Doctor Theologus, Religiosus Ordinis Præmonstratensis.

Magister Jacobus Boucherius, Sacræ Theologiæ Baccalaureus.

P. Carolus Benedictus, Rector Collegii Societatis JESU, qui & Pœnitentiarius.

P. Herveus Torontius, Presbyter ejusdem Societatis, vel eorum loco alii duo ex eadem Societate.

Ex editione antiqua Virdunensi ejusdem anni 1598., curata per Joannem Wapy Typographum Episcopal., commodata nobis ex Bibliotheca Collegii Trevirensis Societatis JESU.

Digitized by Google

SYNODUS TORNACENSIS

Anno Chriſti MDC. Clementis VIII. PP. VII. Rudolphi II. Imp. XXIV.

SUB MICHAELE DESNE, (*) EPISCOPO TORNACENSI.

STATUTA

SYNODI DIOECESANÆ TORNACENSIS,

Inchoatæ Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo, Feria tertia poſt Dominicam ſecundam poſt Paſcha, & finitæ die ſequenti.

MICHAEL DESNE, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS TORNACENSIS, UNIVERSO CLERO CIVITATIS ET DIŒCESIS TORNACENSIS, SALUTEM IN DOMINO.

INter alia, quæ a frequentiſſimo Patrum S. Concilii Trident. conventu ad reſtituendam Eccleſiaſticæ diſciplinæ integritatem præclare inſtituta fuerunt, appoſite ad DEI gloriam, & lucrum animarum, ut Synodi Provinciales, ſingulis trienniis, Diœceſanæ vero quotannis celebrentur, decretum fuit, cujus inſtituti haud dubie, Auctor eſt CHRISTUS Dominus, qui Patribus in ſalutari hujusmodi tractatione congregatis (cum dixit: Ubi ſunt duo, vel tres congregati in Nomine meo, ibi Ego ſum in medio eorum,) ſeſe adfuturum promiſit. Et Apoſtoli, licet uberrime Spiritus Sancti gratiam ſinguli accepiſſent, tamen in rebus gravioribus hanc conſultandi rationem non omiſerunt, ac ne eorum Succeſſores eam omitterent, ut bis in annos ſingulos Concilia ab Epiſcopis haberentur, ſanxerunt: plurimæ conſecutæ deinde ſunt Conſtitutiones SS. Pontificum, & Conciliorum Generalium, & Provincialium de frequenti Synodorum uſu conſtanter retinendo.

Quibus Sanctiſſimis Decretis ut ſatisfaceremus, de conſilio Venerabilium Virorum, Confratrum noſtrorum Decani & Capituli Eccleſiæ noſtræ Tornacenſis, feria tertia & quarta poſt Dominicam ſecundam poſt Paſcha (ut ſcitis) Synodum Diœceſanam habuimus. Verum quum parum proſint etiam optimæ Leges, niſi diligenter obſerventur, & executioni mandentur, immo vero noceant tam illis, quibus poſitæ ſunt, quam illis, ad quos pertinet curare, ut executioni mandentur; cura Nobis fuit ad communem utilitatem, De-

(*) Michael (vulgo *Grand Michel* dictus) Eſnea, nobili admodum apud Belgas gente natus, Benthencuriæ & Serenvillerſii in Cameracenſio Toparcha, profana aliquamdiu caſtra ſecutus fuerat: ſed bellicos brevi pertæſus tumultus, vitæ ſanctioris, veræque virtutis ſectandæ ſtudio ad ſacram Chriſti militiam ſe tranſtulit, unique DEO, Regi Regum, Eccleſiaſtico in Statu ſe ſe devovit. Poſtquam Sacerdotio fuiſſet initiatus, ex nominatione Philippi II. Hiſpaniarum Regis, cui jam pridem, dum ejusdem in Aula inter honorarios Ephebos verſaretur, ob inculpatæ vitæ laudem percharus fuerat, Tornacenſis Eccleſiæ Epiſcopus circa annum 1597. ab Illuſtriſſimo D. Octavio, Nuntio Apoſtolico, conſecratus fuit. Anno 1600. ſecunda poſt Paſchalem ſolennitatem hebdomada, hanc Synodum habuit, in qua Anteceſſorum ſuorum Statuta non innovavit ſolum, ſuaque auctoritate firmavit; ſed novis etiam additis auxit. Multis rebus præclare geſtis, præfuit Epiſcopatui uſque ad annum 1614, quo obiit 1. Octobr. plenus dierum ac meritorum: ab eximia in Deum pietate & liberalitate in pauperes præcipue commendatus.

Jacob. Le Groux in Synopſi Vit. Epiſcoporum Tornacenſium. Raiſii Belg. Chriſt.

Decreta in eadem Synodo promulgata (quam primum per occupationes licuit) prælo committere, ut a vobis legi, & executioni demandari poſſint. Quocirca omnes Prælatos, Archi-Presbyteros, Paſtores, & quosvis alios Eccleſiæ Miniſtros, aliosque omnes & ſingulos, quos dicta Decreta concernunt, in Domino cohortamur, ut memores vocationis ſuæ ſæpe ad animum revocent (juxta excellens Decretum *Sacroſancti Concilii Trid. Cap. I. Seſſ. XXII.*) nihil eſſe, quod magis alios ad pietatem & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dicarunt; cum enim a rebus ſæculi in altiorem evecti locum conſpiciantur, in eos, tanquam ſpeculum, oculos reliqui conjiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur; quapropter ſic decet vos in ſortem Domini vocatos, vitam, moresque veſtros omnes componere, ut in habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque omnibus rebus, nihil, niſi grave, moderatum, ac Religione plenum præ vobis feratis. Levia etiam delicta, quæ in vobis maxima eſſent, fugite, ut veſtræ actiones cunctis adferant venerationem: ad quæ (Domino adjuvante) copioſe præſtanda non parvo vobis erit auxilio diligens lectio atque obſervatio Statutorum hujus Synodi.

INDEX TITULORUM HUJUS SYNODI.

TITULUS PRIMUS.

De Profeſſione Fidei, & de bis, quæ ad ejusdem Fidei integritatem tuendam & conſervandam pertinent.
II. De Doctrina & prædicatione Verbi Dei.
III. De Divinis Officiis.
IV. De obſervatione Feſtorum & Jejuniorum.
V. De Sacramentis in genere.
VI. De Sacramento Baptiſmi.
VII. De Sacramento Confirmationis.
VIII. De Sacramento Pœnitentiæ.
IX. De Sacramento Euchariſtiæ.
X. De Sacramento Ordinis.
XI. De Sacramento Matrimonii.
XII. De Sacramento Extremæ Unctionis.
XIII. De Sepulturis.
XIV. De Oblationibus.
XV. De recta bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.
XVI. De Clericis in genere.
XVII. De Epiſcopis.
XVIII. De Capitulis & Canonicis.
XIX. De Paſtoribus, Decanis, & Cuſtodibus.
XX. De Regularibus.
XXI. De Scholis.
XXII. De Foro, jurisdictione, & immunitate Eccleſiaſtica.
XXIII. De Uſuris.
XXIV. De Synodali Congregatione.

TITULUS I.

De Profeſſione Fidei, & de bis, quæ ad ejusdem Fidei integritatem tuendam & conſervandam pertinent.

CAPUT I.

UT quæ de Fidei Profeſſione *II. Cameracc. Synodo Tit. I. Cap. I.* decreta ſunt, facilius executioni mandentur, deputandos cenſuimus aliquos, qui Fidei Profeſſionem (juxta formam contentam in Bulla PII IV.) ab illis, qui ad eam tenentur, accipere poſſint & debeant. Atque imprimis ab ordinandis omnibus finito examine eam accipiemus Nos ipſi, vel noſter Vicarius Generalis. Similiter a Paſtoribus in eorum inſtitutione, etiam a Concionatoribus, Confeſſariis & Profeſſoribus, is videlicet, qui eos admittet, eam accipiet. Bibliopolæ autem in Civitate Tornacenſi iſtam Profeſſionem ſingulis annis ſemel (in Vigilia nempe S. Joannis Baptiſtæ) in manibus noſtris, vel Nobis impeditis, vel abſentibus, in manibus Vicarii noſtri Generalis, ſecundum formam breviorem per Edictum Regium præſcriptam, renovabunt. Inſulis vero & Cortraci eadem Profeſſio Fidei fiat in manibus Decani Chriſtianitatis: Scholarum vero Magiſtri & Magiſtræ iſtam Profeſſionem facient in

manibus Scholaſtici, ubi Scholaſticus eſt, alias in manibus Decani Chriſtianitatis, aut Paſtoris loci.

CAPUT II.

Omnes, qui ad Fidei Profeſſionem faciendam tenentur, ejus exemplar, ſeu copiam deſcriptam habeant, & interdum relegant, ut videant, & ad memoriam revocent, quid profeſſi ſint, quidve ſancte juraverint.

CAPUT III.

Ut *Caput II. ſecundæ Synodi Provinc. Cameracenſis* (cui acceſſit *Artic. I. Edicti Regii*, facti ad commodiorem executionem Decretorum dictæ Synodi) debite mandetur executioni, Tornaci Epiſcopus, aut eo abſente, vel impedito, Vicarius Generalis; Inſulis autem & Cortraci Decanus Chriſtianitatis quotannis, ſub tempus renovandi Magiſtratum, moneant Commiſſarios Principum, ut illam Fidei Profeſſionem a novo Magiſtratu exigant. In oppidulis autem & pagis, ubi non eſt Decanus Chriſtianitatis, idem officium præſtet Paſtor loci apud eos, qui habent jus renovandi Magiſtratum, & ſi quis de novo Magiſtratu abſit, cum fit Profeſſio Fidei, hujusmodi Profeſſionem faciat in manibus novi Magiſtratus, antequam ſe rei judiciariæ immiſceat.

CAPUT IV.

Et ut ad effectum deducatur *Art. III. ejusdem Edicti Regii*, inſtent iidem quotannis apud novum Magiſtratum, ut præcipui officiarii perpetui, nempe Baillivi, Conſiliarii, Scribæ, ſeu Graphiarii, & Syndici, ſeu Procuratores Communitatum, illam Fidei Profeſſionem in ipſius novi Magiſtratus manibus renovent.

CAPUT V.

De libris prohibitis diligenter obſerventur, quæ conſtituta ſunt in utraque Synodo Cameracenſi, & Indice librorum prohibitorum a PIO IV. comprobato, una cum appendice adjuncta, quod ut melius obtineatur, quando Bibliopolæ librorum ſarcinas accipient, antequam illæ aperiantur, præſentes ſint, ut minimum duo Deputati, qui omnes libros diligenter inſpiciant, nec ullos vendi permittant, qui ſuſpecti ſunt, ſed eos ſecum auferant.

CAPUT VI.

Ne habeant, & multo minus communicent Bibliopolæ Indicem librorum prohibitorum, qui ſingulis annis in nundinis Francofordienſibus, & alibi apud Proteſtantes venales prodeunt, quia talis Catalogi inſpectio infirmis in fide facile ſcandalum parit, & nonnullis curioſis parum doctis præbet occaſionem ruinæ, & ſi mittatur Bibliopolis, eum tradant ſtatim in manibus Viſitatorum, etiam ipſis non petentibus.

CAPUT VII.

Hortentur Paſtores ſuos Parochianos, ut ſi quos habeant libros prohibitos aut ſuſpectos, eos ipſos exhibeant, expoſito animæ periculo, quod incurrunt non illi tantum, qui libros tales legunt, ſed & qui eos habent, propter cenſuras, in quas ipſo facto incidunt.

CAPUT VIII.

In domibus mortuariis, ſi qui ſint libri, caveant Executores & Paſtores loci, ne diſtrahantur, niſi ab illis, qui deputati ſunt ad viſitationem librorum, viſitati & vendi permiſſi fuerint, quæ viſitatio fiet gratis.

CAPUT IX.

Cum multi etiam Catholici contra prohibitionem Summi Pontificis, & *II. Synodi Provinc. Tit. I. Cap. IV.* non ſine magno animæ ſuæ periculo legant libros Sacræ Scripturæ lingua vernacula, non obtenta in ſcriptis hoc faciendi poteſtate, de eo moneant Paſtores ſuos Parochianos, eosque ſerio & frequenter exhortentur, ne deinceps id faciant, & ut qui fecerunt, de eo pœnitentiam agant; Et in venia concedenda obſervabitur forma præſcripta a Summo Pontifice in IV. Regula Indicis librorum prohibitorum, & non permittant eis, alia verſione uti, quam approbata: idem fiat de libris, qui tractant de controverſiis, juxta Regulam VI. Indicis librorum prohibitorum, & Caput illud populo Paſtores publicent ſingulis annis circa Feſta Paſchalia & Nativitatis Domini.

CA-

Digitized by Google

CAPUT X.

Diligenter obſervetur *Caput VII. II. Synodi Provincialis*, & hortentur Paſtores ſuos Parochianos, ne homines vel animalia ſua tuta reddere tentent a quolibet morbo, vel periculo per verba quædam magica, aut quascunque ſuperſtitioſas obſervationes. Et generaliter, ne aliquo medio extraordinario utantur hujusmodi in rebus, niſi conſultis Superioribus. Ne conſulant etiam ariolos (quos vocant Divinos) ad cognoſcendum, quis rem ſurripuerit, cum deteſtabile ſit, & homine Chriſtiano indigniſſimum, ad utilitatem aliquam conſequendam uti mediate vel immediate diaboli auxilio & opera.

CAPUT XI.

Et quia experientia quotidiana docet, nihil eſſe, in quo etiam prudentiſſimi, ac valde probi viri facilius fallantur, quam in ea cura, quam in exorcizandis ſpiritibus impendunt; nulli liceat exorcizare in noſtra Diœceſi, niſi licentia in ſcriptis obtenta, ſolis Paſtoribus exceptis, quibus licebit in ſua Parochia, & non aliis Parochianis a Dæmone infeſtatis ſuccurrere, non aliis tamen exorciſmis, quam iis, qui continentur in Manuali, a Dno Rmo Vendduillio Prædeceſſore noſtro piæ mem. edito. Si quis aliis exorciſmis uti deſideret, eos noſtro examini prius offerat. Exorciſmi autem perſonarum non alio in loco fiant, quam in Eccleſiis, vel Oratoriis ab Ordinario approbatis.

CAPUT XII.

Decretum ultimum *Tituli I. II. Synodi Provinc.* factum contra blaſphemos, diligenter obſervetur; moneant etiam Paſtores & Concionatores populum, graviter eos peccare, qui ſine juſta cauſa jurant, & Nomen Dei ſumunt in vanum, foreque, ut Promotor contra eos procedat, niſi deinceps abſtineant.

TITULUS II.

De Doctrina & Prædicatione Verbi Dei.

CAPUT I.

SUfficere videntur, quæ in *Synodo II. Cameracenſi* ordinata fuerunt: ea diligenter obſerventur.

TITULUS III.

De Divinis Officiis.

CAPUT I.

SImiliter hic diligenter obſerventur, quæ in *II. Synodo Cameracenſi* ſtatuta ſunt.

CAPUT II.

Certam horam in pagis & Parochiis Miſſam celebrandi conſtituimus a Feſto S. Remigii uſque ad Paſcha, nonam, a Paſchate vero uſque ad Sancti Remigii Feſtum, octavam & pro Veſperis, ſecundam, a qua Conſtitutione, quacunque in contrarium allegatione non obſtante, non recedant.

CAPUT III.

In illis locis, ubi Dominicis & Feſtis diebus tantum una Miſſa celebratur, moneant Paſtores Patres- & Matresfamilias, ut tempore Miſſæ Parochialis unum tantum (ſi neceſſitas aliquem manere requirat) domi relinquant, neque ſemper eundem, ſed viciſſim nunc hunc, nunc illum, qui per Paſtores admoneantur, ut domi manentes animo Divinis Officiis interſint, & cum Sacerdote, & iis, qui in Templo ſunt, ſua vota conjungant, & orent. Quod ſi loco aliquo vicino duæ Miſſæ diverſis horis eo die celebrentur, ad eam, quæ ante Miſſam Parochialem abſolvitur, mittatur is, qui tempore Miſſæ Parochialis domi manſurus eſt. Quod ubi non continget, mittatur ille idem ad Veſperas ſuæ Parochiæ.

CAPUT IV.

Inſtruatur populus, quomodo tempore tremendi Sacrificii Miſſæ ſe gerere debeat, & quam reverenter, quamque perſeveranter in ſpiritu humilitatis, & in animo contrito a principio uſque ad finem adeſſe: eosque non ſatisfacere præcepto Eccleſiæ, qui ad Orationem Dominicam, ſicuti plerisque moris eſt, ac ſi eſſet abſolutum Sacrificium, templo egrediuntur.

CAPUT V.

Deambulationes in Templis non tantum tempore Divini Officii, ſed & etiam extra illud prohibemus, itemque,

Digitized by Google

que confabulationes: cum enim domus Dei domus orationis ſit, & fideles Dominum & Deum ſuum illic in Euchariſtiæ Sacramento vere præſentem eſſe firmiter credant; indigniſſimum eſt, ea illic agi, quibus tanta Majeſtas offendatur.

CAPUT VI.

Et cum intellexerimus, in nonnullis Parochiis hujus Diœceſis raro decantari Veſperas diebus Dominicis & Feſtis, enixe præcipimus, ut deinceps decantentur, idque hora ſecunda pomeridiana, uti dictum eſt. Eodemq; tempore Parochus, ubi non eſt Schola Dominicalis, a prandio, commodiore ante & poſt Veſperas hora, pueros campanæ pulſu convocatos, prima Fidei rudimenta doceat; ſi quis autem Parochus, non legitime impeditus, hoc tam neceſſarium officium, quod etiam ex *Concilii Trident.* Decreto præſtare debet, prætermiſerit, is toties unius floreni mulctam fabricæ ſuæ Eccleſiæ applicandam incurrat.

CAPUT VII.

Ac ne ulla ratione unquam ſeſe excuſare poſſint Paſtores a ſalutari Catechiſationis officio, id uſque adeo præſtari volumus, ut etiamſi unus tantum, aut duo ad Catechiſmum veniant, illis doctrinæ Chriſtianæ initia tradere ne negligant, qua diligentia Paſtoris continuante, & Deo (haud dubie) incrementum dante, paulatim auditorum numerus accreſcet. Quod ſi aliquis Paſtor donum linguæ non habeat, eos ſaltem nuda Catechiſmi lectione inſtruat, ita fiet, ut cum legem Dei cognoverint, non facile in eam impingant.

CAPUT VIII.

Baillivos & Magiſtratus omnes per viſcera JESU Chriſti obſecramus, atque adeo obteſtamur, ut magno pietatis ſtudio tam ſalutare, tamque neceſſarium Reipublicæ officium promoveant, ac juxta Edictum Regium parentes, heros & heras, pueros, miniſtros & ancillas, quæ inſtitutione indigent, ad doctrinam Chriſtianam mittere cogant.

CAPUT IX.

In Eccleſiis, ubi celebratur Divinum Officium, Canonici, Paſtores, & Capellani Divino cultui pariter intenti reverenter concinant, & ſingulos Verſus parvula pauſa claudant, ne præcipitatio inchoantis Verſum finire volentis mutilet.

CAPUT X.

Et quo vigilantius id obſervetur in quavis Eccleſia Nobis ſubdita, tam Canonicis, quam Capellanis ſingulis horis majoribus diſtributiones fiant, Conſtitutione *Concilii Tridentini* diligenter in hoc obſervata.

CAPUT XI.

Incepta Canonicarum Horarum reliqua, ante eam completam nemini (ſalva neceſſitate) Choro egredi liceat, niſi diſtributionibus illi horæ aſſignatis fruſtrari velit.

CAPUT XII.

Quas eorum percipiet nemo, niſi qui ante primi Pſalmi finem, & in Miſſa ante Epiſtolam abſolutam in Chorum ſe receperit, & totius ejus Officii finem exſpectarit.

CAPUT XIII.

Supplicationes ſolennes, quæ in honorem Venerabilis Sacramenti, ſeu B. MARIÆ Virginis, aliorumque Sanctorum fieri ſolent, in quibus Divorum imagines & feretra circumferuntur, priusquam fiant, denuntiatione præmiſſa, illarum cauſæ populo aperiantur, ut majori cum fervore populus aſſiſtat.

CAPUT XIV.

Celebrare nemo præſumat, niſi in calice aureo, vel argenteo, & niſi Canonicas Horas ſaltem uſque ad PRIMAM excluſive perlegerit; calicum autem ſtanneorum uſum, ob tanti Sacramenti reverentiam optaremus abolitum; ſed quia plurium Eccleſiarum paupertas, nec non pericula direptionum hoc adhuc ferre non videntur: hortamur omnes, ut paulatim alios, quorum cuppa ſaltem ſit argentea, ſubſtituant, & interea, qui dictis ſtanneis utuntur, ut ſingulis menſibus eos quam diligentiſſime mundent.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XV.

Preces autem, quas Canonicas vocamus, ſecundum ritum & uſum Romanum, juſſu Pii V. Pontificis S. receptum, de cætero perſolvantur, eo quovis ſuppreſſo, quem dicti Pontificis abrogavit authoritas. Qua in re ſi qui negligentes comperiantur, noſtro, vel Officialis arbitrio caſtigentur.

CAPUT XVI.

In ſolemni Miſſæ Sacrificio præfatio, Dominicaque Oratio a Celebrante, Gloria in excelſis, & Symbolum Apoſtolorum a Clero integre decantentur, nec organis ſupprimantur, nec aliis cæremoniis, quam in Miſſali Romano præſcriptis, utantur.

CAPUT XVII.

Quia in quibusdam Eccleſiis contingit, vel tam magnum Miſſarum celebrandarum numerum ex variis defunctorum relictis impoſitum eſſe, ut illis pro ſingulis diebus a teſtatoribus præſcriptis nequeat ſatisfieri: vel eleemoſynam hujusmodi pro illis celebrandis adeo tenuem eſſe, ut non facile inveniatur, qui velit ſe huic oneri ſubjicere: unde depereunt piæ teſtantium voluntates, & datur occaſio onerandi conſcientias eorum, ad quos prædicta ſpectant; Monemus omnes & ſingulos, in quorum Eccleſiis hujusmodi fundationes ſunt, ut earum declarationem Nobis exhibeant, ut authoritate, quam Nobis Sacroſancta Synodus *Seſſ. XXV. Cap. IV.* tribuit, circa præmiſſa ſtatuamus, quidquid magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem expedire videbitur. Neque ante noſtrum Decretum quemquam beneficio reductionis gaudere poſſe declaramus.

TITULUS IV.

De obſervatione Feſtorum & Jejuniorum.

CAPUT I.

PRohibemus, ne aurigæ, nautæ & ſimiles Dominicis & Feſtis diebus mercium ſarcinas navibus, aut curribus imponant, vel vecturam incipiant: & ne cum ad locum deſtinatum pervenerint, iisdem diebus onera deponant. Item prohibemus agrorum culturam, meſſem, molitorum, coctorumque cereviſiæ, lanionum & piſtorum operas (niſi ob notabilem neceſſitatem) cujus cognitio ad Ordinarium, vel Decanum Chriſtianitatis, aut, eo abſente, ad Paſtorem loci ſpectabit.

CAPUT II.

Prohibemus etiam, ne die Dominico aut Feſto vendantur carnes in macello, vel etiam in domibus privatis, niſi ſuperveniente neceſſitate, & obtenta venia in ſcriptis, ut ſupra.

CAPUT III.

Item vetamus ſubhaſtationes, vel auctiones publicas fieri diebus Dominicis & Feſtis; & nundinas annuas ac forum rerum venalium hebdomadarium, cum in idem Feſtum incidet, in alium diem transferri volumus.

CAPUT IV.

Cum duo ſint Eccleſiæ præcepta præcipua, omniumque vetuſtiſſima, & incredibilis plane momenti ad promovendam ſalutem animarum, quæ in Eccleſia primitiva & media a noſtris Majoribus ad hæreſim uſque Lutheri, & aliquot annis poſt, diligentiſſime fuerunt obſervata: unum de Sanctificatione dierum Dominicorum & Feſtorum, alterum de obſervatione Jejunii Quadrageſimalis, & aliorum jejuniorum ab Eccleſia indictorum: eorumq; diligens obſervatio ſit efficaciſſimum remedium ad bene obſervanda Dei mandata, & utrumque hodie perniciosiſſime, frequentiſſimeque violetur, atque adeo (proh dolor) diebus Dominicis & Feſtis, & Jejuniorum ab Eccleſia indictorum, ad noſtram Sanctificationem inſtitutis, Deus præcipue offendatur; diebus quidem Dominicis & Feſtis per ebrietatem, comeſſationes, & alia plurima peccata graviſſima, quæ ex his fontibus oriuntur: diebus autem jejuniorum violatione jejunii ab Eccleſia indicti; Nos nolentes in hac Diœceſi diutius tolerari tantas, tamque frequentes Dei offenſiones, tantumque abuſum, & ea tolerando communicare peccatis alienis, qui, quantum poſſumus, debemus ſaluti animarum Nobis commiſſa-

missarum consulere ; imprimis præcipimus omnibus Pastoribus, Concionatoribus, & Confessariis nostræ Diœcesis, ut frequenter & acriter hortentur populum & Clerum ad diligentem illorum Sanctissimorum, maximique momenti præceptorum observationem, eos etiam admonentes, fore, ut contra illos procedatur, qui ea violarint : idque præcipue faciant in quinque præcipuis Solemnitatibus anni, quo tempore Clerus & populus solent esse animo melius præparato ad amplectenda salutaria consilia.

CAPUT V.

Et præcipimus omnibus curæ nostræ commissis , ut deinceps dies Dominicos & Festos diligenter sanctificent, & tota Quadragesima, præter dies Dominicos, aliisque diebus jejuniorum indictorum ab Ecclesia jejunent, illis exceptis , qui propter ætatem, morbum, vel aliam causam legitimam a jejunando excusantur, qui tamen ita sumant, quod postulat eorum necessitas , ut alios non scandalizent, & ut paulo minus sumant, quam facerent, si jejunium non esset, hortamur. Qui dies Dominicos & Festos non sanctificaverint, quin imo opere prohibito violaverint, vel jejunium ab Ecclesia indictum non observaverint, pro modo delicti pœna Ecclesiastica puniantur.

CAPUT VI.

Contra Ecclesiæ Constitutionem omnino graviter peccant, qui celebratis in Quadragesima, vel die jejunii ab Ecclesia indicto exequiis, præter convivium prandii etiam cœnam parant, Dominum Deum, quem defuncto propitium in Ecclesia reddere conati sunt, offendendo, & proximum scandalizando , de quo intolerabili abusu Pastores Parochianos suos frequenter, & serio moneant, & Promotor contra hujusmodi delinquentes procedere non omittat.

CAPUT VII.

Prohibemus, ne quis Dominicis & Festis diebus tempore Summi Sacri, Concionis, aut Vesperarum ludat, vel ambulet in foro, vel alio loco publico, vel prope Ecclesias, vel in taberna aliqua, vel popina, aliove loco potitet, qui contra fecerint, puniantur, & similiter tabernarii & caupones, qui hoc in ædibus suis passi fuerint.

CAPUT VIII.

Et cum frequentissima sit ebrietas, idque præcipue diebus Festis & Dominicis, & per ebrietatem plurima gravissima peccata committantur, ut rixæ, pugnæ, & multa etiam homicidia; summopere hortamur, & rogamus omnes in Domino Christi-fideles, curæ nostræ commissos, ut per (*) ebrietatem, quæ (ut non semel monet B. Paulus) excludit a Regno cœlorum, & proinde peccatum mortale est, & plurimorum, aliorumve causa & scaturigo, studiose caveant quovis tempore.

CAPUT IX.

Et cum intelligamus, in quibusdam Parochiis, præsertim diebus Dominicis & Festis, puellas & viduas, vel etiam conjugatas, sine suis maritis deduci ad tabernas, vel popinas, vel publica diversoria, & illic cum juvenibus, aut viris potitare magno cum pudicitiæ suæ periculo; præcipimus Pastoribus, & Concionatoribus illorum locorum, ut acriter hortentur Parochianos suos, & Parochianas, ne deinceps tale quid faciant, aut fieri permittant: ostendentes, quam sit turpe & periculosum pudicitiæ puellarum, & mulierum, & tristissimos eventus inde provenire. Adhortantes omnes & singulos , ne tale quid fiat, itemque ne tabernarii, vel caupones illud domi suæ fieri patiantur.

CAPUT X.

Interdicimus etiam, ne confraternitates sclopetariorum, vel arcubalistarum diebus Festis aut Dominicis sua certamina, vel recreationes exerceant ante absolutam Missam Parochialem.

CAPUT XI.

Quoniam Festorum multitudine populum plus æquo gravari animadvertimus, justis de causis eam duximus coarctandam, nec alios dies solemnes per Pastores populo denuntiandos, quam hos : Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis B. Mariæ, Mat-

(*) *Ita quidem habetur in editione Synodorum Tornacensium Insulensi, anni* 1726. *Legendum tamen arbitror* : ab ebrietate.

Matthiæ Apoſtoli, Annuntiationis B. Mariæ, Paſchæ cum duobus ſequentibus diebus, Apoſtolorum Philippi & Jacobi, Aſcenſionis Domini, Pentecoſtes cum duobus ſequentibus diebus, Sanctiſſimæ Trinitatis, Venerabilis Sacramenti, Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ, Ss. Apoſtolor. Petri & Pauli, B. Magdalenæ, S. Jacobi Apoſtoli, S. Laurentii, Aſſumptionis B. Mariæ, S. Bartholomæi Apoſtoli, Nativitatis B. Mariæ, Exaltationis S. Crucis, B. Matthæi Apoſtoli, S. Michaelis Archangeli, Apoſtolorum Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, S. Martini, S. Catharinæ, S. Andreæ Apoſtoli, S. Nicolai, Conceptionis B. Mariæ, S. Thomæ Apoſtoli, Nativitatis Domini, S. Stephani, S. Joannis Evangeliſtæ, & Ss. Innocentium, omnesque dies Dominicales, Translationis S. Eleutherii 25. Auguſti, & S. Piati 1. Octobris, & Dedicationis Eccleſiæ Cathedralis in Civitate Tornacenſi 9. Maji, & Patroni cujusque Eccleſiæ in ſua parochia.

CAPUT XII.

Feſtis autem ſequentibus Marci ſcilicet, quo fit a carnibus abſtinentia cum proceſſione, Barnabæ Apoſtoli, Lucæ Evangeliſtæ, Commemorationis fidelium Defunctorum, & Paraſceves, abſoluta Miſſa parochiali ad ſuæ vocationis operas redire cuilibet liberum ſit.

CAPUT XIII.

Et ſi forte contingat, Feſtos dies Purificationis, Concepcionis, & Annuntiationis B. Mariæ Virginis ab Eccleſia transferri, eo die ſerventur a populo, quo celebrantur ab Eccleſia, cum benedictione cereorum ipſo die Purificationis, reliqui vero eo die, in quem cadunt.

CAPUT XIV.

Feſta etiam Ss. Epiſcoporum Tornacenſium, Medardi videlicet die 8. Junii, & Eligii 1. Decembris duplici officio, Sanctorum vero Mommoleni 16. Octobris, & Acharii 27. Novembris ſimplici Feſto per totam Diœceſim celebrabuntur.

CAPUT XV.

Cum ex multorum graviam & fide digniſſimorum virorum relatu & querimoniis intellexerimus, quod ex ludis theatralibus, qui diverſis in locis hujus Diœceſis exhibentur, alii ſint hujusmodi, vel ſic agantur, ut in eis doceantur quædam, quæ hæreſim ſapiant: vel res Sanctas, quasque Sancta Religio Catholica merito veneratur, in contemptum adducant: alii vero laſciviam doceant, vel alioquin bonos & Chriſtianos mores corrumpant; ne deinceps ulli ludi theatrales exhibeantur, niſi viſitati & approbati per Nos, vel aliquos ad hoc a Nobis ſpecialiter deputandos, & niſi actiones omnes ſint extra ſuſpicionem hæreſis, & de eo Nobis, vel a Nobis deputandis ſufficienter conſtet.

CAPUT XVI.

Dies obſervandi Jejunii ſunt Quadrageſima tota, Quatuor tempora, Vigilia Pentecoſtes, Vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Ss. Apoſtolorum Petri & Pauli, S. Laurentii, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, Ss. Apoſtolorum Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, S. Andreæ Apoſtoli, Nativitatis Domini: Quæ ſi diebus Dominicis, vel Lunæ evenerint, Sabbatis præcedentibus jejunentur. Diebus vero S. Marci, & Rogationum, quibus fit a carnibus abſtinentia cum proceſſionibus conſuetis, uſque ad prandium jejunetur. Si vero Feſtum S. Marci incidat infra Octavam Paſchæ, transferatur ipſum Feſtum cum jejunio & proceſſione in primum diem poſt *Quaſimodo* non impeditum, ſi vero in aliam Dominicam incidat poſt *Quaſimodo*, Feſtum ipſa Dominica celebretur, abſtinentia vero cum proceſſione in feriam ſecundam transferatur.

CAPUT XVII.

Inhærendo ordinationibus Prædeceſſorum noſtrorum, monemus Paſtores omnes, ut juxta conſuetudinem generalem hujus Diœceſis, iis diebus, quibus a carnibus abſtinendum eſt, etiam a pinguedine, & jure carnium abſtinendum eſſe, ſedulo doceant.

TITULUS V.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

Diligenter hic obſerventur, quæ *Synodus Cameracenſis ſecunda* ordinavit.

CAPUT II.

Quamdiu in illis Parochialibus Eccleſiis, quæ magnam partem populi extra mœnia, ſeu portas oppidorum habent, Sacellanus conſtitutus non erit, qui nocturno tempore ejus loci incolis Sacramenta adminiſtret; occurrente noctu neceſſitate, recurratur ad Paſtorem viciniorem, quem etiam requirat Paſtor oppidanus: ut occurrente tali neceſſitate, Parochianis ſuis paratus eſſe velit ad Sacramenta adminiſtranda.

CAPUT III.

Sacramenta adminiſtraturi ſint in veſte decenti, neque unquam Baptiſmum, Euchariſtiam, aut extremam Unctionem ulli adminiſtrent, vel aliquos Matrimonio conjungant, niſi induti ſuperpelliceo, vel ſaroto & ſtola.

CAPUT IV.

Ut Eccleſiarum Rectoribus non deſint neceſſarii adjutores, decernimus, ut omnes poſſidentes Capellaniam aliquam fundatam in Eccleſia Parochiali, cujus fundatio non invenitur, ſi tam ſit opima, ut ex ejus fructibus Sacellanus honeſte ſuſtentari poſſit, perſonaliter reſideant, vel alius aliquis eorum nomine & expenſis, qui Paſtorem in Divinis Officiis, Sacramentorum adminiſtratione, & Catechiſatione juventutis adjuvet: ſi vero fructus Capellaniæ tam tenues ſint, ut ex illis quis ali non poſſit, permittimus, ut per Paſtorem, vel alium quemvis, eo loco non reſidentem Miſſæ exonerentur, de quarum exoneratione fidem facient, cum pro gratia non reſidentiæ ſupplicabunt. Si tamen ex fundatione non appareat, quibus diebus Miſſæ ſint celebrandæ, & per alium, quam per Paſtorem loci, valde tenuiter dotatum celebrentur; volumus, eas diebus Dominicis & Feſtis mane celebrari, pro famulis & famulabus, cæterisque, qui Miſſæ Parochiali intereſſe non poſſunt. Hactenus dicta intelligi volumus eo caſu, quo unica Sacellania eſt fundata in Eccleſia Parochiali. At ſi in ea fundatæ ſint plures, poterunt Sacellani omnes contributione facta illic conſtituere unum Sacellanum, qui Paſtorem adjuvet.

CAPUT V.

Quando Sacrorum Oleorum vaſcula evacuanda erunt, ut eis novum oleum imponatur, alia honeſta vaſcula ſint parata, in quibus pro ea, quæ occurrere poſſet, populi neceſſitate, vetera tantiſper conſerventur, donec nova olea allata ſint: quibus allatis, vetera in Eccleſiæ lampadibus comburantur. Curent autem Paſtores omnes a ſuis Decanis olea nova accipere feria quarta paſchali, ad quem finem omnes unius diſtrictus convenient in Eccleſia parochiæ, ubi Decanus reſidet, ut Sacra Olea ab eo cum reverentia accipiant: & ante celebretur Sacrum, cui omnes in habitu honeſto cum ſtola ſub pœna 30. ſtuferorum interſint. Infuſio autem oleorum in fontem benedictum differatur, donec nova olea accepta fuerint, & tantiſper pro neceſſitate ſuperveniente in vaſe honeſto aqua veteris fontis conſervetur, qua paſtor uti poſſit, donec nova olea acceperit.

TITULUS VI.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

Hic diligenter obſerventur, quæ in *II. Synodo Cameracenſi* ſtatuta ſunt.

CAPUT II.

Ut Baptiſmus, qua debet, reverentia adminiſtretur, caveant diligenter paſtores, ne ad proles ſuſcipiendas admittant eos, qui ebrii, vel ſemiebrii ſunt.

CAPUT III.

Cum autem Suſceptores & Suſceptrices ſint tanquam parentes ſpirituales eorum, quos ſuſcipiunt, ac fidei eorum ſponſores: & curare debeant, ut cum per ætatem poterunt, addiſcant & teneant prima elementa Chriſtianæ Religio-

Digitized by Google

ligionis, Chriſtianeque vivant, ut etiam pulchre monet Catechiſmus Romanus *Tit. de Sacram. Baptiſmi* ; ad hoc munus non admittantur, niſi adulti & adultæ, qui probe norint Chriſtianæ Religionis rudimenta , & ſint Sacro Chrismate confirmati, ut de Suſceptoribus confirmandorum ſtatuitur *Tit. 7. II. Synod. Provinc. Cameracc.* Si qui Paſtores alios deinceps admiſerint, puniantur.

CAPUT IV.

Dehinc ut incommoda, quæ ex ſuſcipientium multitudine provenire ſolent, vitentur, duo tantum, vir ſcilicet unus, & mulier una (Catholici tamen) ad ſuſcipiendum de Sacro Fonte parvulum admittantur , nominaque paganorum nulla ratione parvulis indantur, imo ne veteris teſtamenti: non quod per ſe improbandum ſit ; ſed quia id hæreticis peculiare eſt, etiam ab eis abſtinendum edicimus.

TITULUS VII.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

CUm ſumma ſit utilitas Sacramenti Confirmationis, Paſtores & Concionatores eam interdum populo declarent, & præſertim ſub tempus viſitationis Epiſcopalis vehementer adhortentur adultos nondum confirmatos, ut prima quaque opportunitate Sacramentum hoc ſuſcipiant: & Patres & Matresfamilias, ut curent ſuos liberos: & Curatores & Tutores fidei ſuæ commiſſos, prima quaque occaſione confirmari. Ad quod ut facilius inducantur, admoneant, nullos poſſe deinceps admitti in Patrinos & Matrinas, vel tonſura Clericali inſigniri, vel ad profeſſionem vitæ regularis, ſeu religioſæ admitti, niſi in Fide Chriſtiana per Sacramentum Confirmationis roboratos & roboratas, ut partim *II. Synodo Provinc. Tit. 7. Cap. 1. & Tit. 20. Cap. ult.*, partim hac Synodo decretum eſt.

TITULUS VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

QUamvis non ſit confitendi neceſſitas iis, qui non ſunt contaminati peccato aliquo mortali , vel de quo dubitent, ſitne mortale ; tamen quia etiam venialia peccata, quando negliguntur, multum diminuunt charitatis fervorem; ſerio monemus & hortamur Paſtores , & alios Sacerdotes omnes, qui frequentius celebrant, ut ſaltem octavo quoque die peccatorum ſuorum confeſſionem facere non omittant: & ut bonum, probumque Confeſſarium ſibi deligant, cum bonus Confeſſarius magno ſit auxilio ad obtinendam veram contritionem, & ſeriam vitæ emendationem.

CAPUT II.

Cum autem multi veniant ad Confeſſionem Sacramentalem nimium imparati, nempe non contriti, & etiam non præmiſſo debito examine conſcientiæ ; Confeſſarii ne tales facile abſolvant, ſed in aliud tempus rejiciant, ut alio die redeant melius præparati: ne ſi aliter fecerint, communicent illorum peccatis, & eos, quos abſolvunt, decipiant, pacem dantes, accipientibus non profuturam, & dantibus periculoſam, ut dicit *Cyprian. Serm. 5. de Lapſis.*

CAPUT III.

Et quia tales magno numero ſolent venire Vigilia Paſchæ & Nativitatis ſub Veſperam, ne talium multitudine nimium graventur Paſtores, & ad officium poſtridie bene faciendum minus apti reddantur ; optamus, ne diebus illis ſerius confeſſionem audiant, quam in horam ſeptimam, vel octavam veſpertinam. Confeſſarii autem, cum Judicis officium præſtent, nonniſi ſedentes confeſſiones excipiant.

CAPUT IV.

Pro meliori obſervatione ejus, quod ordinatum eſt hoc Tit. *Cap. 9. in I. Synodo Cameracc.*, inſiſtentes antiquis Decretis noſtrorum Prædeceſſorum, mandamus omnibus Paſtoribus, quatenus regiſtrum conficiant omnium, quorum tempore Quadrageſimæ confeſſiones excipiunt, & eos, qui aliis, ad confeſſiones audiendas admiſſis, confeſſi fuerint, ſerio moneant, ut allato teſtimonio Confeſſarii, cui confeſſi ſunt, ſe in dicto regiſtro deſcribi curent, nec alios, quam hic deſcriptos, ad Sacra-

menta, aut Matrimonium, aut Sepulturam admittant.

CAPUT V.

Miniſtri, ancillæ, ſtudioſi, & ſimiles, qui aliquo in loco morantur, non animo ibi reſidendi, ſed ad propria redeundi, debebunt confiteri & communicare in illo loco, ubi morantur. Quod ſi voluerint in loco originis, vel alio, præcepto Eccleſiæ de confitendo & communicando tempore Paſchali ſatisfacere, petant licentiam a Paſtore loci, ubi morantur, eique referant teſtimonium illius Paſtoris, ubi præceptum adimpleverint.

CAPUT VI.

Sacerdotibus etiam indifferenter, cuicunque velint, confiteri liberum non ſit, ſed illis tantum, qui per Nos, vel noſtros Deputatos ad audiendas pœnitentium confeſſiones fuerint admiſſi, demptis tamen Paſtoribus, quos Sacramenta adminiſtrare ſæpius compellit neceſſitas, quibus, cum non facile Confeſſoris per Nos approbati copiam habere poſſint, alium quemvis idoneum, qui eos abſolvat, deligere ſibi permittimus.

CAPUT VII.

Cæterum, ne quis ſolita caſuum reſervatione a ſalutari confeſſionis remedio retrahatur, vel quia Sacerdotem, qui eum abſolvat, in promptu non habet, vel quod propter ſumptus ad Nos, vel Delegatos noſtros proficiſci differat, huic rei conſulere volentes, poteſtatem abſolvendi a caſibus Nobis reſervatis omnibus Parochis, uſque ad noſtram revocationem committimus, exceptis tamen hæreticis, qui a Nobis abſolvendi veniant: homicidis, quos ad Pœnitentiarium: excommunicatis, ſuſpenſis, ac noſtra authoritate interdictis, vel quibus ſolemnis pœnitentia foret imponenda, quos ad Officialem noſtrum remittimus.

CAPUT VIII.

Caſus autem Nobis reſervati, a quibus Paſtoribus damus licentiam abſolvendi, ſunt hi: Apoſtaſia, ſortilegium factum cum Euchariſtia, aut Chriſmate, perjurium ſolemne, violatio voti ſolennis, injectio violenta manuum deliberato propoſito cum læſione in parentes: veneficium, procuratio ſterilitatis, vel abortus, ſacrilegium excedens 40. ſolidos, uſura notoria, incendium voluntate deliberata procuratum, adulterium notorium, inceſtus cum Sanctimonialibus, & conſanguineis intra tertium gradum: Sodomia, raptus virginum, falſum teſtimonium in judicio datum, crimen falſi, Simonia realis, & prædictis graviora in eodem genere peccati: Apoſtolicæ tamen Sedi ſuis ſemper ſalvis.

CAPUT IX.

Prædeceſſorum noſtrorum Decretis inhærendo ordinamus, ne Sacerdotes mulierum, cum quibus prævalente tentatione carnaliter vixerunt, vel quas ad peccatum forte induxerunt, confeſſiones audiant, ſed ad honeſtos Confeſſores transmittant: & qui contravenire præſumpſerint, pœnis contra ſpiritualem inceſtum decretis, vel his gravioribus plectentur.

TITULUS IX.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT I.

Diligenter obſerventur, quæ hoc Tit. habentur in *Concilio II. Cameracenſi.*

CAPUT II.

Cum ad infirmos defertur Euchariſtia, moneantur vicini ejus, ad quem defertur, ut accenſis tedis, ſi quas habent, Venerabile Sacramentum comitentur: ut autem magis incitentur fideles ad comitandum hoc Venerabile Sacramentum, dum ad infirmos defertur, de poteſtate Nobis conceſſa elargimur 40. dies Indulgentiarum ſingulis, qui illud comitantur.

CAPUT III.

In die Nativitatis Chriſti, Palmarum, & Paſchatis, illis in Parochiis, ubi major eſt populi frequentia, quo majori cum devotione ac reverentia, ac fine preſſura ad Sacram Communionem veniatur; volumus, ut ſaltem unus Sacerdos conſtituatur, qui continue a mane uſque ad meridiem petentibus Euchari-

Digitized by Google

chariſtiam adminiſtret, etiam extra Miſſarum ſolemnia.

CAPUT IV.

Dum primum adoleſcentes, vel puellæ ad hujus Auguſtiſſimi Sacramenti ſuſceptionem admittendi ſunt, curent Paſtores, & Confeſſarii, ut antequam eos admittant ad Communionem, ſint mediocriter inſtructi de hujus Sacramenti Myſterio, ſciantque Religionis Chriſtianæ rudimenta, nimirum Symbolum Apoſtolorum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, decem Præcepta Dei, & quinque Præcepta Eccleſiæ.

CAPUT V.

Paſtores hortentur fideles ad frequentem Confeſſionem & Communionem, & ut ſaltem quinque præcipuis anni Feſtivitatibus communicent, videlicet Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, Omnium Sanctorum, & Nativitatis Chriſti. Sacerdotes autem, ut minimum ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis ſolemnioribus celebrent, Diaconi vero & Subdiaconi frequenter communicent.

CAPUT VI.

Sacræ Hoſtiæ, quæ pro infirmorum Viatico præparatæ ſunt, fideli cuſtodia conſerventur, & per Parochos menſibus ſingulis renoventur.

TITULUS X.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

Diligenter ſerventur, quæ in *II. Concilio Cameracenſi* hic ordinata ſunt.

CAPUT II.

Ad Primitiarum Solemnia infra 40. dies a ſuſceptis Ordinibus Presbyteros teneri palam ſit & manifeſtum, a quibus comeſſationes, crapula & luxus procul exulent.

TITULUS XI.

De Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

Sponſalia contracturi jurent in manibus Paſtoris, ſe plane exiſtimare, non ſubeſſe aliquod impedimentum, quo minus Matrimonio jungi poſſint: quod ſi Paſtor audierit, inter eos aliquam eſſe cognationem, vel affinitatem, ſed dicatur, eam eſſe remotiorem, quam ut conjungi non poſſint; diligenter inquirat, ſitne illa cognatio, vel affinitas intra gradus prohibitos: & ſi de hoc aliquo modo dubitet, eo quod non ſatis cognitam habeat rationem computandorum graduum cognationis, vel affinitatis, conſulet ſuum Decanum: Decanus, ſi & ipſe dubitet, D. Officialem. Idemque faciant Paſtores, ſi dicatur ſubeſſe aliud aliquod impedimentum, de quo dubitent, ſit verum impedimentum, nec ne. Sed qui non obſtante qualicunque oppoſitione (etiam ſi leviſſima conjectura contra Matrimonium fuerit) antequam hujusmodi oppoſitio vel conjectura in Curia noſtra diluta exiterit, ulterius procedat, excommunicationis pœnæ ſubjacebit.

CAPUT II.

Moneant Paſtores eos, qui Sponſalibus junguntur, ut antequam Sacramentum Matrimonii ſuſcipiant, confiteantur peccata ſua, præmiſſo diligenti examine conſcientiæ, ut ea repurgata, uberiorem gratiam accipiant ad bene & Chriſtiane vivendum in conjugio.

CAPUT III.

Sed & Sponſalia de futuro, quas affidationes vocant, non aliter fiant, quam in loco Sacro, & in manibus Parochi, vel alterius Sacerdotis ex noſtra, vel Parochi licentia, duobus præſentibus. Et ſi quis contraveniat, & clandeſtine in privatis ædibus, vel tabernis contrahat, tam contrahentes, quam Sacerdos, cæterique præſentes, & conſentientes, noſtri Officialis arbitrio graviter plectantur.

CAPUT IV.

Quod ſi contrahentes diverſarum Parochiarum, ejusdem tamen Decanatus exiſtant, alterius Parochus eos affidare poterit, modo alterius Parocho ſuper bannis utrobique proclamandis reſcribat. Si vero diverſorum Decanatuum fuerint, nonniſi receptis prius ſui Decani literis ad affidationem

Digitized by Google

procedat, & ſi alienæ Diœceſis perſona cum alia noſtræ Diœceſis contrahere velit, absque noſtra, aut Sigilliferi noſtri licentia, easdem affidare Parochus non attentet.

CAPUT V.

Parochus autem ſub arbitraria pœna neminem ante Matrimonio conjungere auſit, quam tribus proclamationibus, tribus diebus feſtivis a noſtra Synodo per Diœceſim noſtram obſervari præceptis, die ſemper intermedio, infra Miſſarum ſolemnia factis, & edictis, atque die poſt tertiam publicationem interpoſita, niſi cauſa cognita aliter fuerit diſpenſatum.

CAPUT VI.

Favore tamen prolis ſuperſtitis, nulla proclamatione facta, in duorum teſtium præſentia concubinam cum viro, non ſine periculo mortis ægrotante, Parochus Matrimonio conjungere poterit: ea etiam cautela, ut ſi poſtea convaluerit, proclamationes rite fiant.

CAPUT VII.

Et quod attinet ad bannorum proclamationes, eas fieri volumus tam in parochia, ubi perſonæ annos nubiles, vel viduitatis transegerint, quam in loco, ubi contraxerint Sponſalia, ut fraudibus omnibus & impoſturis obvietur.

CAPUT VIII.

Nomina Matrimonio junctorum, nec non teſtium præſentium, dies & locus contracti Matrimonii, in regiſtro ad id ſpecialiter ordinato per Parochos deſcribantur.

CAPUT IX.

Interim ut Matrimonii vim indiſſolubilem quivis intelligat, rite ſemel conjuncti propria auctoritate ſeparari non poſſunt. Quare ſi ſubditorum noſtrorum quispiam absque Eccleſiæ judicio ſeortum habitare attentet, excommunicetur.

CAPUT X.

Pari modo non ſolum is, qui in gradu prohibito contrahere volentes, conjunget, ſed & Parochus, qui horum rite conjunctorum ſeparationem ad Nos confeſtim non deferet, imo qui fidei datæ privatas remiſſiones ſuper Matrimonio contrahendo aliqualiter recipiet, excommunicetur.

CAPUT XI.

Nullus præterea ſubditorum Matrimonium contrahere, vel Matrimoniorum ſolemniſationes facere, nuptiarum convivia celebrare, tripudia admittere: nec Sacerdos ullus Matrimonio aliquos conjungere, vel prædictis ſolemniſationibus conſentire tempore prohibito, a prima ſcilicet Dominica Adventus in Epiphaniam, & a die Cinerum in octavas Paſchæ incluſive, ſub pœna Canonica præſumat.

CAPUT XII.

Denique (*ne*) Sponſus ante ſolemniſationes Matrimonii & Benedictionem Sacerdotalem, a Parocho in Templo ſolemniter ſuſceptam, cum Sponſa carnaliter converſetur, aut invicem cohabitent, ſub eadem excommunicationis pœna vetamus.

CAPUT XIII.

Quas ſolemniſationes omnes intra dies 40. a die contractæ affidationis executioni demandandas cenſemus, alioquin tam contra defectuoſos, quam contra Parochos, qui ſtatim hos defectus ad Nos non detulerint, rigoroſe procedatur.

TITULUS XII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

HOrtentur Paſtores infirmos, ut ad ſuſceptionem hujus Sacramenti non exſpectent tempus extremum, ſed tempeſtive illud ſuſcipiant, vigente adhuc uſu rationis, quo majorem ex eo fructum percipiant. Et ut Chriſti fideles licentius Sacerdoti ſe jungant, qui Extremam Unctionem ægrotis defert, & cum eo pro ſalute ægri deprecentur, omnibus, qui hoc charitatis officium præſtiterint, ſingulis vicibus 40. dierum Indulgentias in Domino largimur.

CAPUT II.

Cum hoc Sacramentum infirmos tantum concernat, furioſis & mente captis

Digitized by Google

captis (qui tamen ſanæ mentis nunquam fuere, nec ad Confeſſionis & Euchariſtiæ Sacramenta admiſſi ſunt) gladio feriendis, ſuſpendendis, vel aqua ſubmergendis, & ſimilibus, cum non reputentur infirmi, non debet adminiſtrari.

CAPUT III.

Nullus ægrotus in eadem infirmitate ſæpius inungatur. Si tamen poſt Unctionem, ſemel in periculo mortis factam, infirmitas ita ſe remittat, ut cenſeatur infirmus periculum mortis evaſiſſe, & poſtea contingat, ut in idem periculum mortis incidat, iterum poterit inungi, quia ſecundum D. Thomam, eſt alius infirmitatis ſtatus.

TITULUS XIII.

De Sepulturis.

CAPUT I.

CORpora fidelium defunctorum ex domibus mortuariis per plateas au locum ſepulturæ non deferantur ſine Sacerdote, & Cuſtode ad minimum aſſiſtentibus.

CAPUT II.

Taxa Exequiarum, quæ in oppidis conſtituta eſt, obſervetur, in pagis autem ea, quæ a Domino Rmo VENDUILLIO piæ mem. prædeceſſore noſtro conſtituta fuit, & eſt talis: pro pauperibus non amplius paſtores, quam 15. ſtuferos exigant, pro mediocribus 30: pro divitibus 3. florenos: pro opulentis autem & nobilibus 6. florenos. Cuſtodes autem dimidium obtineant, Sacellani vero pro infimo gradu duos ſtuferos: pro reliquis vero proportionabiliter. Et ad evitandas in ſupradicta perſonarum qualitate omnes difficultates, declaramus cenſeri pauperes, qui nihil, aut domunculam poſſident: mediocres, qui domum, & ultra eam tria aut quatuor jugera: in hoc gradu comprehendimus fabros lignarios, ferrarios, molitores, & ſimiles: divites, qui domum, equorum juga, octo, duodecim, aut quindecim terræ jugera poſſident, vel ſunt notabiles coloni: opulentos, ſive nobiles, qui fructus ex propriis agris diſtrahunt, & qui plura, quam quæ ſupra dicta ſunt, poſſident, quique in reditibus annuis 200. florenos, & ſupra percipiunt.

CAPUT III.

Et quia intelleximus, in diverſis pagis Eccleſias parochiales mirum in modum gravari ſumptibus campanarum, viſum fuit expediens ordinare, prout ordinamus, ut deinceps juxta qualitatem perſonarum etiam pulſentur campanæ, obſervatis quatuor gradibus jam nominatis: hoc adjecto, ut pro qualitate mortui pro inferiori 15. groſſi, pro ſecundo 30., pro tertio 60., & pro quarto gradu Eccleſiæ pro pulſu campanarum ſolvantur ſex libellæ pariſienſes, remanente nihilominus in ſuo robore, conſuetudine, ſi quæ ſit, ut amplius Eccleſiæ pro hujusmodi onere a defunctis ſolvatur.

CAPUT IV.

Inhibemus etiam, ne deinceps reditus Eccleſiæ pro novis campanis absque noſtro Decreto onerentur, declarantes, irritum & inane, quidquid in contrarium cum præjudicio Eccleſiæ attentatum fuerit.

TITULUS XIV.

De Oblationibus.

CAPUT I.

SErventur, quæ de his in *I. & II. Cameracenſibus Synodis* ordinata ſunt.

CAPUT II.

Quoad gazophylazia, ſive truncos, ut vocant, oblationum, clavis una ſit penes paſtorem, alia penes ædituos, ut adminiſtratio eorum fiat communi manu, & non per ſolos laicos.

TITULUS XV.

De recta bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.

CAPUT I.

QUo citius revocari poſſint alienationes bonorum Eccleſiaſticorum, antehac indebite factæ, Decani Chriſtianitatis & Epiſcopus ipſe in ſuis viſitationibus de illis etiam diligenter inquirat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Ut saluberrimum Decretum *Synodi II. Provinc. Cap. 7.* hujus Tit. primo quoque tempore executioni mandetur, conficiant pastores & Sacellani, qui necdum fecerunt, & suo Decano Christianitatis tradant intra 4. menses a die hujus Synodi, inventarium omnium bonorum, pertinentium ad suum beneficium, sub pœna 20. florenorum: & Decani idem inventarium intra quintum mensem tradant Nobis, aut Vicario nostro Generali, ut cum aliis in registro describantur.

CAPUT III.

Ne compotus fabricarum, piorumque locorum, qui quotannis reddi debent, omittantur, vel in longum tempus differantur, Pastores Nobis denuntient, si Ecclesiarum æditui redditionem rationum distulerint ultra duos menses, ab eo die, quo reddi consueverunt, idem fiat de bonis pauperum.

CAPUT IV.

Curent Pastores & Decani Christianitatis, ne æditui Ecclesiarum bibendo & comessando cum venditoribus candelarum cerearum, aliarumque rerum Divino cultui necessariarum, & cum conductoribus bonorum Ecclesiæ ad onus ejus sumptus faciant, neque in auditione computuum ullorum sumptuum ratio habeatur, nisi fuerint valde moderati, & facti ex justa causa: & hac de re ædituos serio admoneant Pastores & Decani Christianitatis.

CAPUT V.

Ut autem piæ testatorum voluntates plene executioni mandentur, diligenter observentur, quæ hac de re in *II. Camerac. Synodo hoc Tit. Cap.* 16. ordinata sunt.

CAPUT VI.

Parochi quoque nostri legatorum ad pias causas factorum diligentem curam habeant, sic ut ante finem anni piis testatorum voluntatibus hac in re fiat satis.

CAPUT VII.

Verum ne hæc nostra Constitutio illusoria permaneat, si forsitan & prædicti provisores, & piorum legatorum executores ante revolutum annum munus sibi injunctum non compleverint, Parochi suis respective Decanis rescribant, de quo Nobis suo tempore rationem reddere teneantur; alioquin tanquam nostri Statuti transgressores pœna arbitraria corrigantur.

CAPUT VIII.

Et cum de legatis ad pias causas factis de jure cognoscere debeamus, multosque hoc tempore turbulento Ecclesiæ Dei minus favere intelligamus; ne hac ratione morientium bona defraudetur intentio, Parochi ad tam pium opus morituros adhortentur, & post mortem diligenter inquirant, si defunctus testamentum condiderit, piave legata reliquerit: quo casu hæc omnia Officiali nostro quotannis ante Festum Nativitatis Christi per dictos Parochos intimentur.

CAPUT IX.

Receptores piarum fundationum advigilent, antequam, quæ fundatores ordinaverunt solvenda, persolvant, an completa fuerint tam in Missis, quam in eleemosynis, quæ defuncti ordinaverunt, quod si in illis defectus deprehendant, ad Nos, aut Vicarium nostrum Generalem, seu Officialem deferant.

TITULUS XVI.

De Clericis in genere.

CAPUT I.

AD declarationem *I. Cap. Synodi Provinc.* adjicimus, ne Clerici Sacris initiati, & maxime Sacerdotes decimas conducant, Pastoribus tamen permittentes, ut ipsi per se suam quotam, & Patroni colligere possint.

CAPUT II.

Iisdem inhibemus, ne tabellionum munus exerceant in negotiis profanis extra casus a Canonibus permissos, neque se se occupent procurandis negotiis profanis hominum laicorum, sive nobilium, sive aliorum; cum Clerici non debeant se negotiis sæcularibus immiscere, sed intendere lectioni, orationi & meditationi rerum Divinarum & Sanctis precibus.

CA-

Digitized by Google

CAPUT III.

Clerici omnes in acquiſitionibus & reſignationibus beneficiorum magnam ſinceritatem adhibeant; ne cum magno animæ ſuæ detrimento per Simoniæ labem, vel aliquid Simoniæ vicinum, beneficium, vel aliud quid acquirant.

CAPUT IV.

Lapſus carnis, notamque libidinis maxime ſcandaloſam eſſe in iis, qui Sacris initiati ſunt, cum certo certius ſit, eoque magis, quod inceſtum ſpiritualem, ſacrilegiumque committant; idcirco omnibus Nobis ſubditis in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ne in domibus ſuis concubinas, aut alias mulieres ſuſpectas ætate, aut moribus, retineant, alioquin contra delinquentes per irrogationem pœnæ a *Concilio Trid.* ſtatutæ ſine ulla diſſimulatione procedemus.

CAPUT V.

Horum vero concubinæ, ſi ſemel monitæ, ab eorum converſatione non abſtineant, præter excommunicationis ſententiam, quam incurrent, noſtro territorio, brachio ſæculari (ſi opus ſit) invocato, expellantur.

CAPUT VI.

Decanos, Promotoresque noſtros, ut ſedulo circa hæc advigilent, admonemus: alioquin, qui ſic delinquentes Curiæ noſtræ non detulerint, tanquam conſentientes, vel ſaltem negligentes, arbitraria pœna punientur.

CAPUT VII.

Quod ſupra de concubinariis ſtatutum fuit, ad Clericos ebrioſos, & crapulæ deditos extendimus: & Officiali noſtro injungimus, ut contra eosdem pœnis, a Sacroſancto *Concilio Trident.* contra concubinarios conſtitutis, ſucceſſive procedat. Et meminerint omnes, juxta antiquos Canones (quos *II. Synod. Prov.* innovavit) nullo prætextu Clericis licere, tabernas potitandi gratia ingredi, niſi peregre proficiſcantur.

CAPUT VIII.

Cum Clerici, qui ad lectionem Canonicarum Horarum tenentur, earum lectionem ſæpius omittendo graviſſime peccent, & pro rata temporis fructus ſuos non faciant, ideoque ad eorum reſtitutionem teneantur, ſine qua non dimittitur peccatum: & tamen ſint, qui cum ſummo animæ ſuæ periculo earum lectionem frequenter omittant in totum, vel ex parte; decernimus, ut Clerici beneficium Eccleſiaſticum habentes, ſi ſint ſuſpecti, quod Horas Canonicas non legant, vel eorum lectionem frequenter omittant, citentur, ut fidem faciant, ſe legiſſe, vel ſaltem jurejurando ſe ſe expurgent: alioquin cogantur pro rata temporis reſtituere fructus perceptos ſecundum *Conſtitutionem PII V.*

CAPUT IX.

Clerici, præſertim Sacris initiati, & maxime Sacerdotes, diligenter obſervent, quæ pulcherrime, utiliſſimeque de vita & honeſtate Clericorum conſtituta ſunt in *I. Synodo Provinciali Tit. de vita & honeſt. Clericorum*, & quæ habet eadem *Synodus Tit. de Cæremoniis & Officio Divino*, quæ magna ex parte eo ſpectant.

CAPUT X.

Decet Clericos veſtium gravitate & honeſtate ab aliis ſemper diſtingui, quocirca *Decretum Sacri Concil. Trid. Seſſ. XIV. Cap.* 6. hic de verbo ad verbum inſeruimus, & diligenter obſervari volumus: Et eſt tale:

" Quia vero, etſi habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos veſtes proprio congruentes ordini ſemper deferre; ut per decentiam habitus extrinſeci morum honeſtatem intrinſecam oſtendant: tanta autem hodie aliquorum inolevit temeritas, Religionisque contemptus, ut propriam dignitatem & honorem Clericalem parvipendentes, veſtes etiam deferant publice laicales, pedes in diverſis ponentes, unum in Divinis, alterum in carnalibus; propterea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quantumcunque exemptæ, quæ aut in Sacris fuerint, aut dignitates, perſonatus, officia, aut beneficia qualiacunque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honeſtum habitum Clericalem, illorum

" rum ordini & dignitati congruentem, " & juxta ipſius Epiſcopi ordinationem " & mandatum non detulerint, per " ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio, " & beneficio, ac fructibus, reditibus, " & proventibus piorum beneficio- " rum, nec non ſi ſemel correpti de- " nuo in hoc deliquerint, etiam per pri- " vationem officiorum & beneficiorum " hujusmodi coercere poſſint & debe- " ant ſecundum *Conſtitutionem CLEMEN- " TIS V. in Concilio Viennenſi* editam, quæ " incipit : *Quoniam innovando & ampli- " ando.*

CAPUT XI.

Juxta dictam *Conſtitutionem* ordinamus, ut veſtes ejus ſint longitudinis, ut ad talos uſque diffundantur, quanquam interior poterit eſſe ad tibiæ medium. Itineris vero cauſa licet ſint breviores, omnino tamen ſint infra genua.

CAPUT XII.

Quoniam Eccleſiaſtica beneficia magis inſtituta ſunt, ut Eccleſiis de idoneis Miniſtris, quam ut Miniſtris de beneficiis provideatur; vehementer Eccleſiaſticum Ordinem pervertunt, Divino honori plurimum detrahunt, interceſſoribus Eccleſiam minuunt, & maximo ſcandalo vivis & defunctis faciunt injuriam, ſibique turpiſſimam avaritiæ inurunt notam, quotquot mediocri bonorum Eccleſiaſticorum portione non contenti, officia vel beneficia, pluribus perſonis deſtinata, ſoli occupant.

CAPUT XIII.

Quod malum ut ex hac Diœceſi auferatur, imprimis perſuaſum eſſe omnibus cupimus, hoc, quod multitudine beneficiorum Eccleſiaſticorum conſequi laborant, per eam obtineri non poſſe: cupiditas enim habendi hac ratione non ſatiatur, & impletur illa prophetæ vox: *Reſpexiſtis ad amplius, & ecce factum eſt minus.*

CAPUT XIV.

Cæterum, ut infirmas quorundam voluntates Eccleſiæ authoritate confirmemus, ordinamus (juxta *Sacri Concil. Trident. Conſtitutionem*) ne deinceps aliquis, habens beneficium, quod ei ad honeſtam ſuſtentationem ſufficiat, ad aliud beneficium, etiamſi ſimplex ſit, promoveatur, vel inſtituatur; niſi jurejurando promiſerit, ſe beneficium, quod habet (antequam fructum ex poſteriori beneficio recipere poſſit) reſignaturum eſſe, & ſine legitima ac neceſſaria diſpenſatione a Nobis viſa (prout a *Concilio Trid. Seſſ. 7. Cap. 5.* conſtitutum fuit) nemo conſcribatur.

CAPUT XV.

Quando ob proventuum tenuitatem unum alicui beneficium ſufficere non poteſt ad honeſte vivendum, licebit aliud ſimplex eidem conferri; dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, vel alterum alterius miniſterium aut officium non impediat, nec ſub eodem tecto fuerint.

CAPUT XVI.

Non tamen in his quidquam agendum eſt ſine legitima declaratione ejus, cui incumbit, de hujusmodi judicare: manifeſtum enim eſt, ſi proprio uniuscujusque judicio ſtandum ſit, quod frugali cujusque ſuſtentationi ſatis eſt; hoc parum videri cupiditati, & ſub prætextu honeſtæ ſuſtentationis, vel prudentiæ, tegi negotium timiditatis aut cupiditatis. Et cum idem Sacrum *Concil. Trid. Cap.* 12. *Seſſ.* 24. Ordinem Eccleſiaſticum perverti confirmet, quando unus plurium Clericorum officia occupat, quisque ſine legitima authoritate aliter faceret, magnæ improbitatis, atque adeo impietatis notam contraheret, aliisque liberius peccandi cauſam daret.

TITULUS XVII.

De Epiſcopis.

CAPUT I.

QUæ de Epiſcopis Oecumenica *Synodus Trid.* pro Eccleſiæ collapſæ reformatione ſalubriter ſtatuit & ordinavit, ſimiliter quæ hoc *Tit. in Synod. Camerac.* decreta ſunt, hic repetenda & renovanda non duximus.

TITU-

Digitized by Google

TITULUS XVIII.

De Capitulis & Canonicis.

CAPUT I.

QUæ hic per *Concil. Cameracenſe* ordinata ſunt, diligenter obſerventur.

CAPUT II.

Quia autem in beneficiorum proviſione ſeu collatione, niti diligens cautio adhibeatur, Simoniaca labes contrahi facile ſolet in maximum animarum periculum, & Divini Cultus detrimentum, ideo adhibendum eſt ſtudium, ut omnia rite ex Sacrorum Canonum præſcripto, & Summorum Pontificum Conſtitutionibus fiant, expedianturque. Cum igitur de aliquo ſimplici, etiam de Jure Patronatus Eccleſiaſtico beneficio quomodolibet facienda erit proviſio, vel præſentatio, collatio aut nominatio admittenda: ordinamus patronis (inhærendo Sacro *Concil. Trident. Seſſ.* 24. *Cap.* 14.) ne quisquam, quicunque ille ſit, ab eo, qui præſentationem concedit, vel ab alio, ejus nomine quidquam accipiat. Pro literis autem & ſigillis, ac regiſtratione, cæterisque eodem ſpectantibus, qui id oneris habent, & inſtrumenta examinare, regiſtra conficere & conſervare debent, ratione illius ſumptus, & pro qualitate laboris, quem ſubeunt, ſtipendium moderatum pro conſuetudine accipere poſſint, ſed quod in communibus & mediocribus negotiis non excedat ſummam 20. vel 30. ſtuferorum, nunquam vero ne in maximis quidem accipere poſſint ultra coronatum. Quod ſi ab aliquo præſentationem petente plus exigatur, ad Nos recurſum habeat, nec prius amplius ſolvat.

CAPUT III.

Quæ de reſidentia Canonicorum & aliorum Beneficiatorum in *Concil. Trident.* ſalubriter ſtatuta fuerunt *Seſſ.* 24. *Cap.* 12., ad executionem deducantur.

TITULUS XIX.

De Paſtoribus, Decanis & Cuſtodibus.

CAPUT I.

SI qui Paſtores nondum habent Sacra Biblia, primo quoque tempore illa ſibi comparent, neque enim Sacerdos, & præſertim paſtor, illo cœleſti theſauro carere poteſt. Habeant & Catechiſmum Romanum, & Summam doctrinæ Chriſtianæ *Petri Canſii*, & ejusdem parvum Catechiſmum, vel Catechiſmum Eccleſiæ Parmenſis, ad inſtitutionem & examen puerorum & adoleſcentum.

CAPUT II.

Juramentum, quod quisque Parochus poſt inſtitutionem vel collationem ſibi factam præſtare tenebitur, in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri Generalis, vel a Nobis deputandi, formula hac obſervetur:

" Ego N. accepturus inſtitutio-
" nem & poſſeſſionem Parochialis Ec-
" cleſiæ N., juro & promitto obedien-
" tiam, reverentiam & honorem Sedi
" Apoſtolicæ Romanæ, ac Epiſcopo
" Tornacenſi, & ejus Succeſſoribus.
" Juro & promitto fideliter dictæ Ec-
" cleſiæ deſervire ſecundum oneris illi
" annexi exigentiam: non alienabo,
" aut diſtraham, vel in Emphiteuſin
" concedam Eccleſiæ meæ bona, & quæ
" alienata aut diſtracta cognovero,
" quantum in me erit, fideliter recu-
" perare ſtudebo: fructus anni, in quo
" me mori, aut meam Eccleſiam dimit-
" tere continget, ſubjicio & obligo ad
" laudabilem deſerviturum uſque ad
" feſtum Nativitatis S. Joannis, mor-
" tem meam, aut dimiſſionem proxi-
" me ſecuturum. Sic me Deus adju-
" vet, & omnes Sancti ejus.

CAPUT III.

Interim dictos Parochos ſtudioſe monemus, ne magis temporalium bonorum aucupium, quam ſalutis animarum ſibi commiſſarum ſtudium amplecti videantur, ut de fide ſuorum, ſi omnes articulos Fidei, Dominicam & Angelicam orationes, Dei & Eccleſiæ mandata probe teneant, ſedulo inquirant. In quibus ſi aliquos ignorantes repererint, vel eos inſtruant, vel inſtrui ſaltem curent.

CAPUT IV.

Moneant Paſtores populum diligenter, ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & majoribus

Festis accedant; & unumquemque teneri Parochiæ suæ interesse, ubi id commode fieri potest, ad audiendum Verbum Dei juxta *Concil. Trid. Sess.* 22. *de observandis & evitandis in Sacrif. Missæ*, & *Sess.* 24. *Cap.* 4.

CAPUT V.

Observent quoque diligenter, qui ad suas Parochias habitationis causa, aut alias commigrent, & ab iis literas testimoniales ultimi ipsorum Pastoris super vita & moribus illorum requirant, quas si exhibere aut negligant, aut contemnant, Curiæ nostræ insinuent, ut eas exhibere compellantur.

CAPUT VI.

Cæterum, ut Prædicatoribus peregrinis & ignotis, ac quibusvis mendicantibus, qui singulis annis ad prædicandum per Nos admitti solent, omnis divagandi tollatur occasio; non liceat cuiquam etiam quomodolibet exempto, in Ecclesiis Nobis subditis Verbum Dei annuntiare, nisi per literas de consensu nostro Parochis ipsis fidem faciant: & si id non præstiterint, per Parochos rejiciantur.

CAPUT VII.

Quæstores autem ad prædicationis officium per Parochos non admittantur: quia tamen Indulgentiarum usus fidelibus est maxime salutaris, & Sacrorum Conciliorum authoritate probatus, in nostra Diœcesi cum *Concilii Trid. moderatione* per Ecclesiarum Rectores retineatur, sed nullæ indulgentiæ, nisi visis literis nostris, publicentur.

CAPUT VIII.

Presbyteri autem extranei, per quos (proh dolor) diversa hactenus in Ecclesia Dei orta sunt scandala, ad Missæ Sacrificium peragendum, aut ullius Sacramenti administrationem subeundam, nisi literas nostras Decanis primo præsentandas obtinuerint, sub pœna duarum librarum grossorum per Parochos solvendarum non admittantur.

CAPUT IX.

Transeuntes vero per viam Sacerdotes celebrare petentes, servata super hoc Sacri *Concil. Trid.* Sanctione per Parochos nostros admitti possunt.

CAPUT X.

Ad satisfaciendum Decreto *S. Concilii Trid. Sess.* 24. *Cap.* 18. pro examine Pastorum nominamus infrascriptos: Dnum ac Magistrum *Laurentium Malcot, S. Theol. Licent.*, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Decanum, Vicarium nostrum Generalem: *D. Magistrum Michaelem Naveum, J. U. Licent., Archid. Torn.*: *D. ac Magistrum Joannem Lescaillet, S. Theol. Licent., Archidiac. Flandriæ*: *D. ac Magistrum Petrum Courouble, J. U. Licentiatum*: *D. ac Magistrum Dionysium de Villers, Decretorum Doctorem & Ecclesiæ nostræ Tornac. Cancellarium*: *D. ac Magistrum Nicolaum Joes, J. U. Licent., Officialem nostrum*: *D. ac Mag. Petrum Coretum, S. Theol. Licentiatum*, & *D. ac Mag. Joannem Boucher, S. Theol. Doctorem*, respective *Canonicos Ecclesiæ nostræ Tornac.*

CAPUT XI.

Quemadmodum Examinatores ab Episcopo nominati & deputati, tenentur sub juramento quacunque humana affectione postposita, fideliter munus suum exercere, ita in beneficiis Juris Patronatus Ecclesiastici, ubi institutio ad Nos pertinet, Patronus, quem digniorem inter probatos ab Examinatoribus judicabit, Nobis præsentare tenetur, ut instituatur.

CAPUT XII.

Quoad Custodes diligenter observentur, quæ *Cap.* 8. *II. Synodi Camerac.* super eo ordinata sunt.

CAPUT XIII.

Et cum ad bene promovendum honorem Dei in aliqua Parochia, utque cultus Divinus bene & reverenter peragatur, & juventus bene instituatur, necessarium sit, ut inter Pastorem & Custodem Ecclesiæ bene conveniat, statuimus, ut deinceps illius, ad quos pertinet electio Custodum, eam faciant de Pastoris consilio.

CAPUT XIV.

Cum de jure communi nemo debeat admitti ad officium Custodis, qui bigamus sit, nulli deinceps admittantur tales: quod si bigami fuerunt admissi, aut electi a tempore postremi *Concilii Provinc. Camer. anno* 1586. publicati, eorum

ized by Google

rum admiſſionem & electionem nullam & irritam declaramus, Cuſtodem etiam inſtitui tabernam, hoſpitiumque tenentem, aut officium aliquod laicale vel mechanicum exercentem ab eis, qui jus inſtitutionis habent, inhibemus, ſed is demum inſtituatur, qui Clericus ſit, & actu habitum Clericalem gerat.

CAPUT XV.

Et cum Cuſtodibus, præſertim in pagis Scholarum regimen committi ſolet, nullus inſtituatur, qui ſufficientis non ſit ætatis, & ad minimum annorum octodecim, quo Fidei articulos, & Dominicam orationem, ſeptem Pſalmos, & hujusmodi docere valeat.

CAPUT XVI.

Sed & eundem debite inſtitutum, hujusmodi officium exercere non volumus, priùsquam in noſtris, vel Vicariorum, aut ſaltem Decanorum noſtrorum manibus ad illud fideliter exercendum, & de ſua adminiſtratione Officiali noſtro reſpondendum, quoties opus fuerit, juramentum præſtiterit.

CAPUT XVII.

Cæterum, quia totius Eccleſiæ ornamenta ejus fidei & cuſtodiæ committuntur, & ſe totum quodammodo in Parochianorum gratiam negotiis Eccleſiæ mancipare debet, rationis eſt, ut & condignis ſalariis muneretur. Quare Eccleſiarum Æditui, cæterique Parochiani de honeſto ſtipendio eidem quotannis provideant.

CAPUT XVIII.

Hortamur eos, ad quos ſpectat electio Cuſtodis, ut eligant (etiam auctо ſtipendio Cuſtodis) Sacerdotes, ubi fieri poteſt: qua ratione fiet, ut habeatur commoditas habendi Sacrum diebus Dominicis & Feſtis pro ancillis & famulis, eruntque ii magis idonei ad inſtituendam juventutem.

CAPUT XIX.

Quæ de officio Decanorum Chriſtianitatis *Cap.* 12. *hujus Tit. & ſequentibus*, ſalubriter ordinata ſunt in *Conc. Cameracenſi*, bene obſerventur.

CAPUT XX.

Capitula Paſtorum celebrentur bis quotannis in omnibus Decanatibus hujus Diœceſis, primum quidem paulo ante Quinquageſimam, alterum vero paulo poſt Feſtum S. Remigii.

CAPUT XXI.

In his autem convocationibus ante omnia palam & intelligibili voce per unum ex Parochis, quem Decanus nominaverit, noſtra Statuta, Synodalesque Conſtitutiones legantur: & ſi quos abuſus contra has commiſſos deprehenderit Decanus, ſuos Parochos, recepto a ſingulis juramento, dictos abuſus ſcripto fideliter tradere compellet, quos poſtmodum cum ſufficienti inſtructione ad Curiam noſtram corrigendos referat.

CAPUT XXII.

Ad Decanorum etiam officium pertinet, omnium beneficiorum ſui Decanatus bona & onera cognoſcere, & ſi hujusmodi beneficia debitis non defraudentur obſequiis, perquirere; ne videlicet bona hujusmodi per alienationes, locationes, ſimilesque contractus, aut Rectorum negligentiam depereant.

CAPUT XXIII.

Decani domos & ædificia ad Eccleſiam pertinentia diligenter viſitent, & per arreſtum etiam bonorum reparari procurent, alioquin ob admiſſam negligentiam, niſi tempeſtive ad officiarios noſtros in hujusmodi reparationibus defectuoſos detulerint, ædificia per Decanos eorum expenſis reparentur.

TITULUS XX.

De Regularibus.

CAPUT I.

QUod in *II. Cap. Synodi Prov.* Prælatis conceſſum legitur, ut ſuis ſubditis Confeſſarios deputare poſſint, ad Abbatiſſas, & alias Sanctimonialium præfectas trahendum non eſſe, declaramus.

CAPUT II.

Omnes Religioſi & Religioſæ votum paupertatis, tanquam ineffabilis

Digitized by Google

& dulciſſimæ quietis cauſam cuſtodiant, neque proprietatis vitio violent. Caveant igitur, ne quid pecuniæ, ſive labore, ſive induſtria, ſive amicorum liberalitate, ſeu quavis alia occaſione acquiſita fuerit, penes ſe detineant; ſed ſtatim Superiori tradant, ita ut ad nutum ejus tanquam res communis expendatur. Sciant autem Superiores juxta *Decretum S. Conc. Trid. Seſſ. 25. Cap. 2. de Regularibus*, ſibi non licere, alicui Religioſo, aut Religioſæ, peculium permittere, & adminiſtrationem bonorum Monaſteriorum ad ſolos officiarios ad nutum ipſorum amovibiles pertinere. Veſtes, libros, & ſimilia, ſciente & conſentiente Superiore, retinere poterunt, non tanquam ſua, ſed tanquam res communitatis, ac proinde iis non utantur ad res peculiares, ſine Superioris conſenſu & eorum uſus ita permittatur, ut ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in iis ſit.

CAPUT III.

Prohibemus Abbatibus, ne patiantur alicui portionem vini anticipari, aut eam, quæ in Refectorio propinari ſolet, pecunia redimi, vel extra Refectorium bibendam ſervari.

CAPUT IV.

Cum plurimum momenti poſitum ſit in recta inſtitutione & reformatione Novitiorum, præcipimus, ut Superiores Monaſteriorum magnum delectum agant in præficiendo bono Magiſtro Novitiorum, eumque præficiant, qui ſit pius, gravis & maturus, quique exemplo & verbo eos bene inſtituturus videatur in mortificatione, ſuique abnegatione, humilitate & charitate Dei & proximi, quod etiam obſervent in ſuo genere Præfectæ Sanctimonialium.

CAPUT V.

Et quia homines diſcoli, vani, & non timentes Deum, ſuis ſermonibus & colloquiis multum nocent Religioſis, mandamus Abbatibus & Prioribus, ne ſine delectu patiantur quoslibet inviſere Religioſos: multo magis idem ſervent Præfectæ Religioſarum, in reliquis ſerventur, quæ in *I. & II. Camerac. Synodo* de his ordinata ſunt.

TITULUS XXI.

De Scholis.

CAPUT I.

SUfficiunt, quæ de his in *Concil. Camerac. II.* ordinata ſunt.

TITULUS XXII.

De Foro, Jurisdictione & Immunitate Eccleſiaſtica.

CAPUT I.

AD Eccleſiaſticam libertatem in totum vindicandam, ſpectat providere, ne in Eccleſiis, Cœmiteriis, aut locis ſacris merces venales exponantur, & ne Domini temporales ſuis Edictis ſubditos iisdem locis congregent.

CAPUT II.

Nefas etiam eſt, confugientes ad ædem Sacram, tanquam aſylum, a Judice laico violenter extrahi.

CAPUT III.

Quod ſi quadam animi impotentia hujus gratiæ beneficio indignos ſe reddiderint; Officialis noſter de cauſa prius certior fiat, quam a quoquam avellantur.

CAPUT IV.

Perſonas quoque Eccleſiaſticas apud alium, quam Judicem ſuum Eccleſiaſticum, pro quacunque cauſa & Edicto conveniri non poſſe, explorati juris eſt: Quo fit, ut ſub pœnis & cenſuris legitimis omnibus inhibeamus, ne Clericos noſtros alibi, quam coram Nobis conveniant, neque ſe conveniri permittant: Judicesque ſæculares monemus, ne in hoc ulla ratione conſentiant; alioquin, tanquam libertatis Eccleſiaſticæ effractores, ſciant ſe excommunicationis ſententiam incurſuros.

CAPUT V.

Cæterum cum bona, præſertim mobilia, perſonam ſequantur, eodemque jure ac privilegio merito gaudeant; præfatos Judices (niſi noſtra authoritate) Eccleſiæ, vel Nobis ſubditorum bona, quemadmodum nec perſonas ipſas capere, arreſtare, detinere, vel detineri facere non poſſe, certi juris eſt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quod ſi aliquos noſtræ Diœceſis Clericos, vel etiam extraneos in flagranti delicto apprehenſos detineri contigerit, per Parochum Decano inſinuetur, ut cum de captivi Clericatu ſufficienter conſtiterit, eundem pro meritis puniendum, ad Curiam noſtram remitti, Judicem ipſum noſtra authoritate requirat.

CAPUT VII.

Verum, ne quis hoc privilegio abutatur, *S. Synodus Tridentina* recte ſtatuit, ne deinceps quis eo gaudeat, niſi beneficiatus is fuerit, aut in Scholis, aut alias de Ordinarii licentia, quaſi in via ad majores Ordines ſuſcipiendos verſetur, vel ſaltem Eccleſiæ miniſterio deputatus, habitu & tonſura utatur Clericali.

CAPUT VIII.

Quæ *Cap.* 16. hujus *Tit. in II. Synodo Camerac.* ordinata ſunt, exacte obſerventur.

CAPUT IX.

Ut juris eſt, illegitimos, absque diſpenſatione, ad Sacros Ordines pertingere non poſſe, ſic Sacris initiati, de bonis ſuis, præſertim mobilibus, ſine ſpeciali noſtra licentia in ſcriptis obtenta, teſtamento diſponere non poſſunt.

CAPUT X.

Legitimos vero Clericos, in Sacris Ordinibus conſtitutos, de bonis ſuis teſtari poſſe, eorumque teſtamenta valere, ſi modo in Notarii, aut alterius perſonæ publicæ, duorumque teſtium præſentia confecta reperiantur, hac noſtra Conſtitutione declaramus: quamvis ea quoque teſtamenta, quæ propria teſtatoris ſignatura legitime notantur, ultimæ voluntatis favore non improbemus.

CAPUT XI.

Nullæ tamen horum voluntates ultimæ vim & robur teſtamenti obtineant, niſi quæ per patentes Officialis noſtri literas approbatæ ſint & roboratæ.

CAPUT XII.

Nec Executorum teſtamentariorum fidei, vel aliorum per Officialem noſtrum eorum loco ſurrogandorum, teſtatoris bona prius committantur, quam ipſi in Decani præſentia de prædictis bonis inventarium fecerint, atque de debita eorum adminiſtratione ſecundum teſtatoris voluntatem, & infra annum a die obitus de rationibus reddendis, vocatis pro ſuo intereſſe vocandis requiſitum juramentum præſtiterint.

CAPUT XIII.

Quæ ſane corroboratio, ſi non intervenerit, bona defuncti, tanquam ſi inteſtatus deceſſerit ab ipſo Decano, ſub pœnis juris, & 30. librarum Pariſ. in inventarium rediganter & arreſtentur, donec Officialis noſter, vel Decanum, vel alios hujusmodi ad voluntatem ultimam executioni demandandam nominaverit: qui debite ſuæ adminiſtrationis in fine anni rationem reddere teneantur.

CAPUT XIV.

Præterea ſi quis Sacerdotum Nobis ſubditorum teſtamentum non condiderit, vel alias de ſuis bonis non diſpoſuerit; ſecundum antiquam noſtræ Diœceſis conſuetudinem, ære alieno deducto, omnia mobilia tanquam ab inteſtato Nobis competant.

CAPUT XV.

Quod ſi parentes, vel quosvis propinquos in ſuum convictum receperint, inventario facto, bona per ipſos illata in præſentia teſtium deſcribantur; ne forte cum Eccleſiaſticis bonis eorum bona commiſceantur, & pars alterutra rerum ſuarum jacturam faciat: alioquin omnia bona, in domo mortuaria reperta, defuncti eſſe non immerito præſumentur.

CAPUT XVI.

Prudenter Sacroſanctum *Concilium Trid. Seſſ.* 24. *Cap.* 4. ſtatuit, ſobrie & magna circumſpectione exercendum eſſe excommunicationis gladium, nervum alioquin diſciplinæ Eccleſiaſticæ, & ad continendos in officio populos valde ſalutarem: cum experientia doceat, ſi temere, aut levibus ex rebus incutiatur, magis contemni, quam formidari, & perniciem potius parere, quam

quam ſalutem. Quocirca, quia multorum querimoniis didicimus, multos ex ſubditis noſtris facile, & inſcio Officiali noſtro, Promotore, vel Procuratoribus reportantibus ſuis literis, & petentibus in contumaciam non comparentium ulteriores, excommunicationis vinculo aſtringi, & poſtea contra eos ulterius non procedi, non ſine magno periculo tam eorum, qui excommunicatione feriuntur, quam qui cum eis converſantur, indeque naſci cenſurarum contemptum, præſertim cum fere excommunicationes ferantur in contumaces, quia vocati in judicium non veniunt: Re mature deliberata, ordinamus, ut *ejusdem Sacri Concilii forma ſervata*, quandocunque executio realis, vel perſonalis in qualibet parte judicii propria auctoritate fieri poterit, abſtineatur, tam in procedendo, quam in definiendo a cenſuris Eccleſiaſticis. Quodſi executio realis, vel perſonalis adverſus reos hac ratione fieri non potuerit, & de contumacia conſtiterit; tunc præviis monitionibus, hactenus fieri conſuetis, earum executione reportata, Officialis noſter in ſcriptis, & pro tribunali ſedens, pro arbitrio ſuo præter alias pœnas ſententiam excommunicationis ferat: quæ ſententia ſic lata, non tantum per affixionem copiæ ad valvas Eccleſiæ, ſed & a Paſtoribus octo diebus poſt, ſecundum formam & tenorem literarum publicabitur.

CAPUT XVII.

Cupientes autem ſaluti animarum, Nobis commiſſarum, more pii Patris, & boni Paſtoris providere, omnes & ſingulos utriusque ſexus perſonas noſtræ Diœceſis, ſententiis interdicti & excommunicationis quoquo modo, noſtra, vel Curiæ noſtræ authoritate innodatas, hortamur, ut ſe Nobis, vel Officiali noſtro, infra quadrimeſtre a die publicationis Synodi, pro abſolutione præſentent, de gratia ſpeciali indulgentes, ut ſine præjudicio illorum, quorum intereſt, ſine punitione, & ulterioribus expenſis pro hac vice abſolutionem obtineant. Mandamus autem omnibus & ſingulis Paſtoribus noſtræ Diœceſis, ut hujusmodi gratiam in Eccleſiis Parochialibus, & alis, ubi opus fuerit, quamprimum, & repetitis vicibus, publice notificent.

CAPUT XVIII.

Et quia poſt ſententiam ſuſpenſionis a Divinis, debite licet executam, ſuſpenſi non curant a Sigillifero obtinere abſolutionem: ſed duntaxat ſe ex regiſtro deleri; declaramus, eos poſthac non abſolutos, niſi debitam a Sigillifero abſolutionem obtineant.

CAPUT XIX.

Quoniam ob malitioſam petentium ſuggeſtionem, & quandoque ob locorum longinquitatem notitia perſonarum, quibus cauſæ authoritate Apoſtolica mandantur, haberi non poteſt: hincque interdum Judicibus non undequaque idoneis, cauſæ in partibus delegantur, ſtatuit *S. Trid. Synodus Seſſ.* 25. *Cap.* 10., aliquot perſonas aptas & idoneas nominari, quibus cauſæ Eccleſiæ, & ad forum Eccleſiaſticum pertinentes in partibus delegandæ committantur, in quem finem nominamus Venerabilem Virum ac Dominum *Magiſtrum Laurentium Malcot, S. Theol. Licentiatum*, Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Decanum, Vicar. noſtrum Generalem: *D. Michaelem Naveum, J. U. Licent.*, Canonicum & Archidiaconum Tornacenſem: *D. Carolum Lademre, J. U. Licent.*, Canonicum & Theſaurarium Tornac.: *D. Petrum Courouble, J. U. Licent.*, Canonic. Torn.: *D. Nicolaum Joes, J. U. Licent.*, Canonic. & Officialem Tornac.: RR. DD. *Jacobum de Marquis*, Abbatem S. Martini: & *Simonem Chevalier*, Abbatem S. Nicolai in Civitate Tornacenſi.

TITULUS XXIII.

De Uſuris.

CAPUT I.

QUoniam non obſtante excommunicatione contra manifeſtos uſurarios lata, illi a populo non vitantur, atque adeo non tantum a plebeis, verum etiam a ditioribus & honoratioribus ad convivia invitantur, & ad familiaritatem admittuntur, tanquam nulla labe aſperſi, non ſine magna Dei offenſione, & cenſurarum Eccleſiaſticarum

rum contemptu; Præcipimus omnibus Paſtoribus, & illis præſertim, in quorum Parochiis hujusmodi homines tolerantur, ut privatim & publice Dominicis diebus ante 4. præcipuas anni feſtivitates, nempe Paſchæ, Nativitatis Domini, Pentecoſtes, & omnium Sanctorum, ſuos Parochianos moneant, ne extra neceſſitatis cauſam cum publicis uſurariis (quos lombardos vocant) colloquantur, aut converſentur : eisque declarent, illos, qui aliter faciunt, Deum graviter offendere, & in excommunicationem minorem incidere, ideoque a Sacramentorum participatione arcendos eſſe.

CAPUT II.

Et cum intelligamus, dictos uſurarios manifeſtos, & alios etiam excommunicatos, ſeſe interdum ingerere Divinis Officiis, diſtricte veramus ipſis, & omnibus excommunicatis, ne deinceps Divinis Officiis interſint, antequam impetraverint abſolutionem. Qui contra fecerint, graviter puniantur pœna pecuniaria, arbitrio noſtro, vel Officialis noſtri taxanda.

TITULUS XXIV.

De Synodali Congregatione.

CAPUT I.

CUm *Concilium Trident. Seſſ. 24. Cap. 2.* & 3. inſequendo Canones Apoſtolorum, & varia ſcripta œcumenica, quotannis Synodos Diœceſanas celebrari mandaverit ; DEO juvante, Synodum noſtram quotannis celebrare decrevimus. Quo circa feria III. poſt Dominicam, qua in Eccleſia in initio Miſſæ *Miſericordia Domini* cantari ſolet, quæ eſt II. poſt Paſcha (quo die ex antiqua hujus Diœceſis conſuetudine Synodi fieri conſueverunt) ſingulis annis Synodum Diœceſanam celebrandam eſſe ordinamus, indicimus, & publicamus. Et RR. ac Venerabiles Viros Dominos, Decanum, & Capitulum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Tornacenſis, Abbates, Abbatiſſas, Præpoſitos, Priores, Collegiatarum Eccleſiarum Capitula, Decanos Chriſtianitatis, Eccleſiarum Parochialium Rectores, atque in univerſum omnes & ſingulos, tam exemptos, quam non exemptos, qui ad Synodum Diœceſanam Tornacenſem de jure, conſuetudine, aut ex Sacri *Concil. Trident.* diſpoſitione venire tenentur, ex nunc, prout ex tunc requirimus & monemus: ut absque alia convocatione, aut monitione, perſonaliter pridie illius diei adſint, non obſtantibus quibuscunque gratiis, hactenus conceſſis, quas revocamus.

CAPUT II.

Quod ſi aliqui legitimo impedimento detenti, comparere non valeant, Procuratorem id ipſum præſtare permittimus, ut quidquid S. Synodus ſtatuerit, ſuſcipere poſſint, & de Canonico impedimento in eorum animam (ſi opus ſit) jurent.

CAPUT III.

Præterea comparentes ad Synodum, ad honeſta ſe recipiant hoſpitia, ſumptus moderatos faciant, honeſte incedant, nec eis absque noſtris licentia & conſenſu recedere liberum ſit.

CAPUT IV.

Decanis autem noſtris injungimus, ut cum alba & ſtola, Parochis vero cum ſuperpellicio jejuni & raſi Synodum intrent, uſque ad finem permanſuri atque audituri, quidquid in ea ſtabilietur & conſtituetur.

Lecta & publicata fuerunt hæc Decreta de mandato Reverendiſſimi Domini in Eccleſia Cathedrali per me Adrianum Canis J. U. Licentiatum, Reverendiſſimi Domini præfati Secretarium & Notarium publicum. Anno Domini Milleſimo ſexceteſimo, Menſis Maji die decimo nono.

Scriptum erat

A. CANIS Secret.

Prædictæ Publicationi Ego Joannes de Male, Juratus Scriba Curiæ Tornacenſis, & Notarius publicus ſimiliter interfui.

APPENDIX
SYNODORUM PRÆTERMISSARUM
SÆCULI XVI.

SYNODUS LEODIENSIS (*)
Anno Chriſti MDLXXXV. Sixti V. PP. I. Rudolphi II. Imp. IX.

SUB ERNESTO (**) DUCE BAV. ARCHI-EPISCOPO COLONIENSI, EPISCOPO LEODIENSI, FRISINGENSI ET HILDESIENSI.

PRÆSIDENTE

JOANNE FRANCISCO BONHOMIO, (***) EPISCOPO ET COMITE VERCELLENSI, NUNTIOQUE APOSTOLICO, CUM POTESTATE LEGATI DE LATERE.

SYNODUS LEODIENSIS,
Servata Anno MDLXXXV. III. Octobris, & ſubſequentibus tribus continuis diebus, in Capitulo Majori.

LITERÆ GREGORII XIII. PAPÆ
ad Revmum JOANN. FRANCISC. Epiſc. Vercellenſem, Nuntium Apoſtolicum.

FACULTATES NUNCII.

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS SERVORUM DEI, VENERABILI FRATRI JOANNI FRANCISCO, Epiſcopo Vercellenſi, ad Germaniæ partes, quæ præſentibus exprimuntur, Noſtro & Apoſtolicæ Sedis Nuncio, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem.

ROmanum decet Pontificem ſuos ad remota procul Nuncios Privilegiis Apoſtolicis, quantum ſert temporis & locorum ratio, cumulate proſequi, ut & ipſi illis ſuffulti poſſint in functione muneris ſui benignitatem hujus Sanctæ Sedis erga ejus fideles & devotos, cum venerit uſus, liberaliter impertiri. cum igitur Te ob fidem, doctrinam, induſtriam, & alias præclaras animi tui dotes, noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis Nuncium, ad Colonienſem, Moguntinenſem, Trevirenſem, Baſileenſem, Argentinenſem, Spirenſem, Vormatienſem, Mona-

(*) Synodi hujus mentio facta Tomo VII. præcedente pag. 996. Nunc ejusdem acta, nunquam hactenus edita, exhibeo, prout illa deſcripta ex autographo Archæi Reverendiſſimi & Illmi Capituli Eccleſiæ Cathedralis Leodienſis, ex ſingulari ejusdem Revmi Capituli gratia ac benevolentia accepi. In dicto autem autographo varia hinc inde longo ſitu, atque ipſa antiquitate adeo corrupta & exeſa fuere reperta; ut quacunque virorum eruditorum diligentia adhibita legi non potuerint: quæ ſuis locis per interpunctiones notata, Lectorum judicio ſupplenda relinquo.

(**) De *Sereniſſimo Erneſto, Duce Bavariæ*, vide, quæ paulo infra in præmonitione ante Synodum Colonienſem anni 1598. dabimus.

(***) De *Illmo Joan. Franc. Bonhomio* vide Tomo præcedente pag. 995.

Digitized by Google

Monaſterienſem, Oſnabirgenſem, Paderbornenſem, Leodienſem, Luxemburgenſem, cæterasque inferioris Germaniæ ac Belgarum, & Duci Clivienſi & Julienſi, ſubjectas Provincias, Ducatus, Civitates, & loca omnia, cum poteſtate Legati de Latere, deſtinaverimus, qui mandatis, conſiliisque noſtris inſtructus, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, & noſtra, orthodoxæque Fidei negotia, ad totius Reipublicæ Chriſtianæ ſalutem pro viribus exequare. Sed ut harum quoque Provinciarum, ac perſonarum, & locorum eorumdem ſaluti & ſtatui opera tua conſulatur, hoc tuum munus ſpecialibus facultatibus proſequendum cenſuimus, ut Tu illis ſuffultus juxta datam Tibi a Domino ſapientiam . . . . . utaris moderate & prudenter cum ad DEI gloriam, populorum ſolamen & ædificationem, ipſiusque Sedis . . . . . videris expedire, itaque ut Tu perſonis Provinciarum, terrarum, & locorum prædictorum opportune conſulere, Teque . . . . . utilem & benignum exhibere poſſis, non . . . . . Concilii Tridentini Decretis Fraternitati tuæ Legatione tua hujusmodi durante, & intra illius fines, atque erga ejus perſonas & loca ibi exiſtentia duntaxat, per Te ipſum, vel alium, ſeu alios viros probos & idoneos Patriarchales, Primitiales, Metropolitanas, & alias Cathedrales ac Collegiatas & Parochiales Eccleſias, nec non Monaſteria tam virorum, quam mulierum, Prioratus, Præpoſituras, Præpoſitatus, & loca ſæcularia, & quorumvis Ordinum & mendicantium Regularia, nec non Hoſpitalia & exempta, dictæque Sedi immediate ſubjecta, vel quocunque alio privilegio ſuffulta, eorumque Capitula, Conventus, Univerſitates, Collegia & perſonas, tam ſæculares, quam Regulares, etiam, ut præfertur, exemptas & ſubjectas, quoties Tibi videbitur, auctoritate Apoſtolica viſitandi, ac in illorum ſtatum, formam, regulas, inſtituta, regimen, Statuta, conſuetudines, vitam, ritus, mores & diſciplinam tam conjunctim, quam diviſim, ac tam in Capite, quam in membris diligenter inquirendi, nec non Evangelicæ & Apoſtolicæ doctrinæ, Sacrorumque Canonum & Generalium Conciliorum Decretis, ac Sanctorum Patrum traditionibus atque inſtitutis inhærendo, & prout occaſio, rerumque qualitas exegerit, quæcunque, mutatione, correctione, emendatione, revocatione, renovatione, ac etiam ex integro editione indigere cognoveris, reformandi, mutandi, corrigendi, ac etiam de novo condendi, condita Sacris Canonibus non repugnantia, confirmandi, abuſus quoscunque tollendi, Regulas, inſtitutiones, obſervationes, & Eccleſiaſticam diſciplinam, ubicunque illa exciderint, modis congruis reſtituendi & reintegrandi, præfati Concilii Tridentini Decreta, ubi nondum introducta ſunt, proponendi & cuſtodiri præcipiendi, ipſasque perſonas, tam ſæculares, quam Regulares, & exemptas ad debitum, honeſtumque vitæ modum revocandi, & quicquid inde ſtatueris & ordinaveris, perpetuo obſervari faciendi, contra inobedientes, & etiam contra falſarios, uſurarios, raptores, incendiarios, & alios criminoſos & delinquentes quoscunque, & exemptos, eorumque fautores & receptatores, cujuscunque dignitatis, ordinis vel conditionis fuerint, per viam accuſationis vel denunciationis, aut ex officio ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii inquirendi, & procedendi; reosque, prout Canonicæ requirunt Sanctiones, & alias Tibi videbitur expedire, puniendi, nec non horum criminum & matrimoniales, & quascunque alias Eccleſiaſticas prophanas, non tamen Beneficiales cauſas, Civiles, Criminales, & mixtas, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentes, ſine præjudicio Ordinariorum, quoad cauſas hujusmodi in prima inſtantia coram eis, juxta præfati Concilii Tridentini Decretum, cognoſcendas, tam per viam ſimplicis querelæ, quam etiam quarumcunque appellationum, a quibuscunque Judicibus ordinariis, & etiam a Sede præfata delegatis, interpoſitarum, & dicta Legatione durante, interponendarum, motas, & inchoatas, ac interim movendas cum earum incidentibus, dependentibus, emergentibus, annexis & connexis, etiam ſummarie, ſimpliciter, & de plano, ac ſine ſtrepitu & figura judicii, ſola veritate inſpecta, ac terminis ſubſtantialibus unico contextu vel etiam non ſervatis, ſed illorum loco præfixo termino, arbitrio tuo procedendi, audiendi, & fine debito terminandi. Et ad hunc cæterorumque contingentium effectum quoscunque etiam per Edictum publicum, conſtito prius etiam ſummarie & extrajudicialiter de non tuto acceſſu citandi & monendi, eisque, ac etiam quibusvis Judicibus, cæterisque perſonis, quibus & quoties opus fuerit, etiam per ſimile Edictum, ac etiam ſub cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis, nec non pecuniariis, Tuo, vel delegatorum tuorum arbitrio, moderandis & applicandis inhibendi, ac contra inobedientes & rebelles quoslibet cenſuras & pœnas ipſas, etiam iteratis vicibus, aggravandi, interdictum Eccleſiaſti-

cum apponendi & reluxandi, auxiliumque brachii ſæcularis invocandi, ſeu cauſas ipſas alii, vel aliis idoneis, modo & forma præmiſſis, ac cum deſimili vel limitata poteſtate pariter audiendas, & terminandi, delegandi. Quascumque perſonas adverſus ſententias, res judicatas, & contractus quoscumque, prout juris fuerit, in integrum reſtituendi, Juramenta quæcumque ad effectum agendi duntaxat quibuslibet relaxandi, quoscumque a quibusvis cenſuris & pœnis ſimpliciter vel ad cautelam, prout juris fuerit, abſolvendi, præterea quoscumque ad Te recurrentes, qui homicidium etiam voluntarium, ſacrilegium, Symoniam, & perjurii reatum, quomodocumque commiſerint, aut in apoſtaſiam incurrerint, ſi tamen apoſtatæ ad ovile redierint, qui bellis interfuerint, qui manus violentas in Clericos & Presbyteros, non tamen Epiſcopos injecerint, qui ad Ordines etiam Sacros per ſaltum, aut furtive, vel alias minus rite promoti fuerint, & qui ratione Beneficiorum Eccleſiaſticorum, etiam Curatorum, per eos obtentorum, Horas non dixerint, & intra tempus a jure ſtatutum, vel fundationem, aut alias requiſitum, ſe ad Sacerdotium promoveri non fecerint, etiamſi poſt ipſum lapſum tempus Beneficia hujusmodi retinuerint, fructus tamen Eccleſiaſticos indebite non perceperint, & præterea eos, qui adulterium, inceſtum, fornicationem, aut aliud quodcumque flagitium carnis perpetraverint, nec non uſurarios, raptores, incendiarios, & aliorum quorumcumque criminum, ad forum Eccleſiaſticum quomodolibet pertinentium, reos, ſi hoc a Te humiliter petiverint, ab Excommunicationis, aliisque ſententiis, cenſuris & pœnis Eccleſiaſticis & temporalibus, quas propterea quomodolibet incurrerint, injuncta inde pro culpæ modo pœnitentia ſalutari, & aliis, quæ de jure fuerint indulgenda, & voluntariis hujusmodi homicidii, ſi Presbyteri, aut alias in Sacris Ordinibus conſtituti ſint, ab Altaris miniſterio & Sacrorum Ordinum fuorum exequutione perpetuo ſuſpenſi, ita ut promoti in ſuſceptis non miniſtrent, nec ad ſuperiores Ordines hujusmodi aſcendant, etiam in utroque foro abſolvendi, ac cum ſupradictis & prorſus cum quibusvis aliis Clericis & perſonis Eccleſiaſticis ſæcularibus & Regularibus, ſuper quacumque irregularitate per eos, non tamen occaſione homicidii voluntarii, hæreſis, læſæ Majeſtatis, vel Bigamiæ contracta, etiamſi ipſi, cenſuris hujusmodi ligati, Miſſas, & alia Divina Officia, non tamen in contemptum clavium, celebraverint, vel alias Divinis ſeſe immiſcuerint, ita quod nondum promoti omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines ſuſcipere, & tam ipſi, quam alii in ſuſceptis, etiam in Altaris miniſterio miniſtrare, ac quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura recipere, & illa ac etiam ab eis alias Canonice obtenta, ex quibus tamen fructus indebite non perceperint, & dummodo plura ſimul non ſint, quam quæ a dicto Concilio permittuntur, retinere, libere & licite valeant diſpenſandi, ac quibusvis in ætate legitima conſtitutis, & alias idoneis Sacerdotali militiæ adſcribi volentibus, qui competenter Beneficiati & arctati fuerint, ut ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines a ſuo in unitate Fidei, & dictæ Sedis obedientia perſiſtente; Alioquin, a quocumque alio maluerint, Catholico Antiſtite gratiam & communionem dictæ Sedis habente, extra Romanam Curiam & in propria Diœceſi reſidente, tribus Dominicis, vel aliis Feſtis diebus, etiam continuis, extra tempora a jure ſtatuta, ac etiam quibusvis aliis, juxta Canonicas Sanctiones qualificatis, earum Civitatum & Diœceſis, in quibus ſimiles Antiſtites non fuerint, ut pariter a quocumque alio voluerint Catholico Antiſtite Clericali charactere inſigniri, & ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines promotos promoveri, & in illis ſic promoti etiam in Altaris miniſterio miniſtrare poſſint, licentiam tribuendi, Et cum patientibus defectum natalium, ſi conſideratis diligenter circumſtantiis univerſis, quæ circa idoneitatem perſonarum fuerint attendendæ, ſi paternæ non fuerint incontinentiæ imitatores, ſed bonæ converſationis & vitæ, & alias eis merita ſuffragentur, ad diſpenſationis gratiam obtinendam, ac cum corpore vitiatis, dummodo in his tanta non ſit deformitas, quæ ſcandalum generet in populo, vel vitium tale non ſit, quod in Sacris agendi præſtet impedimentum, ut pariter ad omnes etiam Sacros & Presbyteratus Ordines promoveri, ac cum graduatis, quorum centum, cum aliis vero, quorum quinquaginta Ducatorum auri de Ca. Se. Com. extra valorem annuum fructus, redditus & proventus non excedant, quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica cum cura, & ſine cura, etiam ſi Parochiales Eccleſiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, aut Canonicatus & Præbendæ, dignitates, Perſonatus, adminiſtrationes vel officia in Cathedralibus & Metropolitanis, & dignitates ipſæ non tamen quoad defectum natalium patientes poſt Pontificales majores, vel Collegiatis Eccleſiis hujusmodi principales fuerint, ſi ſibi alias

Cano-

Canonice conferantur aut eligantur, præsententur vel assumantur ad illa, & instituantur in eis recipere, &, dummodo plura simul non sint, retinere. Et super impedimento publicæ honestatis justitiæ, ubi solum Sponsalia intercesserint, ut Matrimonium inter se contrahere, & in facie Ecclesiæ solemnizare, ac postquam contractum, in eo remanere, ac pariter cum illis, qui hujusmodi impedimento non obstante, illud alias tamen rite jam contraxerint, & carnali copula consummaverint, & prolem exinde susceperint, ipsos ab incæstus reatu & excommunicationis sententia, aliisque censuris Ecclesiasticis absolvendo, ut Matrimonium de novo inter se contrahere, &, ut perfertur, solemnizare, ac pariter in eo remanere, libere & licite valeant, dispensandi, prolemque exinde Jusceptam & suscipiendam legitimam decernendi atque nunciandi, ad hæc quæcumque Beneficia Ecclesiastica cum cura, & sine cura, sæcularia, ac quorumvis Ordinum Regularia intra limites Tuæ Legationis consistentia, etiam si sæcularia Vicariæ, aut Capellaniæ perpetuæ, vel Officia in Cathedralibus & Metropolitanis, vel Collegiatis Ecclesiis, aut Parochiales Ecclesiæ, vel earum perpetuæ Vicariæ, regularia vero Beneficia hujusmodi, Prioratus, Præposituræ, Præpositatus, Dignitates, Personatus, administrationes vel officia, etiam claustralia fuerint, & ad Dignitates, Prioratus, Personatus, Præposituras, administrationes & officia hujusmodi consueverint, qui per Electionem assumi, eisque cura immineat animarum; dummodo sæcularia Canonicatus & Prebendæ, seu Dignitates aut Personatus in Metropolitanis, aut aliis Cathedralibus seu Collegiatis Ecclesiis, Regularia vero Beneficia hujusmodi Monasteria aut dignitates Conventuales non sint, ac nulla Beneficia præfata dispositioni Apostolicæ aliter, quam ratione vacationis illorum in mensibus, in quibus vacantium Beneficiorum Ecclesiasticorum dispositio Nobis, & Apostolicæ Sedi reservata existit, vel pro tempore erit reservata aut affecta existant, per obitum illorum possessorum, aut aliis quibusvis modis, & ex quorumcumque personis, & extra Romanam Curiam, & intra limites Tuæ Legationis vacantia & vacatura, personis idoneis juxta dicti Concilii, & alias Canonicas Sanctiones qualificatis, ac servata in Parochialibus Ecclesiis dicti Concilii Tridentini forma conferendi, & de illis etiam providendi, ac quibusvis personis Ecclesiasticis Beneficia Ecclesiastica, sæcularia, vel Regularia in titulum, vel commendam obtinentibus, ac conditionem illorum meliorem efficere volentibus, ut Bona immobilia Beneficiorum suorum in Emphyteusim, non tamen perpetuam, nec ultra tres generationes sub annuo canone sive censu, non tamen quinque Ducatos excedente, in evidentem ipsorum Beneficiorum utilitatem, alienare vel permutare possint, licentiam concedendi, vel alienationes & permutationes usque ad dictam summam dumtaxat jam factas confirmandi, etiam cum juris & facti defectuum suppletione, ita tamen, quod concessio, seu confirmatio, ac totius negotii hujusmodi cognitio non minus, quam duobus delegatis conjunctim processuris, & forma Constitutionis fel. record. PAULI PP. II. super rebus Ecclesiæ alienandis, in quinterno Cancellariæ Apostolicæ designatæ, servata committatur, præterea quascumque monitorias, pœnalesque literas in forma significavit consueta, contra occultos & ignotos malefactores detenta, restituere, & scientes revelare differentes, servata forma præfati Concilii Tridentini, nec non Constitutionis piæ mem. PII PP. VI. Prædecessoris nostri, super hoc editæ, & in Cancellaria præfata publicatæ concedendi, nec non officium Tabellionatus & Notariatus quibuscumque personis idoneis, receptis prius ab eis Professione Fidei, juxta formam a Sede prædicta propositam, & juramento in forma solita concedendi, eosque Notarios & Tabelliones constituendi, Item omnibus utriusque sexus Christi Fidelibus ad pia & salutaria opera exercenda, centum aut plures dies citra annum, nec non vere pœnitentibus & confessis, qui quascumque Regulares & sæculares Ecclesias seu Capellas, in una, vel duabus anni Festivitatibus, dumtaxat a primis Vesperis usque ad secundas Vesperas & occasum Solis cujusque diei Festi visitaverint, & pro unione Principum, ac Fidei Catholicæ propagatione preces Altissimo effuderint, quo die Festo id fecerint, septem annos & septem quadragenas, aut infra de injunctis eis pœnitentiis, seu quæ merito injungi deberent, misericorditer in Domino relaxandi, ita ut relaxatio hujusmodi semel tantum pro una Ecclesia vel Capella fiat, & si pro duobus Festis diebus concedatur triennium, pro uno vero Festo concessa quinquennium tantummodo debeat perdurare, nec non vota quæcumque ultra marina visitationis liminum BB. Petri & Pauli Apostolorum de urbe, S. Jacobi in Compostella, castitatis & Religionis votis dumtaxat exceptis, in alia pietatis opera commutandi, ac quibuscumque utriusque sexus personis Ecclesiasticis & sæcularibus, quas ad loca Ecclesiastico interdicto authoritate Apostolica suppositæ declinare contigerit, ut in eis januis clausis

non pulsatis campanis, excommunicatis & interdictis personis exclusis, in sua, domesticorumque & familiarum suorum præsentia, dummodo ipsi causam non dederint interdicto, nec contingat eis specialiter interdici, celebrare & celebrari facere licite possint, facultatem concedendi, ac quibuscumque utriusque sexus personis, non tamen Regularibus, Sepulchrum Dominicum visitare volentibus, ut ad illud, & alia loca pia ultramarina absque alicujus censuræ aut pœnæ incursu accedere possint, dummodo aliqua prohibita non deferant, ac senibus & aliis valetudinariis, ut quadragesimalibus, & aliis prohibitis temporibus & diebus ovis, butyro, caseo, & aliis lacticiniis, ac etiam carnibus de utriusque Medici consilio, ac secreto & sine scandalo, uti & vesci libere & licite valeant, concedendi: denique omnibus & quibuscumque personis Ecclesiasticis & Presbyteris, ut de bonis & rebus Ecclesiasticis, juxta formam in quinterno Cancellariæ Apostolicæ annotatam testari, & disponere libere & licite possint, facultatem concedendi, & ut concessiones gratiæ, & literæ per Te vigore præsentium concedendæ, sublatis obstaculis suum sortiantur effectum, quascumque personas ad effectum duntaxat omnium & singulorum præmissorum consequendum ab omnibus, & quibuscumque excommunicationis, suspensionis & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris & pœnis, a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodati fuerint, dummodo in eis per annum non inserviverint, absolvendi, & absolutos fore censendi, vicesque tuas in præmissis in toto, vel in parte committendi, Judices, Assistentes, Commissarios, & Exequutores pro prædictorum & literarum tuarum exequutione & observatione delegandi, mandata, prohibitiones & monitoria, etiam sub censuris, & aliis pœnis prædictis, cæterisque benevisis remediis, & etiam appellatione postposita, decernendi, & omnia quæcumque alia in præmissis, & circa ea necessaria, & quomodolibet opportuna faciendi, decernendi & exequendi, & per alium, seu alios, autboritate Apostolica, tenore præsentium plenam & liberam licentiam, facultatem, & autboritatem concedimus: decernentes, Te omnibus facultatibus & concessionibus prædictis, etiam cum derogationibus, suspensionibus, indultis, irritantibus, aliisque Decretis & clausulis necessariis & opportunis, ac in Literis Apostolicis concedi, & extendi solitis in quibuscumque partibus Tuæ Legationis præfatæ libere & licite, non autem aliis etiam prætextu tituli Legati de Latere uti posse, ac in concessionibus, gratiis, dispositionibus per Te autboritate præsentium tuaque Legationis faciendis soli narrativæ tuæ, ac etiam solis concessionibus & Literis tuis absque alia præsentium insertione, seu exhibitione aut Notarii, testiumve adhibitione stare, nec ad id alterius probationis adminiculum requiri, sicque per quoscumque Judices ordinarios & delegatos, etiam Causarum Pallatii Apostolici Auditores, ac Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinales, in quavis causa & instantia, sublata eis & eorum cuilibet quavis aliter judicandi & interpretandi facultate & autboritate ubique judicari & definiri debere, irritumque & inane, si secus super bis a quoquam, quavis autboritate, scienter vel ignoranter contigerit attentari, non obstantibus Literis recolendæ memoriæ SIXTI PP. IV.: quibus inter alia cavetur expresse, quod Nuncii dictæ Sedis, etiam cum potestate Legati de Latere, tam quoad Beneficia conferenda quam dispositiones, & alias gratias concedendas, facultatibus uti non possint, nec quævis clausulæ in Literis facultatum hujusmodi appositæ adversus dictas Literas cuiquam suffragentur, nec non defectibus, & aliis præfatis, & quorumcumque Conciliorum Universalium, Provincialium, & Synodalium, nec non piæ mem. BONIFACII PP. VIII., etiam Prædecessoris nostri, de una, & in Concilio Generali edita de duabus dietis, aliisque Apostolicis Constitutionibus, nec non Cancellariæ prædictæ regulis nullis prorsus exceptis, & quæ sigillatim in quaque re extendi & exprimi possint, Statutis quoque & consuetudinibus Ecclesiarum, Monasteriorum, Universitatum, Collegiorum, Civitatum & locorum hujusmodi, nec non Ordinum quorumcumque Juramento, Confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis, etiamsi de illis servandis & non impetrandis Literis Apostolicis contra ea, & illis etiam ab alio vel aliis impetratis, seu alias quovis modo concessis, non utendo personæ persteterint eatenus vel imposterum perstare contigerit Juramentum, & aliis Privilegiis & Indultis Apostolicis generalibus vel specialibus quorumcumque, etiam Cisterciensium & Cluniacensium Ordinum, quæ præmissis quovis modo obstare videantur, per quæ præsentibus non expressa, vel omnino non inserta effectus impediri valeat quomodolibet vel differri, & de quibus quorumque totis tenoribus ad verbum habenda sit in nostris, Tuisque Literis mentio specialis, quæ quoad hoc nullatenus cuique vo-

lentes

lumus ſuffragari quibusque omnibus, cæterisque contrariis quibuscumque, ubi & quando expediet ſecundum rei & caſus exigentiam in genere vel in ſpecie, ac tam conjunctim, quam diviſim, prout Tibi placuerit, valeas derogare, ac ſuper iis indulgere, atque aliqui ſuper proviſionibus ſibi faciendis de hujusmodi, vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis in illis partibus generales vel ſpeciales dictæ Sedis, vel Legatorum ejus Literas impetrarint, etiamſi per eas ad inhibitionem, reſervationem & decretum, vel alias quomodolibet ſit proceſſum, quibus omnibus perſonas, in quarum favorem per Te de Beneficiis præfatis providebitur, aut alias diſponetur, in eorum aſſecutione volumus anteferri, ſed nullum per hoc eis quoad aſſecutionem Beneficiorum aliud præjudicium generari, ſeu ſi locorum Ordinariis & Collatoribus, vel quibusvis aliis communiter vel diviſim ab eadem ſit Sede indultum, quod ad receptionem vel proviſionem alicujus minime teneantur, & ad id compelli, aut quid interdici, ſuſpendi vel excommunicari non poſſint, quodque de hujusmodi vel aliis Beneficiis Eccleſiaſticis ad eorum collationem, proviſionem, præſentationem, electionem, ſeu quamvis aliam diſpoſitionem, conjunctim vel ſeparatim ſpectantibus, nulli valeat provideri per Literas Apoſtolicas, non facientes plenam & expreſſam & ad verbum de indulto hujusmodi mentionem. Volumus autem, ut præſentium tranſſumptis, etiam impreſſis, manu Tua, aut Regentis Cancellariæ tuæ, ac Sigillo tuo obſignatis, eadem illa prorſus fides in Judicio, & extra illud ubique locorum adhibeatur, quæ adhiberetur eisdem præſentibus, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Datæ Romæ apud Sanctum Petrum, Anno Incarnationis Dominicæ Milleſimo, quingenteſimo, octuageſimo quarto, quarto decimo Kal. Februarii, Pontificatus noſtri anno Tertio decimo, ſignatum ut ſequitur M. Prodat, deinde ſic Jo. Baptiſta Canobius, & A. de Alexes, evantque præſentes Literæ more Romanæ Curiæ ſub plumbo expeditæ. In dorſo erat ſignat. Rta apud Jo. Baptiſtam Secretarium. *Signatum* Lamb. Doupey, *publicus Sacris Apoſtolica & Imperiali auctoritatibus, nec non Inſignis Capituli Cathedralis Eccleſiæ, ac Curiæ Spiritualis Leodienſis Notarius juratus, per Copiam concordantem cum originalibus Literis, ſub plumbo more Rom. Cur. expeditis.*

SIXTUS PAPA V.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM & Apoſtolicam Benedictionem.

UT animarum ſaluti & populorum, qui ſub Tua ſunt Legatione, commodo conſulere uberius valeas, Fraternitati Tuæ, ut in iſtis partibus, in quibus Nuncii noſtri munus geris, quibuscumque perſonis Eccleſiaſticis, quæ fructus Eccleſiaſticos quomodolibet indebite perceperint, eosdem fructus omnes, ſive eorum partem, arbitrio tuo remittere & condonare, ſeu alicui fabricæ, vel Hoſpitali, aut pio operi applicare: ac etiam, quia redditus Eccleſiaſtici, ob diuturnum in iſtis Regionibus bellum, valde fuerunt imminuti, plura Beneficia incompatibilia obtinentibus, ut illa inſimul pro eorum congrua ſuſtentatione, ad tempus Tibi beneviſum, & alias, prout temporum, locorum, & perſonarum qualitate penſata noveris expedire: & pariter illegitimis, cum quibus Tibi facultas jam eſt tradita ad Beneficia Eccleſiaſtica, quæ plura non ſint, diſpenſandi etiam plura, quæ habuerunt, non tamen incompatibilia, ad eorum ſuſtentationem retinendi licentiam concedere, nec non ſuper impedimentis quarti & tertii ac quarti conſanguinitatis, ſeu affinitatis gradium cum perſonis, quæ ſcienter, vel ignoranter Matrimonium contraxerint, & etiam carnali copula conſummaverint, iis prius ab excommunicationis ſententia, & incæſtus reatu ſalutari pœnitentia injuncta, abſolutis, ut in Matrimonio ſic contracto remanere libere & licite valeant, dummodo mulieres propterea captæ non fuerint, diſpenſare, prolemque ſuſceptam & ſuſcipiendam exinde legitimam decernere, ac quascumque uniones de Beneficiis Eccleſiaſticis juxta jus commune & Concilii Tridentini Decreta facere, præterea quosvis hæreticos & ſchiſmaticos, ſi ad cor reverſi, errores ſuos recognoverint, & ad Eccleſiæ gremium admitti humiliter petierint, per Te, ſeu quoscumque Sacerdotes idoneos, ſeculares, vel cujusvis Ordinis Regulares, arbitrio Tuo deputandos, in foro conſcientiæ dumtaxat, injuncta eis pœnitentia ſalutari, abſolvere libere & licite valeas, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium facultatem tribuimus, non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, Statutisque & conſuetudinibus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die XII. Octobris M. D. LXXXV., Pontificatus noſtri anno

anno Primo. Sic ſubſcriptum : *Joannes Baptiſta Canobius.* A tergo : *Venerabili Fratri Joanni Franciſco, Epiſcopo Vercellenſi, noſtro & Apoſtolicæ Sedis ad partes Germaniæ Nuncio.*

VENERABILI FRATRI ERNESTO, EPISCOPO LEODIENSI,

GREGORIUS PP. XIII.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM & Apoſtolicam Benedictionem.

TAmetſi nemini dubium eſſe poteſt, quin Sacri Concilii Tridentini Decreta omnem vim habeant, etiam in iis Diœceſibus, in quibus non fuerunt hactenus publicata, neque probabilis ſit ulla omnino cujusque ignorationis excuſatio ; tamen voluimus his literis monere Fraternitatem Tuam, & mandare, ut ex Concilii ipſius præcepto, cui multo ante ſatisfactum eſſe oportuit, quamprimum licebit, habeas Synodum Diœceſanam, inque ea tum ipſe, tum cæteri, quos convenire oportuerit, omnia & ſingula, quæ in Sancto illo Concilio ſunt decreta & conſtituta, palam recipiatis, veramque obedientiam Romano Pontifici ſpondeatis, præſtaturosque Vos profiteamini, hæreſes omnes, Sacrorum Canonum, Tridentinique Concilii, cæterorumque Oecumenicorum Conciliorum Decretis damnatas, publice deteſtemini, anathematizetisque : neque ulla diſſimulatione patiatur Fraternitas Tua, hæc ipſa Decreta a quoquam violari aut depravari, operamque des, ut ab omnibus quam diligentiſſime fideliſſimeque ſerventur, impedimentaque omnia amoveas, recuſantesque omnes & contumaces, Tua, ut debes, auctoritate comprimas. Non dubitamus Fraternitatem Tuam noſtris monitis a ſumma noſtri muneris neceſſitate, & Dei gloriæ zelo profectis, quam libentiſſime obtemperaturam eſſe. Datum Romæ apud Sanctum Petrum ſub annulo Piſcatoris, die ſecunda Junii M. D. LXXXII., Pontificatus noſtri anno Viceſimo. Sic ſignatum : Ant. Buccapadulius, *cratque expeditum ſub annulo Piſcatoris more Romanæ Curiæ. Signatum* Doupey, Notarius *per Cop.*

ERNESTUS, ELECTUS ET CONFIRMATUS ARCHI-EPISCOPUS Colonienſis, S. R. I. per Italiam Archi Cancellarius & Princeps Elector, Electus & Confirmatus Epiſcopus Leodienſis, Poſtulatus Monaſterienſis, Adminiſtrator Hildesheimenſis, Friſingenſis & Stabulenſis, Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonii, Marchio Franchimontis, Comes Loſſenſis &c.

REverendi, Generoſi, Spectabiles, ſincere Dilecti, ſignificavit Nobis Illmus & Rmus D. Epiſcopus Vercellenſis, Nuncius Apoſtolicus, ſe a Sereniſſimo Principe Parmenſi in Civitatem noſtram Leodienſem reverſum aliquamdiu ibi moraturum, ut pro muneris ſui functione reformationem Eccleſiaſticam ibi inſtituat, atque imprimis ut ad ſanciendam & promulgandam in Diœceſi noſtra Leodienſi Sacri Oecumenici Concilii Tridentini obſervationem, Synodum Diœceſanam ſub beneplacito noſtro ibidem promoveat, de quo ei reſpondimus, Nos ad ipſius ſimul & veſtram deliberationem atque reſolutionem Nos referre, id quod vobis etiam his noſtris Literis indicare voluimus, vos hortantes & requirentes, ut cum ipſo Domino Nuncio in hanc deliberationem venientes, ea per Dei gratiam ſuadere & concludere ſtudeatis, quibus Divinæ ipſius Majeſtatis gloria, & Eccleſiæ ſalus atque honeſtas in Diœceſi noſtra Leodienſi augeantur. Cum qua fiducia omnia vobis Reverendi, Generoſi, Spectabiles, ſincere Dilecti, ſalutaria & proſpera a DEO Omnipotente toto animo precamur. Datum in Oppido noſtro Bonnenſi, XXIX. Junii 1585. *Signatum* ERNESTUS.

IV. Julii anno 1585.

REverendiſſimus & Illuſtriſſimus D. Epiſcopus Vercellenſis, Sanctiſſimi Domini noſtri Nuncius, ad has partes & alias Provincias miſſus, vocato per eum Clero primario ac ſecundario, intraneo & extraneo, ad Monaſterium Sancti Jacobi Leodii hora nona de mane, atque ejusdem Cleri Deputatis, Decanis, Abbatibus & Prælatis inibi comparentibus in aula ſuperiori expoſuit magna oratione primo, benevolentiam & promptum animum, quem Sua Sanctitas erga hanc Eccleſiam Leodienſem, quæ ſemper Romanæ Eccleſiæ unica Filia fuit, gerit, deinde cauſas ſuæ Miſſionis & Legationis, & hanc præcipuam, quod Sua Sanctitas deſideret & velit, ut Decreta Sacri Concilii

by Google

lii Tridentini, in multis Provinciis, eas repetendo, publicata & recepta, ita quoque ea hic in Diœcesi Leodiensi publicentur & recipiantur, & ob id, juxta Suæ Sanctitatis mandatum, constituisse in fine mensis Septembris proxime futuri, vel principio Octobris sequentis Synodum servare pro publicatione hujusmodi facienda, & Reformatione aliqua pro DEI cultus & Status Ecclesiastici honore statuenda, addiditque, se audivisse, Clerum præfatum conqueri super eo, quod fructus & proventus unius tantum Beneficii, ut sustinendo decenti Canonicorum gradui non sufficiant, habita ratione qualitatum earundem personarum, ac attentis præsentibus tumultuosis temporibus, rerumque, quo ad hoc dixit, se firmiter credere, Suam Sanctitatem desuper informatam, statim provisuram de aliquo remedio, ita quod de eo non erit locus querelæ. Ulterius declaravit, dictam Suam Sanctitatem Jubilæum concessisse ad implorandum sibi a Deo lumen & auxilium pro bono Catholicæ Ecclesiæ regimine, Bullam desuper expeditam exhibens. Et his dictis, atque finita oratione, impertitaque per dictum Nuncium Benedictione, Rdus Dnus Sigitt, Suæ Celsitudinis Vicarius, in pedes surgens, summas totius Cleri nomine Suæ Sanctitati, & deinde ipsi Dno Nuncio egit gratias de labore impenso, & quantum ad ea, quæ placuisset ipsi Dno Nuncio exponere, Dnos Prælatos ea omnia ad sua Capitula relaturos, & sperare ipsum Dnum Nuncium benignum & favorabilem rursum accepturum, & sic idem Dnus Nuncius prædictos Dnos Prælatos apud se in prandio manere jussit.

V. Julii anno 1585.

LEctis coram RR. DD. meis Literis, per Suam Celsitudinem ad Capitulum datis, quibus significat, Rmum & Illmum D. Episcopum Vercellensem, Nuncium Apostolicum cupere pro muneris sui functione Reformationem Ecclesiasticam in Civitate Leodiensi instituere, atque in primis ad sanciendam & promulgandam in Diœcesi Leodiensi Sacri Oecumenici Concilii Tridentini observationem; *Synodum Diœcesanam* sub beneplacito Suæ Celsitudinis in Civitate promovere, eandemque Suam Celsitudinem respondisse, ad illius simulque & Dominorum deliberationem atque resolutionem se referre, auditaque relatione Domini Scholastici super iis, quæ per Nuncium præfatum hesterno die apud Sanctum Jacobum Clero primario atque secundario, intraneo & extraneo, seu eorundem Deputatis, atque Abbatibus & Prælatis, inibi præsentibus, exposita fuere, primo affectum & benevolentiam, quam Sua Sanctitas, simulque & ipse Nuncius erga hanc Ecclesiam gerit, deinde Suam Sanctitatem cupere & velle, Canones & Decreta Sacrosancti Oecumenici & Generalis Concilii Tridentini in Civitate & Diœcesi Leodiensi publicari, & ob hoc circa mensem Septembris proxime futuri Synodum pro publicatione fienda servari, deinde eundem Nuncium Jubilæum Ssmi Dni nostri Papæ moderni ad implorandum eidem Ssmo, a Deo lumen & auxilium, pro bono Catholicæ Ecclesiæ Regimine exhibuisse, rogans Dominos, ut hujusmodi Jubilæum sequi vellent; Rdi Dni, omnibus auditis, deputaverunt Dnos Sigilliferum, Cancellarium, Præpositum S. Martini Gaverum, Officialem Leodiensem Goem, Scholasticum Carondelet, & D. Vice-Decanum D. Anthonium Ghennart, ad super præmissis cum Deputatis Cleri secundarii intranei & extranei communicandum & dispiciendum, quid conveniat & referendum.

Ad hæc decreverunt significandum secundariarum Ecclesiarum Decanis & Capitulis, atque Conventuum & Monasteriorum Civitatis Leodiensis Abbatibus & Prælatis, Capitulum primarium decrevisse, proxima die Dominica Jubilæum publicare, atque hebdomada sequenti, diebus videlicet feria quarta post Missæ celebrationem, Processionem ad Sanctos Dionysium, Paulum & Joannem, atque secunda feria sexta deposit. Vener. ad Ecclesias Ss. Crucis & Martini, & demum die Sabbati ad S. Petrum & Bartholomæum devote celebrare, eosdem propterea monere, & ad Ecclesiam Leodiensem comparere, & Processionibus interesse dignentur, & velint ad implorandum sibi Summo ac moderno Pontifici a DEO lumen & auxilium pro bono Catholicæ Ecclesiæ regimine.

Significatum ut supra emissis Schedulis per Claustrarium Vandersmissen.

VI. Julii anno 1585.

IN Congregatione Dominorum Deputatorum Capituli quo ad propositionem Rmi & Illmi Domini Joannis Francisci, Episcopi Vercellensis, Legati Apostolici novissime factam, post multas ac diversas adductas rationes super publicatione Concilii Tridentini hic in Civitate Leodiensi & Diœcesi fienda vel non fienda, simulque de die, qua esset observanda Synodus, visum est, quod ad ipsam Synodum servandam posse dies constitui in initio Octobris proxime futuri; ac in medio ejusdem.

Et interim quoad publicationem Concilii Tridentini cum Deputatis Cleri secundarii communicandum, singulaque Capita, quæ viderentur publicationem præstaturi

poſſe præjudicium adferre Jurisdictioni ſpirituali Leodienſi, & etiam toti Clero, colligenda, ut ſingulis bono ordine redactis poſſit deſuper cum Domino Legato conferri.

Rdus Dnus Decanus Leodienſis inſequendo ordinationem Rmi Domini noſtri Epiſcopi Leodienſis de approbatis Confeſſoribus, ad tres hebdomadarios noſtros Vicarios, adjungit, D. & M. *Joannem Huveners*, *Petrum Vanderſmiſſen*, *Petrum Leviryck*, *Antonium Tilon*, & *P. Oems*, quibus concedit facultatem excipiendarum Confeſſionum Rdorum Dominorum Canonicorum ſuorum Confratrum, Beneficiatorum & Officiatorum Eccleſiæ omnes & ſingulos adhortans, ut ſtudeant ſe tanti doni plenariæ nimirum omnium ſuorum peccatorum Indulgentiæ facere participes, ea ſedulo præſtando, quæ pro ipſis conſequendis S. Sanctitas in ſuis Literis requirit: ſi quis forte cujuspiam alterius Eccleſiæ Sacerdotis operam hac in re uti maluerit, illi petita licentia non gravatim concedetur, dummodo probum & minime ſcandaloſum deligat. *Datum anno Domini XV^c octuageſimo quinto, menſis Julii die duodecima.*

NOTA. Servatæ fuerunt Proceſſiones per Clerum primarium & ſecundarium, atque Abbates & Conventuales Monaſteriorum intraneorum & extraneorum: videlicet *Laurentii*, *Egidii* & *Sancti Leonardi*, & hoc ſucceſſivis vicibus, videlicet *Feria quarta* ad *S. Dionyſium*, *Joannem & Paulum*, *Feria ſexta* ad *S. Crucem* & *Martinum*, *Sabbato* ad *S. Petrum* & *Bartholomæum*, adfuitque in omnibus Proceſſionibus & quibuscumque Eccleſiis ſupradictus Legatus, & Collectas decantavit, præſente populo in magna congregatione, & magna cum devotione. Quibus factis, die *Dominico* ſequenti idem Nuncius, Miſſam in Eccleſia Leodienſi in Pontificalibus celebravit, & finito Evangelio, Concionem latino ſermone, ſedens in Pontificalibus ante Altare majus, Clero primario & multis Civibus in magna copia inibi congregatis, fecit, & in ea declaravit, quam vim & efficaciam Jubilæum conceſſum habeat, & demum finita Miſſa, multis Officiariis Eccleſiæ, & aliis Civibus, Sacroſanctam Euchariſtiam miniſtravit, valde devote.

Die vigeſima quarta menſis Julii anno 1585. Rmus Dnus Nuncius procuravit affigi valvis Mandatum, per quod ſignificat, ſe ſervaturum Synodum tertia die menſis Octobris proxime futuri, citando ob hoc omnes Prælatos, Diœceſis Leod., ut ad hanc diem adſint.

Die decima quinta Julii anno XV^c octuageſimo quinto, Rdus D. Sigillifer expoſuit Dominis meis, ſtatim a Matutinis decantatis Capitulariter congregatis, Rmum Dominum Epiſcopum Vercellenſem, Nuncium Apoſtolicum, hoc mane ſuum Datarium ad eum miſiſſe cum facultatibus per Summum Pontificem in ſua ad has & alias Provincias Legatione ſibi datis, eas in Capitulo Leodienſi legendas, maxime quod intelligeret a nonnullis de eis dubitari, ſuper qua expoſitione habita deliberatione, acceptis dictis facultatibus ordinaverunt per me Notarium copiam inde fiendam, craſtinoque in Capitulo legendam & publicandam.

Die decima ſeptima Julii anno 1585. lectæ & publicatæ in Capitulo dictæ Facultates Nuncii, quæ manſerunt in manibus Domini Levini Torrentii, Vicarii S. Celſ. in modum munumenti ſcriptæ.

Die ultima Julii anno 1585. quoad deambulationes in inſigni Eccleſia Leod., quas Rmus & Illmus D. Nuncius Apoſtolicus, Epiſcopus Vercellenſis, ſummopere cupit tolli & amoveri, Reverendi Domini mei, poſtquam Reverendus Dominus Præpoſitus brevi in civitatem expectatur, cenſuerunt illius adventum expectandum, & in illius præſentia de omnibus mediis, quibus hujusmodi deambulationes tolli poterunt, diſpiciendum, ut, quanto fieri poterit, petitioni dicti Domini Nuncii in hac parte ſatisfiat.

Ad hæc cum jam diu ex parte Capituli deputati ſint ad communicandum cum Clero ſecundario, vel illius Deputatis ſuper publicatione Concilii Tridentini, & iis, quæ ex ea dependere videbuntur, ordinaverunt intimandum D. Decano Sancti Petri, & Decanis Eccleſiarum ſecundariarum, ſignificet dictam deputationem factam, utque iidem in effectum præmiſſum ſuos velint dare Deputatos.

NOTA intimatum D. Decano S. Petri per Schedulam ſequentem.

EX parte Inſignis Capituli Leodienſis ſignificatur Reverendo D. Decano Divi Petri Leodienſis, dictum Capitulum ſuos dediſſe Deputatos, ad communicandum cum Dominis Eccleſiarum ſecundariarum Decanis, aut eorundem Deputatis ſuper publicatione Concilii Tridentini, & iis, quæ ex ea dependebunt; itaque placeat præfato D. Decano intimare prædictis Dominis ſecundariarum Decanis, ut ſuos quæque Deputatos, in finem & effectum prædictum, dare velint. Actum in Capitulo, die ultima Julii 1585.

Intimavit Walterus.

Pend.

Penultima Julii anno 1585.

NOTA. D. Officialis Leodienſis expoſuit Dominis meis, Capitulariter congregatis, Rmum D. Epiſcopum Vercellenſem, Nuncium Apoſtolicum, ſibi declaraſſe; ut cum intelligerer nonnullos conqueri publicationem Concilii Tridentini poſſe magnum adferre præjudicium Jurisdictioni Eccleſiaſticæ Rmi Epiſcopi Leodienſis quoad Clericos, & etiam Privilegiis Eccleſiæ & Patriæ Leod. per Summos Pontifices & Imperatores conceſſis, itaque ſe cupere omnia hæc ſcripto ſibi tradi, ut illa apud Summum Pontificem mittere poſſet, addens ſe ſperare, eundem Dnum Pontificem pro ſua, quam erga Eccleſiam Leodienſem gerit, fiducia, & intellectis rationibus, futurum benevolum: ſic videbatur Dominis meis, non fore abs re, ſi Vicarius Rmi cogitaret Prælatos totius Cleri ad ſe vocare, ut mutua communicatione ſingula colligerentur, & capitulatim ſcripto redigerentur, atque Nuncio ante diem futuræ Synodi communicarentur.

EXEMPLAR LITERARUM Patentium Reverendiſſ. in Chriſto Patris & Illuſtriſſ. Domini JOANNIS FRANCISCI, Epiſcopi Vercellenſis, Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ Nuncii cum poteſtate Legati de Latere, Indictionis Synodi Diœceſanæ Leodienſ. ad tertium diem proximi menſis Octobris M.D.LXXXV. in Civitate Leodienſi habendæ & celebrandæ.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

J. FRANCISCUS, DEI ET APOSTOlicæ Sedis gratia Epiſcopus Vercellenſis & Comes: in tractu Rhenano, inferiorisque Germaniæ, ac Belgarum & præcipue Leodienſ., & Provinciis, Civitatibus &c. locis omnibus Nuncius Apoſtolicus cum poteſtate Legati de Latere.

CUm in præcipuis curis Nobis a Sede Apoſtolica una cum hac Legatione impoſitis, illa non poſtremum locum teneat, ut Diœceſanas, Provincialesque Synodos, ad Sacrorum antiquorum Canonum & Tridentini Concilii præſcriptum in uſum revocemus, quæ una prope eſt ac neceſſaria quidem hac exulceratiſſima tempeſtate Dei gloriæ, Eccleſiaſticæ diſciplinæ, Catholicæque etiam Religionis promovendæ, inſtauranda que ratio, committere non poſſumus pro ſingulari noſtro erga Nobiliſſimum hunc Clerum, inclytamque hanc Leodienſem Patriam affectu, quin hoc tam ſalutare, tamque neceſſarium charitatis, ſolicitudinisque Paſtoralis officium Eccleſiæ huic Leodienſ. primum præſtaremus, ea præſertim ſpe ducti, ut in hac vinea longe uberiores fructus, quam aliunde percipiamus, & aliæ finitimæ Eccleſiæ, quæ cum a tumultibus bellicis nondum ſint immunes (quod tamen Dei gratia, brevi futurum ſperamus) non ita facile hos Clericorum Conventus admittere nunc poſſent, pio Leodienſis exemplo excitatæ, paulo poſt ipſæ, & hanc eandem, omnemque aliam rectius conformandæ Cleri diſciplinæ, cultusque Divini reſtituendi rationem ſtudioſius atque adeo ardentius amplectantur, Synodum igitur Diœceſanam ita ſane Sanctiſſimo D. N. SIXTO Papa Quinto jubente, Sereniſſimoque ac Reverendiſſ. Domino ERNESTO Epiſc. Leodienſ, Archi-Epiſcopoque Colonienſ. & Principe Elector &c. non modo conſentiente, verum etiam fortaſſis adſuturo [ſi tamen Colonienſis belli, aliæque graviſſimæ curæ id illi permittent] habere ſtatuimus hic Leodii in Eccleſia Cathedrali Sancti Lamberti, ad primam feriam quintam Octobris proxime futuri, quæ quidem erit tertia ejusdem menſis dies, quamobrem ipſam Synodum ad illum tertium Octobris diem celebrandam auctoritate Apoſtolica indicentes, univerſos & ſingulos, qui in hac Civitate, ac Diœceſi Leodienſi dignitates, vel Beneficia quævis Eccleſiaſtica, & ſine ulla cura animarum obtineant, omnesque tam Regulares, quam ſæculares, qui quovis jure, vel conſuetudine Diœceſanæ Synodo intereſſe debent, monemus in Domino, eisdemque in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis Sacrorum Canonum jure conſtitutis, injungimus, & mandamus, ut ipſi decenti habitu, nempe talari veſte, ac ſuperpelliceis mundis induti, præſtituta illa die, ſummo mane in Cathedrali Eccleſia Sancti Lamberti conveniant, non ante Synodi finem, ac ſine permiſſu noſtro ex hac Civitate abituri, ſi qui vero Prælati ſunt ſæculares aut Regulares, Abbates, Præpoſiti, Priores, aut alio quovis nomine nuncupati, qui Diœceſanis Synodis eam ob cauſam, quod ab omni ordinario jure exempti ſint, tantumque Sedi Apoſtolicæ ſubjecti, minime intereſſe ſoleant, eos nihilominus, eosdemque propoſitis pœnis, ut adſint, monemus, volumusque omnino, ut cum auctoritate Apoſtolica a Nobis evocentur, intereſſe etiam ipſi una cum aliis, ne ulla ratione prætermittant. Declarantes tamen nullum inde inferri, oriri ve unquam poſſe eorum juri-

bus, privilegiis, vel exemptionibus præjudicium, ne vero si omnes ad unum Parochi conveniant, tempore Synodi interdum contingat aliquos Christi fideles absque necessario Sanctissimorum Sacramentorum subsidio ex hac vita decedere, ideo Decanorum prudentiæ & arbitrio illud permittimus, ut aliquibus Parochis, qui ejusmodi necessitatibus incidentibus subvenire non incommode queant, id curæ mandare, atque committere, eisque ne Leodium ad Synodum accedant, veniam possint concedere, ut autem feliciorem Synodalis hujus tractationis eventum impetremus a Domino, illud edicimus atque expresse mandamus, ut tam in Cathedrali, quam Collegiatis quibusque & Parochialibus, nec non & Regularium quorumcumque Civitatis ac Diœcesis universæ Leodiens. post indictam Synodum, quinta quaque feria, triplici officio non impedita, Missa de Spiritu Sancto celebretur, at ubi ob Festum aliquem incidentem diem solemnius Sacrum erit faciendum, Commemoratio saltem de eodem Sancto Spiritu ne prætermittatur, quarum in verum omnium fidem, ac testimonium, has Literas nostras, nostrique Secretarii manu signatas, confici, Sigilloque nostro muniri & promulgari jussimus, Cathedralisque Ecclesiæ, & Officialis Curiæ, nec non Sancti Jacobi valvis affixas, eandem vim habere volumus & declaramus, ac si ipsis omnibus & singulis supradictis, aliisque omnibus, quorum interest, vel interesse potest, reditæ essent, ac denunciatæ. Datum Leodii in ædibus Sancti Jacobi, V. Cal. Sextil. M.D. LXXXV. Habebatur *J. FR. Ep. Vercellen. Nunciusque Apostolicus, J. Antonius Caresana Secretarius.* Leodii typis *Gualteri Morberii.*

MEMORIALE.

Nullo modo prætermittes, quin ad hanc Epistola hac nostra, cui hæc Schedula inclusa est, memoratam Synodum personaliter venias; nisi detinearis infirmitate gravi, vel inevitabili necessitate, quod si venire non poteris, mittes ad Synodum cum Literis tuis patentibus causam infirmitatis tuæ, vel necessitatis expresse continentibus tuo sigillo, vel alio authentico sigillatis, per quas te obligabis ad Statuta ipsa Synodalia observanda, Capellanum, vel Clericum, vel alium idoneum habentem, per ipsas Literas potestatem te absentem excusandi & Canonicum impedimentum in animam tuam jurandi, & Mandata Synodi ad te referendi, porro quod ad Decanatus tui Pastores attinet, bene erit, si ob causas Literis patentibus dicti Domini Nuncii Apostolici hic per Copiam excusam, similiter adjunctis expressas potiores tantum, ac principaliores aliquot ipsius tui Decanatus Pastores pro arbitrio tuo tecum adduces.

Ad comparendum ad Synodum.

ERNESTUS, DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA, ELECTUS & Confirmatus Archi-Episcopus Colonien sis & Princeps Elector, Confirmatus Episcopus Leodiens., Hildesheimens. & Frisingens., Postulatus Monasteriensis, Administrator Stabulensis, Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ, Wuestphaliæ, Angariæ & Bullonii, Marchio Franciomontanus, Comes Lossensis, Longiens. Hornens. &c.

REVERENDE NOBIS IN CHRISTO, sincere Dilecte:

Mittimus Devotioni Tuæ Exemplar typis excusum, ac de speciali nostro Mandato per Sigilli nostri ad causas Notarium signatum Literarum patentium Rmi & Illmi Domini, D. JO. FRANCISCI, Episcopi Vercellensis, ac Sanctissimi D.N. Papæ, & Sedis Apostolicæ Nuncium cum potestate Legati a Latere, Synodi nostræ Diœcesanæ Leodiens. in tertium diem proximi mensis Octobris indictæ, habendæ & celebrandæ, ad finem & effectum eisdem Literis expressos, quarum Literarum tenore considerato, Tibi auctoritate nostra Episcopali & ordinaria de consilio & assensu Reverendorum, Nobilium & Spectabilium Confratrum nostrorum Decani & Capituli Ecclesiæ nostræ Cathedralis Leodiens. tenore præsentium, præcipimus & mandamus, ut juxta eundem tenorem in dicta nostra Synodo Diœcesana ad diem suprascriptum compareas, aliasque & alia facias, quæ & prout in dictis Literis ad Devotionem Tuam & officium Tuum pertinentia videbis, plenius contineri, quod a Devotione T. nullo modo & sub pœna inobedientiæ in eventum Tui hac in parte defectus prætermitti, prout prætermittere non potes, nec debes, volumus: Devotionem T. in Domino recte valere optamus. Datum in Civitate nostra Leodiens. sub Signatura Vicarii nostri in Spiritualibus Generalis. XV. Septemb. 1585.

Signatum L. TORRENTIUS *Vicarius.*

ARTICULI GRAVAMINUM

Quorum supra facta est mentio.

I.

TAm Cathedralis, quam aliarum Ecclesiarum personæ eximuntur ab omni Juris-

I.

Ecclesiæ Cathedralis Leod. & tot aliarum Insignium Collegiatarum Ecclesiarum in

Digitized by Google

Jurisdictione Episcopi. Sed Conc. Trident. Sess. VI. C. 4. & Sess. XIV. C. 4. idem Sess. XXV. C. 6. abrogat omnia hujusmodi Privilegia, imo secundum præfatum Capitulum sextum Capitulis sive Decanis non subessent Capellani.

II.

Archidiaconus de matrimonialibus & criminalibus causis, præsertim ex incontinentia provenientibus, cognoscendi potestas adimitur, Sess. XXV. C. 14. & Sess. XIV. C. 20.

III.

Pluralitas Beneficiorum cum perceptione fructuum grossorum per PP. Sixtum IV. & Nicolaum V. conceditur Canonicis Cathedralis Ecclesiæ, sed Decreto Concil. Sess. XXIV. C. 17. tollitur.

IV.

Omnes Canonici sunt hactenus ab Ordinibus liberi, & in aliquibus Ecclesiis, etsi non sint in Sacris constituti, tamen habent vocem in Capitulo. At Sess. XXIV. C. 12. decernitur omnes in Cathedralibus cogendos esse Presbyteros Præbendarum Leodiensium, ubi minor est numerus, nisi ex Statutis provisum sit, in Synodo provideri poterit.

V.

Ex antiqua observatione vere Nobiles quanquam alioqui idonei non suscipiunt gradum: ne ergo per indirectum priventur, dignitati Archidiaconali sufficere debet, probari eos ab Episcopo, quemadmodum & cum Episcopus dispensatur, in Germania modo congruentem doctrinam habeant, etiam sine gradu, ut vero Diaconatus Ordinem suscipiant intra annum, nemo poterit prohibere.

VI.

Ad distributiones quod attinet, difficulter fieri posset distinctio, seu divisio tertiæ partis, sufficiat notabilem aliquam perditionem statui pro absentibus in majoribus officiis Matutinis, Missa, Vesperis, præsertim in tam frequenti numero.

in hac Diœcesi tam Canonici, quam alii subditi, præsertim actu servientes, plurimorum Pontificum Privilegiis ab omni pene tempore exempti fuerunt a Jurisdictione Episcopi, nec sine gravi perturbatione eidem nec subjici possent, neque Episcopus, qui & ibidem Princeps est, hanc curam sibi committi postulat, quin & Rmus & Illmus D. Nuncius expresse declaravit, se hujusmodi Privilegiis nolle contravenire, quare satius est Decanis hanc curam committi, qui si forte per se sufficere non possint, aut si negligentes notabiliter insignis aliqua persona, vel etiam plures, qui tanquam Delegati Apostolici jurisdictionem exerceant Privilegiis salvis.

II.

Archidiaconi Ecclesiæ Leodiens. a primæva fundatione concurrunt cum Episcopo, non tamen gravioribus delictis & carcerem merentibus se immiscent, leviora autem tuto cognoscunt, præsertim in tam lata Diœcesi.

III.

Istud Privilegium peculiariter competit Canonicis Cathedralibus, nec est in usu ideoque de novo, si ita videatur, petendum esset.

IV.

In Cathedrali Ecclesia, qui majorem Ordinem non habent, nec integros fructus faciunt, nec Capitulares sunt. Idem in reliquis servari posset, & ad Presbyterales Præbendas, quod attinet, nullus notabilis defectus est, ob multitudinem vel Subdiaconos fieri, ita ut media pars sint Presbyteri, maxime in illis Ecclesiis, ubi Beneficia habent hujusmodi onera, ut alii Missas, alii Evangelium, alii Epistolam cantent, alioquin Conc. permittit Canonicos manere in minoribus Ordinibus, modo vocem in Capitulo non habeant, juxta C. 4. Sess. XXII.

V.

Archidiaconi debent esse Magistri in Theologia, vel Doctores aut Licentiati in Jure Canonico, & debent promoveri intra annum. C. 12. Sess. XXIV.

VI.

Ex antiqua consuetudine certa quædam portio præsentibus Canonicis in Ecclesia distribuitur. At Conc. vult tertiam partem distributionibus impendi, Sess. XXII. C. 3. & Sess. XXII. C. 111. & Sess. XXIV. C. 12.

Digitized by Google

VII.

Jura Receptionis in Canonicum in Eccleſia Cathedrali, & plerisque aliis applicantur ad pios uſus, atque Eccleſiæ neceſſitatem idem ſtatuatur in omnibus.

VIII.

Sacerdotes paſſim audiunt confeſſionem Sacerdotum, licet Beneficium Parochiale non habeant, & approbati vel admiſſi non ſint, contra C. 15. Seſſ. XXIII.

IX.

Hactenus Archidiaconi & alii inſtituendi proviſos aut præſentatos habuerunt poteſtatem, quæ videtur ſublata per C. 13. Seſſ. XIV. Exiſtimo tamen dictam poteſtatem remanere penes Archidiaconos; cum Conc. permittat inferioribus, ad quos ſpectat inſtitutio, eandem poteſtatem reſervato examine inſtituendorum Epiſcopo.

X.

Conſervatores ſuos quæque Eccleſia habuit. Verum Seſſ. XIV. C. 5. eorum poteſtas reſtringitur maxime in criminalibus & mixtis cauſis, quas cognoſcere debet Epiſcopus, vel ordinarius Superior.

XI.

Clerici conjugati ex longo uſu Eccleſiaſticæ jurisdictioni ſubjiciuntur, licet habitum & tonſuram non deferant, aut alicui Eccleſiæ vel Epiſcopo non deſerviant, quod ſit contra C. 6. Seſſ. XXIII.

XII.

De Seminariis ſuo tempore agi poterit.

XIII.

Uſu obtentum eſt, ut Ordines in Eccleſia Cathedrali non conferantur, nec multum intereſt, cum tot aliæ Eccleſiæ ſint ac Monaſteria valde inſignia, ſtatuatur tamen, ut Suffraganeo Ordines conferenti aſſiſtant, præcipuæ quinque Eccleſiæ, in qua id fieri contingit.

XIV.

Non poteſt hic Articulus alicui diſplicere.

XV.

De Scholaſtici officio ſufficere videtur, ut dignis & ſine gradu conferatur, præſertim ſi

VII.

Hactenus aliquid pro Receptione Canonicorum aut Capellanorum ſolvi conſuetum, id per Conc. Seſſ. XXIV. C. 14. abrogatur, niſi in pios uſus convertatur.

VIII.

Hic defectus corrigi poterit in Conſtitutionibus Synodalibus brevi, ut ſperatur, publicandis.

IX.

Inſtitutiones Beneficiorum conſueto more merito penes Archidiaconos remanere debent, attento quod concurrunt ab origine cum Epiſcopo, qui idem etiam Princeps cum ſit, pluribus negotiis diſtrahitur, accedit Collegium ad hoc ordinatum, ut ſine maturo conſilio nemo inſtituatur, ſed & jura conſueta merito ſolvenda ſunt, quia valde moderata & alioquin Archidiaconi nihil fixi emolumenti habent.

X.

Ad Conſervatores Eccleſiarum quod attinet, Clerus ſecundarius ſimul omnis habet, Abbatem S. Laurentii, Epiſcopus & Clerus primarius Abbatem S. Jacobi, nec ſane convenit ut Regulares, cum ſint cauſis criminalibus vel mixtis, ſe immiſceant.

XI.

Per reformationem Curiæ ſpiritualis Leod. providetur, ne in criminalibus pro Clericis habeantur alii, quam qualificati juxta Conc. Trid., quod vere ad conjugatos & alios ſimiles attinet Epiſcopus, qui etiam ut Princeps utramque jurisdictionem habet ſtatuere, merito poteſt, ut coram Officiali ſuo in civilibus conveniatur, & non alibi, niſi velint.

XII.

Onera Seminarii omnes communiter coguntur ſuſtinere tam Epiſcopi, quam Capitula, Abbates regulares, & quicumque Beneficiati officia habentes & exempti, C. 18. Seſſ. XXIII.

XIII.

Suffraganeus in quacumque Eccleſia confert Ordines, at Conc. Seſſ. XXIII. C. 8. vult Ordines in Eccleſia Cathedrali præſentibus Eccleſiæ Canonicis, extra vero Civitatem in Eccleſia digniori celebrari.

XIV.

Una Præbenda Doctori Theologo, & alia Pœnitentiario erit conferenda, C. 1. Seſſ. V. de Reform. C. 8. Seſſ. XXIV. de Reform.

XV.

Scholaſtriæ debent conferri Magiſtris in Theologia, aut Doctoribus vel Licentiatis in

Digitized by Google

ſi in Eccleſiis ſingulis ſit Præbenda Theologalis.

XVI.

Epiſcopus omnium piarum diſpoſitionum eſt Executor, C. 8. Seſſ. XXII. ſicque hic non obſervatur.

XVII.

Clauſura Sanctimonialium non eſt in obſervantia, & quicunque ſepta Monaſterii ingreditur, quod eſt contra C. 5. Seſſ. XXV.

XVIII.

Paſſim Monachi & Moniales proprium habent. Conc. C. 2. Seſſ. XXV. de Reg. & Mo.

XXIX.

Unus Suſceptor & una Suſceptrix in Baptiſmo permittitur. C. 2. Seſſ. XXIV.

in Jure Canonico, vel aliis idoneis, qui per ſe ipſos docere queant, C. 18. Seſſ. XXIII.

XVI.

Optandum ſane eſſet, ut hic Articulus (quod hic Leodii erit difficile) obſervaretur.

XVII.

Utiliſſime erit hunc Articulum obſervari per diſcretionem Rmi & Illmi Nuncii.

XVIII.

Hoc quoque remittitur diſcretioni & prudentiæ Rmi Nuncii.

XIX.

Pars Concilii Tridentini, quæ Matrimonia & Baptiſmum concernit, publicata fuit Leodii, mandetur ſerio, ut obſervetur.

CUm exemptio Cathedrali & Collegiatis Eccleſiis Civitatis & totius Patriæ Leod. ex juſtis & rationabilibus cauſis conceſſa, & correctio delinquentium partim per Summos Pontifices, partim per Statuta nonnullis Prælatis & Capitulis ipſis demandata fuerit; habeantque ſingulæ Eccleſiæ ſua Statuta, quibus delicta & exceſſus corrigi mandantur, vitæque & morum probitas commendatur, ſimiles & jam generales unius ditionis exemptiones per Concilium Tridentinum abrogatæ, non credantur exemptiones hujusmodi & correctiones firmæ & illæſæ perſiſtant, quod ſi forte (quod non creditur) aliqui eorum, ad quos correctio ſpectat, officio ſuo deeſſent, illud ipſum per Ss. Petri & Martini Collegiatarum Leod. Decanos, illud auctoritate Apoſtolica per fel. rec. JULIUM Secundum, & utrimque poſtea per totum Clerum ſecundarium Leod. Deputatos ſuppleatur, & ne ullomodo delicta impunita maneant, ipſi provideant.

Pluralitas Beneficiorum ſimplicium & compatibilium ex æquo omnibus propter fructuum eorundem ut plurimum tenuitatem, annonæque in Belgio caritatem, promittatur.

Nullus Canonicus Civitatis Leod. in aliquo ex Sacris Ordinibus non conſtitutus, ſit Capitularis, nullusve Sacris ante vigeſimum tertium ſuæ ætatis annum initietur, initiati vero in vigeſimo tertio anno conſtituti ſint omnium fructuum Canonicatuum & Præbendarum ſuarum capaces, non initiati autem ante trigeſimum quartum annos completos fructus non habeant, & Statuta eccleſiarum hic ſerventur.

Quicumque reſidentes Canonici tribus Horis majoribus ſeu Officiis intererunt loco, diſtributionum quotidianorum condignam portionem, per Capitula ordinandam & ita-

ruendam, habeant jura receptionum, ubique ſimplicia ſint, & fabricæ aut piis uſibus applicentur.

Anni gratiæ & fabricæ a Majoribus non ſine juſta cauſa inſtituti, ac etiam auctoritate Apoſtolica indulti, immobiles & continui juxta inſtitutionem & indultum perſiſtant, ſed a die vacationis, & non aliter, currere incipiant.

Archidiaconi, & alii inferiores, qui in poſſeſſione, ſeu quaſi juris ſibi præſentatos, inſtituendi, & jura eapropter elolvi ſolita recipiendi, necnon cauſas deſuper motas & movendas cognoſcendi & decidendi exiſtunt, in eadem ſua poſſeſſione & conſuetudine in præmiſſis dumtaxat permanent, ſic tamen quod iſta per ſe ipſos, vel alios de jure habiles & qualificatos exercere, & cognoſcere, & in reliquis omnibus officia ſua obſervare debeant & teneantur.

Quicumque Conſervatores hactenus auctoritate Apoſtolica dati munus ſuum obire continuent & perſeverent.

Piarum diſpoſitionum executio, in Collegiatis penes Capitula eſto, in aliis vero jus commune ſervetur.

Super his omnibus ante publicationem Concilii per Summum Pontificem provideatur.

XXVII. Septembris anno 1585.

COmparuit perſonaliter ad Capitulum Reverendiſſimus & Illmus Dominus Epiſcopus Vercellenſis, Nuncius Apoſtolicus coram reverendis Dominis meis Capitulariter congregatis, atque omnium initio Literas Suæ Celſitudinis, ad Capitulum ſcriptas, infractas reddidit, quibus eadem Sua Celſitudo præfatos Dominos meos hortatur, ut pro reverentia & obedientia Sanctæ Sedi Apoſto-

Digitized by Google

poſtolicæ debitis ipſius Nuncii voluntati obtemperare ſtuderent, atque ulterius brevi oratione eosdem Dominos meos admonuit, ut cum brevi inſtaret dies celebrandæ Synodi, atque hactenus inter ipſum, & præfatos Dominos meos propemodum conveniret ſuper eis, quæ in eadem Synodo proponenda forent ſalvo articulo frequentationis Horarum dignarentur, quantum fieri poſſet, ſe accommodare maxime, quod omnia in honorem Dei & conſcientiarum Dominorum exoneratione tenderent, ſubjungens ulterius, ut ſi qui ex Dominis eſſent, qui ſe gravatos aut oppreſſos prætenderent, ad illum comparere vellent illos libenter auditurum, unde Reverendus Dominus Scholaſticus eidem Domino Nuncio totius Capituli nomine ſummas egit gratias de benevolentia & promptitudine Dominis præſentibus offerendi quæcumque obſequia, & eodem Domino Capitulari loco egreſſo, & habita ſuper præmiſſis deliberatione, Domini mei ordinaverunt omnes ad craſtinam diem hora nona de mane ad Capitulum in vim juramenti, & ſub pœna trium ſtuferorum vocandos, ad ſuper negotio prænotato mature & penitus deliberandum & concludendum, & interim Deputatos dicta craſtina die ſtatim a Matutinis, ad Capitulum convenire debere, & ſingula adamuſſim & penitus examinare, ut maturo conſilio omnia fiant.

ERNESTUS, ELECTUS ET CONFIRMATUS ARCHI-EPISCOPUS Colonienſis, S. R. I. per Italiam Archi-Cancellarius & Princeps Elector, Electus & Confirmatus Epiſcopus Leodienſis, Adminiſtrator Heldisbemenſis, Friſingenſis & Stabulenſis, Comes Palatinus Rheni, Dux utriusque Bavariæ, Weſtphaliæ, Angariæ & Bullonii, Marchio Franchimontis, Comes Loſſenſis &c.

REVERENDI, GENEROSI, SPECTABILES, ſincere Dilecti,

QUoniam Rmus & Illmus Dnus Epiſcopus Vercellenſis, Nuncius Apoſtolicus, iſtuc proficiſcitur, ut juxta commiſſum ſibi a Sanctiſſimo Domino noſtro Papa, & Sancta Sede Apoſtolica munus inſtitutum a ſe, & propoſitam ibi nuper Ordinationem Eccleſiaſticam in Dioceſi noſtra Leodienſ. Divina favente gratia perficiat, omittere noluimus, quin has ad Vos Literas daremus, quibus Vos hortamur, ut pro reverentia & obedientia Sanctæ Sedi Apoſtolicæ a Vobis nobiscum debitis, de quibus ipſe D. Nuncius Clerum & populum noſtrum Leodienſem vehementer laudat, ipſius, ut par eſt, voluntati obtemperantes, ejusque, ut Noſtri, rationem habentes, reliquum Clerum & populum noſtrum in Vos reſpicientem, hoc exemplo noſtro in eodem officio confirmetis. Quod ſupereſt, omnia Vobis Reverendi, Generoſi, Spectabiles, ſincere Dilecti ſalutaria & proſpera a Domino DEO precamur. Datum in oppido noſtro Bonnenſi, ſecunda Septembris 1585.

Signatum ERNESTUS *mpp.*

Vigeſima octava Septembris anno 1585., ſtatim a Matutinis decantatis, convenerunt in Capitulo in parte Deputati, & nonnulli & colloquio habito ad invicem ſuper multis, quæ concernebant Synodum Anno quadrageſimo octavo ſervatam, videlicet de comparitione Prælatorum, & ſuper articulis, quos correxit D. Vicarius, ſuper ſcriptis abinde receſſerunt nulla capta concluſione.

XXVIII. Septembris anno 1585.

LEctis coram Reverendis Dominis meis articulis ſupraſcriptis ex Decretis Concilii per Deputatos extractis, cum annotatione Gravaminum ad quemlibet articulum hujusmodi placuit ſententia Deputatorum, ſalvo articulo de pluralitate Beneficiorum cum perceptione fructuum groſſorum Præbendæ, in quo cenſuerunt privilegiis per Summos Pontifices conceſſis, omnino inhærendum, & illis inſiſtendum nec recedendum, & ob id publicationem hujusmodi articuli ſuſpendendum, ſalvis tamen de Beneficiis incompatibilibus, item articulo frequentationis Horarum, ad quam nullo modo aſtringere intenduntur, niſi ad unius Horæ dumtaxat frequentationem, per eos, qui in civitate erunt, ſalvis tamen quatuor menſibus, quibus ex Statuto abeſſe licet, & præſentibus aliquam honeſtam portionem conſtituendi, extra tamen maſſam Præbendarum, quam intactam ea ratione intelligunt.

II. Octobris anno 1585.

in Capitulo.

LEctis coram Reverendis Dominis meis articulis infraſcriptis ex multis & crebris Deputatorum habitis congregationibus, conceptis, cum Schedula per Reverendiſſimum & Illmum Dnum Nuncium pro ſecuritate Cleri ſignanda, videlicet, delationis, executionis Concilii Tridentini, quoad hujusmodi articulos, placuerunt Dominis hujusmodi articuli ſalvo articulo finali de Judicibus delegatis, quem Domini arcenis ſuis & Eccleſiæ privilegiis expunctum volunt, & ſuis privilegiis inhærendum.

ARTI-

ARTICULI CONCERNENTES Gravamina, & quorum moderatio petitur, ſignati per Nuncium.

CUm Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus Dominus Nuncius Apoſtolicus in futura Synodo non putet expedire, ut de iis Articulis & Gravaminibus, quorum moderatio & declaratio ex parte Cleri primarii & ſecundarii Leod. petitur, fiat aliqua vel proteſtatio, vel exceptio in publico, ne in plebe & alibi aliqua ſcandala oriantur, & Celſ. S. Illma & Rma cupiat nihilominus petitionibus Cleri, quantum in ipſa eſt, ſatisfacere, & paratus ſit articulos, de quibus eſt difficultas, ſua manu ſignare, ne ſcilicet Clerum ad eorum obſervationem adigat, donec & de iis a Sede Apoſtolica aliter ſtatuatur; placuit Dominis Capitularibus primariis & ſecundariis, ſequentes hos articulos Suæ Rmæ & Illmæ Celſitudini offerre, eandem humillime, & qua decet, reverentia rogantes, ut eos in bonam & benignam partem accipere, & ſignatam promiſſionem dare non dedignetur.

Primus itaque *Articulus* eſt de Exemptionibus, quas uterque Clerus ſibi a pluribus Rom. Pontificibus conceſſas, & ab omni ævo, atque hominum memoria obſervatas, cupit conſervari, nec privilegiis quibuscumque derogari: præſertim cum Clerus non credat, mentem Patrum Concilii Tridentini fuiſſe, ut iis derogaretur, vel ut illæ tollerentur. Ne tamen ſub prætextu Exemptionum delicta maneant impunita, concipietur quædam formula, ac Celſ. Suæ Illmæ exhibebitur, juxta quam in delinquentes animadverti poterit, quam ſperat Clerus C. S. non diſpliciturum.

Secundus Articulus Archidiaconos concernit, in quo cupiunt DD. prædicti omnia jura & qualiacumque Archidiaconis competentia, & quæ ab omni tempore, ac ab origine fundationis Eccleſiæ Leodienſis habuerunt, illæſa & integra retineri, excepris tamen gravioribus delictis. Item, quod inpoſterum Archidiaconorum Collectores, *Vicarii & Officiales, Eccleſiaſtici erunt.* Videtur etiam Dominis ſufficere, ſi Archidiaconi idonei ſint doctrina & eruditione, licet gradum non ſuſceperint. Et quod ad fructus Beneficiorum litigioſorum attinet, cupiunt Domini, ut omnia in eo ſtatu, quo inde ſunt, permaneant; donec Sanctæ Sedis Apoſtolicæ deciſio & determinatio habeatur.

Tertius eſt de pluralitate Beneficiorum. Cupiunt Domini, & non diffidunt, ſe obtenturos, ut hic articulus ſuſpendatur; cum impoſſibile ſit, aliquem ex unico Beneficio ob fructuum tenuitatem vivere: niſi tamen ſint duo Beneficia, curam animarum habentia, quæ ſine diſpenſatione obtinere non licet.

Quartus eſt de Canonicis, extra Sacros Ordines conſtitutis. Videtur utrique Clero æquum, ut tales non ſint Capitulares: Item, ut non niſi dimidiatos fructus habeant.

Quintus ad quotidianas diſtributiones pertinet, de quibus in ſingulis Capitulis proſpicietur & ſtatuetur, ut eæ fiant pro modo facultatum, quæ tamen tales ſint, ut veriſimiliter non contemnantur.

Sexto Articulo agitur de juribus Receptionum, quæ cupiunt Domini manere, & ea quidem ſimplicia, ut applicentur ad neceſſarios fabricæ & Sacriſtiæ uſus. Intelligunt autem ſimplicia jura, ut ſi quis habuerit aliquod Beneficium, & poſtea reſignaverit, & is Reſignatarius etiam reſignaverit, nihilominus ultimus veniens ad poſſeſſionem, non niſi ſemel jura perſolvat, manentibus tamen duobus annis gratiæ & fabricæ ex antiqua obſervatione, ita ut a die vacationis Beneficii per obitum, incipiant currere.

Septimo agitur de Clericis conjugatis. Rogetur S. C. Rma, ut ſit contenta veteribus Statutis, quæ in hoc mandentur obſervari, ut & nova Reformatio, quæ etiam promulgetur.

Octavus Articulus concernit Seminarium, cujus cura ſingulis Capitulis per primam occaſionem erit.

Nonus & ultimus eſt de Scholaribus ſtudentibus, ut cenſeantur debere gaudere plenis fructibus. Rogetur, ut ſint contenti conſuetis abſentiis & portionibus.

Hic articulus obelo notatur in originali.

Judices delegati Apoſtolici nominentur Suæ Cel. Illmæ Decanus Leod., Vicarius, Officialis Leod. & Capituli, & Scholaſticus: præterea ſeptem Decani Cleri ſecundarii, omnes numero duodecim.

NOS JOANNES FRANCISCUS, Epiſcopus Vercellenſis, ac Nuncius Apoſtolicus &c. ſuper Articulis præſcriptis Concilii Tridentini Executionem differimus, neque eandem urgebimus, donec a Sanctiſſimo D. Noſtro certius de eis habeatur reſponſum, ſive reſcriptum. Quod quidem ut ad vota Inclyti hujus tum primarii, quam ſecundarii Cleri, atque ad totius Eccleſiæ Leodienſ. tranquillitatem impetretur, quemadmodum fore ſperamus, apud illius Sanctitatem ſedulo ipſi interce-

cedemus, omnemque operam dabimus. Signatum: J. FRAN. Epiſcopus Vercellenſis, Nuncius Apoſtolicus.

II. Octobris anno 1585.

LEctis coram Reverendis Dominis meis, Capitulariter congregatis, ſupraſcriptis Articulis, ex multis hactenus habitis congregationibus, tandem conceptis, cum Schedula Rmi & Illmi Domini Nuncii dilationis videlicet executionis Concilii Tridentini, quo ad præſcriptos Articulos, placuerunt hujusmodi Articuli, ſalvo finali Articulo, de Judicibus delegatis, quem Domini mei præfati, ſuis Privilegiis attentis expungendum, & dictis ſuis Privilegiis inhærendum putarunt.

III. Octobris anno 1585.

Celebrata Synodus per modum, ut ſequitur. (*)

XVI. Octobris anno 1585.

AD ſolicitandum Reſponſum, ſive Reſcriptum ſuper moderatione Articulorum ſupraſcriptorum per Dominum Nuncium ſignatorum, ante publicationem Decreti Concilii Tridentini, primario & ſecundario Clero ſub ſignatura ipſius Nuncii traditorum, viſum eſt ſcribendum ad Dominum Stravium, & ſolicitationem hanc eidem committendam.

Ex

(*) Præter paucula hæc verba, quæ hic retulimus, nihil amplius de ipſa Synodo, ejusque celebratæ modo memoratur in transmiſſo ad nos apographo: ſed a 3. Octobris mox tranſilitur ad 16tam Octobris, qua die quid actum ſit, modo vidimus.

Interim Synodum 3. Octobris cœptam, ac ſubſequentibus tribus diebus continuatam, præfixus Actorum relationi titulus probat: In eadem vero Concilium Tridentinum fuiſſe promulgatum, conſtat ex Joannis Chapeavilli narratione de geſtis Epiſcoporum Leodienſium in Erneſto. Cui Scriptori tanto magis adhibenda eſt fides; eo quod eorum, quæ refert, teſtis oculatus fuerit, & eadem in Synodo a Bonhomio Epiſcopo Vercellenſi, Nuntioque Apoſtolico, Pœnitentiarii munere in Eccleſia Cathedrali Leodienſi donatus. Quare ejus verba, additamenti loco, ad ſupplendum ea, quæ prætermiſſa hic ſunt, Lectorum in gratiam ſubjungo:

" Iisdem diebus, *inquit*, Joannes Franciſcus Epiſcopus Vercellenſis, Nuntius Apoſtolicus, Leodium appulſus, Indulgentias plenarias ad inſtar Jubilei a Sixto V. ex " Eccleſiæ theſauris depromptas promulgat, magno ab omnibus cum honore, pretio & æſtimatione habitas.

" Deinde Diœceſanam Synodum, nomine Præſulis, rebus bellicis diſtenti, celebrat, " & in eadem ante omnia Concilium Tridentinum promulgat, lectis illius Capitibus præcipuis, quæ Fidei doctrinam, morumque reformationem concernebant. " Cumque nonnulla Capita Privilegiis & Libertatibus Eccleſiæ Leodienſis adverſari, " & Jurisdictionem ordinariam minuere viderentur; nonnulli Eccleſiarum Prælati, " ut in eis diſpenſaret, aut ut eorum publicationem vel executionem ſuſpenderet, " magna contentione poſtularunt. Ad quæ ille, nudum ſe executorem eſſe, nullam " in Concilio diſpenſandi facultatem habere, reſpondit. Proteſtati ſunt interim, " rogaruntque, ut ad Pontificem in eam rem allatas rationes perſcriberet, & pro " gratia, ac diſpenſatione ſupplicaret; quod ſe facturum recepit, ſcripto in eam " rem Officiali Leodienſi, Henrico Dorneo, ad D. Lamberti Canonico, tradito, " quod eſt tale:

" *Credimus, per Concilii Tridentini Decretum, quod eſt in Cap.* Nullus Seſſ. XXIII., *non* " *poſſe eſſe derogatum juri Epiſcopi Leodienſis, cum præſertim ipſe etiam Princeps ſit* " *Imperii, & utrumque gladium in Clericos & Laicos gerat. Si quid tamen difficultatis hac de re ſuboriri poteſt, id totum ad Summi Pontificis arbitrium referimus.* " *Interim declaramus, noſtræ intentionis non fuiſſe, nec eſſe, Concilium Tridentinum* " *promulgando, circa Clericos conjugatos, maxime in habitu & tonſura, juxta Sa-* " *crorum Canonum Sanctionem incedentes, Epiſcopalem jurisdictionem aliqua ex parte* " *imminuere; ſed eam in eodem ſtatu, in quo hactenus fuit, integram, illæſamque re-* " *linquimus, donec aliter ab illius Sanctitate decernatur.* Sic ſignatum: *Joannes* " *Franciſcus Epiſc. Vercellenſis, Nuncius Apoſtolicus.*

" Porro cum nihil ex Urbe hac de re mandaretur, nec Pontifex, quamvis per Nuncium, Cleri inſtantis nomine interpellatus, quicquam reſcriberet, illis expoſtulantibus, reſpondit:

" *Quod*

Digitized by Google

Ex Literis Richardi Stravii ex Urbe ad Dominum Præpoſitum die XXII. Martii anno 1586. *ſcriptis.*

EGi hic & inſtiti pro Confirmatione Apoſtolica ſuper Articulis nuper in executione Conc. Tridentini Nuncio Apoſtolico concedente ſuſpenſis, & per eundem ſcriptis. St. D. N. reſpondit, non poſſe, hoc eſt, non velle ipſum confirmare Privilegia, Statuta, Articulos, aut conſuetudines contrarias Sacro Conc. Tridentino. Satis eſſe, ſi relinquamini in poſſeſſione, in qua eſtis, & ſi occurrente caſu neceſſaria ſit Sedis Apoſtolicæ auctoritas, Suam Sanctitatem Eccleſiæ & Clero Leodienſi non defuturam, atque de his Illmus & Rmus Cardinalis Alldinus prolixe juſſu Sanctiſſimi ad Reverendiſſimum Vercellenſem ſcripſit.

Ex Literis Domini Stravii ad Præpoſitum datis & ſcriptis ex Urbe die XXIX. Martii 1586.

EGi hic pro Confirmatione Privilegiorum & Articulorum, nuper per Nuncium ſubſcriptorum. Reſpondit Papa ſe nolle reſcribere adverſus Conc. Trident., ſed occurrente caſu ſe habiturum rationem præfatorum Privilegiorum, uti etiam ad eundem Nuncium ſcribi inſtiti.

ORATIO ad finem Synodi habenda

Leodii apud Gualtherum Morberium M. D. LXXXV.

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate, ut hæc Sacra Synodus, auctoritate Apoſtolica congregata, cum in hac Civitate, ac Diœceſi Leodienſ. uberrimos ſpiritales fructus afferat, tum finitimas Provincias ſancto imitationis deſiderio accendat.

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate pro SANCTISSIMO D. N. D. SIXTO PAPA QUINTO, ut cum diuturna & feliciſſima Pontificatus adminiſtratione omnium meliorum charitatum plenitudinem a Domino conſequatur, atque ad vitam una cum grege ſibi credito perveniat ſempiternam.

FRA-

" *Quod a me petiiſtis, quodque in me fuit, præſtiti. Nihil equidem impetraturum me* " *non ignoravi, neque enim ſolet adverſus Concilii Oecumenici Decreta diſpenſare Pon-* " *tifex, ſed quandoquidem Concilium aliter recipere refragabamini, cum* aſtutus eſ- " ſem, (*) dolo cepi vos. *Atque hæc ſubridens ſæpius ex Apoſtolo dictitabat.*

" Examinatores quinque jam ante per bon. mem. Cardinalem Groesbekanum depu- " tatos renovavit, eisque duos adjecit, exacto ab omnibus jurejurando de forma " examinis, per Sacrum Concilium præſcripta (quam per concurſum vo- " cant) inviolate obſervanda : quod & ego tunc cum aliis, uti illorum unus " præſtiti: Canonicum Theologalem & Pœnitentiarium in Cathedrali juxta Con- " cilium eſſe voluit, pro quibus duos primo vacaturos Canonicatus ab Erneſto Præ- " ſule impetravit: quorum primum D. Georgius Thurinus, uti Theologalis, & " perexcellens Concionator, Verbique Dei Miniſter; ego alterum, uti Pœniten- " tiarius obtinui.

" Voluit quoque ſpeciatim relegi Decretum circumductionis, ſeu annullationis Ma- " trimoniorum clandeſtinorum, quod jam ante, juxta ejusdem Concilii præſcrip- " tum, per ſingulas Diœceſis Parochias, Groesbekani Præſulis juſſu, fuerat pro- " mulgatum.

" Concluſa Synodo, cœpit in quosdam, concubinatus ſuſpectos, juxta formam a S. " Concilio præſcriptam, procedere: tantumque brevi tempore profecit; ut pauci " concubinas habere convicti, eas a ſe etiam extra urbem, ad omnem evitandam " ſuſpicionem dimitterent: Ut etiam quod Clerici, Canonici, & alii de habitu " Clericali gerendo admoniti, habitum Clericalem, & verticis initiati teſſeram Cle- " ricalem, modo & forma in Canonibus præſcripta gererent.

" Inquiſivit & in Simoniacos, quos ſatis ſevere ad reſtitutionem fructuum male per- " ceptorum mulctavit. Habebat civem, virum probum, plerisque omnibus no- " tum, qui mulctas Simoniacorum, concubinariorum, & aliorum colligebat, & " fideliter aſſervabat: e quibus montem pietatis, more Italico, Leodii erigere, & " uſurarios, qui pauperum fortunas exedunt, civitate excludere meditabatur. Sed " morte præventus, quod pio animo deſtinarat, perficere non potuit." *Hucusque Chapeavillus de Geſt. Epiſcoporum Leodienſ. Tom. III. in Erneſto Bavaro. Cap. IX.*

(*) 2. *Cor.* 12.

d by Google

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate pro Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo D. JOAN. FRANCISCO EPISCOPO VERCELLENSI, APOSTOLICO NUNCIO, Sanctæque hujus Synodi PRÆSIDE; ut opus, ac præſens miniſterium ſibi commiſſum digne impleat, ac pares tanto oneri vires a Domino impetrare mereatur.

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate pro SERENISSIMO PRINCIPE ET EPISCOPO VESTRO; ut victoriam contra ſuos Chriſtique hoſtes tandem obtineat, atque in pace & tranquillitate degens, ſpiritualibus in dies creſcat augmentis, & iis, quibus præfectus eſt a Domino, non modo præſit, verum etiam proſit ad perpetuam Catholicæ Religionis propagationem.

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate pro Miniſtris Eccleſiaſticis, ejusdem Epiſcopi & Principis, quatenus in rectam veritatis & juſtitiæ viam, duce Domino, dirigantur, dumque manus in bonis operibus elevant, laborum ſuorum benedictionem a Domino largiſſimam conſequantur.

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate, ut qui huic Civitati, vel ditioni præficiuntur, ſapientia, juſtitia, omnique virtute præfulgeant; ac bonorum operum exemplum toti populo indefinenter præbeant.

FRATRES CHARISSIMI, toto mentis affectu orate Deum Patrem miſericordiarum, ejusque Filium unigenitum, Salvatorem noſtrum, Sanctumque Spiritum, qui nos huc ad Sanctiſſimæ Trinitatis laudem convenire voluit, ut in hac Synodo Apoſtolica ad Spiritum Sacerdotalem excitati, latam ſpatioſamque viam, quæ ad perditionem ducit, omnino relinquamus; tandemque ingredi plane ſtatuamus per illam anguſtam, quæ ad vitam ducit, eamque uſque ad obitum pergere non deſinamus, quouſque ad Cœleſtem Patriam, quo tendimus, & in qua cives conſcripti ſumus, auxiliante Divina gratia, perveniamus.

ACCLAMATIONES
in Synodo.

SAnctiſſimæ & Individuæ TRINITATI ſempiterna laus & gloria.

Reſponſ. Magna eſt miſericordia tua, Domine, ſuper nos; quemadmodum ſperavimus in te: qui ad optatum finem hanc Sacram Synodum perducere dignatus es, tibi gratiarum actio in ſæculorum ſæcula.

Smo D. N. D. SIXTO PAPÆ QUINTO, Chriſti in terris Vicario, & Petri Clavigeri Succeſſori, Summo univerſalis Eccleſiæ Pontifici, cunctarum gentium obedientia.

Reſponſ. Domine Deus! ſupremum tui gregis Paſtorem gratia tua cuſtodi ac dirige; ut eo gubernante univerſæ gentes ſancto veræ fidei lumine illuſtratæ, in unum Eccleſiæ tuæ ovile colligantur.

Clementiſſimo & Sereniſſimo IMPERATORI ſumma felicitas, & contra infideles perpetua victoria!

Reſponſ. Rex Regum & Dominantium Domine, Auguſtiſſimum Imperatorem tua cœleſti gratia & felici Regnorum propagine ſemper auge!

Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino, D. JO. FRANCIS. *Epiſc. Vercellen.* Nuncio Apoſtolico, & Sacræ hujus Synodi Præfecto, ſancta in ferendis laboribus tolerantia, & perpetuum Paſtoralis ſolicitudinis incrementum!

Reſponſ. Deus miſericordiarum Pater, humiles ſervi tui preces propitius exaudi, piaque illius vota ac deſideria ad Nominis tui gloriam, & Eccleſiarum, illius curæ creditarum, inſtaurationem benignus adimple!

Sereniſſimo ac Reverendiſſimo Domino, D. ERNESTO EPISCOPO & *Principi Leodienſ.* ſalutaris vigilantia, vita longæva & proſpera gubernatio!

Reſponſ. Omnipotens Deus, ſuper eo benedictionis tuæ dona perpetuo multiplica, ut greges tuos ſibi commiſſos ſecundum beneplacitum tuum hic diu paſcat, ac demum ad cœleſtia paſcua ſecum feliciter perducat.

LEO-

Digitized by Google

LEODIENSI POPULO pax Chriſti æterna, & perpetuum Catholicæ Religionis ſtudium!

Reſponſ. Memento Domine in beneplacito populi tui, ac perpetuum tuæ benedictionis rorem, tuumque amorem ſimul ac timorem illi infunde.

Nos Dei voluntatem pie, ſanctequeimplentes, Sancta hujus SYNODI Decreta ad DEI gloriam, & ſalutem animarum ſedulo exequentes, digni reddamur miſericordia & gratia magni & Supremi Sacerdotis JESU Chriſti, intercedente ſimul ejus Genitrice Beatiſſima Virgine, ac Beato Lamberto Epiſcopo & Martyre, omnibusque aliis hujus Eccleſiæ Patronis, una cum omnibus Sanctis!

Reſponſ. Amen. Amen. Amen.

(L.S.) *Per Copiam, quantum fieri potuit, conformem manuſcripto, in Secretaria Perilluſtris Capituli Cathedralis Eccleſiæ Leodienſis aſſervato, quod teſtor H. Mouillard, præfati Perilluſtris Capituli Notarius & Secretarius.*

Hoc Exemplar quadraginta quinque foliis conſtans, accurate a me cum originali manuſcripto collatum, teſtor cum eodem concordare. Leodii die 23. Martii 1767. Carolus Waſtelain S.J.

SYNODUS DIOECESANA COLONIENSIS

SUB ERNESTO, BAVARIÆ DUCE, (*) ARCHI-EPISCOPO,

Anno Chriſti MDXCVIII. Clementis VIII. PP. VII. Rudolphi II. Imp. XIII.

Statuta Synodi Diœceſanæ Colonienſis

Anni 1598. *2da Octobris.*

DE CANONICIS.

TITULUS I.

I. PRæcipimus obſervari Canones & Statuta Provincialia, quæ de vita & honeſtate Clericorum edita ſunt, ac inprimis innovamus ea, quæ contra Simoniacos, concubinarios, fornicarios, ebrioſos, coronam, tonſuram, & habitum Clericalem non geſtantes, vagantes, non reſidentes, Horas Canonicas non recitantes, Monaſteria Virginum absque licentia & rationabili cauſa frequentantes, ſæcularibus negotiis ſeſe immiſcentes, olim ſalubriter decreta & promulgata fuerunt.

II. Quo vero ſtrictius iſta omnia obſerventur, mandamus Decanis, & aliis Eccleſiarum Prælatis, ut in ſuorum Canonicorum & Vicariorum vitam & mores ſedulo animadvertant, & quos in prædictis culpabiles offenderint, debitis pœnis coërceant, memores Heli Sacerdotem (*a*) pro filiorum iniquitate damnatum: alioqui Nos illorum negligentiam ſupplentes, ad cenſuras & pœnas Canonicas ſerio procedi faciemus.

De Paſtoribus, Decanis ruralibus, Concionatoribus & Confeſſariis.

TITULUS II.

I. INprimis volumus, ut omnes Paſtores per Diœceſim Colonien-

(*) Vide notata ſub finem Statutorum.

(*a*) 1. Reg. 2.

Digitized by Google

ſem de ſua jurisdictione & Canonica inſtitutione, ſive inveſtitura, coram ſuo quisque Archi-Presbytero, ſive, ut vocant, Decano rurali, per legitima inſtrumenta fidem faciant. Deinde ad manus eorundem Profeſſionem Fidei edant, ſecundum formam a Sacra Tridentina Synodo præſcriptam. Qui ſine Canonica inſtitutione curam animarum adminiſtrare præſumpſerint, aut Fidei Profeſſionem edere detrectaverint, eos dicti Archi-Presbyteri ad proximam Synodum Nobis ſcripto denuntiabunt.

II. Qui ad curam animarum (*b*) legitime vocati ſunt & admiſſi, apud Eccleſias ſuas, ſicut jure Divino tenentur, reſidere, atque oves ſuæ fidei commiſſas per ſe ipſos paſcere compellantur.

III. Mandamus (*c*) & præcipimus univerſis Parochis & Presbyteris, ut non niſi publice in Eccleſia infantes baptizare, aut Sponſos Matrimonio jungere præſumant, caſu neceſſitatis excepto, ut ſic reprimatur quorundam Laicorum faſtus & ſuperbia, qui iſta Sacramenta ſibi, ſuisque, in privatis domibus miniſtrari poſtulant, quos in Corinthiis graviter perſtringit Apoſtolus: (*d*) An Eccleſiam Dei contemnitis? Nec volumus per Officiales noſtros cum quovis, niſi ex cauſis graviſſimis & urgente magna neceſſitate diſpenſari.

IV. Meminerint (*e*) quoque Paſtores, ſui muneris eſſe, ad promovendam Juventutis rectam inſtitutionem ſolicite providere, ut Ludimagiſtri non tantum literis ſufficienter inſtructi, ſed Fide Catholica inprimis, vitæque integritate commendati, Scholis Parochialibus præficiantur. Itaque non admittentur poſthac, niſi examinati ab ipſis Paſtoribus, vel extra Coloniam a Decanis Ruralibus, atque ad eorundem manus Fidem Catholicam ſecundum præſcriptum Concilii Tridentini profeſſi fuerint. Si quis inveniatur de hæreſi ſuſpectus, aut qui recuſet Fidei Profeſſionem edere, ab officio depellatur, alio Catholico & idoneo in ejus locum ſubſtituto.

V. Nullus inpoſterum Sacerdos ſive ſæcularis, ſive Regularis, etiam exemptus, adminiſtrationem Sacramentorum, & præcipue Confeſſionum audiendarum munus, aut prædicationem Verbi Dei publice in Eccleſia ſibi ſumere audeat, niſi doctrina, moribus & vita probatus, & ad id muneris idoneus viſus fuerit Examinatoribus, quos ex Colonienſium Paſtorum & Theologorum ordine duximus deputandos, ac Vicarii approbationem, quæ gratis dabitur, in ſcriptis obtinuerit, privilegiis contrariis quibuscumque, & conſuetudine etiam immemorabili non obſtantibus.

VI. In Caſibus Epiſcopalibus, qui Nobis de jure, vel conſuetudine, vel per Statuta Synodalia reſervati ſunt, in foro conſcientiæ abſolvendi poteſtas jam olim pluribus aliis benigne admodum, ſalubriterque communicata fuit; Suffraganeo ſcilicet, Metropolitanæ Eccleſiæ Presbyteris Canonicis, Theologis, intraneis & extraneis tam Collegiorum, quam ruralium Paſtorum Decanis, quatuor primarum Parochiarum urbis Colonienſis Paſtoribus, quatuor Ordinum Mendicantium Prioribus, & ædis Metropolitanæ Pœnitentiariis. Nos tamen attendentes horum temporum iniquitatem & itinerum pericula, quod durante iſto exitiali bello, non ſemper, neque ex omnibus locis pœnitentes ad dictos Commiſſarios in caſibus reſervatis accedere valeant; ex multis aliis gravibus cauſis animum noſtrum moventibus, poteſtatem abſolvendi in gravioribus delictis Nobis reſervatis, occultis tamen, idque in foro conſcientiæ duntaxat, ulterius extendere, omnibusque Nobis ſubjectis Parochis legitime vocatis impertiri voluimus, quo facilius omnibus vere pœnitentibus ad gratiam & remiſſionem peccatorum aditus concedatur, inhærentes Placitis & Decretis Concilii Provincia-

(*b*) Concil. Trid. Seſſ. III. de Reform. cap. 2.
(*c*) Conc. Prov. Colon. A. 1536. Part. 7. c. 7. & An. 1549. in Cenſur. & Decr. ſub Num. XV.
(*d*) 1. Cor. 2.
(*e*) In Statutis Provinc. ſub Adolpho anno 1550.

vincialis anno 1536. celebrati, quod ſic habet:

In occultis delictis ex reſervatione caſuum compertum habemus, nonnihil mali interdum accidere, vel quòd peccator non habens in promptu Sacerdotem, qui illum abſolvat, confiteri vel differt, vel contemnit; vel quod minores ætate ſunt, vel mulieres, difficile adducantur, ut ex ſuis Parochiis non ſine levi ſuſpicione ad Nos, ſeu Commiſſarios noſtros proficiſcantur. Quare ut conſulamus & verecundiæ & famæ, viſum Nobis eſt hanc poteſtatem noſtram abſolvendi a peccatis & caſibus noſtræ abſolutioni reſervatis, occultis tamen, omnibus Parochis per Diœceſim noſtram conſtitutis, rite vocatis, delegare: modo tamen Vicariorum noſtrorum in Pontificalibus conſilium requirant ac adhibeant.

VII. Archi-Presbyteri, ſive Decani Rurales, Statuta ſuarum Decaniarum revidenda Nobis tradant, Capitula ſua bis in anno convocent, in quibus Canones & Statuta Synodalia publicabunt, & contra ea delinquentes, qua dignum eſt ſeveritate, corripient & punient. Omnes item & ſingulas cauſas Beneficiales, Matrimoniales, & reliquas Eccleſiaſticas ad tribunal Archi-Epiſcopi, vel Archidiaconi pro ea, qua illis etiam juramento obſtricti ſunt obedientia, remittent.

VIII. Decretum denique Concilii Tridentini de reformatione Matrimonii, ſæpius e ſuggeſtu a Paſtoribus & Concionatoribus publicetur, ne ſimpliciores e populo ignorantiam prætendere poſſint. Quod ob id viſum eſt in fine, Latina & Germanica lingua, Statutis his Synodalibus ſubjicere.

De Regularibus Monachis, & Sanctimonialibus.

TITULUS III.

I. QUamvis Superiores Ordinum, pro ſuorum ſubditorum confeſſionibus audiendis, Confeſſarios deſignare poſſint, eos tamen ſive per ſe, ſive per alium idoneum examinare tenentur.

II. Ne Monialium ordinarii Confeſſarii ſeu Rectores, jurisdictionis poteſtate careant, legitima auctoritate inſtituantur, & ab Ordinario, aut ejus Vicario approbentur.

III. Ac quoniam (*g*) de Sanctimonialibus, dum ad unum aliquem Confeſſarium perpetuo adſtringuntur, verendum, ne ſubinde aut metu, aut pudore in confeſſione peccata aliqua reticere, & conſcientiam non plene exonerare inducantur, & tamen poſtea ad Sacroſanctam Communionem ſtatutis temporibus cum aliis accedere non pertimeſcant: idcirco præter ordinarium Confeſſarium, bis aut ter in anno, offeratur alius extraordinarius, ab Ordinario loci deputatus, aut ſaltem approbatus, qui omnium confeſſiones audiat.

IV. Regulares (*h*) cujuscunque Ordinis, niſi a ſuis Superioribus de vita, moribus & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non poſſint: ſed cum ea licentia perſonaliter ſe coram Epiſcopo, aut ejus in Spiritualibus Vicario præſentare, & ab eis benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant; In Eccleſiis vero, (*i*) quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam Epiſcopi licentiam habere teneantur, ſine qua in ipſis Eccleſiis non ſuorum Ordinum nullo modo prædicare poſſunt. Epiſcopo autem contradicente nullus ſive ſæcularis, ſive Regularis, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum, prædicare præſumat.

V. Clauſuram Sanctimonialium, (*k*) ubi violata fuerit, diligenter reſtitui, & ubi inviolata eſt, conſervari maxime deſiderantes, ſtatuimus & ordinamus, quod ingredi intra ſepta Monaſterii nemini liceat, cujuscunque generis aut conditionis, ſexus vel ætatis fuerit, ſine Epiſcopi vel Superioris licentia in ſcriptis obtenta, ſub excommuni-

(*g*) Conc. Prov. ſub Adolpho III. an. 1549.
(*h*) Conc. Trid. Seſſ. V. de Refor. c. 2.
(*k*) Conc. Trid. Seſſ. XXV. c. 5. Conc. Trid. Seſſ. XXV. cap. 10.
(*i*) Conc. Trid. Seſſ. XXV. c. 4. de Refor.

Digitized by Google

municationis pœna ipſo facto incurrenda. Dare autem tantum Epiſcopus, vel Superior licentiam debet in caſibus neceſſariis. Pari ratione & pœna mulieres virorum Monaſteria ingredi prohibeantur.

VI. Nemini quoque Regularium (*l*) tam virorum, quam mulierum liceat bona immobilia, vel mobilia, cujuscunque qualitatis fuerint, etiam quovis modo ab eis acquiſita, tanquam propria, aut etiam nomine Conventus poſſidere vel tenere: Sed ſtatim ea Superibri tradantur, Conventuique incorporentur. Nec deinceps liceat Superioribus bona ſtabilia alicui Regulari concedere, etiam ad uſum fructum, vel uſum, adminiſtrationem, aut commendam. Adminiſtratio autem bonorum, Monaſteriorum aut Conventuum ad ſolos Officiales eorundem ad nutum Superiorum amovibiles, pertineat.

De vagis & peregrinis Sacerdotibus.

TITULUS IV.

I. NUlli vago, (*m*) ignoto & peregrino Sacerdoti, ſive ſæcularis, ſive regularis ſit, in ulla Eccleſia celebrare, aut alios Sacros actus exercere liceat, priusquam de ordinatione ſua rite adepta, deque vita, moribus, eruditione ac titulo fidem fecerit, per ſui Ordinarii literas, aut publica inſtrumenta: docueritque nullo Eccleſiaſtico impedimento ſe ab executione ordinis arceri. Quibus quidem literis atque inſtrumentis exhibitis a noſtro in Spiritualibus Vicario, vel ſi extra Coloniam verſetur, a Decano Rurali, ad quem iſtius loci cura ſpectabit, licentiam in ſcriptis petere debebit.

De his, quæ ad populum pertinent.

TITULUS V.

I. MOnendus (*n*) populus diligenter, teneri unumquemque Parochiæ ſuæ intereſſe, ubi commode id fieri poteſt, ad audiendum Verbum Dei.

II. Monendus (*o*) idem populus (quod Sacroſancta Synodus Tridentina Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ conſtituit) ut frequenter ad ſuas Parochias, ſaltem diebus Dominicis & Feſtis accedant.

III. Quæ ſint Feſta celebria Eccleſiæ Colonienſis, præſcriptum & definitum eſt in Statutis Provincialibus ſub HENRICO anno 1397. & ADOLPHO Archi-Epiſcopis anno 1549., ac tametſi ea omnia, ut a Majoribus præſcripta ſunt, non tantum a Clero noſtro, ſed ab omni populo etiam in foro debite obſervari cuperemus: tamen & Feſtorum hujus Patriæ mediocrem multitudinem, ſupra morem aliarum Eccleſiarum excreſcentem, & populi in eorum obſervantia flacceſcentem devotionem attendentes, peccati periculum ab infra ſcriptis duximus removendum: Videlicet, Agnetis, Cathedræ & Vinculorum Petri, Georgii, Pantaleonis, Exaltationis S. Crucis, Gereonis, undecim millium Virginum, Severini, Cuniberti, Cæciliæ, & Innocentium. Itaque propter varias hujus vitæ & temporum neceſſitates, in prædictis Feſtis obligationem feriandi relaxamus, ut culpa vacent, qui iisdem diebus laboraverint: ſed maneat tamen per omnia eorundem in Eccleſiis conſueta obſervantia. Ad excitandam autem fidelium pietatem, omnibus, qui Sacrificio Miſſæ, cæterisque Officiis Divinis prædictis Feſtis interfuerint, ſuas preces cum Eccleſia ad Deum pie attenteque fundentes, 40. dies Indulgentiarum pro qualibet vice de Omnipotentis Dei miſericordia confiſi, auctoritate noſtra ordinaria clementer concedimus.

IV. Mandamus quoque & præcipimus, ne in Civitatibus & vicis noſtræ Diœceſis Dominicis & Feſtis diebus ſub Concione & Miſſa œnopolia & cerviſiariorum officinæ, niſi viatoribus & peregre advenientibus aperiantur, ne popu-

(*l*) Conc. Trid. Seſſ. XXV. cap. 2.
(*m*) Conc. Provinc. Colon. an. 1536. Parte 1. cap. 31. & Trid. Seſſ. XXII. in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ.
(*n*) Conc. Trid. Seſſ. XXIV. cap. 4. de Refor. (*o*) Ibid. Seſſ. XXII.

Digitized by Google

populus a cultu Divino ad compotationes cum insigni profanatione Festorum, & Dei offensa pertrahatur. Contra delinquentes pœnis arbitrariis procedi faciemus.

V. Pastores item frequenter (p) & diligenter subditos suos utriusque sexus admoneant; quotquot ad annos discretionis pervenerunt, teneri, ut omnia sua peccata, humiliter, integre, aperte, & distincte minimum semel in anno confiteantur proprio Sacerdoti, aut de ejus, vel Superioris licentia, alteri sæculari, vel regulari Presbytero, per Ordinarium loci admisso & approbato, utque ad minus in Paschate Sacrosanctam Eucharistiæ Communionem, non nisi de manibus proprii Sacerdotis reverenter accipiant; alioqui viventes ab ingressu Ecclesiæ arceantur, & morientes Christiana careant sepultura.

VI. Alioqui nemo Christianus, (q) qui in communione decessit Ecclesiæ, ab Ecclesiastica sepultura arceatur, etiamsi casu & repentina morte extinctus fuerit. Soli vero hæretici, excommunicati, publici latrones, & hi, qui sibi mortem criminis conscientia adacti conciverunt, & quos in peccato lethali, nullis pœnitentiæ signis præcedentibus, decessisse constiterit, prohibeantur.

Sequitur Decretum Concilii Tridentini de Reformatione Matrimonii.

TAmetsi dubitandum non est, (r) clandestina Matrimonia, libero contrahentium consensu facta, rata & vera esse Matrimonia, quamdiu Ecclesia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi sint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata esse negant, quique falso affirmant, Matrimonia a filiis-familias sine consensu parentum contracta, irrita esse, & parentes ea rata vel irrita facere posse; nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Verum cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandestinis conjugiis ortum habent; præsertim vero eorum, qui in statu damnationis permanent, dum priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Ecclesia, quæ de occultis non judicat, succurri non possit, nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur: idcirco Sacri Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati, vestigiis inhærendo præcipit, ut inposterum, antequam Matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia, inter Missarum solemnia publice denuntietur, inter quos Matrimonium sit contrahendum: Quibus denuntiationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Ecclesiæ procedatur; ubi Parochus viro & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto, vel dicat: Ego vos in Matrimonium conjungo, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti: vel aliis utatur verbis, juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Quod si aliquando probabilis fuerit suspicio, Matrimonium malitiose impediri posse, si tot præcesserint denuntiationes, tunc vel una tantum denuntiatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus vel tribus testibus præsentibus Matrimonium celebretur: Deinde ante illius consummationem denuntiationes in Ecclesia fiant, ut, si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur; nisi Ordinarius ipse expedire judicaverit, ut prædictæ denuntiationes remittantur, quod illius prudentiæ & judicio Sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seu Ordinarii licentia, & duobus vel tribus testibus Matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omnino inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos & nullos esse decer-

(p) In Statutis Sifridi cap. 8. de Pœnitentia, & Henrici anno 1310. Statuto 20.
(q) Conc. Provinc. an. 1536. Part. 7. c. 15.
(r) Trid. Sess. XXIV. c. 1. de Refor. Mat.

decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit & annullat. Insuper Parochum, vel alium Sacerdotem, qui cum minore testium numero; & testes, qui sine Parocho vel Sacerdote hujusmodi contractui interfuerint, nec non ipsos contrahentes graviter arbitrio Ordinarii puniri præcipit. Præterea eadem Sancta Synodus hortatur, ut conjuges ante benedictionem Sacerdotalem in Templo suscipiendam, in eadem domo non cohabitent; Statuitque, benedictionem a proprio Parocho fieri; neque a quoquam, nisi ab ipso Parocho, vel ab Ordinario licentiam ad prædictam benedictionem faciendam, alii Sacerdoti concedi posse; quacunque consuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda est, vel privilegio, non obstante. Quod si quis Parochus, vel alius Sacerdos, sive regularis, sive sæcularis sit, etiamsi id sibi ex privilegio vel immemorabili consuetudine licere contendat, alterius Parochiæ sponsos, sine illorum Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere ausus fuerit, ipso jure tamdiu suspensus maneat, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio interesse debebat, seu a quo benedictio suscipienda erat, absolvatur. Habeat Parochus librum, in quo conjugum & testium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii describat, quem diligenter apud se custodiat. Postremo Sancta Synodus conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante Matrimonii consummationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum pie accedant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra prædictas, laudabilibus consuetudinibus & cæremoniis hac in re utuntur, eas omnino retineri Sancta Synodus vehementer optat. Ne vero hæc tam salubria præcepta quemquam lateant, Ordinariis omnibus præcipit, ut cum primum poterunt, curent hoc Decretum populo publicari ac explicari in singulis suarum Diœcesum Parochialibus Ecclesiis, idque in primo anno quam sæpissime fiat; Deinde vero quoties expediri viderint. Decernit insuper, ut hujusmodi Decretum in unaquaque Parochia suum robur post triginta dies habere incipiat, a die primæ publicationis in eadem Parochia factæ numerandos.

NOTATIO EDITORIS
De causa intermissarum Coloniæ ab anno 1551. *usque ad annum* 1598. *Synodorum.*

OMnes inter Germaniæ Ecclesias nulla est, quæ per priores quinque Sæculi XVI. Decades Synodos tam multas a se celebratas exhibeat, quam Colonienſis. In hac enim ab anno 1513. usque ad annum 1551. Diœcesanas decem, ac duas insuper Provinciales habitas fuisse, Tomo nostro VI. ostendimus, allatis, quæ in eisdem editæ & promulgatæ fuerunt, Constitutionibus. Harum Provincialium primam anno 1536. convocavit Hermannus a Weda, funestissimi fati Præsul, qui vix elapso post eam Synodum quadriennio, Buceri fraude circumventus, gravissimo Provinciæ Metropolitanæ detrimento, maximoque fidelium omnium scandalo a Catholica fide defecit, factus apostata: ac propterea ex Rom. Pontificis, Cæsarisque sententia damnatus, Ecclesiastica simul & Principali, Electoralique dignitate ac Jurisdictione privatus est. *Vide, quæ de illo diximus eod. Tom. VI. pag.* 236.

Altera Provincialis habita fuit ab Hermanni Successore, Adolpho e Comitibus de Schawenburg. In hac cum Clero Provinciali deliberatum de mediis, quibus restaurari possent, quæ ab Antecessore depravata per hæresin fuerant. Saluberrimæ eum in finem editæ Constitutiones, quæ ut inducerentur in usum, Clerum suum bis duobus annis subsequentibus Diœcesanam ad Synodum congregavit Vigilantissimus Archi-Episcopus, & ut Turckius in MSS. inquit, inter maxime eximios Ecclesiæ Colonienſis Antistites jure numerandus. Ad cujus cæteras laudes illud etiam pertinet, quod ultimus ipse Colonienſes inter Archi-Episcopos exiterit eo sæculo, qui solenni consecrationis ritu Episcopalis Ordinis charactere fuerit insignitus, quo honore, ut Gelenius, ac Turckius asserunt, integro centum prope annorum spatio caruerunt, quotquot post Adolphum ad Sacra apud Ubios moderanda electi sunt, donec

Digitized by Google

donec Maximilianus Henricus Bavarus, Ferdinandi Succeſſor, anno 1651. iſtam Epiſcopalis conſecrationis gloriam, quam a Fabio Chiſio, Apoſtolico tunc Nuntio, accepit, Sedi Colonienſi denuo vindicavit.

Eodem Adolpho, anno 1556. mortuo, interrupta etiam fuit apud Ubios, utiliſſima, & nunquam ſatis prædicanda Synodorum celebrandarum conſuetudo. Nam ab anno 1551. quo ultima, ut opinor, Diœceſani Cleri Comitia ſub Adolpho Coloniæ coacta fuere, nullum amplius longo, circiter quadraginta ac ſeptem annorum intervallo, Synodalem Cleri conventum ibidem congregatum inveni uſque ad annum 1598. ſub Ernesto Bavaro Archi-Epiſcopo, cujus Synodi Conſtitutiones mox dabimus.

Interruptionis hujus tam diuturnæ multiplices recenſeri cauſæ poſſunt: quarum aliæ omnibus Germaniæ Eccleſiis fuere communes, publicæ nimirum Germanorum, poſt invectum a Luthero ſchiſma, a ſe invicem circa fidei dogmata diſſidentium diſcordiæ, & internecina, quæ inde nata ſunt, bella: aliæ particulatim ad Eccleſiam Colonienſem pertinuere, quæ eo tempore Epiſcopos habuit aut valetudinarios & breviſſimi regiminis, aut communis belli curis impeditos: unum etiam de fidei ſinceritate non leviter ſuſpectum: alium manifeſtum apoſtatam, ac lupum potius, quam Paſtorem, qui Diœceſin univerſam fœdiſſime laceravit, ac tantum non penitus peſſumdedit.

Non aberraverim a ſcopo hujus operis, ſi, quo manifeſtior Lectoribus fiat Colonienſis Eccleſiæ ſtatus, Epiſcoporum horum nomina ac ſeriem, rerumque ab ipſis geſtarum ideam quandam breviter exhibuero.

Quinque fuerunt, qui poſt Adolphum Schawenburgicum, ad regendam hanc Metropolim delecti fuerunt, Archi-Epiſcopi. Primus hos inter fuit Adolphi frater, Antonius Schawenburgicus. In hunc Cleri Primates tanto propenſius ſua vota contulerunt, quanto recentius adhuc apud eosdem vigebat deſiderium Adolphi, quem nuper amiſerant, quemque in fratre ſuperſtite ſpiraturum, recturumque opinabantur, cum illi par fere ineſſe cernerent ingenium, indolemque. Nec fortaſſe ſpes ipſos ſua fefelliſſet; ſi Antonio ſuppetiiſſet aut ætas vegetior, aut vita diuturnior. Verum non diu gaudere eo Præſule Colonienſibus conceſſum fuit: Nam cum anno 1558. Francofurtenſibus e Comitiis, in quibus una cum aliis VII.-viris Majeſtatem Imperii in Ferdinandum Regem tranſtulit, ad ſuos rediiſſet, ſolennemque pro more in Urbem Colonienſem ingreſſum pararet: in graviſſimum morbum incidit, quo Medicorum artem atque induſtriam omnem ſuperante, die 18. Junii in arce Godesbergenſi, præpropero fato diem extremum clauſit: (P. Mich. Mörckens Carthuſian. apoplexia extinctum ſcribit) cum Eccleſiæ præfuiſſet anno uno, & menſibus circiter novem.

Huic eodem anno 1558. VII. Kal. Auguſti ſubrogatus eſt Joannes Gebhardus e Comitibus de Mansfeldt, Trajecti ad S. Servatium, & Coloniæ ad S. Georgium Præpoſitus, idemque binis Anteceſſoribus affinitate conjunctus. Præter claritudinem generis egregios mores atque indolem ad oblatum ſibi Principatum attulit, naturam nactus, modeſtiæ, pacis ac tranquillitatis, inſitæque clementiæ doribus egregie exornatam. Et quanquam Gentilitiæ domui labes non modica ab hæreſi Lutherana adhæreret, ipſe tamen in fide Orthodoxa, quoad vixit, conſtantiſſime perſtitit: Vir, ut a Cleinſorgio, Merſæo, aliisque prædicatur, ſplendidus, magnificus & liberalis. Brevitas imperii, uti Anteceſſorem, ita & ipſum a rebus magnis gerendis impediit: nam annis tantum quatuor, ac tribus menſibus tenuit Epiſcopatum, incommoda diu valetudine uſus, inclinante in hydropiſin corpore, quo ex morbo demum Brulæ occubuit anno 1562. IV. Nonas Novembris, eidem ſepulchro illatus, quod non ita pridem Anteceſſoribus ſuis & Affinibus Schawenburgicis Metropolitano in Templo erigi, magnificeque exornari curaverat.

Extat graviſſimum ejus edictum, adverſus Sectam Anabaptiſtarum, anno 1560. promulgatum Kempenæ, *in Wilmii Chron. MS.*

Decimo poſt Joannis Gebhardi ſepulturam die, maturatis Cleri Comitiis, Succeſſor illi datus eſt Fridericus, e Wedanorum Comitum ſtirpe ortus. Parentes habuerat Joannem Wedæ Comitem, Runckelii Dynastam, & Eliſabetham, Joannis Naſſovici, Vianæ & Diezii Comitis filiam. Nepos erat infelicis Hermanni Wedani, Colonienſium pariter Archi-Epiſcopi, cujus a Sede ſua propter hæreſim dejecti ſupra meminimus. Unde mirum videri merito poteſt, quod Eccleſiæ Colonienſis Primates, Apoſtaſiæ tam recentis immemores, ex eadem familia, Lutheri dogmati-

bus addicta, Antiſtitem ſibi deligere non dubitaverint. Sed fuerint fortè ſuperſtites in Clero, qui ejusdem Hermanni partibus olim adhærentes, iisdemque cum illo opinionibus imbuti, novum in Friderico Hermannum optaverint. Utut ſit, non ipſimet Friderico iſta ſui electio magnopere placuit, invitusque ad oblatam ſibi Provinciam adminiſtrandam acceſſit. Erat enim jamtum ſenecta invalidus, languido corpore, animoque, & auditu prope deſtitutus. Quare ejus etiam regimen nulla pene a rebus præclare geſtis laude nobilitatum, & nec utile ſubjectis, nec ipſi glorioſum fuit.

Ad fidem ejus quod attinet, ſunt, qui in Catholica conſtanter perſtitiſſe contendant: ſunt alii, qui in ſuſpicionem illum adducant, tanquam ſi propenſo nimium erga Proteſtantes fuerit animo, iisdemque faverit. Illud certum, quod eo permoveri potuerit nunquam, ut præceptam a Tridentino Concilio, & a Pio IV. Papa præſcriptam Catholicæ Fidei Profeſſionem emitteret: malueritque demum ampliſſimæ Archi-Epiſcopali, Electoralique dignitati renuntiare; quam Catholicum ſe ex ea, quam dixi, formula, juramenti religione interpoſita, profiteri. Multum in eo, ab iſta animi fluctuatione avocando S. Pius V. Pontifex Max. laboravit. Literas ad eum dedit plenas amoris & benevolentiæ: Rationes, quibus iſto juratæ Profeſſionis edendæ præcepto, non teneri ſe exiſtimaverat, evertit: Cardinali Commendono, Apoſtolico Auguſtana ad Comitia Legato, iſtud ſingulari cura in mandatis dedit, ut omni meliore, quo poſſet, modo Friderici animum expugnaret, atque ad præſtandam Rom. Pontifici ea in re obedientiam inflecteret: Immo & ipſius Imperatoris imploravit operam, ut Suæ Majeſtatis authoritate eundem ad ſaniora ſequenda conſilia adducere non gravaretur: ut ipſa, quæ mox afferemus, literarum monumenta oſtendent. Sed irriti fuere conatus. Nihil precibus, nihil monitis, nihil minis profectum. Tandem cum Fridericus Romanum Pontificem ab exigenda ea Fidei Profeſſione nunquam deſtiturum: nec alia via ſe, factæ in ſui favorem electionis confirmationem ab eodem impetraturum, jamque de altero ſibi in Sede Colonienſi ſubſtituendo agi adverteret; ut iſtam a ſe amoliretur infamiam, ſeu ſponte ſua motus, ſeu inductus ab aliis, anno 1567. VIII. Kal. Januarii oblato ſibi Pontificatu ultro ſe abdicavit, facta Metropolitanæ Eccleſiæ Canonicis poteſtate, alium, quem vellent, eligendi. Abdicationem hanc Patres, volentes, lubentesque accepere, privatoque deinceps victuro, trium millium aureorum florenorum penſionem annuam adſtipulati ſunt: cui tamen ſummæ interceſſit Succeſſor. Litem mors diremit. Nam anno poſtero exeunte, X. Kal. Januarii, cum totus ſacris voluminibus lectitandis vacaret, tenuique cum familia frugalem prorſus vitam inſtituiſſet, ſubito extinctus eſt. Adminiſtravit Eccleſiam Colonienſem Annis IV. Menſes XI. dies duodeviginti.

Literas nunc ſubjiciam, quarum antea memini.

EPISTOLA FRIDERICI a WEDA, COLONIENSIS ARCHI-Epiſcopi electi, ad S. PIUM V. Pontificem Maximum, qua cauſas exponit, cur Fidei Profeſſione ſuperſedendum cenſeat.

BEATISSIME PATER, AC DOMINE CLEMENTISSIME!

POſt beatorum pedum oſcula, & debitam promptiſſimamque erga Sanctam Sedem Apoſtolicam reverentiam, & obſervantiam. Quandoquidem Omnipotens, & miſericors Deus poſt obitum felicis recordationis PII IV. Pontificis Maximi, Sanctitatem Veſtram, ut excellenti doctrina præditam, & vitæ innocentia inſigniter ornatam, ita Summo Pontificatu maxime dignam, ad regimen Eccleſiæ ſuæ vocavit, non poſſum niſi & Divinæ ejus Majeſtati, ac bonitati ex animo gratias agere, & Sanctitati Veſtræ eo nomine reverenter & humiliter gratulari, fauſtaque & felicia omnia illi precari. Quamvis autem maturius aliquanto hoc ipſum facere, & pro impetranda confirmatione devote, humiliter & diligenter inſtare conſtitueram; cum tamen intelligerem, Sanctitatis Veſtræ, Sanctæque Sedis Apoſtolicæ Legatum biſce Auguſtanis Comitiis interfuturum, non inconveniens exiſtimavi, banc rem in hæc Comitia rejici, humiliterque hinc petere, ut Sanctitas Veſtra illud, quidquid eſt moræ, atque dilationis, patienter ferat, mihique pie ignoſcat.

Porro

Digitized by Google

Porro Sanctitatis Vestræ clementissimas literas, per ejusdem Legatum Reverendissimum, & Illustrissimum Dominum Joannem Franciscum Cardinalem Commendonum, in hisce Comitiis mihi præsentatas, ea, qua decet, reverentia & humilitate accepi. Ex quibus Sanctitatis Vestræ Summo Pontifice dignam curam, solicitudinem, & vere paternum affectum erga gregem sibi commissum, & me (cui & filii nomen clementer tribuit, & paternis adhortationibus ad præstandum id, quod officii suscepti ratio exigit, non leve calcar addidit, & promptissimum animum suum gratiosissime significavit) facile intellexi. Quo nomine Sanctitati Vestræ summas merito gratias ago, humiliterque, ac reverenter polliceor, me & hisce tam salutaribus, piis ac paternis adhortationibus, quantum in me erit, ea, qua decet, obedientia pariturum, & Deo volente, usque ad extremum vitæ spiritum in obedientia Sanctæ Romanæ, & Catholicæ Ecclesiæ, Sedisque Apostolicæ constanter permansurum, & nihil, quod ad ejus authoritatem, ac dignitatem conservandam, & gregis mihi concrediti salutem, Ecclesiæque commissæ utilitatem pertinebit, & in mea potestate erit, intermissurum.

Cæterum cum ad has tantas res, quas officium meum postulat, rite peragendas, Electionis meæ confirmatione summopere opus habeam, non potui non cum præfato Reverendissimo Domino Legato de hujusmodi confirmationis negotio diligenter conferre, illique omnes difficultates, quæ hactenus circa idem negotium intercederunt, & causas, propter quas nihil insoliti, & inusitati a me exigendum existimem, plene & confidenter recensere. Quamvis autem idem Reverendissimus Dominus Legatus, Vir integerrimus, ad hanc rem promovendam sese perquam benigne, amanter, ac fraterne obtulerit; ne tamen mandati sui fines excedere videretur, ad Sanctitatem Vestram me remisit, promisitque, se in hac re facturum, quæ posset, omnia. Cum igitur, Sanctissime Pater, omnibus aliis difficultatibus superatis, hæc sola superfit, quod non tantum vetus juramentum, ad quod præstandum me semper obtuli, nec ea tantum obedientia, quam Prædecessores mei hactenus præstare consueverunt (cujus in Brevi Sanctitatis Vestræ fit mentio) sed præterea insolita quidem, atque jurata Fidei Professio a me exigitur; ea autem vel hanc ob causam, quod electio de me facta, & negotii confirmationis plena instructio, ab ejusdem impetratione (quam nihil, quod in mea potestate fuit, impedivit) benigna juris interpretatione non differens, & existimationis, ac fidei meæ sufficiens defensio, & professio, Summi etiam Pontificis calculo approbata, dudum ipsius Concilii Tridentini conclusionem, & confirmationem præcesserit, in hoc casu nec necessaria sit, nec infelici ac turbulento hoc tempore sine summo Catholicæ Religionis & Ecclesiæ afflictissimæ, mihi commissæ detrimento a me præstari possit: ut hæc omnia prædictus Dominus Legatus ex me, meisque plenius intellexit, & Sanctitati Vestræ procul dubio fideliter relaturus est. Ideirco, quanta possum, & debeo, humilitate & reverentia peto, ut tandem Sanctitas Vestra soluto juramento a Procuratore meo, Romæ excolente, (*) recepto, omnique difficultate, & mora submota, confirmationem tantopere desideratam, & periculosissimis hisce temporibus Ecclesiæ Coloniensi adeo necessariam, gratiose mihi concedere, & benigna legis sequentis interpretatione, totque relevantium causarum ratione habita, hac vice insoliti, & inusitati juramenti præstationem clementer remittere dignetur. Quod si, ut spero, fiat, non poterunt illi, qui posthac eligendi, & confirmandi sunt, quorum par similisque causa non erit, hoc ipsum in exemplum trahere. Ego certe non eo unus Catholicæ Fidei, & Religionis, quam toties & verbis & scriptis, & re ipsa professus sum, sectator, & propugnator ero, & ab eo, Deo me favore suo prosequente, nunquam recedam. Spiritus Domini nostri JESU CHRISTI animam, & omnes conatus Sanctitatis Vestræ ad DEI gloriam, & salutem Christiani Orbis dirigere, & Sanctitatem Vestram diu nobis incolumem servare dignetur.

Datum Augustæ Vindelicorum VI. April. MDLXVI.

Sanctitatis Vestræ

Devotissimus Filius

FRIDERICUS, Electus Coloniensis.

RESPON-

(*) *forte:* Romam incolente.

RESPONSORIA S PII V. PAPÆ ad FRIDERICUM a WEDA, electum Coloniensis Ecclesiæ Archi-Episcopum.

DILECTO FILIO FRIDERICO, ELECTO COLONIENSI, SACRI ROMANI IMPERII PRINCIPI, ELECTORI.

PIUS PAPA V.

Dilecte Fili! &c. Cuperemus admodum, Te Fratris nomine posse honorare, sicut mos est Romanorum Pontificum, eos, qui consecrationis munus jam susceperunt, Archi Episcopos, & Episcopos appellare. Sed Te, donec id suscipias, filium ad Paternæ nostræ erga Te benevolentiæ indicium appellamus, confisi, fore, ut utrumque erga Te & Patris, & Fratris affectum conservantes usitatiore Te nomine appellemus. Accepimus Literas tuas, quibus primum nobis gratularis, quod ad Apostolatus officium assumpti fuerimus. Gratum fuit nobis, perinde ac debuit, illud tuæ erga nos pietatis indicium. Hoc autem Dei de nobis judicio ita demum nos quoque lætabimur, si quid dignum hoc loco, in quo sine meritis nostris constituti fuimus, ad Divinæ Majestatis honorem, & Ecclesiæ Catholicæ utilitatem egere, Divina gratia favente, ac Te, ac cæteris, qui nobis adesse debent, juvantibus, poterimus, omnes labores, ac molestias, quas tecum (*) tantæ servitutis officium offert (**), patientissimo, ac libentissimo animo excepturi. Cum Dilectionem Tuam de assumptione nostra certiorem per literas fecissemus, grato quoque animo acceptam abs Te fuisse hortationem nostram libenter cognovimus. Cui cohortationi nostræ quod ea, qua decet, obedientia obtemperaturum Te esse polliceris, laudamus admodum in Domino istud pium propositum tuum, & magnam in spem venimus, ut nostris salutaribus monitis acquiescas. De Professione Fidei, secundum Tridentini Concilii Decretum facienda, intelleximus, quæ Tu excusandi Tui causa attulisti: sed in ea exigenda perseverare compellit nos commissum nobis officium. Etenim curare debemus, ut, cum omnia, quæ tam salubriter, & sapienter, non sine Spiritus Sancti instinctu, in eo fuerunt Concilio statuta, atque decreta, ab omnibus, & ubique suscipiantur, tum ea maxime, quæ ad fidem pertinent, inviolata serventur, nec quicquam in eis gratiæ concedatur. Nec ullam Tibi in eo injuriam facimus. Etsi enim electio Tua istud Concilii Decretum præcessit, tamen, cum non fueris adhuc confirmatus, non tempus, quo electus fuisti, sed quo confirmandus es, spectari debet. Neque est, quod verearis, ne fides tua ob eam causam in dubium vocari videatur. Non enim lædetur fama tua, non æstimatio violabitur. Læderes eam Tu ipse potius, & quadam nomen tuum labe commaculares, si, quod omnibus electis in universum perscriptum est, ipse exsequi pertinacius recusares. A nobis quidem si quis nostræ Fidei Professionem exigeret, eam, juxta Apostoli præceptum, reddere sine mora, & cunctatione ulla parati essemus. Quocirca Te etiam atque etiam hortamur, & admonemus, ut hac in re nos audias, qui Te sincere in Domino diligimus, & id tibi suademus, quod si feceris, ut speramus, omnes recte, pie, sapienterque abs Te factum judicaturi sunt. Consules honori tuo, consules conscientiæ, consules Ecclesiæ tam nobili, cui officium Pontificale præstare non potes, sicut a Prædecessore nostro monitus fueras, nisi confirmationem obtinueris, ut consecrationis munus postea suscipere, atque ita Ecclesiam, sicut decet, administrare possis. Sed de hac re Tecum pluribus aget Legatus noster, cujus orationi fidem habebis. Datum Romæ apud S. Petrum sub annulo Piscatoris die XIII. Junii 1566. Pontificatus nostri anno primo.

EPISTOLA Ejusdem PII V. P. M. ad MAXIMILIANUM II. Imper., qua rogat, ut conetur Confessionem Fidei ex Friderico Wedano exprimere.

CHARISSIME IN CHRISTO FILI NOSTER SALUTEM!

Quanti momenti sit negotium, de quo ad Majestatem Tuam scribendum esse duximus, & quantæ curæ Nobis esse debeat, Majestas Tua pro sua sapientia facile intelliget. Coloniensis Electus abhinc triennium, & eo amplius, cum ad eam Ecclesiam electus fuit, etsi intio

(*) forte: secum. (**) forte: affert.

initio confirmationem ſuam ab Apoſtolica Sede, Prædeceſſorum ſuorum, & aliorum Catholicorum more, petiit; tamen quo minus eam obtineret duo impedimenta, ac difficultates ipſemet objecit: quarum altera, quæ ad jura Cardinalium, & aliorum Curiæ Romanæ Officialium pertinet (quæ levior fuit) fel. record. PII Papæ IV. Prædeceſſoris noſtri hortatu, & ipſorum Cardinalium æquitate ac benignitate minui facile potuiſſet; ſicut ipſi ſignificatum fuit. Altera ejusmodi fuit, ut eam nemo Catholicus, nedum Prælatus objicere debuerit. Cum enim deberet juxta S. Tridentini Concilii Decretum Sanctiſſimum, & his temporibus maxime neceſſarium Fidei ſuæ Confeſſionem facere, priusquam confirmaretur, & de ea facienda non ſemel admonitus fuiſſet, eam facere recuſavit; tametſi ea ſuſcepta, & uſu recepta fuerit juxta formam ab ipſo Prædeceſſore noſtro approbatam, non in Italiæ ſolum, & Franciæ, Hiſpaniæ, ac Poloniæ Regnis, ſed in ipſa etiam Germania. Qua in re ejus recuſatio, & tam diuturna contumacia fidem ejus non parvam in ſuſpicionem adduxit, & maximum Colonenſibus, & omnibus Catholicis ſcandalum peperit: quod Nos ſcandalum pro Paſtoralis officii munere removere compellimur. Sed, quia inviti ad acriora remedia eſſemus deſcenſuri, teſtandum prius duximus, ſicut hujus S. Sedis, ac noſtra manſuetudo, ac moderatio poſtulat, ſi ipſum lenibus remediis adducere poſſimus, ut errorem ſuum agnoſcat, ac Catholici viri ac Prælati officio fungatur. Quocirca Majeſtatem Tuam, cujus authoritate magnopere eum commotum iri ſperamus, hortandam in Domino duximus, & rogandam, ut eum benevole officii ſui admoneat, & ad hujusmodi confeſſionem faciendam, ac parendum Apoſtolicæ Sedis tam æquis, & ſalutaribus monitis adhortetur, & illis eum rationibus, quas Majeſtati Tuæ ſua ſapientia ſuggeſſerit, inducat: ac, ſi de hac re in Comitiis agere tentarit alicujus Principis favore nixus, ſicuti eum in animo habere certiores facti ſumus, ab hac eum temeritate deterreat. Erit hoc pietatis Majeſtatis Tuæ dignum officium, & illi gratiſſimum eſſe debebit, nobis certe erit, qui nollemus ullam neceſſitatem nobis imponi, cum eo ſeverius agendi, ac parati ſumus, ſi ille officio, quo debet, functus fuerit, & debitam huic S. Sedi obedientiam præſtiterit, paterna illum charitate complecti. Sed, ſi in contumacia perſeveraverit, nec Apoſtolica monita, nec Cæſareæ Tuæ Majeſtatis authoritas ſatis apud eum valuerit, non poterimus officium ejus prætermittere, & juxta Canonicas Sanctiones neceſſitati tam nobilis Eccleſiæ, quæ tamdiu Paſtore caret (tametſi is ſe pro Archi Epiſcopo gerere minime vereatur) providere, & ne id malum propter exemplum latius ſerpat, occurrere, Deo juvante, curabimus: Majeſtatis Tuæ, & omnium Catholicorum favorem Nobis juſte, quod juſtum fuerit, facientibus, ipſiusque imprimis Omnipotentis auxilium non defuturum eſſe confiſi. Datum Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 23. Mart. MDLXVI. Pontificatus noſtri anno Primo.

Porro, ut eluceſcat magis, quanta fuerit hujus Pontificis pro Eccleſia Colonienſi ſolicitudo; binas adhuc alias Literas adjiciam, quibus idem Ssmus, poſtquam illi de ultronea Friderici Wedani abdicatione renuntiatum fuit, tum Cleri primores, tum ipſum quoque Imperatorem Maximilianum II. adhortatur ad omnem operam adhibendam, ut proxima in electione de digno idoneoque Præſule, in Friderici locum ſubſtituendo, Eccleſiæ illi Metropolitanæ provideatur.

DILECTIS FILIIS DECANO, ET CAPITULO ECCLESIÆ COLONIENSIS.

DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

NOn parva animi moleſtia, ac ſolicitudine liberati ſumus, poſtquam ex literis Nuncii noſtri, apud Cæſaream Majeſtatem reſidentis, cognoverimus, eum, qui a vobis electus Archi Epiſcopus fuerat, ſuo tandem jure ceſſiſſe. Gaudemus admodum, & Deo gratias agimus, quod jam de integro poteſtas ad vos delata ſit, novum Archi Epiſcopum eligendi. Hortamur autem in Domino, & omni ſtudio vos admonemus, ut officii veſtri memores, matura deliberatione adhibita, & eo, quo decet, conſenſu, ejusmodi perſonam eligatis, ut electionis Veſtræ & Deo & hominibus rationem reddere poſſitis. Agitur, ut videtis, honor Dei, agitur animarum ſalus; agitur officium & exiſtimatio veſtra. Cogitate, quam hæc turbulenta ſint tempora: Mementote, quanto in periculo alias iſta Eccleſia verſata ſit: quan-

Digitized by Google

quanta damna & detrimenta acceperit quorundam Præſulum culpa. Si unquam Capitulum iſtud in eligendo Archi Epiſcopo curam & diligentiam adhibuit; nunc multo majorem, quam antea, adhibeat, neceſſe eſt. Proinde Dei tantum obſequium, & animarum ſalutem, atque utilitatem Eccleſiæ, propoſitam ante oculos habete, & eligite, ſeu poſtulate virum, cujus exploratum & plane compertum habeatis Catholicæ fidei zelum: qui præterea vita, & moribus, & rerum uſu, atque prudentia, ad tantæ Eccleſiæ regimen, non ſolum in Spiritualibus, ſed etiam in temporalibus, quam maxime aptus, atque idoneus ſit. Talem ſi, ut ſperamus, veſtra fide, probitate, prudentiaque confiſi, elegeritis; Electio veſtra Deo grata, Eccleſiæ ſalutaris erit. Vos autem Judicii Veſtri non ſolum a Nobis, & ab omnibus aliis, magnam laudem, ſed a Deo etiam præmium conſequemini.

Datum Romæ apud S. Petrum, ſub annulo Piſcatoris, die 29. Novembr. 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

AD MAXIMILIANUM IMP.

CHARISSIMO IN CHRISTO FILIO NOSTRO, MAXIMILIANO, UNGARIÆ ET BOHEMIÆ REGI ILLUSTRI, IN ROMANORUM IMPERATOREM ELECTO.

PIUS PAPA V.

CHARISSIME &c.

GRavi admodum cura levati ſumus, poſtquam certiores facti ſumus, Electum a Capitulo Colonienſi, electionis ſuæ juri ceſſiſſe. Qua in re, ſicut Maj. Tuam perſuaſum habemus functam eſſe officio, quod ipſius ſapientia ac pietate dignum erat; ita confidimus, curæ ei quoque futurum eſſe, ut ad Eccleſiæ tantæ regimen ejusmodi perſona a Capitulo eligatur, cujus integritas Fidei, ac Religionis orthodoxæ zelus, cum vitæ & morum honeſtate conjunctus ſit, quæque præterea ætate, ac rerum uſu apta ſit ad tantum onus ſubeundum. Etenim ſi unquam adhibita in eligendo cura fuit, hoc maxime tempore curandum & providendum eſt, ut quam optimo Præſuli, ac Paſtori ea Eccleſia committatur: ad quod Nos quidem pro eo ac debuimus, ipſum Capitulum hortati ſumus: ſed ſperamus, ut diximus, Majeſtatem Tuam quoque ſtudioſe curaturam, ut hac in re DEI Omnipotentis honori, & animarum ſaluti, quam optime conſulatur. Quod cum faciet, gratiſſimum DEI obſequium præbebit, & maximam ab hominibus laudem merebitur.

Datum Romæ apud S. Petrum. ſub annulo Piſcatoris die VI. Decembris 1567. Pontificatus noſtri anno ſecundo.

Eodem die, quo ſe imperio exuerat Fridericus, vel, ut alii volunt, tertio poſt, concordibus primarii Cleri votis, Archi-Epiſcopus renuntiatus eſt Salentinus, Comes Iſenburgicus, Metropolitanæ Eccleſiæ Colonienſis, ac ſimul Moguntinæ Canonicus, idemque ad S. Gereonem Coloniæ Decanus, & in Argentinenſi Cathedrali Eccleſiaſtici theſauri Cuſtos. Magna omnium gratulatione ejus excepta fuit electio: Nam præter nobiliſſimæ ſtirpis claritatem & formam Imperio dignam, multis fuerat egregiis virtutibus Divinitus ornatus, cujus heroica decora & res, tum apud Colonienſes intra decennium, tum etiam aliquamdiu apud Paderbornenſes egregie geſtas, coram ſpectaſſe ſe gloriatur celebris ejus temporis Scriptor, Gerardus Cleinſorgius, qui illi a conſiliis fuit.

A reformatione Cleri regimen exorſus, viros probos, ſapientesque & eruditos conſtituit, qui Ordinem Eccleſiaſticum ad præſcriptam a Tridentino Concilio normam revocarent. Selecta etiam ex eodem Sacro Concilio Decreta anno 1569. promulgavit, eademque in ordinem digeſta ad Eccleſiarum Præſides transmiſit, ut inducenda in uſum, conſtanterque obſervanda curarent. Idem Eccleſiam Kempenſem ſuæ Diœceſis, a Bucero, qui novi Evangelii præconem ibidem egerat, prava doctrina infectam ac depravatam, opera Joannis Geyer Coloniæ ad Ss. Apoſtolos Decani, & ad S. Albanum Paſtoris, ad Catholicæ Fidei integritatem revocavit. Teſte Wilmio, Patria Kempenſi, ac dein in Cæſaris Inſula Decano in MS. Chronico rerum Colonienſium L. II.

Nec

Digitized by Google

Nec minor illi de jurisdictione temporali, poſſeſſionibusque ſuæ Eccleſiæ vel tuendis, vel recuperandis cura fuit. Acceperat Archi-Diœceſin, multis prædiis, villis, oppidis, ditionibusque acciſam & mutilam: quæ ille paucorum ſpatio annorum, prudenti, minime tamen ſordida, œconomia uſus, reddita creditoribus pecunia redemit, ſuæque Eccleſiæ iterum adjunxit. Commemorandum hæc inter præcipue venit Horneburgum arx cum tota Veſta Recklinghuſana. Hanc ab annis fere centum & quinquaginta poſſidebant Comites Schawenburgici, quibus ea ditio quondam ſub Theodorico de Mœrſa Archi-Epiſcopo Colonienſi pignori tradita fuerat pro ſeptendecim florenorum aureorum millibus, ac præterea quingentis & quinquaginta: neque ullus Theodorici Succeſſorum fuit, qui debitum iſtud conaretur expungere: indignum illud, imo & probroſum Salentino viſum. Quare magnis animis rem aggreſſus, anno 1576. totam eam Summam Comitibus Schawenburgicis, multum quidem reluctantibus, Cæſaris tandem auctoritate ad eam recipiendam coactis, reddidit, ſicque nobilem hanc Archi-Epiſcopalis jurisdictionis portionem Eccleſiæ ſuæ poſſidendam reſtituit. Pari ratione Urdingam oppidum una cum Caſtro, Præfecturam & arcem Erpradienſem haud procul Noveſio, Wichternichium in Præfectura Legionacenſi, aliaque, ære alieno liberata Colonienſi Cathedræ rurſum vindicavit.

Septennio circiter Eccleſiæ Colonienſi jam præfuerat Salentinus tanta laude ſui nominis, ut inter optimos ejus temporis Præſules cenſeri mereretur. Qua fama excitati Paderbornenſis Eccleſiæ Primates, quibus avitæ vigor Religionis cordi erat, Joanni ab Hoja, Osnabrugenſi Epiſcopo, Paderbornenſi ſimul ac Monaſterienſi Adminiſtratori, anno 1574. vita functo Succeſſorem, qui votis ſuis reſponderet, daturi, Salentinum una omnes voce poſtulavere. Non diſplicuit Rom. Pontifici Gregorio XIII. iſta poſtulatio: etſi enim is Salentinum ſciret ab Ordinibus ſacris eo uſque abſtinuiſſe, ut Familiam Iſenburgicam, quæ in ipſo, ceu ultimo, unicoque nobiliſſimo Stemmatis ſurculo nitebatur, ab interitu vindicaret; facile tamen & poſtulantium ſubſcripſit ſententiæ, & Salentino pro auctoritate ſua Apoſtolica, curaret Ordinis Epiſcopalis munia per Epiſcopum Suffraganeum exerceri, poteſtatem fecit, datis, quas hic ſubnectimus, ad eundem literis.

Venerabili Fratri SALENTINO, Archi-Epiſcopo Colonienſi,

GREGORIUS PAPA XIII.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

CUm, ſicut accepimus, nuper Dilecti Filii Decanus & Capitulum Eccleſiæ Paderbornenſis, Eccleſia ipſa tunc per obitum b. m. Joannis olim Epiſcopi Monaſterienſis, qui, dum viveret, ex conceſſione Apoſtolica eandem Eccleſiam Paderbornenſem in adminiſtrationem obtinebat, extra Romanam Curiam defuncti, Paſtoris ſolatio deſtituta, Te, qui Eccleſiæ Colonienſi ex ſimili conceſſione Apoſtolica præes, etiam in Epiſcopum Paderbornenſem poſtulaverint: Nos, qui noſtri univerſalis Paſtoris officii ſollicitudine utilitati Eccleſiarum omnium, præſertim Cathedralium, quantum cum Deo poſſumus, his potiſſimum turbulentis & periculoſis temporibus, ne illæ longæ vacationis exponantur incommodis, neve propterea in ſpiritualibus aut temporalibus detrimenta patiantur, diligenter providere ſtudemus, ſperantes, quod, dirigente Domino actus tuos, præfata Eccleſia Paderbornenſis ſub tuo felici regimine utiliter regetur, & proſpere dirigetur: Te dictæ Eccleſiæ Paderbornenſis in eidem ſpiritualibus & temporalibus Adminiſtratorem auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ad noſtrum & Sedis Apoſtolicæ beneplacitum facimus, conſtituimus, & deputamus: Tibique poſſeſſionem ipſius Eccleſiæ Paderbornenſis & illius bonorum, ſeu quaſi, vigore præſentium per Te vel alium, quem ad hoc duxeris deputandum, capiendi & retinendi, nec non illius menſæ Epiſcopalis fructus, redditus & proventus petendi, exigendi, & percipiendi, ac debitis conſuetis ipſius Eccleſiæ Paderbornenſis ſupportatis oneribus, quod ſupererit, in tuos licitos & honeſtos uſus convertendi, ac Pontificalia officia, quo ad ea, quæ ſunt Ordinis, durante tua adminiſtratione hujusmodi, per Suffraganeum a Te deputatum in Civitate & Diœceſi Paderbornenſi exerceri faciendi, cæteraque in præmiſſis & circa ea

neceſſaria ſeu quomodolibet opportuna gerendi, mandandi & exequendi, plenam & liberam facultatem & poteſtatem concedimus.

Mandantes Dilectis Filiis Capitulo & Vaſallis dictæ Eccleſiæ Paderbornenſis, ac Clero & Populo Civitatis & Diœceſis Paderborn., ut juxta præſentium tenorem Tibi, tanquam Eccleſiæ hujusmodi Adminiſtratori, ac Patri & Paſtori animarum ſuarum, humiliter intendentes, exhibeant Tibi obedientiam ac reverentiam debitas ac devotas: Vaſalli vero & ſubditi conſueta ſervitia & jura Tibi ab eis debita integre exhibere procurent. Non obſtantibus Apoſtolicis, in Provincialibusque & Synodalibus ac Generalibus Conciliis, editis ſpecialibus vel generalibus Conſtitutionibus & Ordinationibus, & Eccleſiæ Paderbornenſis prædictæ etiam juramento, confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis & literis Apoſtolicis illi conceſſis & confirmatis, - - - cæterisque contrariis quibuscunque. Hortamur igitur Te plurimum in Domino, ut hoc munus regendæ & adminiſtrandæ Eccleſiæ Paderbornenſis, tuis per Nos impoſitum humeris, ſic exercere ſtudeas ſollicite, fideliter ac prudenter, quod illa, ſicut ſperamus, provido & fructuoſo Adminiſtratori gaudeat ſe commiſſam; Tuque in noſtro & ejusdem Sedis conſpectu Te ſemper meritorum præmiis digniorem conſtituas, Nosque proinde ad uberiores gratias Tibi faciendas per amplius invitemur.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris die IV. Septembris 1574. *Pontificatus noſtri anno Tertio.*

Literæ hæ ex Urbe vix advenerant, cum Salentinus, egregio mille equitum comitante agmine, non Epiſcopali in habitu (nullis enimvero adhuc erat Ordinibus Sacris inſignitus) ſed in ſago, loricam indutus ferream, Paderbornam ingreditur, vel ſuo hoc declarans apparatu, quam ſtrenue ſit, & conſtanter pro Diœceſis ſibi commiſſæ & Fidei Orthodoxæ juribus atque incolumitate pugnaturus. Hærebant inſolito perſtricti lumine Acatholici, effuſis in lætitiam Catholicis, & in ſpem erectis ampliſſimam, fore, ut ſua propediem veræ Religioni integritas ſub tanto Principe rediret, ac Patria univerſa omni felicitate cumularetur. Nec falſi ſpe ſua fuiſſent Paderani, ſi diutius ſedere ad clavum imperii Salentino libuiſſet. Profecto inter cætera, quæ in Reipublicæ emolumentum, & Religionis utilitatem geſſit, præſtantiſſimum illud, grataque & intermoritura nunquam apud poſteros memoria celebrandum, quod novum Paderbornæ Gymnaſium, nuncupatum Illuſtri deinceps ab Auctore *Salentinianum*, invaleſcenti quot diebus ac late graſſanti hæreſi objiciendum erexerit pro meliori juventutis inſtructione, opulentaque etiam, datis ea de re A. 1577. ſexta Febr. literis, quas videre eſt *apud Strunck Annal. Paderb. P. 3. Lib. XXII. pag.* 438., dote ac proventibus ſapientiſſimus Princeps inſtruxerit, primo ejusdem Rectore deſignato Hermanno Kerſenbrochio, viro inter Weſtphalos eximio, de totaque fere Weſtphalia cum ob Anabaptiſtarum confectam a ſe hiſtoriam, tum ob editum Epiſcoporum Monaſterienſium, Paderbornenſiumque Catalogum Scriptore merito, cui & alios Scholarum Magiſtros, laborum periculoſiſſimis iſtis temporibus neceſſariorum ſocios adjunxit. Anno tandem 1577. die 5. Sept. remiſſo Paderbornenſi Eccleſiæ, cui annos tres, menſes quatuor, dies quindecim ſumma laude præfuerat Epiſcopus ordine ſecundus & quadrageſimus, nuncio, convocatisque Coloniam totius Archi-Diœceſis Ordinibus, in ſplendidiſſimo Procerum conſeſſu VIIviratum, quem maxima ſui commendatione ac Patriæ totius utilitate annos decem, menſibus tribus & diebus duodecim demptis, geſſerat, Brulæ abdicavit, ducta Bonnæ, ut emorienti familiæ ſuccurreret, Antonia Wilhelmina, Joannis Arembergæ Comitis filia.

Doluere boni omnes, ſcribit *in Chron. MS. Colon. Wilmius*, tanti Viri abſceſſum uſque adeo, ut vel uxurato obtulerint (Paderbornenſes) Provinciæ adminiſtrationem: id cum obtinere non poſſent, quem ante triennium venientem maximo applauſu exceperant, recedentem ingenti luctu ac mœrore ſunt proſecuti. Non modo ſibi, ſed & utrique Epiſcopatui a ſe dimiſſo, odioſa hac renuntiatione Salentinum vehementer nocuiſſe, teſtatur *Strunck cit.* " Sibi quidem, quia e tanta dignitate ad " exigui Comitatus anguſtias devenit; & Familia Iſenburgica, quam ab interitu " vindicare voluit, poſtea tamen in Erneſto ipſius filio prorſus intercidit: ſuis " vero Epiſcopatibus, quia tam Coloniæ, quam Paderbornæ, infeliciſſima Capitularium electione tales (pro dolor!) Succeſſores habuit, qui ſuis Diœceſibus " extremam fere perniciem adtulere." *Ita ille.*

Quam

Quam gravis porro Diœceſim Paderbornenſem, ſubrogato in Salentini locum Henrico a Ducibus Saxoniæ Lauenburgicis orto, Bremenſi Archi-Epiſcopo, fortuna concuſſerit, quisquis inſpicere propius & explorare voluerit, eundem ad *cit. Strunckii Annales Paderbornenſes*, variis ex Scriptoribus, ac monumentis MS. confectos remitto, Lectoribus interim meis, quis rerum ſub illa tempora Colonienſi in Eccleſia ſtatus fuerit, ob oculos, quantum hic loci opus eſt, poſiturus.

Succeſſit Iſenburgico Gebhardus Truchſeſius ex Illuſtriſſima Waldburgenſium Equitum familia in Suevia natus, & Ottonis Truchſetii, Magni illius Principis (*de quo vid. Tom. VII præc. pag.* 213.) ex fratre nepos, Auguſtani tum Collegii Præpoſitus, Argentinenſis Decanus, Metropolitanæ Colonienſis Eccleſiæ Canonicus; qui nonniſi uno Sereniſſimum Erneſtum, Bavariæ Ducem, cujus poſtea dotes, meritaque recenſebo, ſuffragio anteceſſerat: quod quidem tum opera Hermanni Nuenarii Comitis, & ſibi & Proteſtantibus ſuis a Bavaro, Religionis Catholicæ ſtudioſiſſimo male metuentis, tum facundia ejusdem, ſubdolisque machinationibus facile effectum.

Novi Præſulis optima ſe ſe prodebant initia. Certe Gregorius XIII. P. M. perinde ac Rudolphus II. Rom. Imp. eam de prudentia ipſius, de morum integritate, de pietate & religione exiſtimationem conceperant; ut quidem Gregorius anno 1578. ſuis in literis teſtaretur, aut *Religionis Orthodoxæ ſtudioſiorem*, aut *Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantiorem*, Gebhardo, fore neminem: Rudolphus vero illum, cui graviſſimam Belgicos tumultus componendi Provinciam, vicesque ſuas gerendi, anno inſequente committeret, inter Imperii Proceres digniſſimum arbitraretur.

Locus, revocandæ Philippum inter Hiſpaniarum Regem & Belgicos Ordines paci, deſignatus Auguſta Agrippinenſium erat. Convenere illuc viri ex utraque Germania illuſtriſſimi, qui ut tanti momenti negotium, Cœlo favente, auſpicarentur, felicique coronarent exitu, ſupplicationem, Gebhardo authore ac ſocio, pridie Cal. Majas adornarunt & ab hominum multitudine frequentiſſimam, & a delectu Virorum ſplendidiſſimam. Proceſſum ab hac ad conſultationem labore maximo, fructu nullo. Mirum eſt, quod, dum iſta agitabantur, præ ſe Gebhardus tulit Fidei Orthodoxæ Belgas inter ſtabiliendæ deſiderium ac ſtudium. Palam aſſeveraſſe fertur: *Malle ſe in furcam ac crucem agi, quam a Fide Catholica vel latum unguem deſciſcere, aut libertatem Religionis, pro qua tam acriter Belgæ pugnarent, ullo pacto permittere.*

Suſceptis jamtum antea Sacris Ordinibus, ipſoque etiam Sacerdotio initiatus, Rudæ, Ducatus Weſtphalici oppido, ne quis, niſi probe Catholicus, Senatorum adſcriberetur Ordini, edicto cavit; author fuit Werlenſibus, ut, quo demum ſtudio poſſent, fidem orthodoxam colerent ac propugnarent; Suſatenſibus, ut Novatorum amicitiam, doctrinamque fugerent. Ad hæc Viſitationem, per Weſtphaliæ Parœcias inſtituendam, (*Mich. ab Iſſelt de bello Colon. L. IV. pag.* 490.) ſanam adeo conceperat & integram, ut, quod ab Eccleſiæ Romanæ ſenſis alienum eſſet, penitus nihil contineret. Plura ſunt, quæ edidit propenſi in Religionem animi ſpecimina. Quid igitur hiſce initiis, ni dolos Gebhardus dolis conſuerit, præclarius? quid optabilius?

Verum didicit mox ipſe infelix Princeps, & luctuoſiſſimo ſuo alios exemplo docuit, quo male cautum, ſuique negligentem familiaritas cum Acatholicis nimia, atque epularum aſſidua luxuries, tum vel maxime amoris impuri vis abripere tandem aliquando valeant. Summa Truchſeſio cum Solmenſi, Nuenario, Saynio, Wittgenſteinio, & aliis Novatorum Patronis intercedebat conſuetudo, cum iisque immanibus non raro poculis certabatur. Baccho ſe facile dat comitem Venus. Conjecerat inter illa Gebhardus oculos in Agnetem Mansfeldiam, Joannis Georgii Comitis filiam, Gerresheimiano prope Duſſeldorpium Monaſterio adſcriptam ſub id temporis virginem, quæ viſendæ ſororis cauſa Coloniam venerat. Obtutus ei, ut quondam pluribus, fatalis fuit: ita enimvero illam deperire puellam cœpit, ita ineſcari elegantis formæ amoribus, ut, ſuperante rationem libidine, contractas clam anno 1582. nuptias, altero ſtatim anno celebrarit, ab avita defecerit Religione, & hujus deſtitutus luce, ex alio aliud in ſcelus proruerit, nec Pontificiis expugnatus literis, nec Legationibus Cæſareis ad ſaniora reductus. Creſcebat cum fama horrendum ubivis ſcandalum; cui ut iretur obviam, Apoſtolico fulmine utendum erat. Utitur illo Romæ Cal. April. A. 1583, Gregorius, & Archi-Epiſcopali Gebhardum Sede movet, abſolutam ab ejus fide & obedientia patriam declarat, deni-

que Collegio Canonicorum, alium, præciſa mora, Antiſtitem ejus in locum deſignent, imperat. Sententiam hanc Supremi Pontificis, quam Rudolphus Imp., uti decuit religioſiſſimum Eccleſiæ Catholicæ Advocatum, querulo licet Novatore contra fremente, ratam habuit, ad Ubios pertulit Joannes Franciſcus Bonhomius, Vercellenſis Epiſcopus, (cujus elogium extat *T. CC. Germ. VII. pag* 995.) Metropolitanique mox Collegii Clerum primarium admonuit, ut Comitia pro novo eligendo Archi-Epiſcopo maturaret; Hanc eſſe Pontificis voluntatem, hoc Imperium. Obtemperat Capitularium Senatus eo promptius, quo diutius Paſtorem alium optaverat, & quo jam ante generoſius cauſam Gebhardo abjudicarat, nobili hac Antonii Comitis Schawenburgici, Decani, oratione animatus:

" *Nemini veſtrum, ut opinor, ambiguum eſſe poteſt, quin modernæ machinationes*
" *Archi-Epiſcopi noſtri directe pugnent cum antiquis Provinciarum noſtrarum ſtatibus*
" *& conventionibus, quas vulgo STATUUM UNIONEM* (vid. **Erklärte Landvereinigung** de anno 1550. apud Cleinſorg. cit.) *vocant. Ab hac autem unione*
" *ut recedatur, & pro antiqua, Sanctiſſimaque Religione Catholica jam nobis perperam*
" *obtrudatur novitia quædam fides Confeſſionis Auguſtanæ: id enimvero nec ego,*
" *quantum in me eſt, permitti patiar; neque vos pariter, ſi viri eſſe vultis, per ſa-*
" *lutem animæ veſtræ concedere poteritis aut conſentire. State igitur in hac Unione*
" *tam ſancta & antiqua! Id enim Comites, id viros Nobiles & Generoſos, id fidelem*
" *Reipublicæ Magiſtratum decet.*"

Obtemperat, inquam, Capitularium Senatus, & mirabili conſenſu, omniumque ſuffragiis Erneſtum Bavariæ Ducem, Eburonum ac Friſingenſium Epiſcopum, Hildesheimenſium Adminiſtratorem, Principem optimum Truchſeſio, inter Urbis totius atque Ordinum gratulantium voces ac plauſus, ſufficit X. Kal. Junii.

Nova hæc Cleri Metropolitani electio, auctoritate Pontificis, conſenſu Imperatoris, Patriæque Ordinum adſtipulatione fulta, certi etiam manifeſtique juris confirmata adminiculo, tantum abfuit, ut Gebhardo & ejus fautoribus probaretur; ut belli etiam non diuturni quidem, ſed peracris tamen ac funeſti, poſtmodum ab ipſis excitati, eſſet origo. Quod cum ab ovo integrum ex Iſſeltio, ſcriptore Synchrono, repetere quivis poſſit, explanare hic loci ſupersedeo.

Adſpirante interim Erneſtinis armis Divino Numine, coactus Provinciam deſerere Truchſeſius, ne cum Principatu vitam amitteret, Delphos ad Arauſicanum ſe recepit; qui victum exuli ac hoſpitium tantisper præbuit; cauſam tueri armis nunquam voluit. Spem deinde, votaque in Angliam transmiſit infelix, ab Eliſabetha Regina ut ſuſciperetur. Verum & iſtic repulſam paſſus, nihilque præter duo Imperialium millia ac plenas aculeorum literas, in quibus miſero objiciebatur, *fieri haud poſſe, ut, quæ cæca animi perturbatione & impetu nituntur, feliciter eveniant*, adeptus, Argentinam ſuum ad Decanatum ſeceſſit: ubi (*) mœrore primum, poſt calculi & cholicæ doloribus confectus, vitam in ſqualida 17. annorum quaſi caligine actam, inglorius poſuit XII. Kal. Junii anno 1601., Eccleſiæ Colonienſis per ſeptennium Archi-Epiſcopus: cum Carolum octennio ante & Ferdinandum anno 1585. Germanos, & Joannem Caſimirum, Palatinum Comitem, unicum pene in cauſa ſua fulcrum, 1592. acerbis fatis amiſiſſet, expertus damno ſuo graviſſimo & alios erudiens, in quale, quamque truculentum poſſit monſtrum libido adoleſcere, niſi in ipſo ſtatim ortu ſuffocetur. *Maimb. Hiſt. Lutheran. T. II. L. VI. pag.* 356. Adde cit. AA. *Wilmii* Chron. MS. *Turckii* Hiſt. MS. *Eyzingeri* Hiſt. Truchſeſ. *Kobleri* Diſſert. de fatis Gebh. *Thuan. Struv. Flor. Rem.* & alios.

Pontificias jam pro more meo adjungam literas.

EPIS-

(*) *Cum Maimburgio errat Hiſt. Eccleſ. Germaniæ, 1724. Bruxellis gallice editæ apud Franc. Foppens, dum ſcripſit Truchſeſium in Hollandia extinctum.*

Digitized by Google

EPISTOLA GREGORII XIII. P. M. ad GEBHARDUM TRUCHSESIUM, Colonienſem Archi-Epiſcop. qua eundem a Schiſmate dehortatur.

GREGORIUS PAPA XIII.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

TRuchſeſiorum domum, non minus generis nobilitate, quam fidei Catholicæ ſtudio & conſtantia antehac floruiſſe, teſtis eſt inſignium Virorum, qui ex ea prodierunt, tum antiqua, tum recens memoria, præcipue vero Cardinalis Auguſtani, qui Principem in ea locum obtinuit, apud quem Tu pie & religioſe, & quaſi in conſpectu ac gremio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ educatus, non parvam olim præbuiſti ſpem, fore, ut dignus tali genere, ac diſciplina evaderes: Hinc noſtra erga Te propenſio, noſterque Paternus amor initium habuit, qui poſtea, ex gravium virorum teſtimonio, non ſolum confirmatus, ſed etiam auctus fuit, ut de Te Nobis viciſſim optima & rectiſſima quæque polliceremur.

Succeſſit tempus illud, cum electus fuiſti a Capitulo Colonienſi in Archi-Epiſcopum illius Eccleſiæ, quæ electio, cum maximis implicaretur difficultatibus, & vehementiſſime oppugnaretur; tamen ea erga Te uſi ſumus benignitate, ut, ſublatis omnibus impedimentis, Capituli judicium, & electionem de Te factam, approbaremus, confirmationisque Apoſtolicæ robur adjiceremus. Ex his putabamus neminem Te aut Religionis orthodoxæ, aut S. hujus Sedis, aut etiam diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtudioſiorem, vel obſervantiorem fore.

Sed dolemus, & quidem graviter dolemus, noſtram ſane exſpectationem ex his, quæ de Te multorum literis, ſermonibus, & fama ipſa quotidie ad Nos perferuntur, non ſolum labefactatam & imminutam, ſed pene deletam, ac illa, quæ circumferuntur, talia eſſe, & loco munereque tuo adeo indigna, ut ſine magno pudore exprimi non poſſint.

Suſtinuimus Nos certe, quoad potuimus, ne quicquam, quod de Te indignum eſſet, crederemus. Sed cum rumor quotidie magis ingraveſceret, coacti ſumus ſuſpenſo ac ſolicito de Te animo eſſe, nec diutius diſſimulare voluimus.

Monemus igitur Te, ut famæ ac ſaluti tuæ, in tempore conſulas, &, ſi fortaſſe longius, quam oportuit, progreſſus es, Te revoces: ſin vero falſa ſunt, quæ objiciuntur, quod potius vellemus, animum ac ſenſum tuum aperias & declares, nec patiaris ex malevolorum ſermonibus perpetuam notam ac ignominiam Tibi, tuæque agnationi, & Ordini Eccleſiaſtico inuri. Cogitesque, quid Deo, qui Te ad iſtum ſublimen gradum evexit, quid Sedi Apoſtolicæ, quæ Te ſingulari quodam amore, & gratia complexa eſt, quid Patriæ, quid generi, quid Chriſtiano nomini, quid publicæ utilitati, quid denique Tibi ipſi debeas. Qui, cum honorificentiſſimum locum teneas, non alii magis, quam Tibi ipſi inimicus fueris, ſi ita Te geſſeris, ut merito inde exturbandus ſis: cum tamen nullo negotio eum Tibi conſervare & magnus in Eccleſia Dei, & ſumma cum auctoritate inter Imperii Principes eſſe poſſis.

Memineris, quam difficiles & periculoſi ſint novarum rerum exitus, & quantopere cavendum ſit prudenti & pio viro, ne temere famam, rem, ſtatum, dignitatem, animamque denique ipſam, in extremum diſcrimen adducat, cujus rei non deſunt noſtra ætate exempla, quibus doceri poſſis.

At ſi longius fortaſſis progreſſi ſumus; amori noſtro, dignitatisque ac ſalutis tuæ deſiderio id aſſignabis. Non enim dubitamus, quin Paterna hæc monita noſtra, id apud Te pondus habitura ſint, quod omnibus nominibus & juſtiſſimis de cauſis debent, atque reipſa, eam pietatem & reverentiam erga Sacram hanc Sedem ſis oſtenſurus, qua Nos recreari, Te in dilectiſſimi filii loco, ſicut antea, ita & poſt hac habere; & ea re lætari magnopere poſſimus.

Sed hoc literarum officio non contenti, mandavimus Venerabili Fratri noſtro Archi-Epiſcopo Trevirenſi, ut ad Te proficiſcatur, Tecum fuſius, eadem de re, quam diligentiſſime agat, ac conſilium, deliberationemque noſtram clarius patefaciat. Cui plenam fidem Te habiturum non dubitamus.

Datæ Romæ apud S. Petrum ſub annulo Piſcatoris die 17. Dec. MDLXXXII. Pontificatus noſtri anno undecimo.

JOH. BAPT. CANOBIUS.

Pro Reſponſoria Gebhardi ad Pontificem data, quæ valde prolixa & indignis ſcripta modis, extare T. I. operis, inſcripti: *Litteræ Procerum Europæ.* Lipſ. ed. 1712. pag. 27. a Reiffenbergio *Hiſt. Soc. JESU ad Rhenum Infer. T. I.* in Mant. Diplom. dicitur, ſi præcipua Legationum Cæſarearum capita Lectoribus meis adtulero; rem ipſis gratam facturus mihi videor.

Rudolphus II. Imp. poſtquam intellexerat, quo cruda ſpectarent & impia Truchſeſii molimina, Legatum ad eundem miſit Andream Gailium, Agrippinatem, Virum Clariſſimum, per eumque moneri ſerio voluit, perpenderet gnaviter, quam turpe, quam omni juri, conſuetudinibus, Sacris Canonibus, Imperii Conſtitutionibus, & communis Patriæ pacis conditionibus eſſet contrarium, quod tam conſtanti de ipſo fama divulgabatur: quæ pericula & damna, quod probrum, quas calamitates non ipſe tantum, ſed antiquiſſima etiam nobiliſſimaque ejus familia, ſed totus pariter Archi-Epiſcopatus Colonienſis incurrerent, ſi ab illo, quod animo volvebat, propoſito non recederet. Quantis denique & corpus & animam objectaret periculis.

Alter, quem Cæſar ablegavit, erat Jacobus Curtius, vir integerrimus; cui hæc perferenda ad Archi-Epiſcopum mandata: Non tantum confirmari novis rumoribus prima, quæ de Electore ad ſe venerant; ſed alia multo graviora adjici: ipſum videlicet, excuſſo turpiter ſtatu Eccleſiaſtico, ad profanum rediiſſe; verſare nunc ſecum dies noctesque, & omnem movere lapidem, ut idem penes ſe Imperium, eadem authoritas maneat: quosdam eo fine Capitulares ſuam in ſententiam pellicere; cogere ad hæc, ubicunque poſſet, militem, quo voti ſui compos ex integro fiat. Res veteri Truchſeſiorum nomine tam indignas, ut credat Sua Majeſtas, induci vix poſſe. At vero, pro officii ſui ratione vigilandum ſibi, ne, ſi ita ſe habeant, ingens ex iis periculoſi belli tempeſtas oboriatur. Quare ſe totum aperiat Elector, &, quæ vera ſint, quæ falſa, planiſſime explicet.

Legationis tertiæ ad eundem, juſſu Imperatoris, ab Joanne Preinero, viro nobili, Hubingæ, Fladnizii, & Rabenſteinii Domino ſuſceptæ, hæc ſumma erat: De Religionis mutandæ, & ineundi Matrimonii propoſito nihil ad ſe. Revocare interim in memoriam non poſſe pervetuſtam, celeberrimamque illam utroque in foro Truchſeſiorum, Comitum Waldburgenſium Familiam, non animo repetere, quid in ipſo aditi Regiminis veſtibulo primum Capitulo, inde Diœceſi, poſt Electoratus Collegio, præprimis vero Pontifici, jurejurando ſolenni interpoſito, ſpoponderit, atque a ſe indultum adminiſtrationis politicæ obtinuerit, non, inquam, iſta animo repetere poſſe, quin præcipitem illam atque in domo Truchſeſia inauditam voluntatis mutationem ſummopere admiretur. Cæterum non diſputare ea de re Cæſarem. Sed enim quod, ejurata Fide Catholica, retinere Archi-Epiſcopatus, Vilviratusque dignitatem velit, & decernat qua opibus, qua ſanguine propugnare, id Cæſari non ferendum. Reclamat approbata, totiesque repetita, & confirmata toties concordia Religionis; ipſiusmet repugnant Archi-Epiſcopi promiſſiones & juramenta, Statuta Eccleſiæ, Aurea Bulla, Electorum unio; Jura denique tam politica, quam Eccleſiaſtica reluctantur. Ad hæc nonne cauſam Gebhardi decidit vel ſolus ille, in quem juravit, pacis articulus Religionis: " Si quis Archi-
" Epiſcopus, Epiſcopus, Antiſtes, aut alius Ordinis Eccleſiaſtici a Religione ve-
" teri deficiat, is continuo diſcedat ab Epiſcopatu ſuo, Præfectura, beneficio. . .
" Et Collegio, ſive iis, ad quos ea res jure vel conſuetudine pertinet, licear in
" ejus locum eligere ſeu conſtituere alium, qui ſit veteris Religionis?"

Cedat igitur Diœceſis adminiſtrationi, Patriam Sacramento liberet, S. R. I. feuda atque Regalia deferat, armaque deponat.

Monita hæc Imperatoris, ſana quantumvis & amorem potius, quam ſeveritatem ſpirantia, quod in Truchſeſii animo ne tantillum quidem evicerint, res eſt Orbi notiſſima, quam ignorare nemo poteſt.

Ex iis porro, quæ de Adolphi Schawenburgici Succeſſoribus obiter tantum attigimus, pronum Lectoribus erit, cauſam, cur optimo cum Principe mos ille Synodos celebrandi, Eccleſiæ Colonienſi tam honorificus, tam utilis Reipublicæ ac pene neceſſarius, tantum non prorſus occubuerit; ab anno certe 1551. ad 1598. interciderit, genuinam perſpicere.

Ad Erneſtum nunc redeo. Erat is Monachii Anno 1554. XVI. Cal. Januar. Clariſſimis in Imperio ortus e Boica Domo natalibus. Patrem habuit Albertum V. Bavariæ Ducem, Matrem Annam Auſtriacam, Ferdinandi I. Imp. filiam. A teneriori jam

Digitized by

jam ætate ad Infulas, resque pro Ecclesiæ bono graviſſimas aliquando conficiendas Divina Ipſum providentia deſignaſſe videtur. Annos enim duodecim natus, Friſingenſis creabatur Epiſcopus; octennio poſt, anno videlicet 1573. Hildesheimenſis; tum Leodienſis pridie Cal. Februar. A. 1581.; & pridie Idus Febr. ejusd. anni Adminiſtrator Stabulenſis. Denique A. 1583. Gebhardi, ut ſupra meminimus, ſubſtitutus in locum, Provinciam ſuſcepit, non una ex parte difficilem. Arma opponenda armis erant; revocandæ ab erroribus oviculæ; expellenda variis ex locis hæreſis, Fides orthodoxa velut ab exilio reducenda. Vicit, quidquid difficultatem ſeſe objiciebat, Religioſus Princeps, DEI O. M., cujus res agebatur, auxilio confiſus. Eundem ſibi, publicis per Diœceſin ſupplicationibus, orationibus, jejuniis, aliisque piis exercitationibus conciliare ac facilem in vota ſua efficere adlaboraverat. Nec incaſſum: Urbes enim & oppida vel a Friderico Saxone, Colonienſi Chorepiſcopo Truchſeſianis erepta, ad obſequium redigebantur, vel a Salentino Iſenburgico, olim Archi-Epiſcopo, in fide novi Principis conſervabantur. Totus Weſtphaliæ Ducatus ſine ullo armorum ſtrepitu in illius poteſtatem venit: revocati Myſtæ Catholici, a Truchſeſio proſcripti; redditi ſuis officiis Proceres; reducti variarum urbium Conſules ac Judices, ob antiquam fidem exulare juſſi; renovatum Catholicæ Religionis exercitium, diu pulſum; ſubditi ad veræ Religionis cultum, ad priſtinam pietatem, eliminata, quam novella quorundam annorum fides permiſerat, noxia libertate, ductu præſtantium, quos inter Joannes Nopelius, Lippia, non ignobili Weſtphaliæ Civitate ortus, Coloniæ Trajanæ, ſeu in Cæſaris Inſula Decanus, eminebat, virorum & opera redierunt.

Rebus jam feliciter compoſitis, Leodium repetiit Erneſtus, dictoque ex Canonum Sanctionibus juramento, a Joanne Schœnenbergio, Trevirenſi Electore, VIIviratum obtinuit anno 1584. IX. Cal. Sept. Ad Monaſterienſem quoque Infulam altero mox anno XV. Cal. Jun. evocatus, fidumque expertus in frangenda Martini Schenkii, hominis leviſſimi, acerrimi tamen Truchſeſianarum partium defenſoris arrogantia, Farneſium Parmenſem, Noveſium anno 1586.; deinde Bonnam a Carolo Croyo, Chimacenſi Principe, quem & ipſi ſui loco Parmenſis ſubmiſerat, ad deditionem X. Cal. Oct. 1587. compulſam recuperavit.

Accuſarant interea, neſcio, qui, Erneſtum apud Sixtum V. Pontificem tum ambitionis nimiæ, tum cupiditatis. Vocatus idcirco in Urbem, comparere tum quidem haud potuit, graviſſimis ipſum curis alio avocantibus. Anno nihilominus 1593. ineunte, per Hartgerum Henothum J. U. D. ac Metropolitanæ Colonienſis Canonicum, Romam a ſe ablegatum, Clementi VIII. de utroque accuſationis capite ſe totum purgavit, tamque cumulate ſatis fecit, ut non modo is collatas tot uni Præſuli dignitates non improbaret, ſed ſuum etiam ipſe calculum adjiceret.

Ejusdem Pontificis literas, quibus ſingularem Erneſti tum in Imperii juribus, tum in Fidei Catholicæ integritate defendenda prudentiam ac fortitudinem ſub Comitiis Ratisbonenſia Orbi manifeſtatam, egregie commendabat, ex *Wilmii Chronico MS.* huc tranſcribimus.

LITERÆ CLEMENTIS VIII. P. M. ad ERNESTUM, Archi-Epiſcopum Colonienſem, S. R. I. Electorem, quibus res ab ipſo in Comitiis Ratisbonenſibus contra Proteſtantes & prudenter & fortiter geſtas, mirifice illuſtrat.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

DEcebat ſane animi tui magnitudinem, & quam præ Te ſemper tuliſti in Catholica Religione conſtantiam, ut talem Te præberes in Ratisbonenſi Conventu, qualem Te multa tua cum laude præſtitiſti. Accepimus enim crebris literis & honorifica admodum de Te teſtificatione, non ſolum a dilecto filio noſtro Ludovico Cardinale Madrutio, noſtræ Apoſtolicæ Sedis de latere Legato, ſed etiam a Venerabili fratre Cæſare, Epiſcopo Cremonenſi, cæteriſque Apoſtolicis Nunciis, qui in eodem Conventu interfuerunt, quanto ſtudio, quanto animi

animâ ardore & zelo Catholicæ Religionis causam defendendam ſuſceperis, Tuaque authoritate & gratia procuraveris, ut Catholicorum Principum ſalutaris concordia & conſenſio conſervaretur: qua nimirum, Deo juvante, factum eſt, ut impii Sathanæ conatus eluderentur, & injuſtitia contra juſtitiam non prævaleret, & Eccleſiaſtici Ordinis jus & dignitas retineretur. Sed & in graviſſimo negotio, quod cordi noſtro penitus infixum eſt, de bello nimirum contra teterrimos Turcas gerendo, quam præclaram operam navaveris, non ignoramus. Utinam vere Germani Principes intelligant, quanta occaſio Divinitus oblata immortalis gloriæ cum ſumma utilitate conſequendæ! quod nos omni loco conteſtari non ceſſamus. De Te vero, Frater, plane Nobis perſuademus, quod cauſæ Dei, Patriæ, & totius Chriſtianæ Reipublicæ nullo loco deeris, curabisque omni diligentia pro tua virili parte, ut Catholicorum Germaniæ Principum conſenſus atque unio & conſervetur & augeatur.

Tibi interea pro noſtra perpetua erga Fraternitatem tuam, totamque inclytam Domum veſtram paterna charitate gratulamur, quod merita tua erga Catholicam Eccleſiam quotidie adaugeas; quibus etiam majora ad publicum bonum & ad peculiarem inſignis Eccleſiæ tuæ Colonienſis utilitatem, quæ Nobis merito chariſſima eſt, a tua virtute & pietate expectamus.

Datum Romæ apud S. Marcum ſub annulo Piſcatoris, die ſecunda Septembris M. D. XCIV. Pontificatus noſtri anno tertio.

Alias ejusdem argumenti literas, amoris, obſervantiæ ac gaudii pleniſſimas ad Erneſtum exaravit Alanus Cardinalis Anglus. Vide *Chapeavill. Hiſt. Leod. Pontif. Tom. III. in Erneſt. C. 22. pag. 588.* Meminit earundem etiam *Mörckens in Indic. Chronol. apodict.*

Plura de Erneſto Bavaro, Principe ſapientiſſimo ac religioſiſſimo, apud *Adlzreiterum* P. II. Annal. Boic. Lib. 12., *Stradam* de bello Belg., *Haræum* in Annal. Brab., *Fullonium* Hiſt. Leod. Tom. II. in Erneſt. Lib. 8.

Pro coronide juvat hic in rem noſtram adjicere, immortali Erneſtum laude & glorioſa apud poſteros memoria eſſe digniſſimum, propterea quod authoritate illius, & ſolertia ſtudioque factum, ut jacentem tot annis ac pene emortuam, Synodos cogendi conſuetudinem erigere ſeſe & ad Patriæ univerſæ felicitatem revireſcere Colonienſis Eccleſia viderit.

CON-

Digitized by Google

CONCILIA GERMANIÆ

SÆCULI XVII.

SYNODUS BRIXINENSIS

Anno Chriſti MDCIII. Clementis VIII. Papæ XII. Rudolphi II. Imp. XXVII.

SUB CHRISTOPHORO (*) ANDREA, BRIXINENSI EPISCOPO, MENSE SEPTEMBRI CELEBRATA.

LITERÆ CLEMENTIS VIII. PAPÆ AD CHRISTOPHORUM ANDREAM, Epiſcopum, & Clerum Brixinenſem.

CLEMENS PAPA VIII.

VENERABILIS FRATER, ET DILECTI FILII, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

Nihil ardentius pro noſtra omnium Eccleſiarum cura, & ſolicitudine expetimus, & optamus, quam ut Fratres noſtri Epiſcopi, & Filii noſtri Canonici, tum Prælati, & Clerici omnes in ſortem Domini vocati, ex ſuo quisque loco & munere, pro DEI honore, & animarum ſalute, ſtrenue atque unanimes collaborent. Bonum eſt enim, & jucundum habitare fratres in unum, & in domo Dei ambulare cum conſenſu, & frater, qui adjuvatur a fratre, quaſi civitas fortis, quæ diaboli machinis, & oppugnationibus facile reſiſtit. Propterea ex antiquiſſima Eccleſiæ conſuetudine, & Sacrorum Conciliorum & Canonum Decretis inſtitutæ ſunt Provinciales, & Diœceſanæ Synodi, ut multi in nomine Domini congregati, Spiritus Sancti gratia invocata, tanto facilius, tantoque fructuoſius Dei gloriam, & fidelis populi utilitatem procurent. Cum igitur, Frater Epiſcope, allatum ad Nos eſſet, velle Te ex tuo Paſtorali officio, & ad Sacri Tridentini Concilii præſcriptum, Synodum Diœceſanam celebrare, non mediocrem cepimus voluptatem: Nam cum Fraternitatis Tuæ prudentiam, pietatem, zelumque perſpectum habeamus, plane in Domino confidimus fore, ut, Deo juvante, uberes fructus ex ea ſalutari actione exiſtant: Tuis nimirum etiam Canonicis, Prælatis, Parochis, cæterisque omnibus Tecum pariter, ut Nobis certo perſuademus, ad eundem Divini honoris & Religionis ſcopum collineantibus. Quare ex noſtra paterna erga Te, atque illos charitate, has Literas voluntatis noſtræ teſtes placuit jam nunc dare, quæ tunc, cum omnes ſimul in loco benedictionis, & pacis conſidebitis, attentius

(*) Vide ſub finem Synodi.

tius perlegantur. Te igitur, Venerabilis Frater Episcope, Vosque cæteri Dilecti Filii, etiam, atque etiam hortamur, ut ad animum vestrum revocetis, Vos in hoc loco insigni in Ecclesia positos esse, tanquam signum ad sagittam, ac Vos sal, & lucem esse, qui omni vitæ integritate, & bonorum operum luce fidelem populum quasi condire, eique prælucere debetis. Attendite igitur diligenter vobis, & gregi, atque ovibus Christi, quæ fidei vestræ sunt creditæ, pascite illas exemplo, pascite verbo, & doctrina, pascite pabulo, & alimonia cœlesti Divinorum Sacramentorum. Ea vero cura sit Vobis antiquissima, quæ est de Catholica Fide conservanda, & propaganda: Nostis enim astutias Sathanæ, & quibus assidue machinationibus conetur eam in Provinciis istis oppugnare, & animas Christi Sanguine redemptas devorare. Cui pro virili vestra resistite fortes in Fide, præclaram Majorum vestrorum hæreditatem, unitatem, & obedientiam erga Sanctam, Catholicam, Romanam Ecclesiam; Matrem vestram omni constantia conservantes. DEI autem cultus ut augeatur, & ubique emicet, Divinorumque officiorum frequentia & dignitate, præsertim in Sacrosancto & Augusto Missæ Sacrificio, ut Ecclesiæ DEI colluceant, diligenter curate; denique diligite decorem Domus DEI: Quod si Templa manufacta DEO dicata munda, & ornata esse decet, quanto magis Vos; qui viva DEI templa estis, qui peculiari Clericalis vitæ professione DEO Altissimo mancipati, & consecrati estis? Ecclesiastica igitur disciplina restituenda, mores conformandi, cæteraque ad Sacri Tridentini Concilii normam dirigenda, ut vere luceatis, sicut lucernæ ardentes in Domo Dei, & sitis bonus Christi odor, qui ad salutarem virtutis, & pietatis imitationem, fidelem populum mirabiliter excitetis, ut glorificetur DEUS & Pater Domini nostri JESU CHRISTI. Hæc, & alia complura a Tua, Frater Episcope, Pastorali vigilantia, a vestra, Filii, opera, & diligentia, a vestra omnium concordia, & charitate, Divina adjutrice gratia, expectamus. Estote igitur concordes, & pacem, & charitatem habete, quæ est vinculum perfectionis, & Deus pacis erit Vobiscum, ut omnia vite, pie & fructuose a Vobis fiant, ut maxime optamus, & speramus. Et Nos, qui Vos omnes paterne amamus in visceribus Christi, corpore quidem absentes, sed spiritu Vobiscum præsentes, Vos nostra Apostolica benedictione in nomine Sacrosanctæ & Individuæ Trinitatis benigne benedicimus. Datum Romæ apud Sanctum Petrum sub annulo Piscatoris, die 22. Maji MDCIII. Pontificatus nostri anno duodecimo.

SILVIUS ANTONIANUS
Card.

Venerabili Fratri CHRISTOPHORO, Episcopo Brixinensi, & Dilectis Filiis Canonicis, & Capitulo ejusdem Ecclesiæ, nec non Prælatis exemptis, & non exemptis, cæterisque omnibus in Diœcesana Synodo ibidem congregatis.

Perillustris ac Reverendissime Domine, Vosque Venerabiles, ac Reverendi Domini.

ETsi Sanctissimus D. N. confidit, Vos ad celebrandam Diœcesanam Synodum sic animatos convenisse, ut suas quisque partes, qua decet, fide præstiturus sit; tamen piæ sedulitati vestræ stimulos paternæ cohortationis suæ admovendos existimavit; ut videlicet, quæ auspice Christo a vobis instituta sunt, hortatore ejusdem Christi in terris Vicario, fæliciter procedant & perficiantur. Mitto igitur Sanctitatis Suæ ad Vos ea de re Literas vere Apostolicas, & ardentis in Vos charitatis refertissimas. His, quid ego addiderim, præter vota Sanctitatis Suæ menti, vestræque pietati consentanea? Ego hæc lubens addo, DEUM Opt. Max. precatus, ut omnia consilia, omnesque actiones vestras ad eum exitum perducat, qui sibi acceptissimus sit, vobisque maxime salutaris. Romæ, die 21. Maji an. 1603.

Perillustris ac Rmæ Dtionis Vestræ, Vestrarumque Venerabilium ac Rdissimarum DDnum

Uti Frater studiosissimus

CINTHIUS Cardinalis Sancti Georgii.

Perillustri ac Reverendissimo Domino Episcopo Brixinensi, & Reverendis Dominis Canonicis, & Capitulo ejusdem Ecclesiæ, nec non Prælatis exemptis, & non exemptis, cæteristque omnibus in Diœcesana Synodo ibidem congregatis, &c.

CHRIS-

Digitized by Google

CHRISTOPHORUS ANDREAS, DEI ET SEDIS APOSTOLICÆ gratia Episcopus Brixinensis, & S. D. N. CLEMENTIS, Providentia Divina Papæ VIII. Assistens.

Ad Religiosos, & Clerum Diœcesanum.

QUandoquidem nulla Respublica sine Legibus bene subsistit; idcirco Nos in Synodo Diœcesana, mense Septembri proxime elapso, Brixinæ juxta Sacros Canones legitime & solenniter celebrata, Leges aliquas certas, quibus Diœcesis nostra imposterum gubernaretur: quasque Clerus universus in docendo populo, in Sacramentis ministrandis, in officiis Divinis peragendis, in regendis Ecclesiis, in piis locis administrandis, in Monasteriis dirigendis, in contractibus hominum dijudicandis, in salute animarum procuranda, denique in suis, ac subditorum suorum moribus conformandis, uniformiter ubique sequeretur; de unanimi omnium Patrum ibidem congregatorum, ac plane Synodali consensu sancivimus, promulgavimus, ac Ordinaria quoque authoritate nostra confirmavimus. Has nunc typis expressas ad vos mittimus, qui eas in Synodo præsentes, non semel, sed sæpius Synodaliter approbastis, collaudastis, ac pro viribus observare sancte promisistis, ut ad eas, absentes vestram, omniumque aliorum, quos curæ vestræ commisimus, vitam instituentes, Ecclesiasticam disciplinam exemplo & zelo vestro adversus Ecclesiæ hostes & alios obtrectatores, si minus in integrum, aliquando tandem in statum meliorem vindicetis. Accipite, legite, facite.

Datum Brixinæ ex arce nostra Episcopali die V. Octobris, anno reparatæ salutis M.DC.III. Pontificatus vero S. D. N. Clementis VIII. anno duodecimo.

CONSTITUTIONES SYNODI BRIXINENSIS, Anno Domini M.DC.III. Die 23. 24. 25. & 26. Septembris celebratæ.

In Nomine Sanctæ et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

De Religione Catholica.

FIdes & vera DEI Religio mandatum illud est & depositum Apostolicum, de quo ad Timotheum Apostolus: Præcipio tibi, inquit, coram DEO & CHRISTO JESU, ut serves mandatum sine macula, irreprehensibile usque in adventum Domini nostri JESU CHRISTI. O Timothee depositum custodi. Ut, igitur Religio Catholica, quam ab Apostolis accepimus, illibata & incorrupta in Ecclesiis nostris conservetur; ut nihil irrepat, quod ejus Sanctitatem & Majestatem quoque modo deformare queat; & si quid vel culpa hominum, vel negligentia invexillet, id salutari remedio citius emendetur: sed ut ad posteros quoque nostros, qualis a Majoribus Nobis commendata & tradita fuit, sarta tecta propagetur: Nos in hac Synodo Diœcesana legitime congregati, ita decernimus, statuimus, & definimus.

I. Fidei Catholicæ Professionem, antequam officiis suis fungi cœperint, ex formula PII IV. jurati faciant omnes Parochi, Curati, Sacerdotes, Concionatores, Confessarii, Magistri Scholarum quarumcunque, Typographi, Bibliopolæ, Medici, & Chirurgi. Clerici quidem seculares in manibus nostris, aut Vicarii nostri Generalis: Regulares in manibus suorum Superiorum: Laici coram suo Parocho, aut Decano rurali. De omnibus autem semper ad Nos referri volumus, ut sciamus, quibus neglecti officii pœna sit infligenda.

II. Libros hæreticos nullis legere, aut retinere apud se, vel alios liceat, nisi facultatem ad id, a Sede Apostolica impetratam in scripto Nobis exhibuerint. Qui vero ejusmodi libros de facto habent, nisi eos Decano, vel Sacerdoti Parochiæ suæ, aut Vicario nostro

Digitized by Google

(qui Nos deinde certiores facient) intra menſes duos ab hujus Synodi publicatione tradiderint, illos pro excommunicatis præſenti Decreto nominamus, ac publicamus. Apud quem vero poſt mortem reperti fuerint, (niſi vel animo ſimplici, vel ignorantia, quæ peccatum excuſet, retinuiſſe probari poſſit) ejus cadaver more Chriſtiano in loco ſacro ne ſepeliatur, ſed aſini ſepultura condatur. In conſcios autem omnes, niſi detexerint, præſertim vero in illos, qui in defunctorum inventaria ejusmodi libros ſcienter inſcribentes, vel in ſupellectili reperientes, rem ad Parochum loci, aut Decanum non retulerint, tanquam in ſuſpectos de fide, agatur.

III. Qui libros, impuros, amatorios, inhoneſtos, famoſos, ſuperſtitionem, artem magicam, divinationem, & his ſimilia docentes, vel quavis de cauſa alia prohibitos, legerint, vel habuerint: Item qui petulantes, & obſcœnas imagines, vel ad ludibrium Religionis, aut ad Eccleſiaſticorum hominum infamiam effigiatas, vendiderint, emerint, vel apud ſe retinuerint, in eos ſeveriſſime animadvertatur. Sed Parochi & Decani, qui iſta neſciverint, vel ſcientes diſſimulaverint, Nos multo ſeveriores experientur.

IV. Nulli libri uſpiam venales exponantur, quos Parochi, Decani, vel alii Cenſores a Nobis deſignandi, non approbaverint. Qui ſecus fecerit, librorum omnium amiſſione, & pœnis aliis pro arbitrio noſtro plectetur. Cenſores vero, ſi vel ſcienter approbaverint, quos non oportebat; vel in expoſitos libros non inquiſiverint; neglecti officii Nobis rationem reddent.

V. Nemo temere de fide, præſertim inter pocula diſputet, aliosve ſermones miſceat. Nemo Sacræ Scripturæ ſententiis, aut verbis Sacris ad jocos, profana atque aliena proverbia abutatur.

VI. Peregrini, artifices, mercatores, & id genus alii, qui ex ſuſpectis locis adveniunt, vel in Diœceſi noſtra morantur, ſi quid adverſus Religionem Catholicam moliri, vel palam agere compertum fuerit, pœnis graviſſimis coërceantur. Qui tales in domum receperit, foverit, defenderit, contra eum, tanquam in hæreticum, aut de hæreſi ſuſpectum procedatur.

VII. Ne parentes filios ſuos ad Hæreticorum ſcholas, vel alia quavis de cauſa ad hæreticos habitatum ablegent. Quod ſi miſſionem ejusmodi neceſſitas exegerit, id non fiat, niſi de conſilio Parochi proprii ac Confeſſarii: a quibus deinde domum reverſos diligentiſſime rurſum examinari volumus; ac ſi qua opinione hæretica, aliove errore imbutos compererint, eos, ut Nobis, aut Vicario noſtro quamprimum denuntient, diſtricte mandamus.

VIII. Hoſpites, tabernarios, cauponas in Domino obligamus, & pro authoritate noſtra quoque mandamus, ne peregrinis, qui quavis de cauſa ad eos diverterint, aut de fide diſputare, aut libros de hæreſi, vel alias ſuſpectos aliis vendere, donare, legere patiantur: Neve eis cibos vetitos coquant, vel aliud quidpiam ſuperſtitioſe faciant, ne alieni ſceleris participes fiant. Quare principio tales amice monebunt, in Eccleſia Dei non eſſe talem conſuetudinem. Si quos vero pertinaciores nacti fuerint, eos ſi hoſpitiis ſuis excludere commode non poterunt, ut etiam opera ſecularis Magiſtratus reprimantur, ad Parochos ſuos recta deferant. Parochorum autem & Magiſtratuum aliorum fidem imploramus, præſtent ſe viros, & fidem, quam DEO & Eccleſiæ ſuæ obligarunt, Divini judicii memores, nefarie ne prodant, obteſtamur.

IX. Populus ſæpe pro concione moneatur, magni ſceleris reos eſſe, qui aliena crimina, in certam Reipublicæ perniciem vergentia, ut ſunt hæreſes, ſuperſtitiones, maleficia, & his ſimilia, non patefaciunt. Parochi autem ipſi ſub pœna privationis, & aliis arbitrariis, de hujusmodi criminibus, aut malis artibus conſtanter diffamatos, quamprimum per Vicarium, aut Decanos ſuos Ordinario denuncient, ut quod ipſi a ſuis ovibus malum arcere non poſſunt, noſtra authoritate efficacius removeatur.

X. Ec-

X. Ecclesia DEI usque ab origine sua ciborum delectum instituit, & sancte semper observavit ; Festos dies magna religione coluit. Quibus duabus in rebus, quantum a Majoribus nostris plerique recesserint, magno cum dolore nostro videmus. Diebus jejuniorum, præsertim autem Sabathinis, esus carnium apud quosdam æquo licentior est: diebus Festis cultus Divinus passim negligitur: ad sacras Conciones, ad Divina Officia, ad Missas rari concurrunt: qui Ecclesias frequentant, vel ad initium rei Divinæ non adsunt, vel ante finem excurrunt : Catecheses Christianæ nihil penduntur: Nundinationes impune celebrantur ; sub Officiis Divinis officinæ mercatorum aperiuntur : hilariter vivitur in hospitiis publicis, choreæ & saltationes agitantur, & alia plurima , quæ referenda non sunt, & ad Divinam offensionem, & ad certam animarum pernicium , in quibusdam locis publice fiunt. Quocirca omnibus & singulis animarum pastoribus, & Ecclesiarum Rectoribus, sub interminatione Divini judicii præcipimus , ut se se pro gloria & Ecclesia Dei fortiter opponant: non sint canes muti, sed latrantes : Ciborum vetitorum usum , Festorum irreverentiam, contaminationem , abusum, opportune, importune redarguant; populum docentes, debere unumquemque eo tempore in Divinis Officiis & Concionibus audiendis frequentem esse, ac in precibus, recolendisque Dei beneficiis assidue versari. Contumaces & refractarios debitis pœnis coerceant, ac demum incorrigibiles denuncient, ut pro officii nostri ratione, quid de illis statuendum sit, mature dispiciamus. Magistratus autem civiles, ac Principes enixe in Domino rogamus, ut si quid illorum authoritate, vel ad Fidem Catholicam tuendam, vel ad disciplinam Ecclesiasticam conservandam, aut restituendam opus fuerit, pie, prompte & alacriter opem ferant, ut communibus studiis & laboribus, honor Dei & animarum salus, quas Deus sanguine suo redemit, efficacius ac certius procuretur ; cogitantes, se hac in re Deo rem gratissimam, & subditis suis utilissimam facturos, ac navatæ tam piæ operæ mercedem uberrimam aliquando se a Domino Deo, qui nihil omnino irremuneratum relinquit, accepturos.

De Sacramentis Ecclesiæ.

DEcebat quidem Sanctissime tractare, quæ Deus ad hominum sanctificationem & salutem in Ecclesia sua Sanctissima Sacramenta reliquerat, vel eo nomine, quod ea tanto uberiores & efficaciores fructus in hominibus producant, quanto purius & religiosius administrantur & usurpantur. Sed vel hominum culpa, vel negligentia, secus hoc tempore evenisse palam est; quando maximas rerum Divinissimarum profanationes intueri necesse est. Quare ut rebus Sacris sua reverentia constet, & rectus earum usus, sublatis abusibus, sicubi irrepserunt, in Ecclesiis nostris confirmetur & stabiliatur; omnibus & singulis, qui ea tractare vel usurpare debent, certas quasdam regulas præscribere placuit.

I. Sacramenta Divina omnibus Christi fidelibus ex æquo, juxta Ecclesiæ Catholicæ institutum bene dispositis sine dilatione, pro loco, tempore, necessitate, pie & prompte ministrentur. Nullis quavis de causa negentur, qui ad ea suscipienda digni fuerint.

II. Ante cujusque vero Sacramenti administrationem, ubi rudes sunt, lingua vernacula ad captum suscipientium, breviter & dilucide vis ac usus exponatur, ut norint, quid suscipiant, aut quantum fructum inde referant, & quomodo ad ejus usum se se digne præparent.

III. Inferiores Ecclesiæ, quæcumque illæ sint, ritus & cæremonias Ecclesiæ Cathedralis sequantur, nec unguem latum ab ejus præscripto ullatenus discedant : Ecclesia autem Cathedralis ritus Sacramentorum ex more Romanæ Ecclesiæ adhibeat, prout in libro Agendorum, seu Sacerdotali Brixinensi recuso, traduntur.

IV. Omnia Sacramenta, stola & superpellicio induti, Sacerdotes reverenter, summaque cum honestate administrent, mortali peccato, quoad ejus fieri possit, vacui. Sint mundi, qui

portant vaſa Domini, vaſa gratiæ, vaſa benignitatis cœleſtis, ex quibus hauritur peccatorum venia, & confertur vita æterna.

V. Cum exorcizant, vel catechizant infantes: cum liniunt, cum abluunt, cum Sacris operantur, vel alias ſacras functiones obeunt; curent, ut omnia & ſingula, quæ ad rem præſentem pertinent, non obiter, non præcipitanter, ſed graviter & reverenter faciant: ab omnibus geſticulationibus, ſeu geſtibus Clericos dedecentibus abſtineant, ut populus eos religioſe agere videns, tangatur & ipſe Religione, magisque in Sacramentorum amorem rapiatur.

VI. Sanctiſſimum Domini noſtri JESU CHRISTI Corpus, aqua Baptiſmi, Sanctum Chriſma, Olea Sacra, cæteraque ad res Sacras pertinentia, ſub diligenti, fortique cuſtodia ſemper habeantur. Claves ſint penes Paſtorem, magnaque fide cuſtodiantur, ut ne ulla vel injuria, vel profanatio tremendis Chriſti myſteriis, rebusque Sacris irrogetur.

VII. Chriſma Sanctum, Oleaque Sacra, quorum in Sacramentis uſus eſt, quotannis renoventur; ac alia nova, (veteribus exuſtis) ab Eccleſia matrice repetantur. Caveant vero omnes, ne alibi, quam in Eccleſia, & (ſi alius locus honeſtus non fuerit) in tabernaculo una cum Venerabili Sacramento, in mundis, ac diſtinctis tamen vaſculis, & loco etiam inferiore, quo decet honore, reſerventur.

VIII. Vaſa, loca, veſtes, totaque ſupellex ſacra, ſemper munda, ac nitida ſit. Quod domi tuæ non ferres, in domo Dei tolerabis? Nec ullis prophanis, ſed Sacris ſolum uſibus accommodentur. Immemores officii ſui, puniantur.

IX. Mappæ, pallæ, & aliæ veſtes lineæ laventur quater ad minimum in anno: Corporalia & purificatoria ſæpius. Calices, patenæ bis terve: urceoli, quoties in eis vinum, vel aqua ad Sacrificium apponetur, accurate eluantur. Candelabra, cruces, tapetia, & alia, ſive vaſa, ſive ornamenta, tam ſæpe laventur, purgentur, excutiantur, & mundentur, ut nunquam ſordida, immundave in domo Dei appareant. Corporalia, Purificatoria, Calices, Patenæ, &c. primum per Sacerdotem, vel Subdiaconum abluantur; deinde per alias honeſtas perſonas ablutio abſolvatur: alia lavent, ſeu purgent alii.

X. Ut autem vaſa miniſterii ſacri non una materia conſtant, ita non eadem eſt omnium lavandi ratio. Nam quæ ex ære, cupro, vel ſimili metallo fiunt, fere creta, latere, lixivio, vel ſimilibus rebus purgantur: quæ vero aurum, vel argentum habent, ne detrimentum res tam pretioſæ patiantur, alio modo ſunt tractanda. Calices igitur 1. bis, terve in tepidam aquam immergantur. 2. Sapone cum lixivio peracri in pultes decocto, oblti, & bene inuncti per noctem integram, vel ſaltem, horas aliquot extra aquam relinquantur. 3. Ter, quaterve, aut ſæpius aqua calida abluantur. Quo aqua & manus pertingere non poterunt, ſcopulæ ſetaceæ, quales aurifabris in uſu, ſerviant. 4. Sic loti in aquam rurſum frigidiſſimam, quæ haberi poſſit, reponantur. 5. Denique ex frigida extracti, ſole, cum aër ſerenus eſt; alias in loco calido ſiccentur. Eodem modo patenæ, & alia aurea, vel argentea, cum immunda fuerint, repurganda ſunt.

XI. Sed hoc loco illud quam diligentiſſime obſervari volumus, ut ſemper lotio prima veſtium, & vaſorum, quæ Corpus & Sanguinem Chriſti Domini, vel alia Sacramenta contingunt, aut continent, in Sacrarium, vel piſcinam ſacram (quæ, ut in quavis Eccleſia ſit, ſerio mandamus) effundatur. Piſcina autem locus ſit ſub terra fornice tectus, in quem juxta Sacros Canones, aquæ, cineres, & id genus Sacra, ut terra hauriantur, demitti debent: qui fere in Sacriſtia, vel pone Altare, vel in alio Eccleſiæ angulo, vel etiam in Cœmiterio, pro loci cujusque conditione, conſtitui ſolet. Clavem, qua reſeratur, ſemper habeat Parochus.

XII. Materiæ, formæ, cæremoniæ Sacramentorum, quales in Rituali noſtro, aut Miſſali Romano deſcribuntur,

Digitized by Google

buntur, ab omnibus & ſingulis quam diligentiſſime adhibeantur. Nulloque modo ferendi ſunt, qui vel alterius Diœceſeos, unde in noſtram venerunt, ritibus utuntur; vel novas & peregrinas cæremonias ſibi pro arbitrio ſuo fingunt; ſed quotquot in Eccleſiis noſtris ſerviunt, juxta earum duntaxat ritus, Sacramenta miniſtrare, & Divina Officia peragere, omnes uniformiter volumus: ut ſicut omnium eſt una profeſſio, ita quoque apud omnes una eademque ſit cultus Divini ratio.

XIII. Sacramenta Divina ante meridiem potius, quam poſt epulas, & prandia (niſi aliud poſtulet neceſſitas, vel approbata loci conſuetudo) & a valde ſobriis adminiſtrentur. Pertinet hoc inprimis ad reverentiam rerum Divinarum: tum ad ſecuritatem conſcientiarum: denique etiam ad communem hominum ædificationem. Quod ſi quis plus æquo potus (quod Deus clementiſſime avertat) vel Baptiſmum, vel aliud Sacramentum miniſtraſſe, vel confeſſiones excepiſſe deprehenſus fuerit, is carcere in pane & aqua per decem dies puniatur.

XIV. Conſuetudo pervulgata eſt, pro Sacramentis, & aliis Eccleſiæ miniſteriis pecuniam dare, & accipere; quæ ex pietate primam ſuam originem traxit; poſtea vero in varios abuſus degeneravit. Ut Nos pias, & laudabiles conſuetudines neutiquam improbamus, ita pravas, & iniquas minime laudare poſſumus. Statuimus ergo, & ordinamus: ſponte oblata ſemper accipere liceat; de re nulla paciſci. Quæ jura uſus jam recepit, & debentur ei, qui altari ſervit, non abrogamus, ſed nimias duntaxat exactiones vetamus: & ut poſt adminiſtrationem primum exigantur, declaramus. Inter divites quoque & pauperes, ſive Sacerdotes ii ſint, ſive laici, diſcrimen ſtatui volumus. Nam divites facilius, quæ dant, donare præſumuntur: Et Sacerdotes egentiores majus jus ad exigendum habent, quam locupletiores; cum ſtolæ (ut vocant) jura Sacerdotibus haud alio, quam gratitudinis, vel neceſſarii victus nomine debeantur. Ubi enim de re agitur, quæ pretio non æſtimatur, niſi hiſce duobus nominibus ſubnixa fuerit, conſuetudo non magis pia, quam impia cenſeri ſolet. Quod ſi quis operas ſuas, ad quas ex officio ſuo alioquin non obligatur, extraordinarie alteri velit locare, quin ita faciat, non prohibemus, modo juſte, & citra ſcandalum id fiat, & quidquid accipitur, non pro re ſpirituali, ſed vere pro labore temporali recipiatur. Qui huic noſtræ ordinationi contravenerint, graviſſimis pœnis ſe punitum iri minime ambigant.

De Baptiſmo.

I. SIngulæ Parochiales Eccleſiæ, vel alias Curatæ, ſingulos fontes habeant lapideos, in quibus aqua Baptismatis toto anno, & non in aliis vaſis aut locis, ſumma diligentia, & munditia ſervetur. Abuſus contrarii, ſi qui irrepſerunt, penitus tollantur.

II. Fontes bene clauſi & muniti ſint, ne ad illos aditus profanis pateat; ne qua ex eis ad profanum, vel ſuperſtitioſum uſum afferatur; ne quæ ſordes aquam immundent; vel aliquid ſit, quod aſtantium oculos offendat. Quod ſi quid caſu in fontes inciderit, ut ii a ſolo Sacerdote quantocius expurgentur, jubemus.

III. Aqua vero bis in anno, Paſchæ videlicet, & Pentecoſtes Sabbatis (veteri in piſcinam effuſa, & fontibus bene purgatis) renovetur, ac ſolemni benedictione & Sacri Chriſmatis unctione, a Parochis ex Canonum præſcripto conſecretur. Nec in alia aqua extra caſum extremæ neceſſitatis baptizare quemquam liceat.

IV. Infantes recens nati, quam citiſſime fieri poteſt, baptizentur; nec cujusquam Baptiſmus, niſi de expreſſa licentia Parochi, ultra octiduum differatur: quæ tamen licentia brevis eſſe debebit, & non niſi ob rationabilem cauſam, & ubi periculum nullum timetur, conceſſa. Dum autem baptizatur, infantem manu ſua Patrinus, non Sacerdos ſuſtineat.

V. Extra Eccleſiam baptiſmalem baptizare non liceat. Excipimus caſum neceſſitatis; ut cum hyems riget, vel

vel mortis periculum urget: & Principum ac Illuſtrium perſonarum liberos, quos in privatis Oratoriis; a proprio tamen Parocho, vel ejus Vicario baptizari permittimus.

VI. Quocunque tempore infans ad Baptiſmum defertur, ſine mora, & tergiverſatione ulla baptizetur. Si per negligentiam cujusquam, vel avaritiam, ſine Baptiſmo quispiam mortuus fuerit, is a Divinis perpetuo ſuſpendatur, & beneficio ſuo privetur. Idem de aliis quoque Sacramentis intelligatur.

VII. Quando periculum urget, ubivis, & cuivis baptizare liberum ſit, ita tamen, ut præſente Sacerdote, nemo alius id præſumat: ſi vero abſit omnis Sacerdos, primum Clericus, deinde mas, demum fœmina, qui, vel quæ veram Baptiſmi formam recte noverit, baptizare poſſit. Quod ſi ita baptizatus, poſtea ſupervixerit, is quamprimum in Eccleſia ſiſtatur, ut in eo ceremoniæ ob neceſſitatem omiſſæ, rite ſuppleantur. Nunquam autem, ne quidem ſub conditione, ullus iterato baptizetur, quem ſemel rite baptizatum fuiſſe conſtiterit: Examinentur proinde ii, qui in neceſſitate Sacramentum miniſtrarunt, an, & quomodo id fecerint, & ſi dubium probabile ſubſit, ſub recepta conditione Baptiſmus repetatur.

VIII. Qui parentes infantem infra primum ætatis annum, ſine cunis lecto ſuo noctu exceperint, ii pro rei gravitate puniantur.

IX. Obſtetrices a Magiſtratu ſæculari delectæ, ad obſtetricandum non admittantur, niſi a Curione loci de fide, & moribus examinatæ, formam Baptiſmi veram didicerint: & præterea juraverint, ſe menſibus ſingulis cujusque loci Paſtori puerperas, quibus adfuerint, cum numero prolium ſuſceptarum denunciaturas.

X. Puerperæ vero certo poſt partum die ad Miſſæ Sacrificium, & benedictionem a Sacerdote in Eccleſia ſuſcipiendam pro more veniant. Ut autem mos antiquiſſimus, & Eccleſiæ Catholicæ probatiſſimus conformiter ab omnibus ubique ſervetur, Parochi invigilent. Nihil vero pro hujusmodi benedictione accipere liceat, niſi quod ſponte, & mere liberaliter oblatum fuerit.

XI. Unus tantum ſive vir, ſive fœmina, vel ad ſummum duo, vir ſcilicet & mulier, in Baptiſmo, aut Confirmatione ſuſceptores ſint. Neque ab eodem plures vel ex Baptiſmo levari, vel Epiſcopo ad Confirmationem offerri convenit; ne ſpiritualis cognatio forte ſubſequenti Matrimonio impedimentum afferat.

XII. Patrini autem ſint homines pii, & Catholici, ætatis provectæ, bonæ vitæ & famæ, in fide bene inſtructi, & ab Eccleſia non abſtenti, nec Monachi, vel Monachæ, vel alii ab officii hujus functione, jure prohibiti; demum tales, qui non ſolum ore, ſed & mente, ac ſerio ad interrogata reſpondere, ſuum munus intelligere, & magis filios ſuos ſpirituales fide, & moribus bonis imbuere, quam donis cumulare queant, ac velint. Cujus officii eos a Parochis ſæpius etiam admoneri ſerio cupimus.

De Sacra Confeſſione, & Communione.

I. PAſchalis Communio quotannis in Curata, ſeu Parochiali Eccleſia fiat: Nec confeſſio fiat alibi, ſine expreſſa licentia Parochi proprii. Quo tamen Canone nihil omnino iis, qui peculiaria privilegia, ſive ab Epiſcopo, ſive a Sede Apoſtolica habent, adimere intendimus. Hoc ſolum requirimus, ut Parochi & Curati de ſuorum obedientia certi eſſe queant.

II. Nemo Paſchalem Communionem, & Confeſſionem intermittat, aut differat, ſine proprii Parochi approbatione.

III. Tempus autem Paſchale, intra quod ex præcepto Eccleſiæ communicare, & confiteri fideles omnes oporteat, ſeptem hebdomadis integris definimus, a Dominica *Invocavit* videlicet uſque ad Dominicam *in Albis*. Qui intra hoc tempus ſine juſta cauſa, a Parocho, vel a Nobis comprobanda, ad Communionem non acceſſerit, & vel generatim ſolum monitus ad officium non

Digitized by Google

non redierit, is ad nullum Sacramentum, etiam Matrimonii, donec reſipiſcat, admittatur, & vivus ab ingreſſu Eccleſiæ arceatur, poſt mortem autem ſepultura ſacra careat.

IV. Ut autem certe conſtet, qui eo tempore communicaverint, ſtatuimus, & ordinamus, ut ſi quis Confeſſionem, & Communionem extra Parochiam ſuam obierit, Parocho ſuo de eis fidem faciat. Qui vero intra Parochiam id fecerint, certum aliquod ſignum afferant, vel accipiant, quod Parochus præſcripſerit, ac pro concione promulgaverit. Parochi autem ſexto die poſt octavam Paſchæ, eos, qui officium hominis Chriſtiani tunc neglexerint, ad Decanos ſuos in ſcripto deferant, qui deinde Nos certiores facient; alioquin pœnas dabunt unius floreni toties, quoties neglexerint.

V. Hortamur autem in Chriſto Domino omnes fideles, ut qui per ætatem poſſunt (niſi eodem anno ſæpius id facere malint) per Quadrageſimam bis confiteantur; ſemel in illius principio, & iterum in fine, cum ad Sacram Synaxin accedent. Interjectum tempus expiandis per pœnitentiam vitiis deputetur, ut ita demum puriores facti, Sacra Euchariſtia majori cum fructu potiantur.

VI. Ægroti, Puerperæ, & alii in probabile vitæ periculum deducti, adverſus ingraveſcentia mala ſeſe tam ſalutaribus remediis muniant, nec in ultimum diem differant, ne iis præoccupati, una cum corpore, animæ quoque jacturam faciant. Hoc Parochi imprimis urgeant, & morem tam antiquum, imo & neceſſarium, revocent, aut, ne penitus aboleatur, attendant; ipſi alioquin eorum, qui negligenter perierint, rationem Deo reddituri.

VII. Magnus abuſus & grande piaculum eſt, peccata ſua Sacerdoti ſolum in genere exponere, & nihil in ſpecie velle fateri. Quem Nos eliminare cupientes, eos, qui aliter non confitentur, a Sacra Communione tanquam indignos rejiciendos decernimus. Parochis autem, & Concionatoribus, ut hoc noſtrum Decretum populo ſæpius inculcent, & de modo ſpecialis confeſſionis eundem magna cum diligentia inſtituant, præcipimus. Confeſſariis denique injungimus, ut rudes in re tam neceſſaria pro viribus ſuis adjuvent, peccatorum ſpecies, numerum, & circumſtantias neceſſarias ab eis diligenter, & ſolicite exquirentes. Negligentes moniti ab officio removeantur.

VIII. Pueri, cum primum accedere voluerint ad Sacram Communionem, niſi bene prius examinati, & de vi, ac ratione Sacramenti diligenter inſtructi, ne admittantur. Infames, concubinarii, feneratores, & ſimiles peccatores notorii, antequam publice de eorum pœnitentia conſtet, publice etiam rejiciantur. Qui raro ſumunt, ii diligenter ex ſuggeſtu, vel in confeſſione moneantur, quanta reverentia, & humilitate ad tremendum illud Sacramentum venire debeant, quantaque ſupplicia, juxta Apoſtoli ſententiam, illos maneant, qui indigne ſuſcipiunt.

IX. Piam Sacramentorum frequentiam in Eccleſias noſtras introduci cupientes, omnibus, & ſingulis Curatis, & Concionatoribus mandamus, ut ſuos quisque verbo, & exemplo ad crebrum eorum uſum, præſertim vero in ſolennioribus anni Feſtis privatim, & publice invitet, ac incitet.

X. Nemo eſt, qui cibum, aut medicinam, ad corporis ſalutem aut conſervandam, aut recuperandam non cupidiſſime, & ſæpiſſime uſurpet. Animas fidelium paſcit Corpus & Sanguis Domini noſtri Jesu Chriſti, ac in vitam æternam cuſtodit: Salutaris pœnitentia omnium morborum animi præſentiſſima eſt medicina. Hæc, & alia commoda, quæ Euchariſtiæ, & Pœnitentiæ dignus uſus ſecum affert, ſæpe proponant Parochi, ut populus ad frequentiorem eorum uſum accendatur.

XI. Cæterum, quando fideles ad Sacram Communionem accedunt, ut omnia ſumma cum reverentia, & honeſtate peragantur, curandum eſt: Candelæ ab Elevatione ad finem Communionis ardeant: Communio laicorum Sacerdotis Communionem ſequatur:

tur: Communicantes ad cancellos ligneos (qui, ut in omnibus Eccleſiis nant, ſerio mandamus) genibus nitentes, Venerabile Sacramentum ex manu Sacerdotis reverenter accipiant: Cancellis mappæ mundæ ſuperſternantur, vel donec cancelli parentur, ab innocentibus pueris utrinque inter Sacerdotem & communicantes, expanſæ ſuſtineantur, ut ſi quæ hoſtia caſu excideret, eam mappæ exciperent. Poſtquam Venerabile Sacramentum ex ore ſumentis deſcenderit, ordine ſinguli ad locum ablutionis accedant, ubi ſtantes (non eſt enim Sacramentum, quod tunc ſumunt) quod porrigetur, bibant. Poſt Communionem vero non ſolum in Eccleſia, ſed etiam toto die piis precibus & operibus vacare, itaque deinceps vivere ſtudeant, ut ne Chriſtum Dominum, quem pie ſuſceperunt, ex ſuo hoſpitio impie rejiciant.

XII. Et hæc quidem communicantes. Sacerdos autem principio populum, maxime aggreſtem & rudem jam ante aram procumbentem, brevi aliqua exhortatione, ad dignam Communionem præparabit: Deinde generali confeſſione germanice, pie & clare pronunciata, dataque generali abſolutione, & ter verbis Centurionis pro more pie repetitis, in ora ſingulorum cum ſumma reverentia, & modeſtia Sacram Euchariſtiam immittat. Caveat autem, ne iis digitis, quibus Venerabile Sacramentum attigit, antequam vino, more jam recepto, abluantur, quicquam aliud contingat. Quare ciborium, ex quo Venerabile Sacramentum diſpenſat, vel indice, & pollice ſiniſtræ manus non disjunctis ſuſtineat; vel iis in calicem ablutis, toto pugno, quamdiu communicat, apprehendat: Sed & ciborium ita circumferre ſtudeat, ne communicantium halitu, vel ſuſpirio, aliqua ex Sacris Hoſtiis ejiciatur. Finita denique Communione, micis etiam minutiſſimis, quas ſumma cura colliget, reverenter abſumptis, primum ablutionem (niſi enim aliud neceſſitas, vel paucitas, vel multitudo communicantium requiret, non niſi hoc modo Communio erit peragenda) ſuam bibat, ac Sacrificium Miſſæ abſolvat.

XIII. Vinum poſt Communionem Sacram vulgo non in calice, nec a Sacerdote, ſed ab alio honeſto viro ex alterius formæ poculo porrigatur, ne ſe Chriſti Domini ſanguinem bibere putet. Poculum autem illud ſit argenteum, vel ſaltem deargentatum: vinum album, non rubeum, ne forte vulgus imperitum colore decipiatur.

XIV. Tot Hoſtiæ Sacræ pro morientium viatico, vel alios in uſus ſemper reſerventur, quot præſenti neceſſitati ſufficere videbuntur: ſed non aſſerventur ultra diem decimum quintum, quin prioribus reverenter conſumptis, recentes ſubſtituantur, ut nunquam deſit, quod vel ex hac vita abituris præbeatur, vel communicaturis porrigatur, vel adoraturis proponatur.

XV. Ut recentium Hoſtiarum conſecratio, ita quoque veterum conſumptio fit a ſolo Sacerdote celebrante. Conſecratio quidem hoc modo: Hoſtiæ laicæ, & Sacerdotales unica, eademque oblatione, & conſecratione offeruntur, & conſecrantur, extenſa nimirum intentione ad totam materiam propoſitam. Solæ Sacerdotales elevantur, & ſimul a Sacerdote celebrante abſumuntur, niſi vel una, vel plures quandoque in alios uſus conſecrarentur; ut fit in feſto Corporis Chriſti, & in Cœna Domini. Laicæ, quando plurimæ ſunt conſecrandæ (nam quando una conſecratur, vel paucæ, ſemper ponuntur juxta Sacerdotalem) in vaſe peculiari Sacerdoti celebranti apponuntur; Vas extra corporale in altari conſiſtit, uſque ad tempus conſecrationis; poſtea ſemper in corporali: In Conſecratione juxta calicem: poſtea vero pone, ne Sacerdotem celebrantem impediat. Ubi vas peculiare non eſt, Calix vel Patena adhibeatur. Conſumptio vero hoc modo: Poſt Communionem ſuam Sacerdos, omnes Hoſtias in pyxide reliquas, quantumvis recentes videantur, reverenter ſumit una cum micis ſacris: Deinde pyxidi purgatæ recentibus impoſitis, primum manus ſuas abluit, ablutionemque ſuam bibit; demum Sacro abſoluto, pyxidem in ſuum locum reverenter reponit.

XVI.

XVI. Quod ſi ex negligentia craſſa Sacerdotis Hoſtiæ omnes, vel ſaltem aliquæ (quod ne fiat, ſeveriſſime prohibemus, & cum factum fuerit, graviſſimis pœnis vindicabimus) computruiſſent, vermes, ſi qui nati fuiſſent, comburantur, cineribus in piſcinam abjectis: Hoſtiæ vero integræ, vel earum partes reverenter a Sacerdote abſumantur, niſi ſine horrore, & ſtomacho ſumi nequeant. Tunc enim in vaſe aliquo peculiari, donec omnino corrumpantur, in tabernaculo Venerabilis Sacramenti cum reverentia reponi volumus.

XVII. Quæ Hoſtiæ per angariam unam, vel alteram in Sacriſtia remanſerunt, ad conſecrationem a Sacerdotibus adhiberi nullo modo volumus; quæ unius, vel alterius menſis fuerint, eas ſolum conſecrandas eſſe ſtatuentes. Ut autem recentes ſemper in promptu habeantur, ordinavimus, ut in Diœceſi noſtra ſex ad minimum deligantur, qui eas coquere norint; duo in valle Oeni inferiori: duo in ſuperiori: & duo in Puſtriſſa. Qui ſi ex Religioſis non fuerint, ii ſint ſaltem Piſtores, vel tandem Æditui jurati, de quorum fide dubitare non liceat: a quibus omnes, & ſinguli Sacerdotes ſecundo quoque menſe competenti pretio, tot Hoſtias emere teneantur, quot communibus duorum menſium neceſſitatibus ſufficere poſſe judicabuntur.

XVIII. Quoties viaticum ad ægrotos defertur, comitetur populus Sacerdotem, campanæ alicujus ſonitu prænonitus. Candelæ, vel lampas accenſa præferatur; alius æris pulſu det ſignum præſentiæ Sacramenti Venerabilis, ut omnes ei honorem exhibeant. Cum Sacro ferculo Sacerdos ſtola & ſuperpellicio indutus ſequatur. Idem ſervetur in reditu. Quare duæ ſemper ad minimum Hoſtiæ ferendæ erunt, aut ſine ſolemni apparatu revertendum. Quod tamen fieri non debet, niſi loci diſtantia, itineris, temporisque difficultas aliud poſtulet.

XIX. Lumen ante Sacramentum ſemper ardeat; ubi id fieri non poteſt, fiat, quod Eccleſiæ facultates ferunt. Id vero Archi-Decanus, Decanus, & Parochus arbitrentur.

De Miſſæ Sacrificio.

I. MIſſa Deo Sacrificium eſt gratiſſimum, in quo Filius Deo Patri incruente immolatur; ad quod, quoties accedunt Sacerdotes, pro hominibus apud Deum legatione funguntur. Quare ſumma, qua poſſunt mentis puritate, & externa quoque reverentia Sacroſanctum hoc munus abſolvant, ut &, quæ volunt, a cœleſti Patre obtineant, & populum amore tanti Sacrificii inflamment.

II. Miſſæ in ſolis Eccleſiis, vel Oratoriis dedicatis fiant: & hora ſtata, præſertim die feſto, quæ toti communitati ad conveniendum ſit commoda; nec ad inſtantiam ullius, unquam ſuo Sacro totus populus defraudetur.

III. Ab Altaribus procul arceantur fœminæ. Qui miniſtrat, Celebranti ſimul reſpondeat; locum enim idiotæ ſupplet: quod in Civitatibus, oppidis, Collegiis, Monaſteriis, & aliis locis celebrioribus, ut fiat, omnino præcipimus. Neque id ſane difficile erit, ſi vel nullus ad Sacriſtiæ munus in poſterum admittatur, qui latine legere neſcit: vel Scholæ Parochiales quantocyus reſtaurentur. Ubi vero miniſter reſpondens haberi nullo modo poteſt, ſinguli Parochi, & Curati ſuos Ædituos ita inſtituant, ut ſaltem apte, opportune, ac devote Celebranti inſerviant. Curent Decani, ut Canon iſte in uſum veniat, contumaces etiam debitis pœnis coercentes.

IV. Duæ ad minimum candelæ ex pura cera, neque nimium exiles ad ſingulas Miſſas accenſæ ſint, quæ ab initio ad finem uſque Evangelii S. Joannis, ardeant.

V. Quoties genu in Miſſa flectendum eſt (quod circa Conſecrationem Hoſtiæ & Calicis: item quotiescunque Sacra Hoſtia tractanda eſt, ante & poſt fieri debet) Sacerdos genu dextro, cum decoro corporis motu, manibus altari innixus, quaſi terram attingat.

VI. Symbolum Fidei & Oratio Dominica ſemper integre pronuncientur. Qui inter legendum, aut cantandum aliquid ſcienter omiſerit, vel abruperit, ſevere caſtigetur.

VII. Circa Elevationem Sacræ Hoſtiæ, antiphonæ, vel alia carmina intempeſtiva ne intercinantur. Altum ſilentium, quod præſentibus myſteriis tunc debetur, pauliſper ab omnibus ſervetur; Sed elevato Calice, ſi muſice cantandum fuerit, id devote & ſubmiſſa voce fiat.

VIII. Canon uterque tacite recitetur, reliqua voce clariore: Omnia vero tractim, integre, diſtincte, graviter, religioſe, atque ex inſtituto Cathedralis Eccleſiæ, juxta rubricas Miſſalis Romani, peragantur..

IX. Ut uniformes ubique Cæremoniæ ſint, in Eccleſia Cathedrali, & Collegiis ſemper deligatur unus, qui ſit Cæremoniarum Magiſter: cujus officium erit, inſtruere eos, qui de novo ad Sacerdotium accedunt; alios minus perite Celebrantes monere; ut omnia recte, decenter, ordinarie fiant, attendere: quando ſedere, ſtare, genu flectere in Choro oporteat, docere; Cui omnes alii obedire teneantur. In aliis Eccleſiis idem officium gerant Decani rurales, vel alii ab eis delecti.

X. Nemo Miſſam primam conſulto, vel non approbante Vicario noſtro Generali per totam Diœceſin noſtram faciat. In Miſſis autem novis, ſive (ut vocant) Primitiis, omnes comeſſationes, ebrietates, ſaltationes, omnem denique luxum interdicimus. Nefas enim eſt eo die, quo primum tremendi Sacrificii auſpicium faciunt, Sacerdotes rebus prophanis ſeque indignis operam dare. Qui contravenerit, decem aureis, & aliis pœnis arbitrariis mulctetur.

XI. Nemo celebret in ara portatili, vel in ædibus privatis, ſine libro Miſſali, mundo & ſacro veſtitu, lumine ceræ, cæremoniis in Miſſali Romano, aut Brixinenſi novo Sacerdotali expreſſis.

XII. Hoſtiæ ſint azymæ, hoc eſt, fermenti expertes, ex ſola aqua naturali, & farina triticea coagulatæ: non atræ, non mucidæ, non putres, non maculis aſperſæ, non rimis fiſſæ, quæ vel aſpectum aſtantium offendant, vel ſumentis ſtomachum moveant. Si quid peccatum a quoquam fuerit, carcere vindicetur.

XIII. Vinum autem ſit de vite, clarum, album, vel aliud; optimum tamen, quod haberi poſſit. Optimum namq; ad optimum Sacrificium adhiberi convenit. Quandoquidem autem non expedit vinum ex publicis cauponis afferri, ſtatuimus & ordinamus, ut unaquæque Eccleſia ſuum proprium vinum habeat: Aut ſi hoc fieri non poſſit, ex hoſpitio non accipiatur, niſi quod Ædituus ipſe in cellam vinariam deſcendens, ex dolio quotidie hauſtum eſſe oculis ſuis viderit.

XIV. In poſterum nemo plures Miſſas ſuſcipiat, quam commode celebrare poſſit. Qui ſecus fecerit, a Divinis ſuſpendatur.

XV. Sicubi numerus Miſſarum ita magnus eſt, ut dici juxta fundatoris diſpoſitionem non poſſint; aut eleemoſynæ ita tenues, ut oneri ferendo non ſufficiant, ad Nos clare in ſpecie & numero referri volumus, ut, quid ad gloriam Dei fieri deceat, mature ſtatuamus. Interim vero a Fundatorum pia voluntate ne latum unguem diſcedatur.

De Extrema Unctione.

I. PEr Sacramentum exeuntium (ita veteres appellant) gratia Dei confertur, quæ peccata præſertim leviora remittit, & animam a languore ex peccatis innato liberat, & in ſupremo mortis agone certantem animat: nec ſolum animæ, ſed ſæpenumero etiam corpori ſalutem affert. Hæc fidelibus diligenter explicanda ſunt, ut quod hactenus, vel ex falſa perſuaſione, vel ignorantia neglexerunt, edocti ardentius expetant.

II. Curent Paſtores, ne quis ſine Viatico, vel Extrema unctione ex hac vita abeat. Si quis dare petenti neglexerit, is beneficio ſuo: ſi vero quis monitus ſuſcipere contempſerit, is ſepultura ſacra privetur.

III. Cæterum Sacro unctionis Oleo ne ungantur pueri, amentes, furioſi impœnitentes, & deſperati homines, qui nullum pœnitentiæ ſignum dederint; ſed

Digitized by Google

ſed ii ſolum, qui illud petiverint, & in præſenti mortis periculo verſantur, dum integris adhuc ſunt ſenſibus, & poſtquam jam Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta præceperunt, inungantur.

IV. Inter ungendum ægrotum nihil præpoſtere, nihilve inordinate fiat, ſed uti Agenda præſcribunt, ritus omnes religioſe & decenter, ac in locis corporis debitis adhibeantur. Poſt unctionem abſolutam, ægrotus ad extremum illud certamen paucis animetur, & inſtruatur; aſtantes vero infirmitatis humanæ admoneantur, & ut pro laborante in extremis ferventius orare ſtudeant, rogentur.

V. Vaſculum olei Extremæ Unctionis ſit argenteum. Si cum Euchariſtia ſimul effertur, ſervetur, quod ſupra de Viatico efferendo ſtatuimus. Sin autem ſeparatim deportatur, omittatur campanulæ ſonus, & miniſter linteatus ſine lumine, cum ſola aqua benedicta Sacerdotem ſequatur, ne populus genibus flexis adoret. Ut enim alia quædam Sacramenta, ita & hoc, ſola capitis apertione honorare ſufficit. Semper autem efferatur vel in burſa ſerica, funiculo ſerico ad collum appenſa, vel in pyxide grandiore, pro loci cujusque conſuetudine, magna cum reverentia.

De Sponſalibus & Matrimonio.

I. NOverint fideles, Sponſalia non eſſe Matrimonium, ſed Matrimonii futuri duntaxat mutuam promiſſionem: Ideo Sponſorum cohabitatio in Eccleſia Dei minime toleratur. Qui enim revera conjuges non ſunt, jure Matrimonii nullo modo gaudere poſſunt. Hoc vero ad Parochos, Decanos, & Magiſtratus civiles pertinet, ut hujus generis ſcandala quovis modo e medio tollere curent. Nos certe præſentium tenore omnibus Paſtoribus ſub pœna ſuſpenſionis injungimus, ut quos ante nuptiarum ſolennitatem cohabitare cognoverint, ſi vel ſemel moniti ſe non disjunxerint, eos a Matrimonii conjunctione etiam publice repellant.

II. Si Sponſos liberos procreaſſe, aut turpem aliquam conſuetudinem habuiſſe, publicum fuerit, ii ſine publica pœnitentia nec ad Matrimonium, nec ad Eccleſiam recipiantur: & præterea pro gravitate criminis ad arbitrium Judicum Curiæ noſtræ mulctentur. Quod Decretum noſtrum in ſingulis Parochiis, quoties nuptiæ denuo aperiuntur, pro concione proponi, ac exponi populo volumus.

III. Si ſponſalibus Sacerdos proprius interfit, eum non ut Parochum, ſed veluti teſtem (quo nomine etiam alii quidam accerſuntur) duntaxat adeſſe præcipimus. Quare nec ſtola, nec ſuperpelliceo tunc utetur, nec ſponſos ullo modo per verba de præſenti conjunget, diſerte proteſtatus, illum actum Sponſalia, non Matrimonium eſſe, neque conjunctione, neque benedictione Sacerdotali indigere.

IV. Futuri conjuges ſemper de libero conſenſu, aliisque impedimentis a proprio Parocho privatim examinentur, antequam ad proclamationes procedatur. Nulli autem in Eccleſia proclamentur, quos veriſimile eſt, aliquo legitimo impedimento a nuptiis prohiberi. Alii quidem proclamentur, ſed ſi poſtea impedimentum aliquod deprehenſum fuerit, tales inconſulto Ordinario, aut Vicario ejus, non copulentur. Sed neque facile credatur cuiquam diſpenſationem jactanti, niſi literas Judicis fide dignas exhibuerit.

V. Trinæ autem proclamationes fiant ante nuptias, tribus feſtis continuis, a Parocho, vel Concionatore in publica Eccleſia, & concione frequentiſſima; nulla ipſo die nuptiarum. Ab hac lege nulli omnino excipiantur ſine ſpeciali mandato noſtro, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio. Qui vero Chriſtiani ſunt, legi tam neceſſariæ, ac utili facile parituros ſperamus, ſcientes tales magis Dei, quam hominum gloriam amare, & Chriſtianam obedientiam etiam Sacrificio præferre.

VI. Si contrahentes diverſarum Parochiarum fuerint, in utraque publicationes fiant, nec ulterius procedatur, niſi ex mutuis Parochorum illorum literis, & publicationes rite factas, & nullum ſubeſſe Matrimonii impedimentum, certo conſtiterit.

VII. Matrimonium clandeſtinum, quod ſine proprii Parochi, vel alterius Sacerdotis de ejus, vel Ordinarii licentia, ac duorum, vel trium teſtium præſentia contrahitur, non ſolum eſt peccatum mortale, ſed etiam coram Deo, & Eccleſia Dei irritum, ac in utroque foro nullum.

VIII. Hortamur Sponſos, ne ipſa nuptiarum die, ſed triduo ad minimum ante expiatis per Sacramentalem Confeſſionem rite peccatis, ad Sacramentum Corporis Domini noſtri JESU CHRISTI reverenter accedant, ut rem tanti momenti cum Deo incipiant; & per gratiam Dei, quæ illis dabitur, grave jugum Matrimonii ſuavius efficiatur. Et niſi certam fidem Confeſſionis, & Communionis, ſaltem ante nuptiarum ſolemnia factarum, fecerint Parocho, non admittantur ad Matrimonii ſolennitatem.

IX. Nuptiæ a proprio Parocho, vel ab alio Sacerdote, de ejus, vel Ordinarii conſenſu, benedicantur. Benedictio autem fiat in Miſſa, cui contrahentes ab initio ad finem uſque intereſſe oportebit.

X. Cum per Diœceſin univerſam, maxime inter locupletiores, Matrimonia in facie Eccleſiæ fere fiant veſperi præcedenti, & benedictiones nuptiales primum mane ſequenti in Eccleſia ſuſcipiuntur, quod tamen ægre, & ſine licentia ſpeciali Ordinarii, vel ejus Vicarii Generalis, omnino non permittendum eſt, hortatur, ac ſerio monet Synodus Diœceſana, authoritatem Concilii Tridentini ſecuta, ut conjuges ante Benedictionem, mane in templo ſuſcipiendam, non conſumment Matrimonium; ſperatque, fideles tam ſacra monita facile admiſſuros.

XI. Nuptiæ die feſto, vel non celebrentur, vel ea hora ad Eccleſiam ducantur, quando etiam totus populus Sacrum, & concionem audire commode poteſt. Volumus inſuper, & ordinamus, ne unquam nuptiæ die feſto ultra horam nonam: die vero profeſto ultra decimam, a Sacerdotibus expectentur. Quæ ſerius venerint, non copulentur ſub pœna ſuſpenſionis; niſi alius Sacerdos, qui nuptiale Sacrum faciat, in promptu ſit, ad id ab ipſis conjugibus antea ſpecialiter rogatus, atque a Parocho proprio, vel Ordinario deputatus.

XII. Qui coactas nuptias conjungere præſumpſerit, pœnam ſuſpenſionis ab officio, & beneficio incurrat: qui autem liberos ſuos, aut alios ſubditos, nuptias, ubi & quomodo nolebant, contrahere coëgerint, ſive privati, ſive Magiſtratus fuerint, anathematis pœna coërceantur.

XIII. Caveant Parochi omnes, ne ullos, cujuscunque etiam dignitatis exiſtant, in privatis ædibus per verba de præſenti matrimonialiter conjungant, ſed neque in Eccleſia, quæ propria non ſit, vel tempore interdicti ſine expreſſo noſtro conſenſu. Qui ſecus fecerit, per Diœceſin noſtram ad omne officium, vel beneficium ad arbitrium noſtrum ſit inhabilis.

XIV. Ignotos, vel ex alia Parochia, aut regione venientes, Matrimonio nemo facile jungat: multo minus vagos, & eos, qui nullam certam habent ſedem, niſi poſt diligentem inquiſitionem, & re ad Ordinarium delata, ab eo licentiam id faciendi impetraverit.

XV. Nemo conjungat eos, inter quos impedimentum eſſe, certo noverit, ſub pœna privationis beneficii: qui autem eos ad rem tam nefariam coëgerint, cujuscunque ſtatus, dignitatis, & conditionis ſint, ii anathemamate irretiti, donec Eccleſiæ reconcilientur, ab omnium Sacramentorum uſu excludantur.

XVI. Ut ii, quos ſemel legitime conjunctos publice fuiſſe conſtat, ſeparatim vivere non debent, niſi a Magiſtratu Eccleſiaſtico legitime, & juſtam ob cauſam ſeparati fuerint: cujus facere fidem indubitatam debebunt literis authenticis, in quibus & cauſæ juſtæ, & ſeparationis conceſſæ expreſſa mentio fiat: Ita, qui prohibitas nuptias contraxerint, ſimul cohabitare nullatenus ſunt permittendi. Tales ergo Parochi, ſi quos noverint, nobis recta denunciabunt, ut contra eos, quæ juris ſunt, perſequamur.

XVII.

XVII. Conjunx unius non poteſt cum altero contrahere, niſi certus de morte prioris conjugis fuerit. Non igitur quinquennium, aut ſeptennium abſentem expectare ſufficit, ſed certitudo juxta leges Civiles æque, ac Canonicas requiritur, ut ad alias nuptias convolare poſſit: quam Judex æquus arbitrabitur.

XVIII. Cauſæ matrimoniales, & ab eis dependentes, ad ſolius Epiſcopi cognitionem pertinere dignoſcuntur. Idcirco nullus ſive Eccleſiaſticus, ſive ſæcularis, ſine peculiari commiſſione ipſis facta, de impedimentis, divortiis, & aliis ejus generis, quæ jus, & vinculum Matrimonii contingunt, ſub pœna excommunicationis, cognoſcere, aut judicare præſumat.

XIX. Matrimonia non alibi, quam in Curatis Eccleſiis, niſi quid impedierit, celebrentur. Impedimenti autem cognitionem Nobis, & Vicario noſtro reſervamus.

XX. Probare nullo modo poſſumus tam varias, & pernicioſas corruptelas, quæ paſſim in nuptiis licenter, & improbe committuntur, ſed eas deteſtamur, & corrigi vehementer optamus. Non decet enim filios Sanctorum Matrimonia ſua auſpicari, ſicut gentes, quæ ignorant Deum. Quare aut penitus tollantur, aut ſaltem temperentur illa levitatis, vanitatis, prodigalitatis, & laſciviæ ſtudia, quæ tam in Eccleſia, quam domi, ſub prætextu nuptialis hilaritatis fiunt, dum plerique abjecto Dei timore, voluptatibus, & aliis carnis operibus indulgentiſſime, & ſtultiſſime vacant.

De Miniſtris Eccleſiæ, eorumque officiis.

ECcleſiæ incolumitatem, totamque ſalutem Chriſtiani populi a Miniſtrorum qualitate, maxima ex parte pendere, quis inficietur? Ut ſi boni, & idonei præſint, Religio incolumis perſiſtat, & Chriſtiani populi ſalus in tuto permaneat: Si mali, & negligentes, mox univerſa morum corruptela populos occupet, &, malis agminatim irruentibus, Eccleſiæ ſalvæ eſſe nequeant. Quapropter Nos pro Paſtorali cura Eccleſiis noſtris recte conſulere volentes, de iis, qui Eccleſias gubernaturi, Divinaque myſteria diſpenſaturi ſunt, ut ſequitur, ſtatuimus & ordinamus.

I. Nullus ad Ordines deinceps admittatur ſine teſtimonio legitimæ ætatis, probitatis, & literaturæ a proprio Parocho, & Magiſtro Scholæ, in qua ſtuduit. Huic legi ſatisfacient Religioſi, ubi legitima Superiorum ſuorum teſtimonia Nobis exhibuerint.

II. Nullus ordinetur poſthac ſine Beneficio, aut Patrimonio, aut penſione, unde annuatim ad minimum triginta Coronati ad ipſum redeant: aut denique ſine titulo menſæ, eoque perpetuo. Abuſus enim pernicioſus irrepſit, titulos temporales, & mere fictitios offerendi, quem Nos, Sacerdotali dignitati conſulere cupientes, ex tota noſtra Diœceſi penitus exterminatum eſſe volumus.

III. Ad miniſteria Eccleſiæ ſoli digni, & idonei recipiantur, tantoque major delectus habeatur, quanto digniora officia eis injunguntur. Nihil hic examinatores carni, & ſanguini, nihil amicitiæ, odio, vel gratiæ tribuant: In quo eorum conſcientias quam maxime obſtrictas eſſe volumus.

IV. Nullus ad curam animarum, vel Confeſſiones audiendas, vel prædicandum Verbum Dei (quantum fieri poteſt) aſſumatur, qui unum annum integrum in Theologia, ſaltem morali, perdiſcenda non expleverit.

V. Apoſtatas, fugitivos, & vagabundos Monachos in noſtra Diœceſi nullatenus eſſe ferendos, decernimus. Deprehenſi ſeveriſſime caſtigentur, & ad ſua loca relegentur.

VI. Nullus in Diœceſi noſtra Eccleſiis, Beneficiis, vel officiis ullis Eccleſiaſticis deſervire ultra octiduum permittatur, qui admiſſionem a Vicario noſtro Generali, vel ejus Delegato, in ſcripto obtentam non oſtenderit. De repentinis neceſſitatibus, & quando Vicarius, vel Delegatus ejus, adiri commode non poterit, ſtatuant Decani.

VII.

VII. Qui ad certam Ecclesiam, Beneficium, aut officium a Vicario nostro semel admissus fuerit, is ad aliam Ecclesiam, officium, vel beneficium, sine nova ejusdem admissione, commissione, aut investitura, & præterea testimonio, ex quo liquido constet, quomodo priorem Ecclesiam administraverit, & reliquerit, per totam Diœcesin nostram non recipiatur.

VIII. Nullus Parochorum ex nostra Diœcesi, cui semel adscriptus fuerit, in aliam sine nostro, sive Vicarii nostri Generalis consensu expresso, migrare præsumat. Quod si fecerit, ipso facto suspensus sit. Idem de Curatis, & Cooperatoribus, qui vel in nostra Diœcesi nati, vel alias eidem obligati existunt, decernimus.

IX. Qui Beneficia habent, in quibus vel de jure, vel consuetudine residere debent, ut in Ecclesiis eorum personaliter munera obeant, necessarium est. Nam qui otiose residenti, abesse potius, quam adesse censemus.

X. Nullus Clericorum Magistratui civili, Patronis, aut Dominis temporalibus plus æquo se subjiciat, aduletur, vel ne Nos in illum authoritatem nostram exerceamus, adhæreat, aut ab iis contra Nos patrocinium quærat. Qui secus fecerint, ut & ii, qui tales receperint, foverint, defenderint, se in excommunicationem latæ sententiæ incurrisse noverint.

XI. Nullus Ecclesiam suam sine facultate nostra relinquat: nullus beneficium, aut officium Ecclesiasticum resignet, nisi in manus ejus, ad quem institutio de jure pertinet. Alias ipso facto ad omnia officia, & beneficia per totam Diœcesim nostram omnino inhabilis censeatur.

XII. Horas Canonicas attente, & devote quotidie recitent, nec sine justa causa ullus intermittat. Qui post monitionem negligentes, aut contumaces reperti fuerint, præter juris pœnas, beneficio priventur.

XIII. Beneficia inter se nulli permutent sine consensu legitimi Superioris.

XIV. Qui plura beneficia in posterum habebunt, præsertim incompatibilia, sive in eadem Diœcesi, sive in diversis, iis, ut dispensationes suas Nobis examinandas intra semestre exhibeant, sub pœna in Constitutione Gregorii Decimi expressa, præcipimus.

XV. Bona Ecclesiæ immobilia, vel mobilia: item fundationes, jura, aut privilegia ne pignori dentur, vel accipiantur, neve ea commutentur, donentur, vendantur, aut quocunque modo obligentur.

XVI. Beneficia sua ære alieno non gravent, aut majori debito onerent, quam ex perceptione fructuum, vel ex lege, vel consuetudine ad ipsos spectet.

De Sacerdotibus.

I. Sacerdotes simplices diebus Dominicis, & Festis anni solennioribus Missas celebrent: qui curam animarum, beneficium, vel officium habent, toties, ut satisfaciant: Cæteri autem Clerici, quater ad minimum in anno publice communicent.

II. Omnes, & singuli ordinarie singulis mensibus Sacramentaliter confiteantur: extraordinarie quoties in peccato mortali celebraturi essent. Ordinariæ Confessionis testimonium scriptum semper exhibeant in Capitulis, vel quoties ab ipsis requiretur, sub pœna quatuor librarum ad pias causas: Si qui semel in anno, aut nunquam confitentur, non sunt ferendi.

III. Cooperatores suis Parochis ad nutum obediant: Nihil certi sibi vendicent; sed quidquid a Parochis injungetur, id prompte faciant. Si quis propterea discesserit, quod pro arbitrio suo omnia agere non permittitur, is a Vicario nostro severe puniatur.

IV. Diebus Festis nullus Ecclesiam suam deserat, ut alienam honoret, nisi populus tunc ad vicinam venire soleat.

De Parochis & Curatis.

I. Nullum Cooperatorem, Capellanum, vel Sacerdotem alium, quocumque nomine censeatur, recipiant, foveant, retineant, inscio, aut invito nostro Vicario Generali; sed eos tantum, quos ei corporaliter stiterint;

ab

ab eisque, ut illis in cura animarum, vel aliis Ecclesiasticis officiis adjutores essent, expresse, & in scripto approbati fuerint.

II. Tot Sacerdotes quilibet alat, quot & ad Sacramenta Parochianis propriis administranda, & ad curam animarum exercendam satis esse possunt. Victus autem eis honestus, & necessarius præbeatur, & præterea stipendium liberale, (juxta taxam videlicet, a Vicario nostro præscribendam) ne, dum sordide eos habent, Sacerdotes idoneos, & quos oporteret, habere minime queant. Attendant Decani, & peculiare examen in quovis Capitulo instituant; in quo, qui rei inventi fuerint, vacantis officii pecunia non illis, sed vel domus Canonicæ, vel Ecclesiæ fabricæ accrescat.

III. Omnia, & singula officia, quæ vel ex fundatione, vel laudabili consuetudine obire debent, statis diebus & horis studiose exequantur, ut tam Deo, quam Decanis, & Vicario nostro, quoties opus fuerit, justam sui rationem reddere possint.

IV. Scholæ in singulis Parochiis sint: ubi collapsæ sunt, restituantur: ubi conservatæ, colantur, & augeantur. Ab institutione enim inchoanda est disciplina, ut juventus a teneris annis assuescat Religionis initiis, ac ignorantia, omnium malorum origo, exterminetur.

V. In pagis, vallibus, & montibus, ut Scholæ ejusmodi, saltem per hyemem habeantur a Parochis, & Curatis, vehementer optamus: ut habeant ipsi, unde commodius vivant; & quomodo otium, & quæ ipsum comitantur, prudenter caveant. Sed & juventus agrestis, dum legere, & scribere discet, etiam in Fidei articulis, orandi modis, & aliis pietatis Christianæ exercitiis, ac hominis Christiani officiis instituetur; & ad cultum civiliorem, & vitam Christiano homine dignam, multo facilius assuescet. Quos amore agere omnia decet, ii timore non sunt trahendi.

VI. Quoniam vero in Diœcesi nostra plures Ecclesiæ unicum habent Sacerdotem, qui in omnibus simul adesse non possit: & subditi sæpenumero nolunt ad vicinas Ecclesias diebus Festis se conferre: unde fit, ut Sacerdos unus binas conciones habere cogatur, unam in una Ecclesia cum Missa, alteram in alia sine Missa; vel in altera Missam; in altera Benedictionem aquæ cum processione: & plurimus populus sine cultu Divino dies Festos transigat. Quam consuetudinem, vel rectius corruptelam, Nos abolere cupientes, statuimus, & ordinamus: ubi plures Ecclesiæ sunt, quæ singulæ singulos Sacerdotes alere vel non possunt, vel nolunt, diebus Festis in earum singulis cultus Divinus per vices agatur: & populus semper ad eam convenire cogatur, in qua Missam & concionem simul audire possit; non obstante quacumque consuetudine. Non est enim æquum, Sacerdotem discurrendo, & concionando in pluribus locis eadem die plus æquo defatigari: & populus præceptum Ecclesiæ Dei prævaricando, Deum tam graviter offendere desinet. Ubi vero plures Ecclesiæ sunt, quæ singulos Sacerdotes commode alere possunt, ut quæque suum Sacerdotem proprium habeat, volumus. Neque dubitamus, quin apud fidelem populum tam paterna ordinatio locum habitura sit, ne, quos ut filios amare debemus, in eos tanquam in servos animadvertere cogamur.

VII. Ægrotos Parochiæ suæ quisque solicite inquirat, & non vocatus etiam sæpius invisat. Neque putent se Parochi satis officio suo functos fuisse, si infirmis Confessionis, Communionis, & Extremæ Unctionis Sacramenta impertiverint; sed adsint præterea morientibus, ea omnia præstantes, quæ ad animæ salutem tali tempore requiruntur.

VIII. Caveant vero Parochi, ne oves suas periculo morbi alicujus, aut mortis metu unquam deserant. Bonus Pastor animam suam ponit pro ovibus suis, mercenarius autem fugit. Unde etiam ex officii sui obligatione peste laborantibus opem ferre tenentur. Quod nisi fecerint, Deo, & Nobis deserti officii pœnas gravissimas dabunt.

IX. Dies Dominicos, & alios Festos in solis defunctorum exequiis, ne

in pagis quidem impendi volumus. In parentaliis vero, & aliarum exequiarum conviviis comeſſationes, ebrietates, & alias nugas, quibus aliqui ſtultiſſime indulgent, omnino interdicimus. Illud enim ad Feſtorum: iſta etiam ad mortuorum injuriam pertinent. Curent ergo Parochi, ut mortuis juſta ſua aliquo die profeſto, etiam in pagis ſolvantur: & ut funebria convivia, vel omnino tollantur, vel, ſi illud fieri non poſſit, ſaltem ea ſobrietate, & modeſtia, quæ Chriſtianos decet, habeantur.

X. Sacramenta Baptiſmi, Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii per ſe, & Cooperatores ſuos propriis duntaxat ſubditis adminiſtrent, non alienis: neminem iis quavis de cauſa defraudent, vel ex negligentia, vel culpa ſua privari patiantur: ne & Nos pro tanti ſceleris gravitate in eos animadvertamus.

XI. Ex Cancellis, aut pro Concione, vel in Cœmiteriis, vel aliis locis ſacris, forenſia, & profana nec ipſi promulgent, nec alios publicare permittant; ſed ea tantum, quæ ſacra & pia ſunt, ac ad cultum Dei, & pietatis opera pertinent. Ubi vis infertur, ad Ordinarium confugiant.

XII. Bona, & jura Eccleſiæ ſuæ quisque pro viribus propugnet, potius vitam ſuam amitti, quam CHRISTI JESU patrimonium patiantur. Deperdita inquirere, & recuperare ſatagant. Quam ad rem Nos illis fidam operam pollicemur.

XIII. Ut pœnitentiæ publicæ in uſum, ad malorum terrorem revocentur, omnibus modis ſtudeant. Nec peccata, ac ſcandala ulla diſſimulent, ſed Magiſtratus etiam civilis opera ſeveriſſime vindicent. Verum pœnitentiam publicam nulli injungent inconſulto Vicario Generali, hoc ad ſolius Epiſcopi officium pertinere humiliter recognoſcentes.

XIV. Pauperum, Viduarum, & aliarum miſerabilium perſonarum curam peculiarem ſuſcipiant, ſcientes ſe pauperum parentes a piis Fundatoribus eſſe relictos.

XV. Decimas, cenſus, atque proventus alterius nemo intercipiat. Et quia non deſunt, qui fructus Eccleſiarum filialium (ut vocant) totos ſibi vendicent, onere toto in alios derivato, ordinamus, & mandamus, ut infra ſemeſtre a Synodi hujus publicatione, ſua cuique Eccleſiæ citra moram reſtituantur. Quid autem in recognitionem Paſtoribus, ab ejusmodi Eccleſiis reddendum ſit, noſtræ cognitioni reſervamus.

XVI. Ab Eccleſia ſua nemo diſcedat ſine licentia Canonice obtenta. Si neceſſitas abeſſe ad unam hebdomadam cogat licentiam in ſcripto dabit Decanus: ſin ad longius tempus, Vicarius Generalis. Abientia vero nulli permittatur diebus ſolennioribus anni, nec ſine cognitione cauſæ, nec ſine Vicarii idonei, & a Nobis approbati, vel approbandi deputatione. Si quis contra facere attentaverit, ſacrorum Canonum pœnas experietur.

XVII. Eccleſias ſibi ſubjectas ad minimum bis in anno quiſque viſitet: quæ emendatione indigere perſpexerint, ad Viſitationis, & Synodi hujus Statuta quantocyus reforment; quæ recte ſe habere viderint, conſervare ſtudeant. Idem de beneficiis, ædibus, bonis, ac juribus eorum ſtatuimus.

XVIII. Domus Parochiales ordine, ac diſciplina ſint reliquis exemplum. Non aſciſcantur in eas quavis de cauſa infantes, ſuſpecti, blaſphemi, ſceleroſi. Fœminæ omnes penitus excludantur, quas Decani non probaverint.

XIX. Urbarium authenticum quisque confici curet, in quo Prædia, decimæ, cenſus, agri, eorumque fines, ac termini, jura, privilegia, obligationes perſpicue inſcripta legantur, unde diſtincte cognoſci queat, quos proventus & onera quælibet Eccleſia habeat. Cujus exemplum alterum apud Eccleſiam maneat; alterum ad Archivium Diœceſis mittatur.

XX. Illiteratos ineptos, ac inutiles, ſi qui forte ſuperioribus temporibus irrepſerunt, modo bonæ vitæ ſint, & Vicarios idoneos, aut Coadjutores a Nobis approbandos, ſibi aſciſcant, toleramus: Alios in damnum Eccleſiarum, & animarum perniciem ferre non poſſumus.

XXI.

XXI. Cum primum poſſeſſionem adierint, in præſentia teſtium rerum omnium Eccleſiæ Inventarium conficiatur.

XXII. Familiæ ſuæ mercedem annuam ſemper integre ſolvant, nec eam in tempus longius protrahant.

XXIII. Eccleſias, aut earum bona pignori non ſupponant: nec debitis onerent: nec decimas, aliosque proventus in damnum ſucceſſorum vendant. Hæc enim omnia irrita decernimus: ne autem fiant, Decani in Capitulis diligentiſſime diſpiciant.

XXIV. Nemo ad curam animarum poſthac admittatur, niſi poſt accuratum examen idoneus repertus, fidem ſuam Eccleſiæ Catholicæ & Nobis probaverit; ac in iis, quæ ad officium ſuum, & jura Eccleſiaſtica pertinent, ſe fidelem fore, ac vitam Sacerdote & Paſtore dignam ſe acturum, ſolenniter juraverit.

De Prædicatione Verbi Dei.

I. AD Prædicationis Divinæ Officium nemo absque diligenti probatione, benedictione noſtra, & teſtimonio literis conſignato, in poſterum recipiatur. Et tales ſint, quos & pietas, & vitæ honeſtas, & doctrinæ puritas commendet: & qui populum tam lingua, quam exemplo ædificent. Pulchrum enim eſt, cum de Concionatore illud dicitur, quod olim de quodam ex veteribus dictum legimus: Hic eſt, qui quale habet verbum, talem habet & vitam.

II. Conciones ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, in omnibus Parochialibus, & Curatis Eccleſiis (quæ Sacerdotem proprium habent) habeantur. In urbibus, & oppidis etiam in Adventu Domini, & Quadrageſimæ trinæ, aut binæ per hebdomadam, ubi in uſu fuere, retineantur; ubi fieri non conſueverunt, juxta Tridentinum Concilium, ſi ullo modo fieri poſſit, inſtituantur.

III. Parochi, & Curati munus concionandi per ſe obeant: absque noſtra facultate, ne Cooperatoribus quidem ordinarie committant. De repentinis neceſſitatibus præcipimus, ne quisquam infra Sacerdotem; vel cujus vita, & doctrina non ſit explorata, in ſuggeſtum admittatur.

IV. Ubi Parochi, & Concionatoris officia diverſis committi ſolent, Parocho Concionatorem ſubjicimus: neve plures (*in*) partes ſcindatur Eccleſia, ejus judicio, in rebus controverſis hunc omnino acquieſcere volumus.

V. A prædicandi munere neminem omnino idoneum, & alias approbatum excludi volumus; Statuta omnia, & privilegia in contrarium abrogantes, & irrita declarantes.

VI. Fideles pro Concione de fide, & moribus diligenter inſtituantur; & ſemper aliquid ex Catechiſmo Romano, præſertim extra civitates, agreſti populo proponatur, ac ad rudium captum explicetur, ut, quæ ſcire omnium intereſt ad ſalutem, omnes addiſcant.

VII. In reprehendendis vitiis ita ſe gerant, ut pietatis, & charitatis ſtudio adducti, non hominum, ſed peccatorum odio, id facere videantur. Ea vero vitia præ cæteris exagitent, quæ populus frequentat, aut in quæ procliviorem eſſe vident; ut populus eorum gravitatem intelligens, ab iis avocetur. Neminem nominatim perſtringant, aut quaſi digito demonſtrent; ab Epiſcopis & Magiſtratibus abſtineant. Quin tamen omnes ſui officii commonefaciant, ejusque obligationem, ſuo loco & tempore, omnibus & ſingulis graviter, & ſerio inculcent, non interdicimus.

VIII. Nemo cauſam ſuam, ſed ſolius Dei, & animarum ex ſuggeſtu tractet: ad captum auditorum ſe quisque accommodet: omnibus omnia, exemplo Pauli, facti, omnes Chriſto lucrifaciant: ab omni fuco, & orationis pigmentis abſtineant, ſed potenter & prudenter officio ſuo fungantur, nihil aliud quærentes, quam auditorum ſuorum utilitatem, & animarum ſalutem.

IX. Fabulæ aniles, ſales, ſcommata procul a concionibus abſint; immodeſtas invectivas, hiſtorias ſuſpectas,

incertas, orationem nimis aculeatam omnino prohibemus. Omnis concio ut charitate, & prudentia condita, ac doctrina referta ſit, præcipimus. Qui ſecus fecerint, in eos, juxta Concilii Tridentini Sanctionem, animadvertemus.

X. Fideles autem omnes, & ſingulos, qui per ætatem, & negotia neceſſaria poſſunt, non ſolum diebus Dominicis, ſed omnibus etiam Feſtis, ad rem Divinam, & conciones frequentes concurrere, & ab initio ad finem uſque cum ſumma modeſtia, attentione, ac devotione adeſſe volumus.

XI. Quoniam autem intelleximus, populum rudem, & ſimplicem (ut ſupra quoque monuimus) præter dies Dominicos alia feſta nihili pendere; nec iis ad Eccleſias ſuas venire, aut ſi veniant, pro libitu excurrere, in cœmiteriis circumambulare, fabulari, prophana tractare; in Eccleſia dormire; altaribus inſtar trunci incumbere; nihil orare, nullas prope actiones in Miſſæ Sacrificio obſervare; conciones oſcitanter auſcultare: e ſalute fore populi fidelis exiſtimavimus, ſi hoc vitium gladio ſpiritus exſcinderetur. Idcirco Paſtoribus ac Concionatoribus omnibus injungimus, ut ubi iſte tam irreligioſus abuſus irrepſit, frequenter eundem pro concione redarguant, populum de tremendis Miſſæ myſteriis, de modo orandi, Feſta colendi, Sacrum & conciones audiendi inſtituentes: & quod Chriſtianorum ſit, quolibet die Feſto, integro Sacro intereſſe, quo participes fiant ejus oblationis, quam Sacerdos pro tota plebe facit, & omnium orationum, ac benedictionis, qua eos dimittit, accurate docentes, ac identidem inculcantes. Et ſi quidem ea in re tota communitas ruſtica peccat, cenſemus Magiſtratum, ſive Præfectum loci requirendum, ut abuſum tantum prohibeat, ac coerceat: qui ſi forte recuſaverit, ne quis eum abſolvat, donec ſe regulis iſtis pariturum, certa fide polliceatur, præcipimus. Quod ſi vero paucorum iſtud vitium eſt, niſi moniti emendentur, cera, vel rebus aliis in uſum Eccleſiæ, aut pauperum, pro arbitrio Parochorum, & Decanorum mulctentur: incorrigibiles ad Nos deferantur.

De Catechiſmo.

I. UT tenera ætas, pene cum lacte materno, Religionem Chriſtianam imbibat; Catechiſmum & in Scholis privatim, & publice in Eccleſia omnibus diebus Dominicis, in ſingulis Parochiis ſi non totius anni, ſaltem Adventus, & Quadrageſimæ ordine, quo decet, exerceri, & doceri mandamus; neque in oppidis, & civitatibns ſolum, ſed etiam in villis & pagis.

II. A prandio igitur ſigno campanæ Curati pueros in Eccleſ. convocent; ubi convenerint, Catechiſta 1. Clara voce & lenta prolatione recitet Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, pueri præeuntem ſequantur. 2. Recitationes, & pia æmulandi ſtudia diſponat. 3. Facilem, & qualem illa ætas admittit, explicationem ſubjungat, ad guſtum aliquem intelligentiæ, ut omnes rebus ſacris debitam reverentiam ab initiis primæ ætatis tribuere condiſcant. 4. Lectionem juventuti præſcribat, ab ea ſequenti conventu memoriter exigendam. 5. Dénique Orationem Dominicam cum decem Præceptis, vel alia quadam Catechiſmi particula, ipſo præeunte, pueri ubi clare & pie pronunciaverint, Scholæ dimittantur.

III. Curet autem Catechiſta, ut parvum Petri Caniſii Catechiſmum juventus ab initio ad calcem uſque memoriter diſcat, ac quantum capere poteſt, intelligat. Non vagetur ad alia, niſi admodum raro, cum adultiores intervenerint; ſed intra fines ſuos ſeſe contineat.

IV. Ut autem Scholæ hujusmodi non fruſtra inſtitutæ videantur, ſed cum fructu frequententur; 1. Paſtores tam in concione, quam privatim, parentes admoneant frequenter, ut ad Catecheſes proles ſuas, & familiam ipſi adducant, vel ſaltem mittant. 2. Publicent frequenter, nec ad Euchariſtiæ, nec ad Matrimonii Sacramenta admittendos, qui in primis fidei rudimentis ſufficienter inſtructi non fuerint. 3. Oſtiatim deſcribant parentes, & proles eo-

eorum, ut deprehendi possint, qui negligentiores fuerint. 4. Diligentia summa, qua poterunt, officium suum hac in re præstent, ut exemplo suo alios ad imitationem invitent. Munusculis, aliisque variis modis, pro temporum ratione, juventutis studia excitare nitantur.

V. Has easdem exercitationes juventutis, pluribus quoque modis Magistratus sæcularis excitare, & provehere poterit. 1. Si mandet parentibus, ut liberos suos ad has Scholas diligenter venire curent, idque sub certa mulcta, si moniti, officium suum negligant, ab eis exigenda. 2. Si in omnibus Ecclesiis, eo tempore, quo juventus instituitur, sub pœnis eorum arbitrio imponendis, a tripudiis, & aliis insolentiis abstineri præcipiant. 3. Si sumptus, qui necessarii erunt, ut honorariis donentur, qui labores subeunt (si forte non inveniantur, qui pietatis intuitu, gratis facere velint) ex publico ærario, (ut in aliis quibusdam locis fit) subministrent: cum nihil in meliores usus collocari possit, quam quod ad recte instituendam juventutem, & a teneris annis ad pietatem imbuendam, impenditur. Neque dubitare possumus, quin Magistratus Catholicus, in re tanti momenti, quod ab eo requiretur, pie ac prompte sit exhibiturus.

VI. Denique Pastores hoc munus per se exerceant, vel alios substituant ad juventutem instituendam aptos: qui more parentum, blande, & humaniter puetos tractent, ad discendum alliciant. Qui negligentes erunt, pro singulis lectionibus singulis libris mulctentur: Quam pecuniam Syndici Ecclesiarum ab iis, quorum negligentia per Decanos damnata fuerit, exigant, ac in munuscula, quibus juventus allicitur, vel ad alia, ad hanc rem necessaria, expendatur.

De Confessariis.

I. Qui audiendis confessionibus præficiuntur, sint viri integri, eruditi, prudentes, zelum Dei, & animarum habentes, amore flagrantes, silentii tenaces, non ad quæstum intenti, sed ad profectum animarum: In explorando non plus æquo curiosi, non leves, non ebriosi, vel quovis alio vitio notabiles.

II. Confessarius Patris, Judicis, & Medici personam sustinet: quare gravitatem benignitate temperatam habeat; nec eorum rudis sit, quæ ad judicium faciendum, & ad morbos curandos pertinent; ut inter lepram, & non lepram; inter veniale & mortale, inter omissum, & commissum discrimen faciat: ut sic ægro condoleat, quod possit magis indulgens Pater, quam severus Judex videri.

III. Nemo, sive Regularis, sive Sæcularis sit, ad confessiones audiendas accedat, nisi Sacerdos rite ordinatus, & Canonice non impeditus, ac beneficium Parochiale habeat; vel alias Canonice approbatus sit.

IV. Ordinarii igitur Confessarii sunt Parochi; delegati, alii, qui vel a Parochis, vel ab Episcopis, vel ab Apostolico, privilegium habent: Qui eos solum, in quos potestatem acceperint, audire poterunt, non alios. Cæterum Parochi suam potestatem non possunt amplius delegare, nisi ab Episcopo suo approbatis, & ad id per examen admissis.

V. Nemo in mortali peccato constitutus confessiones audiat, ne & ipse peccet mortaliter.

VI. Confessiones in sola Ecclesia (exceptis casibus necessitatis) & in aperto loco, & conspectu fidelium audiantur; non in Sacristia, vel obscuris Ecclesiæ angulis. Quod si alius commodus locus haberi nequeat, confessionale saltem idoneum, in quo pro Confessario sedile, pro pœnitente vero scabellum, ubi genua flectat, & tabula intermedia rite accommodata sint, in Sacristia ita collocetur, ut aperta Sacrarii janua Confessarius, & pœnitens ab aliis in Ecclesia expectantibus, commode videri possint. Si quis aliter mulierum confessiones audire præsumpserit, ipso jure, & de facto ab audiendis confessionibus, & ab omnibus Divinis sit suspensus.

VII. In audiendis confessionibus eam adhibeant gravitatem, quæ Divi-

num hoc tribunal decet: Vultum humilem, & oculos in terram defixos gerant, nec faciem confitentis indiscrete inspiciant: omnes patienter, & in spiritu lenitatis audiant.

VIII. In casibus gravioribus, vel ipsi peritiores consulant, vel pœnitentes ad eos dirigant; quorum sententia, qui se staturos promittunt, absolvi poterunt; nisi quid aliunde impediat: alii absolvi non debent.

IX. Animas quærant, non pecunias: unum, duos, quinque cruciferos, imo vel unicum teruntium pro confessione audienda exigere, turpe lucrum est, & Simoniacum, nec ulla ratione ferendum. Quod sponte, & liberaliter datur, nec signo, aut verbo petitur, quin accipiatur, non prohibemus; cum hoc a consuetudine, & pia fidelium devotione non abhorreat.

X. Semper prius excommunicatio tollenda, quam absolutio a peccatis impenditur.

XI. Semper confitenti potius, quam aliis credatur.

XII. Non omnes sunt examinandi, sed illi soli, quos vel ex ipsorum confessione, vel aliunde constat non integre confiteri, vel omnia habere, quæ oporteret. Absit curiositas; modus debitus servetur; ne pœnitentem doceat, & se ipsum Confessarius in periculum conjiciat: sequi debet pœnitentem, non præire: a communissimis, & notissimis ad minus obvia prudenter descendat.

XIII. Verbis semper honestissimis utatur, quantum fieri potest, & uti decet.

XIV. Nullo signo, aut verbo, vel ulla alia ratione, quæ vel ad peccatum, vel infamiam pœnitentis faciunt, sine expresso ejus consensu, manifestare licet. Pœna manifestantis, præter peccatum mortale, est depositio, & pœnitentia perpetua in Monasterio.

XV. Qui casus Sedi Apostolicæ reservatos afferunt, ad Apostolicum, vel qui ab eo habent absolvendi potestatem, remittendi sunt. Habet etiam Episcopus quilibet, quos ipse in Diœcesi sua absolvit. Ne errent igitur Confessarii, & casus Summo Pontifici, & Episcopo suo reservatos, apud se scriptos habeant.

XVI. Casus autem Episcopo in nostra Diœcesi reservati, sunt numero decem. 1. Hæresis. 2. Librorum hæreticorum lectio, aut retentio voluntaria. 3. Homicidium, facto, præcepto, consilio, consensu, vel quovis alio illicito modo commissum, etiam casuale voluntarium, sive in actu, sive in causa tantum. 4. Incœstus primi, & secundi gradus. 5. Procuratio abortivi, aut sterilitatis, quovis tandem medio ad alterutram instituto, sive effectus subsequatur, sive non. 6. Falsum testimonium, aut perjurium in judicio. 7. Decimarum, aliorumque jurium Ecclesiæ notabilis defraudatio. 8. Adulterium notorium, eoque majora delicta, ut concubinatus, Simonia, usura, Sodomia, cum similiter publica, & notoria fuerint. 9. Omnis excommunicatio major, quæ nimirum S. Pontifici non reservata, nec a Judice lata est. 10. Contractus mutui, in quo sine legitimo titulo supra sortem aliquid exigitur.

XVII. Noverint autem Confessarii, 1. In extremo mortis periculo nullam esse casuum reservationem. 2. Casum primum, secundum, quintum, nonum, & decimum soli Episcopo Brixinensi reservari, & quorum absolutioni ipse eos specialiter commiserit. 3. Absolutionem aliorum omnium, qui hic reservantur, relinqui Decanis ruralibus, & Confessariis Capitularibus, iis nimirum, qui Capituli sui Clerum de peccatis confitentem, præsertim tempore Congregationis audient. 4. Omnes alios casus, qui alias de jure, vel consuetudine ad Ordinarium (*) Episcopi absolutionem pertinent, omnibus omnino Confessariis usque ad nostram revocationem, vel aliam dispositionem plenarie committimus. 5. Si quis sine infamia, vel ob aliud legitimum impedimentum, ad Nos, vel alios, propter dictos casus mitti non possit, si se Ordinarium suum, sublato impedimento, auditurum promittit, a suo Confessario absolvi posse decernimus; sed si prima vice, aut tertia fefellerit, ei non facile amplius fides habeatur. 6. Quod si quis ad

(*) *Legendum arbitror:* ad Ordinarium, vel Episcopi absolutionem pertinent.

ad Superiorem suum ire recusaverit, rem ad Nos, vel ad eum, qui facultatem absolvendi habet, absque notificatione personæ, Confessarii perscribant, ut illis eo etiam casu, vel vices nostras committere, vel id statuere possimus, quod magis expedire videbitur. 7. Mulieres quoque ad Nos, vel alium mitti non debent, nisi casus earum fuerit peccatum publicum. 8. Qui absolverit scienter a casu, Episcopo Brixinensi, vel Summo Pontifici reservato, incidet in excommunicationem latæ sententiæ; a qua solus Episcopus, vel Papa possit absolvere; ejusque absolutio nulla erit.

XVIII. Nullus, qui in statu sit peccati mortalis, absolvi potest, nisi & peccatum, & statum peccati relinquat. Tales sunt meretrices publicæ, concubinarii & concubinæ, apostatæ, usurarii, aleatores, ebriosi: breviter, quicunque in peccato mortali publice ita vivunt, ut consuetudo peccandi, & peccantium impudentia statum videantur facere peccati.

XIX. Qui sunt gravati ære alieno, vel aliis debitis, & possunt restituere, ne absolvantur, donec restitutionem, quam primum fuerit possibile, faciendam serio promiserint: deinceps non absolvendi, si hujusmodi promissione culpabiliter non steterint: Si restituere non possunt (hoc est, non habent, nisi unde vivant ipsi, & quos tenentur alere) promittant se daturos operam seriam, ut possint restituere, aut solvere: qua promissione habita, poterunt absolvi.

XX. Clerici in Sacris, vel Beneficiati, qui Horas Canonicas non recitant, aut recitare nolunt, non sunt absolvendi, donec facere velint, quod debent. Idem intelligatur de iis, qui obtinent plura beneficia absque legitima dispensatione, vel non debite serviunt beneficio, quod legitime habent.

XXI. Qui habet aliquod beneficium, vel officium, & tamen nescit facere, ad quæ ex illo obligatur, non potest absolvi, nisi polliceatur, se cessaturum ab officii, vel beneficii sui exercitio, donec didicerit, quæ necessaria sunt, ut rite ministret; ac interim provideat, per quem suppleatur, quod ipse non facit.

XXII. Clerici habitum Clericalem non ferentes, vel tonsuram congruentem Ordini, ne absolvantur, donec honestatem Clericorum præ se ferant.

XXIII. Qui proximam peccandi occasionem relinquere nolunt, absolutione sunt indigni, amantes periculum, in quo peribunt.

XXIV. Pœnitentiæ, quæ injunguntur, pœnæ sunt, & medicinæ: Puniunt enim peccatum; sanant infirmitatem animæ; & a recidivo præservant: Ideo contrariæ esse debent, & æquales peccato, ac convenientes peccatori. Quod si hoc ignoretur, ut plerumque, fiat, quod peccator possit, aut facere velit.

XXV. Non una, eademque satisfactio est omnibus injungenda, sed diversis diversæ pro qualitate peccatorum, & pœnitentium: Gravia gravem pœnitentiam, publica publicam requirunt, (quanquam publica injungi cuiquam non debet, nisi ab Episcopo; vel sine ejus consensu) semper tamen videatur, quid, & quantum peccator exequi possit.

XXVI. Confitentes non admittantur catervatim, tantumque a confitente absistant cæteri, ut, quæ dicuntur utrinque, non audiantur. Moneatur quoque populus sæpius, ut tempestive ad confessionem se conferat, nec ad ultimum diem, vel horam differat.

XXVII. Denique omnibus, & singulis Medicis, & Chirurgis nostræ Diœcesis mandamus, ut ægrotos suos de Confessione facienda juxta Sacros Canones tempestive admoneant, nec amplius visitent, qui moniti, ultra quartum diem Confessionem & Communionem distulerint.

De Gubernatione Diœceseos.

UT Clerus, qui rure degit, commodius regi, & in officio contineri possit, universum in plura Capitula descripsimus, unicuique tot Parochias cum omnibus annexis Ecclesiis, officiis, & beneficiis attribuentes, quot commode regi poterunt; Capitulorum autem

autem nomina hæc sunt: Clusinense, Livinalis longi, Toblacense, Bruneggianum, Sterzingense, Matranense, Oenipontanum, Schwazense, Telfense, & Imbstense. Singulis Capitulis singulos Decanos præfecimus: Decanis singulis singulos Assistentes, Camerarios, & Confessarios adjunximus. Decani vitam, mores, & singulorum officia curabunt: Camerarii mulctas, debita, collectas, fabricam, bona, & jura Ecclesiarum: Assistentes consilio, & auxilio Decanos juvabunt: Confessarius Capituli sui Clerum de peccatis confitentem, præsertim tempore congregationis audiet. His omnibus, sicut & toti Clero Vicarius noster Generalis nostro loco, & nomine præsidebit: Hic mandata nostra ad Decanos deferet: Decani ad Clerum: & viceversa, quæ Clerus Nobiscum, aut Vicario nostro tractare volet, id per Decanos suos faciet: ita tamen, ut si cum Decanis suis ille convenire non possit, vel alias suum illi officium non fecerint, unicuique liberum sit, ad nostrum tribunal appellare. Præter hos reservamus Nobis etiam Archidiaconos, etiam pro locorum, & temporum ratione creari Archidecanos, qui pluribus regionibus cum potestate pleniore præsint. Et Decani quidem, Archidecani, ac Confessarii Capitulorum pro nostro arbitrio constituentur, ac destituentur: Reliqui Officiales communibus suffragiis in pleno Capitulo delecti, a Nobis solum confirmationem accipient. Porro quam potestatem Capitula, eorumque Præfecti habeant, & quid ab unoquoque requiratur, id ex legibus, quas subjungimus, planum erit.

De Capitulis Ruralibus.

I. AD Capitula universus Clerus conveniat; iis solum exceptis, quos impedimentum Canonicum, aut præsens Ecclesiæ necessitas (de quibus cognoscet Capitulum) venire non permittet: quare tales loco suo excusatores, aut literas mittere oportebit. Pœna negligentium pro prima vice erit una libra, pro secunda tres, & sic crescente negligentia, & contumacia, semper crescet & mulcta.

II. Capitula ruralia singulis semestribus celebrentur, die aliquo professo, qui ad conveniendum sine detrimento Ecclesiarum, omnibus commodus judicabitur; nempe feria quarta post Dominicam in Albis; Et iterum, quando alias ad Sacra anniversaria Serenissimæ Domus Austriacæ, omnes convenire oportet; vel alio denique tempore magis opportuno, quod Decanus tempestive nominabit.

III. Non fiant in hospitiis, aut cauponis publicis congregationes, sed vel in Ecclesia Parochiali, vel in domo Canonica: Nec semper in uno, eodemque in loco, sed in diversis, nempe apud singulas Parochias per orbem; vel ubi magis commodum videbitur. Sumptus convivii faciet Parochus, apud quem conventus agetur; aut pro se quisque solvet. Moderatum vero, & honestum prandium esse oportebit, a quo omnis ebrietas, levitas, rixa, immodestia procul exulet. Qui contra fecerint, pro arbitrio nostro punientur; maxime vero Decani, & Parochi, apud quos alii deliquerint.

IV. Pridie Capituli omnes Confessario Capitulari, vel alteri, Sacramentalem Confessionem faciant: & sequenti die pro fratribus defunctis, & simul benefactoribus, Sacrum Missæ Officium offerant. Unus, vel alter deligatur, qui Celebrantium ritus observet, ac postea de defectibus singulos moneat, ac instruat.

V. Missa quoque conventualis pro mortuis, vel de Spiritu Sancto solenniter cantetur: qua finita circa horam octavam, omnes & singuli superpelliciis induti, ex Templo processionaliter locum Capituli ingressi, in suo quisque loco (quem singulis in primo post hanc Synodum conventu, secundum antiquitatem officii sui, ita tamen, ut Parochi Curatos; hi semper alios Sacerdotes, & Sacerdotes alios, qui tales non sunt, antecedant, Capitulum assignabit) consideat: tum ad omnes Decanus, vel alius ab eo mature constitutus, brevem sermonem habeat, de officiis, & virtutibus Sacerdotum, de cura, & zelo animarum, vel aliis, quæ tempori magis convenire videbuntur.

VI.

VI. His peractis. 1. Legentur Statuta noſtra Synodalia, vel omnia, vel media eorum pars. 2. An, & quomodo illa, vel alia Viſitatorum, & noſtra mandata ſerventur, omnes & ſingulos Præſidentes Decani per ordinem interrogabunt. 3. De Horis Canonicis, an, & quomodo recitentur, quas ob cauſas omittantur. 4. De Sacramentorum adminiſtratione. 5. An Fundatorum voluntatibus ſinguli ſatisfaciant. 6. An Parochi tot, ac tales Sacerdotes alant, quot, & quales debent. 7. An ſinguli confiteantur Sacramentaliter, quoties deberent, ejusque teſtimonia petantur. 8. An Catechiſmum doceant, & quomodo. 9. Quam familiam quisque habeat, & præſertim de fœminis. 10. De vita, habitu, & honeſtate Cleri, ac populi, de litibus, gravaminibus, injuriis, ſcandalis, & his ſimilibus tractandum erit. 11. Negligentes denique, & defectuoſi pro qualitate criminis mulctentur.

VII. Ante omnia vero hoc diligentiſſime obſervetur, ut ab oratione quæque congregatio inchoetur, & ſimul terminetur. Omne namque bonum a Patre luminum deſcendit. Quare ubi ad locum convenerint, omnes alternatim & flexis genibus Hymnum: Veni Creator Spiritus, recitabunt. Collectam de Spiritu Sancto ſubjunget Decanus. Omnibus finitis, ſimiliter quisque ſemel Pater, & Ave, ſecum devote dicet: Decanus denique clara voce orationem de tempore ſubjiciat.

VIII. Decani interdum uno menſe ante congregationem, Clero ſuo exhibeant duos vel tres caſus conſcientiæ, in congregatione excutiendos & decidendos.

IX. Capitula ruralia poteſtatem definiendi non habent, ſed tantum inquirendi, referendi, exequendi, quæ illis mandata fuerint, ac puniendi. Nihilque omnino facient, quod eis, vel eorum Decanis, in his Synodalibus Decretis, vel alias expreſſe permiſſum non fuerit.

X. Sigillum proprium ſingula habeant, & carcerem: ſed carcere non utantur ipſi, vel ipſorum Decani, niſi in quatuor caſibus. 1. Cum ſcandalum ebrietate, fornicatione, blaſphemia, vel aliis peccatis publicis, a Clero populo dabitur. 2. Quando officium ſuum non faciunt Clerici, & quæ his ſtatutis cuique præſcripta fuere, publice negliguntur; & alia pœna non fuit oppoſita. 3. In cauſis rixarum, pugnarum, æris alieni, debitorum. 4. Cum eis a Generali Vicario noſtro injunctum fuerit.

XI. Matricula habeatur, in qua omnium Sacerdotum nomina inſcribantur, officia, Patria, Diœceſis, mors & tempus ingreſſus in Capitulum, vel in hanc Diœceſin. Ex hac mortui vivis commendentur tempore congregationis.

XII. Acta Capitulorum ſingulorum præſertim majoris momenti in librum peculiarem referantur, cum querelis & difficultatibus propoſitis, ut Vicario noſtro facile, quid actum fuerit, conſtet.

XIII. Præter ruralia Capitula & particularia, generale ſemel quoque in anno in Urbe noſtra Brixinenſi, vel ubi Nobis commodius videbitur, cogatur; ſemper a Dominica poſt octavam Corporis Chriſti feria tertia: ad quod ſoli Archidecani, & Decani cum ſingulis ſociis (ſi quos eis Capitula adjungere voluerint) convenient. Omnibus præſidebit Vicarius Generalis. Si tamen caſus incideret, qui præſentiam tantæ congregationis expoſceret, non ægre ferent, ſi a Vicario noſtro ſæpius convocati fuerint.

XIV. In his congregationibus generalibus ſinguli referent ſtatum ſuæ regionis, neceſſitates, difficultates, lites. Deinde plurium ſuffragiis (quæ deciſiva eſſe volumus, non ſolum conſultiva) quæ ad bonum Diœceſis ſtatum pertinent, definiantur: Quorum definitionibus, modo ab Ordinario approbatæ fuerint, reliqui omnes parere tenebuntur.

De Decanis ruralibus.

I. HOs viros prudentes, magnæ doctrinæ, & vitæ probatæ, ac multæ experientiæ eſſe oportet: ſunt enim Paſtores Paſtorum quodammodo

& ipſi: & alios exemplo, conſilio, verbo, ope juvare debent.

II. Ut alii Paſtores in ſuis Eccleſiis, ita Decani in ſua regione, ad perſonalem reſidentiam compellantur.

III. Chriſma Sacrum, aliaque Olea Sacra, quibus utitur Eccleſia, quotannis ex Eccleſia Cathedrali accipiant: ex eo tradat deinceps quisque ſuis Curatis, quantum ſatis erit: pro traditione nihil omnino accipiant, præter ſumptus ejus cauſa neceſſario factos.

IV. Semel ad minimum quotannis omnes Eccleſias ſuæ regionis obeant, una cum Camerariis: non omnes quidem ſimul, ſed modo hanc, modo illam, prout occaſio ſe obtulerit. Victum frugalem præbebunt Parochi. Idem fiat, cum alias, officii tamen ſui cauſa, per regiones ſuas excurrent. Tum enim præter victum a Parochis vel Eccleſiis, ne ſponte quidem oblatum, quicquam accipere licebit.

V. Eccleſias, Sacriſtias, Vaſa, Veſtes, Ornamenta, Cœmiteria, Sepulturas, Prædia, totamque familiam Parochi, & aliorum Clericorum, cum omni diligentia inſpiciant; quid in eis deſit vel deſideretur, accurate conſiderent. Diſpiciant etiam Decani in viſitatione ſua, an Clerus officium ſuum faciat; an vera ſint, quæ quisque in Capitulo de obſervatione Decretorum noſtrorum, & aliis, de ſe ipſo depoſuit, oculis inſpiciant: in ſingulis Parochiis, a viris ætate, uſu, & probitate commendatis de omnibus ſubtiliter inquirant, quæ eos pro officii ſui munere ſcire oportebit: videant, an in populo ſint hæretici, concubinarii, alii flagitioſi, qui Quadrageſimam, aliaque jejunia, Feſtos dies non ſervent, & his ſimilia. Quæ ipſi poterunt, ſtatim corrigant: cætera ad Nos referant.

VI. Mandata noſtra, & Vicarii noſtri Generalis cum debita reverentia excipiant: ad eorum notitiam, quorum interierit, deducant. Quæ ipſis Superiores mandaverint, debite exequantur: Quæ vero ipſi ſuo, vel Superiorum nomine juſſerint, an & quomodo executioni mandentur, ſæpe videant.

VII. Vitam, mores, habitum, converſationem, ſuſpiciones rationabiles de Clericis intra fines ſuos inſpiciant; extrajudicialiter cognoſcant, emendare contendant: Majora ad noſtram cognitionem referant. Quæ autem in hoc genere fecerint, & curarint, ea ſcripto comprehendant, ut ſuo tempore rationem reddere adminiſtrationis ſuæ valeant.

VIII. Cum aliquis ex Curatis ſuæ regionis ægrotare cœperit, eum inviſant: ſi gravius habuerit, curent diligentius, ut neceſſaria tam ſpiritualia, quam temporalia illi ſuppeditentur. Si obierit, rerum relictarum Inventarium conficiant, & omnium quæcunque in vita poſſederat, curam diligentem habeant. Ne autem cura animarum detrimentum patiatur, Vicarium idoneum interea ſubſtituant, qui etiam poſt mortem vices defuncti gerat, donec de alio proviſum fuerit. Semper autem de Subſtituto, ejusque qualitatibus informetur Vicarius Generalis. Idem de aliis Sacerdotibus ſuo modo intelligatur.

IX. Nullos Sacerdotes in ſuo diſtrictu miniſtrare permittant, qui ipſis a Parochis præſentati non fuerint, & literas admiſſionis a Vicario noſtro; & ſimul dimiſſionis a Parocho, aut Epiſcopo, ex cujus Diœceſi diſceſſerunt, non oſtenderint. A Religioſis, quas a Superioribus ſuis attulerint, literæ requirantur.

X. Singulis annis Nobis, aut Vicario noſtro de illis, quæ in cujusque Decanatu geſta ſunt, rationem reddant, cum videlicet ad generale Capitulum convenerint.

XI. Sacerdotes omnes, reliquique ex Clero, Decanis ſuis morem gerant: ad Capitulum vocati, conveniant: ſi legitime impediantur, excuſatores mittant: viſitantibus Decanis operam ſuam præſtent: ad interrogata bona fide reſpondeant; alias pœnam arbitrariam ſubibunt: correptiones, admonitiones, & mandata eorum reverenter excipiant: ab iisdem, vel a Camerariis moniti æs alienum diſſolvant. Inobedientes, ſi qui fuerint, graviter a Nobis punientur.

XII.

Digitized by Google

XII. Decanus quilibet, antequam officio ſuo fungi cœperit, Profeſſionem Fidei coram Notario & teſtibus, juxta formulam PII Quarti, in manibus Vicarii noſtri Generalis faciat. Et deinde fidelitatem ſtipulata manu, aut juramento promittat.

De Camerariis.

I. CAmerarii ærario Capitulari Præfecti, & jurium Eccleſiaſticorum præcipui Cuſtodes, ac Patroni, ſuæ adminiſtrationis ſingulis ſemeſtribus toti Capitulo rationem reddant.

II. Mulctas, quæ quavis ratione debentur, ſuis temporibus exigant. Idem de collectis ordinariis, vel extraordinariis ſtatuimus.

III. Ut res & jura Eccleſiaſtica ſerventur, vel amiſſa recuperentur, ſolicito Parochos, aliosve Beneficiarios urgeant, ne quid vel negligentia pereat, vel aliorum vi uſurpetur. Si quid inſolentius alicubi fiat, id ſtatim Epiſcopo ſignificent.

IV. Cum Parochi, elocationi prædiorum & pecuniarum Eccleſiæ cujusque adſint: curent etiam eſt tolli, quæ vel impedimentum afferunt, vel damnum inferunt.

V. Confinia terrarum & bonorum Eccleſiæ præcipiant Beneficiatorum diligentia perfici, negligentes excitent.

VI. Ædes Canonicas ſæpius inſpiciant, & ſi qua reparatione indigent, eas refici opportune procurent.

VII. Quid quisque in ædium ſuarum reparationem, aut conſervationem quotannis impenderit, attendant.

VIII. Ne Eccleſiæ, vel beneficia debitis onerentur, neve fructus in damnum Succeſſoris ab Anteceſſore vendantur, aut prædia eloçentur, aut male tractentur, invigilent.

IX. Eos potiſſimum fructus, per Camerarios exigi volumus, quos Sacerdotes & Beneficiarii, propter iniquam Horarum Canonicarum, vel aliorum officiorum omiſſionem in conſcientia retinere non poſſunt; Item quas pecunias Parochi, cum ſua culpa Collaboratores non habent, reſtituere debent. In quos etiam ſingulis Capitulis ſumma cum diligentia inquiri, nec nulli pœnam Canonis remitti præcipimus.

X. Inconſulto Decano nihil ſtatuant, faciantve.

XI. Idem, quod Decani, juramentum fidelitatis, aut promiſſionem faciant, fidem prius ſolenniter profeſſi.

De Archi-Decanis, ſi aliquos aliquando conſtituerimus.

I. UT Parochis, & Clero inferiori, Decani; ita Archidecani, Decanis præerunt. Nihil ergo cum inferiori Clero ex officio agent, niſi aliter a Vicario Generali ſpecialiter fuerit mandatum; aut in mora fuerit periculum; aut Decani moniti, nihilominus officium ſuum non fecerint.

II. Horum officium erit, Capitulis generalibus intereſſe, referre, & exponere illic ſuæ regionis ſtatum: Capitula particularia dirigere, modo huic, modo illi præſidendo: Synodalia, vel Capitularia Decreta, placita quoque Epiſcoporum, Viſitatorum, Vicariorum, ſuæ curæ commiſſis publicare & exequi; Decanos viſitare, admonere, corrigere, reformare: contra publicos peccatores, hæreticos, uſurarios, ſuperſtitiosos, & omnium criminum reos in cauſis ad forum noſtrum pertinentibus, proceſſus conficere, confectosque ad Nos mittere: expedire quæcumque eis ſpecialiter ab Epiſcopo, aut ejus Vicario commiſſa fuerint. Denique omnia & ſingula, quæ ad Eccleſiæ gubernationem in ſua regione pertinent, inſpicere, conſiderare ac deferre.

III. Penes eosdem liber quoque erit, in quo privilegia Cleri Diœceſani deſcripta ſint. Item Statuta & Leges Capitulorum ſingulorum, ad ſuam jurisdictionem pertinentium.

IV. Tres autem Archidiaconi eſſe poterunt. 1. Oeno inferiori. 2. Oeno ſuperiori. 3. Puſtriſſæ, & locis adjacentibus, cum poteſtate præſidebit.

De Eccleſiis & aliis piis locis.

UT re ipſa appareat, quod jam per doctrinam omnes norunt, Eccleſiam Domum Dei, & orationis eſſe, non negotiationis; & ut loca alia pia abuſibus, ſi qui irrepſerunt, e medio ſublatis, ad legitimum & priſtinum ſuum uſum reformentur, de illis ſtatuimus, & ordinamus, ut ſequitur.

I. Eccleſiæ novæ ſine noſtro conſenſu & dote ſufficienti nullæ fiant: vetuſtate, vel alias collapſæ reſtaurentur, vel juxta Sacros Canones alio transferantur.

II. Omnia loca pia ſumma munditia ſemper excellant. Sæpe igitur ſcopis mundentur, pulveres a ſedibus, parietibus, teneſtris, altaribus, imaginibus, picturis, vulpium caudis, aut panno aliquo, vel ſcopis accommodatis abſtergantur, aranearum telæ undique ſtudioſe tollantur. Hæc cura ad Oeconomos & ædituos potiſſimum pertinet; qui, ſi negligentes fuerint, ut octavo quoque die ad minimum verri expurgarique non curaverint, iis ex ſalario pro rata, ſine remiſſione detrahatur.

III. Deambulationes, prophana colloquia, acta judicialia, tractatus ſæculares, repoſitiones mercium, vel aliarum rerum nundinationes, pauperum concurſationes, mendicationes civiles, & id genus alia in Eccleſiis ne fiant.

IV. Solum ſemper bene ſtratum ſit: fornix & parietes purgati; & vel dealbati niteant: vel ſacris hiſtoriis depicti, oculos hominum ſimul & animos paſcant.

V. Feneſtræ reticulis ferreis muniantur, ne cujusvis injuriæ vitra pateant; neve aviculæ in Eccleſias involare queant. Altius a terra tollantur, quam ut quis per eas introſpiciat: & ita conſtitutæ, ut ſemper aliquæ commode claudantur, vel aperiantur: quarum beneficio humiditates, vapores, fumi, pulveres, & his ſimilia exhalent facilius: nec ita apertæ, vel Sacerdoti ſacrificanti, vel rebus Divinis ventus, vel vis quævis alia injuriam faciat.

VI. Januæ Eccleſiarum clauſæ ſint, quamdiu in iis cultus Divinus non agitur. Non procul a januis ſit aqua benedicta, qua ſe, qui ingrediuntur, vel egrediuntur, pie conſpergant: vel ea etiam ad uſum aliquem pium domum ſecum auferant. Vas ſingulis hebdomadis expurget diligenter Ædituus, & aqua recenti, quæ die Dominico ſemper conſecrabitur, repleat.

VII. Tectum reliquarum partium Eccleſiæ præcipuum munimentum, ſæpe a Syndicis inſpiciatur, ne ex ejus neglectu in totum ædificium vitium promanet. Si negligentes fuerint, pœnas luant promeritas.

VIII. Inter Chorum & Ædem ſacram ubique Crucifixi imago locetur, quæ prima in oculos ingredientium incurrat, & precantem populum continua intuens, ejus quam Chriſtus nobis in Cruce ſalutem peperit, commonefaciat; & quis Eccleſiæ Dominus, cum quo illic agendum & tractandum ſit, rudiores etiam ſine voce doceat.

IX. Altaria mappis lineis iiſque ternis (quarum intimam ſemper ceratam eſſe volumus) ſtrata ſint: nec tempore celebrationis aſſeribus cooperta, ſed nuda ad linea uſque, Cancelli lignei non nimis alti, nec nimium altaribus vicini, ut Sacerdotem celebrantem impediant. Quibusdam in Eccleſiis ab altero latere ſiſtenda candelabra ferrea, ne matronæ candelulas ſuas ipſi altari, ſed dictis candelabris ſine periculo incendii, affigant.

X. Crux ex ligno, lapide, vel alia materia affabre facta in omni omnino altari collocata perpetuo cernatur, eo duntaxat excepto, in quo alias efficta, vel picta fuit.

XI. Tabernaculum Venerabilis Sacramenti clatris ferreis, iiſque valde anguſtis conſtet, ne mures, vel alia ſeſe ad injuriam inferant; intus panno ſerico rubei coloris veſtiatur: vel ſaltem colore cæruleo ac ſtellis aureis ornetur; ac valde mundum ſit extrinſecus velis adverſus pulveres muniatur: locus ſit amplus & altus, ut in eo, (ubi alius commodior non eſt) infra octa-

octavam Corporis Christi, Venerabilis Sacramenti Monstrantia, post Divina officia recondi queat: solum tabula quadrata populea (nucea enim & querna contra humiditates vim nullam habent) serico panno vestita sternatur, tabulæ corporale mundum (sine quo nunquam & nusquam Venerabile Sacramentum, aut vasculum illud continens, deponi vel collocari debet) supponatur: in supposito corporali pyxis locetur, in pyxide Sacramenti Hostiæ resideant. Hoc vero vel ad cornu Evangelii in pariete more Germanico; vel (quod mallemus) semper in summo Altari, more Romano constituendum erit.

XII. Sacræ Campanæ sacris, & non prophanis (quoad id fieri potest) significationibus deserviant. Nec ullæ ad Divina officia pulsentur, quam ab Episcopo benedictæ fuerint.

XIII. Ter in die, mane, meridie, & vesperi signo campanæ populus ad orationem moneatur, ut meminerit, si non sæpius, saltem his tribus temporibus esse orandum.

XIV. Reliquiæ novæ sine nostro consensu ne proponantur, veteres in loco sacro decenter & cum honore convenienti retineantur, & populo devoto ad minimum semel in anno, præscripto aliquo die solenniori ex ordine & nomine demonstrentur, facibus accensis, vel candelis; Sæpius autem, in solennioribus nempe Festivitatibus omnes, vel aliquæ earum ad venerationem in altaribus exponantur.

XV. Imagines laceræ, indecoræ, procaces, obscœnæ, ignotæ, novæ, superstitiosæ, aliaque omnia, quæ fidelium mentes distrahunt aut offendunt, ex omnibus locis sacris ejiciantur.

XVI. Albæ, & cæteræ vestes sacræ, non laceræ, non sordidæ, non indecentes sint, sed pro facultate cujusque loci honestissimæ. Ex albis & humeralibus scutula aufferuntur: crux acu picta, amictui, stolæ, manipulo inseratur.

XVII. Colores Ecclesiastici sunt, albus, niger, rubeus, viridis & violaceus. Hi in casulis, stolis, manipulis, velis, ornamentisque aliis apparere debent, & pro temporum ac solennitatum varietate adhiberi. Quot autem colores sunt, tot genera vestium, aliorumque paramentorum in singulis Ecclesiis esse præcipimus.

XVIII. Tot, & tam pretiosos calices quæque Ecclesia habeat, quot, & quales cultus illius Divinus, Missarum frequentia, & redituum amplitudo requirit. Unusquisque calix habeat ad minus tria corporalia: totidem pallas, & octo purificatoria. Reliqua suppellex pro facultate cujusque loci paretur.

XIX. Corporalia fiant ex tela candida & tenuissima; longa duabus spithamis & semisse: paulo latiora: simplicia omnia, nulla duplicata; amylo post lotionem leniter roborata, ne intractabilia evadant. Aurum, sericum, vel ullum aliud ornamenti genus, non nisi in eorum fimbriis toleretur. Quæ rimas habent aut foramina, maxime circa medium, ab altaris ministerio penitus removeantur. Alternis semper mensibus mutentur: summa semper mundities niteat. Et quoniam quorundam crassa & pudenda hac in re est negligentia, districte & sub pœnis arbitrio nostro infligendis præcipimus, ut, quæ de his statuimus, in continenti executioni mandentur, ac inviolate serventur. Quod si qui segniores reperti fuerint, pecuniarias & corporales pœnas, omni excusatione secluſa, irremissibiliter experientur.

XX. Pallæ sint ea magnitudine, ut calicem ubique contegant: ex eadem tela constent, qua corporalia, seu duplicata, & amylo uberius fortificentur, ut firmius extensa permaneant: formæ quadratæ.

XXI. Purificatoria, quibus calix extergitur, ex pura & candida tela, ut non nimis crassa, ita nec omnino tenui confici volumus longa duabus spithamis, una & semisse lata: in cujusque medio, & simul in quatuor initiis, sive angulis crux serica, vel ex simplici filo acu pingatur, ut ab aliis panniculis discerni queant. Ubi plures eadem die, ex eodem calice sacrificant, purificatoria singulis septimanis mutentur, alias alternis hebdomadis, vel singulis mensibus

sibus, prout usus eorum frequentior aut rarior fuerit, renovari satis erit. Denique quæ de corporalium munditie paulo superius ordinavimus, eadem de purificatoriis, & aliis vestibus, ac sacri ministerii vasis omnino intelligi volumus. Turpissimum nempe est, mensas prophanas elegantius ac nitidius instructas videre, quam Divinam, in qua sacrum illud convivium, in quo Christus sumitur, mens impletur gratia, & pignus futuræ gloriæ datur, spectante Deo ac Angelis, peragitur.

XXII. Urceoli tot sint in quaque Ecclesia, quot Missarum & Sacerdotum frequentia requiret; literis A & V in summo operculo inscripti, ut qui vino, quive aquæ fundendæ serviant, primo aspectu discerni possit. Ex stanno fiant vel argento: aqua vinumve per noctem, vel etiam magnam diei partem in iis ne relinquatur, sed illico post Missarum finem quotidie magna cura ablui, abstergi, ac in locis suis reponi debent, ut in suo semper nitore, quantum fieri poterit, perseverent.

XXIII. Ampullæ Chrismales sint tres digitos transversos alte, tam vero amplæ, ut pollicem Sacerdos inferre & referre commode possit. His Olea Sacra bombyci, ne affluant, superintusa, conserventur. Tres autem esse debent; in quarum prima S. C. in secunda O. C. in tertia O. I. majusculis literis incisa legantur; ut quæ Sacrum Chrisma; quæ oleum Catechumenorum; denique quæ oleum Infirmorum contineat, statim dignosci queat. Quas ampullas bene mundatas mittent Parochi & Curati ad Decanos suos quotannis in hebdomada sancta, ad olea recens consecrata ab eis auferenda: mittent autem in capsella lignea inclusas: capsella in tres partes distincta sit, quarum quælibet ampullam unam capiat: & intus quidem serico rubeo circumamicta, foris autem corio decenter contecta, seraque ac clave munita sit. Ne autem fraudis, alteriusve injuriæ suspicioni locus aperiatur, capsulæ apertæ (clavi domi retenta) a Parochis mittantur; clausæ vero remittantur a Decanis.

XXIV. Quæ vasa, vel vestes benedici vel consecrari, juxta Ecclesiæ præscriptum debent, prius ne ad usum sacrum adhibeantur. Calices, patenæ, & alia, quæ Chrismate liniuntur, a solo Episcopo consecrantur: nullis aliis consuetudo etiam longissimi temporis suffragetur. Alia ab iis benedici poterunt, quibus hanc facultatem ex antiquissima & immemorabili consuetudine facultatem dederimus, vel qui privilegia habent, de quibus Nobis fidem fecerint.

XXV. Cœmiteria septa sint & semper clausa, ne pecudes illic pascantur: omnibus sordibus & arboribus prorsus vacua: nihilque in eis prophanum fieri permittatur.

XXVI. Intra Cœmiteria sit 1. locus aliquis, in quo mortuorum ossa Majorum more, tum ad expurganda sepulchra: tum ad fidelium mentes movendas apto ordine componantur.. 2. Locus alius, ubi feretrum & alia instrumenta funeralia recondantur. 3. Vas unum (vel plura majuscula) pro aqua benedicta cum aspersorio, quod auferri nequeat. 4. Si non Capella, vel Ecclesia, certe Christi Salvatoris crucifixi imago ex lapide lignove pro loci magnitudine erigatur. 5. Sepulchris singulis singulæ Cruces, Catholicæ fidei, spei & charitatis monumenta, impositæ conspiciantur.

XXVII. In Cœmiteriis, aliisve locis sacris, infideles, hæretici, schismatici, publice excommunicati, nominatim interdicti, blasphemi, omnesque alii absque ullo pœnitentiæ signo vita perfuncti, humari nullo modo debent: sed Catholici duntaxat, quos probabile est ex hac vita ad beatam illam abiisse. Quod si quis scienter contrarium fecerit, is hoc ipso ab officio & beneficio suspensus sit.

XXVIII. Infantes Christianorum ante Baptismum decedentes non in communi fidelium Cœmiterio, sed in loco separato, neque tamen consecrato sepeliantur. Hunc autem locum muris septum, extra vel etiam intra consecrata Cœmiteria, ubi nondum est, primo quoque tempore ubique parari, nec interea ea in sacrum locum ullum talem infantem inferri sub pœna privationis, & aliis arbitrio nostro repetendis, serio mandamus.

XXIX.

Digitized by Google

XXIX. Denique, ſi quæ Cœmiteria ſunt ab Epiſcopis nondum conſecrata, vel poſt conſecrationem quovis modo prophanata, de iis ad Nos, Paſtores quamprimum referre volumus: Interim vero dum conſecrentur, aut reconcilientur, in iis fidelium nullus ſepeliatur.

De Feſtis Eccleſiæ.

I. QUia dies Feſti in qualibet Diœceſi, juxta Sacros Canones, uniformiter obſervandi ſunt, ne confuſio accidat, Nos præter Dominicos dies, ab omnibus per Diœceſin noſtram obſervandas decernimus, ſeptem Solennitates Chriſti: videlicet Nativitatis, Circumciſionis, Epiphaniæ, Aſcenſionis, Sacramenti Corporis ac Sanguinis ejusdem: Reſurrectionis, & Pentecoſtes cum duabus diebus immediate ſequentibus. Quatuor Feſtivitates B. Mariæ Virginis, nempe Annunciationis, Purificationis, Nativitatis & Aſſumptionis: omnia Natalitia Apoſtolorum: Converſionem S. Pauli: Nativitatem S. Joannis Baptiſtæ: Feſtum S. Stephani Protomartyris: Sanctorum Innocentium, S. Georgii, S. Viti, S. Mariæ Magdalenæ, S. Laurentii, S. Michaëlis, S. Martini, S. Catharinæ, S. Nicolai, & Feſtum Omnium Sanctorum.

II. Præter hos ſunt quidam alii dies, qui locorum particularium devotione aut voto coluntur, hos iis in locis, ubi ab antiquo recepti fuerunt, toros ad inſtar aliorum celebrari ab omnibus uniformiter tam in Choro, quam in foro præcipimus.

III. Quoniam autem Sanctus Caſſianus, Ingenuinus, & Albuinus Patroni ſunt præcipui Eccleſiæ Brixinenſis, per quos Evangelium ad nos præcipue pervenit: ideoque eos merito veneramur, ordinamus & ſtatuimus, ut per totam Diœceſin noſtram, Feſtum S. Caſſiani 13. SS. Auguſti, Ingenuini & Albuini 5. Februarii tanquam duplex in Choro, & ſimul in foro, ſolenniter celebretur.

IV. In prædictis vero Feſtis interdicimus omnibus & ſingulis omnia opera ſervilia, aliaque omnia illicita, ut comeſſationes, ebrietates: Contra vero ut quisque rei Divinæ, orationi, & pietati vacet, Concionem, Miſſæque Sacrificium integrum audiat, edicimus.

V. Prohibemus etiam omnibus Magiſtratibus, & Judicibus ſæcularibus, ne cuiquam ex prædictis Feſtis violandi, ſeu prophanandi licentiam concedant, ſed eos, qui ab ipſis licentiam, hujusmodi requirunt, ad Epiſcopum, ejusve Vicarium, vel Paſtorem loci, ad quorum cognitionem Feſta pertinere dignoſcuntur, remittant.

VI. Feſtum Annunciationis B. Mariæ Virginis, ſi quando in hebdomadam Sanctam ante Paſcha inciderit, Sabbato, aut feria ſexta (ſi Sabbato illo Feſtum novem Lectionum occurrat) ante Dominicam Palmarum, tam a populo, quam a Clerico in utroque foro celebretur.

VII. Feſtum S. Gregorii more jam recepto, 24. Aprilis die, ab omnibus conformiter celebretur. In Feſtorum concurſu & translatione Rubricæ Romanæ ſerventur.

De Jejuniis Eccleſiæ.

I. OMni feria ſexta & Sabbato (excipe feſtum Nativitatis Domini, quando in eos dies incurrit) cujusvis ſeptimanæ; & diebus Dominicis Quadrageſimæ per totum diem ſolum eſt abſtinentia a carnibus. Supra quam omnia reliqua jejunia (delectus enim ciborum iſtis in locis ſervari commode non poteſt) unicam præterea refocillationem corporis circa meridiem duntaxat admittunt. Quæ ab univerſis ætatem habentibus, nec legitime excuſatis ſub periculo peccati mortalis obſervanda ſunt.

II. Jejunia vero ex præcepto Eccleſiæ ſervanda, (præter Quadrageſimam & quatuor anni tempora) ſunt Vigiliæ Pentecoſtes, Nativitatis Domini, Nativitatis Joannis Baptiſtæ, Apoſtolorum omnium (exceptis Philippi & Jacobi, ac Joannis Evangeliſtæ) Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, S. Laurentii Martyris, & omnium Sanctorum. Hæc mature pro concione denunciabunt Parochi & Concionatores, ne quis forte eum non jejunat, ullum ignorantiæ

rantiæ & inobedientiæ ſuæ prætextum obtendere poſſit.

III. Si feria ſecunda Feſtum occurrerit celebrandum, quod habet Vigiliam, Sabbato præcedenti jejunetur, nec ulterius trahatur vigilia, quamvis in Sabbatum aliud jejunium incidat.

IV. Caveant fideles, ne dum a cibis ſeſe abſtinent, aliarum rerum delicias conſectentur, genioque ſuo indulgentes in ebrietates & alia peccata prolabantur, ſed in jejunio id præcipue ſtudeant, ut dum corpus ab alimentis abſtinet, mens pariter a culpa jejunet. Parum enim prodeſt homini corporis abſtinentia, ſi animus peccatis indulgeat: &, hoc eſt jejunium, quod Dominus apud Eſaiam delegit; bonis operibus ſtudere.

V. Si qui (quod Deus avertat) ita ſe immorigeros exhiberent, ut non ſolum jejunia ab Eccleſia præſcripta ſuſque deque haberent, ſed etiam diebus prohibitis carnis uſum ſibi nefarie permitterent, eos ſi publice deprehenſi, aut diffamati ſunt, ſine publica pœnitentia in Eccleſiam non eſſe recipiendos; & quamdiu eam non obierint, neque poſt mortem ad ſacram ſepulturam admittendos eſſe decernimus.

De Jure Patronatus.

I. PAtroni Eccleſiarum, aut beneficiorum quorumlibet Eccleſiaſticorum, ſive Eccleſiaſtici, ſive ſæculares, ſolum jus habent nominandi & præſentandi Beneficiarium Epiſcopo loci: alia omnia jura beneficiorum de jure ad Epiſcopum pertinent.

II. Literæ, ſeu jura Patronatuum, juxta Concilium Tridentinum recognoſci volumus; quare omnes & ſinguli eas Viſitatoribus noſtris in viſitatione proxima exhibeant, vel ipſo facto jus ſuum amittant.

III. Mandamus etiam omnibus Eccleſiaſticis Patronis, ut intra ſex menſes; Laicis vero, ut intra quatuor menſes a die vacationis cujuslibet beneficii idoneam perſonam Nobis præſentent, quam Canonice examinatam vel admittamus, vel repellamus: quod ſi ipſi neglexerint, Nos eorum negligentiam authoritate noſtra ſupplebimus.

IV. Semel præſentatos, & per Nos legitime admiſſos, vel inveſtitos, nemo audeat amovere, vel in officio ſuo impedire, vel ullo modo, ſive publice, ſive occulte, per ſe, vel alios divexare, vel ad reſignationem cogere; vel alios authoritate propria aſſumere ſine noſtro conſenſu, ſub pœna excommunicationis & amiſſionis Patronatus. Contra intruſos vero, pœnis ſuſpenſionis & aliis arbitrariis procedi volumus.

V. Neque Clerici beneficia ſua Patronis reſignare, neque Patroni ejusmodi reſignationes acceptare præſumant: ſed nec poſt reſignationes Ordinario loci factas, prius alium offerant, quam Nos eas, earum cauſis examinatis, approbaverimus.

VI. Nemo juramenta aut promiſſiones Simoniacas, vel alias illicitas a Præſentandis extorqueat, vel etiam ſponte oblatas acceptet: Nemo penſionem præſentatis imponat ſine noſtra, aut Sedis Apoſtolicæ authoritate: nemo de bonis Eccleſiæ quidquam quovis prætextu ſibi uſurpet, ſed omnia Sacerdoti legitime inſtituto integre relinquantur. Si qui ſecus fecerint, contra eos debitis pœnis progrediemur.

De Vicariis & incorporatis Eccleſiis.

VIcarii perpetui vel temporales ſine noſtro, aut Vicarii noſtri, vel Archidiaconorum, ſi qui fuerint, quibus id ſpecialiter concederetur, expreſſo conſenſu, nec aſſumantur, nec amoveantur. Tantam autem illis proventuum portionem aſſignare convenit, quanta ad jura Epiſcopalia ſolvenda, & vitæ ſuſtentationem commodam ſufficiat. Quod niſi fiat, Nos ex officio noſtro, ut Eccleſiæ debitis officiis non fraudentur, juxta S. Concilium Tridentinum primo quoque tempore ei rei modum ſtatuemus.

De Immunitate Eccleſiæ.

UT Eccleſiæ ipſæ, ita & bona ac perſonæ ejus, juxta Leges Canonicas & Civiles, ad ſolum forum Eccleſiaſticum pertinent; pœnæque graviſſimæ in eos decretæ ſunt, qui alio trahunt: quas Nos hic omnes expreſſe reno-

renovamus, & ſtatuimus, quæ ſequuntur.

I. Ne Clerici ſe mutuo ad ſæcularia judicia trahant : aut ſi ab aliquo iſthuc citentur, ne compareant, neve reſpondeant, ſed ad Nos id deferant.

II. Ne quis Clericum ad ſæculare tribunal trahere præſumat ; neve Clericus ad Judicem civilem confugiat, vel appellet: ſi quis attentáverit, eo ipſo cauſa cadat.

III. Ne quis Clericum in vincula, contra noſtram voluntatem, & Canonicas Sanctiones, conjiciat, aut injurioſe percutiat, tractetve : nemo Clericos ad munera vel officia civilia, præſertim ſordida, aut prophana, ludicra, eoque ſtatu indigna cogat; nec ad ea Clerici ſe demittant.

IV. Si quem delinquere contingat, is ad Nos, aut Vicarium noſtrum deferatur, ut eum vel ſimpliciter citari, vel perſonaliter apprehendi curemus. Quod ſi in mora periculum ſit, etiam Magiſtratui civili fas ſit, talem vinctum ad Nos transmittere.

V. De iis, qui ad Eccleſias, vel alia loca ſacra confugerint, Vicarium noſtrum quam primum certiorem fieri volumus; ut, quid fieri debeat, decernamus. Non poſſit autem civilis Magiſtratus (extra caſus a jure permiſſos) citra noſtram expreſſam licentiam, quemquam inde extrahere.

VI. Decimæ integre & ſine fraude ſolvantur. Hoc Confeſſarii & Prædicatores urgeant. Speramus etiam Judices civiles in cauſa tam pia & juſta Eccleſiæ non defuturos. Defraudatores a Nobis excommunicabuntur, eorumque abſolutio ad Nos, vel quibus Nos eandem commiſerimus, pertineat.

VII. Qui bona Eccleſiarum ſcienter occupant, aut injuſte detinent, niſi infra annum a Synodi hujus publicatione reſtituerint, eos excommunicationis pœnam eo ipſo incurriſſe declaramus. Eidem pœnæ ſubjicimus, qui ſcienter ejusmodi bonorum occupatores, vel detentores non manifeſtaverint. Hoc vero Decretum, ſemel ad minimum in anno in ſingulis Parochiis publicetur.

VIII. Quod Magiſtratus civilis in ædibus Canonicis ex officio diſponat, agatve, nihil omnino eſt : cum hujusmodi domus non minus, quam Eccleſiæ ipſæ immunitatis jure gaudeant. Si quis prophanus in Sacra involare præſumpſerit, gladio ſpirituali arceatur.

De bonis & juribus Eccleſiæ.

I. NE jura Eccleſiarum minuantur, pereantve, ſed integra conſerventur, ſummopere cavendum eſt. Quod Nos omnibus & ſingulis Prælatis, Decanis, Capitulis, Beneficiariis in virtute obedientiæ injungimus.

II. In ſingulis Eccleſiis, Monaſteriis, aliisque locis piis liber ſit, in quo bona, redditus, cenſus, domus, terræ, prædia, decimæ, aliaque jura quæcunque clare, & diſtincte conſcribantur, ne quid cedente, vel decedente Beneficiario, ad Eccleſiam damni redundet.

III. Bona Eccleſiæ hypothecæ ne ſubjiciantur, niſi graviſſima neceſſitas, eaque Nobis propoſita & approbata urgeat; & utilitas evidens Eccleſiæ ſuadeat. Obligationes, quæ alio quocunque modo fiunt, irritamus, & nullas eſſe declaramus.

IV. Literæ originales, Regiſtra, & alia quæcunque munimenta, quæ vetuſtate facile conſumuntur, & quæ jam quaſi conſumpta ſunt, infra ſemeſtre, poſt Synodi hujus publicationem in authenticam formam tranſumpta, ac Prælati ſigno obſignata, in qualibet Eccleſia, vel loco, cujus propria ſunt, ſub tuta & fideli cuſtodia trium clavium, (quarum unam Prælatus vel Parochus, alteram Oeconomus, tertiam Decanus habeat) cum aliis munimentis conſerventur.

V. Literæ beneficiorum non apud Beneficiarios, ſed in Eccleſiæ cujusque Archivio aſſerventur : ad quam cuſtodiam, ut intra ſex menſes omnes & ſinguli ſuas literas authenticas deferant, ſub pœna arbitrio noſtro eis infligenda mandamus. Quas Decani in domibus mortuorum forte invenerint, in eandem recludi curent: & neque illas, neque alias inde ſine ſpeciali Vicarii Ge-

neralis, aut Archidecani ſui mandato, unquam efferri patiantur. Negligentes, ſi quid interim perierit, omne damnum reſarciant, & graviter puniantur.

VI. Oeconomi, Syndici, Adminiſtratores officio ſuo ne deſint, bona Eccleſiarum juſtis modis augeant: non in uſum ſuum, vel alterius, ſed in Eccleſiæ & cultus Divini convertant: ſingulis annis accepti, & expenſi rationem coram deputatis faciant.

VII. Abuſum autem illum grandem, quo poſt rationes abuſus ratiociniorum, &c. etiam profuſa convivia, aut compotationes, Eccleſiæ ſumptibus fiunt, omnino ſublatum volumus. Indigniſſimum quippe eſt, eleemoſynas piorum toto anno congeſtas, uno die tam indigne, quam in quibusdam locis fieri accepimus, abliguriri. Quod ſi Chriſtiana charitas ita refrixit, ut Eccleſiæ ſuæ nemo ſine mercede, ac ſuperfluis ſumptibus ſervire velit, ſervetur, quod hac de re etiam lege municipali ſtatutum eſt.

VIII. Ultra triennium uni eidemque homini adminiſtratio citra noſtrum conſenſum ne committatur, aut relinquatur. Qui debita non ſolidarunt in ſingulos annos: vel reliqua non integre perſolverunt; tam ipſos, quam hæredes ipſorum ad illius Eccleſiæ adminiſtrationem, cui aliquid debent, donec integre debitum perſolverint, omnino inhabiles eſſe declaramus.

IX. In Villis, & Pagis, ubi, qui legere, & ſcribere norint, pauci ſunt, Oeconomis electis Curatus loci ſemper adjunctus eſſe intelligatur; qui unam ex clavibus gazophylacii, ſeu trunci, & capſæ pecuniarum habeat, accepta, & impenſa omnia, & ſingula clare, diſtincte conſcribat, ut rationum tempore omnia inſpici queant.

De Monaſteriis.

QUod arces bene munitæ ſunt in Regno, id faciunt Monaſteria bene inſtituta in Eccleſia Dei; ac proinde totius etiam populi Chriſtiani intereſt, de Monachorum, aliorumque Religioſorum reformatione, ſerio cogitare; ac quæ ea de re jam ſancte conſtituta ſunt, executioni mandare. Quod, ut citra dilationem fiat, diſtricte præcipimus, quæ ſequuntur.

I. Vota ſubſtantialia in omnibus Cœnobiis tam virorum, quam mulierum, veraciter obſerventur.

II. Regularis vitæ peſtis perniciosiſſima, eſt proprietas: hujus nomen ne quidem ferendum cenſemus: & quæ ei occaſionem, & fomenta ſubminiſtrant, ex omnibus Monaſteriis penitus auferenda decernimus.

III. Victus, veſtitus, cæteraque vitæ ſubſidia ſingulis ex communi pro neceſſitate indigentiæ, & Monaſterii facultatibus, prompte, hilariter, non ſordide, nec in pecuniis, ſed in ſpecie rerum præbeantur.

IV. Penſiones vitales, aut reditus perpetuos nullus quovis prætextu recipere, neque ratione officiorum, vel miniſteriorum pecuniam corradere, aut conſervare permittatur, ſed omnia in communem uſum convertantur.

V. Nemo pecuniam, vel aliud quidpiam proprium apud ſe, vel alium habeat: imo ne quidem apud Priorem ſuum, vel alterius nominis Superiorem, ut vere dicere poſſit: hoc eſt meum, & non commune, ac pro ſua voluntate uti queat: nec bona immobilia ad uſumfructum, vel adminiſtrationem poſſideant.

VI. Ut viri a mulierum, ita mulieres a virorum Cœnobiis penitus excludantur, nec intra clauſtrum eis ullus pateat aditus, niſi de Superioris, vel Epiſcopi licentia in ſcripto obtenta, & in cauſis plane neceſſariis.

VII. Hoſpites in virorum Monaſteriis, juxta Regulam excipiantur in menſa Superioris, vel alio honeſto loco: ſit tamen menſa frugalis; abſit ebrietas, & potatio ad æquales hauſtus, & alia omnia Religioſis indigna: ſed nec nimium protrahatur refectio; nec deſit ſacra lectio. In Monaſteriis vero Monialium nulli omnino recipiantur hoſpites, per noctem illic manſuri.

VIII. Ad Divinum Officium omnes ſimul in Eccleſia conveniant: in eodem refectorio omnes comedant: & in eodem dormitorio cubent: niſi quos

ætas, aut infirmitas, vel aliud legitimum impedimentum excuſet. Ad dormitorium autem ſe recipiant mox poſt Completorium, & ſic claudatur, ut nemo inde exire poſſit, ſine Superioris conſenſu. Omnia juxta Regulam cujusque Ordinis, & Monaſterii fundationes, & laudabiles conſuetudines intelligendo.

IX. Bibliothecæ ubique bonis libris inſtruantur; a prohibitis repurgentur.

X. Officia Monaſterii pro cujusque dignitate: non ex gratia, vel alia quavis de cauſa diſtribuantur.

XI. Qui bona temporalia curant, ut Cellerarii, Burſarii, aliique quotannis coram Superiore, & Senioribus accepti, & expenſi rationem reddant. Prælatus autem eandem quotannis Conventui ſuo faciat: & deinde a Conventu ſubſcriptam ad Epiſcopum mittat; vel quando Epiſcopus requiſiverit, eidem reddere paratus ſit.

XII. Monachi, aliique Religioſi non in Eccleſiis incorporatis, ſed omnes in Monaſteriis vitam communem agant, niſi aliud Regula permiſerit, & Superior cum Capitulo ſuo expreſſe conſenſerit, ac Nos eorum ſententiam approbaverimus. Quin tamen curam animarum in iis exerceant, non prohibemus, modo alias apti ſint, & a Nobis approbati. Qui vero alia de cauſa extra Monaſteria ſua degunt in noſtra Diœceſi, ut intra tres menſes ſe Superiorum ſuorum obedientiæ ſubjiciant, ſub pœna carceris, & relegationis imperamus.

XIII. Vagabundi Monachi in habitu Sacerdotum inquirantur, & ad Monaſteria ſua omnibus modis revocentur, ac mittantur. Apoſtatæ, & fugitivi juxta cujusque Ordinis diſciplinam, Regulam, & probatum morem, pœnitentes benigne recipiantur, nec pro exceſſibus graviores eis pœnæ, quam in Canonibus Sacris, & Regulis expreſſæ ſunt, imponantur.

XIV. Quæ Monaſteria Parochias incorporatas habent, ut idoneos Parochos habere queant, duos ad minimum juvenes in celebri aliquo Gymnaſio alere teneantur: alioqui Nos illis Eccleſiis pro authoritate noſtra providebimus.

XV. Virtus, & doctrina præcipua ſunt Monaſteriorum ornamenta: virtutem docent Regulæ cujusque Ordinis, quas Nos ab omnibus exactiſſime ſervari volumus. Ut docti autem viri parentur, ſemper duo ex junioribus Profeſſis, vel ſi id nulla ratione fieri poſſit, ſaltem unus ex omnibus & ſingulis Cœnobiis in Studiis uſque ad ſecundum Theologiæ annum alantur. Quod ut faciant Prælati, id omnibus & ſingulis in virtute obedientiæ injungimus, ac ſub pœnis arbitrariis etiam diſtricte præcipimus.

XVI. Capitulares congregationes ad diſciplinæ monaſticæ conſervationem ſingulis ſeptimanis ad minimum bis, vel juxta cujusvis Ordinis Regulas etiam ſæpius habeantur; in quibus, quæ contra honeſtatem, vel Ordinis Regulam admiſſa fuere, puniantur. His etiam ipſos Prælatos intereſſe, volumus.

XVII. Nullos Prælatorum mutuum ſumere, vel æs alienum contrahere ſupra centum Rhenenſes, ſine noſtro ſpeciali conſenſu præſumat.

XVIII. Intelligant Religioſi, ſe nihil poſſidere proprium, uſum habere in vita, poſt mortem nullum teſtandi, aut diſponendi actum habere, aut habere poſſe, etiam conſentiente Superiore. Quin nec inter vivos ſine licentia Superioris ſuis quidquam donare valent, omni rerum proprietate per profeſſionem exuti.

XIX. In menſa communi (cui etiam Superior intererit, quoties per alia licebit) ne deſit ſpiritualis lectio, qua corporales cibi ſuaviter condiantur. Liber autem nullus legatur, quem Superior, & Confeſſarius ordinarius non approbaverit.

XX. Silentium, Obedientia, Charitas, Humilitas, ac reliquæ Chriſtianæ virtutes Religionum gemmæ ſunt: quibus Religioſos inprimis exornatos eſſe deſideramus.

XXI. Regula Ordinis omnibus, & ſingulis intra menſem prælegatur, ita ut ſinguli ſingulis menſibus eam vel legendo, vel audiendo abſolvant: id,

Digitized by Google

quod in Triclinio, vel Capitulo, ubi omnes convenire ſolent, fieri commode poterit.

XXII. Qui Sacerdotes non ſunt (niſi ſæpius ex Regula ſua obligentur) ſaltem ſemel quot menſibus Sacramentalem peccatorum ſuorum confeſſionem faciant, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant. Sacerdotes autem ter ad minimum per hebdomadam celebrent; & Sacramentaliter confiteantur, quoties peccati mortalis conſcientia eos urgebit, ſed ita tamen, ut confeſſionem ejusmodi ultra decimum quartum diem nunquam differant. His attribuatur Confeſſarius prudentia maturus, vita, & doctrina probatus. Ut ſæcularibus Sacerdotibus, vel quilibet cuilibet confiteatur, non eſt ferendum. Si domi aptus non ſit, aſciſcatur communi conſenſu aliunde, præſertim vero ex Religione aliqua, cui omnes ſimul confiteantur.

XXIII. In ſingulis Monaſteriis ſit locus aliquis ſeparatus, in quo Novitii inſtituantur; in quo omnes quamdiu in probatione erunt; hoc eſt, per annum integrum morentur. Quin ad publicos tamen Conventus, ut & alii omnes, qualis eſt Capitulum, Chorus, Refectorium, exeant, non impedimus.

XXIV. Novitiis aſſignetur vir pius, prudens, ac doctus, qui eis Regulam explicet; ad vitam Regularem verbo, & exemplo inſtituat; ad pietatem informet; ad virtutis amorem inflammet; & in iis, quæ Ordinis ſunt, & Regularum, exerceat; ut quid profeſſuri ſunt, non tantum ſciant, ſed etiam uſu & experientia didicerint.

XXV. Novitiatum ſingulis menſibus Abbas, vel Superior cum uno ex Senioribus viſitet; & ſtatum illius, & Novitiorum diſciplinam, & Magiſtri eorundem diligentiam ad minimum bis in anno Epiſcopo ſignificet.

XXVI. Curent Abbates, Præpoſiti, aliique Regularium Superiores habere Ludimagiſtrum aliquem eruditum, & bonæ famæ, qui juniores ſtatim a Profeſſione, imo, & Novitios (ſi expedire videbitur) ſaltem in Grammaticis inſtituat, atque ad Scholas, ad quas mitti debebunt, altiores diſponat. Habeant præterea Theologum, qui Sacerdotes, aliosque in iis, quæ Regulam, conciones, caſus conſcientiæ, & id genus alia reſpiciunt, omni, qua poteſt, diligentia, juxta S. Tridentini Concilii diſpoſitionem inſtruat.

XXVII. Nemo Profeſſionem Religionis faciat ante decimum ſextum annum ætatis expletum, & qui per annum integrum poſt habitus ſuſceptionem in probatione non ſteterit. Profeſſio autem antea facta ſit nulla. Ita Sacra Tridentina Synodus ſanxit, & multa alia eodem pertinentia, quæ omnia Nos inviolabiliter ſervari præcipimus.

XXVIII. Nemo, cujuscunque dignitatis, vi, metuve aliquem cogat, vel dolo malo ad Religionis profeſſionem inducat; maxime vero id in virginibus, viduis, & quibuscunque mulieribus caveri volumus; cum Tridentinum Concilium eos, qui id fecerint, excommunicationis vinculo conſtringat.

XXIX. Nihil a Regularibus in ingreſſu Monaſterii præter honorem Dei, & ſalutem animarum quæratur: ſed nec ipſa Monaſteria, vel eorum Præfecti, aut Præfectæ, vel aliquis eorum nomine, ab illis, qui profeſſionem faciunt, profeſſionis nomine pecuniam aliquam, aut quævis bona Novitii, aut Novitiæ, neque convivia cujusque conſuetudinis prætextu exigant. Nihil etiam ex Novitii, Novitiæve bonis ante illorum profeſſionem, etiamſi ſponte offeratur (excepto victu, & amictu illius temporis, quo in probatione ſunt) accipiant.

XXX. Caveant Prælati, ne ex bonis, aut fructibus Monaſterii ſui, ditent ſuos amicos, vel propinquos, neve quidquam ut proprium ipſi poſſideant, vel aliis poſſidendum, aut donandum relinquant.

XXXI. Regulares, ad quos cura animarum quovis jure pertinet, ut munera Parochiæ, ſicut & ſæculares Curiones, cum omni diligentia exerceant, authoritate Concilii Tridentini præcipimus: Ad congregationes Capitulares cum aliis Parochis conveniant, & in Eccleſiis ſuis dictos Conventus habeant; prandium etiam, cum opus fuerit, præbeant.

XXXII.

Digitized by Google

XXXII. Si qui vero (quod abſit) audiendarum confeſſionum, aut concionandi officium non ita ſincere, & cum ædificatione gererent, aut imperitiores eſſent, eos quamprimum ab officio ſuſpendi, vel omnino removeri volumus.

XXXIII. Habitu & veſtitu utantur omnes decenti juxta Regulæ præſcriptum & conſuetudinem laudabilem; neque tam veſtibus, & corporis cultu ac munditie, quam vitæ innocentia, ac morum integritate & ſimplicitate hominibus placere ſtudeant. Unius autem, & ejusdem Ordinis ac Regulæ uniformis ſit habitus; quem Sacri Canones ſine legitima cauſa absque periculo cenſurarum, ne ad breve quidem tempus deponi permittunt. Idcirco ordinamus, & mandamus, ut habitus domi, & foris ab omnibus, & ſingulis, tam Superioribus, quam interioribus conformiter geſtetur, nec ita deponatur, vel deformetur, vel transformetur, vel occultetur unquam, ut certum, & notorium indicium Ordinis non ſit.

XXXIV. Magna cura habeatur ægrotantium, & debilium: iis Religionis præſcripta relaxentur, potus, victus, locus, & omnia alia, quæ ſanitas exigere videbitur, prompte, hilariter, & magna cum charitate ſubminiſtrentur: atque id fiat de Medici conſilio, ne morbus incrudeſcat, & radices agat. Ordinentur quoque ad eorum curam perſonæ idoneæ, ex eodem Ordine, vel aliunde (non tamen fœminæ viris, aut fœminis viri) quæ non ſint morosæ, nec difficiles, ſed in omni manſuetudine & lenitate iis inſerviant, ac neceſſaria miniſtrent.

XXXV. Religioſi ſinguli ſingulas ſuas cellas, & lectos habeant: duo in eadem cella ſimul, multo minus in eodem lecto ne dormiant: Examen conſcientiæ ad minimum ſemel in die faciant: colloquia vana, inutilia, turpia, petulantes ſermones, jocos obſcœnos, &c. abominentur, ſanctum ſilentium juxta Regulam ſancte colentes: a charmarum, aliisve inhonestis, vel illicitis ludis penitus abſtineant: otium tanquam peſtem fugiant, honeſtis exercitiis (exceptis horis, quæ cultui Divino, ſtudio literarum, lectioni librorum, præſertim ſpiritualium, honeſtæ poſt cibum recreationi, ac propriorum officiorum functionibus dantur) ſeſe occupantes. Nihil in Templo, Choro, vel Monaſterio agant, quod illic expedire non conveniat, vel indecorum, aut turpe ſit: ſint omnes unanimes, ita ut plures cor unum, & animam in Domino habeant: abſint procul lites, jurgia, odia, invidiæ, & ſimiles Religionum peſtes, ſed omnes ſe mutua charitate & dilectione in Domino complectantur.

XXXVI. Abbates, Præpoſiti, aliique Religionum Præfecti nuſquam a ſuis Monaſteriis abeant, niſi prius cauſa per Epiſcopum cognita & probata diſcedendi licentiam Canonice obtinuerint: quæ Nos ſuperius de Miniſtrorum Eccleſiæ reſidentia ex Sacris Canonibus ſancivimus, ad ſe imprimis pertinere intelligentes.

De Monialibus.

QUæ de viris ordinavimus, eadem & de mulierum Cœnobiis ſuo modo intelligi volumus. Et quæ in S. Tridentina Synodo de utrisque ſancte ſtatuta ſunt, eadem ab utrisque ſancte ſervari cupimus. Propria autem Sanctimonialium ſunt, quæ ſequuntur.

I. Præter ordinarium Confeſſarium, cui ſingulis menſibus omnes ſimul confiteantur, ut eis ter, aut quater in anno Extraordinarius offeratur, qui ſimiliter omnium confeſſiones excipiat, Vicarius noſter Generalis diligentiſſime curet.

II. Clauſuram Conventus mulieres æque, ac viri ſtrictiſſime ſervent, nullum virum, puerum, nuncios, literas, munera, fœminas ſine expreſſa Abbatiſſæ, Matris, aut Præfectæ licentia, & in cauſis extreme neceſſariis admittentes: nunquam exeant (quæ alioquin omnino clauſæ non ſunt) niſi vel omnes ſimul, vel major earum pars cum legitima facultate, vel Religionis, vel ſanitatis cauſa ad hortum, vel Eccleſiam aliquam ire voluerint.

Digitized by Google

III. Ubi perfecta clauſura in uſu eſt, ea integre juxta Tridentini Concilii diſpoſitionem ſervetur ; ubi vero non eſt , quandoquidem Sacri Canones omnia mulierum Monaſteria claudere ſtrictiſſime jubent, Nos præſentium tenore omnibus & ſingulis denunciamus ; ſi ſponte non ſuſcipitur, cum primum gravius quid contra diſciplinam Regularem hac in parte (quod Deus avertat) admiſſum fuerit, omnimoda clauſura, etiam invitis (nulla alia monitione præmiſſa) imponetur.

IV. Nulla Monialis puellam ullam, ſive ex conſanguineis, ſive ex alienis apud ſe educare, & uſque ad profeſſionem in Monaſtica diſciplina in propria cella exercere præſumat, ſed omnes ad Novitiatum, uti de viris præcepimus, remittantur.

V. In Novitiatum autem nulla recipiatur ſine habitu Regulari ; ad habitum nulla, niſi duodecim annis major admittatur; ad Profeſſionem vero duntaxat poſt annum probationis abſolutum, & decimum ſextum ætatis expletum, quæ Epiſcopo, vel ejus Vicario de libero ſuo conſenſu, & voluntate pia certam fidem fecerint, recipiantur. Profeſſio autem fiat ſolenniter, & verbo expreſſo.

VI. Puellæ, quæ educationis, prout moris, & diſciplinæ cauſa in Cœnobiis degunt (quod non improbamus) in aliqua Monaſterii parte a Monialium habitatione, ſeparate degant, & ibidem erudiantur. Magiſtra omnium ſit una, quæ doctrinam Chriſtianam, modos orandi Eccleſiæ probatos, Litanias, Roſarium, Officium B. Mariæ Virginis, Pſalmos pœnitentiales, &c. recitare doceat: Item acu pingere, & alia, quæ locum, & ſexum illum deceant. Salarium pro qualibet aſſignatum totum Abbatiſſæ ſolvatur, unde victus puellis ; & Magiſtræ præterea laboris ſtipendium congruum ſuppeditetur. Alium educandarum puellarum omnem modum abrogamus, ac tollimus.

VII. Moniales ſolæ foras ne egrediantur : ad convivia, & nuptias ſæculares ne exeant. Extra Monaſterium ne pernoctent. Pecunias mutuo ſumere, æs conflare, proprias pecunias habere , nugigerulas alere , per internuncios ſæcularia tractare , & id genus alia, non Religionis, ſed mundi ſunt opera: Quæ Nos omnia, & ſingula ſub pœna excommunicationis prohibemus.

VIII. In miniſterio Abbatiſſæ, vel alterius Præfectæ viri, puerive ne ulli ſint.

De Hoſpitalibus.

I. PRima cura piis in locis ſit de animarum ſalute. Habeant ergo ſingula proprios Sacerdotes, vel ſi habere non poſſunt, a Parochis, in quorum jurisdictione ſunt, qualibet hebdomada ſemel ſaltem, & frequentius etiam, ſi opus fuerit, inviſantur, qui infirmos verbo Dei, Divinorum Sacramentorum adminiſtratione , aliisque modis conſolentur.

II. Omnes, qui locorum piorum ſumptibus aluntur, Feſtis anni ſolennioribus confeſſi, Sacram Euchariſtiam reverenter ſumant; ſtata vero hora quotidie in Eccleſia congregati, pro Benefactoribus pias ad Deum preces effundant.

III. Bona ad alium uſum, quam inſtituta ſunt, ne avertantur ; ad primam inſtitutionem omnia citra moram revocentur ; quæ viduis deſignata, iis viduæ ſolum alantur ; quæ aliis deputata fuere , ex iis illi, non alii vivant. Neque inpoſterum ulla mutatio circa res pias ejusmodi fiat, niſi Nos ex cauſa legitima eam faciendam decreverimus.

IV. Hoſpitalarius, ſeu Paterfamilias vir ſit, cujus fides, pietas, innocentia, ſedulitas , charitas , gravium virorum teſtimonio commendata ſit: Matres vere ſint, quod appellantur, id eſt, pietate, & charitate flagrantes.

V. Mendicantes robuſti, indiſcuſſa cauſa ne recipiantur: perſonæ ſuſpectæ, vel inhoneſtæ penitus excludantur; miſerabiles ſolum admittantur. Nihil ab advenientibus, vel adeuntibus peregrinis accipiatur, nec ullæ turpes pactiones cum mendicis ineantur.

VI. Curent Hoſpitalarii, ne quid peregrini, advenæ, pauperes hoſpitio ex-

Digitized by Google

excepti contra Christianam pietatem, bonosque mores admittant. Quos possunt, corrigant, alios Nobis, aut locorum Curionibus denuncient, ut sæcularis brachii opera coerceantur.

De disciplina Cleri.

CLerici lux mundi, sal terræ, exemplum fidelium, & alia passim summa cum laude audiunt: quæ nomina ut re ipsa tueantur, vehementer optamus; & ut facere velint, in Domino rogamus: neque impune ferent, qui tam paterna monita non audierint.

I. Nemo mystacem alat; nemo barbam indecoram, vel quovis modo Ordine suo indignam nutriat: labra præcisis pilis paululum aperiantur, ne qua inter sacrificandum Sacramento injuria fiat.

II. Collaria plana sint, quæ commode, & apte super veste reflecti possint: crispata, lactucata, nimiumque elaborata, quæ militem, vel aulicum ornent, in Clericis omnino detestamur.

III. Colorem nigrum solum permittimus, alios quoscunque prohibemus.

IV. Habitus sit honestus, & simplex, non limbis, aut scissuris comptus; mundus tamen. In oppidis, & locis celebrioribus vestem talarem requirimus; in nullis paulo breviorem: sine qua nec domi se conspici, ab aliis patiantur. In itinere vestis genua stantis saltem operiat: & brevem ensem, qui pallio tegatur; non alia arma permittimus: domi omnia, quæ gestent ipsi, omnibus prohibemus. Arma namque Clericorum lachrymæ sunt, & orationes.

V. Omnes coronam in vertice conspicuam, & Sacerdotes quidem Hostia magna, qua sacrificantes utuntur, majorem; reliqui sensim minorem; quisque videlicet pro gradu Ordinis sui, perpetuo gerant: quam alternis semper hebdomadis renovari curent.

VI. Mensa sit frugalis. Exquisitas delicias, longiores accubitus, comessationes, ebrietates, comporationes ad æquales haustus provocationes, in omni Christiano, quanto magis in Clerico damnamus, atque detestamur.

VII. Qui choreas duxerit, aut larvatus per plateas, vel domos nocte, vel interdiu incesserit, fructibus beneficii, vel officii sui per unum mensem privetur, & crescente contumacia, crescant similiter & pœnæ.

VIII. Si ad nuptias invitati fuerint, vel alia convivia publica, quæ propinquitatis, vel alia honesta de causa declinare non poterunt, possint quidem accedere; memores tamen Ecclesiastici decoris, a choreis, & rixis abstineant; nec ullos alios, nisi Clericali honestate dignos gestus præseferant; verbo, & exemplo se ipsos exhibeant, sicut Dei Ministros, nemini dantes ullam offensionem, sed modestia & sobrietate omnes in Domino ædificent.

IX. Extra causam itineris necessariam, vel casus alios extreme necessarios in Tabernis, seu Cauponis publicis potitantes, seu comessantes, pro prima vice, qua fuerint deprehensi, damnamus in uno floreno ab eis irremissibiliter auferendo: pro secunda vice ad carcerem per quinque dies: pro tertia vice ad carcerem per decem dies: quarto denique, tanquam incorrigibiles, omni officio & beneficio privamus. In eos vero, qui publice ebrii fuerint, vel post ebrietatem sine prævia confessione, & pœnitentia Sacramentali tremendum Missæ Sacrificium offerre non verentur, easdem omnino pœnas decernimus, volentes ut 1. Pœna pecuniaria. 2. & 3. Carcere puniantur. 4. Denique omni officio, & beneficio priventur, uti & de iis, qui in tabernis publicis comessantur, statuimus.

X. Præterea paci, & tranquillitati publicæ consulere cupientes, ordinamus, ac decernimus: si Clericus Clericum, vel Laicum probris, vel maledictis, aut convitiis incesserit, sub duorum aut trium testimonio, ab omni proventuum Ecclesiasticorum perceptione per unum mensem suspendatur: si manus violentas, citra vulnus tamen, intulerit, jam dictam pœnam sustineat duplicatam: si vulnus inflixerit, ultra pœnam excommunicationis, quam ipso

ſo facto incurrit, ad quatuor menſes fructuum privatione mulctetur : ſi membrum mutilaverit, vel inutile reddiderit, omni beneficio Eccleſiaſtico ſit ipſo facto privatus. Et nihilominus in omnibus illis caſibus, juxta Conſiſtorii noſtri arbitrium læſo ſatisfacere, pro injuria illata ſemper cogatur ; & pro delicti qualitate a Vicario noſtro, ſi videbitur, etiam gravius puniatur. Quod ſi linguam petulantem, aut manus violentas in Prælatum aliquem intorſerit, in omnibus caſibus proxime memoratis pœnæ gemitentur. Denique rixarum, pugnarum, tumultuum authores, carceris pœnam ſubeant. Qui contra alios jurgiis, vel armis contenderint, per Prælatos ſuos pro exceſſuum gravitate plectantur. Salvo ſemper jure, quod vim vi repellere permittit : ſalvis item Religionum privilegiis, Regulis, ac Statutis, quibus hac in re nihil omnino derogatum volumus.

XI. Negotiationes, mercaturas, alienæ rei procurationes, tutelas, advocationes, actiones cauſarum apud Judicem ſæcularem, Notariatus, & Tabellionatus officia prophana, artem medendi, & cauponandi, & his ſimilia, a Clericorum profeſſione declaramus eſſe aliena, minimeque ferenda.

XII. Simonia, ambitio, turpiloquium, ſcurrilitas, inter Clericos ne quidem nominentur.

XIII. Clerici Ordinis ſui memores, homines leves, viles, in quibus nihil ſingularis pietatis, Chriſtianæ virtutis elucet, quo poſſunt ſtudio fugere debent : Ad eorum convivia, compotationes, ludos, ne accedant : a nimia familiaritate omnino abſtineant. Haud enim aliunde Clericalis Ordinis gravitas magis offenſa fuit. Cum piis, & honeſtis, & cum ſui Ordinis hominibus eorum converſationem præcipuam eſſe volumus.

XIV. Erga populum gravitatem, manſuetudine temperatam ſervent, & conſervent : ſe ipſos propter temporalia odioſos ne reddant. Si quid fieri debeat in hoc genere, per tertium potius faciant. Scandala evitent, morum integritate, & vitæ exemplo omnibus præluceant, ita ut eos populus amare, vereri, & revereri merito poſſit. Quomodo enim ei conſcientiam meam aperuero, cui propter avaritiam, aut morum corruptelam oſtium domus merito clauſero?

XV. Adverſus concubinarios juxta Canonem S. Tridentini Concilii citra remiſſionem procedemus, ut tam fœdum ſcandalum e medio tollamus. Itaque prima vice, qua deprehenſi fuerint, ejecta concubina, tertiam partem omnium fructuum ſuorum amittent : ſi facinus reperiverint, ſuſpenſionem ab officio, & beneficio incurrent : ubi vero apparuerint incorrigibiles, nec pœnis abarceri a ſcelere, tertio denique omnibus beneficiis ſuis privatos ad omnes omnino honores, officia, & beneficia Eccleſiaſtica perpetuo inhabiles eſſe decernimus. Pari modo in eos, qui fornicationis, aut ſuſpectæ familiaritatis convicti fuerint, procederur.

XVI. Si Decani, vel Archidecani unum, vel plures Clericos in ſuis regionibus concubinarios, aut fornicarios degere noverint, neque Nobis eum, vel eos manifeſtaverint, ii ad Nos delati, ac convicti, ſi non eandem pœnam, quam concubinarii, quos celarunt, experientur, ſaltem ad arbitrium noſtrum graviſſime, & irremiſſibiliter plectentur. Quod ipſum etiam de quocumque alio Sacerdote, ſui vicini amicam, vel concubinam Nobis, vel ſaltem Decano, vel Archidecano non revelante, intelligi omnino volumus.

XVII. Sed & concubinas, quæ poſthac cum Clericis cohabitaverint, per excommunicationem ab Eccleſia expellimus. Si vero nihil iſtis proficimus, ut ejusmodi mulieres denique pœnis temporalibus ſubjiciantur, decernimus. Quam ad rem, uti ſperamus, Nobis Magiſtratus civiles ſedulam operam præſtabunt. Quod ut facere velint, cum id ab eis requiretur, etiam atque etiam in Domino omnes exhortamur, & obſecramus.

XVIII. Ludum aleæ, talorum, taxillorum, teſſerarum Diœceſis noſtræ Clero penitus inhibemus. Honeſtis tamen recreationibus, quas jura permittunt, quo minus utantur, non impedimus.

XIX.

XIX. Denique quæ a Summis Pontificibus, & Sacris Synodis, maxime vero a Synodo Tridentina de Clericorum honeſtate, ac modeſtia retinenda, & ſimul de luxu, & quibuscumque criminibus vitandis copioſe, & ſalubriter ſancita ſunt, eadem ſub iisdem, aut etiam majoribus pœnis, tanquam hic verbatim repetita & inſerta, integre ſervari præcipimus.

XX. Quod ſi qui in Clero, vel etiam populo ſint, qui (quod non expectamus) reformari detrectent, Principes, & Magiſtratus civiles monemus, & obſecramus, ne eis patrocinentur, ſed Epiſcopo, Vicario ejus, Decanis, ac aliis Prælatis ſint auxilio, eorumque Decreta fideliter exequi mandent, & ordinem præſcriptum cogant ſervare. Neque dubitare poſſumus, quin Magiſtratus Catholici, a quibus omne genus officii erga Matrem Eccleſiam merito expectatur, pro ſua pietate, & zelo, quod Nos enixe hortamur, ac petimus, prompte & alacriter efficiendum ſuſcepturi ſint.

De Teſtamentis Clericorum.

I. CLerici, uti hactenus per Diœceſin noſtram liberam teſtandi facultatem habeant; Volumus tamen, & ordinamus; ne de bonis Eccleſiæ nomine acquiſitis teſtentur, niſi quatenus Sacri Canones, & legitima ipſorum privilegia id permittunt.

II. Quicunque Sacerdos, vel Clericus primum de morbo, aut morte Clerici alterius cognoverit, de eo Archidecanum, Decanum, vel Camerarium ſuum quamprimum certiorem faciat. Quod ſi caſus tam citò ad eos deferri nequeat, præſertim ſi nullum teſtamentum ſit factum, aut teſtamentarii non ſint præſentes, vel ignorentur, ipſi Sacerdotes proximi, & primi ejus obitus ſcientiam habentes, nomine Ordinarii univerſa obſignent, remque ſtatim ad Conſiſtorium noſtrum referant.

III. Concubinarum, vel aliarum turpium perſonarum in teſtamentis Clericorum ne mentio quidem fiat. Quod ſi quis quacunque de cauſa, vel modo concubinæ ſuæ, ſive ancillæ, ſive alio quovis ficto nomine quid legaverit, id non concubinæ reddatur, ſed in pios uſus convertatur.

IV. Executores teſtamentorum hujusmodi, intra annum de omnibus, & ſingulis, quæ invenerint (quorum omnium Inventarium authenticum extare volumus) an, quibus, & quomodo ea diſtribuerint, teſtamentumque executioni mandarint, Nobis, aut Vicario noſtro, rationem reddant. Negligentiæ pœna quinque Marcæ.

V. Quocumque anni tempore Clericus quiſpiam mortuus fuerit, ex fructibus defuncti ſemper congrua portio relinquatur Succeſſori uſque ad novi anni initium. Si inter Succeſſorem, & Executores non conveniret, litem dirimat Vicarius Generalis. Annus autem quoad fructuum perceptionem in Civitate noſtra Brixinenſi a die S. Helenæ; ſed per vallem Iſaci, & Puſtriſſæ a S. Georgii; per valles Oeni a die Purificationis B. Virginis principium habere cenſeatur. Quantum vero Succeſſori relinquendum ſit, id ex loco, tempore, & oneribus colligatur. Qui huic noſtræ ordinationi contravenerint, triginta libras pœnæ nomine ſolvent.

VI. Ne quis bona Clerici vivi, vel defuncti invadat, aut quoquo modo ſubtrahat: ſi quis attentaverit, eum in pœnas Canonis incidiſſe, præſenti Canone declaramus.

De Libris Clericorum.

UT Parochi, & alii Clerici has noſtras Conſtitutiones, & ea, quæ officii ſui ſunt, rectius obire, & exequi poſſint, ac ſimul literarum ſtudio incumbere aſſuescant, ordinamus, ac volumus, ut inter alios libros, quos quisque ſibi arbitratu ſuo comparare voluerint, etiam iſtos, quos ſubjungimus, habeant, ac ſedulo legant:

Biblia Sacra.

Breviarium Romanum, vel ex quo Horas recitare debent.

Catechiſmum Romanum authoritate Concilii Tridentini editum, latine & germanice, cum indice, & diſtributione omnium materiarum pro omnibus Dominicis, & præcipuis Feſtis

per Concionem explicandarum: vel cum dilucidatione ejusdem, authore Joanne Chapeaville: vel cum explicatione Sebastiani Catanei.

Catechismum Trevirensis Archiepiscopi cum praxi Catechistica.

Catechismum Petri Canisii saltem minorem.

Epistolam Antonii Possevini de Catechismo docendo.

Concilium Tridentinum.

Constitutiones Metropoliticas Salisburgenses.

Constitutiones nostras Diœcesanas, quæ deinceps apud Ecclesiam maneant, cujus sumptibus coëmptæ sunt.

Manuale Parochorum Feliciani Episcopi Scalensis.

Agenda Brixinensia a Nobis recusa.

Directorium Joannis Polanci, & librum ejusdem de juvandis moribus.

Methodum Confessionis.

Rationale Officiorum Divinorum.

Institutiones Sacerdotum Francisci Toleti Cardinalis: vel Petri de Soto.

Theologiam Pastoralem Petri Binsfeldii.

Manuale Navarri, vel aliquem alium ex iis, qui de casibus conscientiæ scripserunt; quo in genere plures excellunt.

Scutulum Fidei Laurentii Hermanutii germanice.

Controversias Francisci Costeri germanice, vel latine.

Pro Concionibus unum, vel plures probatos Authores, ut Homilias Joannis Ecki de Tempore, & Sanctis, ac Sacramentis.

Postillam Petri Canisii germanicam, Friburgi Brisgoviæ impress. 1602. Post illam Georgii Schereri germanicam.

Epitomen Friderici Nauseæ, & id genus alios.

Item pro excitanda mente in Dei amorem, opuscula Granatæ, latine vel germanice. Institutiones, Meditationes Francisci Costeri. Libellum Thomæ de Kempis de Imitatione Christi, & alia ejusdem opuscula; & his similes libellos spirituales sedulo lectitari a Clericis cupimus.

Omnes præterea Parochi, & Curati sub pœnis gravibus pro arbitrio nostro infligendis, intra duos menses post hujus Decreti publicationem, duos sequentes libros sumptibus Ecclesiæ compingi, vel emi curabunt, qui deinde penes illam Ecclesiam semper maneant. Primus est, in quo Baptizatorum nomina in hunc, qui sequitur modum, describantur. Die 24. Augusti anni 1603. Ego N. Parochus, Curatus, vel Cooperator Parochialis Ecclesiæ Sancti N. in Velthurns, baptizavi filium N. & N. conjugum; natum die 23. Augusti ejusdem anni: eique fuit Pauli nomen impositum. Patrini autem fuere Joan. N. filius N., & Anna uxor N. & filia N. Quod si filius non fuerit legitimus, nomen solius matris, si quidem de ea constiterit, inscribatur. Quod si expositus, & ideo, vel alia quavis de causa sub conditione iterato baptizatus; vel in quo ceremoniæ ob necessitatem omissæ, supplendæ erunt; hæc omnia erunt in eodem libro exprimenda: nempe; Inventus fuit de sexto Julii, & quia nesciebatur esse baptizatus, sub conditione eum baptizavi; vel baptizatus fuit ab obstetrice N. N. die nono Januarii, & postea omissa supplevi, die quarto Augusti anni 1603. In alterum librum deferenda sunt nomina, qui Matrimonia legitime contraxerint: modus autem iste servari poterit. Die nono Septembris anni 1603. Jacobus filius N. contraxit Matrimonium de præsenti cum Anna filia N. in Ecclesia Parochiali Sancti N. (vel in ædibus privatis, vel in alia Ecclesia de licentia Ordinarii) in Albis præsente me N. Rectore (vel Sacerdote N. de mea, vel Ordinaria licentia) prædictæ Parochiæ, & N. atque N. testibus præsentibus, & aliis multis de populo, qui ad Ecclesiam convenerant: præmissis jam tribus (aut duabus, aut una, concessu Ordinarii) solitis inter Missarum solennia denunciationibus, quarum prior facta est die Dominico 23. Augusti proxime præterito: altera die festo N. & nullo prorsus inter eos detecto impedimento, quo minus libere contrahere possent.

De

De uſuris, & aliis contractibus illicitis, & licitis.

USuræ vitium in utroque Ordine, Eccleſiaſticorum & Laicorum latiſſime patet; eſtque adeo pervulgatum, ut jam prope omnem vitii naturam, eorum judicio exuiſſe videatur. Contra vero non deſunt, qui uſuram eſſe, ſentiant, quidquid præter ſortem provenit: utrique in errore, tametſi non pari cum periculo, verſantur. Quocirca Nos pro Paſtorali cura noſtra ad ſubditorum noſtrorum mentes tranquillandas, matura ac diuturna deliberatione cum viris eruditis habita, de hac re Canones ſequentes edidimus; & ſingulis noſtræ Diœceſis fidelibus, fideliter & integre ſervari præcipimus.

I. Nullus contractus, in quo ſex, vel ſeptem, vel amplius pro centum quot annis exiguntur, in poſterum ineundus, toleretur. De præteritis judicent conſcientiarum Judices.

II. Qui pecunias ſuas ſine ullo delectu perſonarum, ſolius lucri intentione, cuilibet mutuo dant, qui pro centum quot annis quinque ſalvo ſemper capitali & lucro quinario ſtipuletur, ac ſolvere paratus ſit, eos proprie uſurarios eſſe, & in æternæ damnationis periculo verſari declaramus.

III. Ne frumentum, vinum, vel aliud quippiam mutuum detur, ut eo, quod datum eſt, ex obligatione ſolius mutui aliquid amplius reddatur, ſive ejusdem, ſive diverſi generis, etiamſi ſint operæ, vel onera, quæ pretio æſtimentur. Uſura enim eſt (inquit Agathenſe Concilium) ubi amplius (vi mutui) requiritur, quam datur.

IV. Ne cui cum altero ita contrahere liceat: do tibi mutuo centum vel mille, ut juſta mercede mihi ſervias; in meo prædio labores; ut juſto pretio tuum frumentum mihi vendas, vel meum emas; ut mihi cum indiguero, viciſſim mutues; ut mihi beneficium, vel officium, ſive ſæculare, ſive Eccleſiaſticum conferas, vel impetres: hæc enim & ſimilia pacta in mutuo ſunt uſuraria.

V. Qui frumentum, vinum, ligna, vel alia quævis ob ſolam expectationem ſolutionis, juſto pretio carius vendunt, uſurarii ſint.

VI. Qui præciſe ob anticipatam ſolutionem minoris juſto pretio emerint, vel minus ſolverint, quam debebant, uſurarii cenſeantur.

VII. Pecuniam præſentem quærenti, ne quid carius credito vendatur, ut ſtatim præſenti pecunia a venditore per ſe, vel per interpoſitam perſonam vilius ematur.

VIII. Non liceat vendere dilata in tempus ſolutione, ita ut precium, quod interim merci accreverit, ſolvatur venditori: niſi precii diminutio, quæ æque timeatur, ejusdem quoque periculo fiat.

IX. Omnia monopolia, quæ authoritate privata fiunt, aut in manifeſtum damnum Reipublicæ conceduntur, rejicimus & damnamus.

X. Ne mercatores inter ſe conſpirent de non vendenda merce aliqua infra certum precium, aut non emenda ultra precium certum.

XI. Ne artifices inter ſe conveniant, opus ab uno eorum inceptum, ab alio non continuari vel abſolvi; aut non laborare infra certam mercedem: & ne ſimilia pacta fiant, quæ conſtat eſſe iniqua.

XII. Qui vina, frumenta, vel alia præſertim vitæ humanæ neceſſaria, cum eorum magna copia eſt, coemunt, ut penuriæ tempore pro ſua voluntate & avaritia divendant, in Republ. nullo modo ſunt ferendi.

XIII. Nullus poſt hac contractus in noſtra Diœceſi feratur, qui non poſſit ad eas formulas revocari, ad quas omnes contractus, ut juſti ſint, reduci debent: quas apud omnes & ſingulos Decanos, Archidecanos, Parochos, & Eccleſias Curatas perpetuo extare volumus, ut ſciant, quos contractus probare, vel improbare debeant. Quod ſi, qui aliter contraxiſſe deprehenſi fuerint, eos abſolvi prohibemus; volentes non ſolum contrahentes ipſos, ſed etiam teſtes, ſubſcribentes, obſignantes literas, & quomodolibet coadjuvantes, vel approbantes, ad Nos, vel eos, quibus abſolutionem eorum

gitized by Google

expreſſe commiſerimus, remitti. Ad Regulas autem prædictas revocentur contractus, quos ſubjungimus, vel injuſti erunt.

XIV. Cenſus ex agris, pratis, prædiis, aliisque rebus fructiferis emere & vendere per ſe non eſt illicitum: ſed horum plures ſunt differentiæ.

XV. Cenſus perpetui, vel a venditore ſolum redimibiles, citra controverſiam juſtis lucrandi modis accenſentur.

XVI. Cenſus utrimque redimibilis, non eſt contra jus naturæ, vel Divinum: & ideo, ubi leges humanæ, quibus prohibetur, non ſunt in viridi obſervantia: ac requiſitæ conditiones adhibentur, præſertim in Regionibus iſtis; ſatius eſt iſto, quam aliis aperte uſurariis modis, rem ſuam facere.

XVII. Emere certa pecuniæ ſumma cenſum ad vitam ſuam aut venditoris, ex ſe quidem non eſt illicitum.

XVIII. Porro cenſuum fundamentum, cui eorum juſtitia præcipue innititur, eſt res fructifera, ſive certa, ſive incerta, ut domus, aut omnia generatim bona alicujus: quam vere habet, qui cenſum vendit; & quæ vere fructus illos reddat, in quos jus ab altero emitur. Nam ſi venditor vel rem vere non habeat; vel annuus cenſus, ad cujus ſolutionem res obligatur, ſuperet æſtimationem fructuum, quos ex ipſa re Dominus ſolet aut poteſt percipere, fictus ille contractus erit, & minime juſtus.

XIX. Non improbamus contractum ſocietatis cum duplici aſſecuratione, ſortis nempe & lucri certi, quando cum mercatoribus, vel artificibus, vel agricolis, vel aliis id genus notabilem induſtriam ad lucrandum habentibus celebratur: nec altera pars præter æquum gravatur.

XX. Contractus damni emergentis, & lucri ceſſantis, quando prior contractus eſt vere cauſa damni ſequentis, neque id contrahentes tempore contractus ignoraverunt; adeo non ſunt improbandi, ut etiam eorum ratione ex mutuo liceat lucrum quærere.

XXI. Si pecunia mutuo accepta tempore præfixo non redditur, teneatur debitor ad omnia damna, quæ ex tali mora in creditorem ſequuta fuerunt; ſi quis vero oblatas re ipſa, loco & tempore, etiam dotales pecunias ſibi debitas accipere recuſaverit, præter ſortem nihil accipere juſte poſſit, etiam ſi revera illi ex eo, quod pecunia ſua careat, aliquod lucrum ceſſet, damnumve emergat.

XXII. Si quis de damno tempore contractus expreſſe pactus ſit (ut ſane tuta conſcientia poteſt,) qui mutuum recepit, ad æſtimationem damni tenebitur, etiam quod creditor ante moram incurrit; alias non tenebitur.

XXIII. Neque damnandi ſunt, qui hoc modo inter ſe contrahunt: do tibi centum, ut quotannis des mihi quinque, meliori modo, quod id fieri juſte poterit; quando rerum quidem & perſonarum circumſtantiæ omnes fuerint ejusmodi, ut ſaltem a doctioribus contractus eorum ad aliquem lucrandi modum juſtum revocari poſſit, tametſi ipſi contrahentes id bona fide ignorent. Nam talis contractus re minime eſt diverſus ab iis, ad quos revocabitur.

XXIV. Quantum autem iſtis, vel aliis ſimilibus modis lucrari quotannis liceat, id certo non conſtat. Nos omnibus conſideratis, quæ hic attendi neceſſario debent, ſalvo ſemper capitali & lucro, amplius quinque ex centum tuto quæri non poſſe, per Diœceſin noſtram definimus: Imo nec ſemper quinque, niſi rerum & perſonarum circumſtantiæ aliud permittant.

XXV. Tenentur quidem Tutores & Curatores pupillorum, locorum piorum, aut Eccleſiarum bona augere, ſed honeſtis, & juſtis modis, quos jura permittunt: ad uſuram modo pervulgato exponere, quia nullo jure licet, ſub interminatione æternæ damnationis & pœnis aliis diſtrictiſſime prohibemus.

XXVI. Omnes Eccleſiaſticos, ſive pauperes, ſive divites, ab omni lucro ſordido inprimis abſtinere convenit; ut eorum exemplo Laici provocati, hoc malum tanto libentius fugiant, & deteſtentur. Ne igitur pecunias ſuas ad uſuram, vel aliquo alio contractu illicito,

o by Googl

cito, mutuo dare præſumant, ſub pœna amiſſionis pecuniarum, & privationis omnium dignitatum & beneficiorum prohibemus.

XXVII. Denique Principes & Magiſtratus in Domino hortamur, & obteſtamur, ut & ipſi huic peſti, quæ non minus conſcientias hominum, quam bona depopulatur, quibus tandem poterunt modis, ſeſe opponere velint.

De Conſtitutionibus Synodalibus.

HAs Conſtitutiones in Synodo Diœceſana ſancitas, & publicatas, ab omnibus & ſingulis, cujuscunque Ordinis ſint, Religioſis & Clericis exactiſſime obſervari mandamus, ac juxta eas totam Diœceſin noſtram adminiſtrari & gubernari volumus. Obligandi autem vim habebunt, ſtatim poſt ſecundum a die promulgationis menſem, ita ut poſt illud tempus omnes & ſinguli pœnis in eis expreſſis, vel aliis arbitrariis teneantur; ac contra quemlibet illorum, tanquam inobedientem, inquiri & procedi poſſit. Quæ his Decretis comprehenſa non ſunt, juris communis diſpoſitioni ſubjacere declaramus. Si quæ vero declaratione, moderatione, interpretatione, diſpenſatione indigebunt, ea omnia Nobis ſolis, & Succeſſoribus noſtris reſervamus. Quod ſi quid his noſtris legibus defuerit (neque enim ſimul omnia ſtatui poſſunt) de iis poſtea deliberatione ſuſcepta viderimus. Denique omnibus & ſingulis Regularibus & ſæcularibus Clericis, cujuscunque gradus & dignitatis ſint, ut hunc Synodalem libellum omnes habeant ſub pœna duorum florenorum in pios uſus, injungimus: illum legant, ad illum vitam ſuam, ſtudia docendi populi, Sacramentorumque miniſtrandorum rationem inſtituant, nec ab ejus præſcripto uſpiam diſcedant.

Datum in Synodo noſtra Diœceſana Brixinæ, die 26. Septembris, anno 1603. Pontificatus S. D. N. Clementis VIII. anno duodecimo.

NOTA. Recuſa & emendata ſunt hæc Decreta Brixinæ, ex mandato Celſiſſimi & Reverendiſſimi Domini, Domini PAULINI, *Epiſcopi & Principis Brixinenſis, die 29. Junii anno* 1679.

CHRISTOPHORUS ANDREAS, ex Illuſtri Familia Baronum de Spaur & (*Valör*), Gurcenſis antea Epiſcopus, indeque anno 1601. ad Brixinenſem poſtulatus, utramque Eccleſiam ea laude adminiſtravit; ut in Serie Epiſcoporum Brixinenſium, quæ anno 1721. in Cancellaria Epiſcopali Brixinenſi digeſta, ac dein Typis publicis miſſa fuit, breve hoc illi, maximum tamen adſcribi potuerit elogium, quod fuerit Pater pauperum, & viva virtutum imago. Anno 1603. Synodum hanc Clemente VIII. Papa probante, celebravit, in eaque multa admodum, ſaluberrima Decreta, & ad corrigendos Diœceſis ſuæ mores utiliſſima edidit & promulgavit. Præter Monaſterium RR. PP. Capucinorum, quod Brixinæ fundavit, Seminarium etiam Clericale ibidem erexit, dotavitque, in quo adoleſcentes, ad Eccleſiaſticæ vitæ ſtatum aſpirantes, enutrirentur, atque omni genere Sacrarum diſciplinarum ad Sacerdotalia munia digne, ſanéteque obeunda formarentur. Vitam laudatiſſime tranſactam, felici beataque morte finivit anno 1613.

SYNODUS DIOECESANA CAMERACENSIS.

Per Illuſtriſſimum & Reverendiſſimum Dominum D. GUILIELMUM DE BERGES, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Archi-Epiſcopum & Ducem Cameracenſem, Sacri Imperii Principem, Comitem Cameraceſii &c. celebrata menſe Octobri.

Anno Chriſti MDCIV. Clementis VIII. Papæ XIII. Rudolphi II. Imp. XXIX.

ORATIO

Habita ab Illuſtriſſimo & Reverendiſſimo Domino D. ARCHI-EPISCOPO, in apertione Synodi.

CUm Clariſſimus ille architectus Dinocrates Macedo polliceretur Alexandro Magno, ſe montem Athon in ſtatuam virilem formaturum, cujus læva ampliſſimæ Urbis mœnia ſuſtineret, dextera autem pateram, quæ montis flumina exciperet, ac in mare profunderet; delectatus Alexander ratione formæ, quæſivit, eſſentne agri, qui re frumentaria Civitatem illam alerent? Cumque reſpondiſſet Dinocrates ſubventionibus transmarinis opus eſſe; Rex ait, Judicium illud non eſſe probum. Nam ut natus puer nec vivere, nec creſcere ſine nutricis lacte poteſt, ita nec Civitas ſine agrorum fructibus. Digna tanto Principe ſententia. Sciebat profecto Alexander, parva eſſe Urbis præſidia, parum admodum Leges, Sanctionesque & bonum ordinem Civitatis prodeſſe, ſi populus eſuriret; nil eſſe populo famelico periculoſius, quem non arma, non Magiſtratus, non Jura Divina vel humana, non leges vel pudor aliquis coercere poſſunt. Neſcit enim (ut quidam Poeta [*a*]) plebs jejuna timere. Cui Alexandri ſententiæ non eſt abſimile conſilium magni illius Patriarchæ Joſeph, (*b*) qui cum prævidiſſet poſt ſeptem fertilitatis annos, Ægyptum totidem annis graviſſima fame affligendam; conſtitutus a Pharaone de conſilio miniſtrorum ſuorum, totius Ægypti Præfectus, per cunctas Regiones præpoſitos ordinavit: qui quintam partem fructuum, per ſeptem fertilitatis annos in horrea congregarent: ita ut omne frumentum ſub Pharaonis poteſtate conderetur & ſervaretur in urbibus, ad obviandum & ſuccurrendum futuræ fami & ſteriliati. Hoc Alexandri dictum & memorabile illius Patriarchæ factum (quo Ægypti Salvator eſſe, & appellari meruit) imitari omnino nos convenit, ut quam illi pro bono publico rei frumentariæ curam geſſerunt, eandem & nos in procuranda animabus nobis commiſſis ſpirituali annona, omni conatu & ſtudio, adhibeamus. Quem ob finem maxime hanc Synodum de conſilio Venerabilium Confratrum noſtrorum, Præpoſiti, Decani, & Capituli Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, juſſimus convocari, ut in ea tractemus non de nova aliqua Civitate ædificanda, cujus mœnia ſtatua aliqua ſuſtineat, ſed ut huic Diœceſi & Eccleſiæ ante tot ſæcula fundatæ, ac meritis Patronorum tutelarium, & inprimis potentiſſima Glorioſiſſimæ Virginis protectione, hactenus in Fide Catholica, Apoſtolica, Romana conſervatæ, ſufficiens ad nutriendas & reficiendas animas procuretur & ſubminiſtretur annona; flumina etiam Babylonis ab hac eadem Diœceſi avertantur, & in ea erigatur fons aquæ ſalientis in vitam æternam. Ad hunc ſcopum vos omnes, qui huc in Spiritu Sancto tanquam præpoſiti ſpiritualis annonæ conveniſtis, collimare, & actiones veſtras dirigere debetis; reddentes nunc de cura vobis impoſita rationem; & ſi quid ad procurandam aut conſervandam annonam, ejusque utilitatem judicaveritis pertinere, idipſum nobis libere in hac Synodo ſignificate, prout in foro fori & conſcientiæ obligati eſtis. Si enim inter Servum & Dominum conſtituitur Legis Juliæ de annona judicium, ſervo afferentem Dominum annonam publicam fraudaſſe, imo & mulieres, quæ alias accuſare non poſſunt, ad hoc genus denuntiatio-

(*a*) *Lucanus.* (*b*) *Gen.* 41.

riationis admittantur, uti Impp. Verus & Antonius reſcripſerunt, qua nos actione non conveniendi, aut a quibus non accuſandi, quorum plerique aut curam animarum habemus, aut peccata populi comedimus, ſi annonam ſpiritualem defraudaſſe, aut ſubditis curæ noſtræ commiſſis non tempeſtive eandem procuraſſe, convicti fuerimus? Periculoſior ſiquidem in Eccleſia defectus annonæ quam in Civitate. Nec enim novit plebs Chriſtiana jejuna Deum timere, Leges Evangelicas, & Eccleſiaſticas Conſtitutiones obſervare, & Superioribus debitam reverentiam exhibere.

Quæ cum ita ſint, nos qui (licet immeriti) locum Patriarchæ Joſeph in hac Diœceſi obtinemus, aliquot ſelectiores cibos, quibus Chriſti fideles nutriri & refici oporteat, in medium proferemus. Cum enim vel ipſa experientia ſit manifeſtum, cibis valde juvari, vel corrumpi ſpiritus animales, & interiorum ſenſuum organa, quorum bona conſtitutio ad bonitatem actuum mentis mirifice confert; ſintque cibi, qui valde profint, ſintque, qui ingenio & memoriæ valde noceant, ac ut brevibus dicam, aperte conſtet, pro varietate alimentorum variari ingenia hominum & mores; & quod id ipſum cibi ſpirituales in anima præſtent, & operentur. Certe in hac Synodo, in qua de reformatione morum præcipue agetur, omnis opera adhibenda in cibis ſpiritualibus apparandis, condiendis, & apponendis; ut nobis ipſis primum, deinde ovibus curæ noſtræ commiſſis, veri cibi ſpiritualis deſiderium & guſtum procuremus.

Dicemus igitur primum de qualitate & varietate annonæ ſpiritualis, qua Paſtores ſuum gregem nutrire & paſcere tenentur. Secundo, cauſas in medium proferemus, ob quas hanc ſpiritualem eſcam tot Chriſti fideles tam parum appetant, aut illa animas ſuas non reficiant; ſeque in tanta rerum ſpiritualium abundantia, fame ac ſiti perire ſinant.

Idque, ut cum fructu & utilitate fiat, imploremus ſupplices opem Glorioſiſſimæ ſemper Virginis, Matris magni illius Salvatoris, quem Patriarcha Joſeph præfiguravit, dicentes: Ave Maria &c.

Quem primum in Eccleſia Dei cibum ſpiritualem invenio, is eſt, de quo Eccleſiaſticus: Cibabit illum (c) pane vitæ & intellectus: de quo & Salvator noſter (d): Non in ſolo pane vivit homo, ſed in omni verbo, quod procedit de ore Dei. Merito cibus Verbi Divini primum locum obtinet. Fides ſiquidem eſt ſpiritualis vitæ principium; Juſtus enim ex fide vivit, illamque aliter conſequi non poſſumus, quam per internam Dei revelationem, vel Angelorum miniſterium hominibus Divina revelantium, aut per externam Verbi Dei prædicationem, quæ fidem diſpoſitive inducit: Fides enim ex auditu, (e) auditus autem per Verbum Dei. Neque vero ob id tantummodo cibus animarum noſtrarum eſt Verbum Dei, ſed etiam quia animas per fidem vivificatas reficit, nutrit, fovet, impinguat & delectat. Hoc cibo jubet Petrus (f) Apoſtolus paſci gregem Dei. Hoc cibo erat enutritus Timotheus, ad quem ſcribit Paulus: Enutritus verbis fidei & doctrinæ, quam aſſequutus es. Hunc cibum vocat idem Paulus, Verbum vitæ. De hoc & Pſalmiſta (g): Quam dulcia faucibus meis eloquia tua ſuper mel ori meo: dulciora ſuper mel & favum. Hujus cibi defectum querulis vocibus lamentatur Hieremias (b): Parvuli petierunt panem, & non erat, qui frangeret eis. Hoc cibo populum privare maximam eſſe pœnam, aſſerit Amos Propheta: Immittam famem in terram, non famem panis aut ſitim aquæ, ſed famem audiendi Verbum Dei. Hunc cibum omnibus ita diſtribuerunt Apoſtoli: & eorum Succeſſores, quod totius Orbis nationes, eum aliquando guſtaſſe, & jam guſtare videamus: dum noſtro Sæculo in maxime diſſitas Regiones, & veteribus prorſus incognitas, per Viros Apoſtolicos eſſe illatus, & ſubminiſtratur (Laus Deo) hiſce in partibus ſatis copioſe, ſed, proh dolor! a paucis guſtatur, maſticatur, ruminatur, & digeritur. Guſtaretur autem, ſi cum ſuavitate ſpiritus exciperetur: maſticaretur, ſi quid faciendum, aut quid fugiendum ſit, ex eo diſceretur: ruminaretur, ſi mente verſaretur, & teneretur: digereretur autem & concoqueretur, ſi per fervorem charitatis conceptum boni deſiderium executioni mandaretur. Nec enim docuiſſe, excepiſſe, mente retinuiſſe ſat eſt, niſi opere ipſo impleatur.

Hinc elicitur alius Chriſti fidelium cibus in Eccleſia relictus, a curam animarum habentibus ſæpe proponendus, cibus nempe meritoriæ operationis, de quo Pſal. 12. Beati omnes, qui timent Dominum, qui ambulant in viis ejus, labores manuum tuarum quia manducabis. Sane cibus in ſtomachum trajectus, hominem operationi aptum non efficit, ſi ſuperfluis humoribus cibi efficacia impediatur: idem evenit, ſi quis ſtomachum mentis pravis humoribus, hoc eſt, vitiis & peccatis habeat gravatum; is ad bene operandum eſt ineptus, ideoque hujusmodi humores quantocius per veram compunctionem & confeſſionem purgandi, quo ſic Deo reconciliati per gratiam ipſius ambulemus in viis ejus, & exemplum ſimus fidelium, non in verbo ſolum, ſed & in pia converſatione, in charitate, in fide & caſtitate, in omnibus præbentes nosmetipſos exemplum bono-

(c) *Eccli.* 15. (d) *Matth.* 4. (e) *Rom.* 10. (f) 1. *Petr.* 5. (g) *Pſal.* 118. (b) *Thren.* 4.

bonorum operum, in doctrina, in integritate, in gravitate. Ita enim labores manuum noſtrarum manducabimus, beati erimus, & bene nobis erit: Ad hunc cibum meritoriæ operationis invitat nos Salvator: Operamini, inquit, non cibum qui perit, ſed qui permanet in vitam æternam. Similiter & Eccleſiaſticus: Operare juſtitiam ante obitum, quia non eſt apud inferos invenire cibum, id eſt, opera juſtitiæ, quibus anima mereri aut refici poſſit.

Ut præfati cibi facilius in animabus noſtris operentur, humectandi ſunt. Quid enim prodeſſet cibus ſiccus in ſtomacho, niſi aliquando humectaretur? Accipite igitur cibum lachrymarum, non internæ ſolum, ſed extrinſecus erumpentis compunctionis, de quo David: Fuerunt mihi lachrymæ panes die ac nocte; quando, nimirum, a Nathan Propheta ob adulterium & homicidium reprehenſus, dixit: Peccavi Domine. & alibi: Cibabis nos pane lachrymarum, potum nobis dabis in lachrymis in menſura. Hunc cibum mitifice guſtavit poſt trinam illam negationem D. Petrus Apoſtolus. Quin & eumdem Judæis ſtatim appoſuit, quando expoſita gravitate delicti in Chriſtum Crucifixum admiſſi, ipſos eo adduxit, ut dicerent: Quid faciemus Viri Fratres? Et in hoc incumbere debent omnes Paſtores, & Verbi Dei Prædicatores, ut in ſuis ſubditis & auditoribus lachrymas excitent; ac inprimis ſemetipſos cibo lachrymarum paſcant; exemplo Chriſti, qui videns Hieruſalem, flevit ſuper eam. Hoc ipſum frequenter Hieremias præſtitit: Quis dabit, inquit, capiti meo aquam, & oculis meis fontem lachrymarum? Neque hoc ei ſatis, ſed ad id alios incitat, dicens eodem capite: Deducant oculi noſtri lachrymas & palpebræ noſtræ defluant aquis. Nonne Sacerdotes plorabant, dicentes: Parce, Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in perditionem. Per triennium non ceſſavit D. Paulus nocte ac die cum lachrymis, monens unumquemque; & alibi: Flens commemorat inimicos Crucis Chriſti. Cum multis etiam lachrymis ſcribit Corinthiis, ob fornicationem illam admiſſam. Plenæ ſunt Sacræ Scripturæ ejusmodi exemplis.

Dicite mihi, Fratres Chariſſimi, annon regnant hoc tempore peccata graviſſima, quæ lugeamus? Annon Eccleſiæ eadem, & major calamitas imminet, quam olim Hieroſolymis? An populus noſter non eſt flagellis & peccatis attritus, uti Judæi tempore Hieremiæ? Nonne filii & fratres noſtri in perditionem ruunt præcipites? Nulline inimici Crucis Chriſti, nulli fornicarii, adulteri, inceſtuoſi, blaſphemi, Simoniaci, qui aliunde, quam per oſtium, ovile Chriſti ingreſſi, miſeras oves excoriant, deglubunt & occidunt? Quid dicam? nunquid plures de Clero, qui piis vitæ exemplis, doctrina, orationibus Eccleſiam, tamquam firmæ columnæ ſuſtinere, & iram Divinam ab ea avertere deberent, conjuraſſe videntur in ipſius Eccleſiæ ruinam? Et ubi lacrymæ? ubi triſtitia? ubi dolor? ubi gemitus, lamentatio & planctus? Non ſecus nos gerimus, ac ſi contritio populi Dei ad nos non pertineret, aut nos minime tangeret. Sentiemus tamen (uti metuo) citius, quam exiſtimamus. Res enim noſtra tunc agitur, paries cum proximus ardet. Hæc itaque flammæ fonte lacrymarum eſt extinguenda, ſi velimus periculum imminentis ignis evadere, & illum a nobis arcere. Paſcamur igitur, & alios paſcamus iſto pane lacrymarum, ut ſic cauſæ, quæ Deum ad iracundiam provocant, tollantur, & diſponamur cum ſubditis noſtris ad guſtandum panem adhuc longe præſtantiorem.

Eſt autem cibus ille præſtantior, quem Eccleſia vocat cibum viatorum; Panis, inquam, qui de cœlo deſcendit, qui datus eſt pro mundi vita, & dat vitam mundo, quem Chriſtus in ultima cœna pinſuit & igne ardentiſſimæ charitatis excoxit, & nobis pro viatico reliquit; ut illo refecti (ſicut Helias cibo ab Angelo allato corroboratus, ad montem Oreb pervenit) ita poſſimus & nos ad montem Sion, ad cœleſtem illam Hieruſalem pervenire. Dedit ſe ipſum nobis Chriſtus in pabulum, ut qui per cibum vetitum homo in mortem corruerat, per panem, qui de cœlo deſcendit, relevaretur ad vitam. Cecidit enim homo per cibum ligni mortiferum, relevatus eſt per cibum ligni vitalem. In illo pependit eſca mortis, in iſto pependit vitæ alimentum: illius eſus meruit læſionem, iſtius guſtus intulit ſanitatem: guſtus ſauciavit, guſtus ſanavit. De illo guſtu dicitur: In quacumque die comederis ex eo, morte morieris. De iſto legitur: Si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. Hic eſt cibus, qui plene reficit, vere nutrit, ſummeque impinguat, non corpus, ſed cor, non carnem, ſed animam, non ventrem, ſed mentem.

Si quis hoc Viatico Sacramentaliter, vel ſpiritualiter ſumpto, ex hac vita deceſſerit, pane Beatorum & regnantium in cœlis, in æternum reficietur, & ſic ab uno pane ad alium perveniet. Cibus, cibum quodammodo pariet: Cibus nempe viatorum pariet cibum Angelorum, quo nunc in æterna illa beatitudine Sancti fruuntur; qui præſtantiſſimus eſt inter omnes jam dictos cibos. Licet enim in hac vita nihil beatius nobis contingere queat, quam Sacroſancti Corporis Chriſti perceptio, per quam ſpiritualis

tualis dulcedo in ſuo fonte guſtatur; longe tamen beatior, beatæ illius gloriæ fruitio, ac Supremæ Majeſtatis contemplatio, quæ beatas illas animas & ſpiritus cœleſtes dulciſſime reficit, & in continuo vigore ac indefi-ciente vita conſervat. Hunc cibum nobis præparat, qui dicit: (*i*) Ego diſpono vobis, ſicut diſpoſuit mihi Pater regnum, ut edatis & bibatis ſuper menſam meam in regno meo. Beatus autem, Fratres, qui manducabit panem in Regno Dei. Non enim erimus ibi, uti ait Auguſtinus (*k*), ſine eſca & potu. Ipſe erit cibus noſter Deus & potus noſter, ſolus ille cibus reficit, nec deficit.

Et hæc quidem de qualitate & varietate ciborum ſpiritualium ſufficiant. Nunc inveſtigemus, cur tam pauci illos appetant & guſtent, aut nullum fructum ſpiritualem ſive gratiæ augmentum, ex hujusmodi alimentis conſequantur. Id evenire puto aut culpa fumentium; aut apparantium cibos ſpirituales, Paſtorum videlicet, & aliorum Miniſtrorum Eccleſiæ, ad quos cura paſcendi pertinet.

Et culpam quidem fumentium, quis melius deſcribat, quam Salvator noſter, Lucæ 8. ubi ait de ſemine, quod cecidit ſecus viam, ſupra petram & inter ſpinas; ideoque huic parabolæ non immorabor, tantum referam, quod deſuper ſcribit Gregorius Magnus (*l*): Sunt, inquit, nonnulli, qui præcepta Dei nec aure corporis percipere dignantur, quos egregie ſuis coloribus depingit Apoſtolus (*m*): Erit tempus, cum ſanam doctrinam non ſuſtinebunt, ſed ad ſua deſideria coacervabunt ſibi Magiſtros (ipſi) prurientes auribus, & a veritate quidem auditum avertent, ad fabulas autem convertentur. Et ſunt nonnulli, qui hæc quidem aure corporis percipiunt, ſed ea nullo mentis deſiderio complectuntur; illi ſemini ſimiles, quod ſecus viam cum cecidiſſet, terra non excepit, nec ſinu fovit, ſed conculcatum eſt, & volucres cœli comederunt illud: Non enim audiunt Verbum Dei, ut vitia deponant, aut aliquam vitæ legem accipiant, ad quam mores ſuos componant, aut animas ſuas reficiant, ſed propter aliquem humanum reſpectum, aut ut oblectamento auribus perfruantur. Sunt etiam nonnulli, qui libenter Verbum Dei ſuſcipiunt, ita, ut etiam fletibus compungantur, ſed poſt tempus lacrymarum ad iniquitatem redeunt. Hi nimirum cum gaudio ſuſcipiunt Verbum, ſed quia radices non habent, ad tempus credunt, & in tempore tentationis recedunt. Et quamvis fructus aliquis exiguus ſubſequatur, a ſolicitudinibus, divitiis & voluptatibus vitæ præſentis ſuffocatur; quia interna mentis cogitatio, externorum ſolicitudine interpellatur; uti pulchre Gregorius Nazianzenus ait: Recte proinde quidam monebat mel ſummo digito, non cava manu guſtandum; ne nimia voluptatis illecebra rerum magis utilium ſenſum auferat.

Sed ad Paſtorum culpam, uti magis huic loco propriam, veniamus, qua ſæpe contingere ſolet, ut cibi ſpirituales Chriſti fidelibus non ſapiant. Id ex tribus cauſis potiſſimum oritur; vel quia Paſtores ſunt ignorantes; vel quia gregem lucri cauſa paſcunt; vel quia cibos præbent & apponunt, quos ipſimet non præguſtant aut præmandunt. Ignorantia autem Paſtorum in eo maxime conſiſtit, quod naturam, vim & qualitates ciborum ſpiritualium ignorent. Tales ſunt, qui cum Deo militare deberent, ita ſe implicant negotiis ſæcularibus, ut legis Dei obliviſcantur, & ſic propter ignorantiam, tanquam canes muti, non valeant latrare, & tanquam idola, nec linguam moveant, neque os aperiant, multo minus manus, niſi ad malum. Qui ſi aliquando moneantur, ut ſubditos ſuos Catecheſi aut verbo doceant, metuendum, ne ex ignorantia pro lacte venenum propinent, uti puer ille Eliſei, qui juſſus pulmentum filiis Prophetarum coquere, collegit in agris ex vite Silveſtri Colocynthides, quas conciſſas miſit in ollam: neſciens (uti refert Sacra Scriptura [*n*]) quid eſſet, cumque guſtaſſent filii Prophetarum de pulmenti coctione, & ſenſiſſent illius amaritudinem, clamaverunt: Mors in olla: quæ quidem amaritudo per invectionem farinæ in ollam, ſtatim fuit ſublata. Metuendum, proh dolor, ne Paſtores, qui alioquin dum ad Sacerdotium & curam animarum admittebantur, fuerunt idonei reperti, poſtea lege Dei derelicta, idolis ſervientes, maxime impudicitiæ, gulæ, mammonæ, & ob id ignavi, ignari, deſides, & mancipia tabernarum facti; Metuendum, inquam, ne tales Paſtores pro pabulo ſalutari, herbas mortiferas propinent ſuis ſubditis guſtandas, ideoque conſultum erit, ſi Parochi & Concionatores ſcripto annotent, quibus cibis oves ſuas paſcant; quo tempore & loco conſtare poſſit, de ipſorum diligenti cura & doctrina; ut ſi quid hæc amarum aut mortiferum contineat, id ipſum juxta verum Sacræ Scripturæ ſenſum (quæ per farinam ollæ injectam deſignatur) tempeſtive ſanet, corrigat, & emendet is, qui in ſuo diſtrictu Eliſei officio fungitur.

Quantum ad illos, qui boni Paſtoris nomine gaudere volunt, interea re ipſa contrarium præſtant: non eſt mirum, ſi oves talibus commiſſæ fame pereant: licet enim plurimi ex ipſis naturam & vim ciborum ſpiritualium norint, & latrare valeant, muneris

(*i*) *Luc.* 22. (*k*) *Super Pſal.* 50. (*l*) *Lib.* 1. *Homil.* 18. *in Evang.* (*m*) 2. *Tim.* 4. (*n*) 4. *Reg.* 4.

ris tamen sui obliti, gregem Domini non pascunt, quia Mercenarii sunt, & non pertinet ad eos de ovibus, lac comedunt, lanis operiuntur; & sufficit ipsis, si ita Præpositi sint, & dignitate gaudeant, aurem popularem captent, honorem suum & consanguineorum quærant, lucrum & commoda sua solum respiciant, se pascant, & non oves; quia ut ait D. Gregorius, Plus terrenam substantiam, quam oves diligunt. Audire, quid D. Augustinus (o) de his scribat ad Valerium Episcopum: Ante omnia peto, cogitet religiosa prudentia tua, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore facilius, lætius, & hominibus acceptabilius Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, si perfunctorie & adulatorie agatur, sed apud Deum nihil miserius, tristius & damnabilius: econtra autem, nihil esse in hac vita, & maxime hoc tempore difficilius, laboriosius & periculosius, Episcopi, aut Presbyteri, aut Diaconi officio, sed apud Deum nihil beatius; si eo modo militetur, quo noster Imperator jubet. Hunc Imperatorem imitatur D. Paulus, & ut eundem imitemur, nos invitat, dicens (p): Imitatores mei estote, sicut & ego Christi. Quod an præstemus, an bonum certamen cum eodem certemus; an fortiter Deo militemus, & non potius transfugæ simus, unusquisque secretum conscientiæ suæ ingrediatur, reperiet, proh dolor! plurima nimis perfunctorie & adulatorie agi, maxime dissimulando cum reis criminum; inveniet plerosque nostrum non belligerantes, sed cauponantes prælia Domini, hoc lucri causa, & ad oculum tantum militantes, & Deo servientes: sed is falli non potest: ipsi enim cognita sunt opera nostra, & verendum, ne nos evomere incipiat, eo quod nec calidi, nec frigidi, sed tepidi simus.

Tertio culpa Pastorum inde oritur, quod licet pascant gregem salutaribus verbis, & Christianæ doctrinæ rudimenta recte doceant; cibum tamen, quem ad reficiendum animas apponunt, pauci præmandunt, aut prægustant: hoc est, quod non omnes, qui alios docent, se ipsos prius doceant: quod qui prædicant non furandum, furentur; qui dicunt non mœchandum, mœchentur; qui abominantur idola, sacrilegium faciant, & qui in lege gloriantur, per prævaricationem legis Deum inhonorent; id est, quod aliter vivant, quam doceant.

Eheu! quam magnum ejusmodi Prædicatorum & Pastorum numerum esse dolens audio, de quo hominum genere quam graviter conqueratur Deus per Ezechielem [q] audite: Nonne, inquit, satis vobis erat, pascua bona depasci? Insuper & reliquias pascuarum vestrarum pedibus conculcastis, & cum purissimam aquam biberitis, reliquam pedibus vestris turbabatis. Et miramur, si tam pauci in pietate proficiant, cum optimum pabulum animarum condimento, seu potius toxico malorum morum, & scandalose vitæ corrumpant ii, qui subditos suos tenentur pascere & nutrire? Quanto rectius faciunt matres & nutrices, quæ pueruli suis adhuc tenellis cibum præmandunt, & præmansum in os ingerunt, imo & tanto amore proles suas prosequuntur, ut si quando videant eas morbo laborare, qui sine medicinæ sumptione curari nequeat, ipsæmet matres, sive nutrices illam sumant, quo sic curentur proles infirmæ, sugentes cum lacte medicinam salubrem. Utinam nos id ipsum præstaremus! utinam nihil unquam verbo doceremus, quod prius vita & moribus non expressissemus! utinam dignos fructus pœnitentiæ (quæ animæ est medicina) pro peccatis populi nobis commissi, sæpius faceremus! Longe aliam Ecclesiæ faciem cerneremus; longe alios in Christiano populo mores. Prius igitur Pastores debent comedere, & postea alios pascere, prius saturari, & postea eructare. Hunc ordinem D. Paulus præscribit Timotheo (r): Attende tibi & doctrinæ: hoc est, attende tibi, ut comedas, & doctrinæ, ut postea alios erudias.

Nostro ergo vitio evenit, quod greges nobis commissi non melius pascantur; aut quod tam multi, in tanta annonæ spiritualis abundantia, siti & fame (adinstar Tantali) misere pereant; verendum, verendum certe, ne sceleris arguamur. Quarti Regum septimo legimus, Rege Syriæ, qui Samariam obsidebat, in fugam converso, leprosos illos transfugas, expleta qua premebantur fame, sublatis auro & argento, & aliis spoliis in castris repertis, existimasse se sceleris arguendos; nisi Regem Samariæ obsessum, & populum extrema fame laborantem, de hostium fuga, & abundantia in castris reperta, redderent certiorem. Certe cum mecum perpendo deplorandum hujus Diœcesis & Civitatis statum, non ira dudum ab extraneis occupatum, nunc autem Gloriossissimæ Virginis Mariæ, & Patronorum Tutelarium patrocinio, nec non Regis Hispaniarum Philippi II. potenti manu liberatum, non possum non animo exulrare. Verum cum ex altera parte diligentius oculis meis intueor hinc maximam animarum famem, & ab hostibus invisibilibus obsessionem, quam plerique subditorum nostrorum patiuntur: inde magnam omnium rerum, quæ ad refocillandas, nutriendas & liberandas animas sunt necessariæ, abundantiam in Ecclesia relictam, est; quod maxime doleam nostram negligentiam, & me gravissimæ culpæ reum existimem, si vobis non annuntiavero hujusmodi obsessionis solutionem, nec non a fame-

(o) *Epist.* 148. (p) 1. *Cor.* 11. (q) *Ezech.* 34. (r) 1. *Tim.* 4.

fame ſpirituali liberationem, jam in noſtra eſſe poteſtate: dummodo obſeſſi cupiant liberari, ſpiritualiter refici; & qui curam animarum habent, Paſtorali ſtrenue fungantur officio. Mihi itaque hanc annonæ abundantiam publicanti credite, eamque opportune diſtribuite, ne cum Duce illo, qui Eliſeo copiam hordei & ſimilæ in craſtinum prædicenti, credere nolebat, mala morte puniamini. Veſtrum igitur erit, qui per regiones vobis commiſſas, ſpiritualis annonæ Præpoſiti conſtituti, & cooperatores aſſumpti eſtis, ſi quos ſubditorum veſtrorum obſeſſos, hoc eſt, vinculis peccatorum ligatos eſſe cognoveritis, eosdem quam citiſſime fieri poterit, liberare, & cibis ſpiritualibus reficere: interim colligentes etiam in horrea, quæ ad paſcendum gregem vobis commiſſum erunt neceſſaria, & opportuna, ut tanquam fideles ſervi poſſitis dare in tempore tritici menſuram.

Curate, ne cibus Verbi Dei unquam deſit, & quod ore docetis, exemplo vitæ integræ exprimite; cibum a vobis præmanſum, ſubditis, & maxime adhuc infantibus, guſtandum præbete; & panem lacrymarum frequenter ſumite, animas veſtras & ſubditorum, Divini Corporis Chriſti viatico ſæpius reficite, & ad illum cibum ſupernum, ad beatificam illam viſionem totis animi conatibus & viribus aſpirate; & alios, ut ad eandem aſpirent, docete & exhortamini. Quod ſi præſtiteritis, non deerunt in hac Diœceſi, qui parvulis panem frangant: non erit plebs Chriſtiana famelica; timebit Deum & mandata ejus, non timore ſervili, ſed filiali; hoc eſt, ſponte & non coacte obſervabit; Paſtores & Superiores ſuos tanto ſubſequetur honore & amore, quod nullo modo ab ipſis volet avelli, aut alium, quam ab eisdem præparatum ſpiritualem cibum accipere. Quemadmodum enim nihil Reges aut Principes populo magis amabiles reddit, & gratos efficit, quam ſi procurent abundantiam annonæ; uti & turbæ teſtantur, quæ, poſt multiplicationem panum, Chriſtum ſecutæ; voluerunt illum Regem conſtituere; ſic etiam nihil Epiſcopos ac Miniſtros Eccleſiæ gratiores reddit ſuis ſubditis, quam ſi eis copiam ſpiritualis annonæ ſedulo ſubminiſtrent. Credite mihi, oculos ſuos eruerent Chriſti fideles, & ſuis Paſtoribus darent etiam nunc, ſi tales haberent, qui verbo & exemplo ipſos paſcerent, prout olim habuerunt, & adhuc Dei beneficio habentur, ſed pauci.

Scribit D. Auguſtinus (s): Si Poetæ dicere licuit, trahit ſua quemque voluptas, non neceſſitas, non obligatio, ſed delectatio, quanto magis nos dicere debemus, trahi homines ad Chriſtum, qui delectantur virtute, delectantur juſtitia, delectantur beatitudine, delectantur æterna vita; quod totum Chriſtus eſt, & cibus ſpiritualis. Et poſt pauca adjicit: Ramum oſtendis ovi, & trahit illam, nuces puero demonſtrantur, & trahitur. Hanc trahendi rationem ad Chriſtum panem vivum, qui dat vitam mundo, hanc rationem ineſcandi Chriſti fideles, ſi, qui curam habent, diligenter & exacte obſervarent, feliciſſima foret Chriſtiana Respublica, & multo felicior, quam ſi Legibus aut Statutis in ſuo continerentur homines officio; quorum quidem Statutorum & Legum multitudinem dicebat Plato: Signum eſſe mali ſtatus Reipublicæ: ideoque ad officium prudentis Magiſtratus pertinere, non porticus implere Legibus aut Statutis; ſed ad hoc adniti; ut ſubditi inſitum juſtitiæ ſtudium habeant, eo quod homines male inſtituti Leges etiam exquiſitiſſimas audeant contemnere. Hoc igitur ſedulo agamus, ut primum in nobis ipſis, dein in ſubditis curæ noſtræ commiſſis, ſanctitatis & juſtitiæ, nec non æternæ beatitudinis ſtudium inſeratur, ut ipſi eandem eſuriant & ſitiant, & nos illam abundanter ſubditorum animis inſeramus & inſtillemus.

Ad hoc cum pia juventutis inſtitutio & educatio maxime Catechiſmi doctrina plurimum profit, eamdem vobis, quantum in me eſt, commendo, & ut ſedulam ad id operam impendatis, mando & præcipio. Quod ſi hunc paſcendi populum nobis commiſſum rationem ſervaverimus, certe is voluptate & delectatione trahetur ad Chriſtum, illum tanquam Imperatorem ſequetur, & imitabitur: Paſtoris ſui vocem audiet, in paſcuis ejus manebit, & ſe feliciſſimo illius Regimini (ſub quo nihil deeſſe poteſt) ſponte ſubjiciet.

Licet autem hæc via facillima ſit ad nutriendas animas, & illas in ſuo ſpirituali vigore conſervandas, nec non ad vitam & mores hominum reformandos, quia tamen pauci, proh dolor! hoc tempore inveniuntur, qui ſua ſponte cibos ſpirituales & ſalutem animarum appetunt, aut reformationem vitæ & morum deſiderant, periculum autem ſit, ne tales bonorum Paſtorum conatus evertant, & diſciplinam Eccleſiaſticam peſſumdent; idcirco quædam ſtatuenda duximus, quibus ii, qui voluptate & ciborum ſpiritualium ſuavitate ad paſcua Domini non trahuntur, eadem ingredi, ac inibi ſalubri animarum pabulo ſe ſe reficere cogantur & compellantur; aut tanquam cadavera fœtida (ne ſua contagione gregem inficiant) ab ejusdem communione arceantur, & ſeparentur: ut ſic juxta Pſalmiſtæ votum & deſiderium

(s) *Ad cap. Joan. 6.*

rium (utinam & omnium noſtrum, quorum eſt Jurisdictionem Eccleſiaſticam promovere) in chamo & freno maxillæ eorum conſtringantur, qui ſponte appropinquare nolunt ad Dominum, aut Divinæ voluntati & Eccleſiæ mandatis obedire recuſant. In quo unusquisque noſtrum officio ſuo ſatisfaciat, ne ſi contingat oves nobis commiſſas, culpa noſtra perire, ſanguis earum de manibus noſtris requiratur, & pars noſtra ſit cum hypocritis in ſtagno ardenti, igne & ſulphure, quæ eſt mors ſecunda, a qua Deus per ſuam infinitam miſericordiam nos liberet. Sed ſpero jam nos omnes firmum concepiſſe propoſitum emendandi culpam, vel negligentiam in officio noſtro Paſtorali, aut miniſterio Eccleſiaſtico, hactenus commiſſam, Nosque Ordinationes & Statuta per Prædeceſſores noſtros edita, & alia per Nos in hac Synodo promulganda, exacte obſervaturos: Paſcendo maxime juxta doctrinam D. Petri [t] gregem Dei, providentes non coacte, ſed ſponte ſecundum Deum, neque turpis lucri gratia, ſed voluntarie; neque ut dominantes in Cleris, ſed forma facti gregis ex animo.

Sic pœnam horrendam Paſtoribus negligentibus ſtatutam evitabimus, & cum apparuerit Princeps Paſtorum, percipiemus immarceſſibilem gloriæ coronam, quam nobis tribuere dignetur Pater, & Filius, & Spiritus Sanctus. Amen.

(t) 1. *Petr.* 5.

DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ CAMERACENSIS
ANNI MDCIV.

INDEX TITULORUM.

TIT. I. De Fide & ejus integritate conſervanda.
II. De Doctrina & prædicatione Verbi Dei.
III. De Officio Divino.
IV. De dierum Feſtorum cultu, & jejuniis.
V. De Sacramentorum adminiſtratione.
VI. De Baptiſmo.
VII. De Sacramento Confirmationis.
VIII. De Sacramento Pœnitentiæ.
IX. De SSmo Euchariſtiæ Sacramento.
X. De Sacramento Ordinis.
XI. De Sponſalibus, & Sacramento Matrimonii.
XII. De Sacramento Extremæ Unctionis.
XIII. De Funeribus, Sepulturis, & Exequiis.
XIV. De Oblationibus, Decimis, & Portione Canonica.
XV. De recta Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.
XVI. De Clericis in genere.
XVII. De Epiſcopis.
XVIII. De Capitulis & Canonicis.
XIX. De Paſtoribus.
XX. De Regularibus & Monialibus.
XXI. De Scholis.
XXII. De Foro, Jurisdictione & Immunitate Eccleſiaſtica.
XXIII. De Uſuris.
XXIV. De Synodo.
Lectio & Publicatio Decretorum hujus Synodi 6ta Octobr. 1604.

TITULUS PRIMUS.
De Fide & ejus integritate conſervanda.

CAPUT PRIMUM.

QUæ poſteriori Synodo Provinciali (a) Cameracenſi conſtituta, & ad Fidei integritatem tuendam & conſervandam ordinata ſunt; ea ab omnibus inviolabiliter obſervari volumus & mandamus, ſub pœnis inibi decretis. Et quia plures ejusdem & præcedentium Synodorum Decreta, licet ſalubriter condita, hominum & temporum injuria & malitia, vel nondum ſuum ſortita ſunt effectum, vel obſervari deſierunt: idcirco hæc, quæ ſequuntur, ſtatuenda & renovanda duximus, prout præſenti Synodo ſtatuimus & renovamus.

CAPUT II.

Cum non minus nocumenti adferant damnatorum Authorum Libri, quam vox viva; obſervetur quam exactiſſi-

(a) Habita Montibus anno 1586. ſub Ludovico de Berlaymont, Archi-Epiſcopo & Duce Cameracenſi. *Vide illam Tomo VII. præcedente pag.* 991.

Digitized by Google

actiſſime Decretum dictæ poſterioris Synodi Cameracenſis Tit. I. Cap. 3. quo Decreto etiam teneantur circumforanei & vagi librorum venditores. Habeantque præterea penes ſe omnes Typographi, Bibliopolæ & Librarii Catalogum librorum prohibitorum, aliumque omnium omnino, quos in ſua officina venales habent: neque de cætero Catalogos librorum noviter impreſſorum absque licentia noſtra, aut Cenſorum noſtrorum exponant.

CAPUT III.

Eisdem prohibemus, ne deinceps Biblia vernacula, aut eorum partem aliquam vendant, niſi emptores ea legendi poteſtatem ſibi a Nobis, aut Vicariis noſtris datam in ſcriptis exhibeant.

CAPUT IV.

Moneant autem ſæpe Parochi, Concionatores ſuos Parochianos, auditores & pœnitentes, maxime circa initium Adventus & Quadrageſimæ, ne qui apud ſe libros prohibitos, aut pravis opinionibus reſperſos habeant, vel legant; propter periculum excommunicationis, ut ſi quos habent vernaculos de Sacra Scriptura & vitæ Chriſtianæ inſtitutis tractantes, de quibus certo non conſtat, an ſint approbati, eos Parocho ſuo, aut Cenſoribus a Nobis deputatis oſtendant examinandos.

CAPUT V.

Executores teſtamentorum libros defunctorum non diſtribuant, aut venales exponant, niſi Cenſoribus a Nobis deputatis eorundem Catalogum, ac etiam, ſi opus ſit, ipſos libros oſtenderint. Neque deinceps ſine Cenſorum licentia, ulla ſcripta, documenta, tabulæ, regulæ, exhortationes, & alia ejusmodi, quocumque nomine cenſeantur, non in forma libri tantum, ſed nec in extenſo chartæ folio impreſſa vendantur. Imagines autem, quæ falſitatem aliquam, adverſus ſanam fidem & probatas Sanctorum hiſtorias, continent, nullo modo exponantur, aut vendantur.

CAPUT VI.

Figuræ laſcivæ, & quæ intuentium mentibus, obſcœni aliquid ingerere poſſent, ſive ob pudendam nuditatem, ſeu alias, in proceſſionibus & ſupplicationibus publicis, non exponantur. Si quæ vero tales in templis reperiantur, Nobis denuntient Parochi, ut eæ aut omnino tollantur, vel ſaltem reformentur: neque novæ ullæ in loca ſacra figuræ inferantur, niſi approbatæ.

CAPUT VII.

Diſſimulari non debet a Nobis inſignis illorum temeritas, qui magno ſui nominis, maximo vero ſalutis filiorum ſuorum periculo, ipſos ad loca hæreſi infecta, qualibet occaſione transmittant: proinde parentes omnes hortamur, ut filios ſuos mercaturæ, aut opificii exercendi, aliave cauſa ad loca hujusmodi proficiſci non patiantur omnino, & certe, niſi de eorum fidei ſoliditate conſtet.

CAPUT VIII.

Excommunicatos a Canone pro ſuggeſtu denuntiari volumus (ita tamen, ut nominatim id non fiat absque ſpeciali noſtro mandato) omnes & ſingulos, qui Magos, Divinatores, Sagas, Ægyptios (ut vulgus vocat) aliosve ſimiles, ſuper futuris eventibus, qui a libera pendent hominum voluntate, ſuper furto ablatis, abſconditis theſauris, rebus deperditis, aliisque occultis conſulunt, aut conſuli mandant: quique rerum occultarum cognitionem, per cribri, annuli, vel alterius rei agitationem explorant, & illos, qui ligaturis, ſignis, maleficiis, aliisve modis Matrimonii actum impediunt, etiamſi animo illa diſſolvendi, aut cito tollendi id fecerint.

CAPUT IX.

Ea omnia, quæ certas perſonarum, temporum, numerorum, locorum, & ſimilium rerum obſervationes, corporisque compoſitionem, ac certorum eſculentorum & poculentorum ſumptionem ita requirunt, ut qui ea prætermiſerit, expectato fraudetur effectu; tanquam vana & ſuperſtitioſa, vel de ſuperſtitione admodum ſuſpecta, de medio tollantur, niſi arte medica, Eccleſiæ conſtitutione, aut conſuetu-

dine per eandem approbata, præſcribantur.

CAPUT X.

Cum autem adverſus mala per maleficos & ſortilegos hujusmodi illata, remediis Eccleſiaſticis uti oporteat: caveant ii, quibus exorcizandi licentia conceſſa eſt, ſeu deinceps a Nobis concedetur, ne ſuperſtitioſis precationibus, aut exorciſmis non approbatis, utantur.

TITULUS II.

De Doctrina & prædicatione Verbi Dei.

CAPUT I.

AD prædicationem Verbi DEI, & Chriſti fidelium confeſſiones excipiendas, non admittantur per Parochos Terminarii, aut alii Concionatores & Confeſſarii, niſi de admiſſione fidem fecerint: Sæculares quidem per literas noſtras, Regulares vero per ſimiles, aut earum copiam ſigillo Conventus ſui munitam, & Superiorum ſuorum manu ſubſcriptam.

CAPUT II.

Quod ſi ex admiſſis hujusmodi plures ſimul ad prædicandum concurrant: ut omnis diſſenſio & ſcandalum tollatur, Terminarius, qui ordinariam ex conſuetudine ſtationem tunc obtinet, præferatur, ſive pro illo, ſive pro ſequentibus ejusdem ſtationis diebus; alioquin is, qui a Parocho fuerit requiſitus: & extra hos caſus, qui primus in Eccleſiam venerit.

TITULUS III.

De Officio Divino.

CAPUT I.

INſtruatur diligenter populus a Parochis & Concionatoribus, quomodo, quam reverenter & devote Miſſam audire debeat: & ſevere pro concione reprehendantur omnes, qui vix conſumpta a Celebrante ſpecie panis, ante calicis ſumptionem ſurgunt, vel diſcedunt, nec uſque ad finem Miſſæ permanent.

CAPUT II.

Doceant iidem Parochi & Concionatores populum, maxime decere, ut Miſſæ privatæ genibus flexis audiantur ab omnibus.

CAPUT III.

Doceant præterea, quantæ ſit utilitatis Eccleſiam Parochialem frequentare; tum ut populus monitioni Concilii Tridentini (*b*) ſatisfaciat, & inter Miſſarum ſolemnia Evangelicam doctrinam hauriat, tum etiam ut quisque intelligat, quomodo tota ſeptimana in ſua familia ſe ſe gerere debeat, ex iis, quæ Parochus in ſua concione annuntiaverit; videlicet, quæ jejunia, quæ feſta, quæ publicæ ſupplicationes, quæ Miſſæ votivæ, & quæ alia pietatis & charitatis Chriſtianæ officia ſint agenda: ut audiant publicationes bannorum, tam eorum, qui Sacris Ordinibus ſunt initiandi, quam qui Matrimonio ſunt conjungendi, ut impedimenta, ſi quæ ſint, denuntientur: denique ut Chriſti fideles de pluribus aliis inſtruantur, quæ ad ſuam & proximorum ſalutem, & bonum publicum pertinent.

CAPUT IV.

Deambulationes in templis, etiam extra Divinum Officium ſub pœna excommunicationis prohibemus: curent proinde Eccleſiarum Superiores, etiam pœnis pecuniariis appoſitis, ejusmodi abuſum penitus aboleri.

CAPUT V.

Saluberrimam Catechiſmi doctrinam nunquam intermittant Parochi, etiamſi pauciſſimi forent auditores: ſed ſingulis diebus Dominicis ante & poſt Veſperas diligenter eo munere fungantur, magnam a Domino mercedem tam pii operis recepturi.

CAPUT VI.

Ballivos, & alios locorum Magiſtratus rogamus & hortamur, ut juxta Regium Edictum, in re tam pia operam ſuam Parochis impendant, puniantque graviter illos parentes, heros & heras, qui

(*b*) Seſſ. XXII. in Decreto, de obſerv. & evitandis in celebrat. Miſſæ.

qui filios, famulos, famulas, ad Catechiſmum non miſerint.

CAPUT VII.

Omnes obituum Anniverſariorum, Miſſarum & Capellaniarum, aliasque fundationes ad Nos quamprimum referri fideliter volumus, ut authoritate Nobis per Concil. Trid. (c) conceſſa ſtatuamus, quod magis ad Dei honorem & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem viderimus expedire: nemini ſuffragari declarantes quamlibet reductionem ſine noſtra, aut Prædeceſſorum noſtrorum, vel Vicariorum auctoritate factam.

CAPUT VIII.

Dum Miſſæ Sacrificium celebratur, non minus, quam duo cerei ſint accenſi: ſintque cætera altarium ornamenta munda & decentia, juxta præcedentium Synodorum Conſtitutiones.

CAPUT IX.

Curent Parochi, ut in locis, in quibus unica Miſſa diebus Dominicis & Feſtis celebratur, famuli, famulæ, & alii legitime impediti, alernis ſaltem vicibus Miſſam audiant, alternisque diebus Dominicis, vel Feſtis, etiam Catechiſmi lectioni interſint.

CAPUT X.

Statuta Synodalia, tam Provincialia, quam Diœceſana, de Horis in hieme & æſtate ſervandis in Miſſarum Parochialium celebratione, & Veſperarum decantatione, ſub pœna ſuſpenſionis, & alia, arbitrio noſtro imponenda, obſervari mandamus.

CAPUT XI.

Raro, & non niſi gravibus de cauſis extra Eccleſias proceſſionaliter efferatur Venerabile Sacramentum, curentque Parochi, & Eccleſiarum Æditui, ut cum ſufficienti tædarum aut cereorum lumine id fiat.

CAPUT XII.

In ſupplicationibus laici ſuum ordinem ſervent, Clerumque & Magiſtratum ſequantur, nec ulli inter Eccleſiaſticos ſe ſe ingerant.

CAPUT XIII.

In iisdem ſupplicationibus nulla exhibeantur ſpectacula, quæ a cultu Venerabili Sacramento, Sanctorumque Reliquiis debito, Chriſti fidelium animos avertant.

TITULUS IV.

De dierum Feſtorum cultu, & jejuniis.

CAPUT I.

UT abuſus ille, Divino & Eccleſiaſtico præcepto contrarius, ſemel tandem penitus aboleatur, quo ſe plerique exiſtimant probe ſuo functos officio; ſi Miſſa, etiam privata tantummodo, diebus Dominicis & Feſtis audita, reliquum diem profectioni, negotiationi, luſibus, choreis, potationibus, & aliis ſæcularibus, vel etiam illicitis actionibus impendant: Parochi ſuis ſubditis frequenter inculcent ea, quæ in Catechiſmo Romano ad tertium præceptum Decalogi, & aliis authoribus, de recta dierum Feſtorum obſervatione traduntur.

CAPUT II.

Si quando ob cœli inconſtantiam & imminentes tempeſtates, maturas fruges ex agris aſportari diebus Sacris fuerit neceſſarium, id non ſine expreſſa Parochorum licentia fiat.

CAPUT III.

Ebrietatis vitium adeo enorme, ut S. Paulo teſte, a Regno ſæculorum homines excludat, multo majori reprehenſione dignum eſt, ſi diebus cultui Divino, & animarum ſaluti deputatis, committatur: propterea Parochis & Concionatoribus mandamus, ut tam grave peccatum diligenter pro concione exaggerent, & illius deformitatem, pericula, ac incommoda oſtendant.

CAPUT IV.

Feſta tam majora, quam minora in Diœceſi Cameracenſi hactenus celebrari conſueta, ea, qua decet, reverentia coli, & indicta jejunia obſervari volumus & mandamus.

CAPUT

(c) Conc. Trid. Seſſ. XXV. C. 4. de Reform.

Digitized by Google

CAPUT V.

Festa autem Majora, præter Dominicas, sunt hæc: Festum Circumcisionis Domini, Epiphaniæ, Purificationis B. Mariæ, Annunciationis ejusdem, Paschæ cum feria secunda sequente, Ascensionis Domini, Pentecostes cum feria secunda sequente, Ss. Trinitatis, Sanctorum Philippi & Jacobi Apostolorum, Inventionis Sanctæ Crucis, Venerabilis Sacramenti, Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, Petri & Pauli Apostolorum, Visitationis B. Mariæ Virginis, B. Mariæ Magdalenæ, Jacobi Apostoli, Laurentii, Assumptionis B. Mariæ, Bartholomæi Apostoli, Nativitatis B. Mariæ, Exaltationis Sanctæ Crucis, Matthæi Apostoli, Michaelis Archangeli, Simonis & Judæ, Omnium Sanctorum, Martini Hyemalis, Catharinæ, Andreæ Apostoli, Nicolai Hyemalis, Conceptionis B. Mariæ, Thomæ Apostoli, Nativitatis Domini, Stephani Protomartyris, Joannis Evangelistæ, Patroni & Dedicationis cujusque Ecclesiæ semel in anno. In Civitate autem nostra Cameracensi, inter majora etiam observari præcipimus, Festum Processionis postridie Ss. Trinitatis, Sancti Gaugerici undecima Augusti, & Sancti Auberti decima tertia Decembris.

CAPUT VI.

Minora vero Festa sunt, Conversionis Sancti Pauli, Cathedræ Petri die vigesima secunda Februarii, Matthiæ Apostoli, Marci Evangelistæ, feria tertia & quarta Paschæ & Pentecostes, Petri ad Vincula, Decollationis Sancti Joannis Baptistæ, Lucæ Evangelistæ, & Sanctorum Innocentium: quibus diebus Christi fideles Missam audire tenentur.

CAPUT VII.

Si Festum Purificationis B. Mariæ Virginis inciderit in Dominicam Septuagesimæ, Sexagesimæ, & Quinquagesimæ, non transferatur, sed celebretur cum commemoratione Dominicæ. Si autem Festum Annunciationis ejusdem B. Virginis inciderit in aliquam Dominicam Quadragesimæ, transferatur in feriam secundam proxime sequentem, & a populo ferietur. Si vero inter Dominicam Palmarum & Dominicam *Quasimodo* inclusive evenerit, feria secunda post *Quasimodo* celebretur, & a populo ferietur.

CAPUT VIII.

Si Festum S. Marci in die Paschæ, vel ejus octavis evenerit, celebretur cum jejunio, Litaniis & Processione in proxima feria post *Quasimodo* non impedita Festo Ss. Philippi & Jacobi, vel Exaltationis S. Crucis. Si autem in aliquam Dominicam post Pascha inciderit, eadem die celebretur: sed jejunium, ac Processio & Litaniæ in proximam sequentem feriam alterutro dictorum festorum non impeditam transferantur. Sed si alterutrum ex dictis Festis Ss. Philippi & Jacobi, & Exaltationis S. Crucis inciderit in diem Ascensionis Domini, eorundem officium fiat feria sexta sequente, sed a populo non ferietur. Dedicatio vero nostræ Ecclesiæ Metropolitanæ Cameracensis, & omnium simul totius Diœceseos Ecclesiarum, celebretur Dominica proxime sequente diem tertium mensis Julii.

CAPUT IX.

Grave nimis & intolerabile scandalum præbent plerique Catholici, qui diebus Quadragesimæ & Jejuniorum, etiam publice comessari, inebriari, vel saltem jejunia ab Ecclesia præscripta violare non verentur, in animarum suarum manifestum periculum, aliorum offensionem, & Ecclesiastici præcepti contemptum maximum. Idcirco omnibus Parochis & Concionatoribus serio præcipimus, ut populo frequenter exponant & doceant, eos, qui morbo, ætate, aliave legitima a Parochis vel Confessariis probata causa non impediti, dictum jejunandi præceptum scienter transgrediuntur, toties graviter peccare: volentes insuper, ut publici hujusmodi jejunii violatores, per Parochos & Decanos ad Nos, aut Officialem nostrum, sine ulla dissimulatione deferantur, pro modo culpæ puniendi: hortantes locorum Magistratus, ut in tam pia causa suam etiam civilem auctoritatem interponant, & contemptores puniant.

CA-

CAPUT X.

Indicta autem jejunia præter Quadrageſimam & quatuor tempora, hæc ſunt: Vigiliæ Pentecoſtes, Nativitatis B. Joannis Baptiſtæ, Petri & Pauli Apoſtolorum, Laurentii Martyris, Aſſumptionis B. Mariæ Virginis, Matthæi Apoſtoli, Simonis & Judæ Apoſtolorum, Omnium Sanctorum, Andreæ Apoſtoli, & Nativitatis Domini. Si quæ ex his Vigiliæ in Dominicam inciderint, Sabbato præcedenti jejunetur. In Feſto autem S. Marci, & tribus diebus Rogationum abſtineatur ab eſu carnium per totam diem, & jejunetur uſque ad prandium.

TITULUS V.

De Sacramentorum adminiſtratione.

CAPUT I.

NUllus Parochus, aut Presbyter extra caſum neceſſitatis alienis Parochianis Sacramenta adminiſtret, ſine Parochi ipſorum, aut noſtra licentia: ſi quis autem in extrema neceſſitate conſtitutis, etiam non ſubditis, hanc operam Chriſtianam negaverit, præter peccatum graviſſimum quod committit, ab iis, qui conſcii fuerint, ad Decanos & Promotores deferri jubemus.

CAPUT II.

Parochi, eorumque Vicarii ad Sacramentorum adminiſtrationem a ſubditis in eorum neceſſitate vocati, illam nullo prætextu differant: alioqui pro modo culpæ graviter puniantur.

CAPUT III.

Publicæ meretrices, uſurarii, & alii quilibet peccatores notorii, etiam ſanctiſſime confeſſi, ad publicam Sacramentorum perceptionem non admittantur, niſi publice pœnitentiam egerint, aut ex ipſorum bona converſatione, aliove legitimo modo, de vitæ ipſorum emendatione publice conſtet. Occulti autem peccatores ne publicè a Sacramentis arceantur.

TITULUS VI.

De Baptiſmo.

CAPUT I.

AD proles de fonte baptismatis ſuſcipiendas non recipiant Parochi eos in patrinos & matrinas, quos Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Præcepta Decalogi & Eccleſiæ ignorare, aut in poſtremo Paſchate ex præcepto Eccleſiæ peccata ſua confeſſos non fuiſſe, & Sacram Euchariſtiam (ſi in ætate competenti exiſtant) non ſumpſiſſe, aut excommunicatos, publice denuntiatos, eſſe conſtiterit.

CAPUT II.

Ad obſtetricis officium nulla inpoſterum admittatur, quæ etiam coram Parocho ſuæ reſidentiæ, juramentum ſecundum formam, a Nobis in Manuali noſtro præſcriptam, non præſtiterit.

CAPUT III.

Nulla deinceps obſtetrix, aliave mulier, puerperam ullam, ad Templum purificandam, inconſulto Parocho audeat adducere: alioqui taliter adducta ad purificationem non admittatur.

CAPUT IV.

Non liceat ullis Sacerdotibus præter Parochos, aut eorum Vicarios Sacellanos (niſi de ipſorum conſenſu) mulieres a puerperio purificare.

TITULUS VII.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT UNICUM.

QUæ ad diſpoſitionem hoc Sacramentum ſuſcipientium, & alia huc ſpectantia pertinent, petantur ex Synodis præcedentibus, & noſtro Manuali.

TITULUS VIII.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

NE multitudine Caſuum reſervatorum infirmi, & nimis verecundi, a ſalutari Pœnitentiæ Sacramento retrahantur, reſervamus Nobis, Vicariis noſtris,

Digitized by Google

noſtris, & Pœnitentiario, ea tantummodo peccata, quæ ſequuntur. (*d*)

1. Hæreſim. 2. Apoſtaſiam. 3. Publicam & enormem in Deum & Sanctos blaſphemiam. 4. Homicidium voluntarium. 5. Incendium etiam voluntarium. 5. Inceſtum cum patre, matre, filio, filia, fratre, ſorore, & cum mulieribus religioſis profeſſis. 7. Maleficia. 8. Voluntarias parvulorum oppreſſiones. 9. Simoniam realem. 10. Sodomiam, & ejusdem generis graviora.

Similiter reſervamus peccata mandantium, conſulentium, auxilium & favorem præſtantium in hæreſi, homicidio, incendio, maleficiis, & oppreſſione parvulorum ſupradictis.

CAPUT II.

Permittimus nihilominus, ut in unoquoque Decanorum Chriſtianitatis diſtrictu quatuor Parochi prudentiores, locis opportunis reſidentes, in eorum congregatione Capitulari eligantur, & electorum nomina ad Nos referantur, qui accepta a Nobis licentia, ſicut & ipſi Decani a ſupradictis caſibus, ſuorum reſpective diſtrictuum Chriſti fideles, in foro conſcientiæ tantum, abſolvere poſſint ac valeant.

CAPUT III.

Nemo tamen prædictorum Confeſſariorum, virtute ejusmodi conceſſionis, permiſſionis ac facultatis noſtræ, quemquam præſumat ab hæreſi abſolvere, niſi ſpecialem licentiam id faciendi in ſcriptis obtinuerit.

CAPUT IV.

Quamquam Prædeceſſores noſtri excommunicationes omnes, ſuſpenſiones, & interdicta Synodalia ſibi & Succeſſoribus ſuis reſervaverint: Nos tamen humanæ fragilitati conſulere cupientes, ea tantummodo reſervamus inpoſterum, quæ in antiquis eorundem Prædeceſſorum noſtrorum Decretis propediem recudendis, reſervata declarantur: a cæteris abſolvere poterunt omnes Sacerdotes a Nobis ad confeſſiones audiendas admiſſi, & deinceps admittendi, idque in foro conſcientiæ tantum. (*e*)

CAPUT V.

Parochianos ſuos ad frequentem confeſſionem ſæpe hortentur Parochi, modumque & neceſſitatem confitendi eos publice doceant, imminente potiſſimum Adventu Domini & Quadrageſima.

CAPUT VI.

Confiteri volentes in aliud tempus non rejiciant, niſi ad miniſterium publicum in Eccleſia exercendum, aut aliquod Sacramentum neceſſario adminiſtrandum, ſed faciles & benignos omnibus ſe præbeant, ſciantque, ſe medicos eſſe animarum Chriſti Sanguine redemptarum.

CAPUT VII.

Confeſſarii ſedulo pœnitentes interrogent (niſi aliunde conſtet) num Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Dei & Eccleſiæ exacte norint; & ignorantibus præcipiant, ut quamprimum omnia ſupradicta diligenter addiſcant: ſe alioqui negligentibus beneficium abſolutionis denegaturos.

CAPUT VIII.

Prohibemus omnibus Confeſſariis, etiam Regularibus, ne unquam de peccatis in confeſſione exauditis, inter ſe conferant. Si tamen interdum neceſſitas id poſtulaverit, tam diſcrete faciant, ut in perſonarum cognitionem, ne per ſuſpicionem quidem, veniri poſſit.

CAPUT IX.

Nulli Confeſſario liceat eorum, quibus ipſe in delicto præſertim graviore ſocius fuit, confeſſiones audire.

CAPUT X.

Prætextu confeſſionum excipiendarum nullo modo prætereant Parochi horam celebrandi Miſſam parochialem diebus Dominicis & Feſtis.

CAPUT XI.

Mulierum confeſſiones nemo audiat, niſi in loco omnibus conſpicuo, & adhibito lumine, ſi tenebræ fuerint, uti nec in ædibus privatis extra caſum infirmitatis.

CA-

(*d*) Vid. Rituale Cameracenſe noviſſimum.

(*e*) Vide ibid.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Dum pœnitentium etiam Sacerdotum confeſſiones audiunt Confeſſarii, tanquam Judices ſedeant.

CAPUT XIII.

Hortamur Sacerdotes omnes, ut ſaltem ſemel in hebdomada confiteantur.

CAPUT XIV.

Studioſi, famuli & famulæ in Paſchate confiteantur, & communicent in loco reſidentiæ ſuæ. Quod ſi in loco Nativitatis, vel alio, quo fortaſſis tunc diverterint, confeſſi fuerint, ac communicaverint, teſtimonium Parocho dictæ ſuæ reſidentiæ referant.

CAPUT XV.

In Eccleſiis, in quibus magnus eſt Sacerdotum numerus, ſi Collegiatæ fuerint, Decani & Capitula; ſi Parochiales, ipſi Parochi præſentent Nobis doctiores & prudentiores aliquot ex iis, quibus (ſi idonei reperti fuerint) confeſſiones audiendi facultatem committamus.

CAPUT XVI.

Initio cujusque Quadrageſimæ publice moneantur omnes, qui a poſtremo Paſchate non ſunt confeſſi, ut in hebdomadam majorem, illiusque ultimos dies confeſſionem non differant: alioqui in dies ſequentes expectare cogantur, quo eorum ſaluti melius conſulere, & eorum conſcientiam diſcutere valeant Confeſſarii.

CAPUT XVII.

Optamus omnes Religioſos, etiam exemptos, obſervare Anteceſſorum noſtrorum Decreta, de deſcribendis in Quadrageſima confitentium nominibus.

CAPUT XVIII.

Confeſſarii, etiam Regulares, non utantur alia forma abſolutionis, quam ea, quæ in Manuali noſtro præſcripta eſt.

TITULUS IX.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPUT I.

PArochi omnes, aliique locorum Superiores, ſemel ſaltem in menſe Hoſtias conſecratas, quæ ad uſum infirmorum aſſervantur, conſumant, & novas conſecrent: ubi vero loca ſunt humidiora, ſæpius id fiat.

CAPUT II.

Ad frequentem & ferventem Communionem populum ſæpe hortentur Parochi & Concionatores.

CAPUT III.

Qui, vel quæ ex conſuetudine potius, & ad aliorum imitationem, quam ex devotione frequenter, aut quotidie communicare adveruntur, ad tam frequentem Communionem non facile admittantur.

CAPUT IV.

Doceant Parochi populum in ablutione, quæ datur poſt Sacram Communionem, non eſſe niſi purum vinum: & proinde, quantum fieri poterit, non ex calice ſacrato, ſed alio vaſculo porrigatur.

CAPUT V.

In patenis calicum nullæ deinceps fiant ſculpturæ, vel cœlaturæ: ipſæ autem patenæ, quantum fieri poteſt, ſint inauratæ.

CAPUT VI.

Ubi magnus eſſe ſolet in Paſchate, Natali Domini, & alias communicantium numerus, conſtituatur in loco ad hoc commodo Sacerdos aliquis, qui qualibet hora, etiam extra tempus Miſſæ, omnibus advenientibus Sacram Euchariſtiam adminiſtret.

CAPUT VII.

Prædeceſſorum noſtrorum veſtigiis inhærentes, comitantibus Venerabile Corpus Chriſti, quando ad infirmos defertur, eundo decem, & redeundo etiam decem dies; iis vero, qui de nocte comitati fuerint, vel de die cum tædis aut candelis accenſis, viginti dies Indulgentiarum eundo, & totidem redeundo, concedimus.

CAPUT VIII.

Adoleſcentes, qui prima vice Euchariſtiam ſumere voluerint, ad eam non admittantur, niſi eos Parochus, Confeſſarius, vel Catechiſta, aliquot ante die-

Digitized by Google

bus examinaverit, & de vi & ratione Sacramenti diligenter inſtruxerit. Ut autem hoc obſervent fideles, Statutum illud frequenter pro ſuggeſtu inculcent Parochi.

CAPUT IX.

Confraternitates Corporis Chriſti in omnibus locis, ſaltem celebrioribus, erigi optamus.

TITULUS X.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

ORdines ſuſcepturi accedant cum tonſura & habitu decenti, Ordinique ſuſcipiendo convenienti.

CAPUT II.

Parochi, & alii, ad quos ſpectat, nomina & deſiderium eorum, qui ad ſingulos majores Ordines volent promoveri, publice in Eccleſia intra Miſſarum ſolemnia proponant: & de ipſorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus & vita a fide dignis diligenter inquirant: ac literas teſtimoniales ipſam inquiſitionem factam continentes, Parochi quidem ad Decanum Chriſtianitatis clauſas & ſubſignatas, ipſius Decani teſtimonio roborandas, alii ad Nos etiam ſubſignatas; Decani vero easdem ſuo teſtimonio roboratas & clauſas, per ordinandos ad Nos transmittant. Quod ſi ordinandi extra locum Nativitatis habitent, a Parocho, vel alio Superiore loci reſidentiæ ſuæ, morum & vitæ teſtimonium ſimiliter clauſum adferre teneantur.

CAPUT III.

Qui ad Subdiaconatus Ordinem erunt promovendi, præter teſtimonia jam dicta habeant etiam Titulum Beneficii Eccleſiaſtici, vel Patrimonii: & ſi quidem titulus Beneficium fuerit, ejus valorem examinabunt Decani, ſuaque ſubſcriptione illius veritatem teſtabuntur, aut literis clauſis defectum, quem adverterint, Officiali noſtro ſignificabunt; omnino autem inſufficientem rejicient. Si vero Patrimonium fuerit, literas authenticas adferent in pergameno a Scriba Magiſtratus ſubſignatas, vel alias, pro conſuetudine loci validas, quæ contineant hypothecam Tituli, ejusque valorem, ac patris, matris, vel alterius donatoris ex præſcripto legum municipalium realem ceſſionem, vel ſucceſſionem, cum ſimili ſubſcriptione Decani.

CAPUT IV.

Qui autem ad Diaconatus, vel Presbyteratus Ordines erunt aſſumendi, etiam miniſtrationis in Ordine ſuſcepto, teſtimonium a Parocho, vel alio fide digno ſubſcriptum adferre teneantur.

CAPUT V.

Sacro Presbyteratus Ordine initiati, primam ſuam Miſſam intra quadraginta dies ab ordinatione celebrent: neque diutius ſine noſtra licentia differant: ac in hujusmodi celebritate ab omni inſolentia, exceſſu & choreis abſtineatur.

TITULUS XI.

De Sponſalibus, & Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

AD Sponſalia contrahenda nulli in poſterum admittantur, niſi in manibus Parochorum affirment, ſe vere exiſtimare nullum inter ipſos Canonicum impedimentum intercedere, ratione cujus Matrimonium contrahere non poſſent.

CAPUT II.

Si quis in extrema ægritudine conſtitutus, in favorem legitimandæ prolis Matrimonium contrahere cupiat, & non poſſit ad Nos ejus deſiderium commode referri; permittimus, ut omiſſis tribus proclamationibus, præſente Parocho, & duobus vel tribus teſtibus, etiam in privatis ædibus (niſi Canonicum illud obſtet impedimentum) Matrimonio conjungi poſſit.

CAPUT III.

Quod alias conſtitutum eſt, & quibusdam in locis minus exacte obſervatum, innovantes, omnibus Parochis prohibemus, ne quos ad Matrimonium contrahendum admittant, niſi Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum,

Præ-

Digitized by Google

præcepta Decalogi & Eccleſiæ ſciant, & pro ſuo captu intelligant.

CAPUT IV.

Si contrahentes diverſarum Parochiarum, Decanatuum, & Epiſcopatuum exiſtant, ſine literis alterius parochi, Decani vel Epiſcopi, eorum ſigillo munitis, ad Matrimonium non admittantur; ita quod parochus parocho, Decanus Decano, & Epiſcopus Epiſcopo literas ſuas dirigant. Parochus vero, qui ſine hujusmodi literis eos Matrimonio conjungere, aut benedicere præſumpſerit, a Divinis uno menſe ſuſpendatur, aut alias arbitrio noſtro, ſeu Officialis noſtri puniatur. Continebunt porro dictæ literæ præter teſtimonium vitæ, etiam quamdiu perſonæ deſponſæ, aut earum altera, in parochia, Decanatu, Epiſcopatu habitaverint.

CAPUT V.

Omnibus parochis præcipimus, ut bis ſaltem in anno pro ſuggeſtu populo impedimenta, quæ Matrimonium impediunt, vel dirimunt (ut in Manuali noſtro recenſentur) diligenter exponant: in quo, ſi negligentes deprehenſi fuerint, ſevere ab Officiali noſtro eos puniri mandamus.

CAPUT VI.

Antequam ad Matrimonium admittant aſſidatos, diligenter etiam ſecreto ab iis (& præſertim puellis) inquirant parochi, an libere, an vero coacte, contrahant: & ſi quomodolibet coactos deprehenderint, aut minus liberos, vel Matrimonium differant, vel omnino illud non celebrent. Et ſi ipſi parochi (quod abſit) illius coactionis complices, ſocii aut conſcii fuerint, & nihilominus ad Matrimonii contractum proceſſerint; præter excommunicationem, quam ipſi de jure ipſo facto incurrunt, volumus, ut ab Officiali noſtro graviter puniantur. Excommunicationem etiam incurrunt omnes illi, qui quovis modo, directe vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoscunque alios cogunt, quominus libere Matrimonia contrahant. (f)

CAPUT VII.

Parochi ſæpe hortentur patres & matres, ne ullo modo liberos ad Matrimonium cum certis perſonis cogant, ſed obtemperare nolentes rationibus ad conſenſum inducant. Filios autem & filias viciſſim admoneant, doceantque non eſſe contemnenda in re tanti momenti & parentum & ſeniorum ſana conſilia.

CAPUT VIII.

Matrimonium, libertati conſulere volentes, pœnas pecuniarias in contractu antenuptiali, quarum metu contrahentes ad Matrimonium inviti, aut minus liberi compellantur, improbamus: ideoque tam contrahentes, quam hujusmodi contractibus aſſiſtentes, & Notarios monemus, ut a tali pœnarum appoſitione & ſtipulatione penitus abſtineant.

CAPUT IX.

Sponſalia contracta non dirimant Parochi, ſed rei cognitionem ad Officialem noſtrum remittant.

CAPUT X.

Eos, qui fœminam quamcunque uxoris loco publice fovent, ſi liberi ſunt, ad Matrimonium contrahendum hortentur parochi: parere nolentes, ad promotores, aut Officialem deferant.

TITULUS XII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

SAcramentum iſtud quamquam non ſit de neceſſitate ſalutis abſoluta, diligenter adminiſtrent Parochi: &, quatenus fieri poteſt, per ſe, raro autem per Subſtitutos morientibus adſint: cum in extremo hujusmodi conflictu, paſtorum opera maxime indegeant fideles.

CAPUT II.

Frequenter moneant ſubditos ſuos, & oſtendant non eſſe differendum tam ſalutare Sacramentum ad extremam ægritudinem, falſamque illorum opinionem convellant, qui arbitrantur iis ex

(f) Conc. Trid. Seſſ. XXIV. C. 9. de Reform. Matr.

Digitized by Google

ex hac vita neceſſario migrandum eſſe, qui hoc Sacramento ſunt muniti: cum nimis impium ſit exiſtimare, Sacramenta ad animarum ſalutem inſtituta, corporibus mortem adferre, aut accelerare.

CAPUT III.

Doceantur autem omnes, hujus Sacramenti ſuſceptione neminem impediri a condendo teſtamento, ſeu alia bonorum temporalium diſpoſitione.

CAPUT IV.

Omnibus noſtræ Diœceſis Chriſti fidelibus, qui Sacrum infirmorum Oleum, quando ad ægrotos inungendos defertur, comitati fuerint, eundo decem, & redeundo etiam decem dies Indulgentiarum in Domino conferimus: iis vero, qui id de nocte præſtiterint, viginti dierum Indulgentiarum eundo, & totidem redeundo, impartimur.

CAPUT V.

Piam & olim uſitatam conſuetudinem aliquid ex teſtamento legandi Eccleſiæ Cameracenſi ut matri, in uſum revocari curent Parochi, & Notarii teſtamentorum Scriptores; idque ad conſervandam Eccleſiæ matrici debitam reverentiam.

TITULUS XIII.

De Funeribus, Sepulturis & Exequiis.

CAPUT I.

IN ſepeliendis corporibus defunctorum, etiam infantium, ſerventur formulæ in noſtro Manuali præſcriptæ.

CAPUT II.

Brevem ſemper exhortationem habeant Parochi in ſepultura & exequiis defunctorum, antequam populum a loco ſepulturæ dimittant; in eaque ad ſeriam mortis cogitationem, & præparationem, atque ad orandum pro defunctis omnes hortentur.

CAPUT III.

In orationibus funebribus ita diſcrete ſe gerant Concionatores, ut aſſentationem omnem fugiant, & non niſi ob veras & compertas virtutes defunctos laudent.

TITULUS XIV.

De Oblationibus, Decimis, & portione Canonica.

CAPUT I.

NOva gazophylacia, ſeu truncos (ut vocant) in Eccleſiis ſine noſtra licentia poni vetamus.

CAPUT II.

Antiquo Diœceſis noſtræ Decreto & dudum receptæ conſuetudini inhærentes, excommunicatos a Canone declaramus, & excommunicatos generaliter denunciari mandamus, quotquot fraudem & dolum in decimis lanarum, vellerum, agnorum, & aliarum rerum committunt.

CAPUT III.

Quæ de portione Canonica ſalubriter ſunt conſtituta, ea obſerventur, & debitæ executioni mandentur.

TITULUS XV.

De recta Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.

CAPUT UNICUM.

ECcleſiarum bona a fidelibus in animarum ſuarum refrigerium, atque ad Catholicæ Religionis, Divinique cultus perpetuationem relicta, & a Prædeceſſoribus diligenter conſervata & aucta, qua par eſt diligentia etiam Nos conſervari cupientes; mandamus, ut quæcumque ab iisdem ſunt conſtituta, exacte obſerventur: & inſuper Decanis Chriſtianitatis præcipimus, ut eos, qui hac in re negligentes deprehenſi fuerint, ad Nos deferant, pro modo culpæ arbitrio noſtro puniendos.

TITULUS XVI.

De Clericis in genere.

CAPUT I.

QUi in Sacris ſunt conſtituti, habitu Ordini ſuo conveniente utantur, ac non niſi cum pileo, ſeu bireto Clericali in populum prodeant, & ad Eccleſias accedant.

CAPUT II.

Cum indecorum ſit Eccleſiaſticos ſe ſe negotiis ſæcularibus immiſcere, multo

multo minus decet eos alienas decimas colligendas, terras aut prædia excolenda accipere: a qua negotiatione & rebus sæcularium tractandis ut in posterum abstineant, districte mandamus.

CAPUT III.

Ad officium Clericaturæ, Matricularii, seu Custodis, non admittantur, nisi prima tonsura insigniti: neque vilem aliquam artem exerceant.

TITULUS XVII.

De Episcopis.

CAPUT UNICUM.

QUæ de officio Episcopali in Generali Tridentina Synodo, & Provincialibus Cameracensibus, sancte fuerunt constituta, quantum cum Divinæ gratiæ adjutorio in Nobis erit, operam dabimus, ut ea exacte observentur: in Domino confidentes, Clerum nostrum, & maxime Prælatos, ac alios in Ecclesiastica dignitate constitutos, ad eorum executionem Nobis futuros fideles & voluntarios Cooperatores.

TITULUS XVIII.

De Capitulis & Canonicis.

CAPUT I.

OMnes Divina per se, & non per Substitutos compellantur obire officia.

CAPUT II.

Curent Ecclesiarum Superiores exacte observari Decreta postremæ Synodi Provincialis, tum alia hujus Tituli, (g) tum ea, quæ sunt C. 15. & 17.

CAPUT III.

Fidei professionem ab omnibus Canonicis in prima eorum receptione, juxta formam a PIO. IV. præscriptam, integre fieri mandamus.

CAPUT IV.

Distributiones, quæ in Ecclesiis fieri solent, vel debent, in posterum non fiant; in Matutino quidem Officio, ante *Benedictus*, & in Vespertino, ante *Magnificat*; in Missa vero ante Communionem Sacerdotis: nec earum participes esse censeantur, qui ab initio cujusque Officii, ad finem usque (legitimo cessante impedimento) Choro non interfuerint.

CAPUT V.

Singulæ Ecclesiæ Collegiatæ habeant Synodalia Decreta, compacta, & in Capitulo asservata.

TITULUS XIX.

De Pastoribus.

CAPUT I.

ANtecessorum nostrorum Decreta tam antiqua, quam nova, ac etiam Concilii Tridentini, quæ nostræ Diœcesis parochos concernunt, in singulis Decanorum Capitulis, successive per partes saltem legantur: sintque congregationes feriæ; refectio autem brevis & sobria.

CAPUT II.

Habeant omnes Parochi ut minimum Biblia Sacra, Catechismum Romanum ad parochos, & parvum Catechismum vernaculum, Concilium Tridentinum, Directorium Polanci, & alium Summistam, ac Homiliasten aliquem probatum in totius anni Evangelia.

CAPUT III.

Nunquam intermittant Parochi, quin per se, vel per alios idoneos, si legitime impediti fuerint, saltem Dominicis & Festis solemnioribus plebes sibi commissas pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis.

CAPUT IV.

Conciones autem eorum sint breves, nervosæ, & horæ unius spatium non excedant, etiam inclusis monitionibus Dominicalibus, seu mandatis, quæ juxta instructionem in Manuali nostro præscriptam, & laudabilem ac antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem, fieri præcipimus.

CAPUT V.

Doceant, quæ scire omnibus necessarium est, annuntiando eis cum brevitate & facilitate sermonis salutarem fidei doctrinam, vitia, quæ declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.

CAPUT

(g) Syn. Prov. 1586. Tit. 18.

Digitized by Google

CAPUT VI.

Populum cohortationibus & admonitionibus ad religionem & pacem, innocentiamque accendant, diſſidentes ad concordiam revocare ſtudeant: ſint proinde ipſi vel maxime religionis, vel veræ pietatis inſignes cultores, pacis ſtudioſi, innocentiæ & puritatis nomine commendabiles: a diſſidiis vero & odiis ita prorſus abhorreant, ut ſe ſe veros animarum Curatores, non autem in Clero dominantes exhibeant: Qui in his deliquerint, ſine ulla diſſimulatione aut privata affectione a Decanis ad Nos deferantur.

CAPUT VII.

Nemo de cætero virtute ſolius admiſſionis, vel etiam collationis alicujus beneficii curam animarum annexam habentis, in Eccleſia ipſius beneficii adminiſtrare præſumat, niſi prius inſtitutionem Canonicam, poſſeſſionem, & curam animarum acceperit: alioqui fructibus illius ami privatus exiſtat eo ipſo.

CAPUT VIII.

Decani Chriſtianitatis ſingulis annis ſuos Diſtrictus viſitent, & ſuarum viſitationum articulos in ſcriptis (eorum copia ſibi retenta) ad Nos ante Kalend. Septemb. tranſmittant.

CAPUT IX.

Prohibemus Parochis, ne paſtoralibus domibus, quæ exſtant, relictis, alias inhabitent: & ubi eſt fundus paſtoralis, in alio non ædificent. Si ſecus fecerint, arbitrio noſtro mulcta indicta puniantur.

CAPUT X.

Si quando Presbyteri curam animarum habentes, ex cauſa legitima a ſuis Eccleſiis ad breve tempus abeſſe debebunt, alium Sacerdotem idoneum, & a Nobis ad Sacras Confeſſiones audiendas, & Sacramentorum adminiſtrationem admiſſum, ſubſtituant: vel vicino Presbytero curato ſuas vices committant.*

TITULUS XX.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

NOn patiantur Sanctimonialium Præfecti & Præfectæ quemquam, etiam ejusdem ſexus, ad loca regularia admitti, quovis prætextu vel colore etiam veſtitionis aut profeſſionis, ſub pœna excommunicationis, tam in admittentes, quam in ingredientes: curentque dicti Superiores Decretum iſtud publicari, quotiescunque ejusmodi ſolemnitates occurrunt, & ejus copiam valvis clauſuræ affigi.

CAPUT II.

Religioſorum Superiores nonniſi graves, pios, maturos, & obſervationum Regularium ſtudioſos viros, Novitiis formandis præficiant, qui eos in mortificatione, humilitate, charitate, cæterisque virtutibus, probe inſtituant; tales quoque Magiſtras ſuis Novitiis præbeant Sanctimonialium Præfectæ.

TITULUS XXI.

De Scholis.

CAPUT I.

SCholis etiam, in quibus prima literarum rudimenta docentur, nonniſi matura ætate viri præficiantur, ſi poſſint haberi.

CAPUT II.

Easdem Scholas in oppidis præſertim, & aliis locis celebrioribus ſimul non frequentent pueri & puellæ: ſed viri maſculis, fœminæ puellis, quantum fieri poteſt, inſtruendis præſint.

CAPUT III.

Curent ejusmodi Scholarum Præfecti & Præfectæ ſingulis diebus Profeſtis ex Catechiſmo vernaculo aliquid a ſingulis recitari; diligentemque navent operam, ut quamprimum ſciant omnes memoriter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Præcepta Dei & Eccleſiæ: diebus vero Dominicis, & aliis, quando lectio Catechiſtica habetur, diſcipulos ſuos ad eam deducant.

TITULUS XXII.

De Foro, Jurisdictione, & Immunitate Eccleſiaſtica.

CAPUT UNICUM.

DEcreto S. Concilii Tridentini inhærentes, quo ſtatuimus, ut in ſingu-

Digitized by Google

ſingulis Conciliis Provincialibus aut Diœceſanis, aliquot perſonæ, quæ qualitates habeant, juxta Conſtitutionem BONIFACII VIII. quæ incipit: *Statutum*, & alioquin ad id aptæ deſignentur, ut præter Ordinarios locorum, iis etiam cauſæ Eccleſiaſticæ & ſpirituales, atque ad forum Eccleſiaſticum pertinentes, in partibus delegandæ committantur: nominamus infra ſcriptos, videlicet Venerabiles Viros & Dominos, *Robertum de la Hamaide*, Præpoſitum: *Carolum du Cornet*, Archi-Diaconum Cameraceſii, J. U. Licentiatos: *Valerianum du Flos*, Archi-Diaconum Brabantiæ, Decretorum & Legum Doctorem: *Valentinum Callart*, Archi-Diaconum Hannoniæ: *Nicolaum Goubille*, Decanum: *Petrum Preud'Homme*, *Amandum Marlart*, *Adolphum Blyleven*, & *Gabrielem Broude*, etiam J. U. Licentiatos, & Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ Canonicos.

TITULUS XXIII.

De Uſuris.

CAPUT UNICUM.

UT, qua poſſumus ratione, occurramus uſuris, quæ hoc calamitoſo tempore in mutuo, venditione, & aliis contractibus palliatis & ſimulatis invaluerunt: omnes illos & ſingulos, qui hujusmodi contractus inierint, ac Notarios & teſtes, qui doli ac fraudis conſcii interfuerint, excommunicationem ipſo facto incurrere declaramus.

TITULUS XXIV.

De Synodo.

CAPUT I.

CUm ex antiqua & laudabili conſuetudine Synodus, & Congregatio Decanorum Chriſtianitatis noſtræ Diœceſis ad diem S. Remigii in capite Octobris quotannis haberi ſoleat: declaramus eam Synodum fore apertam non ſolum ipſis Decanis, ſed etiam aliis omnibus, quos ad præſentem Synodum convocavimus, eosque ex nunc, prout ex tunc convocamus, ut perſonaliter, vel per Procuratores legitimos, ſingulis annis compareant, aut ſi quid exponendum habeant, id tempeſtive reſcribant, ut deſuper in ea Congregatione, quod æquum fuerit, ſtatuere valeamus.

CAPUT II.

Et quia fruſtra conduntur Leges, niſi etiam obſerventur: omnibus Prælatis, Decanis, Parochis, Concionatoribus, aut aliis Presbyteris & Beneficiatis Nobis ſubditis, mandamus, & exemptos in Domino hortamur; ut præter duas Provinciales Synodos, etiam hujus Decreta intra duos menſes a tempore editionis eorumdem, ſibi comparent, & quæ populum concernunt, in ſuis concionibus exponant; eaque omnia (ſicut & antiqua quatenus eis derogatum non ſit) ipſi diligenter perlegant & obſervent, & a ſuis ſubditis obſervari curent, ſub pœnis in iisdem contentis.

LEcta & publicata fuere hæc Decreta, de mandato Illuſtriſſimi & Reverendiſſimi Domini, Domini GUILIELMI DE BERGES, (*) Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Archi-Epiſcopi & Ducis Cameracen. &c. in Aula Synodali Palatii Archi-Epiſcopalis, per Nos *Adolphum de Blyleven*, & *Jacobum Franco*, Eccleſiæ Metropolitanæ B. MARIÆ Cameracen. Canonicos, dictæ Synodi Secretarios, anno Domini M. DC. IV. menſis Octobris die ſexta.

ADOLPH. DE BLYLEVEN.
JAC. FRANCO.

(*) GUILIELMUS DE BERGES, quem avito Baronum Grimbergenſium atque Illuſtri ortum Stemmate, Brabantia vidit, Generis ſui ſplendorem miris, queis & animos in ſe omnium & amores convertebat, virtutibus, variisque, ad quas non uno evectus Belgii loco fuit, dignitatibus haud parum auxit. Leodii in Cathedrali S. Lamberti Decanum agens, Antverpiam evocatur, Pedo ibidem Epiſcopali ac Mitra exornandus. Inde Archi-Epiſcopali huic præfectus Sedi, digniſſimum ſe ſe tanto officio Virum, Paſtorem, Patremque exhibuit. Pietatem in eo ſingularem, & aſſiduum Sanctimoniæ ſtudium non Domeſtici ſolum, ſed & exteri mirabantur. Gregem curæ ſuæ creditum dum piis paſcebat, recreabatque monitis (quod quidem pro muneris ſui conditione agebat frequentiſſime) eadem, quo ſaperent melius,

lius, ac felicius prodeſſent, orationis ſuavitate, comitate morum & modeſtia, pulcherrimo demum inſontis vitæ exemplo, ceu totidem lectiſſimis condire aromatibus prius ipſe adlaborabat. Senſere Præſulis optimi munificentiam Eccleſiæ Leodienſis, Antverpienſis, & Cameracenſis, quas pretioſis, & excitandæ Chriſtiani Gregis religioni aptis ornamentis inſtruxit. Palatio Epiſcopali non ita ſibi, quam Succeſſoribus ſuis ampliato, obiit quinto poſt Synodum hanc Provincialem, cujus ipſe Autor Caputque fuit, anno, 25. Aprilis 1609., ætatis ſupra qninquageſimum octavo, Antiſtes vita longiore dignus.

Vide Moreri Dict. Caſtil. Suc. Belgii Chronol. Foppens Biblioth. Belgicam.

SYNODUS NAMURCENSIS

Eodem anno MDCIV. 17. Octobris

IN ECCLESIA CATHEDRALI CELEBRATA,

Præſidente Reverendiſſimo in Chriſto Patre & Domino, D. FRANCISCO BUISSERET, Epiſcopo Namurcenſi.

FRANCISCUS BUISSERET, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS NAMURCENSIS, UNIVERSO CLERO AC POPULO SUÆ DIŒCESIS.

QUemadmodum ſapientes olim viri dixerunt, Leges eſſe animam Civitatis, & fœlicem aut infœlicem eſſe ejus ſtatum, prout bonis aut malis Legibus gubernatur: ita non minus vere dici poteſt, ipſarum Legum animam eſſe promptam ac voluntariam earundem obſervationem. Nam & Civitas muris cincta, ſed omni Legum ac civilis politiæ præſidio deſtituta, in qua proinde ſuo quiſque vivit arbitrio, Civitatis quidem nomen retinet, ſed re ipſa Civitas non eſt, & Leges etiam pulcherrimis verbis conceptæ, & gratiſſimo ordine diſpoſitæ, quamdiu chartis aut libris clauduntur, nec ipſa praxi in publicum prodeunt, ultimam ſuam formam ſeu perfectionem non habent, ideoque Sapientum judicio, honorificam illam Legum appellationem non merentur. Quæ cauſa fuit, cur omnis ſapientiæ fons & auctor Deus, tanto ſtudio olim Legum ſuarum ac cœleſtium præceptorum obſervationem, etiam ampliſſima mercede propoſita, & populo ſuo promiſſa, paſſim in Scripturis Sanctis, & maxime per os ſapientiſſimi Salomonis commendarit. Sic enim ille ſuaviſſimis verbis, & miro certe affectu: (*a*) *Fili mi, ne obliviſcaris legis meæ, & præcepta mea cor tuum cuſtodiat; longitudinem enim dierum, & annos vitæ, & pacem apponent tibi; miſericordia & veritas te non deſerant, circumda eas gutturi tuo, & reſcribe in tabulis cordis tui, & invenies gratiam & diſciplinam bonam coram Deo & hominibus.* Et iterum: (*b*) *Conſerva, fili mi, præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ, liga ea in corde tuo jugiter, & circumda gutturi tuo. Cum ambulaveris, gradiantur tecum, cum dormieris, cuſtodiant te, & evigilans, loquere cum eis: quia mandatum lucerna eſt, & Lex lux, & via vitæ increpatio diſciplinæ.* Quo admirabili loquendi genere non aliud inſinuat, quam ſumma cura ac diligentia, & aſſiduo ſtudio, mandata Dei, qui primus ac præcipuus nobis Pater, & præcepta Eccleſiæ, quæ chariſſima Mater noſtra eſt, ſervanda eſſe, ſicut pretioſiſſimæ gemmæ & aurea monilia, quæ collo appendi & circumdari, ac die ac nocte diligentiſſime aſſervari ſolent. Cauſam autem elegantem ſubdit Rex prudentiſſimus, ob quam hoc tanto ſtudio urgeat & commendet, quia mandata Divina ſunt nobis loco lucernæ, & cœleſtes illæ Leges loco lucis, quæ depulſis ignorantiæ tenebris viam nobis oſtendunt, qua incedendum, ut ſecure aliquando perveniamus ad vitam æter-

(*a*) Prov. 3. (*b*) Prov. 6.

æternam ; quod theſauri omnes, ac gemmæ etiam pretioſiſſimæ, in quibus cuſtodiendis tantopere laboratur, præſtare non valent. Inter cætera autem Sanctæ Matris Eccleſiæ præcepta ſemper habita fuerunt, quæ Summi Pontifices, atque inferiores Epiſcopi, aliique Prælati Eccleſiam regentes & repræſentantes, in ſuis Conciliis Generalibus aut particularibus legitime congregatis ſuis ſubditis tradiderunt, de quorum numero hæc ſunt, quæ nuper in prima noſtra Synodo Diœceſana de conſilio atque unanimi conſenſu Patrum, qui eidem interfuerunt, ad majorem Dei gloriam, & Sanctæ Eccleſiæ decus atque ornamentum, nec non communem veſtram omnium ſalutem decrevimus, atque edidimus. Sed quis erit fructus laborum noſtrorum, ſi Leges tantum mortuas, ac prorſus inanimes condiderimus, ſi Statuta, quæ fecimus, nullum ſpirent virtutis odorem, nullum edant motum ſeu mutationem vitæ in melius, nec ullo alio ſigno teſtentur ſibi infuſum ſpiraculum vitæ ? Non alius certe, quam fructus abortivus, quem non ſine dolore propria intuetur Mater, nec nos intueri unquam poterimus. Supereſt ergo, ut quod nos (materiam his Legibus aut Statutis ſubminiſtraſſe contenti) vobis reliquimus, illis infundatis animam : hic veſter honos, hæc veſtra gloria, quam non tantum non invidemus vobis, ſed etiam ardentibus votis optamus, ſperamusque aliquando fore, ut & nos votorum compotes, & vos tanti honoris participes effecti Sanctiſſimæ Trinitati, in cujus nomine fuimus congregati, gratias ſimul omnes referamus, quod his Legibus pœna conſtituta, ſed ſecuta non fuerit, quod iis magis virtutis amore, quam formidine pœnæ obtemperaveritis, quod antequam plenum ac conſummatum Eccleſiam DEI opprimat naufragium, prout tam diuturna tempeſtas huic afflictiſſimo Belgio incumbens jam dudum minatur, vos una mecum hanc exiguam ratem mihi commiſſam velis ac remis in portum tranquillum ac ſecurum deduxeritis, gaudium meum & corona mea, valete in Domino, & eundem pro me orate, Amen.

ORATIO

Habita a Reverendiſſimo Domino EPISCOPO NAMURCENSI *prima die Synodi, quæ fuit 17. Octob. anno 1604.*

OPtarem, Reverendi Patres, & in Chriſto cariſſimi Fratres ac Filii mei, talem eſſe totius hujus meæ Diœceſis ſtatum, quod nulla penitus reformatione, nulla ad reformandum conſultatione, nullo denique ad conſultandum labore indigeret: ſed quando in hæc tam infœlicia Sæcula incidimus, ut, ſi unquam alias, certe nunc paſſim bono ſemini, quod optimus Pater familias in agro Eccleſiæ ſeminavit, inimicus homo ſuperſeminarit zizania ; vos in hunc finem huc alacres conveniſſe gaudeo, ut conjunctis animis atque conſiliis, qua meliore ratione iſta extirpari, & fructus optimus ex bono illo ſemine expectari, & aliquando a nobis omnibus & ſubditis noſtris cum exultatione plenis manipulis colligi poſſit, ſerio diſpiciamus. Hæc enim ſemper fuit via, a Majoribus noſtris ſapientia & ſanctitate admirabili præditis viris, probata & electa, ut in ſummis Eccleſiæ periculis, modo ad Generalia ex toto orbe Chriſtiano a Summis Pontificibus, modo ad Provincialia ab Archi-Epiſcopis convocata Concilia, modo etiam ad particulares ab Epiſcopis in ſuis Diœceſibus coactas Synodos libenter & frequenter convenirent: multis quidem, ſed tribus potiſſimum de cauſis. Primum ad condemnandas, & extinguendas naſcentes hæreſes: deinde ad ſopiendas Catholicorum inter ſe diſſenſiones & controverſias: poſtremo ad extirpandas ſpinas vitiorum, inſerendaque animis mortalium nova ſemina cæleſtium, Divinarumque virtutum. Non quod Summus Pontifex non poſſit ſolus aut hæreſes condemnare, aut controverſias componere, aut toti Eccleſiæ utiles Leges præſcribere, & quivis Epiſcopus Clero & populo ſuo, ſalutaria Decreta condere & promulgare, ſed quod, ut in morbis & vulneribus corporalibus, ita & in ſpiritualibus frequenter eveniat, ut qui illis ſanandis adhiberur, non ſibi ſoli fidere auſit, ſed cum aliis peritis communicato conſilio, ſibi perſuadeat, majori ſecuritate ægrotis ſuis etiam alias ſibi cognita applicare ſe poſſe remedia. Unde Sancta Dei Eccleſia tanti ſemper fecit periculum novarum hæreſum, ut non putaverit eis

aliter posse resisti, quam si omnes, aut certe permulti Principes Ecclesiæ, conjunctis viribus & quasi agmine facto irruerent in hostes fidei. Hinc legimus septem prima Concilia Generalia congregata fuisse, ut ejusmodi hæreses novas condemnarent. Nec minus cordi habuerunt prisci illi Patres sanctam morum reformationem, de qua omnia fere Concilia pulcherrimos & maxime salutares Canones ediderunt, adversus corruptelas & abusus suorum temporum. Quod si Summus ille Christi in terris Vicarius, cui soli in persona Petri dictum est: (c) *Pasce oves meas*, cui ipse Christus suum nempe solidæ & immobilis Petræ nomen imposuit, adversus quam *Portæ inferi non prævalebunt*, (d) qui solus Judex est omnium controversiarum, & cui (ut D. Cyprianus loquitur [e]) obtemperare debet fraternitas universa, in rebus tamen magni momenti soli suo judicio non fidit, sed adhibet in consilium Sacrum Cardinalium Senatum, convocat Episcopos, & alios Ecclesiæ Prælatos, & ex eorum suffragiis suas leges condit, & judicia decernit; quid nos facere par est, qui quanto inferiores & infirmiores sumus, tanto pluribus auxiliis indigemus? Hoc certe olim etiam Sanctissimi & Sapientissimi Episcopi non solum ingenue fassi sunt; sed etiam re ipsa comprobarunt. Nam idem Clarissimus Martyr Cyprianus [f] ad Stephanum de se ipso & contemporaneis Episcopis scribit: *Necesse habuimus, convenientibus in unum pluribus Sacerdotibus, cogere & celebrare Concilium.* Sed quid opus est aut Episcopos, aut Summos Pontifices proferre in medium, cum salutaris hujus institutionis Christum ipsum Dominum nostrum authorem habeamus? Ut apertissime colligitur ex ejus doctrina, qua correptionis fraternæ & modum & ordinem præscribit: (g) *Si peccaverit in te frater tuus, vade & corripe eum inter te & ipsum solum, si te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium stet omne verbum, quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ.* Quod idem est, ac si ipse, ut futurorum omnium præscius, nos instruens aperte diceret: cum posthac, aucto discipulorum meorum numero, multa contingent, quæ singuli per vos haud facile poteritis componere aut definire, recurrendum vobis erit ad communem Prælatorum conventum. Sic enim intelligenda esse verba illa: *dic Ecclesiæ*, ipsemet paulo post insinuat, cum subjungit: Ubi sunt duo vel tres congregati in nomine meo, ibi sum in medio eorum. Et Apostoli sic interpretandum esse locum, suo exemplo docuerunt: quia cum possent etiam seorsim definire controversias, quæ in ipsis nascentis Ecclesiæ initiis oriebantur; tamen ne viderentur negligere medium ordinarium ipsis a Christo demonstratum, controversiam de Legalibus Antiochiæ exortam, non sine Concilio definire voluerunt, sed eam ad congregationem Apostolorum & Seniorum, quæ Hierosolymis erat, retulerunt, quo & Paulus & Barnabas cum quibusdam aliis profecti sunt: ut patet ex Actis Apostolorum Cap. 15. ubi etiam & pluribus aliis locis ejusmodi congregationes, ab Apostolis factæ, Ecclesiæ appellantur.

Quamdiu autem laudabilis illa consuetudo ab Apostolorum Successoribus observata est, tamdiu Ecclesiastica disciplina in suo vigore permansit: at cum dormire, hoc est, ut Augustinus interpretatur, negligentius agere cœperunt Præfecti Ecclesiæ, suo forsan judicio plus æquo fidentes, nec magnopere soliciti de aliis viris sapientibus & prudentibus in consilium adhibendis, facile fuit inimico homini bono semini superseminare zizania pravarum opinionum, ac spinas & tribulos omnis generis vitiorum. Non alium producam hujus rei testem, quam Augustissimum Imperatorem Justinianum, testem sane irrefragabilem, &, ut dici solet, omni exceptione majorem: is enim novella sua constitutione 123. peccata, in quæ multi inciderant, in hanc unam causam rejicit, quod Synodi Religiosissimorum Sacerdotum, secundum ea, quæ a Sanctis Apostolis & Sanctis Patribus dicta sunt, non celebrarentur. Unde non mirum, si Sacrosancta Synodus Tridentina Metropolitanos moneat, ut pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque a Sacris Canonibus permissis, quolibet triennio Synodum in sua Provincia cogere non prætermittant, quo Episcopi omnes, & alii, qui de jure vel consuetudine interesse debent, convenire omnino teneantur: Synodos vero Diœcesanas quotannis celebrari jubeat, & tam Metropolitanos, quam Episcopos, & alios hac in parte negligentes, pœnas Sacris Canonibus sancitas incurrere declaret. Quod si ullis unquam sæculis necessarium fuit, ut Archi-Episcopi, & Episcopi, aliique Prælati in hanc curam moderandi mores & corrigendi excessus suorum subditorum incumberent, hoc certe tempore, quo orbem Christianum ante oculos nostros ruentem quotidie videmus, hoc onus omnibus incumbit, nisi velint perire cum pereuntibus, & tanto majora aliis sustinere tormenta, quanto ipsi eos honore ac dignitate ante-

(c) Joan. 21. (d) Marc. 16. (e) Epist. 3. Lib. 1. (f) Epist. 1. Lib. 2.
(g) Matth. 18.

antecellunt. Sed & Canonicis, Decanis ac Paſtoribus, & Clericis omnibus hæc reformationis materia non minus cordi eſſe debet, ſi proprio ſuo honori ac ſaluti probe conſultum eſſe velint, & Chriſti Sponſam Matrem ſuam Sanctam Eccleſiam aliquando videre optent ſuo honori & priſtinæ tranquillitati reſtitutam. Quod certe nunquam ſperare debent, quamdiu ipſi Epiſcopis, aliisque ſuis Prælatis, quantum in eis eſt, non cooperantur, nec prælucent populo ſanæ doctrinæ radio, & ſanctæ converſationis exemplo; ad quod etiam ipſo jure naturæ obliganrur: una enim eſt omnibus filiis obligatio communem Matrem fovendi, ejus honorem tuendi, ejus ſalutem procurandi. Certe Sancta Eccleſia nos omnes in utero ſuo cum labore portavit, & quamvis ſine dolore peperit, ut quæ non tenetur ſententia ob inobedientiam primæ Matris in alias omnes prolata, tamen non absque magnis impenſis & ſolicitudinibus nos hactenus educavit, & in hanc uſque ætatem provexit, ab omnibus etiam jure ſuo repoſcit in ſenectute ſua piam illam antipelargiam, qua viciſſim portetur, & quotidie generetur, nutriatur & protegatur a nobis: quod cum noverit a ſingulis præſtari non poſſe, hoc expectat ab omnibus. Quis enim eſt, qui tanto oneri ferendo ſe parem agnoſcat? Quis montem magnum, qualis Eccleſia Mater noſtra eſt, ſuis humeris ſolus geſtare poſſit? Certe ſicut non ſimplex Clericus, non Sacerdos, non Religioſus, ita nec Paſtor, nec Abbas, nec Epiſcopus. Quemadmodum enim generoſus & fortis equus, quamvis omnes ſui corporis nervos intendat, ut currum trahat per vias rectas, parum promovet, ſi alii plures etiam minores equi in contrariam partem nitantur: ita parum proficiet Epiſcopus, Abbas, aut Paſtor, etiamſi toti in hoc incumbant, ut ſalutaribus monitis & aliis curæ Paſtoralis officiis dirigant pedes ſubditorum ſuorum in viam pacis ac ſalutis, ni & alii inferioris ordinis Sacerdotes, eundem curſum teneant, & ad eandem metam ardentibus & continuis votis aſpirent. Quod ne cui mirum fortaſſe videatur, rationem ſubjungam ex magno illo Gregorio, qui ab inſigni rerum Divinarum ſcientia Theologi nomen accepit: is enim oratione funebri in Divum Baſilium, & in ſuo Apologetico notat malitiam fæcunditate excellere probitatem. Ideoque facilius eſſe exemplis malorum bonos inquinari, quam bonorum ſtimulis malos ad virtutem impelli. Ergo neceſſe eſt, ut quotquot ab Eccleſia nomen habemus, ſimul eundem Eccleſiæ currum trahamus, idem Chriſti jugum portemus, eandem viam, quam ipſe nobis & verbo & exemplo monſtrare dignatus eſt, ſimul omnes ſequamur, ut aliquando ad eandem, quæ nobis omnibus communis eſt, cœleſtem Patriam ſimul omnes pervenire valeamus. Quod ſi impedimenta nonnunquam occurrant in via, non ideo deſperemus, non Principes, non Paſtores noſtros, tanquam malos viæ ductores, aut culpemus, aut calumniemur, quin potius unusquisque noſtrum ſibi attribuere & imputare debet, quod in via Domini non progrediatur, quod adverſo plerumque flumine naviget, quod etiam publica negotia fœlices non ſortiantur ſucceſſus, quod Eccleſia ipſa diuturniorem perſecutionem patitur, quod hoſtes ejusdem frequentibus victoriis inflantur, quod Templa Deo ac Divis ejus dicata ab illis profanantur, vaſtantur, concremantur, quod imagines Sanctorum confringuntur, quod etiam in ipſum Chriſtum impie ſævitur, quod Divina & humana jura violantur, denique quod populus fidelis miſere affligitur, & quodammodo opprimitur. Hæc omnia, & ſi quæ ſunt graviora mala, ſibi merito attribuent etiam viri Eccleſiaſtici, quoties omni proprio affectu depoſito, attente meminiſſe volent officii ſui. Quod enim eſt Eccleſiaſticorum omnium proprium munus, etiam illorum, quibus animarum cura commiſſa non eſt? Nonne pro populo orare? pro ejus ſalute Deo Sacrificia offerre, ipſius iram placare, & pro avertendis a Republica Chriſtiana ejus flagellis, eum aſſidue deprecari? Et quare preces eorum non exaudiuntur? quare tot Sacrificia, ſummæ alioquin virtutis & efficaciæ, ſuos, ut olim, hac in parte effectus non operantur? quare poſt tot ſupplicationes publicas & privatas, Dei flagella, quæ ceſſare debuerant, potius in dies augentur & multiplicantur? & adhuc manus ejus extenſa, gladiusque evaginatus ex utraque parte acutus, & arcus ejus continue tenſus, ac in eo aptatæ ſagittæ non communes, ſed quas ipſe carbonibus ardentibus effecit, quæ proinde totæ ignitæ ſunt, & vera vaſa, ſeu jacula, aut inſtrumenta mortis? Nonne ideo quia victimæ impiorum abominabiles Deo ſunt, & cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad dereriora provocatur? Nemo ergo jam mihi dicat: ego his malis principium non dedi, nullius hæreſeos auctor fui, ſed nec hæreticos aut alios impios homines ad ſacrilegia illa, cæterosque exceſſus incitavi. Nam tu qui Prælatus, aut Paſtor es, agrum Domini colendum ſuſcepiſti, naſcentes proinde in animis ſubditorum tuorum vepres & ſpinas pravarum opinionum, perverſarum affectionum, & quorumcunque vitiorum ſalutaribus tuis monitionibus, ac bonæ vitæ exemplis, illico extirpare debuiſti: excute ergo primo te ipſum, antequam excuſes, inter-

roga conſcientiam tuam, quomodo in illo agro Domini excolendo, quomodo in illis vepribus, & ſpinis extirpandis, quomodo in ſeminandis bonis ſeminibus, te geſſeris. Invenies fortaſſis te malis illis herbis non minus principium dediſſe, quam ſi illas ſeminaſſes, aut plantaſſes, & tunc colligere poteris, an non aliqua graſſantium jam paſſim hæreſum culpa ad te pertineat. Tu vero, qui Sacerdos es, nullam animarum curam gerens, vel etiam ſimplex Clericus, bonis tamen Eccleſiaſticis gaudens, ut minimum ingruente, aut jam præſente perſecutione, iram Dei adverſus populum ſuum conceptam, tuis orationibus & Sacrificiis, jejuniis, ac aliis operibus bonis placare debuiſti. Attende igitur, an in eum finem cum Daniele Propheta (*b*) poſueris unquam faciem tuam ad Dominum Deum tuum, ut eum rogares & deprecareris, in jejuniis, ſacco & cinere: Peccavimus, iniquitatem fecimus, Domine, in omnem juſtitiam tuam, avertatur, obſecro, ira tua & furor tuus a civitate tua Hieruſalem, & a monte ſancto tuo: propter peccata enim noſtra, & iniquitates Patrum noſtrorum, Hieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum: nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſervi tui, & preces ejus, & oſtende faciem tuam ſuper Sanctuarium tuum, quod deſertum eſt, propter temetipſum inclina Deus aurem tuam, & audi, aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram. Attende etiam diligenter, an priusquam orares, aut Sacrificia tua offerres, audieris Dominum per Iſaiam tibi, cæterisque Eccleſiæ ſuæ Miniſtris dicentem: (*i*) *Lavamini, mundi eſtote, auferte malum cogitationum veſtrarum ab oculis meis, quieſcite agere perverſe, diſcite benefacere, alioqui cum extenderitis manus veſtras, avertam oculos meos a vobis, & cum multiplicaveritis orationem, non exaudiam.* Recogita, an Beatiſſimi Apoſtoli conſilium ſecutus adieris cum fiducia ad thronum gratiæ Dei, ut miſericordiam conſequereris, & gratiam invenires in auxilio opportuno: & an juxta Beati Jacobi doctrinam poſtulaveris in fide nihil hæſitans, alioqui non mirum, ſi nihil acceperis a Deo, quia, ut D. Bernardus ait, *indignus cæleſti benedictione eſſe convincitur, qui Deum dubio quærit affectu.* Poſtremo expende, an ipſius Chriſti exemplum ſecutus fueris, qui pernoctabat in oratione Dei, & an viduam ſeverum Judicem interpellantem, & hominem ad amicum ſuum media nocte venientem, ac commodato tres panes petentem & obtinentem; denique an Chananæam mulierem poſt duram Apoſtolorum repulſam ad ipſum Chriſtum pro filiæ ſanitate clamantem, imitatus fueris, hoc eſt, an cum perſeverantia oraveris, quæ ſola impetrat, & ſola virtutum coronatur. Quod ſi aliter ad orandum, & Sacrificia tua Domino offerendum acceſſeris, non eſt, quod tibi blandiaris, quaſi tu in culpa non ſis, quod bellum, & peſtis, & caritas rerum omnium, cæteraque Dei flagella tamdiu perſeverent, & populus gemat ſub pondere miſeriarum omnium: tuum enim erat, non Epiſcoporum aut Paſtorum tantum, his malis occurrere, ac Dei iram prævenire, aut ſaltem eundem jam iratum placare. Si vero non tantum hæc neglexeris, ſed etiam tuis propriis peccatis eundem ad majorem iracundiam provocaveris, vel ſero tandem te tantorum malorum cauſam agnoſce, & oblata tibi a ſummo Medico efficaciſſima adverſus hos morbos remedia, obviis ulnis amplectere. Sic ſane olim Sanctiſſimus & Clariſſimus Martyr & Epiſcopus Cyprianus Africæ calamitatem & devaſtationem Presbyteris & Diaconibus ſuis adſcribebat, & imputabat, ut eos ad remedia opportuna quærenda compelleret. Eos enim ſic alloquitur: (*k*) *Intelligendum eſt & confitendum preſſuræ iſtius tam turbidam vaſtitatem, quæ gregem noſtrum maxima ex parte populata eſt, & adhuc uſque populatur, ſecundum peccata noſtra veniſſe, dum viam Domini non tenemus, nec data nobis ad ſalutem cæleſtia mandata ſervamus: fecit Dominus noſter voluntatem Patris, & nos non facimus Domini voluntatem, patrimonio & lucro ſtudentes, ſuperbiam ſectantes, æmulationi ac diſſenſioni vacantes, ſimplicitatis & fidei negligentes, ſæculo verbis ſolis & non factis renuntiantes, unusquisque ſibi placentes, & omnibus diſplicentes. Vapulamus itaque, ut meremur, cum ſcriptum ſit: Servus qui cognoſcit voluntatem Domini ſui, & non præparavit voluntati ejus, vapulabit multis. Quas autem plagas, quæ verba non meremur, quando nec Confeſſores, qui exemplo cæteris ad bonos mores eſſe debuerant, teneant diſciplinam? Itaque dum quosdam inſolenter extollit confeſſionis ſuæ tumida & inverecunda jactatio, tormenta venerunt, & tormenta ſine fine tortoris, ſine exitu damnationis, ſine ſolatio mortis, tormenta quæ ad coronam non facile dimittant, ſed tamdiu torqueant, quamdiu dejiciant, niſi ſi aliquis Divina dignatione ſubtractus, inter ipſa cruciamenta profecerit, adeptus gloriam non termino ſupplicii, ſed celeritate moriendi. Hæc patimur delicto & merito noſtro, ſicut præmonuit Divina cenſura dicens: Si dereliquerint legem meam, & in judiciis meis non ambulaverint, ſi juſtificationes meas profanaverint, & præcepta mea non obſervarint, viſitabo in virga facinora eorum, & in flagellis delicta eorum. Virgas igitur & flagella ſenti-*

(*b*) Dan. 9. (*i*) Iſaiæ 1. (*k*) Epiſt. 4. Lib. 4.

ſentimus, qui Deo nec bonis factis placemus, nec pro peccatis ſatisfacimus. Hæc S. ille Epiſcopus de ſui temporis perſecutione, in qua multi vi ac diuturnitate tormentorum deficiebant a fide, & ideo ſuis privabantur coronis. Nos vero in hunc uſque diem per Dei gratiam, tormenta non ſuperant, ſed a noſtris vitiis omni tortore crudelioribus turpiter ſuperamur; tormenta quidem vicinorum noſtrorum frequenter audimus, & eadem noſtris cervicibus impendere non ignoramus, & tamen nec aliorum exemplis erudimur, nec noſtris periculis emendamur, ſed tales nos exhibemus, quales D. Gregorius (*l*) Sacerdotes ſui temporis deſcribit his verbis: *Nullum puto, Fratres chariſſimi, ab aliis majus præjudicium, quam a Sacerdotibus tolerat Deus, quando eos, quos ad aliorum correctionem poſuit, dare de ſe exempla pravitatis cernit, quando ipſi peccamus, qui compeſcere peccata debuimus, nulla animarum lucra quærimus, ad noſtra quotidie ſtudia vacamus, terrena concupiſcimus, humanam gloriam intenta mente captamus, & quia eo ipſo, quo cæteris prælati ſumus, ad agenda quælibet, majorem licentiam habemus, ſuſceptæ benedictionis miniſterium vertimus ad ambitionis argumentum; Dei cauſas relinquimus, ad terrena negotia vacamus, locum ſanctitatis accipimus, & terrenis actibus implicamur.* Si Sanctiſſimus ille Pontifex ante annos mille hæc dixit, & vere dixit de Sacerdotibus ſui temporis, quid dicturus eſſet de nobis, qui plura fortaſſis & pejora committimus, quæ hujusmodi acrem reprehenſionem juſtius mereamur? Quis ergo jam miretur diuturnam Eccleſiæ perſecutionem? quis obmurmuret de fœlici hæreticorum contra Catholicos ſucceſſu? quis non potius cum B. Hieronymo omnem rei veritatem ingenue fateatur, & dicat: *Noſtris peccatis Barbari & Hæretici fortes fiunt, noſtris vitiis Catholicus ſuperatur exercitus; infœlices nos, qui tantum diſplicemus Deo, ut per rabiem barbarorum & hæreticorum illius in nos ira deſæviat.* Alioqui nunquid abbreviata eſt manus Domini, ut ſalvare nequeat, aut aggravata eſt auris ejus, ut non exaudiat? Sed iniquitates noſtræ diviſerunt inter nos & Deum noſtrum, & peccata noſtra abſconderunt faciem ejus a nobis. Illud unum nobis reliquum eſt, ut ſi Deum metuere in tranquillitate noluimus, cum ſaltem vel percuſſionibus attriti timeamus. Quod ſi & hoc facere renuimus, procul dubio erunt noviſſima noſtra pejora prioribus: plus nempe exacerbatur Deus, ut idem Cyprianus ait: quando nihil talia & tanta proficiunt: nam de eo graviter apud Jeremiam conqueritur: *Sine cauſa percuſſi filios veſtros, diſciplinam non receperunt.* At nos Reverendi Patres, Chariſſimi Fratres & Filii, ſi pœnas illas tam acriter ab ipſo comminatas evadere volumus, diſciplinam de paterna ejus manu libenter & alacriter recipiamus, agnoſcentes nos mereri, quod patimur, & plura mereri, quam patimur; humiliemus ei, non tam corpora, quam animas noſtras, hoc ſigno ſignificantes, nos ab eo expectare remedium, qui intulit damnum. Denique tanquam veræ obedientiæ filii, obviis ulnis amplectamur omnium ſupradictorum malorum noſtrorum remedia, quæ ipſemet per Spiritum ſuum Sanctum nobis exhibere dignatus eſt; pulcherrima videlicet & maxime ſalutaria Generalis Concilii Tridentini Decreta, eadem non tam memoriæ noſtræ imprimamus, quam moribus noſtris exprimamus, ad eorum normam totius vitæ noſtræ curſum componamus, & alios, ut hoc ipſum præſtent, ſerio & frequenter exhortemur: habemus in illis optima & ſufficientia ad bene beateque vivendum Divinitus nobis tradita præcepta; non enim ſine ſingulari Dei providentia factum eſt, ut celeberrimum illud Concilium tanto zelo a Paulo III. Summo Pontifice inchoatum, & injuria temporum toties intermiſſum, tandem aliquando, & quidem in diebus noſtris a Pio IV. feliciſſime fuerit abſolutum & confirmatum, ac ejus juſſu per totum orbem Chriſtianum publicatum. Quod ſummi beneficii loco omnes accipere, & pro eo ſummas quoque Deo Opt. Max. gratias agere debemus. Hic ergo ſit præcipuus noſter ſcopus in hac ſolemni Congregatione, ut Decreta illius, quæ hactenus in hac Diœceſi per Dei gratiam obſervata fuerunt, impoſterum adhuc exactius ab omnibus obſerventur; quæ vero variis ex cauſis in hunc uſque diem executioni demandata non ſunt, conjunctis animis & viribus procuremus, ut quanto citius fieri poterit, debitæ executioni demandentur. Si quæ etiam alia ſint, quæ pro fœlici directione hujus Diœceſis digna ſunt hoc conſeſſu, convenienti ordine proponentur, & ſuper omnibus ac ſingulis omnium vota ac ſuffragia exquirentur. Veſtrum erit, Reverendi Patres, & Filii Chariſſimi, qui pro ſalute univerſæ Eccleſiæ, & maxime particularis iſtius, quæ mihi commiſſa, & vobis tanquam in partem ſolicitudinis meæ vocatis, commendata eſt, huc conveniſtis, toto hoc tempore, quo in hanc curam maximi ſane momenti, ſimul incumbemus, purgatis primum ab omni ſorde peccati veſtris mentibus, modeſtiæ, ſobrietatis, caſtitatis, & pacis, ſeu mutuæ concordiæ exemplis, omnibus prælucere, nec non aſſiduis, & ab humili ac contrito corde profectis precibus Spiri-

(*l*) Homil. 17. in Luc.

Spiritum Sanctum invocare, ut huic congregationi præsideat, ut nos in omnibus propositionibus, consiliis ac resolutionibus nostris ad majorem Sanctissimæ Trinitatis gloriam, & veram Ecclesiæ utilitatem dirigat; denique ut lucem suam cordibus nostris infundat, qua ea, quæ agenda sunt, sine ullo errore videamus, & ad implenda, quæ viderimus, fortes & alacres, ejus quoque dono efficiamur. Quod nobis concedat, & vos benedicat, qui est benedictus in sæcula sæculorum. Amen.

INDEX TITULORUM
SUBSEQUENTIS SYNODI.

TIT. I. De Professione Fidei, & eam conservandi studio.

II. De Scholis Parochialibus & Dominicalibus.

III. De Seminario Clericorum.

IV. De Officio Divino.

V. De diebus Festis & Jejuniis.

VI. De Sacramentorum administratione.

VII. De prima Tonsura, Minoribus & Sacris Ordinibus.

VIII. De vita & honestate Clericorum.

IX. De Canonicis, Decanis ruralibus, Pastoribus & Matricularibus.

X. De Regularibus & Monialibus.

XI. De Bonorum Ecclesiasticorum conservatione.

XII. De Visitatione.

DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ NAMURCENSIS,
ANNO DOMINI M.DC.IV. IN ECCLESIA CATHEDRALI CELEBRATÆ,
Præsidente Reverendissimo in Christo Patre ac Domino, D. FRANCISCO BUISSERET, Episcopo Namurcensi.

TITULUS PRIMUS.
De Professione Fidei, & eam conservandi studio.

CAPUT PRIMUM.

PRæmissa per Nos & universam hanc Synodum in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis congregatam, publica Fidei Catholicæ & Apostolicæ Professione, juxta formam Constitutionis fœlicis recordationis PII Papæ Quarti, ut eadem fides, quæ hactenus per Dei gratiam in hac nostra Diœcesi pura & illibata permansit, nostris etiam & futuris temporibus ab omni hæresum infectione præservetur: insequendo saluberrimum Generalis Concilii Tridentini Decretum, statuimus & ordinamus, ut similis Fidei professio fiat ab omnibus, quibus deinceps in hac nostra Diœcesi de Dignitatibus, sive Regularibus, sive Sæcularibus, Canonicatibus, & aliis quibuscunque Beneficiis Ecclesiasticis curam animarum habentibus providebitur, idque in manibus nostris, vel coram Generali nostro Vicario, seu Officiali, alioquin fructus non faciant suos, nec illis possessio suffragetur.

CAPUT II.

Eandem Fidei professionem facient, quicunque ad Sacros Ordines promovebuntur, & omnes, qui posthac ad Synodum Diœcesanam convenient, & præcedenti non interfuerint, & qui in hæresim lapsi ad Ecclesiæ gremium revertentur.

CAPUT III.

Concionatores vero & Confessarii, cum ad prædicandum Verbum Dei, vel confessiones audiendas admittentur, Ludimagistri, Typographi & Bibliopolæ, fidem suam profiteri poterunt sub hac breviori forma. Ego N. omnia & singula, quæ continentur in Symbolo fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur, & quæ a Sacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, & præcipue a Sacro-

Digitized by Google

croſanĉta Tridentina Synodo tradita, definita & declarata fuerunt, indubitanter recipio atque profiteor, nec non Romano Pontifici Summo in terris JESU Chriſti Vicario veram obedientiam ſpondeo ac juro, ſimulque hæreſes omnes ab Eccleſia damnatas & rejectas ego pariter damno & rejicio. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sanĉta Dei Evangelia.

CAPUT IV.

Scabini autem, ſeu Senatores tam pagorum, quam urbium, aliæque publicæ perſonæ in Ediĉto piæ memoriæ PHILIPPI Secundi, Hiſpaniarum Regis, ſpecificatæ, profiteantur fidem ſuam juxta ſimilem formulam ibidem ad inſtantiam noviſſimi Concilii Provincialis Cameracenſis inſertam.

CAPUT V.

Quia vero parum prodeſſet Superiores ac Præfectos fidem Catholicam profiteri, ni & populus univerſus a teneris annis eam imbibat, & ipſorum Superiorum vigilantia in eadem ſincere & ſedulo perſeveret, monemus Prælatos omnes ac PASTORES, ut per ſe ipſos, aut alios viros doĉtos, Articulos fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, PRÆCEPTA Decalogi, & Sanĉtæ Matris Eccleſiæ, & omnium Sacramentorum doĉtrinam populis ſibi commiſſis frequenter explicent, & diligenter advigilent, ne ullus lupus inter oves verſetur aut latitet, quod nulla meliori ratione deprehendent, quam ſi ſtudeant cognoſcere vultum pecoris ſui, frequentiusque viſitent domos & familias ſuorum ſubditorum, nec non ſingulis annis univerſos ſuæ curæ commiſſos doli capaces deſcribant, & in Paſchate Euchariſtiæ Sacramentum non aliis, quam ſibi confeſſis, aut alicui ex Confeſſoribus approbatis, adminiſtrent, & de ipſa confeſſione aliis facta fidem ſcriptam exigant, quam ipſi Confeſſores dare tenentur. Quod ſi qui tempore PASCHATIS abfuerint, quouſque in propria Parochia Euchariſtiam ſumant, niſi fidem authenticam adferant, quod alibi eam ſumpſerint, cum iis, qui non ſumpſerunt, ab Eccleſia arceantur vivi, & morientes careant Eccleſiaſtica ſepultura, juxta Cap. *Omnis utriuſque ſexus. De Panit. & Remiſſ.*

CAPUT VI.

Cum autem periculoſius ſit venenum, quod auribus, quam quod ore hauritur, non ſufficit, quod populus ſana doĉtrina inſtruatur, niſi etiam librorum, quorum lectio ei conceditur, diligens ratio habeatur: quocirca præcipimus Decanis & Paſtoribus, ut ſedulo intendant Librariis & Bibliopolis, ne ullos libros in ſuos diſtrictus inferant, aut venales exponant, antequam eorum Catalogus ſit a Nobis, aut noſtris Vicariis approbatus. Ipſi vero Librarii & Bibliopolæ, præter ſupradictam Fidei PROFESSIONEM, juramentum præſtent de non invehendis, nec ſecreto diſtribuendis libris prohibitis.

CAPUT VII.

Et quoniam peſtiferi quoque ſunt libri, qui continent magicas præſtigias, diabolicas artes, & varias ſuperſtitiones, prohibemus etiam eos verſari in manibus noſtrorum Diœceſanorum, eosque frequenter doceri volumus a Prædicatoribus & Paſtoribus, quam grave peccatum ſit lectione ejusmodi librorum, ac multo magis praxi eorum, quæ continent, Chriſtianum hominem occupari. Quod ſi nihilominus aliquos deprehenderint, qui hoc parvi pendentes, ejusmodi libros penes ſe habeant; & ſemel moniti eos dimittere nolint, Nobis ſignificent, prout & eos, qui Sacra Biblia vulgari lingua penes ſe habent, absque noſtra, aut Deputatorum a Nobis in ſcriptis obtenta facultate.

CAPUT VIII.

Eos vero, qui morbos aut vulnera tam hominum, quam brutorum animalium ſuperſtitioſis remediis, quæ expreſſum vel implicitum pactum cum dœmonibus continent, curare præſumunt, vel ut in rerum deperditarum notitiam deveniant, divinatores conſulunt, ſeu alias ſuperſtitionibus utuntur, juxta Sacros Canones & Decretum prædicti Concilii PROVINCIALIS Cameracenſis excommunicatos in ſuis concionibus, publice denuntient, & gravitatem hujus delicti, quia hodie frequens eſt, frequenter ſuis ſubditis & auditoribus exponant, & ſi quos hoc vitio notatos norint, eosdem privatim mo-

neant, in quam periculoſo ſalutis ſuæ ſtatu verſentur, & ad confitendum peccata ſua, petendumque beneficium abſolutionis a dicta excommunicatione eos hortentur. Quod ſi hujusmodi ſalutarem monitionem contemnant, Nobis deferantur.

TITULUS II.

De Scholis Parochialibus & Dominicalibus.

CAPUT I.

PLurimum intereſt ad Catholicam Fidem conſervandam & propagandam, ut recte inſtituatur juventus, quæ, ut eleganter dixerunt Patres Generalis Concilii Tridentini, niſi a teneris annis ad pietatem & religionem informetur, antequam vitiorum habitus totos homines poſſideat, nunquam perfecte ac ſine maximo & ſingulari propemodum Dei Omnipotentis auxilio, in diſciplina Eccleſiaſtica perſeverat: proinde optamus in omnibus Diœceſis noſtræ urbibus ac pagis, Scholas Parochiales, quæ injuria temporum collapſæ ſunt, quantocyus fieri poterit, reſtitui. Quod ut fiat, Paſtores, Magiſtratus, & notabiliores ſingularum Parochiarum perſonæ moneantur a Decanis, in proxima ſua viſitatione, ut conjunctis animis & viribus ſerio inter ſe agant, de inveniendo & præceptoribus aſſignando juſto ſtipendio, quo mediante ſi fieri poteſt, doceantur gratis, ſic enim fiet, ut a parentibus pueri lubentius ad Scholas mittantur, eos etiam hortentur, ut in eum finem confraternitates erigant, quas Nos libenter & approbabimus, & Sacris Indulgentiis donabimus.

CAPUT II.

Præceptores autem non alii aſſumantur, quam qui probatæ ſint fidei, vitæ & doctrinæ, qui prævio ſui Paſtoris teſtimonio a Nobis, aut Decano Concilii ſui ad hoc munus admittantur, ac juxta formam præſcriptam ipſius, fidei ſui profeſſionem præſtent, nec aliter, quam ſervatis præmiſſis omnibus, in Diœceſi noſtra quisquam docere permittatur.

CAPUT III.

Hunc ſervabunt ordinem in docendo. Primum aſſuefacient pueros diſcere & perfecte recitare Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, decem præcepta Dei, & quinque Eccleſiæ, ſeptem Sacramenta, & ſeptem peccata mortalia: & ſi eos capaces invenerint, ulterius pergent ad reliqua capita doctrinæ Chriſtianæ.

CAPUT IV.

Deinde docebunt eos formulam peccata ſua confitendi, ac mane ac veſperi orandi, nec non modum reſpondendi Sacerdoti, & eidem inſerviendi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium peragenti. Quæ dum pueri exacte norint, poterunt eosdem docere artem legendi & ſcribendi. Quod ſi aliqui dictorum præceptorum aliter feciſſe, vel vitæ ſcandaloſæ eſſe deprehendantur, ſi primum a paſtore moniti non reſipuerint, docendi facultate priventur.

CAPUT V.

Dictæ Scholæ ſæpius viſitentur in urbibus a Scholaſticis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & Collegiatarum Eccleſiarum, & in pagis a Decanis Conciliorum ruralium, qui de præmiſſis omnibus, an obſerventur, diligenter inquirant, libros, qui docentur, viſitent, pueros examinent, & ſi quos defectus aut exceſſus deprehendant, ad Nos referant. Curent iidem cum Paſtoribus locorum, ut, quantum fieri poterit, ſeparatim a pueris puellæ inſtituantur per honeſtas matronas, quæ teneantur etiam fidem ſuam profiteri, & reliqua obſervare, quæ Ludimagiſtri.

CAPUT VI.

Porro cum habenda ſit non minor ratio ſalutis pauperum, quam divitum, in illorum gratiam juxta Decretum dicti Concilii provincialis erigi volumus & mandamus Scholas Dominicales; ut minimum in hac Civitate, & omnibus oppidis ac celebrioribus pagis, ad quas venire compellantur omnes pueri, qui diebus ferialibus parochiales illas Scholas non frequentant, doceanturque prædicta omnia doctrinæ Chriſtia-

næ

næ capita, ad ſalutem unicuique neceſſaria. Quæ Scholæ Dominicales ut magis frequententur, non ſolum ab ipſa juventute, ſed etiam a præcipuis viris & matronis, qui eas ſua authoritate ſuſtentare, ac ſuis divitiis dotare poſſint, erigantur Sodalitates doctrinæ Chriſtianæ, quibus adſcripti Sacris Indulgentiis a variis Pontificibus conceſſis, & a Nobis quoque authoritate noſtra ordinaria concedendis, frui & gaudere poſſint.

CAPUT VII.

Ne qui vero ſint, ſive parentum, ſive puerorum, qui tam ſalutare opus negligant aut contemnant, viſitentur familiæ ſingulorum a Præfectis ejusmodi Sodalitatum, ubi illæ erectæ fuerint, alias a Paſtore, aut Ludimagiſtro cujusque loci, adjuncto uno ex Magiſtratu: & Catalogus conficiatur puerorum & puellarum cujusque familiæ, quo abſentes facile cognoſci & puniri poſſint, etiam ſubtractione eleemoſynarum, quæ in ſingulis locis pauperibus aſſignari & diſtribui ſolent.

CAPUT VIII.

Ubi commoditas non erit erigendi ejusmodi Sodalitates, Paſtor loci, una cum Capellanis ſuis & vicinorum locorum, ac Ludimagiſtris, hanc provinciam ſubeat, & ſi quis (quod abſit) Paſtor legitime non impeditus, tam præclarum pietatis & veræ charitatis opus facere neglexerit, unius floreni mulctam ad opus fabricæ Eccleſiæ ſuæ, toties, quoties a Decano in ſua viſitatione irremiſſibiliter exigendam, incurrat. Capellani vero, quibus hoc ipſum in virtute ſanctæ obedientiæ, quam Nobis in ſua ordinatione præſtiterunt, injungimus, ſi hac in parte fuerint refractarii aut negligentes, arbitrio noſtri Officialis puniantur.

CAPUT IX.

Quo tempore fiet hæc puerorum inſtitutio, abſtineatur in plateis a tripudiis, & a luſibus, quibus avocari poſſent pueri ab hac utiliſſima lectione doctrinæ Chriſtianæ, & imploretur ad hoc auxilium brachii ſæcularis.

TITULUS III.

De Seminario Clericorum.

CAPUT I.

MAximum quoque præſidium conſervandæ Catholicæ Religionis, & reſtituendæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ dicti Patres Concilii Tridentini in Clericorum Seminario collocarunt, quod tanto ſtudio omnibus Epiſcopis, Archi-Epiſcopis, & his Majoribus commendarunt, ut ſi negligentes hac in parte fuerint, Epiſcopos ab Archi-Epiſcopis, Archi-Epiſcopos ac Superiores a Synodo Provinciali acriter corripi, & ad omnia, quæ ea de re præſcribunt adimplenda cogi velint. Ne Nos itaque in re tanti momenti, & quæ uſque adeo cordi fuit ſanctæ illi congregationi, quæque Diœceſi noſtræ eſt perneceſſaria, officio noſtro defuiſſe videamur, de conſenſu hujus Synodi declaramus, hujusmodi Seminarium in loco convenienti a Nobis eligendo, quanto citius fieri poterit, erigendum, nec non ad ejusdem fabricam inſtituendam, & ad mercedem Præceptoribus & Miniſtris ſolvendam, & ad alendam juventutem, & ad alios ſumptus juxta præſcriptum ejusdem Concilii ex fructibus menſæ noſtræ Epiſcopalis, & Capituli Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & quarumcumque dignitatum, perſonatuum, officiorum, præbendarum, portionum, Abbatiarum & Prioratuum, & Hoſpitalium, quæ dantur in titulum vel adminiſtrationem, & quorumcunque Beneficiorum, noſtræ aut nullius Diœceſis, cum conſilio duorum de Capitulo Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, & duorum de Clero, ſexageſimam partem vel portionem detrahendam, & huic Seminario applicandam & incorporandam: quæ tamen in totum vel in parte remittetur aut diminuetur, cum Seminarium ipſum per viam unionis ſimplicium beneficiorum, vel aliter in totum vel in parte dotatum fuerit.

CAPUT II.

Dicto Seminario non alius præficietur, quam qui ſit Sacerdos, &, ſi commode reperiri poſſit, Sacræ Theologiæ, aut Juris Canonici Doctor aut Licentiatus, qui Catechiſmum aut caſus

conſcientiæ juventutem docere poſſit, promittatque in ſua receptione ſe ſingulis annis coram Nobis, aut Vicario noſtro, & Cleri & Capituli deputatis, totius ſuæ adminiſtrationis rationes fideliter redditurum. Cui ultra victum ſuum cum burſariis communem, in ſingulos annos competens honorarium aſſignabimus: Profeſſoribus quoque certum ſtipendium annum concedetur, ut juventus gratis & absque ullo parentum ſumptu docere poſſit.

CAPUT III.

Burſariorum, qui ibidem alentur, numerus conſtituetur, pro modo facultatum ipſius Seminarii, nonnullis aliis in diminutionem ſuarum expenſarum erogabuntur triginta aut quadraginta floreni communi ſuffragio omnium deputatorum; ita tamen, ut pauperum filii juxta ordinationem dicti Concilii Tridentini, cæteris paribus, aliis præferantur.

CAPUT IV.

Dicti Burſarii ſint ſexdecim ad minus annorum, & de legitimo Matrimonio procreati, ex noſtra Diœceſi oriundi, Clericali tonſura inſigniti, & ut Sacrorum Ordinum capaces eſſe poſſint, nullum in manibus, aut alia corporis parte notabilem defectum habentes, qui præter ſtudia literarum, doceantur cantum Gregorianum, computum Eccleſiaſticum, homilias Sanctorum, ritum & formam tradendorum Sacramentorum, cæterasque cæremonias Eccleſiaſticas, habita tamen diligenti ratione capacitatis eorumdem, ne ingenia lectionum multitudine obruantur; ſingulis diebus interſint Miſſæ Sacrificio, & ſingulis, ut minimum, menſibus peccata ſua confiteantur, & juxta Confeſſoris judicium Corpus Domini noſtri Jesu Christi ſumant, & Sacerdotibus Miſſæ Sacrificium celebrantibus cum ſuperpelliceo diebus feſtis inſerviant.

CAPUT V.

In dicto autem Seminario remanebunt, donec ſtudia bonarum literarum abſolverint, poſtea ad Univerſitatem Studii generalis ſumptibus ejusdem Seminarii mittentur illi, de quibus ſpes ſit, quod in Philoſophiæ ac Sacræ Theologiæ ſtudiis inſignem fructum facient, quo Eccleſiæ Dei utiliores eſſe poſſint: reliqui ſimul atque ætatem a Sacro Concilio Tridentino præſcriptam attigerint, ad Sacros Ordines ſuſcipiendos mittentur, & ea munia Eccleſiaſtica ſine ulla contradictione amplectentur, ad quæ obeunda noſtro, aut Succeſſorum noſtrorum judicio idonei judicabuntur, quod ſe facturos ſub pœna refuſionis expenſarum, quas in ipſo Seminario fecerint, in ſua ad burſam admiſſione promittent.

TITULUS IV.

De Officio Divino.

CAPUT I.

CUm jamdiu Eccleſia noſtra Cathedralis Romani Officii uſum receperit, & ſecutæ fuerint plures Collegiatæ: mandamus, ut juxta Decretum Concilii provincialis Cameracenſis reliquæ Collegiatæ, & omnes Eccleſiæ parochiales eundem uſum ſuſcipiant, & ſequantur. Quod ut minore ſumptu fieri poſſit, de conſenſu totius hujus Synodi, typis excudatur Summarium Antiphonarii, & Gradualis Romani cum ſuis notis, quod omnia, quæ Paſtoribus neceſſaria ſunt, pro utrisque Veſperis & ſumma Miſſa Dominicorum & Feſtorum dierum complectatur, quod ſimulatque excuſum fuerit, interdicimus omnibus Rectoribus Eccleſiarum parochialium Diœceſis noſtræ, tam Regularibus, quam ſæcularibus, ne alio Officio utantur, ſub pœna unius ſcuti aurei, in manus Decanorum, quoties ſuas viſitationes facient, conſignandi, & arbitrio noſtro piis uſibus applicandi. Dicta vero Summaria ſumptibus eorum, qui ad libros præſtandos ex conſuetudine locorum tenentur, pro ſingulis Eccleſiis comparentur.

CAPUT II.

Quo pacto autem ſit perſolvendum Divinum Officium, ipſum nomen ſatis indicat, ſignificans, quod eo tempore negotium nobis ſit cum Deo ipſo, quem in cœlis laudant Angeli, adorant Dominationes, tremunt Poteſtates. Unde

Digitized by Google

Unde cum procul abeſſe debeant a Chriſtianis hominibus, dum in Dei laudibus occupantur, omnes irreverentiæ, riſus, confabulationes, deambulationes, cæteraque ejus generis, non ſolum ordine Eccleſiaſtico, ſed etiam Chriſtiano nomine indigna, præcipimus, ut in parochialibus Paſtor ſevere prohibeat ejusmodi abuſus, etiam ſub pœna pecuniaria fabricæ Eccleſiæ applicanda, cujus executionem, ſi Paſtor ipſe eam exequi non poſſit, Officiali noſtro committimus. In Cathedrali vero & Collegiatis Eccleſiis, præter Decanum, aut eum, qui de jure aut conſuetudine oculus Chori eſſe ſolet, duo Canonici viciſſim deſignentur, qui omnibus diei Horis interſint, defectus obſervent, inſolentias compeſcant, & delinquentes ſigno aliquo officii ſui admoneant, & monitionem contemnentes ad Capitulum deferant, qui ſtatim ad capitularem congregationem evocentur, & arbitraria pœna caſtigentur. Quod ſi Canonici ad hoc deputati a Choro ſimul abeſſe cogantur, aliis idoneis vices ſuas mandent, alioquin & ipſi moneantur, & ſi monitionem quoque contemnant, tota hebdomada ſuis diſtributionibus priventur.

CAPUT III.

Potiſſimum autem, dum Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium peragitur, tam a Clericis, quam a Laicis ſummam reverentiam, ſilentium, devotionem, & humilitatem requirimus; optaremusque omnes eidem aſſiſtere genibus flexis a principio uſque ad finem, ſaltem in Miſſis privatis, excepto dum ad Evangelium aſſurgitur; ſed ſi hoc populo perſuaderi non poteſt, moneatur tamen ſæpius a Paſtoribus & Prædicatoribus non probari a nobis eam conſuetudinem, qua plerique ante conſecrationem in genua procumbentes paulo poſt aſſurgunt, & reliqua Sacrificii parte etiam ſedere præſumunt, quod admodum indecorum eſt, præſertim quamdiu immaculata illa Hoſtia permanet in altari, ſeque ipſam offert Deo Patri in remiſſionem peccatorum noſtrorum. Quapropter ut dicta corruptela penitus aboleatur, jubemus ſtatim poſt Præfationem, dum Sacerdos dicit: *Sanctus, Sanctus* &c. ſono campanulæ admoneri populum, procumbendum eſſe in genua, nec aſſurgendum, donec Chriſti Sanguinem ſumpſerit, nec etiam prius extinguantur tædæ, quæ in plerisque locis ex laudabili conſuetudine ad elevationem Sacræ Hoſtiæ accenduntur. Quod ut facilius uſu recipiatur, concedimus omnibus toto illo tempore genibus flexis orantibus, decem dies Indulgentiarum.

CAPUT IV.

Non eſt ferendus abuſus, quo pauperes per Eccleſias mendicare permittuntur, quod dum faciunt, & ipſi in locis ſacris irreverentia peccant, & aliorum devotionem frequenter interturbant: quapropter omnibus Eccleſiarum Superioribus præcipimus, ut aliquem conſtituant, qui particularem curam ſuſcipiat dictos pauperes ab Eccleſia repellendi; etiam ipſi aſſignato, ſi opus fuerit, certo ſtipendio ex menſis pauperum, aut bonis fabricæ. Quod ut eo promptius exequantur, quo intelligent rem Deo gratam ſe facturos, hic adjiciendum duximus extractum Bullæ Summi in terris Chriſti Vicarii, & Sanctiſſimi Pontificis PII V. datæ Romæ Kalendis Aprilis anno 1566. qua idem diſtricte præcipit hujusmodi ſub tenore: *Mandamus præterea omnibus & ſingulis Cathedralium, Collegiatarum & Parochialium Eccleſiarum Capitulis, Rectoribus, Vicariis, Sacriſtis, Oſtiariis, & aliis ipſarum Cuſtodibus, quatenus præfatos omnes in Eccleſiis delinquentes admoneant, & ut in eis vetita fieri non permittant, vel ſaltem ipſis Ordinariis, vel Officialibus noſtris puniendos deferant, quod ſi facere neglexerint, pœnam duorum aureorum vice qualibet incurrant. Pauperes quoque mendicantes, ſeu eleemoſynas petentes, per Eccleſias tempore Miſſarum, prædicationum, aliorumque Divinorum Officiorum ire non ſinant, ſed eos ad valvas Eccleſiarum ſtare faciant, ſub pœna duorum aureorum Capitulis infligenda pro qualibet vice, niſi eos ejici curaverint, & Parochis dimidii aurei: Religioſis vero clauſtralibus, ſive Regularibus præcipimus in virtute ſanctæ obedientiæ, ut in Eccleſiis ſuis deputent aliquem, qui tales ejiciat, & ſi negligentes fuerint, graviſſime ab Ordinario corripiantur, quod ſi illi parere recuſaverint, graviſſimas panas incurrent, &*

pro qualitate perſonarum etiam corporaliter punientur arbitrio noſtro, ſive Superiorum ſuorum.

CAPUT V.

Sacerdos vero dum ad illud Auguſtiſſimum Miſſæ Sacrificium Deo offerendum accedit, neque in ſua præparatione ac veſtitione, & calicis, corporalis ac Miſſalis diſpoſitione, neque in verborum pronuntiatione, ulla unquam præcipitatione utatur, ſed eam ſemper præ ſe ferat in vultu maturitatem, in geſtibus reverentiam & gravitatem, in loquela aut cantu modeſtiam & attentionem, quæ illum decet, qui Chriſti perſonam non ſolum coram hominibus, ſed maxime coram Deo & Angelis ejus repræſentat.

CAPUT VI.

Nullus Sacerdos Miſſam celebrare præſumat, niſi eam ante præviderit, ſintque hæc omnia ante præparata, candelæ, ſi facultates Eccleſiæ ferant, ad minimum duæ accenſæ ſuper altare, corporale mundum cum ſimili purificatorio, calix ſi non aureus ſemper aut argenteus, propter quotidiana variis in locis hoſtium aut latronum pericula, certe ſtanneus, ſed mundus integer & rectus, mantile aut linteolum pariter mundum ad detergendas manus, panis integer & incorruptus, vinum recens, & aqua pura diſpoſita in urceolis. Quod ſi quis his non præparatis Miſſam inchoare præſumpſerit, aut eandem cum calice ſeu patena aliqua ex parte ruptis, vel corporali aut purificatorio immundis celebraverit, denique ad mappam altaris manus ſuas deterſerit, aut mantili ſordido uſus fuerit (cum etiam minimi defectus graves ſint in re maximi momenti) ab Officiali noſtro graviter puniatur. Et quia res eſt plena periculi, ſi quis vino, quod facile aceſcit, ad multos dies extra vas ſervato utatur, expedit, ut Paſtores pagorum, quibus non eſt vinum recens ad manum, conveniant cum decimatoribus, qui ad illud miniſtrandum tenentur, in ſingulos menſes, aut pro integro vel medio anno, & ſibi ipſi comparent vinum optimum, ſi fieri poteſt, Hiſpanicum, quod recondant & aſſervent in vaſculis convenientibus, aut lagenulis bene obſeratis, ſeu alio convenienti modo provideant, ne vino acetoſo uti unquam cogantur. Quod ſi faciant, graviter eos peccare declaramus, & ſi reſciri poſſit, condignis pœnis puniri ordinamus.

CAPUT VII.

Duas vero in die Miſſas celebrare nemo audeat, niſi licentia in ſcriptis obtenta, ne quidem prætextu ſupplendi defectum Parochi vicini, abſentis, aut ægroti, ejusdem, vel alterius Diœceſis: ſed hoc caſu Parochiani ad vicinam Eccleſiam Miſſæ audiendæ gratia accedant, aut Paſtor ægrotus vel abſens tempeſtive provideat de alio Sacerdote, vel ſi nullo modo reperiatur, dictam licentiam a Nobis, aut Vicario noſtro impetret cum cauſæ cognitione.

CAPUT VIII.

Non ſine cauſa Epiſcopus Sacerdotes omnes recenter a ſe ordinatos diligenter admonet, ut honeſte totius Miſſæ ordinem, & Hoſtiæ conſecrationem & fractionem ab aliis jam doctis Sacerdotibus diſcant, priusquam ad celebrandam Miſſam accedant. Quia tamen experientia cognovimus, ſæpe eos deligi Sacerdotes, qui magis egerent doceri, quam docere, cum ipſimet in cæremoniis ac ritibus, præſertim Romanæ Eccleſiæ, parum ſint exercitati, ſcimusque difficillimum eſſe ab iis, quibus primum quis aſſuevit, ſe ſe revocare; decernimus omnes, qui deinceps in hac Diœceſi ordinabuntur Sacerdotes ſæculares, aſſumere debere unum ex Deputatis a Nobis in unoquoque Decanatu, a quo inſtructionem & perfectam intelligentiam hauriant omnium cæremoniarum, & aliarum obſervationum, quæ a nullo Sacerdote ignorari debent. Cæteris Sacerdotibus interdicimus, ne huic muneri ſe immiſceant, ut aliquando omnes iisdem plane ritibus & cæremoniis in re tanti momenti utantur, quod hac ratione, & non alias brevi futurum ſperamus.

CAPUT IX.

Quemadmodum indecorum eſt, Sacerdotem uſque adeo alta voce Miſſam legere, ut alios in eadem Eccleſia celebran-

Digitized by Google

lebrantes conturbet: ita indecens eſt, ipſum tam ſubmiſſa voce loqui, ut a nemine circumſtantium intelligatur. Servanda ergo in his mediocritas, & quidem vox ita temperanda, ut cum Sacerdos ad ea, quæ ſecreto dici debent, pervenerit, ea ſic pronuntiet, ut diſtinctum quidem verborum ſonum ipſe percipiat, at nulla ratione ab aliis intelligatur: Canonem vero maxima cum modeſtia, & attentione pronuntiet, ac præſertim Sacroſancta illa verba, quibus Corpus & Sanguis Chriſti conficitur, quæ nullus unquam memoriter recitare præſumat, ſed vel ex ipſo Miſſali, vel ex tabella, quæ in multis altaribus non inutiliter oculis Sacerdotis opponi ſolet, quod ex gravibus cauſis animum noſtrum moventibus, omnibus tam Regularibus, quam ſæcularibus Sacerdotibus, in virtute ſanctæ obedientiæ, quam Nobis in ſua ordinatione promiſerunt, & ſub pœna arbitraria præcipiendum duximus.

CAPUT X.

Inſequentes ordinationem Concilii Tridentini interdicimus, ne quis vagus & ignotus Sacerdos in hac noſtra Diœceſi ullo modo Miſſam celebrare permittatur, niſi exhibitis ſui Ordinarii dimiſſoriis literis, & ſi a propria Diœceſi diu abſens, & in alia commoratus fuerit, etiam Ordinarii illius literas teſtimonium ſuæ honeſtæ converſationis continentes, exhibere teneatur. Qui ejusmodi vagum & ignotum Sacerdotem, non viſis prædictis, aut noſtris literis, admiſerit, unius floreni mulctam fabricæ Eccleſiæ applicandam incurrat.

CAPUT XI.

Si quis Sacerdotum (quod abſit) impuro concubinatu infamis, aut cum pridie temulentus notabile ſcandalum dederit, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebrare præſumpſerit, ad integrum menſem ab ejusdem Sacrificii celebratione ſuſpendatur. Qui enim Sacra illa Myſteria ſic tractat, Deum, quem tanto Sacrificio debuerat ſibi & populo reddere placatum, ad iram magis provocat, & ipſe reus efficitur Corporis & Sanguinis Domini.

CAPUT XII.

Verum quia plerumque accidit, ut ejusmodi ſcandala ac crimina, neque ad noſtram, neque Vicariorum noſtrorum notitiam deveniant, diſtricte præcipimus talium Sacerdotum Confeſſariis, ut pro meritis eos graviter increpent, & ſatisfactionem illis tanta irreverentia dignam injungant. Quod ſi in tali præſumptione perſeverent, denegent eis tanquam impœnitentibus beneficium abſolutionis, donec ex animo reſipuerint.

CAPUT XIII.

Miſſæ Parochiales a Feſto Paſchæ uſque ad Feſtum Sancti Remigii circa horam octavam ubique celebrentur: a Feſto vero Sancti Remigii uſque ad Paſcha circa horam nonam, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, Paſtoribus contravenientibus, juxta Decretum prætacti Concilii Provincialis Cameracenſis, infligenda. Veſperas quoque, ob cauſas animum noſtrum moventes, in omnibus Eccleſiis parochialibus quovis tempore eadem hora, nempe ſecunda pomeridiana decantari ordinamus. Nec ullum Paſtorem ab illis decantandis excuſari hoc prætextu, quod medias, ut vocant, Eccleſias, aut quartas Capellas duntaxat poſſideant. Diebus enim Dominicis & Feſtivis omnes ad hoc obligari declaramus, & ſic a noſtris Officialibus judicari præcipimus.

CAPUT XIV.

Qui contra laudabilem hujus Diœceſis conſuetudinem, in præcipuis anni Feſtivitatibus Eccleſiam ſuam Parochialem non frequentant, aut tribus continuis Dominicis diebus a Miſſa Parochiali abſunt, admoneantur primum a ſuis Paſtoribus, & ſi monitionem contemnant, citentur coram Officialibus noſtris, & in aliquam emendam, fabricæ Eccleſiæ ejuſdem applicandam, eorundem arbitrio condemnentur, niſi ob cauſam rationabilem excuſentur.

CAPUT XV.

De his omnibus, an exacte per totam Diœceſim obſerventur, Reverendus Dominus Archi-Diaconus, & Decani Conciliorum in ſuis viſitationibus

Digitized by Google

bus ſe diligenter informent, & ad Nos deferant, quos invenerint defectus aut exceſſus, ut coram Nobis, aut Vicario noſtro delinquentes evocati, rationem reddant ſuæ negligentiæ aut contemptus.

TITULUS V.

De diebus Feſtis & Jejuniis.

CAPUT I.

SUmmopere dolendum eſt, iis diebus, qui ad Divinas laudes decantandas, & ad peccatorum veniam impetrandam inſtituti ſunt, fideles Chriſti ad graviora ſcelera committenda, Divinamque iram magis incitandam nefarie abuti: ideoque ſæpe & graviter reprehendant Paſtores & Prædicatores abuſum illum, quo plerique a ſervili quidem opere Feſtis diebus abſtinent, ſed majorem illorum partem deambulationibus, luſibus, comeſſationibus, & choreis impendunt, cum econtra ideo ceſſandum ſit ab omni opere ſervili, ut univerſus populus absque ulla diſtractione orationi vacet, & Miſſæ Sacrificio, ac cæteris Divinis Officiis, nec non Sacris Concionibus diligenter interſit.

CAPUT II.

Quare ut ſupradicta impediantur, & avaritia quoque eorum mercatorum, qui iis diebus merces ſuas vendere præſumunt, nec non agricolarum, aurigarum, nautarum, molitorum, piſtorum, piſcatorum, & aliorum ejus generis hominum, qui absque notabili neceſſitate & licentia ſuas operas exercent, coerceatur; præcipimus Promotoribus noſtris, ut diligenter advigilent, quo in prædictorum abuſuum notitiam devenire poſſint, authores coram Officialibus noſtris citari curent, qui eos pecuniariis pœnis, piis uſibus applicandis, puniant. Magiſtratus autem urbium, & Ballivos, Majores, aliosque in pagis juſtitiæ Præfectos, paterno affectu rogamus, ut juxta Edictum Regium his etiam malis ſua authoritate mederi omnibus modis annitantur: ac præſertim tempore ſummæ Miſſæ & Veſperarum, deambulationes in foro, aut aliis locis publicis, potationes in tabernis, luſus in ſphæriſteriis, venditiones carnium in macellis, non permittant, majores urbium portas clauſas teneant, nec currus oneratos mercibus ullo pacto diebus Dominicis ac Feſtis egredi, multo minus iis diebus a ruſticis grana ad publicum forum adduci, & ea divendi patiantur: ſed ſi in conſuetum ac ejusmodi publicæ venditioni præfixum diem, Feſtum aliquod inciderit, uti & nundinæ ſimiliter incidentes, in ſequentes dies, juxta præfatum Edictum Regium transferantur. Gratuitæ vero operæ Dominis a colonis ſuis præſtari ſolitæ, quas vulgo *Corvées* vocant, iis quoque diebus, niſi in caſu neceſſitatis, & habita Superiorum licentia, non præſtentur.

CAPUT III.

Feſti autem dies ultra Dominicos per univerſam hanc Diœceſim noſtram ſolemniter obſervandi hi ſunt: Dies Nativitatis Domini noſtri Jesu Chriſti. S. Stephani Protomartyris. S. Joannis Evangeliſtæ. Sanctorum Innocentium. Circumciſionis Domini. Epiphaniæ. Purificationis Beatæ Mariæ Virginis. Sancti Matthiæ Apoſtoli. Annuntiationis ejusdem Beatæ Mariæ. Paſchæ, & Pentecoſtes cum feria ſecunda & tertia ſequentibus. Aſcenſionis Domini. Sanctiſſimæ Trinitatis, & Venerabilis Sacramenti. Sanctorum Apoſtolorum Philippi & Jacobi. Inventionis Sanctæ Crucis. S. Albani Martyris, Patroni Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, cujus feſtum celebratur vigeſima prima Junii. Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ. Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. Viſitationis B. Mariæ Virginis. S. Mariæ Magdalenæ. S. Jacobi Apoſtoli. S. Laurentii Martyris. Aſſumptionis B. Mariæ Virginis. S. Bartholomæi Apoſtoli. Nativitatis B. Mariæ Virginis. S. Lamberti Epiſcopi & Martyris. S. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. S. Michaelis Archangeli. Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ. Omnium Sanctorum. S. Martini. S. Catharinæ. S. Andreæ Apoſtoli. S. Nicolai. Conceptionis B. Mariæ Virginis, & S. Thomæ Apoſtoli. Quos dies Feſtos juxta Concilii Tridentini Decretum ab omnibus etiam exemptis

emptis & Regularibus ſervari mandamus.

CAPUT IV.

Si prædictum Feſtum Annuntiationis B. Mariæ Virginis inter Dominicam *Palmarum* & *Quaſimodo* inciderit, juxta Decretum Concilii Provincialis Cameracenſis, feria ſecunda poſt dictam Dominicam *Quaſimodo*, etiam a populo celebretur.

CAPUT V.

Jejunia in hac Diœceſi ſervanda, præter Sacrum Quadrageſimæ & quatuor anni temporum jejunium, ſunt: Vigiliæ Nativitatis Domini. Sancti Joannis Baptiſtæ. Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli. S. Laurentii Martyris. Aſſumptionis B. Mariæ Virginis. Sancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. Sanctorum Apoſtolorum Simonis & Judæ. Omnium Sanctorum, & Sancti Andreæ Apoſtoli. In feſto Beati Marci Evangeliſtæ, & tribus diebus Rogationum, juxta laudabilem Eccleſiæ conſuetudinem uſque ad meridianum tempus jejunetur, & tota die ab eſu carnium abſtineatur. Quod ſi dictum feſtum S. Marci in hebdomada Paſchæ evenerit, ad feriam ſecundam poſt Dominicam *Quaſimodo* transferatur, & ea die ſupplicationes fiant; & dicta a carnibus abſtinentia obſervetur.

CAPUT VI.

Cum autem multum hodie ſe remiſerit antiquus Chriſtianorum in jejuniis exacte ſervandis fervor & devotio, præcipimus Paſtoribus & Prædicatoribus Verbi Dei, ut ſæpius populo inculcent teneri omnes ſub pœna peccati mortalis jejunare prædictis diebus, niſi ob impotentiam, neceſſitatem aut majus bonum excuſentur, & graviter peccare caupones & hoſpites, qui aliis, quam peregrinis, iis diebus cibos miniſtrant, nulla conſideratione habita, an habeant juſtam cauſam non jejunandi: multo vero magis, ſi cibos veritos (quod abſit) etiam petentibus in diebus jejuniorum miniſtrent, non viſa legitima diſpenſatione. Quod ſi hoc quocunque Diœceſis noſtræ loco fieri contingeret, paſtorum erit Nos illico ejus rei reddere certiores.

CAPUT VII.

Ut aliquod veſtigium antiquæ pietatis in hac Diœceſi obſervari ſolitæ impoſterum remaneat, laudabilem conſuetudinem feria quarta Cinerum, & feria ſexta Paraſceves ab omnibus lacticiniis abſtinendi, retineri, & ubique ſervari, & de illa per Paſtores aut Prædicatores tempeſtive populum moneri volumus, niſi per Nos fuerit ſuper hoc diſpenſatum. Aliis Quadrageſimæ diebus lacticiniorum uſum toleramus, dummodo ii, qui illis utentur, alia pietatis opera faciant, in quæ jamdiu obligatio juris communis ſtrictius jejunandi noſcitur eſſe commutata, doceanturque non aliter ſatisfacere præcepto Eccleſiæ de Jejunio Quadrageſimæ.

TITULUS VI.

De Sacramentorum adminiſtratione.

CAPUT I.

QUæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, tam exacte & dilucide in Sacroſancta Tridentina Synodo, Catechiſmo ad Parochos, & Concilio provinciali Cameracenſi explicantur, ut Parochos noſtros, & alios, quibus hæc cura commiſſa eſt, ad illa remittere, quam eadem inculcare ſatius exiſtimemus: pauca tamen variis de cauſis utiliter ipſis præſcribi poſſe cenſemus.

CAPUT II.

Imprimis, ut nullus eorum, neque aliorum Sacerdotum ullum Sacramentum unquam adminiſtret, niſi alba, aut mundo ſuperpelliceo & ſtola indutus, ut meminerit ſe intus candida innocentiæ ſtola exornatum eſſe debere.

CAPUT III.

Deinde ut, quamdiu hæc Diœceſis proprium Manuale non habet, in adminiſtratione Sacramentorum, Manuali Eccleſiæ Metropolitanæ Cameracenſis juxta Decretum dicti Concilii provincialis omnes utantur.

CAPUT IV.

Ut diligentiſſime præcaveant, ne alienis parochianis absque proprii illo-

rum Parochi, aut noſtra licentia Sacramenta adminiſtrent, præſertim Pœnitentiæ & Matrimonii; ſcire enim debent invalidas, imo de jure nullas eſſe alienorum Parochianorum extra caſum neceſſitatis abſolutiones, & quod ii Sacerdotes, qui ipſos Matrimonio ſic conjungunt, ipſo jure ſint ſuſpenſi, quamdiu ab Ordinario ejus Parochi, qui Matrimonio intereſſe debebat, abſolvantur.

CAPUT V.

Summo quoque ſtudio invigilent, ne quisquam Parochianorum ſuorum, per ipſorum negligentiam absque Sacramentorum perceptione decedat e vita, & ſi alicujus Parochi culpa aliquis infans ſine Baptiſmo, aut adultus ſine confeſſione, aut Extrema unctione deceſſerit, ab adminiſtratione Sacramentorum ad menſem ſuſpendatur, aut alias arbitrio Judicis puniatur.

CAPUT VI.

Hæreticos, quamdiu non abjuraverint hæreſim, uſurarios manifeſtos, quamdiu pro uſuris non ſatisfecerint, aut de reſtituendis bonis per uſuras injuſte acquiſitis, ſufficientem non dederint cautionem, & excommunicatos a Judice, quamdiu de abſolutione, ab eodem, aut ejus Superiore obtenta non docuerint, ad Sacramentorum perceptionem & Eccleſiaſticam ſepulturam non admittant, excepto mortis articulo, quo caſu uſurarii, quibus facultas non ſuppetit prædictam cautionem dandi, admitti poſſunt, mediante promiſſione, quod ſi convaluerint, ab uſuris prorſus abſtinebunt, & lucra ex eis acquiſita reſtituent, quamprimum hoc eorum facultates ferent; excommunicati vero præſtita prius per ipſos obligatione, & quatenus poſſint, etiam cautione, quod ſi periculum mortis evadant, ſtatim ſe a cenſuris abſolvi curabunt.

CAPUT VII.

Eosdem uſurarios, manifeſtos hæreticos & excommunicatos, a ſuſceptione Baptizandorum, & a præſentatione Confirmandorum prorſus repellant.

CAPUT VIII.

Diligenter inſtruant mulieres, quæ obſtetricis officio funguntur, quibus caſibus illis baptizare liceat, & qua verborum forma, ac materia uti oporteat, nec ullas admittant, imo ab ingreſſu Eccleſiæ, cum infantem baptizandum deferunt, prohibeant, niſi prius ſic fuerint inſtructæ, & exhibuerint teſtimonium ſuæ fidei, ac juxta Edictum Regium in manibus Magiſtratus juraverint, ſe ante diem tertium fideliter denuntiaturas Paſtoribus infantes, quos in eorum Parochiis ſcient eſſe baptizandos.

CAPUT IX.

Sedulo admoneant parentes ac nutrices, ne infantes anno juniores ſecum in cubili excipiant, ne forte, quod nimis frequenter accidere compertum habemus, incaute illos ſuffocantes, graviſſimum peccatum admittant, cujus abſolutionem, ſi in hac noſtra Diœceſi contingat, Nobis reſervamus.

CAPUT X.

Antequam pueros Parochiarum ſuarum ad Nos mittant pro Sacramento Confirmationis ſuſcipiendo, diligenter præmoneant populum ſuum de iis, quæ dictum Concilium Provinciale ſigillatim præſcripſit, addantque ob defectum illorum, quæ ex parte parentum aut puerorum requiruntur, ipſos pueros pro ea vice a tanti Sacramenti ſuſceptione repellendos.

CAPUT XI.

In privatis ædibus, niſi ob ægritudinem, confeſſiones nunquam audiant; cum Eccleſia ſit proprius Sacramenta adminiſtrandi locus, nec in quolibet Eccleſiæ loco, ſed in aperto & claro, & quidem in ſedilibus ad hoc ſpecialiter deſtinatis, quæ in omnibus Eccleſiis, quarum facultates hoc ferre poſſunt, fieri optamus.

CAPUT XII.

Omnes eadem forma abſolutionis utantur, quam idcirco hic inſerendam duximus, ſcilicet his verbis: *Dominus noſter JESUS CHRISTUS, qui eſt Summus Pontifex, te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo imprimis ab omni vinculo excom-*

Digitized by Google

communicationis, in quantum poſſum, & indiges, deinde eadem auctoritate abſolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen. Quod ſi quis ſit etiam abſolvendus ab aliis cenſuris, dicat hoc modo: *Dominus noſter &c. ab omni vinculo excommunicationis, ſuſpenſionis & interdicti &c.*

CAPUT XIII.

Non præſumant abſolvere a caſibus Summo Pontifici, aut Nobis reſervatis. Hos autem caſus Nobis reſervamus. Imprimis omnem caſum, cui annexa eſt excommunicatio major, Nobis de jure aut ex Decreto Concilii Tridentini reſervata, hæreſim, apoſtaſiam, homicidium, incendium voluntate deliberata procuratum, concubitum contra naturam, raptum virginum, inceſtum cum Sanctimonialibus, vel conſanguineis, aut affinibus in primo aut ſecundo gradu, adulterium manifeſtum, injectionem manuum violentam in parentes, veneficium, ligaturam & omne maleficium, quo impeditur actus matrimonialis in conjugibus, & oppreſſionem prolis etiam ignoranter a parentibus factam.

CAPUT XIV.

Quoties deferunt ægrotis Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, aut Extremæ Unctionis, eorundem vicinos ad comitandum exhortentur, ſed & hoc populo pulſu campanæ paulo ante ſignificent, ut ex pio charitatis affectu plures comitentur, aut certe in domibus ſuis pro ſalute corporali & ſpirituali ipſius ægroti Dominum deprecentur, & ipſi Indulgentias hoc facientibus a Summis Pontificibus conceſſas, lucrari mereantur. Nos quoque iis, qui comitabuntur, quadraginta, iis vero, qui ſuis præpediti negotiis, ut ſupra, orabunt, viginti dies Indulgentiarum impartimur.

CAPUT XV.

In Paſchate a matutino tempore uſque ad meridiem dictum Euchariſtiæ Sacramentum per ſe, aut ſuos Capellanos adminiſtrent, nec ullo modo expectent finem concionis aut Miſſæ ſolemnis, quod ſine gravi Parochianorum, adeoque ipſius Parochi incommodo fieri non poteſt, & Nos ſub pœna unius ſcuti aurei fabricæ ejusdem Eccleſiæ applicandi, fieri prohibemus.

CAPUT XVI.

Dictum Euchariſtiæ Sacramentum non deferant in iis proceſſionibus, quæ per agros ad magnum ſpatium ſe extendunt, niſi hoc cum omni modeſtia ac reverentia fiat; præcedente ſemper lumine ac campanula ſonante, & populo ſequente, ſicut in civitatibus fieri ſolet & debet.

CAPUT XVII.

Eos, qui necdum ſunt confirmati, vel adeo rudes ſunt, ut ignorent Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, præcepta Dei & Eccleſiæ, latina aut vulgari lingua, nec ad Euchariſtiæ, nec ad Matrimonii Sacramentum admittant, ſed eos prius de prædictis omnibus inſtruant, vel per aliquem alium inſtrui curent, & inſtructos pro Sacramento Confirmationis ad Nos remittant, extraneos autem in eorum Parochiis commorantes, non niſi viſis Ordinariorum, aut Parochorum ſuorum literis, quod ſoluti & liberi ſint, fidem facientibus, Matrimonio conjungant. Quod ſi eas ob nimiam diſtantiam habere non poſſint, ab eis ſolemne juramentum exigent, quod nullum norint impedimentum, quominus inter ſe Matrimonium contrahere poſſint.

CAPUT XVIII.

Proclamationes bannorum matrimonialium nunquam omittant, niſi viſis literis diſpenſationis, quas, qui obtinere voluerint, adferent teſtimonium a ſuis Parochis, quod nullum ſciant Canonicum impedimentum.

CAPUT XIX.

Omnes Parochi exacte ſciant impedimenta Matrimonii, ſaltem quæ uſitatius eveniunt, qualia ſunt, conſanguinitas uſque ad quartum gradum incluſive; affinitas orta ex legitimo Matrimonio uſque ad ſimilem gradum etiam incluſive: ſi vero orta ſit ex fornicatione duntaxat, uſque ad ſecundum incluſive, cognatio ſpiritualis, ſive per Baptiſmi, ſive per Confirmationis Sacramen-

mentum contracta, Ordo Sacer, omne votum caſtitatis, impotentia, validæ promiſſiones priores matrimoniales, juſtitia publicæ honeſtatis ex validis Sponſalibus proveniens quo ad primum gradum tantum. Quod ſi aliqui Parochorum hæc impedimenta diſcernere non norint, peritiores conſulant, alioquin ſi ſcienter aliquos ſic impeditos conjunxerint, juxta Decretum Concilii Provincialis Cameracenſis, ad annum ab officio paſtorali ſuſpendantur, aut alia arbitraria pœna puniantur.

CAPUT XX.

Si vero contingat impedimentorum iſtorum aliquod denunciari, aut Matrimonio deſponſorum oppoſitionem aliquam fieri, vel rumor ſit publicus impedimentum aliquod ſubeſſe, etiamſi nulla ſit oppoſitio, non prius a Parochis ad ulteriores proclamationes aut Matrimonii ſolemnizationem procedatur, quam re ad Nos, aut Officialem noſtrum delata, ut, quid ſit agendum, decernatur: non enim permittimus, ut de cauſis ejusmodi Parochi cognoſcant, ſed omnem deciſionem noſtro, aut dicti Officialis judicio reſervamus.

CAPUT XXI.

Ad exterminandum graviſſimum abuſum, qui temporibus noſtris paſſim irrepſit, ſingulis diebus Dominicis denuntient, excommunicatos eſſe eos, qui ligaturis aut quibuscunque maleficiis actum Matrimonii inter conjuges impedire conantur, quos etiam Nos ex nunc, prout ex tunc excommunicamus, & tam peccati ipſorum, quam excommunicationis noſtræ abſolutionem Nobis reſervamus.

CAPUT XXII.

Sed & alium abuſum diſſimulare non poſſumus, quo nova nupta poſtridie ſuarum nuptiarum e templo (ubi Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium audivit) egrediens, excipitur a mimis & larvatis, ſeu aliis petulantibus hominibus, & cum multis irreverentiis & inſolentiis abducitur, donec a ſuo conjuge redimatur; quæ omnia tanquam Matrimonii Sacramento, imo Chriſtiano nomine indigna, deinceps ſub eadem pœna excommunicationis fieri prohibemus, & ne eam in authores fulminare cogamur, Judicum ſæcularium, ut aliis convenientibus modis has inſolentias reprimant, auxilium implora-mus.

CAPUT XXIII.

Poſtremo ſtatuimus, ut dicti Parochi quatuor libellos conficiant, in quorum primo, nomina omnium ab eis baptizatorum & parentum & patrinorum eorundem deſcribant, diemque Baptiſmi & nativitatis annotent. In ſecundo, nomina omnium tempore ſuſ regiminis confirmatorum, cum nominibus parentum & patrinorum, ac Epiſcopi confirmantis, & loci, ubi hoc Sacramentum ipſis contulit. In tertio, nomina omnium, qui Matrimonium coram ipſis contraxerunt, & teſtium, qui contractui interfuerunt, diemque & locum contractus Matrimonii. In quarto, nomina omnium, quorum ipſi corpora ſepelierunt in ſuis Eccleſiis aut Cœmiteriis, cum die mortis ſeu obitus eorumdem: quæ deſcriptio exigui erit laboris, & minoris impenſæ, magni autem fructus, & maxime interdum iis, quorum intereſt conſolationis. Quos libros dicti Parochi Nobis, aut Deputatis noſtris cum occaſio ſe offeret, nec non Decanis in ſuis viſitationibus, exhibere tenebuntur.

TITULUS VII.

De prima Tonſura, minoribus ac Sacris Ordinibus.

CAPUT I.

AD primam Tonſuram nemo ſe præſentet, qui non ſit confirmatus, & linguæ latinæ jactis fundamentis; coram Nobis teſtari ſit paratus, ſe non judicii ſæcularis fugiendi cauſa, ſed Deo liberius ſerviendi, hoc primo Clericorum charactere inſignire velle, & teſtimonium habeat a proprio Parocho, quod ſit de legitimo matrimonio natus, & ratione originis aut domicilii noſter Diœceſanus: alioquin ſciat ſe a tonſuræ ſuſceptione arcendum, quemadmodum & eos, qui ad illam ſuſcipiendam ſine ſuperpelliceo & cereo comparebunt.

CA-

Digitized by Google

CAPUT II.

Promovendi ad minores Ordines compareant ad minus ſummo mane illius diei, qui ſacras ordinationes præcedit, & quidem cum literis ſuæ tonſuræ, ac bonæ & honeſtæ converſationis; nec ullus ſe præſentet ad plures Ordines minores ſimul ſuſcipiendos, niſi Eccleſiæ neceſſitas aut utilitas hoc poſtulaverit, cum extra hunc caſum, Sacrum Concilium Tridentinum in minoribus non minus, quam in majoribus Ordinibus interſtitia ſervari voluerit.

CAPUT III.

Quod ſi quis illegitimus a bona indole & vitæ honeſtate commendetur, ut primam Tonſuram ac minores Ordines ſuſcipere, & ſimplex beneficium poſſidere poſſit, diſpenſationem ſuper defectu natalium in ſcriptis habeat, priuſquam ad Tonſuram ſe præſentet, alioquin ab illa repellendus.

CAPUT IV.

Qui vero ad Sacros Ordines ſe præſentare voluerint, multo magis intelligant in re tanti momenti non eſſe feſtinandum, ideoque interſtitia inter ſingulos Ordines exactiſſime a Nobis eſſe ſervanda. Adferant ergo ultra literas ſuſceptionis Ordinum, competens teſtimonium, quod a noviſſimo Ordine ſuſcepto, ſæpius Sacram Euchariſtiam ſumpſerint, & novas proclamationes fieri curaverint, & interim honeſte & laudabiliter vixerint, denique teſtimoniales literas habeant ætatis ſuæ, per ſuos Superiores, Decanos aut Parochos, auditis parentum vel ſuſceptorum, vel iis deficientibus, aliorum fide dignorum teſtium depoſitionibus, aut inſpecto libro baptismali, fideliter expeditas.

CAPUT V.

Qui ad Ordinem Subdiaconatus ſe præſentare voluerint, mature prius examinata illius muneris, ad quod aſpirant, dignitate, & ſi onus, quod ultro appetunt (nempe perpetuam caſtitatem ſervandi, & Dei ſervitio, atque Eccleſiæ miniſterio ſe totos mancipandi) vires eorum non excedat, compareant aliquot diebus ante ipſam ordinationem coram Officiali noſtro, cum atteſtationibus valoris ſui beneficii aut patrimonii, ad cujus titulum promoveri intendunt: quas ſi ſufficientes judicaverit, hoc ſuo Decreto teſtabitur, ne cum ad examen vitæ & doctrinæ venietur, hæc inquiſitio, Nos, ſeu Examinatores ad hoc deputatos, diutius remoretur.

CAPUT VI.

Sufficientiam autem Tituli æſtimabit dictus Officialis, juxta Decretum dicti Concilii Provincialis, prout & juramentum exiget ab iis, qui promoveri intendunt ſub titulo patrimonii, juxta formam ibidem præſcriptam, & de illo præſtito, fidem faciet.

CAPUT VII.

Ad Ordinem Diaconatus promovendi, diligenter ſecum perpendant, ad quantum gradum Eccleſiæ aſcendant; nam ut olim Levitæ arcam fœderis, ita nunc ipſi Eccleſiam Dei portare & munire debent, ornatu ſancto, prædicatu Divino, exemplo perfecto, ut vere teſtentur ſe eſſe Levitas, hoc eſt, aſſumptos a carnalibus deſideriis, & a terrenis concupiſcentiis, quæ militant adverſus animam, ut hæreditas & tribus amabilis Domini eſſe mereantur, & tanquam Miniſtri & Cooperatores Corporis & Sanguinis Domini, ſint ab omni illecebra carnis alieni, & quibus Evangelium ore annuntiant, vivis operibus exponant, habeantque pedes ſuos calceatos Sanctorum exemplis, in præparationem Evangelii pacis.

CAPUT VIII.

Qui vero ad Sacrum Presbyteratus Ordinem ſe præſentare intendunt, meminerint, quod cum magno timore ad tantum gradum aſcendendum eſt, atque providendum, ut cœleſtis ſapientia, probi mores, & diuturna juſtitiæ obſervatio ad id electos commendent, & advocati in adjutorum Epiſcoporum cognoſcant quod agunt, imitentur quod tractant, quatenus mortis Dominicæ myſterium celebrantes, mortificare membra ſua a vitiis & concupiſcentiis ſuis omnibus procurent, ſitque doctrina eorum ſpiritualis medicina populo Dei, ſit odor vitæ eorum dele-

&tamentum Eccleſiæ Chriſti, ut prædicatione atque exemplo ædificent domum, id eſt, familiam Dei, eluceat in eis totius forma juſtitiæ, ut bonam rationem diſpenſationis ſibi creditæ reddituri, æternæ beatitudinis præmia conſequantur.

CAPUT IX.

Nullus autem ſperet ſe ordinandum a Nobis, niſi alicui Eccleſiæ aſſcribatur, hoc eſt, ni Eccleſiam deligat, in qua ſe miniſtraturum ſpondeat Ordine ſuſcepto, docearque ſe hoc feciſſe, priuſquam ad altiorem gradum promoveatur, ne dictam Eccleſiam deſerere poſſit nobis inconſultis ſub pœna interdictionis exercitii Sacrorum Ordinum, a Sacroſancta Tridentina Synodo præſcripta.

TITULUS VIII.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

QUamvis habitus non facit Monachum, oportet tamen Clericos, veſtes proprio convenientes Ordini, ſemper deferre, ut per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant. Quapropter ad praxim pulcherrimi Decreti Generalis Concilii Tridentini, & CLEMENTIS V. in Concilio Viennenſi procedentes, monemus eos, qui Sacris inſigniti ſunt, vel Beneficium Eccleſiaſticum poſſident, & in Civitate aut oppidis degunt, ut veſtibus talaribus cum bireto Clericali ad crucis ſimilitudinem confecto, quod eſt Eccleſiaſticorum hominum proprium, vel chlamydibus uſque ad talos, aut circiter, & veſte interiori, ut minimum ultra genua propendente, ſemper utantur, ſub pœna ſuſpenſionis a ſuis Ordinibus, officiis, beneficiis, fructibus, reditibus, & proventibus ipſorum beneficiorum, nec non, ſi ſemel correpti denuo in hoc deliquerint, ſub pœna privationis officiorum & beneficiorum hujusmodi ab eodem Concilio Tridentino præſcriptis. Cum autem extra Civitatem, aut oppida proficiſcentur, prout & ii, qui ruri vitam agunt, brevioribus chlamydibus uti poterunt, ita tamen, ut interiorem ſemper habeant veſtem, quæ thoracem & caligas contegat.

CAPUT II.

Prædictas pœnas multo magis incurrant, qui diſſectas veſtes, aut variis coloribus diſtinctas (quod abſit) deferre auſi fuerint.

CAPUT III.

Tonſuram quoque Clericalem pro uniuscujusque Ordinis ratione latam & patentem, omnes ſemper gerant, & ut minimum, in ſingulos menſes, & omnibus præcipuis anni feſtivitatibus renovent, ut hoc antiquiſſimo Eccleſiæ ritu ſignificent, ſe ſuperflua omnia, curasque omnes ſæculares ac terrenas ſolicitudines abjeciſſe, & ea, quæ ſurſum ſunt, quærere & ſapere. Barbam etiam non aliam nutriant, quam ſuo Ordini congruentem, eamque ſingulis etiam menſibus, ſi non radere, ſaltem concinnare & honeſte præſcindere teneantur.

CAPUT IV.

Clericorum arma eſſe debent orationes & jejunia, quibus recte communiti ſecuriores erunt adverſus omnes hoſtes, quam clypeis, gladiis aut ſclopetis armati; quare omnibus uſum armorum interdicimus, niſi ob itinerum pericula expreſſam ad illa gerenda, a Nobis, aut Vicario noſtro in ſcriptis obtinuerint licentiam, cujus tamen prætextu, nullus Clericus templum ipſum cum armis ingrediatur. Huic Decreto contravenientes pro prima vice pœnis pecuniariis mulctentur.

CAPUT V.

Tabernas vero, tanquam malorum omnium fontes, non ſolum prohibemus, ſed etiam ſerio injungimus Promotoribus noſtris, ut ſi quos reſciverint Clericos noſtræ Diœceſis, qui eas frequentent, excepta ſola itineris neceſſarii cauſa, eos ſtatim hoc nomine coram Officialibus noſtris evocari curent, quibus præcipimus, ut eos pœnis primum pecuniariis, deinde etiam, ſi abſtinere noluerint, carceribus ad meliora compellant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT VI.

Quia vero incontinentiæ crimen maximum dedecus parit Ordini Eccleſiaſtico, ita ut ſola illius ſuſpicio Laicos homines graviter offendat; prohibemus, ne quis Clericorum cujuscunque ordinis fuerit aut dignitatis, mulierem in ſuam familiam quocunque ſervitii prætextu aſſumere audeat, quæ antea fuerit vel convicta, vel etiam de incontinentia ſuſpecta, ſub pœna ſuſpenſionis ab exercitio ſuorum Ordinum, aut a ſuis officiis & beneficiis, ſi primum amicabiliter monitus, eam non dimiſerit, & ne deinceps eo nomine vituperetur miniſterium noſtrum, præcipimus, ut nullus habeat ancillam quadraginta aut circiter annis juniorem, etiam ab omni incontinentiæ ſuſpicione alienam, niſi ſit ipſi conſanguinea in primo aut ſecundo gradu conſanguinitatis: qui ſecus fecerit, primum moneatur, ut ejusmodi ancillam juniorem dimittat, deinde, ſi non paruerit, arbitrio ſui Superioris graviter puniatur; contra concubinarios vero ſecundum formam a Sacroſancta Tridentina Synodo præſcriptam (*a*), ſine ulla diſſimulatione procedatur.

CAPUT VII.

Non ſolum contra Apoſtolicum præceptum faciunt Clerici, qui negotiationibus operam dant, & quæſtum captant, ſed etiam qui alienos agros, aut decimas conducunt, & illis colendis, his vero colligendis maximam ſui temporis partem, quam orationi & ſacris ſtudiis impendere deberent, inutiliter impendunt; nec non ii, qui Dominorum temporalium obſequiis ſe tradunt, & in eorum negotiis curandis toti occupantur. Proinde omnes Clericos monemus, ut deinceps ab iis abſtineant. Parochis tamen ruralibus, qui partem decimarum ſuæ parochiæ, ratione ſui paſtoratus poſſident, permittimus, ut reliquam partem ab iis, ad quos pertinet, conducere poſſint, quo minori impenſa ſuas decimas colligant, & ipſi commodius ſuſtententur.

TITULUS IX.

De Canonicis, Decanis ruralibus, Paſtoribus, & Matricullariis.

CAPUT I.

OMnia, quæ dictum Concilium Provinciale præſcripſit Capitulis & Canonicis, obſervari volumus & mandamus in noſtra Eccleſia Cathedrali, & omnibus Eccleſiis Collegiatis noſtræ Diœceſis, quibus hoc ſolum adjicimus, Canonicos ſemper meminiſſe debere beneficium dari propter officium, nec ſufficere, ſi per Vicarios Horas Canonicas decantari, & Miſſas celebrari curent, ſed omnes teneri ad Divina per ſe, & non per ſubſtitutos officia obeunda, atque in Choro ad pſallendum inſtituto, hymnis & canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudandum. Quod etſi ſemper rationi & juri, atque antiquorum obſervationi conſentaneum fuit, non fruſtra tamen a Patribus Sacroſancti Concilii Tridentini expreſſe & in particulari Canonicis eſt præſcriptum (*b*); ut omnes intelligant, ſed ad prædicta præciſe obligari, nullusque eorum, quocunque prætextu ſe a Divinis Officiis per ſe obeundis, excuſare poſſit.

CAPUT II.

Sed & in reliquis ſuis actionibus ita ſe habere debent, ut reſpondeant ſuæ dignitati & inſtitutioni, de qua pulchre olim & graviter Patres Concilii Aquisgranenſis ſub Ludovico Pio ſic ſcriptum reliquerunt. (*c*) "Quia evidenti autho-"ritate liquet, Canonicam inſtitutionem "præſtare cæteris inſtitutionibus debe-"re, neceſſe eſt, qui hujus profeſſionis "cenſentur nomine, procurare, qualiter "in ſemetipſis eandem inſtitutionem vi-"ta & moribus exornent potius, quam "dehoneſtent." Quod quamvis ad omnes Canonicos pertineat, præcipue tamen ad eos, qui prærogativis Eccleſiæ Cathedralis honorantur, qui cum unum corpus cum Epiſcopo conficiant, ipſeque Epiſcopus in ſtatu perfectionis ſit poſitus, præ cæteris ad ejusdem perfectionis gradum aſpirare, & quantum in eis eſt, continue aſcendere tenentur, ut non

(*a*) Seſſ. 25. C. 14. (*b*) Seſſ. 24. de Reform. C. 12. (*c*) Cap. 115.

tized by Google

non tantum populo, ſed etiam Collegiatarum, & totius Civitatis ac Diœceſis Clero, vitæ ſanctitate & zelo Divini honoris præluceant, ſuique nominis dignitatem, virtutum ſplendore tueantur, ne ſi ab Anteceſſorum ſuorum magnanimitate degenerarint, aliquando contingat eos, qui in Eccleſia militante poſt Epiſcopos primum obtinent, in triumphante cum rubore noviſſimum locum tenere, aut etiam (quod abſit) in æternum omni honoris gradu & Sanctorum ſocietate privari.

CAPUT III.

Quæcunque in prædicto Concilio Provinciali Cameracenſi de Decanis ruralibus & Paſtoribus habentur, Decani & Paſtores noſtræ Diœceſis diligenter obſervent; quibus adjicienda duximus, quæ ſequuntur. Imprimis, ut ipſi Decani in prima congregatione Capitulari Paſtorum ſui diſtrictus, curent omnes, qui huic Synodo non interfuerunt, publicam fidei ſuæ facere profeſſionem, juxta formam a fœlicis recordationis Pio Papa Quarto præſcriptam: deinde legi & publicari hujus Synodi Decreta, & ſerio tractari de eorundem executione, quatenus eos & populum eis commiſſum tangunt, aut concernunt.

CAPUT IV.

Et cum dicti Decani conſtituti ſint a Nobis tanquam Paſtores dictorum Paſtorum, ſolicitos ſe exhibeant de eorum ſalute & ſpirituali profectu. Ideo ſingulis annis, dum ſuas viſitationes faciunt, non ſolum ad præcavendum & fugiendum crimina omnia, & occaſiones eorumdem, ſed etiam ad fortiter pugnandum prælia Domini, & viriliter in ejus vinea laborandum, paterno eos affectu cohortentur. Ut tanquam boni milites victoriam reportare, ac triumphum agere, & tanquam boni agricolæ ſuaviſſimum aliquando laborum ſuorum fructum percipere mereantur. Econtra mandamus Paſtoribus, ut Decanos ſuos pro ſuis Paſtoribus agnoſcant, eos ut tales honorent & ament, ipſisque aliquoties in anno, ut minimum ſemel, peccata ſua confiteantur.

CAPUT V.

At præter ſupradicta, etiam ad officium Decani pertinent, quæ ſequuntur: campanas novas benedicere, beneficiorum omnium ſui Decanatus curam habere, eadem ſingulis annis viſitare, & de eorum ſtatu, an videlicet ſatisfiat fundationibus & oneribus, & an Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum, & Sacrum Chriſma, atque Oleum catechumenorum, & infirmorum honorifice aſſerventur, & quidem hæc tria ſeparatim ab ipſo Sanctiſſimo Sacramento: An Eccleſiæ ipſæ debite reparentur, altaria decenter ornentur, cœmiteria ſufficienter claudantur, aliaque ejusmodi, quæ ad decorem Domus Domini pertinent, nec non de ipſorum Paſtorum, Capellanorum, Matricularium, imo & Parochianorum vita & moribus diligenter inquirere, defectusque omnes, quos deprehenderint, ad Nos referre, eos, quibus de Eccleſia Parochiali, aut alio Beneficio ſui Decanatus recenter proviſum eſt, viſis literis inſtitutionis debite expeditis, in poſſeſſionem mittere; hoc enim ad evitandas multas fraudes, ipſis Decanis reſervamus, aliisque Presbyteris, etiamſi literæ expediantur in forma *Univerſis*, ne ſe huic miſſioni in poſſeſſionem, niſi de ipſorum Decanorum conſenſu immiſceant, expreſſe prohibemus.

CAPUT VI.

Decani quoque eſt, Paſtorum ſibi ſubditorum, nec non aliorum Sacerdotum, vel in aliis Sacris Ordinibus conſtitutorum, Nobilium & leproſorum exequias celebrare, & munimenta bonorum ad Paſtoratus ipſos ſpectantium, nec non & regiſtra Baptizatorum, Confirmatorum, Matrimonio conjunctorum, & ſepultorum, ne ab ipſorum Paſtorum hæredibus, aut aliter diſtrahantur, & ſi quæ alia ſint, quæ Eccleſias ipſas concernunt, ſub inventario, Succeſſori, cum inſtitutus fuerit, tradenda, aut in Archivum noſtrum referenda, conſervare. Inſuper omnia defuncti mobilia deſcribere & ſequeſtrare, ac ſequeſtrum ſtatim Promotori noſtro denuntiare, ut jura noſtra, ſi quæ ſint, tueatur, &

& Paſtorales domos debite reparari curet, donec omne æs alienum perſolutum fuerit, aut pro his omnibus ab hæredibus præſtita fuerit ſufficiens cautio. Nos autem labores eorundem Decanorum, prout juris & rationis fuerit, taxabimus, & eisdem perſolvi curabimus.

CAPUT VII.

Acceptum a Nobis in die Cœnæ Domini Sacrum Chriſma, & alia Sacra Olea, non alibi, quam in templo loci Decanalis diſtribuant, & quidem in capſulis, quantum fieri poteſt, mundiſſimis, nec aliis ea deferenda tradant, quam perſonis Eccleſiaſticis, quas monebunt, ut ſtatim ea reverenter deferant ad propriam Eccleſiam, nec cum illis in via, maxime in tabernis hærere, & compotationibus ſe ſe dare audeant, ſub gravi pœna, arbitrio noſtro infligenda. Paſtores autem iis acceptis, nullo pacto utantur veteribus, ſed quidquid ex iis ſuperfuerit, lampadi, quæ lucet ante Venerabile Sacramentum, infundant, aut ſuper piſcinam comburant.

CAPUT VIII.

Quoad portionem Canonicam Paſtoribus noſtræ Diœceſis aſſignandam exacte ſervari jubemus Decreta dicti Concilii Provincialis Cameracenſis, & Officialibus noſtris præcipimus, ut quanto citius fieri poterit, ejusmodi cauſas terminari curent, nec Procuratorum, aut aliorum quorumcunque artificiis eas protrahi patiantur.

CAPUT IX.

Magnam præbuerunt occaſionem hæreticis ſuos errores diſſeminandi, & rudem populum pervertendi, qui olim Eccleſiis Parochialibus viros ignaros, & ad Paſtoralis muneris functionem ineptas præfecerunt, ideoque prudentiſſime Concilium Tridentinum ſtatuit, ut vacatione alicujus Eccleſiæ parochialis occurrente, etiam per edictum publicum vocentur omnes, qui ad illam obtinendam volent examinari, & peracto examine renuntientur, quotquot ab Examinatoribus idonei judicati fuerint, ætate, moribus, doctrina, prudentia, & aliis rebus ad vacantem Eccleſiam gubernandam opportunis, ex hisque Epiſcopus eum eligat, quem cæteris magis idoneum judicaverit, aut Patronus digniorem inter illos Epiſcopo præſentare teneatur, ut ab eo inſtituatur. Cum autem hoc ſaluberrimum Decretum, magno cum fructu, juxta ejus tenorem jamdiu in hac noſtra Diœceſi uſu receptum ſit, hæc Synodus, cujus judicio dictum Concilium ipſorum Examinatorum nominationem reliquit, ad hanc functionem exercendam communi nomine omnium Prælatorum, & aliorum, quibus Eccleſiarum proviſio incumbit, nominavit Reverendos & diſcretos Viros ac Magiſtros, *Nicolaum Cauſin* Decanum, *Joannem Dauvin* Archi-Diaconum, Sacræ Theologiæ, *Lambertum Paradiſum* Juris utriusque, *Ægidium Bosman* Archi-Presbyterum, Sacræ Theologiæ, & *Jacobum Caſſot* Scholaſticum, Juris reſpective Licentiatos, & Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Canonicos, qui omnes juraverunt ad Sancta Dei Evangelia, ſe, quacunque humana affectione poſtpoſita, fideliter hoc munus executuros.

CAPUT X.

Matricularii autem, qui cum Parochis Divinum Officium decantant aut peragunt, de numero ſint Miniſtrorum Eccleſiæ: proinde neceſſarium eſt, ut antequam admittantur, teſtimoniales exhibeant literas ſuæ vitæ, & honeſtæ converſationis, ſubſignatas a Paſtore & Magiſtratu ſuæ ultimæ reſidentiæ, & quod ſint tonſurati, nec non ſemper conſpicuam tonſuram gerant cum habitu decenti: expediret etiam eos minores Ordines ſuſcipere: unde apparet, quam indecens ſit caupones, aut alterius vilis profeſſionis ad id muneris admitti, quod deinceps omnino prohibemus; ſed nec Ballivos, Scabinos, aut Scribas Curiæ ſæcularis eos eſſe convenit, quia tamen multis in locis, virorum ad hoc officium in Eccleſia peragendum penuria eſt, poterunt ejusmodi admitti, ſed non ſine noſtra, aut Vicarii noſtri licentia, quam ut obtineant, promittere debebunt ſe in omnibus, quæ hoc miniſterium Eccleſiaſticum concernent, Paſtori ſuo fore obedientes, & ad ipſi inſerviendum paratos.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Iis in locis, ubi Matricularіis committitur cura & cuſtodia ornamentorum, & aliorum mobilium bonorum Eccleſiæ, non admittantur ad hoc munus, niſi ſufficientem, judicio Paſtoris, & præcipuorum Parochianorum, de iis fideliter conſervandis & reſtituendis, præſtiterint cautionem.

CAPUT XII.

Moneantur autem diligenter & frequenter a Paſtoribus, ut ornamenta ipſa, quantum fieri poteſt, integra & munda conſervent, & quæ lacera deprehenderint, ſtatim reſarciri aut reparari, quæ ſordida, protinus mutari, lavari aut mundari curent; denique ut nullas in altaribus aut parietibus, nec in ipſo Templi pavimento, imo nec in cœmiteriis notabiles ſordes patiantur, ſed re ipſa omnibus teſtentur ſe diligere decorem domus Dei, cujus miniſterio haud contemnendo ſunt mancipati.

TITULUS X.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

Abbates, cæterique Monaſteriorum Superiores omnem curam & diligentiam adhibeant, ut in Monaſteriis ſibi ſubjectis, ea, quæ ad regularis vitæ ſubſtantiam pertinent, qualia ſunt obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis, & ſi quæ alia ſunt alicujus Regulæ & Ordinis peculiaria vota & præcepta, nullo unquam tempore relaxentur, ſed exacte & fideliter obſerventur: ſi enim illa, quæ baſes ſunt & fundamenta totius regularis diſciplinæ, non fuerint conſervata, totum corruat ædificium neceſſe eſt.

CAPUT II.

Hoc autem a ſuis ſubditis nulla alia meliori ratione ne unquam impetrabunt, quam ſi ipſi ex animo forma ſui gregis fiant, & in ſe ipſis, tanquam in lucidiſſimo ſpeculo, omnes illas virtutes ac perfectiones repræſentent, quas in aliorum animis imprimere conabuntur: non ergo præcipua illis ſit rerum temporalium cura, ſed potius hoc mente & cogitatione revolvant, hoc aſſidue meditentur, in hoc die ac nocte verſentur, ut præſint verbo & exemplo, & ad eum finem officium Divinum frequentent, Miſſæ Sacrificium ſæpius Deo offerant, & non minus humilitate, quam authoritate ſuperent omnes, charitatis vero officiis a nemine ſuperentur, caſtitate etiam aliis præemineant, & in mediis divitiis, ſi per Dei gratiam, ac propriam, & Prædeceſſorum induſtriam & parſimoniam, Monaſterio ſuo forſitan abundent, ſe vero pauperes eſſe ac mundi, & terrenorum omnium bonorum contemptores reipſa teſtentur, ideoque a pretioſa ſupellectile omnino abſtineant. Subditis quoque ſuis mobilium bonorum uſum ita permittant, ut eorum ſupellex ſtatui paupertatis, quam profeſſi ſunt, conveniat, nihilque ſuperflui in ea ſit, nihil etiam, quod ſit neceſſarium, eis denegetur. Quod ſi quem aliter quippiam tenere deprehendant, eundem biennio activa & paſſiva voce privent, atque etiam juxta ſuæ Regulæ & ordinationis Conſtitutiones, puniant, prout voluerunt, & expreſſe ſtatuerunt S. Patres prætacti Concilii Tridentini.(*) Nec exiſtimet Abbas, ſeu quivis alius Superior, quod ſuper habenda proprietate cum aliquo Monacho diſpenſare poſſit, quia abdicatio proprietatis, ſicut & cuſtodia caſtitatis, adeo eſt annexa regulæ Monaſticæ, ut Innocentius III. aſſerat, nec Summum Pontificem contra eam poſſe licentiam indulgere, & Clemens III. jubeat Religioſum, qui proprium, quod contra Regulam latenter habuerat, noluit reſignare, & ſic diem clauſit extremum: non tantum Chriſtiana ſepultura privari, verum etiam, ſi ſine maximo ſcandalo fieri poſſet, de ipſa Eccleſia projici. Unde non immerito damnanda eſt illa conſuetudo, qua in nonnullis Monaſteriis certa pecunia ſingulis Religioſis pro veſtimentis aſſignatur, cum non minus veſtiri, quam nutriri debeant in communi, & nequidem permitti poſſit, ut ullam penes ſe pecuniam habeant, ſed ſi quam habent, vel a parentibus aut amicis ſibi donatam, vel propria induſtria acquiſitam, eam in manus Superioris, aut ab eo

(*) Seſſ. 25. Cap. 2. de Reg. & Monial.

eo deputati, consignare, aut certe ab eo licentiam impetrare teneantur, eam in usus sibi necessarios convertendi, sub pœna violationis voti paupertatis, in quo non minima pars perfectionis regularis vitæ consistit.

CAPUT III.

Expedit etiam, ut Religiosi omnes reipsa testentur se esse, quod dicuntur, nempe Monachos, seu Solitarios, hoc est solitudinis amatores, & mundi ac rerum mundanarum contemptores: ideoque, quam rarissime fieri potest, septa Monasterii egrediantur, cum non sit necesse ea videre crebrius, quorum contemptu Monachi esse cœperunt, quin potius semper contemnere debeant, quod semel contempserunt.

CAPUT IV.

Sicut pro receptione Monachi, aut Monialis, etiam paupertatis Monasterii prætextu, nihil exigi potest, ita indecorum est in die vestitionis aut professionis eorum adeo magnos sumptus fieri, ut hoc & parentibus onerosum, & apud alios sit mali exempli, quasi hac via pauperibus ad Monasteria aditus præcludatur: itaque Abbates & Abbatissæ, aliique Monasteriorum Superiores, e domibus suis hanc consuetudinem, seu potius corruptelam prorsus eliminent, parentesque etiam volentes ejusmodi facere sumptus, prohibeant, maxime in vestitionibus, ne dimissis postea, aut sponte recedentibus Novitiis, aliqua inde exprobationis aut obloquutionis materia oriatur, aut certe in præjudicium honoris eorundem Superiorum & Monasteriorum arripiatur.

CAPUT V.

In omnibus virorum Monasteriis, lectionem Sacræ Theologiæ haberi non frustra statuit Tridentina Synodus, quam cum non solum utilem, sed etiam necessariam esse huic nostræ Diœcesi compertum habeamus, omnes Abbates monemus, ut infra tres menses a die publicationis horum Decretorum, de Lectore regulari, aut sæculari sibi provideant, alioquin a Nobis, tanquam Sedis Apostolicæ delegatis, ad id opportunis remediis compellendi.

CAPUT VI.

Extra horam refectionis non sit liberum cuiquam Religiosorum, etiam prætextu adventus parentum, aut amicorum suorum, comessationibus aut compotationibus indulgere, sed ipsi parentes aut amici a Superiore aut ab Oeconomo excipiantur, Religiosis ad prandium aut cœnam duntaxat evocatis: qui nihilominus, quacunque occasione extra commune refectorium cœnati fuerint, ante horam nonam dormitorium repetere compellantur, quod semper clavibus observetur, ita quod nullus Religiosus, nisi conscio & consentiente Superiore, unquam egredi possit.

CAPUT VII.

Res est plena periculi & mali exempli, quod in Monasteriis tam virorum, quam Sanctimonialium, hospitibus advenientibus vina vendantur, ideo hæc Synodus omnibus eorum Superioribus interdicit, ne hæc deinceps fieri ulla ratione patiantur, alioquin contra ipsos, tanquam principales causas abusuum, qui ex hoc consequuntur, sine ulla dissimulatione procedetur.

CAPUT VIII.

Mulieres ad loca regularia Monasteriorum virorum extra tempus supplicationum aut processionum sub pœna excommunicationis contra easdem mulieres, & suspensionis a Divinis contra Superiores eorumdem Monasteriorum, quocumque prætextu ne admittantur.

CAPUT IX.

Cum autem idem Concilium Tridentinum sub obtestatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, omnibus Episcopis præcipiat, ut in omnibus Monasteriis sibi subjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apostolicæ authoritate clausuram Sanctimonialium, ubi violata fuerit, restituant, & ubi inviolata est, observari maxime procurent, inobedientes atque contradictores per censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas quacunque appellatione proposita compescendo, invocato etiam ad hæc, si opus fuerit, auxilio brachii sæcularis: Nos ne nostro officio hac in

parte defuiſſe inveniamur, dictamque maledictionem æternam (quod abſit) incurramus, cum omnia Monaſteria Sanctimonialium noſtræ Diœceſis a noſtra ſubjectione ſint exempta, omnes eorundum Superiores ex intimo charitatis affectu requirimus, & ſub eadem obteſtatione & interminatione monemus, ut tam ſalutare Decretum ſtatim poſt publicationem hujus Synodi ſummo ſtudio exequantur, ne Nos ipſi, tanquam ejus Sanctæ Sedis delegati, ad dictas cenſuras, aliasque pœnas, aut ad prædicti brachii ſæcularis invocationem procedere compellamur', prout tenemur, ex ordinatione dicti Concilii Tridentini, ne noſtram hac in parte, & omnibus aliis, quæ dictos Regulares concernunt, negligentiam, Concilium Provinciale ſupplere & coercere cogatur, quod de dictorum Superiorum pietate ac religionis zelo confidimus.

CAPUT X.

Ut autem dicti Monaſteriorum Superiores, tanto ſe promptiores & ferventiores ad dictam executionem exhibeant, quanto majus periculum ipſis & aliis ex ejus neglectu imminere cognoſcent, ultra prædicti Concilii Tridentini præceptum, adjiciendam hic duximus Bullam fœlicis recordationis Gregorii Papæ XIII. continentem revocationem omnium licentiarum ingrediendi Monaſteria Monialium & Virorum, & prohibitionem, ne habentes licentias ab Epiſcopis vel Superioribus in caſibus neceſſariis, ingrediantur Monaſteria Monialium, pro libito, nec neceſſitatibus urgentibus duntaxat, hujusmodi ſub tenore:

GREGORIUS EPISCOPUS, SERVUS ſervorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.

UBi gratiæ & indulta ab hac Sede conceſſa ſucceſſu temporis incommodum adferre noſcuntur, expedit illa ſalubri præſidentis conſilio ſubmoveri. Proinde Sanctimonialium quieti & tranquillitati conſulere, ac omnia, quæ illas a ſpiritualium rerum cogitatione, & exercitio avocant, impedimenta tollere, periculaque & ſcandala ab eis removere cupientes, auctoritate præſentium revocamus & abolemus omnes & quascunque licentias ac facultates ingrediendi Monaſteria, domos, & loca Monialium, ac etiam virorum quorumvis Ordinum, quibusvis etiam Comitiſſis, Marchioniſſis, Duciſſis, & aliis cujuscunque ſtatus & conditionis mulieribus, ac etiam omnes & quascunque licentias ingrediendi Monaſteria, domos, & loca ipſarum Sanctimonialium, quibuscunque viris, etiam ejusdem ſtatus & dignitatis, tam a Prædeceſſoribus noſtris, quam etiam a Nobis & Sedis Apoſtolicæ Legatis, aut aliis, ex quibusvis, quantumcunque urgentibus cauſis, ſub quibuscunque tenoribus, & etiam derogatoriarum derogatoriis, revocatoriarum reſtitutoriis, aliisque efficacioribus clauſulis, irritantibusque & aliis Decretis, etiam motu proprio, & ex certa ſcientia, deque Apoſtolicæ poteſtatis plenitudine, atque ad Imperatoris, Regum, Reginarum, aliorumque Principum contemplationem vel ſupplicationem conceſſas, confirmatas, ac etiam iteratis vicibus renovatas, caſſamusque & annullamus literas deſuper confectas, & proceſſus habitos per easdem. Inhibemus eisdem, qui illas obtinuerunt, ſub excommunicationis pœna, ipſo facto incurrenda, ſuper qua, a nemine, niſi a Romano Pontifice, præterquam in mortis articulo abſolutionis beneficium poſſit impertiri, ne ipſarum licentiarum prætextu, Monaſteria hujusmodi quovis modo ingredi audeant: Abbatiſſis vero, nec non Abbatibus, Conventibus, ac aliis Monaſteriorum utriusque ſexus Superioribus, & perſonis, quocunque nomine vocentur, diſtricte præcipimus, ſub eadem excommunicationis pœna, nec non privationis dignitatum, beneficiorum & officiorum ſuorum, ac inhabilitatis ad illa & alia impoſterum obtinenda, ne in Monaſteria, domos, & loca ſua, quemquam, prætextu hujusmodi licentiarum & facultatum ingredi faciant, vel permittant, quin etiam ſub eisdem pœnis ipſo facto incurrendis, probibemus atque interdicimus omnibus, & quibuscunque perſonis Eccleſiaſticis, & ſæcularibus, ac etiam Ordinum quorumcunque, etiam mendicantium Regularibus, ne prætextu licentiarum ab Epiſcopis vel Superioribus (quibus illas concedendi in caſibus neceſſariis tantum ex Decreto Concilii Tridentini tribuitur) Monaſteria ipſa Monialium, pro libito, ſed neceſſitatibus urgentibus duntaxat ingredi, neve Moniales ſub eisdem pœnis illos aliter admittere præſumant: non obſtantibus præmiſſis, ac Conſtitutionibus ac Ordinationibus Apoſtolicis, Monaſteriorumque & Ordinum prædictorum, juramento, confirmatione Apoſtolica, & quavis firmitate alia roboratis,

boratis, ſtatutis & conſuetudinibus, privilegiis quoque, exemptionibus, & indultis Apoſtolicis, illis, eorumque Superioribus prædictis, ac aliis quibuscunque, per quoscunque Romanos Pontifices, Prædeceſſores noſtros, ac Nos, & dictam Sedem, ſub quibuscunque tenoribus & formis, ac cum quibusvis clauſulis & Decretis conceſſis, confirmatis, ac etiam iteratis vicibus innovatis; quibus omnibus, eorum tenores, perinde ac ſi ad verbum inſererentur præſentibus, pro ſufficienter expreſſis habentes, illis alias in ſuo robore permanſuris, hac vice duntaxat ſpecialiter & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscunque. Quoniam autem difficile eſſet præſentes ad omnia loca perferri, volumus earum exemplis, etiam impreſſis, manu Notarii publici, & ſigillo perſonæ in dignitate Eccleſiaſtica conſtitutæ munitis, eandem fidem in judicio, & extra illud ubique locorum adhiberi, quæ præſentibus adhiberetur, ſi eſſent exhibitæ vel oſtenſæ. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ revocationis, abolitionis, caſſationis, annullationis, inhibitionis, præcepti, probibitionis, interdicti, derogationis & voluntatis infringere, vel ei auſu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare præſumpſerit, indignationem Omnipotentis Dei, ac Beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum ejus, ſe noverit incurſurum. Datum Romæ apud S. Petrum Anno Incarnationis Dominicæ 1575. *Idibus Junii, Pontificatus noſtri anno IV.*

CAPUT XI.

Superiores dictarum Sanctimonialium, moneant Præfectas earundem, ut non permittant puellas habitum regularem ſuſcipere, vel profeſſionem emittere, quin exploraverit Epiſcopus, vel eo abſente aut impedito, ejus Vicarius, aut aliquis ab eis deputatus, virginis voluntatem, cæteraque examinaverit, quæ præſcribit dictum Concilium Tridentinum, ex quo evidenter apparet, Epiſcopum tam de veſtitione, quam de profeſſione reddi debere certiorem, & quidem uno ante ipſam profeſſionem menſe, ſub pœna ſuſpenſionis ipſius Præfectæ ab officio ſuo, quamdiu ipſi Epiſcopo videbitur.

CAPUT XII.

Illud poſtremo adjiciendum duximus, non convenire Regularibus, ut iis, quæ propria ſunt muneris Paſtoralis, ſe immiſceant, proinde ipſis abſtinendum ab adminiſtrando ſæcularibus, tempore Paſchatis Euchariſtiæ Sacramento, & a purificatione mulierum poſt partum, quod relinquere debent proprio eorum Paſtori, ſeu ejus vices gerenti, juxta Decretum dicti Concilii Provincialis Tit. *de Bapt. Cap.* 13. Sed nec audiant ægrotorum confeſſiones in domibus privatis, niſi hoc prius ſignificaverint proprio eorum Paſtori, & multo minus præſumant eis deferre ſecreto & ſine lumine Sacroſanctam Euchariſtiam, quod nequidem ipſis Paſtoribus permittitur, nec ſolicitent ipſos ægrotos ad eligendum in ipſorum Eccleſiis ſepulturam, & ſi ſponte eam elegerint, ſerventur nihilominus Eccleſiæ Parochiali ſua jura.

TITULUS XI.

De Bonorum Eccleſiaſticorum conſervatione.

CAPUT I.

INanis futura eſt perſonarum Eccleſiaſticarum, de quibus hactenus, reformatio, ni bonorum, quibus honeſte ſuſtententur, diligens ratio habeatur: itaque non minima cura Prælatorum, & aliorum quorumcunque Eccleſiaſtici Ordinis, circa hoc verſari debet, ut quæ illis, vel antiquorum pietas donavit, vel Anteceſſorum induſtria acquiſivit, ſummo ſtudio ab iis conſerventur: eum in finem Decani in hoc incumbant, non tantum ut Beneficiorum omnium ſui diſtrictus notitiam habeant, ſed etiam eorundem qualitates, valorem videlicet & onera norint, an hæc perſolvantur, & an ipſa bona, juxta verum valorem elocentur, num etiam alienationes perpetuæ, aut ad longum tempus de iis fiant: quæ omnia redigant in ſcriptis cum nominibus & cognominibus eorum, qui dicta Beneficia curata aut ſimplicia poſſident, & infra ſex menſes a die publicationis hujus Synodi, eorumdem terras, reditus, proventus, cæteraque bona omnia, per modum inventariorum aut regiſtri, exacte & ſigillatim deſcribant, & ipſa inventaria a Majori Ballivo aut Scabinis, ſeu aliis publicis perſonis, quæ ejusmodi bonorum notitiam habent, ſubſignari curent,

Digitized by Google

rent, eaque ſuis Decanis tradant, ſub pœna ſuſpenſionis a perceptione dictorum proventuum.

CAPUT II.

Decani vero ejusmodi regiſtra in Archivum noſtrum reponenda Nobis transmittant, & ſi qui Poſſeſſores Beneficiorum hujusmodi huic Statuto non obtemperaverint, fructus eorumdem a Decanis arreſtentur & ſequeſtrentur.

CAPUT III.

Et quia experientia cognovimus, in curia Paſtorum, & aliorum, qui Beneficia ſimplicia obtinent, aut malitia hæredum eorumdem, qui literas originales, regiſtra, & alia munimenta in domibus mortuariis inventa, non reſtituunt eorum ſucceſſoribus, denique injuria bellorum dum ad varia loca transferuntur, magnam partem bonorum ad dictas Eccleſias Parochiales, aut ſimplicia Beneficia ſpectantium, perire, aut certe ignorari, & pro derelictis haberi, in grave præjudicium Collatorum, ſeu Decimatorum, qui poſtmodum pro portione Canonica Paſtorum, aut reparatione Eccleſiarum ſeu Capellarum variis modis moleſtantur & vexantur, ut huic malo aliqua ratione ſuccurramus; volumus, ut literæ originales, regiſtra & alia munimenta eorumdem bonorum, in formam authenticam tranſumantur, & originales quidem in Archivum noſtrum reponantur, inde retrahendæ, quoties opus fuerit, relictis eorum loco dictis tranſſumptis, quæ alias in manibus dictorum Paſtorum & aliorum Beneficiatorum, ad quotidianos uſus remanebunt, quibus tamen dicta originalia non conſignabuntur, niſi ſcripto ſe illa recepiſſe teſtentur, & de illis reſtituendis ſeu referendis fidem ſuam præſtent.

CAPUT IV.

Prælati vero & Capitula ſimili aliqua ratione provideant, ut omnia munimenta Eccleſiarum ſuarum ab hac diuturna bellorum tempeſtate vendicentur, & in tuto conſerventur, & ſi quæ ob nimiam vetuſtatem conſumptioni proxima ſunt, tranſſumi, & in formam authenticam redigi curent, etiam implorata Principum authoritate, ut ipſis tranſumptis, in judicio & extra, plena & indubitata fides adhibeatur, quod & Nos (ſi opus fuerit) pro prætactis bonorum ad Eccleſias Parochiales & ſimplicia Beneficia pertinentium tranſumptis, fieri omnino curabimus.

CAPUT V.

Si quæ bona ad dictas Parochiales Eccleſias, aut ſimplicia beneficia pertinentia, non ob ſolutionem cenſuum ab ipſis Paſtoribus aut Beneficiatis evincantur, aut evictione ab aliis facta, ab ipſis recuperentur, non ideo liberum ſit ipſis Paſtoribus, aut Beneficiatis, pignora ſic evicta ſibi retinere, aut ea transferre in ſuos hæredes, ſed ſuis Eccleſiis reacquiſita eſſe cenſeantur: ſi quis aliter feciſſe deprehendatur, condignis pœnis afficiatur, & contra hæredes, tanquam detentores bonorum Eccleſiaſticorum, procedatur.

CAPUT VI.

Porro cum non ſufficiat præcaviſſe, ne bona Eccleſiaſtica deperdantur, ſed æque noſtrum ſit providere, ne a poſſeſſoribus, in præjudicium ſucceſſorum notabiliter imminuantur; declaramus exacte obſervanda per univerſam Diœceſim noſtram, quæ Concilium Provinciale Cameracenſe, Tit. *De recta Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione*, prudenter ſanxit de alienationibus & locationibus bonorum Eccleſiaſticorum, quæ etiam piiſſimæ memoriæ PHILIPPUS II. Hiſpaniarum Rex ſuo edicto ſtabilivit, ſub pœna nullitatis contractuum aliter factorum absque Superiorum Decreto, cum cauſæ cognitione interpoſito. Quæ omnia hæc etiam Synodus probat, & tam a Prælatis & Capitulis, quam ab aliis inferioribus & ſingularibus perſonis Eccleſiaſticis, imo & Adminiſtratoribus bonorum, quæ fabricæ Eccleſiarum, vel pauperibus relicta ſunt, terminos locationi domorum & terrarum arabilium, pratorum & decimarum ibidem præſcriptos, deinceps inviolate obſervanda fore declarat.

CAPUT VII.

Dicti vero Prælati & Capitula, curent in ſingulos annos reddi computus ſuo-

Digitized by Google

ſuorum bonorum, in quibus de novennio in novennium ſpecificentur quantitas & limites terrarum arabilium, & pratorum, nec non limites decimarum & fundi, ſuper quibus hypothecati ſunt cenſus & reditus eorum Eccleſiis debiti.

CAPUT VIII.

Hoc ipſum facere teneantur omnes Adminiſtratores bonorum fabricis Eccleſiarum, menſis pauperum, aut piis locis relictorum, & computibus eorum interſint Decani aut Paſtores cujusvis Eccleſiæ, & ſi bona ipſa ſecundum verum valorem, & factis proclamationibus, non elocari, aut in alios, quam debent uſus converti, vel expenſas inutiles in præjudicium piarum fundationum fieri, aut pecunias ex redemptione cenſuum ſeu redituum provenientes, in emptionem aliorum reddituum aut bonorum immobilium non converti animadverterint, Nos de prædictis diligenter informent, ut quantum in Nobis eſt, his abuſibus proſpiciamus, prout de jure tenemur, & ex Decreto Concilii Tridentini.

CAPUT IX.

Ut autem dicta bona rectius adminiſtrentur, eorum adminiſtratio viris bonis & timoratis de conſilio Paſtorum & præcipuorum Parochianorum ſemper committatur, qui jurent in ſua admiſſione, ſe eandem diligentiam adhibituras in dictis bonis curandis, recuperandis & conſervandis, quam in propriis adhiberent, ſeque de illis in ſingulos annos integrum & fidelem computum reddituros.

CAPUT X.

Domorum quoque Paſtoralium, quarum ruinæ non ſolum Paſtoribus, ſed & Parochianis omnibus præjudicium adferunt, diligentiſſima cura habenda eſt, proinde dictis Paſtoribus ſerio præcipimus, ut eas integras conſervent: Decanis vero, ut dum Eccleſias viſitant, dictas quoque domos viſitare non omittant, & ſi quid collapſum aut ruinoſum deprehenderint, ſtatim per Paſtores reparari curent, alioquin hoc in relationibus ſuarum viſitationum ſigillatim annotent, ut Paſtores ad eas reparandas, prout juris fuerit & rationis, compelli, & ob præteritam negligentiam, arbitraria pœna puniri poſſint. Quod ſi aliqui ſint, qui Paſtorales domos non habeant, vel temporum injuria funditus everſæ ſint, provideant cum ſuis Parochianis, & aliis, qui de jure aut conſuetudine in hoc pium opus contribuere tenentur, ut quanto citius fieri poteſt, in fundo Paſtorali aut alio commodiori loco Eccleſiis ipſis proximo ædificentur. Quæ vero ante obitum Paſtoris debite non fuerint reparatæ, ſumptibus domus mortuariæ eorundem reparentur. Arreſtatis & ſequeſtratis per Promotores noſtros ad eum finem fructibus & emolumentis, ad ipſam ſpectantibus, implorato etiam, ſi opus fuerit, ob commune & publicum bonum, brachio ſæculari.

CAPUT XI.

Si qui vero Eccleſiarum & quorumcunque Beneficiorum, aut piorum locorum jurisdictiones, bona, cenſus, ac jura in proprios uſus convertere, illaque uſurpare præſumpſerint, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure pertinent, percipiantur, ſciant ſe anathemati tamdiu ſubjacere, quamdiu jurisdictiones, bona, res, jura, fructus & reditus, quos occuparunt, Eccleſiæ ejusdem Adminiſtratoribus, ſive Beneficiato integre non reſtituerint, ac deinde a Romano Pontifice abſolutionem obtinuerint, & ſi Clericus ſit, ultra dictas pœnas, etiam quibuscunque Beneficiis ſe privatum, & ad quæcunque alia Beneficia inhabilem effectum eſſe cognoſcat, per expreſſam ordinationem Concilii Tridentini (*), & ita a Prædicatoribus Verbi Dei doceri, & ſæpius inculcari, nec non a Confeſſoribus ſic pœnitentes moneri cupimus & mandamus.

CAPUT XII.

Porro ſi tanta diligentia bona Eccleſiarum temporalia conſervanda ſunt, quanto magis advigilandum eſt, ut Eccleſiæ ipſæ, & alia loca Deo ſacra ab omni

(*) Seſſ. 22. Cap. 11.

Digitized by Google

omni periculo profanationis, exuſtionis, aut direptionis, & quacunque ruina & damno præſerventur: ideo tam Rectoribus earundem & aliis Clericis, quam locorum incolis prohibemus, ne in illa cum ſuis pecoribus & aliis beſtiis ac domeſticis utenſilibus ſe recipiant, ſed nec in illis dormire, comedere aut bibere præſumant. Quod ſi abſoluta neceſſitas ob vim aut incurſus hoſtium, aliquos ipſorum ad hoc compellat, ſtatim illa ceſſante, non ſolum pecora, ſed & dicta utenſilia, quæ magnum præſtant Divinis officiis impedimentum, amoveant, Templaque ipſa diligenter mundentur, priusquam in illis Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium celebretur, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis in Clericos, & excommunicationis in Laicos decernendæ.

CAPUT XIII.

Non parum quoque damni accedit Sacris Templis, quod multis in locis per totam diem aperta relinquantur, & non ſolum furum direptionibus, ſed etiam variis profanationum periculis exponantur. Quod ne deinceps contingat, omnibus Eccleſiarum Præfectis noſtræ Diœceſis, & Paſtoribus & Matriculariis Parochialium Eccleſiarum præcipimus, ut extra tempus Divini officii, easdem clauſas ſemper teneant, ſeu claudi curent, ſub pœna unius floreni toties quoties a negligentibus exigendi, & fabricæ ipſius Eccleſiæ applicandi.

CAPUT XIV.

Cœmiteria vero, muris, foſſis aut ſepibus, ac de nocte etiam portis ita muniantur, ut nec contentioſis ac diſſolutis hominibus, qui eadem ſæpius profanant, nec feris aut fœdis animalibus ad illa pateat ingreſſus, ſed nec in hortos redigantur, nec beſtiæ in illis paſci ulla ratione permittantur, & ſi ibidem repertæ fuerint, comprehendantur, nec ſuis poſſeſſoribus reſtituantur, donec quinque ſtuferos pro ſingulis animalibus eidem fabricæ applicandos perſolverint, in hanc enim emendam ſeu mulctam pecuniariam ex nunc, prout ex tunc eos condemnamus, ut hæc irreverentia erga loca ab Epiſcopis ſolemniter in ſepulturam Chriſtianorum dedicata, aliquando refrænetur: multo magis prohibemus, ne in eisdem cœmiteriis ante aut poſt Divinum Officium, ſeu alio quovis tempore, inſolentiæ fiant, ſed in illis prout & in ipſis Eccleſiis, cum omni reverentia ac modeſtia incolæ omnes ſub eisdem pœnis converſentur. Ad quarum executionem, Matricularium cujusque Eccleſiæ deputamus, & pro ſuo ſalario ei quartam partem earumdem aſſignamus. Quod ſi ipſemet Matricularius, aut etiam Paſtor, ſuas in cœmiterio beſtias depaſci permittat, in duplum condemnetur.

CAPUT XV.

Diligenter etiam advigilandum eſt, ne in dictis cœmiteriis vendantur merces cujusque generis, ſed nec in vicinis locis expedit venale exponi vinum, aut cereviſiam, iis diebus, quibus Dedicatio Templi, aut ſolemnis proceſſio celebratur, propter inſolentias & enormia peccata, quæ ex ea re plerumque accidunt. Quare hæc Paſtores fieri prohibeant, &, quatenus opus ſit, invocent auxilium brachii ſæcularis.

CAPUT XVI.

Cum autem immunitatis Eccleſiaſticæ non minor habenda ſit ratio, hæc Synodus diligenter ſervari optat & præcipit, quæ de eadem, & de jurisdictione Eccleſiaſtica, Sacri Canones & utrumque Concilium Provinciale decernunt & ſtatuunt.

CAPUT XVII.

Porro ut ſatisfiat Decreto Concilii Tridentini, *Seſſione* 25. *Cap.* 10. quo jubet in ſingulis Conciliis Provincialibus aut Diœceſanis, aliquot perſonas, quæ qualitates habeant, juxta Conſtitutionem Bonifacii Octavi, quæ incipit: *Statutum*: & alioquin ad id aptas deſignari, quibus cauſæ Eccleſiaſticæ in partibus delegandæ committantur, præſens Synodus deſignavit & nominavit in Comitatu Namurcenſi Reverendos & Venerabiles Viros, Magiſtrum *Nicolaum Cauſin*, Sacræ Theologiæ Licentiatum, Eccleſiæ Cathedralis Decanum, Magiſtrum *Jacobum Caſſot*, Juris utriusque Licentiatum, ejusdem Eccleſiæ Canonicum

nicum & Scholaſticum, Floreffienſem & Boneffienſem Abbates: & Magiſtrum *Joannem Sowet*, Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Mariæ Virginis Decanum & Canonicum. In Gallica vero Brabantia Reverendos Dominos, Gemblacenſem & Villarienſem Abbates, ac Magiſtrum *Nicolaum j' Ardeur*, Juris utriusque Licentiatum, & Eccleſiæ Collegiatæ Beatæ Gertrudis oppidi Nivellenſis Decanum: quorum nomina ad Summum Pontificem, & ejus ac Sanctæ Sedis Apoſtolicæ in his partibus Nuntium, transmittemus, ut juxta prætactum Decretum delegationes quæcunque, aliis, quam his factæ, ſubreptitiæ cenſeantur. Interim admonemus eosdem, uti & ordinarios Judices noſtræ Diœceſis, ut terminandis cauſis, quanta fieri poteſt brevitate ſtudeant, ac litigatorum artibus, competenti aliqua ratione, ut eadem Synodus Tridentina præſcripſit, occurrant.

TITULUS XII.

De Viſitatione.

CAPUT I.

CUm fruſtra condantur Leges ac Statuta, niſi poſtmodum debitæ executioni demandentur, reliquum eſt, ut, qua via Sacroſancti Concilii Tridentini, Provincialis Cameracenſis, & hujus Synodi noſtræ, ac Prædeceſſorum noſtrorum Decreta in praxim deduci poſſint, provide ordinetur: nec alia melior & facilior viſa eſt, quam ut ultra viſitationes, quas Nos ipſi per DEI gratiam perſonaliter facere intendimus, Decani, ſingulis annis, Archidiaconus vero ſingulis trienniis, ſuos diſtrictus viſitent, juxta formulam illis a Nobis præſcribendam, Paſtores, aliosque Sacerdotes, nec non Matricularios ſui officii diligenter admoneant, exceſſus ac defectus eorum annotent, & ad Nos referant, quibus ſua ſalaria per eos, qui tenentur, ſolvi mandamus.

CAPUT II.

Promotoribus etiam noſtris injungimus, ut diligenter & aſſidue ſe informent, num prætacta Decreta per univerſam noſtram Diœceſim, obſerventur, & ſi quam reſciverint in Prælatis aut Capitulis negligentiam, de illa Nos reddant certiores, alios citari curent coram Officialibus noſtris, quibus mandamus, ut pœnas ipſis Decretis appoſitas, prout jacet, exequantur, reliquis caſibus punitionem exceſſuum aut defectuum eorumdem arbitrio relinquentes.

CAPUT III.

Ne quis autem ignorantiæ prætextu, a prædictorum Decretorum obſervatione ſe excuſet, dictorum Conciliorum, quatenus opus ſit, & hujus Synodi Decreta publicamus & promulgamus, & pro legitime publicatis, ab omnibus haberi, & ita per quoscunque Judices judicari volumus, ac omnibus Prælatis, Canonicis, Paſtoribus, ac aliis Sacerdotibus noſtræ Diœceſis præcipimus, ut eadem penes ſe habeant, legant & obſervent, nec non a ſuis ſubditis obſervari faciant. Nos uti prævaricatores & contemptores earum condignis pœnis coerceri mandamus, ita omnibus eadem obſervantibus noſtram benedictionem impartimur, quam vobis concedet fons omnis benedictionis, qui eſt benedictus in ſæcula. Amen.

LEcta & publicata fuerunt hæc Decreta in Eccleſia Cathedrali Sancti Albani Martyris, Civitatis Namurcenſis, præſidentibus Synodi Patribus, de mandato Reverendiſſimi Domini Epiſcopi (*) eidem præſidentis, anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo quarto, die vigeſima menſis Octobris.

JACOBUS FABRI, Synodi Secretarius.
LEO DE HACCURIA, dictæ Synodi Scriba.

(*) Fuit is FRANCISCUS BUSSERETUS (*de Buiſſeret*), quem Nobilis, eaque Patricia familia Montibus Hannoniæ Orbi dedit. Prima domeſticos intra parietes hauſit Latini ſermonis elementa, quin & omnem humaniorum Litterarum, quibus imbui adoleſcentia formarique ſolet, curſum non ſine magna ingenii ſui commendatione præclariſſime confecit. Annum ætatis agebat viceſimum, cum Lovanii

Digitized by Google

ſub Lilienſis Gymnaſii Præceptoribus eos faceret in Philoſophia progreſſus, ut locum inter artium Magiſtros bene multos vix non principem aſſecutus, ſcientiæ iſtius arcana palam explicandi facultatem, ex arbitrio eruditorum Virorum & calculo, facile ſibi compararit. Poſt arduum quinquennii laborem tum Utriusque Juris Licentia, ut vocant, eadem in Urbe, tum Canonico in Metropolitana beneficio Cameraci A. 1574. potiebatur. Romam dein petiit, Bononiæque in J. U. Doctorum Ordinem ſolenni eſt ritu collocatus. Cameracum e Latio redux, a virtute magis, quam ab illa doctrinæ Laurea (cum *Morero* loquor) commendatus, ad ampliſſimos Senatus Eccleſiaſtici honores, veluti per gradus aſcendit. Officialis enim primum, tum Archidiaconi A. 1583., poſt Decani & Vicarii Generalis A. 1586. ſplendida adminiſtravit munia, in iisque partes ſuas tam egregie ſuſtinuit, ut, quod ſuſpicerent in Eo omnes, atque imitarentur, deſiderari nihil poſſet. Namurcenſes certe, ad quos præcellentis fama Viri pervenerat, aptiorem Illo ac digniorem, cui Epiſcopalem imponerent Infulam A. 1602. ſeque regendos darent, reperere neminem. Quo quidem in officio ad annum 1614, *Morero* teſte, perſtitit. S. Concilii Tridentini ſapientiſſima Decreta quanti cum faceret Ipſe, tum ab aliis fieri percuperet, teſtatur ſatis præfixa Synodalibus hiſce Statutis atque ab Eodem habita Oratio elegans, accommodata tempori, idoneis Sanctorum Patrum ſententiis exornata. Fulgere vix in Archi-Epiſcoporum ac Ducum Cameracenſium Sede virtus FRANCISCI cœperat A. 1615., & ecce, ſub ipſa Pontificatus auſpicia VI. Nonas Majas ejusdem anni, acerbiſſimo ſummorum imorumque luctu Valencenis occubuit, mirum apud omnes ſui deſiderium relinquens. In æde Metropolitana Cameracenſi, ubi Præſulis optimi exuviæ quieſcunt, hanc videre eſt tumuli inſcriptionem:

EPITAPHIUM

ILLUSTRISSIMI ET REVERENDISSIMI DOMINI
FRANCISCI BUISSERET,
QUI METROPOLITANÆ HUJUS ECCLESIÆ
MUNIIS FUNCTUS PRÆCIPUIS,
AB ANNO M. D. LXXIV. CANONICUS,
OFFICIALIS, ARCHIDIACONUS MAJOR,
DECANUS, ET SEDIS VICARIUS GENERALIS,
INDE ANNIS QUINDECIM
EPISCOPUS NAMURCENSIS;
TANDEM
ARCHIEPISCOPUS ET DUX CAMERACENSIS
ASSUMPTUS,
PRIMO PONTIFICATUS SUI ANNO OBIIT,
ÆTATIS LXVI. SALUTIS HUMANÆ
M.D.C.XV. MAJI II.
TU ANIMÆ LECTOR
BENE APPRECARE.

Cl. Foppens Biblioth. Belg. P. I. pag. 288. *Sac. Belgii Chronolog. de Caſtillion Part. alt. pag.* 358. Præ cæteris *Nicol. de Guiſe* in ſuo, quem A. 1616. publici juris fecit, libello: ubi vitam, virtutes, resque præclare geſtas Illuſtriſſimi hujus Archi-Epiſcopi compendio quidem, ſed tanto tamen expreſſit haud dubie verius ac felicius, quanto easdem licuit propius, cum Ipſi ab ſecretis, imo a latere quaſi aſſiduiſſime eſſet, intueri. Opuſculum mihi hæc adnotanti deerat.

Ex Decretis & Statutis omnium Synodorum Dioeceſanarum Namurcenſium &c. de juſſu & mandato Illmi & Rdmi Domini FERDINANDI COMITIS DE BERLO Epiſcopi Namurcenſis &c. A. 1720. *Namurci recuſis.*

DE-

Digitized by Google

DECRETA & CONSTITUTIONES
SYNODALES
JOANNIS V. CURIENSIS EPISCOPI,
Pro Vicariis foraneis, Decanis, Camerariis, aliisque Sacerdotibus
Anno Chriſti MDCV. Pauli V. PP. I.
Rudolphi II. Imp. XXIX. *editæ.*

JOANNES, DEI & APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS CURIENSIS, Dilectis Nobis in Chriſto Vicariis foraneis, Decanis, Camerariis, cæterisque Sacerdotibus, Curatis, & non Curatis per Diœceſim noſtram Curienſem ubique conſtitutis, Salutem in Domino ſempiternam.

SApientis illud verbum: *judicium duriſſimum in bis, qui præſunt, fiet, quod frequentius ruminare uſu venit, Nobis & timoris & ſolicitudinis plurimum parit: Timoris quidem, nam ad hoc onus, numusque noſtrum minus ſufficientes Nos agnoſcimus: Solicitudinis vero, quia de vobis ſtrictiſſimam ſumus reddituri rationem. Hinc fit, ut ex quo tempore placuit S. P. N. CLEMENTI VIII. Pont. Max. electionem per Reverend., Nobiles, Doctiſſimosque Viros hujus Almæ & antiquiſſimæ Eccleſiæ Canonicos, ad quos ea ſpectat, in Nos factam confirmare, atque adeo Epiſcopalem nobis Cathedram & veſtrum omnium curam committere, nullam fecerimus moram, quin ad Eccleſiæ noſtræ & Paſtoralis curæ functiones obeundas feſtinaremus. Verum ea in re, multum Nos terruit, & noſtra ad tantum onus imparitas, & zizania ſuper ſeminata, præ quorum multitudine triticum vix cernitur. Qui vero Spiritum bonum dat petentibus ſe, qui confert robur infirmis, qui ſemen administrat ſeminanti Deus, ille mirum in modum Nos conſolatus eſt, cujus quippe ope freti animum ſumpſimus ad ea, quæ Nobis concredita ſunt, alacri ſtudio & animi ardore amplectenda, ſperantes per ejus gratiam declaraturos Nos, quantum de vobis ſimus ſoliciti.*

Cum vero Paſtoralis officii ratio dictet, ut, qui præſunt aliis, quæ per ſemetipſos expedire nequeunt, per alios ſubſtitutos & idoneos ea curent, voluimus pro munere noſtro, ac tranquilliori conſcientiæ ſtatu, nec non Cleri, populique commodo aliquas Conſtitutiones ac Decreta præſcribere, & per Subſtitutos noſtros ſtricte exequenda mandare, cum præſertim videamus multa in noſtro Epiſcopatu reformatione ac correctione indigere, multosque Sacerdotes, quæ ad mores tum ſuos, tum aliorum reformandos, pietatem inducendam, Eccleſiæque libertatem tuendam pertinent, vel ob ignorantiam negligere, vel ob malitiam deſpicere. Quæ Decreta latius poſt totius Epiſcopatus viſitationem, & Synodi Diœceſanæ, quam, Deo dante, brevi intendimus, celebrationem, extendere ſtatuimus, ut omnes Sacerdotes gregem ſibi concreditum cuſtodiant, ſalutari pabulo, fidelique Sacramentorum adminiſtratione, ad vitam æternam alant, & nutriant: Se ipſos vero tales illis exemplo præbeant, ut qui a foris ſunt, de iis conqueri non habeant.

Quapropter optima ſpe nitimur, hæc noſtra Decreta, Deo probata, vobis, populoque noſtro ſalutaria fore, Divinam nobis deſuper, gratiam cæleſtemque benedictionem deprecantes: Curiæ 7. die Junii, Anno 1605.

JOANNES, Epiſcopus Curienſis &c. &c.

DECRETA ET CONSTITUTIONES
de Sacerdotibus generatim.

QUicunque ad curam animarum, vel ad alia Beneficia Eccleſiaſtica deinceps promovebuntur, examinati, & approbati prius coram Nobis, vel Vicariis noſtris, quibus hoc munus ſpecialiter demandabitur, faciant Profeſſionem Fidei, juxta Bullam PII IV. Pont. Maximi: Ac Nobis, & Succeſſoribus noſtris debitam obedientiam ſpondeant, ac jurent.

Digitized by Google

Horas Canonicas quotidie integre, ac devote dicant, quas nec in itinere ullo modo omittent, cum iter a recitandis Horis non excuſet. Iter itaque facturi Breviarium ſemper ſecum deferre meminerint: cum vero juſtis, & rationalibus cauſis intendamus Breviarium Miſſaleque Romanum in omnibus Diœceſis noſtræ locis introducere, mandamus omnibus Sacerdotibus & Eccleſiarum Syndicis, ut illi pro ſe, & iſti pro Eccleſiarum indigentiis Breviaria, & Miſſalia Romana, cæteraque ad Divinum cultum ſpectantia ſibi coëmant, & tam in Choro, quam extra illum, illis ſolis utantur, contravenientes volumus debitis ſubjacere pœnis.

Noverint etiam febri, vel alia infirmitate leviter laborantes a dicendis Horis non excuſari: ſuas itaque conſcientias adeant, videantque, quid præſtare poſſint, ne omittendo graviter peccent.

In Sacroſanctæ Miſſæ Sacrificio peragendo ſint imprimis attenti, & devoti, neque faciem jam in hanc, jam in illam partem leviter convertant. Cæremonias ab Eccleſia præſcriptas, & approbatas ex Romani Miſſalis Rubricis diſcant, atque diligenter obſervent, quibus nihil nec addant, nec demant.

Semper celebrent adjuncto ſibi Clerico, vel alio miniſtrante, ac ad Miſſam reſpondente, quantum ullo modo fieri poteſt.

Acceſſum altaris pro opportunitate devote dicant, receſſum vero nunquam intermittant, & pluſculum finita Miſſa in gratiarum actione perſiſtant; nihil enim magis intuentium offendit oculos, magisque tremendo hoc Sacrificio eſt indignum, quam Sacrificantem necdum forte conſumptis Sacramentalibus ſpeciebus vel ſtatim ſedere, vel etiam (quod longe pejus) in prophana cum obviis quibusque colloquia effundi, quod jejunæ & incompoſitæ mentis non leve eſt argumentum.

Calices, patenæ, corporalia, purificatoria, albæ, humeralia, mappæ altarium, cæteraque ad Divinum cultum ſpectantia, munda ſint & decora. Quapropter ſæpius mundentur, ac laventur.

Ut autem puriores ad hæc tremenda Myſteria accedant, ſingulis menſibus deputandis a Nobis Confeſſariis accurate confitebuntur. Quod ſi vero quis ſe intra hoc menſtruum tempus lethalis peccati ſtimulo urgeri ſenſerit, ac celebrare neceſſe ſit, is ne celebret prius, quam ſalutari confeſſione peccata expiaverit, niſi occurrens neceſſitas tantum ipſi temporis neget: quod ſi eveniat intenſum ſaltem contritionis actum eliciat, & antequam denuo ſacrificet, priores noxas confeſſione eluat, ſtatimque non expectato menſe eidem ſuo Confeſſario, aut ſi ejus copia commode haberi non poſſit, alii Sacerdoti (docto tamen, pio ac approbato) confiteatur, ne judicium ſibi ſumat, factus reus Corporis & Sanguinis Domini.

Teſtimonium peractæ confeſſionis menſtruæ annuatim quisque ſuo Decano, vel Vicario noſtro oſtendat.

Toties celebrent in hebdomada, quoties ſuorum beneficiorum fundatio, & approbata conſuetudo præſcribit: Neque enim in conſcientia ſecuri eſſe poſſunt, aut ſuorum beneficiorum reditus, tuto & juſte percipere, *de iis diſponere*, niſi fundationibus ſatisfecerint. Prout enim volumus & præcipimus, ut ſecundum mentem Fundatorum omnes fructus & proventus ſuorum beneficiorum, nemine impediente, inquirere teneantur, eos percipere, de iis diſponere, & iisdem gaudere poſſint, ita viciſſim etiam ſerio mandamus, ut in executione officiorum eandem adimpleant.

In domibus, ſeu locis privatis extra Eccleſiam absque ſpeciali noſtra facultate ne celebrent.

Magni certe intereſt, qualiter ille vivat, qui paſtorale Magiſterium ſuſcepit, ita ut, cum Paſtor per abrupta graditur, ad præcipitium grex ſequatur, & cujus vita deſpicitur, neceſſe ſit, quod etiam prædicatio ejus contemnetur; inter alias autem dotes, quibus Clericus ornatus eſſe debet, maxima reputatur caſtitas animæ & corporis: quam vero turpe ſit Sacerdotem Dei Altiſſimi toties immaculatum Agnum in altari tractantem, cæteraque Sacramenta a Jesu Christo Salvatore noſtro

ſtro inſtituta adminiſtrantem immunditiæ ſordibus coinquinari, res ipſa ſatis, tanto populi ſcandalo, loquitur. Quocirca ſi quem turpi concubinatus crimine irretitum deprehenderimus, contra eum juxta Sacrorum Canonum, & maxime Concilii Tridentini Decreta ſevere procedemus, utque Vicarii, & Decani noſtri contra tales de facto, citra ullum perſonarum reſpectum procedant, eis in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus atque præcipimus.

Luxurioſa res, vinum, & tumultuoſa ebrietas, quicunque his delectatur, non erit ſapiens. Prov. 2. Et Auguſtinus ad Sacras Virgines: Ebrietas eſt flagitiorum omnium mater, culparum materia, radix criminum, origo vitiorum, turbatio capitis, ſubverſio ſenſus, tempeſtas linguæ, procella corporis, naufragium caſtitatis, amiſſio temporis, inſania voluntaria, ignominioſus languor, turpitudo morum, dedecus vitæ, honeſtatis infamia, animæ corruptela, quibus nos addimus Sacerdotes propter eam deſtruere opus Dei, ſeipſos perdere, & ſalutem hominum negligere.

Quare cum in plerisque execrabilis is vivendi modus ſit, ut publicas tabernas, aliaque loca inſueta ingrediantur, vino indulgeant, & poſt comeſſationes, & frequentata pocula, rixari, canere, inepta effutire, ſcurras agere, populo graviſſima ſcandala parere, ac ea, quæ eorum officium concernunt, vel omnino negligere, vel ineptiſſime exercere ſoleant; his opportunis remediis obviare cupientes, volumus & ſtricte mandamus, ut univerſus noſter Clerus hoſpitia publica, tabernas & omnia conventicula (neceſſitatis & honeſtatis cauſis exceptis) ebrietatemque ac comeſſationes fugiant. Si qui vero reprehenſibiles in hoc genere fuerint reperti, gravem noſtram animadverſionem experientur.

Convenientes vero Exequiarum, Capitularium, Congregationum, Confraternitatum, aut aliorum negotiorum tractandorum cauſa, volumus, ut nullibi, quam in Presbyteri domo prandium ſumant, menſam ſacra lectione condiant, & ſumpta refectione, quæ honeſta & ſobria eſſe debet, quisque ad ſuum locum ſe recipiat.

Prohibemus etiam ſerio, ne Clerici noſtri in contemptum ſuæ ſortis, exercitiis & negotiis ſæcularibus & illiberalibus dent operam. Audimus enim aliquos chirurgos, medicos, tabernarios, mercatores, laniones, venatores, conjuratores, divinatores, veridicos, pro pudor! agere. Alios autem aliena prædia conducere, pro aliis fidejubere, coram Judice ſæculari advocare, procurare &c. Quæ omnia uti a Clericali ſtatu aliena, ut omnino vitentur, ſub graviſſimis pœnis, mandato præcipimus. In ſua tamen vel Eccleſiæ ſuæ pauperum aut propinquorum cauſa, noſtra licentia prius obtenta, quin opem & patrocinium præſtent, non impedimus. Sicut etiam artes honeſtas, & ut aliquid manibus lucrentur ſuis, quo ad victum neceſſaria facilius ſibi conquirant, permittimus.

Multo minus, ut choreis, ſaltationibus, luſibus, præſertim teſſerarum & talorum, larvis, jocisque ineptis & inanibus ſpectaculis, levitatibus, & ſcurrilitatibus vacent Clerici, ferendum eſt.

Quin potius lectioni, meditationi, orationi, ſcriptioni, aliisque piis & honeſtis ſtudiis, & exercitiis ſe totos tradant. Hinc doctorum pariter, & piorum librorum bonam ſupellectilem ſibi comparent, & ſupra omnia otium ſocordiamque, omnium malorum ſcaturiginem, devitent.

Inter alios vero libros ſibi parabunt Biblia Sacra, Catechiſmum Romanum, Concilium Tridentinum, Armillam, Directorium Polanci e Societate JEſu, Rationale Divinorum Officiorum, Sacerdotale Romanum, Enchiridion controverſiarum Patris Franciſci Coſteri, Inſtitutiones Sacerdotum Franciſci Toleti S. R. E. Cardinalis, expoſitores aliquos ſuper Scripturam, aliosque libros pios, quos ſuaſu, & conſilio doctorum Virorum, præſertim Patrum Societatis JEſu, emant.

Clericorum arma, ſunt orationes, & lachrymæ. Idcirco edicimus, ne Clerici cujusvis generis arma nec offenſiva, nec defenſiva (exceptis cultellis ad

uſum quotidianum neceſſariis) ſecum ferant, niſi forte extra locum, quem inhabitant, longius abeundum eſſet. Bombardis vero, baliſtis, haſtis, telis, & ſimilibus ipſis omnino interdicimus.

Habitum, eorum ſtatui, & dignitati congruentem, ſemper domi foriſque deferant, qui ſit oblongus ad talos uſque defluens. Niger autem tantum color in veſtitu adhibeatur, in quo ut ſordes reſpuimus, ita exquiſitam nimis ſæcularem elegantiam improbamus. Induſia ad collum & ad manus criſpata & rugoſa aut nimium elaborata abjiciant. Collare ſit ſimplex, modice latum, & honeſte ſuper veſte reflexum. Armillis ac monilibus ne ſe ornent. Annulum digitis ne inſerant, niſi quibus ob officii dignitatem aut honoris gradu ſit jure conceſſus, quem ſolum digito dextræ manus quarto gerant, & dum Miſſæ Sacrificium faciunt, deponant.

Tonſuram, & coronam convenientem geſtent, curentque, ut barba a ſuperiori labro ita reſcindatur, ut pili in Sacrificio Miſſæ Corpus Chriſti, & Sanguinem ſumentem non impediant.

Quisque beneficium ſive curatum, ſive ſimplex poſſidens, ut in ædibus beneficii ſui reſideat, volumus. Et cum nobis conſtet hujusmodi ædes Parochorum, Primiſſariorum, ſeu qualiumcunque beneficiorum multis in locis ruinam minari, ac Sacerdotes magis ſibi, & ſuis, quam Eccleſiæ providere, ordinamus, ut omnes Parochi & Beneficiati, qui per biennium Parochiam, vel beneficium poſſederunt, eas ædes propriis expenſis pro ſua & ſucceſſorum habitatione decenti reſtaurent, ad noſtrum & Viſitatorum judicium.

Promovendi vero ad beneficia, ut easdem ædes ita bene ædificatas ſuis expenſis ſartas tectas ſemper conſervent, & neceſſaria ædificent: negligentiam autem Sacerdotum, vel inde diſcedentium, vel morientium, ex bonis eorum, aut propiis, aut relictis compenſari, præcipimus.

Nullus ſe ullo beneficio aut Curato, ſeu non Curato intrudat, ſed ab iis, ad quos ſpectat, legitime præſentetur, ac a Nobis, vel Vicario noſtro, inveſtiatur.

Quocirca omnes titulum poſſeſſionis ſui beneficii, ſeu literas inveſtituræ Nobis, Vicariis, ſeu Viſitatoribus noſtris quamprimum exhibeant. Si quis autem has nondum haberet, eas a Nobis dari curabunt. Si quis vero obtento beneficio ſtatuto tempore ſe Nobis, ſeu Vicario noſtro non præſentaverit, beneficio ſe carere, & debitis pœnis ſubjacere ſciat. Beneficium autem ſuum quisque retineat, nec ſine authoritate noſtra permutet aut deſerat.

Patronis ſeu Collatoribus nullus ſe pro præſentatione ſeu collatione beneficii obliget ad quicquam dandum, aut de juribus & reditibus beneficii remittendum, neque ſpondeat ſe detracta beneficio non repertiurum, aut ad Collatoris arbititrium ceſſurum, nec ullam obligationem (quam vocant Reverſales) niſi a Nobis juſſam & approbatam tradat. Sed jura Eccleſiæ, ipſamque libertatem Eccleſiaſticam, & bona ſibi commiſſa pro viribus defendat. Reditus tamen ſibi beneficii non male & ſcandaloſe, ſed pie ac utiliter diſpenſet.

Coram Judice laico ab eo ad cauſam dicendam vocati, non compareant, neque ſæculari ulli mulctas unquam ſolvant, neque pœnam infligere ſibi ſinant. Quodſi vis cuipiam inferetur, Ordinario ſignificabit.

Sed ſi quis forte Clericorum (quod Deus avertat) in contemptum libertatis Eccleſiæ ſpretis debitis clavibus ad laicos confugeret, illorumque patrocinium procuraret, ipſo facto a Divinis ſit ſuſpenſus.

Omnes Clerici per Diœceſim Curienſem juſſis & mandatis noſtris obtemperent, memoria teneant juramentum per eos Ordinario præſtitum, & nullo prætenſo fuco ab Ordinarii obedientia ſe ſubtrahant.

Monitiones ad totum Clerum noſtrum.

SEmper memores eſtote vocationis veſtræ, qua vos dignatus eſt Dominus

minus noſter. Cœleſtem in terris vitam, tamquam Angeli Dei, moribus veſtris exprimere ſtudete. Divino cultui, cœleſtium rerum meditationibus, orationi, & litterarum ſtudiis vacate. Charitatem tanquam ſeminarium omnium virtutum omni ſtudio amplectimini.

Humilitatem, patientiam, juſtitiam, temperantiam, & reliqua officia Chriſtianæ pietatis colite: quæcunque ſunt vera, pudica, ſancta & religioſa, ea cogitate, & agite.

Ut Deus miſereatur populi ſui, ut fidelium animos ad concordiam ſectandam, ad vitia fugienda, ad virtutes amplectendas; ut e Regum, & Principum animis evellatur, ſi quæ ſunt, diſcordiæ ſemina; pro dilatatione fidei Catholicæ, hæreſum extirpatione, pro Romani Imperii victoria contra Turcarum feritatem Deum ſemper & devote orate.

Otium vitare ſemper ſtudete, ſingulis diebus Dominicis, Feſtis Beatæ Virginis, Apoſtolorum, & Sanctorum, quæ feriantur, etiam tempore Adventus & Quadrageſimæ ſitis populo a concionibus.

In inceſſu, ſtatu, geſtu, victu, doctrina, & exemplo, ita vos præbete, ut ab ordinis nomine, & ratione nullo modo diſcrepetis.

Nihil ſcurriliter, nihil jocoſe, nihil indecore, nihil turpiter loquamini.

Maledicta, obtrectationes, curioſitas, levitas, nugæ abſint a vobis.

In excipiendis hoſpitibus intra parſimoniæ fines vos continete.

Mutuum dantes nolite nec petere, nec accipere aliquod intereſſe, ſub pœna amiſſionis & ſummæ & cenſus.

Sub prætextu tenuis beneficii nihil, quod ſpeciem avaritiæ habeat, tentate.

Erga pauperes miſericordes eſtote, eorumque indigentiis pro poſſe ſubvenite.

Inſtruite ſubditos veſtros religioſe non ſolum in Miſſæ Sacrificio, verum etiam in Divinis aliis Officiis, quando verſandum, quando ſtandum genua flectenda, & aſſurgendum. Quod in Templis ſint fugiendæ confabulationes, deambulationes, ſtrepitus, &c.

Quam ſancte & religioſe in concomitatu Euchariſtiæ, ſupplicationibus, litaniis verſandum ſit.

Parentes monete, ut filios, totamque familiam ad ſtata doctrinæ Chriſtianæ loca ipſi conducant, & domi ſemper pie ac religioſe inſtruant.

Quando dies feſti colendi & ſanctificandi ſint, docete & monete.

Libros prohibitos de eorum manibus omnino tollite.

Ut ſuis creditoribus (quod & vos facite) juſte ſatisfaciant, præcipite.

Quicquid facitis ad laudem Dei, & ſalutem animarum facite, non vero ſtudio aucupandi hominum gratiam. Servus Dei enim non eſſem, ſi hominibus placerem, ait S. Apoſtolus.

De Parochis.

NUllus ad regimen animarum admittatur, niſi prius per Nos, vel Vicarium noſtrum examinatus & approbatus fuerit. Qui vero curam gerunt, denuo ſtricte pro ea examinentur; minus idonei a cura amoveantur. Et ſi qui Parochi Coadjutores habere teneantur, eos ſine mora Nobis, vel Vicariis noſtris pro cura examinandos, & approbandos omnino & ſub pœna arbitraria præſentent. Nullus item Sacerdotem vagantem in Eccleſia ſua celebrare permittat, niſi viſis prius ejus formatis, & noſtra in ſcriptis obtenta licentia. Apoſtatæ, etiam Monachi nudam eorum Prælatorum demonſtrantes licentiam; item Sacerdotes aliarum Diœceſium ab eorum Ordinariis non dimiſſi, Nobis inconſultis ad nullum admittantur beneficium.

Admonitio ad Parochos.

PArochi toti in eo erunt, ut populum ſibi commiſſum, (*) & potiſſimum comeſſationes & ebrietates, rixas, blasphemias, perjuria, imprecationes, obſcœna verba, detractiones, inimicitias, & ſimilia, quæ Deum offendunt, animam perdunt, & proximum lædunt, fugiant.

Perplures ex ignorantia, ex malitia

(*) Subintelligendum, quod forte omiſſum: *ſedulo curent.*

Digitized by Google

litia aliqui, & quidam ex levitate Sacræ Scripturæ verbis & ſententiis ad jocum & prophanos ſenſus peſſime abutuntur. Quæ deteſtabilis licentia ut prorſus tollatur, ſtudebunt Parochi tam in concionibus, quam in confeſſionibus. Omnes tam Sacerdotes, quam laici ab omni uſu benedictionum, quæ ab Eccleſia approbatæ non ſunt, abſtineant; conjurationibus ullis, ſive verbo, ſive ſcripto ne utantur: magos & maleficos, vulgo **die Beſchwerer und Segner**, ligaturis, nodis, characteribus, verbis occultis, nominibus ignotis, ſuperſtitionibus & obſervationibus tam temporis, quam loci, mentes hominum perturbantes, morbos, & cætera adverſa accidentia amovere promittentes, a ſocietate fidelium, niſi reſipiſcant, ex noſtro mandato amovebunt Parochi.

Nullo modo patiantur ſub altarium mappis herbas, cereos, aut alia hujusmodi ſupponi.

In hoc deſudent Parochi, ut plebem ſuam Legem Dei & præcepta Eccleſiæ obſervare, juſtitiam & pietatem colere doceant.

Moneant patresfamilias, (*) ſuos liberos, ſervos & ancillas diebus feſtis Sacrificio Miſſæ & concioni intereſſe. Si aliquos vero vel pro domus cuſtodia, vel pro paſcendis beſtiis domi remanere neceſſe ſit, ut ſaltem mutatis vicibus Sacrum non negligant.

Curabit Parochus, ut populus in Eccleſia pie verſetur, Divinis Officiis diligenter & devote ad finem uſque interſit, proceſſiones ab Eccleſia inſtitutas; etiam devotionis ergo ſuſceptas non negligat, ut ſtrepitus & confabulationes in Eccleſia vitet, eumque, quando ſtandum, genua flectenda, & aſſurgendum ſit, accurate doceat. Quæ omnia facile Dei ope conſequentur Parochi, ſi prædicandi muneri diligenter invigilaverint, moresque ſuos ita compoſuerint, ut ſubditi eorum ab eis modeſtiæ, temperantiæ, caſtitatis, concordiæ, humilitatis, charitatis, devotionis, cæterarumque virtutum exempla petere poſſint.

Denique ſine intermiſſione conſiderent Parochi, & univerſi Sacerdotes ſe non ad propria commoda, non ad divitias & luxum, ſed ad labores & ſolicitudines pro Dei gloria vocatos, ſibique muneris ſui ſtrictiſſimam coram Deo rationem aliquando reddendam, & animas ſibi commiſſas, ac pretioſo Chriſti Domini Sanguine redemptas, ex manibus eorum requirendas eſſe.

Doctrina Chriſtiana.

STricte mandamus, ut in Parochiis veſtris doctrinam Chriſtianam, vulgo **die Kinderlehr** introducatis, ac introductam conſervetis: dici enim vix poteſt, ac ipſi probe experimini, quantum ea res plebi veſtræ ſpiritualis emolumenti ſit allatura, præcipue autem vobis ſit in manibus Catechiſmus Romanus, ac D. Petri Caniſii, quem ſedulo populo veſtro proponetis, ac declarabitis.

Ubi Horæ Canonicæ ſine cantu dicuntur, volumus, ut Parochi primas & ſecundas Dominicas & Feſtorum Veſperas in Eccleſia decantent, ad quas omnes ejusdem loci Beneficiati accedere & in cantando juvare teneantur. Sicubi vero Parochi ſoli eſſent, & magnam in cantando difficultatem paterentur, eas ſaltem alta voce tractim legant.

Diebus Dominicis & Feſtis competenti hora dato ſigno ad Eccleſiam ſe conferant, Divinum Officium decantent, vel ſi ſoli ſint, legant, ac ut omnia ordine ac rite peragantur & decantentur, curabunt. Credo vel Symbolum in Sacro-Sanctæ Miſſæ officio ut integrum & non medium, ut in multis Eccleſiis factum deprehendimus, canetur, ſtricte & ſub pœna arbitraria fabricæ applicanda mandamus.

Conciones ſuas (quas ſingulis diebus Dominicis ac Feſtis ſolennibus habere debent) & rebus & verbis aptis inſtruent, populumque vehementi cohortatione, ac fervore ad pietatem ac religionem, vitæ puritatem, ac innocentiam, pacem & concordiam adhortabuntur, eique bonæ vitæ exempla (quod perpetuum prædicandi genus dicitur) prælucebunt, & inflammabunt.

Ut autem tanto rectius commiſſum ſibi populum ſalutari doctrinæ pabulo paſcant, Catholicos & præſtantes Autho-

(*) Addendum: *debere eorum liberos* &c. vel: *quo curent, ſuos liberos* &c.

Authores tam vernacula, quam latina lingua conſcriptos coemant, ex quibus & potiſſimum ex Catechiſmo Romano, quod maxime captui auditorum accommodatum, ac eis utile eſſe perſpexerint, decerpent, ac proponent.

Evangelia Dominicalia e ſuggeſtu ſecundum præſcriptum Miſſalis Romani in lingua vernacula populo prælegent, & explicabunt.

Parochus ultra diem a ſua Parochia non abſit: Si autem eum neceſſitate exigente diutius abeſſe, vel morbo corripi contigerit, alium ſufficientem, qui interim Parochiæ præſit, ſubſtituat.

Dum Parochus vel alius concionatur, nulli Sacerdoti liceat Miſſæ Sacrificium facere, aut Baptiſmi Sacramentum extra mortis periculum adminiſtrare.

Invigilent Parochi, an in populo ſint hæretici, vel in fide ſuſpecti, libris prohibitis utentes, uſurarii, concubinarii, blaſphemi, adulteri, matrimonio juncti non cohabitantes: item inimicitias gerentes, Feſta, Quadrageſimam, & alia ab Eccleſia inſtituta jejunia non ſervantes, maxime abſtinentiam ab eſu carnium diebus Veneris & Sabbati, ac ſimiles; quos ſi incorrigibiles extiterint, Nobis, vel Vicario noſtro quamprimum denuncient.

Inprimis vero accurate animadvertant Curati, an aliqui in eorum Parochiis inveniantur, qui annuatim non confiteantur, nec communicent, ac eos (præterquam quod tales etiam ad Magiſtratum ſæcularem deferre oporteat) Nobis omnino ſignificari volumus.

Munera & officia parochialis curæ, non per alios (niſi infirmitas, vel ſumma neceſſitas aliter exiget) ſed ipſimet Parochi obeant ac præſtent.

Capitulum rurale.

ANnuum Capitulum ad hunc finem inſtitutum eſt, ut ad laudem Dei talis actio perficiatur, & omni ſtudio ac diligentia fidelium animarum auxilia, Eccleſiarum neceſſitates, & totius Cleri ſtatus in iis facilius exquiri & proponi poſſint. Quare volumus, ut omnes Sacerdotes per Vicarium, ſeu Decanum, ad Capitulum vocati, eodem loco, die & hora, ſub pœna arbitraria piis locis applicanda, compareant, una ſecum decorem externum & munditiam internam deferentes. Peracto Miſſæ Sacrificio de Spiritu Sancto, & finita brevi concione, omnes ſuperpelliceis induti proceſſioni interſint. Finitis Litaniis cantabitur Hymnus: *Veni Creator Spiritus*, cum oratione: *Deus, qui corda fidelium.* Tunc Vicarius, ſeu Decanus, in loco eminentiori ſedens, lectis Capitulo, ſi quæ ſunt perlegenda, inſtituet primo examen vitæ, & morum tam Sacerdotum, quam populi (*) debitis mediis tollere ſtudebunt. Deinde habebit Decanus, per ſe, vel alios idoneos juratos, absque omni humano reſpectu, examen doctrinæ juxta Sacrum Tridentinum Concilium, & Catechiſmum Romanum. Examen vero erit præſertim circa Sacramentum Pœnitentiæ. Ad quem finem inſtituta ſint Sacramenta novæ Legis? An illa tria, materia ſcilicet, forma, & Miniſter requirantur in Sacramento Pœnitentiæ?

An per Sacramentum Pœnitentiæ deleatur omnis culpa & pœna integre, aut quo modo?

De Confeſſario.

QUæ conditiones requirantur in Confeſſario?

In quo differat poteſtas Ordinis a poteſtate jurisdictionis?

Quæ ſcientia in Miniſtris pœnitentiæ requiratur?

Quæ regulæ ſint ad diſcernendum peccatum mortale a veniali?

Quæ bonitas in Confeſſore neceſſario requiratur?

An excommunicatus poſſit eſſe miniſter Sacramenti?

An debeant interrogari pœnitentes de peccatis, quando, quomodo, & quo ordine?

De Contritione.

QUæ diſpoſitio requiratur neceſſario in pœnitente?

In quo differant contritio & attritio?

Quomodo cognoſcat quis probabiliter ſe habere contritionem vel attritio-

(*) Senſus ille mancus & mutilus. Addendum videtur: *Quos irrepſiſſe abuſus deprehenderint, debitis &c.*

tritionem, vel quibus mediis obviari poſſit?

An contritio ſit aliquando in præcepto, & quando?

An debeat quis conteri diſtincte de ſingulis peccatis, vel ſatis ſit de omnibus conteri in communi, & quo tempore hoc ſit faciendum?

An formale propoſitum cavendi a peccato in futurum ſit de neceſſitate contritionis?

Quæ peccandi occaſio a pœnitente ſit neceſſario relinquenda?

De Confeſſione.

AN Confeſſio generalis totius vitæ ſit neceſſaria ante mortem?

An in ea poſſit quis omittere aliquod peccatum alias confeſſum?

Quæ peccata ſint confitenda de neceſſitate, quæ de congruitate, & cum quibus circumſtantiis?

Quomodo differant circumſtantiæ mutantes ſpeciem ab his, quæ aggravant?

Quibus caſibus teneatur quis ſtatim confiteri, quibus iterare confeſſionem, & quæ perfecta confeſſio dicatur?

De Satisfactione.

QUalis & quanta pœnitentia debeat a Confeſſore injungi pœnitenti, & an ab ejus arbitrio pendeat, aut aliter?

Ad implendam Satisfactionem Sacramentalem quæ requirantur, & quot modis ſatisfacere poſſimus, & quid operetur hæc ſatisfactio?

An Confeſſor poſſit commutare, vel tollere pœnitentiam injunctam ab alio Confeſſore? in quo differat reſtitutio a Satisfactione Sacramentali?

An per opera alias debita poſſit fieri ſatisfactio?

Quid efficiant indulgentiæ ad hanc Sacramentalem Satisfactionem?

De Abſolutione.

QUæ verborum forma in abſolutione requiratur de eſſentia, & quæ de congruitate, & quis ordo ſervandus tam in abſolutione a peccatis, quam ab excommunicatione aut irregularitate?

Qui caſus reſervati Papæ, qui Epiſcopo?

Quomodo ſint abſolvendi in articulo mortis, qui confiteri nequeunt, ſed ſigna contritionis ſolum oſtendunt?

An abſolvendi, qui in idem peccatum ſæpius confeſſum incidunt?

An aliqua cautio ſit petenda a pœnitente ante abſolutionem, & in quibus caſibus?

De Sigillo.

QUomodo differat ſigillum ſecreti a ſigillo confeſſionis?

An hujusmodi ſigillum ſit de neceſſitate confeſſionis?

An illa, quæ ſciuntur in confeſſione præter peccata, cadant ſub ſigillo confeſſionis?

An liceat detegere peccata in confeſſione audita, quæ publica ſunt, aut ſaltem non nominando perſonam, ſed in communi?

An peccet mortaliter revelans ea, quæ ſibi dicta ſunt extra confeſſionem ſub conditione, ut teneret ea ſub ſigillo confeſſionis?

An in aliquo caſu poſſit confeſſum peccatum revelari?

Quas pœnas incurrat hujusmodi ſigilli fractor?

Quæ cadant ſub ſigillum ſecreti; & an omnis ſecreti detectio ſit mortalis?

An, quod occultum eſt, vel ſecrete ſcitur, revelari debeat ad præceptum Judicis?

De Reſtitutione.

AN peccans contra charitatem debitam proximo, ut qui ei in neceſſitate poſito non ſubvenit, vel ad peccatum illum inducit, teneatur ad aliquam reſtitutionem?

An conſentiens in damno dato teneatur ex æquo reſtituere, an teneatur is ſolus, qui damnum dat?

Qui ſint illi novem modi, quibus quis dicitur conſentire delinquenti?

An Confeſſor, qui per ignorantiam, vel per negligentiam abſolvit aliquem ante reſtitutionem, maneat obligatus ad reſtituendum?

An

Digitized by Google

An qui furatus eſt rem aliquam, & illam non habet, ſatis ei ſit, quod reſtituat æquivalens?

An locans rem furatam debeat reſtituere pretium locationis vero Domino?

Qui pro committendo aliquo peccato pretium ſuſcepit, an illud reſtituere teneatur?

Quæ cauſæ non reſtituentem a peccato excuſent?

Bonorum incertorum reſtitutio quomodo facienda?

Infamans proximum de delicto vero, an reſtituere teneatur, & quomodo?

De Uſura.

QUid ſit Uſura, & in quibus rebus conſiſtat?

Pro re accommodata aliquid ultra ſortem accipere, an ſit uſura?

Quod dicatur juſtum pretium rei venditæ?

An donare aliquid, ut reddatur duplum, ſi moratur ante tale tempus, ſit licitum?

Quomodo in pacto retrovendendo committatur uſura?

Quid ſit cambium, & quæ cambia ſint licita?

Societatis contractus quid, & quis licitus, & ut talis ineundus?

Quis Uſurarius dicatur manifeſtus, & a quo abſolvendus?

Vendere rem carius credito, quam numerata pecunia, an ſit uſura?

In quo differant lucrum ceſſans, & damnum emergens?

An pro pecunia dotali liceat aliquos fructus accipere?

De Simonia.

SImonia quid, & quotuplex?

An conferens beneficium indigno ob conſanguinitatem, amicitiam, vel preces, ſit Simoniacus?

Quomodo dignoſcetur, qui inſervit alicui Prælato pro beneficio obtinendo, an ſit Simoniacus? & quomodo per manus a manu, a lingua, & ab obſequio committatur Simonia?

Quis Simoniacus ſit ipſo jure ſuſpenſus vel excommunicatus?

De Cenſuris.

QUot ſint cenſuræ Eccleſiaſticæ?

Quid ſit excommunicatio major; quid minor?

Quot ſint irregularitatis ſpecies?

An Confeſſarius tempore Jubilæi poſſit cum irregulari diſpenſare?

Cætera committuntur diſcretioni Examinatorum, qui pro temporum, locorumque varietate, & caſuum neceſſitate Curatos ſtricte examinabunt.

Quibus omnibus expletis, Vicarius & Decanus genu flexus, *Te Deum laudamus* incipiet, cujus primo Verſ. dicto, ſurgent omnes, & Hymnum proſequentur. Quo finito, dicat Verſ. *Oſtende nobis Domine miſericordiam tuam.* Reſp. *Et ſalutare tuum da nobis.* Oremus: *Exaudi, quæſumus Domine, ſupplicum preces* &c. Verſ. *Recedamus cum pace.* Reſp. *In nomine Chriſti.*

De Congregatione Caſuum conſcientiæ.

CUm ratio bene, riteque adminiſtrandi Sacramentum Pœnitentiæ pendeat præcipue ex caſuum conſcientiæ cognitione, & frequenti eorundem examine, ſtatuimus & volumus, ut omnes Parochi & Sacerdotes ſingulis menſibus ſemel dictæ congregationi interſint, tempore & loco, ubi congregationis Præſidi placuerit.

Volumus item, ut aliquot ante congregationem diebus ab unoquoque Præſide ad minus tres caſus in praxi occurrentes proponantur, & ad omnes Parochos & Sacerdotes ſuæ congregationis mittantur, ut ab iisdem poſſint legi & examinari. Præſides vero tales caſus ſingulis angariis ad Cap. Vicarium, vel Decanum una cum notula, cujuscunque Sacerdotis profectu & ſcientia mittent.

Stata die & hora omnes compareant ſub certa pœna ad pia loca applicanda.

Mandamus item, ut omnis Sacerdos congregationis librum habeat, in eoque propoſitos caſus, & eorundem reſolutionem a Præſide approbatam diligenter ſcribat.

Digitized by Google

In initio, dicto Sacro de Spiritu S., de B. Virgine, vel ad libitum Præsidis preces præmittantur, & iis finitis, casus proponantur.

Interrogatus scientiam suam latine proferat.

Congregationes oratione finiantur, & refectio omnino sobria in ædibus Parochi loci, vel alterius Sacerdotis, cum sacra lectione, sumatur: qua sumpta, se quisque honeste ad propria recipiat; quod de fine Capituli, & omnium Congregationum & Confraternitatum dictum volumus.

Ubi apparuerit aliqua difficultas conveniendi, Decembri & Januario mensibus ob dierum brevitatem, & itineris difficultatem, prætermitti concedimus.

De Sacramentis in genere.

SAncta Sacramenta a Christo Domino instituta, & ad communem omnium salutem proposita, cum cœlestia munera sint, & instrumenta Divinæ gratiæ, ut administratio sancta sit, & perceptio religionis plena, omnino oportebit. Sacerdos igitur, cujus est Sacramenta administrare, meminisse debet sancta se tractare, omnique fere temporis momento paratum esse oportere ad tam sanctæ administrationis munus.

Quare cum alios per Sacramenta purget, studebit ipse, adjutrice Dei gratia, animum ab omni peccati labe purum semper habere. Qui si reum se noverit, prius Sacramentali confessione se expiare studeat. Nam etsi Sacramenta Divinam virtutem, quæ illis inest, nunquam amittunt, impure tamen ea ministrantibus æternam mortem afferunt. Parochus igitur domi, vel in Ecclesia, ut vigilantem Pastorem decet, semper sobrius expectabit, & petentibus hilari vultu occurret, ac Sancta Sacramenta, prout necessitas vel devotio exiget, prævia semper oratione pie administrabit. In omni Sacramentorum administratione semper superpelliceum, & stolam adhibebit.

Sacramenti, quod ministrabit, vim, rationem, usum, salutaresque fructus diligenter explicabit, &, ut sancte suscipiantur, populum admonebit. Ritibus, cæremoniis utetur, prout in Sacerdotali.

In via nihil loquatur, verum meditetur, & attentus sit ad rem, quam sancte acturus est. Caveat, ne aliquid exigat, sed quæ gratis accepit, gratis ministret. Curet, ut viri armis depositis, & mulieres velato capite, devote & modeste accedant.

Sacerdos cum administrat aliquod Sacramentum, ut id cum magna religione præstet, singula verba, quæ ad illius formam rationemque pertinent, omni animi attentione & pietate distincte pronunciabit, & clara voce, ut ab illis audiri possit, quibus ministratur. Sacras item prædicationes sancte, graviter, & distincte dicat.

Studebit præterea assiduis orationibus, doctrina & omni Sacerdotali industria fideles sibi commissos tales efficere, quibus digne utiliterque Sacramenta ministrari possint. Ad quæ ne debitus externus cultus omittatur, suscipientes non patietur accedere, nisi exteriori habitu, vestiumque modestia debitam illis venerationem præ se ferant.

De Sacramentis in specie, & primo quidem de Baptismo.

PArochi pro concione admoneant parentes, ut in baptizandis filiis eos potius eligant compatres, qui eorum animæ consulere, quam inopiæ subvenire possint. Quod vero patrinorum officium sit, sæpius admoneant. Levantes seu compatres non sint, qui confirmati non sunt, nec minores natu 14. annis, & qui non intelligunt a se suscepti muneris partes.

Clericis infantem de Sacro Baptismatis fonte suscipere vetitum sit, & in Confirmationis Sacramento sine licentia compatres ne sint.

Nullus Sacerdos sciens infantem vere riteque a mari, vel a fœmina baptizatum, eum baptizare præsumat, nec etiam sub conditione: *Si es baptizatus, ego te iterum non baptizo*, &c. Alias præter irregularitatem, quam incurrit, gravi

gravi etiam pœnæ ſubjacebit. Si vero dubium eſſet, ſub conditione baptizetur infans, ut infra dicetur.

Sacerdos baptizare paratus (quod etiam in adminiſtratione omnium Sacramentorum requiritur) ſciat ſuas partes eſſe, non ſolum hoc Sacramentum juxta formam Eccleſiæ, & præſcriptos ritus adminiſtrare; ſed ne januam cœli, quam aliis aperit, ſibi ob ſordes peccatorum obſtruat. Quare in tam ſancto, & neceſſario actu mentem erigat, ſpiritumque colligat, & quid ſibi agendum ſit, devote cogitet: Sacerdotes enim accedentes ad Dominum ſanctificentur, ne forte percutiat eos.

Vocatus Parochus, ſuperindutus ſuperpelliceo & ſtola, ad januam Eccleſiæ quærat de nomine infantis, qui ſint patrini, & an domi ob aliquem caſum fuerit baptizatus.

Quantum ad nomen, ne imponatur infanti nomen incognitum ſeu gentilium, qui Chriſtum Salvatorem non cognoverunt.

Numerus patrinorum amoveatur. Unus vero patrinus & una matrina ad ſummum admittuntur.

Admoneat levantes affinitatem ſeu cognationem ſpiritualem in illa ſacra regeneratione contrahi inter patrinos, & baptizatum, ejusque Patrem & Matrem, atque idcirco Matrimonium inter ipſos omnino prohiberi.

Frequenter obſtetrices circa materiam & formam hujus Sacramenti examinent, & inſtruant, doceantque obſtetrices, & alias perſonas graviter peccare, ſi domi quempiam baptizant, niſi urgente neceſſitatis caſu.

Obſtetrices officium non præſtabunt, niſi per Parochum inſtructæ, & idoneæ probatæ ad Sacramentum Baptiſmi, cum neceſſe erit, miniſtrandum.

Si inſtat periculum, permittitur facultas baptizandi in domibus privatis, 1. Sacerdoti, in abſentia ejus ſacris initiato; ſi is non adſit, laicis, & quidem primo mari, deinde fœminæ, qui rite noverint formam Baptiſmi, quæ eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Materia autem eſt, aqua naturalis, pura, munda, & ſincera, absque mixtione alicujus materiæ, quæ ſolvat ſpeciem.

Quod ſi baptizatus domi, poſtea vixerit, eum in Eccleſiam deferant, ubi ſi rectam formam Baptiſmi ſervatam eſſe conſtiterit, reliqua adhibeantur.

In repentino caſu, & mortis periculo, ſi nemo alius adeſt, non prohibetur parentibus baptizare eorum filios, qui parentes debent, quamprimum eis licuerit, Confeſſario detegere.

Caſus periculi mortis ſunt varii, quos quilibet Sacerdos ex probatis authoribus diſcet tam pro ſe, quam pro obſtetricum neceſſaria informatione.

Moneant Parochi puerperas, ut, cumprimum poſt partum exierint, mox ad Eccleſiam Deo acturæ gratias accedant, & benedictionem ſuſcipiant. Puerperæ domo ne egrediantur, etſi mulier ob infirmitatem Eccleſiam adire nequeat.

Moneat ſub pœna excommunicationis ipſo facto ſubeunda, ne ante annum exactum puerpera, nutrix, quævis mulier, aut vir infantem in lecto teneat.

Expoſiti infantes, quorum certa ſcientia non habetur, an ſint baptizati, licet habeant ſcriptum collo appenſum, quo baptizati ſignificentur, ſi poſt diligentem inquiſitionem adhuc dubium reperiatur, ea conditionis formula baptizentur: *Si es baptizatus, ego te iterum non baptizo, & ſi nondum baptizatus es, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

Quam formam etiam Sacerdotes coram Eccleſia ſervare debent, ubi Baptiſmi rectam formam ſervatam eſſe non conſtiterit.

Claves tabernaculi, fontis baptiſmalis, & ſacrorum oleorum a ſolo Parocho cuſtodiantur, & eorum januæ aperiantur.

De Baptiſmo Adultorum.

PArochus in iis omnibus diligens erit, ut baptizandis adultis præter doctrinæ Chriſtianæ rudimenta, quæ neceſſario ſcire debent, admiſſo-

rum ſcelerum, & malæ actæ vitæ pœniteant, & ut in poſterum a peccatis omnibus abſtinere ſtatuant.

Cum adultus Baptiſmum petit, primo quærantur teſtimonia certa ejus conditionis actæ vitæ & ſtatus, ejusque voluntas diligenter exploretur, utrum ex animo & vera pietate Baptiſmum petat, qui ſi recte pieque ſit paratus, tum idoneo religioſoque viro committatur; (Si fœmina fœminæ) a quo per aliquot menſes (niſi tempus aliud poſtulaverit) fidei doctrina & inſtitutionibus accurate erudiatur, & congrua abſtinentia exerceatur. Tum ad Eccleſiam ducatur communi veſtitu, poſt Baptiſmum mox alba veſte induendus.

Statæ cæremoniæ adhibeantur ex ordine Baptiſmi parvulorum. Ad majorem Sacramenti cultum, niſi neceſſitas aliud exegerit, unum ex ſtatis temporibus Paſchatis, & Pentecoſtes expectari poterit.

Interroganti reſpondeat ipſe & non patrinus, aſſiſtat tamen ſemper patrinus, tanquam qui pro baptizando ſpondeat.

Qui baptizandus eſt, debet genuflexus fidem profiteri, & Baptiſmum petere. Baptizatus curæ alicujus viri probi, ſaltem per annum committatur, qui vitam illius piis rationibus regat, & moderetur.

Habeant Parochi librum, in quem baptizatos, & eorum parentes & patrinos ſcribant, cum annotatione diei, menſis, & anni, tali forma:

Ego N. Parochus, Coadjutor, Beneficiatus Eccleſiæ N., Anno, Menſe, Die baptizavi N., filium N. & N. conjugum, ſecundum ritum & præſcriptum S. Romanæ Eccleſiæ. Patrinus & Matrina fuerunt N. & N.

Ritus adminiſtrandi Sacramentum Baptiſmi, reperiuntur in Sacerdotali, ſeu Obſequiali.

De Sacramento Confirmationis.

QUisque Parochus poſtquam de conſtituto die Chriſmatis adminiſtrandi ex Reverendiſſimi Ordinarii indictione admonitus fuerit, iis diebus, qui hujus Sacramenti adminiſtrationem præcedunt, debet populum ſuæ curæ commiſſum inter Miſſarum ſolennia diligenter edocere ea omnia, quæ ad Sacramentum hoc rite adminiſtrandum & recipiendum pertinere intelliget.

Primo, ut fideles paratiores ad hoc Sacramentum ſe conferre poſſint, illiusque ſanctitatem, & neceſſitatem recte expendere, ex Romano Catechismo, aliisque Catholicis Authoribus eos inſtruat, doceatque opportune, quam neceſſaria ſit hujus Sacramenti doctrina, declaret nomen ipſum Confirmationis, ipſiusque vim. Aperiat quid inter Baptiſmum & Confirmationem interſit; quæ ſit ejus materia, quæ forma, quis Miniſter, quosque effectus pariat, ut fideles intelligentes ſe Chriſti Milites fieri ardentiori animo, totisque viribus ad dimicandum contra humani generis hoſtem, & contra peccata ſemper ſint parati.

Cum per hoc Sacramentum Spiritus Sancti gratia in corda fidelium infundatur, hortatur Parochus confirmandos, ut, ſi idonea ſint ætate, per ſanctam confeſſionem corda purificent, ut apta Sancti Spiritus vaſa, templaque efficiantur.

Ut jejuni accedant, aut ſaltem ſobriam corporis refectionem adhibeant; moneat, ut confirmandi & patrini ad Eccleſiam devote, &, ubi fieri poterit, proceſſionis ritu, veniant; & prius mares, deinde fœminæ ad Confirmationem recipiendam accedant.

Confirmandos moneat, cum hoc Sacramentum characterem imprimat, ipſum iterari eſſe nefas.

Quod ſi autem quis confirmatum eſſe ignoret, de hoc certior fieri ſtudeat, quod ſi nequiverit a parentibus, amicis, vel aliis, ſequatur conſilium Ordinarii.

Nullus ad Confirmationem adducatur, qui annis ſeptem minor ſit natu, ut aliqua ex parte illius Sacramenti vim intelligere poſſit, & ſe illud percepiſſe reminiſcatur.

Nullus, qui ex Epiſcopatu oriundus non eſt, accedat, niſi reſciat Reverendiſſimus, ut poſſit admitti, vel dimitti.

Cura-

Curabunt Parochi, ut confirmandi ſecum ſchedam ferant, ſub hac formula: N. filius N. Parochiæ N. Patrinus N. filius N. Parochiæ N.

Accedant primo mares, deinde fœminæ, quorum frontes lana goſſipina ſeu bambacio primo, deinde mantili madido, ultimo ſicco abſtergantur.

Viri pueros, fœminæ puellas in hoc Sacramento ſuſcipere debent, ad puerum unus patrinus, ad puellam unica matrina requiritur, qui confirmatos non ſolum in ſpiritualibus inſtruere, verum, ubi neceſſium fuerit, etiam temporali ope juvare tenetur.

Confirmandus coram Epiſcopo flectat genua, quem patrinus dextera ſupra humeros ejus poſita teneat.

Patrinæ & Matrinæ majores natu eſſe debent ipſis confirmandis, ut officio ſuo erga eos, quos ſuſcipiunt, melius ſatisfacere poſſint. Sint ad minus ætatis ſedecim annorum, niſi neceſſitas aliud poſtulaverit.

Iisdem eodem die, duos aut tres pueros, puellasve ſuſcipere licebit, non plures, niſi ex licentia Ordinarii.

Patrinus, ſeu Matrina eſſe non poſſunt, niſi ſint ipſi prius confirmati. Patrini docendi ſunt, eandem inter ipſos & confirmatum, & parentes confirmati, quam in Baptiſmo ſpiritualem cognationem intercedere.

Omnes Parochi habeant libros, in quibus nomina confirmatorum notent, tali forma:

Die -- Menſe -- Anno -- ætatis annorum, filius N. & N. ex Parochia N. Chriſmatis Sacramento fuit confirmatus a Reverendiſſimo Domino, Domino JOHANNE, Epiſcopo Curienſi. Patrinus fuit N. ex Parochia N. Adminiſtratum fuit hoc Sacramentum in Eccleſia Parochiali S. N.

Poſt Confirmationem acceptam, ut nemo ab Eccleſia recedat, curet Parochus, niſi urgente aliquo caſu, antequam a Reverendiſſimi Ordinario benedictio de more ſit data.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CUm Chriſtianus homo confiteri teneatur, & poſtea Euchariſtiam ſumere, prius de Pœnitentia pauca dicere placuit.

Confeſſarius, qui & Judicis & Medici perſonam gerit, ex variis peccatorum generibus, ut Judex, quæ gravia, quæ levia ſunt, quomodo ea corrigere, & pro cujusvis hominis ordine & genere judicare. Ut Medicus autem ea remedia, quæ ad illius animam ſanandam, & contra vim morbi muniendam aptiora videantur, adhibere poſſit, opus eſt, ut is ſcientia & prudentia præditus ſit, quam primo aſſidua ad Deum oratione, tum authorum probatorum continua lectione ſibi comparare poterit.

Quare pro majori ſecuritate volumus & ſerio mandamus omnibus Vicariis, & Decanis cujuscunque Capituli, ut annuatim tempore Quadrageſimali loco menſtruæ congregationis, omnes Confeſſarios ipſi, vel per ordinarios Examinatores ſtricte examinent, & prout Confeſſarii idonei reperti fuerint, dent vel auferant facultatem audiendi confeſſiones.

Curati bis, tertiove ad ſummum, examinati, & minus idonei reperti, ut ad Nos mittantur, omnino volumus.

Parochi maxime circa Pœnitentiæ Sacramentum elaborare debent, utpote adultis inprimis neceſſarium ac ſalutare, & populum inſtruere, quid ſit pœnitentia, quot & quæ ejus partes, & quæ ad eam recte peragendam requirantur: potiſſimum vero, in quo magni apparent defectus, eum ad veram & Sacramentalem, quæ in peccatorum connummeratione in ſpecie & ſigillatim coram Sacerdote facienda conſiſtit, confeſſionem inducere omnino ſtudeant: quod ſæpenumero & maxime Quadrageſimæ tempore, & quando hoc Sacramentum frequentandum erit, pro concione & alias faciendum eſt.

Nullus præſumat intra domeſticos parietes (infirmis exceptis) confitentem audire, nec etiam fœminas præſertim, ſurdaſtris item demptis, in Sacriſtia, ſed quemlibet publice in Eccleſia ſeorſim audiat, eumque paterne & graviter moneat, ut integre & debitis cum circumſtantiis ſua peccata confiteatur. Rudes autem, & in ſpecie confi-

confiteri neſcientes inſtruant, & per ſingula præcepta Decalogi (ad quæ etiam præcepta Eccleſiæ revocanda erunt) itemque circa peccata capitalia caute & prudenter examinent & interrogent, prout Catechiſmus Romanus, Directorium P. Joannis Polanci, Inſtitutiones Franciſci Coſteri, & aliorum bonorum authorum libelli de confeſſionum audiendarum ratione conſcripti edocent.

Confeſſarius ſuperpelliceo & ſtola violacei coloris indutus, prius genuflexus orabit, ut tanto miniſterio ſatisfacere poſſit. Regulares vero veſtitum adhibeant, quem ex regulæ præſcripto in choro adhibent.

In pœnitentiis imponendis adhibebit prudentiam, pietatem, & induſtriam, habebit rationem ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis: talem vero confitenti pœnitentiam imponet, qualem ab eo poſſe præſtari judicabit, & utrum poſſit, interrogabit.

Conſiderabit item animum pœnitentis, fletum, gemitum & lachrymas, intimi doloris indices. Videat, ne pro peccatis gravibus pœnitentias leviſſimas imponat, & e converſo.

Confeſſarius facultatem habens in votorum commutatione, ea non commutet, niſi in alia majora pietatis opera, vel Deo gratiora, vel ſaltem, quæ tantidem valeant: qua in re judicanda rationem habeat ſumptuum, laborum, moleſtiarum, & omnium incommodorum, quæ pœnitentes in perſolvendo voto paſſuri erant.

Noverint Parochi caſus Summo Pontifici, aut Nobis reſervatos, & ſi quempiam in eos incidiſſe perſpexerint, ne abſolvant, ſed eum ad Nos, vel Vicarium noſtrum Generalem remittant.

Nullus, cui animarum cura non incumbit, confeſſionem ullius (niſi in articulo mortis) excipere audeat.

Nullus item in ulla Sacramentorum adminiſtratione in alterius Parochi agrum falcem (proprio Parocho inconſulto) ſub gravi pœna imponat.

Nullus item Parochus audiendarum confeſſionum munus ſuis Cooperatoribus, Primiſſariis, aut Sacellanis, aut quibusvis Presbyteris imponat, niſi ii prius a Nobis, vel Vicariis noſtris fuerint ad id idonei reperti & approbati.

Ut autem una eademque in hoc Sacramento abſolvendi forma ab omnibus obſervetur, eam hic ſubjicere placuit.

Sedens & recto capite, poſteaquam dixerit Sacerdos: *Miſereatur tui Omnipotens Deus, & dimiſſis peccatis tuis perducat te ad vitam æternam, Amen*: extendat manum ſupra caput confitentis, & dicat: *Dominus noſter JEſus Chriſtus te abſolvat, & ego authoritate ipſius te abſolvo primum a ſententia excommunicationis, in quantum poſſum & indiges; deinde te abſolvo a peccatis tuis in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.*

Poſtea ſublata manu dicat: *Paſſio Domini noſtri JEſu Chriſti, & merita Beatæ Virginis & omnium Sanctorum, & quicquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſit tibi in remiſſionem peccatorum, augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ. Amen.*

De Sacramento Euchariſtiæ.

ELuceat pietas pariter, & induſtria Parochi in explananda hujusce Sanctiſſimi Euchariſtiæ Sacramenti dignitate, veritate, adoratione, fructu & effectu, ac populum devote & digne ejus ſumptionis modum edoceat, eumque, ut non ſolum ſemel in anno, quod præcepti eſt, ſed, quantum fieri poteſt, ſæpius, quod pietatis eſt, inducere ſtudeat.

Communicaturus ergo populus in loco debito genua flectat, ac Miniſter Altaris, vel ipſe Sacerdos loco populi Confeſſionem generalem dicat: *Confiteor Deo Omnipotenti* &c. Qua finita, Sacerdos ad populum converſus, eum Generali Abſolutione abſolvat, dicendo: *Miſereatur veſtri*, &c. *Indulgentiam & abſolutionem*, &c. ac omnes ſub una duntaxat ſpecie communicent, dicatque oſtendendo: *Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti*, &c. *Domine non ſum dignus*, & præbendo Communionem, dicat: *Corpus Domini noſtri JEſu Chriſti cuſtodiat animam tuam in vitam æternam, Amen.*

Cum

Cum Venerabilis Euchariſtia ad ægrotos defertur, honorifice ac pie id fiat fidelium proſequente comitatu, pro facultate regionis, lumine ac campanella præcedentibus, ac Sacerdote graviter incedente.

Hoc ſalutare viaticum in vaſculo argenteo abintus deaurato, decenti & nitido aſſervetur, coram quo lumen diu noctuque ardeat ſemper.

Singulis etiam ſex ſeptimanis, & quoties neceſſitas poſtulaverit, renovetur.

Vaſcula item Oleorum & Chrismatis ſint argentea, munda & decentia, quæ quidem Olea & Chrisma ſingulis annis tempore Paſchatis, ſecundum Decretum Fabiani Papæ, mutentur.

Adoleſcentes, qui primo Euchariſtiam ſumere deſideraverint, aliquot diebus ante modum & rationem recte confitendi, ac Sacram Euchariſtiam digne percipiendi doceant, eosque ſuper his examinent, & non niſi bene inſtructos admittant.

Reus capitis eo die, quo Euchariſtiam ſumpſit, ſupplicio non afficiatur, ob honorem tanti Sacramenti.

De Extrema Unctione.

EX paſtorali cura vobis incumbente ſtatim atque ſciveritis aliquam perſonam ex veſtris Parochianis ægrotare, cujuscunque conditionis illa ſit, eam viſitabitis rarius aut ſæpius, prout recta dictabit conſcientia. Ideoque frequenter e ſuggeſtu populum veſtrum admonebitis, ne ſuos ægrotos ſubticeant, verum in tempore vobis ſignificent, ut munus veſtrum erga eos explere poſſitis. Cum autem hujusce viſitationis finis potiſſimus ille ſit, ut animæ ægroti conſulat Parochus, eamque ad ſalutis portum dirigat, ante omnia cum ægroto agat de Sanctorum Sacramentorum perceptione, illumque in ea infirmitate piis colloquiis, præpoſitis exemplis, & aliis ſpiritualibus documentis juvare & ſolari, atque ad patientiam, firmam ſpem in Deum, atque ſui reſignationem inducere ſatagat, & morientium animas, ſecundum præſcriptum Breviarii, Deo commendare ſtudeat.

Non prætermittat etiam monere ægrotum, ut diſponat domui ſuæ, teſtamentum condat, pauperesque (ſi alicujus facultatis ſit) Eccleſias, Xenodochia, & pia loca commendata habeat.

Volumus autem, & in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ne quis ex vobis in iis, quæ munus veſtrum concernunt, aliquid ſub quovis prætextu, conſuetudine, via, modo, & colore, quod avaritiæ ſpeciem habeat, exerceat.

Cum intelligamus hoc Extremæ Unctionis Sacramentum in aliquibus locis in exiguo uſu eſſe, volumus & præcipimus, ut id omnino ad uſum revocetur: quod facile fiet, ſi populo ejus virtutem & efficaciam frequenter expoſueritis.

Miniſtratur hoc Sacramentum adultis periculoſe ægrotantibus, ſenio confectis, in diem morituris, peſte laborantibus, licet ita infirmi non videantur.

Non miniſtratur iis, qui non habent uſum rationis, neque peccata admittunt, nec furioſis & amentibus toto vitæ tempore, nec excommunicatis, interdictis, & impœnitentibus, neque mulieribus in partu laborantibus, nec ultimo ſupplicio afficiendis.

Cœcis, mutis, ſurdis, paralyticis, claudis, quamvis eo ſenſu caruerint, præbetur; peccare enim potuerunt per internas potentias, quibus ea membra reſpondent.

Durante eadem infirmitate ſemel tantum inunguntur. Si vero infirmus convaluerit, & iterum in eundem, vel alium morbum inciderit, rurſus ungi debet.

Æger, ſi dum Sacro Oleo ungitur, moritur, Parochus ungere deſiſtat: ſi vero ob vim morbi dubitetur, vivusne ſit, an mortuus, ea ungatur conditione: *Si es vivus, per iſtam Sanctam Unctionem* &c. &c.

Curet tamen Parochus, ut hoc Sacramentum ægroto, dum integris eſt ſenſibus, adminiſtretur.

Si infirmus Catholicus præ infirmitate id petere non poſſit, nihilominus, amicis & vicinis pro eo petentibus,

Sacra Unctio administranda erit, dummodo pie vixerit & pœnitentiæ signa in eo apparuerint.

Hujus, & cæterorum Sanctorum Sacramentorum administrandi rationem Sacerdotale edocet.

De Sacramento Ordinis.

CUm administratio Confirmationis & Ordinis solius Episcopi sit, de illis pauca dicere voluimus, ut cum ea Episcopus solenniter administrabit, Parochi sciant suscipientes recte instruere.

Ubi primo Parochus aliquem norit sponte ad Clericalem statum adspirantem, eundem instituat, ut paulatim in Clericalis vitæ officiis, & laboribus obeundis assuefiat, & ad pietatem, vitæ innocentiam cum literarum doctrina conjunctam edoceatur.

Impediuntur autem ab Ordinum susceptione, minores natu, non confirmati, ignari, criminosi, solenniter pœnitentes, neophyti, ebrietati & gulæ dediti, impudici, lapsi post susceptum Ordinem, perjuri, usurarii, manifesti, infames, servi, corpore vitiati insigniter deformes, illegitime nati, ignoti, bigami, irregulares, suspensi, interdicti, excommunicati, amentes, morbo caduco laborantes, energumeni, non examinati, & probati.

Subdiaconatum susceperturus admoneatur a Parocho, ut purior ad tantum onus accedat, priusquam eo Sacro Ordine initietur, exercitia spiritualia consilio & auxilio alicujus viri religiosi, cui ad nutum obtemperabit, subeat. Horas Canonicas orare sciat, alias ad gradum Subdiaconatus minime promovendus.

Ordinandus, ut de vitæ suæ disciplina, moribusque testatum fiat, ferat secum literas tam a Parocho, quam a Ludimagistro; Literas item legitimationis, ætatis, & tituli mensæ, seu patrimonii.

Ex præscripto Sacrosancti Concilii Tridentini nullus, nisi post annum a susceptione postremi gradus minorum Ordinum, ad Sacros Ordines promoveatur, nisi necessitas, aut Ecclesiæ utilitas judicio Episcopi aliud exposcat.

Ætatis annos, viginti duos, si Subdiaconatum: viginti tres, si Diaconatum: viginti quinque attigisse, si Sacerdotium quis susceperturus est, oportebit: qui omnes habita ratione, & officii & beneficii curati, seu non curati, examinandi erunt.

Omnes item in habitu Clericali accedent, alias repulsam passuri.

De Sacramento Matrimonii.

ADvertent non segniter Sacerdotes, ne in gradibus prohibitis, aut aliis impedimentis Matrimonia contrahantur.

In dubiis ad nuptias non progrediantur, nisi inquisitione diligenter facta, impedimentum nullum subesse.

Quamvis Matrimonia a filiis familias absque parentum consensu ea rata vel irrita facere non possint, dummodo libero contrahentium consensu facta sint; suadendum tamen iis omnino est, ne insciis parentibus ullo modo contrahant, sed eorum voluntati ac consiliis in re tam gravi subjaceant & pareant.

Vagantium, & eorum, qui certas sedes non habent, Matrimoniis Parochus ne interfit, nisi prius diligentem de personis conjungi volentibus inquisitionem fecerit, ac a Nobis desuper licentiam id faciendi obtinuerit.

Certum & firmum esse debet, propter absentiam quantumvis diuturnam non licere alterutri conjugi cum ullo alio Matrimonio conjungi, ac proinde, nisi de morte alterius conjugis moraliter certa constiterit, ad alia vota transire nullo modo poterit.

Contrahentes in doctrina Christiana sint instructi, alias Matrimonio non jungendi.

Postéaquam Parochus cognoverit Matrimonium denunciari posse, id fiat tribus Dominicis diebus, vel Festis, quæ ab Ecclesia feriantur, inter Missarum solennia: quæ denunciationes non fiant, nisi ex petitione contrahentium. Ultima autem denunciationis die, nisi ex nostra licentia, nuptiæ non celebrentur.

Si in diversis Parochiis contrahentes

tes habitant, utriusque item Parochus hoc obſervet.

Denunciationibus factis, ſi nullum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in faciem Eccleſiæ procedatur.

Sacerdos poſt brevem ſermonem de ſanctitate hujus Sacramenti primo ſponſum, deinde ſponſam vulgaribus verbis interrogabit: *N. vis accipere, & jam nunc accipis: N. hic præſentem in tuam legitimam uxorem, ſicut præcipit S. Mater Eccleſia?* ubi ſponſus clare reſpondebit: *Volo*, ut ita iisdem verbis interrogabit ſponſam.

Quibus conſentientibus Parochus dicat: *Quod Deus conjunxit, homo non ſeparet*, Et aperte dicat: *Ego authoritate S. Matris Eccleſiæ, qua fungor, conjungo vos in Matrimonium in nomine Patris † & Filii † & Spiritus Sancti † Amen.*

Cætera ut in Sacerdotali.

Habeat Parochus librum, in quo contrahentium & teſtium nomina, & cognomina, denique & locum contracti Matrimonii deſcribat, & diligenter aſſervet.

Qui falſum impedimentum malitioſe attulerit, ut Matrimonium impediat, præter alias juris pœnas, excommunicationis etiam pœna afficiatur.

Serio mandamus, ne ſponſus & ſponſa, antequam Matrimonium inter eos celebratum ſit, una cohabitent, ſecus ſi fecerint, gravis illis a Nobis pœnitentia injungenda erit.

Volumus item, ut ſponſus & ſponſa ante celebrationem Matrimonii confiteantur, & niſi prævia confeſſione, minime intronizentur. Ut etiam communicent, illis ſuadeat Parochus biduo vel triduo ante nuptiarum diem.

Contra ſimul cohabitantes ante ſolennizationem Matrimonii, ſuperiori anno edidimus mandatum, quod ut a Parochis ſæpius publicetur, & ſtricte obſervetur, præcipimus.

Si qui laici, quod Deus avertat, ſive ſoluti, ſive uxorati reperirentur, contra hujusmodi juxta præſcriptum Sacroſancti Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *C.* 8. procedendum ſtatuimus. Quare præcipimus, ut prædictum C. *de Reformatione Matrimonii*, in Eccleſiis Parochialibus inter Miſſarum ſolennia ſæpius publicetur.

Cauſæ matrimoniales ut ad forum Eccleſiaſticum pertinent, ita eas ad Nos, vel Vicarios noſtros (& nullo modo ad Judicem ſæcularem) deferri, & per eos decidi volumus.

Præcipimus itaque omnibus Laicis, ut intra limites jurisdictionis ipſis delatæ conſiſtentes, a rerum Eccleſiaſticarum tractatione ac diffinitione, ſe abſtineant, ne illis, quod Ozæ & Oziæ accidit, eveniat. Memoria etiam repetentes illud Sancti Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *Can.* 12. Si quis dixerit cauſas matrimoniales non ſpectare ad Judices Eccleſiaſticos, anathema ſit.

Ad Sponſalia, ſeu promiſſionem de futuro Matrimonio, ſi Parochus tanquam teſtis vocatus fuerit, quin pro conſuetudine regionis accedat, non prohibemus.

Nuptiæ juxta Decreta Concilii Tridentini a Dominica prima Adventus uſque in diem Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque in octavam Paſchatis incluſive, a Sancta Synodo prohibentur. In aliis vero temporibus nuptias ſolenniter celebrare permittit.

De bonis Sacerdotum defunctorum.

CUm aliqui homines, inter cætera, quæ ſibi contra libertatem Eccleſiaſticam uſurpant, etiam ad id temeritatis ſæpe veniunt, ut Clerici defuncti bona relicta invadant, de iis diſponant, & ad libitum ſacrilege ſubripiant. Nos huic malo prævenire & mederi volentes, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ vetamus omnibus tam ſpiritualibus, quam ſæcularibus perſonis, ne Clerici mortui, qui, dum viveret, Eccleſiaſticum beneficium obtinebat, bona ſua relicta quisquam temere invadat, auferat, vel dividat, ſed Vicariis, Decanis, ſeu Subſtitutis noſtris talem diſpoſitionem relinquant: qui viſa prius Clerici defuncti licentia teſtandi a Nobis obtenta, & teſtamento coram Nobis, ſeu Vicario noſtro erecto de illis bonis, etiam cum interventu brachii ſæcularis, ſi opus fuerit, bene & ſecundum

cundum piam teſtatoris mentem diſponant, & ut ſumptibus, in quantum fieri poterit, parcatur, ſerio mandamus.

Bona Fabricarum.

CUm Nobis certo conſtet, multis in locis bona fabricæ peſſime dilapidari, ad varios uſus, & comeſſationes, præſertim circa feſtum Purificationis Beatæ MARIÆ, tempore rogationum, & proceſſionum inutiliter conſumi: hujusmodi abuſus tollere volentes ſerio mandamus, ne bona, cenſus, proventus, oblationes piorum, aliaque ejus generis, quæ ad Eccleſiarum fabricas quavis ratione pertinent, ab earum Præfectis, ſeu Miniſtris ſecundum præſcriptum Sancti Concilii Tridentini, ad alios uſus, niſi Eccleſiæ neceſſarios & utiles, avertantur.

Volumus item, ut rationes fabricæ a Præfectis, ſeu Syndicis Eccleſiarum coram noſtro Vicario, ſeu Decano, vel ex noſtra licentia Parocho loci, etiam cum interventu Magiſtratus ſæcularis, ſi id neceſſitas poſtulaverit, annuatim dentur, qui de fideli adminiſtratione Nos quamprimum admoneant. Mandamus inſuper rationem hujusmodi petentibus & dantibus, ut parcant ſumptibus, ne per eos ſub hoc prætextu Eccleſiæ aggraventur.

Ad eleemoſynas, oblationes, & paratam pecuniam Eccleſiarum habeat Parochus loci unam clavim, quam nemini committat, ſed perſonaliter cum cæteris clavigeris archivum ingrediatur, illudque aperiat & claudat.

Nova Eccleſia ulterius non ædificetur inconſulto Ordinario, & licentia ab eo in ſcriptis data.

Ordo ſervandus circa funeralia.

PIetas illorum, qui defunctos rite ſepelire conſueverunt, Deo Creatori noſtro accepta ſemper fuit.

Invigilabunt tamen Parochi, ne ſub ſpecie pietatis ſuperſtitiones, abuſus & inutiles obſervationes a quovis homine, nec in obitu, nec poſt obitum defuncti introducantur.

Rationem ſervandam in deferendo defuncti corpore ad ſepulturam in diſpoſitionibus, vigiliis, ſeptimis, triceſimis, & anniverſariis habetis in Sacerdotali ſeu Exequiali, ad quod vos remittentes, volumus, ut omnia, quæ ibidem notantur, pie ac devote, tanquam Deo rationem daturi, expediatis.

Exactiones pro funeribus omnino prohibemus. Quare mandamus univerſo noſtro Clero, ne ab hæredibus defuncti, non obſtante quacunque conſuetudine Nobis, vel Vicario noſtro inconſultis ad libitum nihil exigant, ſed ſtent ordinationi per Nos declarandæ.

Volumus autem, ut Vicarii noſtri, Decani & Camerarii cujusvis Capituli ruralis habentes rationem & loci, & beneficiorum, & cum interventu Magiſtratus ſæcularis, ſi opus fuerit, certam eleemoſynam pro funeralibus dandam, & per Nos ratificandam ſtatuant, ne populus hujusmodi exactionibus gravetur, & Parochus ſuis viribus defraudetur.

In locis vero, ubi de conſuetudine pro funeralibus cera ſeu fixa eleemoſyna datur, eam interrumpere.

Tempore Peſtis quid obſervandum.

SI unquam Parochi, Sacerdotes & Magiſtratus ſæculares indigent forti, magno & paratiſſimo animo ad omnia miniſteria, charitatis officia exercenda, indigent præſertim peſtis tempore, ubi deficiente eorum fortitudine, conſtantia, ſolicitudine, & erga omnes diligente cura, in utriusque hominis ſuſtentatione ut omnia ruant, oportet.

Quare Parochis & univerſo Clero mandamus, ubi infirmitas illa graſſatur, ut publicas proceſſiones indicant, quas, ut pœnitentes decet, profuſis lachrymis, precum ſtudio, & interno pietatis affectu, celebrare, & ſæpe frequentare ſtudeant. Univerſum autem populum ad confeſſionem, Sanctam Communionem, & ſalutarem pœnitentiam admoneant.

Magiſtratum Parochi ſolicitabunt, ut publica peccata, quibus Deus offenditur, funditus evellere ſtudeat, pauperes & infirmos alat, & omni pietatis ſtudio eis ſubvenire curet.

Paro-

Parochus animabus ſibi in curam a Chriſto Domino traditis pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Sacramentis taliter ſubveniat, ne quis eorum omnibus iis non munitus, moriatur: eisque afflictis ac pene proſtratis conſolationes, remedia, ſubſidia, & alia dilectionis officia præſtet, eorumque inopiam Magiſtratui & ditioribus ſignificet.

Peſtis periculo DEI benignitate ſublato, populum excitabit ad orationem, obſecrationem, & gratiarum actionem: inter alia vero bonorum operum exercitia, ut omnes confiteantur, & certa die Sacram Communionem ſumant, & ne amplius peccent, ne quid gravius eis contingat, pie & frequenter admonebit.

Experientia didicimus, populum ob imminentem calamitatem, vel aliam cauſam emittere vota, eaque poſtmodum non obſervare. Quare Parochis mandamus, ut Nos conſulant pro voti formula rite concipienda. Si vero temporis anguſtia non patitur, peſtis præſertim tempore, votum ſententiæ & judicio Ordinarii relinquatur, ut illud Deo factum pie ſervetur.

Voti inſtrumentum Notarii manu confectum, Vicario vel Decano cuſtodiendum, a Parocho loci tradatur.

Placuit hiſce Conſtitutionibus addere Tabulam dierum, Feſtorum, & Vigiliarum, quæ ex præcepto S. Matris Eccleſiæ, & ex conſuetudine hujus almæ Eccleſiæ Curienſis feriantur & ſervantur.

Januarius.

Circumciſio Domini. Epiphania. Sancti Sebaſtiani in multis locis ex voto.

Februarius.

Purificatio Glorioſiſſimæ Virginis Mariæ. Sancti Matthiæ Apoſtoli.

Martius.

Annunciatio Beatiſſimæ Virginis Mariæ.

Aprilis.

Sancti Marci Evangeliſtæ, & Sancti Georgii Martyris ſimul.

Majus.

Sanctorum Jacobi & Philippi Apoſtolorum. Inventio Sanctæ Crucis.

Junius.

Nativitas Sancti Joannis Baptiſtæ. Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli.

Julius.

Sanctæ Mariæ Magdalenæ. Sancti Jacobi Apoſtoli.

Auguſtus.

Sancti Laurentii Martyris. Aſſumptio Beatæ Virginis Mariæ. Sancti Bartholomæi Apoſtoli.

September.

Nativitas Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Sancti Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ. S. Michaelis Archangeli.

October.

Sanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum.

November.

Omnium Sanctorum. S. Martini Epiſcopi. S. Florini Patroni. S. Catharinæ Virginis. S. Andreæ Apoſtoli.

December.

Sancti Lucii Regis, Confeſſoris, Apoſtoli Rhetiæ, & Sanctiſſimi Patroni noſtri. Conceptio Beatiſſimæ Virginis Mariæ. Sancti Thomæ Apoſtoli. Nativitas Domini. S. Stephani protomartyris. Sancti Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ. Ss. Innocentum.

Feſta mobilia.

Paſcha Reſurrectionis Domini, cum duobus diebus proxime ſequentibus.

Aſcenſio Domini noſtri JESU Chriſti.

Pentecoſtes, cum duobus diebus proxime ſequentibus.

Solennitas Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Omnes dies Dominici.

In unaquaque Parochia feriatur proprius Patronus.

Item Feſta ſolenni voto ferianda ſuſcepta.

De laudabili conſuetudine feria ſexta Paraſceves, & Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum

Digitized by Google

feriantur uſque poſt peractionem Divinorum Officiorum, ut Chriſti Fideles omnes eo commodius Divinis Officiis intereſſe poſſint.

In plerisque locis uſurparunt ſuperiores Laici, quod ſub excommunicationis pœna inhibemus, poteſtatem dandi licentiam opera ſervilia in diebus Feſtis exercendi. Hanc poteſtatem facimus Parochis, quibus ſerio mandamus, ne ſint faciles in danda hujusmodi licentia, niſi neceſſitate, aut publica utilitate id exigente, quam etiam non dabunt, niſi a prandio, & & peractis in Eccleſia omnibus Divinis Officiis.

Tabula Vigiliarum, ſeu Jejuniorum, quæ ex præcepto S. Matris Eccleſiæ ſervantur, & etiam de conſuetudine Eccleſiæ Curienſis.

VIgilia Nativitatis Domini: Pentecoſtes: Aſſumptionis Beatiſſimæ Virginis Mariæ: Omnium Apoſtolorum, præter Ss. Joannis Evangeliſtæ, Philippi & Jacobi: Vigilia Omnium Sanctorum: Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ: S. Laurentii: Jejunium ſingulis diebus Quadrageſimæ, exceptis Dominicis.

De Quadrageſimæ additio.

Jejunium quadrageſimale eſt inſtitutum ad Chriſtum imitandum, & ad hoc, quod fideles diſponantur ad Redemptionis noſtræ myſteria devote recolenda, & ad reprimendas concupiſcentias, ad ſerenitatem, & elevationem animi, nec non ad placandum Deum & reatum pœnæ delendum. Ad quod tria requiruntur. 1.) Unica comeſtio. 2.) Abſtinentia carnium, ovorum, & lacticiniorum. Butyrum vero & lacticinia in locis, quibus conſuetudo propter defectum olei eſt introducta, non inhibemus. 3.) Competens hora, quæ in toto Epiſcopatu noſtro eſt in meridie in undecima hora.

Jejunia item quatuor Temporum, & jejunia ſolenni voto ſuſcepta.

Quatuor Tempora celebrantur IV. & VI. feria, atque Sabbato poſt tertiam Dominicam Adventus: poſt primam Dominicam Quadrageſimæ: poſt Pentecoſten: poſt feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis.

Sequentes Vigiliæ non ſunt de præcepto, quæ tamen pie poſſunt obſervari.

Vigilia Epiphaniæ, Aſcenſionis, Corporis Chriſti, Nativitatis Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Sancti Martini, Sanctorum Lucii & Florini Patronorum.

In diebus jejuniorum a Quadrageſima poſſunt jejunantes & non jejunantes uti ovis & lacticiniis, in Quadrageſima autem non, ut dictum eſt.

Omnes ſub pœna peccati mortalis obligantur ad jejunium de præcepto, a quo tamen nonnulli excuſantur. 1.) Infirmi & debiles. 2.) Oſtiatim mendicantes, niſi ſufficienter inveniant ad ſuſtentationem naturæ, & alias robuſti ſint. 3.) Prægnantes & lactantes. 4.) Pueri uſque ad 21. annum: ſi tamen proclives ſint ad luxuriam, tenentur jejunare & præcepto juris naturæ & Divini ad domandam carnem. 5.) Senes, aliquibus videtur ab anno 70. tutius tamen ſtandum erit judicio conſcientiæ: quidam enim in 50. anno ſunt debiliores, quam alii in 80. 6.) Laborantes ſeu operarii labores graves perficientes. 7.) Itinerantes. 8.) Omnes, qui propter jejunium impediuntur a majori bono, ut Cantores, Prædicatores, & natura debiles, Doctores in Scholis.

Singulis feriis ſextis & Sabbatis (niſi feſtum Natalis Domini inciderit in eis) ab eſu carnium abſtinendum erit, per totum annum.

Cum Eccleſia ſit Mater & non noverca, facimus facultatem omnibus Parochis per totam Diœceſim noſtram, dandi licentiam infirmis, debilibusque perſonis, veſcendi cibis prohibitis, ubi judicium periti & jurati Medici acceſſerit.

Admoneant Parochi ſubditos, ut omni tempore, præſertim autem Quadrageſimæ, ſe in veſtitu, cibo, potu, eleemoſynæ elargitione, cæterisque Chriſtianis exercitiis vere pœnitentes oſtendant, ſingulis diebus Sacrificio Miſſæ interſint, frequenter confiteantur, orationi, & meditationi vacent, a con-

by Google

conviviis, ſpectaculis, & mundanis vanitatibus, & ab omni peccandi occaſione, taliter abſtineant, quatenus actus eorum ▪ pœnitentiæ regulis nunquam diſcrepent.

Quæ hiſce noſtris Conſtitutionibus & Decretis comprehenſa non ſunt, juri communi ſubjacere declaramus, ad quod vos remittimus.

Interpretationem vero eorundem, ſi quæ in his difficultas orta erit, prout etiam moderationem, & diſpenſationem, ſi aliquando neceſſitas id poſtulaverit, Nobis reſervamus, ſalvo ſemper Sanctæ Sedis judicio, & authoritate.

Ut autem hæc noſtra Decreta eam, quam optamus, habeant executionem, vobis Vicariis, Decanis, & Officialibus noſtris, tanquam eorundem a Nobis deputatis Executoribus ſerio mandamus, ut ea annuatim in veſtro Capitulo perlegi, ac ſtricte obſervari faciatis: eorum enim transgreſſores noſtram indignationem, ac ſeveram animadverſionem nequaquam effugient.

Ex Lunig Contin. II. Spicil. Eccleſ. P. I. pag. 441.

JOANNES, (hujus nominis V.) Flugiorum ab Aſpermont de Familia, electus MDCI. Cal. Febr. Sedis Curienſis Epiſcopus, qualis, quantusque fuerit, paucis oſtendit *Bucelinus* Germaniæ Sacræ Part. I. pag. 4, ubi meritiſſimi Illum religioſiſſimique appellatione Pontificis exornatum, fatis conceſſiſſe ſcribit 30. Aug. MDCXXVII.

De hoc porro Epiſcopatu & ipſa Rhetorum Metropoli Curia videri poſſunt *Stumpf* Hiſt. German. Helv. L. XIX. *Bucel.* cit. *Diction. univerſ.* Gall. & Lat. vulgo *Dictionar. Trevolt.* Tom. II. *Adrian. Daude* S. J. Majeſtas Hierarchiæ Eccleſ. pag. 305.

SYNODUS DIOECESANA CULMENSIS

Eodem Anno Chriſti MDCV.

SUB LAURENTIO GEMBICKI, CULMENSI ET POMESANIÆ EPISCOPO.

LITERÆ INDICTIONIS SYNODI.

LAURENTIUS GEMBICKI, DEI GRATIA EPISCOPUS CULMENSIS ET Pomeſanienſis, univerſis & ſingulis Prælatis, Canonicis, Præpoſitis, Archi-Presbyteris, Presbyteris, Parochis, Commendariis, Vicariis, Altariſtis, cæterisque, qui de jure vel conſuetudine, noſtræ Diœceſanæ Synodo intereſſe debent vel tenentur, per utramque Diœceſim noſtram, tam Culmenſem, quam Pomeſanienſem Nobis in Chriſto Dilectis Salutem in Domino.

CUm in curam, gubernationemque noſtram, Divina ita diſponente providentia, Eccleſiæ Culmenſis & Pomeſanienſis, a Chriſti Domini in terris Vicario collatæ eſſent: omni ſtudio in id incumbendum eſſe putavimus; ut eas virtute Cleri florentes, tanquam Sponſam immaculatam, ſine ruga, priſtinaque dignitate, ac Sanctæ Religionis integritate, Chriſtianisque officiis conſpicuas, adjuvante Domino, redderemus. Itaque quadriennio iſto, quo illis non noſtris meritis, ſed dignatione Divina præſumus, non prætermiſimus iis, qui Duces dati ſunt, vitæque Magiſtri populo Nobis commiſſo, inculcare eorum officia, eosque ad vitæ morumque innocentiam, ac ſanctæ doctrinæ propagandæ ſtudium hortari: cum intelligeremus a Sacerdotum vita & moribus, ſive vitia, ſive virtutes Chriſtianas in plebem, quæ ab eorum ore pendet, eorumque facta intuetur, dimanare. Attamen per difficultatem ſuperiorum temporum, maxime autem peſtilentiam, ſingulis pene annis graſſantem, id quod unum vel maxime opportunum a Sanctis Patribus, Matreque ipſa Eccleſia, Spiritu Sancto auctore, ad reformationem morum, ad fidei propagationem atque pietatis, ad res Eccleſiarum

Digitized by Google

cleſiarum ſtabiliendas eſt inſtitutum, generalem Cleri hujus utriusque Conventum habere minime potuimus: jam autem, Deo bene juvante, indicimus, & inſtituimus ad diem XXI. Junii Culmſæ, quem locum & tempus, communi Venerabilis Capituli, & Archi-Preſbyterorum noſtrorum conſilio adhibito delegimus. In qua quidem Synodo ea, quæ partim quorundam Sacerdotum negligentia, partim hominum aut temporum iniquitate, ſive perturbata & confuſa ſunt, ſive ab Eccleſiis noſtris alienata, collatis in commune ſententiis componi, & reſtitui curabimus, & quæ ſalubriter a noſtris Prædeceſſoribus ſtatuta in deſuetudinem, aut oblivionem abiiſſe videntur, in uſum revocabimus, Deo bene juvante, & vobis ſuadentibus.

Quapropter vobis omnibus & ſingulis ſupradictis, in virtute ſanctæ obedientiæ mandamus, ut ad hanc futuram Synodum Culmſam, tempore præſtituto mature veniatis, Sanctas Conſtitutiones inde, quibus unusquisque ad officium ſuum recte obeundum, ac ad reformationem morum, extirpationemque vitiorum, Sanctiſſimæque Religionis doctrinam, ad animarum ſalutem utiliter proponendam, & prava dogmata convellenda inſtruatur, accepturi. Ut autem noſtri conatus, noſtraque conſilia feliciter ad DEI gloriam, ſtabiliendumque ſtatum Eccleſiarum, proſpere eveniant, ad illum ipſum, a quo omne donum perfectum, & omne datum optimum, Patrem luminum, confugiendum nobis eſt, ejusque imploranda per ſupplices preces, cæleſtis gratiæ auxilia. Idcirco in celebrioribus Civitatibus utpote Culmſæ, Torunii, Culmæ, Lubaviæ, Mariæburgi, ac aliis item oppidis, ubi ob frequentiam Cleri id commode peragi poteſt, quadraginta horarum orationes inſtitui ante Synodum commodis temporibus cupimus, in quibus toto corde ad DEUM Optimum Maximum converſi, ſummam ac infinitam ejus Bonitatem ſuppliciter rogabitis, ut reſpiciat nos indignos ſervulos ſuos, quos in opus miniſterii ſui vocavit, irrigationique noſtræ, quam, officio exigente, commiſſæ nobis vineæ adhibemus, ipſe benignus & miſericors præſtet incrementa; ac Pontificatum recens electi Pontificis Maximi fortunet; Chriſtianos populos ab inmanitate barbarorum tueatur; Principibus donet concordiæ ſpiritum; Regnum hoc magnis undequaque periculis circumvallatum, tutum inviolatumque conſervet. Cæterum hunc noſtrum proceſſum juxta morem antiquitus receptum, volumus, ut alter alteri vicinori Parocho transmittat; ultimus vero eundem ad Cancellariam noſtram, vel ad Synodum, Culmſæ proxime celebrandam, deferat. Volumus item, & authoritate noſtra ordinaria decerninus & mandamus, ut præſentes ejus proceſſus noſtri literæ ad valvas Eccleſiæ Cathedralis noſtræ publice affigantur, quo omnibus prædictis iſtic accedentibus, indictio noſtræ Synodi patere poſſit, ne videlicet quisquam illorum ignorantiam de præmiſſis quoquomodo prætendere, aut ſe contra præmiſſa excuſare valeat. In quorum omnium fidem præſentibus, manu Notarii noſtri ſubſcriptis, ſigillum noſtrum apprimi juſſimus.

Datum in arce noſtra Lubavienſi, die XIV. Maji Anno Domini MDCV.

Die itaque XXI. Junii, quæ fuit feria tertia poſt octavas Corporis Chriſti, Synodus feliciter inchoata fuit. Ubi celebrata Miſſa per Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum, Pontificio habitu, rituque ſolenni, imploratoque auxilio Spiritus Sancti, habita fuit ad Clerum Concio, a R. P. MARTINO LASCIO, Societatis JESU Presbytero. Qua peracta, progreſſum fuit ad Supplicationes & Litanias, ac alia in Pontificali Romano in Synodo ſervari præſcripta. Tum ipſe Reverendiſſimus ad Clerum in hæc verba ſermonem ſuum exorſus.

SERMO REVERENDISSIMI DOMINI EPISCOPI.

MAgnum & difficile munus, Fratres in Domino Chariſſimi, mihi infirmo, peccatisque cooperto impoſitum eſt, voluntate providentiaque Divina. Poſuit enim me Spiritus Sanctus Epiſcopum & Paſtorem regere Eccleſiam, quam acquiſivit Redemptor noſter Sanguine ſuo. In quo munere attendere me oportet, non modo mihi ipſi, ſed & univerſo gregi, qui hiſce binis Diœceſibus continetur, atque adeo vobis etiam, qui Rectores ejus eſtis & Magiſtri. Quodſi propriam animam cuſtodire operoſum eſt: quantum & quale eſſe putatis cuſtodire veſtras, cuſtodire totius populi, ac non modo propria, verum etiam aliena peccata portare? Grave profecto id onus, Angelicis etiam humeris, ut pius Doctor cenſuit, formidandum. Ingemiſco igitur ſub tanto pondere, exhorreſco ad illas Domini per Prophetam voces: *Speculatorem in Iſrael poſui te, & ſanguinem ipſius de manu tua requiram.* Vigilandum igitur mihi eſt, exploranda diligenter omnia, Fratres; providendum, ut

vos,

vos, per quos populum mihi commiſſum condire debeo ſale fidei, puræque doctrinæ & juſtitiæ Chriſtianæ, ne putrefiatis & ſcateatis ſordibus vitiorum: nam a veſtra pietate & virtute ſalus eorum, quibus præeſtis, dependet. Quapropter ut primum in hanc meam Diœceſim veni, non ceſſavi vos in charitate & manſuetudine officii admonere, adii ipſe Eccleſias plerasque, omnes quotannis per Archi-Presbyteros luſtravi. Cognovi autem eſſe in hoc cœtu veſtro Viros eruditione probitateque inſignes, qui pie ac ſolicite in miniſterio ſuo, animarumque cura verſantur. Sed & hoc quoque diſſimulare minime poſſum, quod angit & cruciat, eſſe aliquos ignaros officii, immemores dignitatis, torpentes otio, luxu diffluentes, ventri gulæque deditos; ſua lucra, non animarum ſalutem procurantes; ut minime mirum ſit, talibus Paſtoribus aberrare oves a via Domini recta, dari in devorationem lupis, langueſcentes hæreſes iterum reviviſcere, vectigalia, decimas, & reditus Eccleſiarum parcius jam a fidelibus præſtari. Hæc ego cum partim ipſe animadvertiſſem, partim a Viſitatoribus accepiſſem, jam pridem de cogenda Synodo cogitavi. Quod unum remedium, tum ad integritatem ſanctæ doctrinæ Catholicæ retinendam, tum ad diſciplinam Eccleſiaſticam ſanciendam, tum ad inſtauranda Chriſtiana officia, pietatemque in populo excitandam, Spiritu Sancto auctore, eſt jam inde ab Apoſtolicis temporibus ſalutariter inſtitutum. Sed variæ præteritorum temporum difficultates, maxime autem peſtilentia, late annis hiſce quatuor per has regiones diffuſa, conſilium voluntatemque meam remoratæ fuerunt. Nunc gratias ago Domino DEO JESU CHRISTO, qui nos huc incolumes congregavit, & vos laudo, qui prompte mihi evocanti paruiſtis. Et precor te, Supreme Paſtor & Magiſter noſter, qui promiſiſti, ſi duo vel tres in tuo nomine congregati fuerunt, in medio eorum te futurum, ut nobis indignis ſervulis clemens & benignus adeſſe digneris, noſtraque conſilia Divino Spiritu ad laudem & gloriam tuam, noſtramque & eorum, quorum curam gerimus, ſalutem dirigas & modereris. Vos autem, Fratres Chariſſimi, adeſte animis, & ſupplicibus votis Divinam opem implorate, ut & videatis, quæ recta, illique placita ſunt, & ad ea peragenda robur & gratiam divinitus, Chriſtianæ Reipublicæ tranquillitatem, Regno huic ſalutem & pacem, Eccleſiæ Sanctæ Summum Paſtorem ſecundum cor Domini, in hac iniquitate temporum, tantisque tempeſtatibus impetretis.

Tria autem nobis in hac noſtra Synodo tractanda exiſtimo. Primo ea, quæ ad curam de vobis ipſis referuntur. Secundo de cura gregis, cui præeſtis. Tertio de Eccleſiarum ſtatu, rebusque temporariis ad eas pertinentibus. Ac principio quidem de noſtra cura, authore Apoſtolo. Quid enim prodeſt, ſi univerſum mundum lucremur, animarum autem noſtrarum detrimentum patiamur? Et quæ ſpes de felici ſucceſſu curæ gregis, ſi non illi ad virtutem & honeſtatem noſtris exemplis præibimus? Neceſſe ſane eſt, ut cujus vita deſpicitur, ejusdem prædicatio contemnatur. Porro ita ex ſententia Sanctorum Patrum ego quoque ſtatuo, ipſam dignitatem Sacerdotalem, ſi eam cognoſcamus & diligenter expendamus, ad noſtræ ſaluris curam, nobis ſummo incitamento eſſe futuram. Angelum Domini exercituum Sacerdotem Malachias appellat, cujus labia cuſtodiunt ſcientiam, & de cujus ore legem populi requirunt, Angelum igitur purum & immaculatum ab omni peccati contagione eſſe par eſt, nuntium Altiſſimi, præditum ipſius gratia, non inimico ipſius Satanæ, aut corpori, mundove ſervientem. Ne, dum legatione ad Deum fungitur pro populo, quod ipſius munus eſt, proque peccatis ipſius deprecatur, repulſam ferat, tanquam ingratus & hoſtis, & ſibi quoque graviorem iram in die iræ Omnipotentis theſauriſet. Addo, eam dignitatem eſſe Sacerdotum, ut eam Angeli ipſi ſuperiorem eſſe ſua cenſeant, nempe, qui eam, quæ illis data eſt in terris, poreſtatem non habeant, ipſe quoque Dominus eo honore proſequatur, ut eorum contemptum ſuum ducat, ſeque ſperni dicat ab iis, qui eos ſpernant. Tu igitur, o Sacerdos, quem Angeli, quem ipſe Deus Angelorum honorat, honorem tuum proſtitues? Tu Sacerdotalem dignitatem in crimen vertes? Tu impura flagitioſaque vita contaminabis? Non fic, obſecro, non fic; audi potius Doctorem gentium, & ſequere: *Quamdiu ſum*, inquit ille, *gentium Apoſtolus, honorificabo miniſterium meum.* Tu quoque ita te compone, ut idem dicas animo conſtanti; quamdiu ſum Prælatus, quamdiu Canonicus, quamdiu Parochus, quamdiu Sacerdos, honorificabo miniſterium meum, id eſt, nunquam prætermittam; non me ab exercendo vis aut metus, non voluptatum illecebræ, non cupiditas, aut ſtudium immoderatum rerum mundanarum, avocabunt. Hæc utinam fidenter dicere poſſimus, o Sacerdotes. Puritatem quidem tantam a nobis requirit D. Bernardus, ut nugas appellet in ore noſtro blaſphemias. Quid vero ebrietates, jurgia, multaque fœda, quæ commemorare etiam turpe & indecorum? Talem profecto oportet eſſe Sacerdotem, ut ad ſolum ipſius memoriam, fideles ad pietatem inflammentur, ut

in benedictione sit perpetua, & nomen ejus celebretur a generatione in generationem, ut inquit idem Apostolus: *Mementote Præpositorum vestrorum, qui verbum Domini vobis locuti sunt, & quorum exitum intuemini, imitamini fidem.* Atque hæc, ne plura commemorem ad vestræ salutis curam diligentem excitare posse vos videntur, nisi prorsus obtorpuistis. Jam ad ea, quæ ad curam pertinent gregis, quem pascendum accepistis.

Grex fidelium, Ecclesia Salvatoris est, Sponsa ipsius dilecta, pro qua ille non septem, ut Jacob olim Patriarcha, aut XIV. annis, sed XXXIII. summos labores in medio terræ Dominus Dominantium servilem formam indutus summa patientia & humilitate pertulit, quam denique sanguine suo mercatus est, quam a sempiterna morte, sua morte, ad sempiternam vitam revocavit, quam corpore, sanguineque pretiosissimo, per ministerium vestrum, quos dispensatores Sacramentorum suorum delegit, pascit & nutrit. Hanc discedens vestræ fidei commendavit o Sacerdotes! vobis dixit: *Curam illius habe*; vobis talenta ad eam curandam, nutriendamque reliquit, vobis promisit se cumulate redditurum, si quid supererogaveritis. Deseretis igitur Sponsam Domini vestri? Non operam dabitis, ut castam & immaculatam ab omni labe teterrimorum peccatorum, pestiferarumque opinionum exhibeatis Christo, cum ad rationes a nobis omnibus exposcendas tremendus Judex apparebit? Absit hoc a vobis, Fratres Charissimi, coronam potius & præmia sempiterna sectemini, quam tenebras illas & supplicia, in quas conjectus est servus, qui talentum Domini defodit. Et is quidem ob solam inertiam addictus est æternis pœnis. Quid illis putamus futurum, qui patrimonio Ecclesiæ ad luxum libidinesque suas abutuntur? Fovete, obsecro Charissimi! per viscera misericordiæ Dei nostri sponsam hanc Domini salutaribus Sacramentis: nutrite cibo doctrinæ cœlestis, exornate virtutum omnium monilibus, per exempla vestræ conversationis. Neque enim ulla ad docendum efficacior est via. Hoc facitis aliqui, Fratres, adjuvante Domino; sed sunt aliqui pigri, sunt flagitiis dediti, sunt, quod nollem, qui Sponsæ huic, ordinique vestro sunt dedecori, qui Sacerdotalem stolam imbuunt scelere, & dignitatem vertunt in deformitatem. Recensendi igitur estis; laudandi boni, puniendi mali. Quapropter initium harum Synodalium actionum, a cognitione, & examine visitationum peractarum sumendum existimavi, ita quidem, ut prolixis relationibus tempus extrahi nolim, sed Archipresbyteri notatos brevioribus scriptis excessus, quos corrigi authoritate nostra judicaverint oportere, nobis offerant. Adjungant etiam de injuriis, si quas Sacerdotes nostri, aut Ecclesiæ ipsorum, a quopiam patiantur. Dabitur etiam locus querelis, si quas Sacerdotes ipsi, vel contra Officiales meos, aut etiam me ipsum, qui homo sum infirmitate circumdatus, habebunt. Neque cuiquam fraudi erit, libera voce expositisse, in quo se læsum existimabit. Vos igitur, Archi-Presbyteri! moneo, ut nihil occultetis: dissimulare enim peccata, quæ arguere debeas, est illis consentire, quod scelus esse non ignoratis. Expedit autem Christi Ecclesiæ, quæ sancta & immaculata est, ne scelera maneant impunita. Væ igitur vobis, si tacueritis. Porro etsi & ex Divinis Literis, & ex Sacris Sanctionibus, atque adeo ex Constitutionibus Synodalibus, ab Antecessore nostro, felicis recordationis Reverendissimo Petro Kostka Episcopo olim editis, supperunt præcepta vitæ instituendæ, officiorumque peragendorum: visum tamen est mihi partim in ordinem ea sub certis titulis redigere, partim addere nonnulla ex Sacris Canonibus, quæ accommodata visa sunt stabiliendæ Ecclesiasticæ disciplinæ, quæ quidem omnia crastina die peragentur, ut vestro quoque judicio, qui in Lege Divina, Canonibusque versati estis, examinentur.

Proponentur jam etiam vobis puncta nonnulla ad res Ecclesiarum, aut firmandas aut vindicandas spectantia, de quibus per noctem hanc deliberabitis, & nobis deinde per Archi-Presbyteros vestros explicabitis, quid sentiatis.

Quoniam autem non habitat in corpore subdito peccati Spiritus sapientiæ, & consilii, expiate conscientias vestras, parate puras mentes Domino, ut crastina die intra vestra viscera Dominum salutis vestræ authorem, de manibus meis recipiatis, illique concorporei, ut Apostolus ait, effecti, in ipsius amorem inflammemini, & Spiritus Sancti & cœlestis gratiæ lumen accipiatis. Porro ita demum recte ac salubriter consilia vestra procedent, si quod jubet Divus Paulus, mutuam charitatem habebitis, unanimes idipsum sentientes, nihil per contentionem, aut inanem gloriam, sed in humilitate, Superiores sibi invicem arbitrantes, non, quæ vestra sunt, quærentes, sed quæ aliena; supportantes alter alterum in charitate, soliciti servare unionem fidei vinculo pacis. Ego quidem libentissime omnia impendam, & superimpendar ipse pro animabus vestris, licet forte, ut ait idem Apostolus, plus vos diligens minus ipse diligar. Vos quidem estis spes mea & gaudium meum, si Sacerdotalem dignitatem non modo bene docendo, sed & bene vivendo, integram inviolatamque conservabitis, sique in eam curam sedulo incumbetis, ut plebem vobis commissam reddatis Domino populum

lum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum, ſcientiamque ſalutis illi præſtetis. Quod Dominus vobis ipſe concedat, qui eſt DEUS in ſæcula benedictus.

SEQUUNTUR

CONSTITUTIONES
IN SYNODO COMMUNI OMNIUM SENTENTIA COMPROBATÆ.

De Fidei Profeſſione.

QUoniam Fides fundamentum eſt humanæ ſalutis, recte ab ejus Profeſſione, juxta præſcriptum Sacrorum Canonum, omnia Sacerdotalia munia, functionesque curam animarum ſuſtinentium & diſpenſantium Divina Myſteria, debent inchoari. Quocirca tametſi bene omnes utriusque Diœceſis noſtræ Sacerdotes, præſertim curam animarum obtinentes, eam eſſe jam profeſſos, exiſtimemus: attamen ab omnibus jam hic congregatis iterandam etiam & voce unanimi declarandam, & pium & conſentaneum eſſe indicamus. Inpoſterum autem nullus ad Sacerdotium ſive curatum, ſive ſine cura admittatur, niſi prius in manibus noſtris, Succeſſorumque noſtrorum, vel Vicarii in Spiritualibus ſive Officialis, eam præſtiterit, ac ad obedientiam Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, ejusque Pontificis & Ordinarii ſeſe obſtrinxerit.

Hoc ipſum de Vicariis Eccleſiæ Cathedralis, aliisque omnibus Sacerdotibus & Miniſtris Eccleſiarum, ac etiam Scholarum Rectoribus ſtatutum eſſe volumus, ut nimirum omnes a Profeſſione Sanctæ Fidei Catholicæ ſua munia auſpicentur.

De Canonicis Eccleſiæ Cathedralis.

QUoniam autem Eccleſia Cathedralis caput eſt aliarum, & Canonici noſtri, ordine dignitateque primi cooperarii in hac Domini Sabaoth vinea, æquum & conveniens eſt, ut omnium etiam virtutum ſplendore cæteris præluceant, & quam fidem, dum in Eccleſiam cooptantur, juxta Statuta ſua, Canonesque Sacros, profiteri ſolent, eam etiam factis exprimant, integritate vitæ, pietatis ſtudiis, zelo Divinæ gloriæ propagandæ, diligentia defendendi patrimonii Eccleſiarum, alios inferioris Ordinis Eccleſiaſticos viros ad idem ſtudium excitent.

Ideo curent, ut non modo nomine, ſed reipſa ſint Canonici, id eſt, regula & canon vitæ aliorum, ſecundum Sacros Canones, mores & vitam ſuam inſtituant, ac Conſtitutiones ex Sanctorum Patrum doctrina, ac Summorum Pontificum Decretis in Sacra Synodo ſancitas, quæ ad ipſos pertinebunt, parterque Statuta Capitularia ab Ordinariis approbata ſancte obſervent.

Cum autem munus ſit Canonicorum, Epiſcopis ſuis in arduis & gravibus Eccleſiæ negotiis conſilium præbere; monemus illos in Domino, ne bonas horas inaniter & ſine fructu abire patiantur, ſed eas in Sacræ Scripturæ, ac Sacrorum Canonum, jurisque communis lectione collocent, ut eum ſcientiæ theſaurum ſibi comparent, ex quo ad omnia, quæ occurrunt, negotia, expedita conſilia depromant. Non enim ſibi perſuadeant eo quod præſtent dignitate cæteris Sacerdotibus, otioſis illis eſſe licere, ſed potius ſecum reputent, ſe in editiore quodam loco eſſe, ex quo & lucere totius virtutis forma, & univerſæ Eccleſiæ prudentia authoritateque prodeſſe poſſint.

Statuta ſua, tum omnia, tum præcipue ea, quæ de reſidentia ex Concilii Tridentini Decretis pie utiliterque ſancita ſunt, nequaquam labefactari permittant, curentque, ut in tam exiguo eorum numero, omnes apud Eccleſiam præſentes permaneant, quo Divinus cultus & officia omnia Eccleſiaſtica ſine intermiſſione majori cum dignitate obeantur, utque poſſeſſiones Eccleſiæ, hac injuria temporum & hominum rectius adminiſtrari, fortiusque defendi poſſint. Quodſi aliquando aliquem

neceſſaria aut publica aut privata negotia ab Eccleſia avocabunt, volumus, ne ultra ſpatium trium menſium, juxta diſpoſitionem Statutorum Capitularium, quolibet anno ab Eccleſia abſint, alias cum diutius abeſſe voluerint, id illis nequaquam licebit, niſi prius a Nobis, noſtrisque Succeſſoribus licentiam obtinuerint, ſub pœnis per Concilium Tridentinum de ea re ſtatutis. Itaque qui jam abſunt, peracta Synodo admonendi erunt, ut & Statutis & præſenti Conſtitutioni obtemperent, ſi pœnas ab eadem ſancitas, atque etiam Capitularibus Statutis jam pridem decretas, velint evitare.

Bona Eccleſiæ ſuæ, tam ea, quæ in communi poſſident, quam quæ ſpecialiter a ſingulis Canonicis loco præſtimoniorum tenentur, certis temporibus, per Statuta Capitularia deſignatis revideant, aut etiam, ſi fieri poſſit, frequentius: quibus ſi damnum aliquod per aliquem Canonicum illatum fuerit compertum, contra eum Capitularia Statuta ſine ullo reſpectu extendantur.

Fundationes veteres in Eccleſia Cathedrali, ne prorſus obſoleſcant, aut intereant, diligenter provideant Canonici, caveantque, ne quid in eo genere contra Decretum Concilii Tridentini in *Seſſione XXII.* quod incipit: *Si quem Clericorum* &c. ab ipſis peccetur.

Capitularem conventum bis ad minimum in menſe, ſi ſingulis ſeptimanis commode non poterunt, habeant, in quo de negotiis Capituli & Eccleſiæ quam diligentiſſime agant, juxta præſcripta Statutorum ſuorum: jura omnia & privilegia Eccleſiæ Cathedralis primo quoque tempore revideant, & cognoſcant; indicem eorum conficiant: actiones Capitulares, & deliberationes, in monumenta librumque per Notarium fidelem referant, ut habeant eorum poſteri, unde depromant conſilia, ac rerum gerendarum exempla.

Ad extremum aliud quoque Capitulum, præter ſuperius jam dictum ſemel quolibet trimeſtri Canonicus ſenior convocabit. Qualibet feria quarta incidentium quatuor temporum poſt Miſſam matutinam, cui omnes Canonici, ac reliquus item Cathedralis Eccleſiæ Clerus cum aliis Miniſtris intereſſe omnino tenebuntur, idque pro exequutione noſtrarum Conſtitutionum Synodalium, & conſervatione diſciplinæ Eccleſiaſticæ: in quo quidem Capitulo ſpiritualia tantum tractabuntur; an videlicet Decreta Conſtitutionum Synodalium circa Divina Officia exequutioni demandentur: an omnes tum Sacerdotes, tum Clerici, tum Miniſtri alii Eccleſiæ adſtricti, rite & ordine ſua munia, ac ea, qua debent, diligentia exerceant. Si autem quempiam ſive per negligentiam, ſive aliam culpam aliquid deliquiſſe fuerit compertum, ſi is Vicarius ſit, aut inferior aliquis Eccleſiæ Miniſter per Officialem noſtrum, cui animadverſionis poteſtas a Nobis delegatur, juxta Canonum aut Statutorum ipſorum præſcriptum, vel rei exigentiam, puniatur: ſin vero Canonicus fuerit, & præter Diœceſanas Conſtitutiones Capituli quoque Statuta adimplere neglexerit, ad Nos quoque primo tempore deferatur. Quodſi forte aliqui reperti fuerint, qui hæc a Nobis pro conſervanda in Eccleſia circa Divina Officia diligentia, decreta, in uſum deducere noluerint, illi omnes tanquam Canonicarum Sanctionum, diſciplinæque Eccleſiaſticæ violatores, Dei Omnipotentis indignationem, & noſtram ſeveram animadverſionem, ſentient.

De Vicario in Spiritualibus, ſeu Officiali Generali.

VIcarius noſter in Spiritualibus, ſeu Officialis Generalis, qui loco noſtro jus dicit, hoc maxime curabit, ut cauſas ad judicium noſtrum ſpirituale ſpectantes audiat, & decidat, conſilio & deliberatione matura adhibita, erroresque & exceſſus, ſi qui ad eum, ejusque judicium delati fuerint, juxta juris præſcriptum puniat, etiam, ſi opus fuerit, carceris pœna, ut diſciplina Eccleſiaſtica a Sacerdotibus noſtris, ac aliis Eccleſiaſticis Miniſtris obſervetur. Sicut autem noſtrum Magiſtratum gerit, noſtramque in ſuis judiciis perſonam refert, ita eum decet in ſumma haberi ab omnibus veneratione. Si enim quidpiam in ipſum fuerit

fuerit commiſſum, quo authoritas ejus lædi poſſit, in Nos ipſos commiſſum, ac noſtra authoritas læſa videbitur.

Et quamvis ipſi ex injuncto officio multiplex poteſtas competat, cum eandem Nobiſcum habere dicatur jurisdictionem, ad ea tamen, quæ ſpecialia mandata requirunt, niſi ea a Nobis habuerit, manum non mittet. In iis namque non ordinariam jurisdictionem, ſed delegatam habebit, quam a Nobis ipſum expectare convenit.

Commendas ne ultra tempus in Concilio Trident. præfixum, neve amplius, quam ſemel concedat. Ac inſtituendi quidem jus illi erit, cæterum reſignationes recipiendi abſque ſpeciali noſtro mandato, minime.

Vicario porro Pomeſanienſi, cum illius Diœceſis ratio diverſa habenda ſit, ſpecialem inſtructionem ad ipſius officium ſpectantem in ſcriptis dabimus.

De Archi-Presbyteris.

ARchi-Presbyteri, qui alibi Decani rurales vocantur, delecti ſunt ex Sacerdotum cœtu, quaſi oculi noſtri & cæterorum Inſpectores, ut non modo Eccleſias, quas ipſi obtinent, pia ſolicitudine gubernent: verum etiam in Presbyteros, præcipue in Parochos, qui per minores titulos habitant intra terminos cujusvis Archipresbyteratus, aſſidue oculos habeant intentos, eorum vitam & mores inſpiciant, & tánquam ſoliciti Rectorum Inſpectores & Magiſtri, ſine intermiſſione vigilent, ut nec in plebe, nec in Sacerdotibus ſibi commiſſis aliquid aut indecorum aut flagitioſum appareat, utque Parochi rite & legitime officio ſuo perfungantur, curamque animarum recte adminiſtrent.

Ac imprimis ipſis in Dei nomine injungimus & mandamus, ut ad minimum ſemel in anno Eccleſias, earumque Rectores viſitent, & de omnibus tam ad rem Eccleſiaſticam, nimirum dotationem, reditus, ſupellectilem, quam ad Parochorum vitam pertinentibus diligentiſſime inquirant, provideantque & ſatagant, ne qua in re Eccleſiæ illæ vel in temporalibus, vel in ſpiritualibus, detrimentum patiantur.

Porro perluſtrata regione ſibi commiſſa, bis in anno convocent Clerum, præmiſſoque Sacro de Spiritu Sancto, oratione gravi admonebunt de iis, quæ a quoquam aut negligi, aut contra officium fieri cognoverint, tum Conſtitutionum Synodalium, Divinæque Legis, ac Sacrorum Canonum præſcripta, ipſis diligenter inculcabunt, ac hortabuntur, ut ſi qui in ea peccaverint, delicta corrigant, ac in viam redeant. Et idcirco confeſſiones eorum vel ipſi excipient Archipresbyteri, vel cuique ſuum aſſignabunt Confeſſarium, quem ita aſſignatum, non vero alium, adire tenebuntur, ipſique peccata religioſe confiteri. Graviora autem delicta, & ſcandala, quibus ipſi ſua admonitione, vel correctione & impoſitione pœnitentiæ pro qualitate culpæ, mederi non poterunt, ad Nos, ſive Officialem noſtrum, ſive ſcripto, ſive oretenus, ſine mora deferent, ut in contumaces Sacerdotes juxta Canonum præſcripta, gravioribus pœnis animadvertatur.

Diligenter quoque invigilabunt, ne quid in illorum diſtrictu adverſus fidem aut pietatem emergat, quin non ſtatim Nos certiores reddant, ut ſi quis ſub eorum cura Parochus, vel alii Sacerdotes, aut Scholæ Rector, in articulis Catholicæ Fidei aliquid peregrinum ſapiat, & alienum ab Eccleſiæ Romanæ doctrina, ſi quis curioſius de fide diſputet, & ſimplicibus injiciat ſcrupulos, ne id latius ſerpat, & animos ſimplicium in errorem inducat, mature authoritate noſtra provideatur. Itaque ea diligentia, qua debent, & tenentur, Nobis ejusmodi perſonas manifeſtabunt. Moneant itidem Sacerdotes, ut ſi quando in diſputationem aliquam cum hæreticis, aut eorum miniſtris ipſis deſcendendum ſit, id caute & ſobrie, locis idoneis, non in comeſſationibus, faciant; a jurgiis & contentionibus prorſus abſtineant, ſed veram doctrinam Catholicam Scripturarum, Sanctorum Patrum, Conciliorum Oecumenicorum, & venerandæ antiquitatis authoritate confirment.

Provideant etiam, ne vagi Sacerdotes ſive Regulares, ſive ſæculares, in

Ecclesias nostras se se obtrudant, ne quis Parochorum aut Commendariorum etiam, aut quorumvis Sacerdotum ad curam animarum, administrationem Sacramentorum, prædicationis officium, ministerium altaris, admittatur, sine prævio examine, & nisi sufficienter probaverit, se legitime ordinatum esse, probatæque fidei Sacerdotem, neque ulli pro Capellanis aut Vicariis recipiantur, nisi prius Nobis, aut Officiali nostro fuerint præsentati.

Inquirent etiam diligenter, quomodo Hospitalia & Capellæ, ex quibus aliquæ eleemosynæ colliguntur, administrentur, & quam honeste vitam pauperes in ipsis ducant, dabuntque operam, ut rationes ex administratione eorum, in præsentia Parochi quotannis, ab iis, quibus commissæ sunt, etiam ipsi Visitatori reddantur. De indulgentiis etiam diligenter inqurent, &, si forte abusus aliquos in illis repererint, vel ipsi tollent, vel Nos de ipsis informabunt. Maxime autem vetabunt coitiones & comessationes Sacerdotum, quas in Patrociniis & Dedicationibus Ecclesiarum fieri intelligimus.

Providebunt etiam, ut Parochi nunquam ab ovibus suis recedant, sed perpetuo apud ipsas resideant, & in Pastoralia munia diligenter incumbant; quapropter in omnibus suis tam visitationibus, quam congregationibus nostro nomine id ipsis denuntiabunt, ne per totum annum ultra mensem quisquam ab Ecclesia sua se absentet, sine nostra, vel Officialis nostri licentia, quæ ex justis causis non gravatim concedetur, & in scriptis extradi mandabitur.

Ad Archi-Presbyterorum quoque curam ac solicitudinem pertinet, ut in Scholis Parochialibus juventus in omni pietate, ac morum integritate recte informetur & instituatur. Qualis enim illius a primis annis institutio fuerit, tales Ecclesiis Dei suppeditabuntur Ministri. Quapropter dum Parochorum curæ suæ commissorum, visitationem obibunt, simul etiam de Rectorum Scholæ vita, moribus, doctrina, ac quid juventuti, cujus erudiendæ curam gerunt, proponere soleant, diligenter inquirant. Commonefacient autem eos serio, ut ipsis Catechisticam lectionem quam sæpissime proponant, fidei articulos eosdem edoceant, & explicent.

Porro quæ de officio Archi-Presbyterorum nostrorum hic scripsimus, ita esse scripta volumus, ut ea, quæ ex Sacris Canonibus, quæque ex præscriptis informationibus visitandi, & muneris sui obeundi, tam ab Antecessoribus nostris, quam a Nobis ipsis jam ante data sunt, non excludamus.

De Parochorum officio.

OMnes Parochi nostri id curabunt, ut oves suas cibo cœlestis doctrinæ pascant, utque salutaribus reficiant Sacramentis, ac rite ordineque juxta præscriptum in libro Agendorum, ministrent: idque faciant semper prompte, dum ab aliquo requisiti fuerint, & gratis. Summo autem studio, ac omni solicitudine providebunt, ne qui in eorum Parochiis infantes sine Baptismo moriantur: quin potius Parochianis suis illud inculcabunt, ut postquam infans aliquis natus fuerit, illum statim uno vel duobus patrinis rogatis, parentes ipsius Sacerdoti præsentari curent, ac illum baptisari postulent. De iis vero, qui jam sunt adulti, & usum rationis habent, satagant, ne sine perceptione Corporis Domini & Extremæ Unctionis Sacramento ex hac vita decedant. Domos suorum Parochianorum sæpe visitabunt, attendentque, ne habeantur apud ipsos libri hæreticorum, quos, si invenerint, eos auferri curent, & illis persuadeant, ut in locum eorum Catholicos, maxime vero vitas Sanctorum Patrum, & libros aliquos piarum orationum, & exercitiorum spiritualium domi suæ teneant, & legant.

Ss. MISSÆ SACRIFICIUM ut singulis diebus Dominicis & Festis solennibus, ac præter Festa bis in septimana, præcipue vero feria quarta & sexta in Ecclesiis suis per se, vel per alium faciant, serio præcipimus. In illo autem faciendo ita versabuntur, ut Sacri Canones, & Missalis Romani ritus, ac ista istius Divini Sacrificii Majestas

jeſtas expoſcunt: nemo peccato mortali contaminatus, niſi prius confeſſione integra per eum, qui ei deſignatus eſt, Sacerdotem expietur, nemo non jejunus; nemo niſi ad minus Matutinis precibus & Laudibus recitatis accedat, ac meminerit, ſe inſpectantibus Angelis ſtare in conſpectu Altiſſimi, & immaculatam Hoſtiam Corporis & Sanguinis Domini noſtri tremendo myſterio, pro ſuis, populique peccatis, modo incruento offerre. Quocirca ſervet ea omnia in celebratione, quæ quoad ritus & cæremonias, dignitatemque actionis & venerationis, ac conſecrationis, oblationisque in rubrica Miſſalis (quam diligenter frequenterque evolvat) ſunt præſcripta. Avaritiæ omnem ſpeciem, aut illiberales exactiones eleemoſynarum ejus Sacrificii nomine, & aliorum Sacramentorum adminiſtrationis, ſevere prohibemus. Tempora itidem nempe pomeridiana, veſpertina, nocturna, præterquam in nocte Natalis Domini, cavenda eſſe ſciant.

Porro ſingulis diebus Dominicis & Feſtis celebribus, ac per Quadrageſimam etiam feria quarta & ſexta, præſertim in oppidis habendæ ſunt conciones ad populum, quibus is & ad ea credenda, quæ Catholica docet veritas, & ad ea agenda, quæ Chriſtiana requirunt officia, informetur. Materia autem & argumentum concionum petenda erunt ex Evangelio occurrenti, cujus explicationem Parochi, vel ex approbatis ab Eccleſia Sanctis Scriptoribus, vel ex Poſtillis Polonico idiomate, a Theologis Societatis Jesu Jacobo Wieco, & Petro Skarga editis, vel aliis idoneis tam Germanicis, quam Polonicis (ſuſpectis omnibus rejectis) petent, ſermoneque patrio & ad captum audientium tota materia ac ſerie, orationeque maxime accommodata, populo proponent: ita ut meminerint, ſe verbi Dei fideles eſſe debere relatores: ſcommata, convicia, fabulas, jocos ineptos, inanes quæſtiones, verborumque contentiones, omnemque levitatem fugiant. Unum id habeant propoſitum, ut rudes edoceant, doctos confirmant, errantes in viam reducant, ac omnibus ad portum ſalutis viam commonſtrent. Quam ad rem accommodatum eſt, ut per certa anni tempora doctrinam diſpertiantur: ita ut a die Epiphaniarum ad Quadrageſimam Decalogum explicent, moresque populi inſtruant, & quæ cavenda ſint, quibusque offendatur Divina Majeſtas, ita doceant, ut ea rudes quoque percipiant, Divinaque præcepta ac vitæ officia prorſus ex hujusmodi doctrina hauriant & imbibant. Per Quadrageſimam de Pœnitentia, Sanctiſſimaque Euchariſtia diligentiſſime tractent, tempore Paſchatis de Baptiſmo, Confirmatione, & Extrema Unctione inſtruant, verbaque faciant, a Pentecoſtes autem diebus Orationis Dominicæ ſenſum interpretabuntur, poſt Trinitatis Feſtum, in duodecim Symboli Apoſtolici articulorum expoſitione verſentur, hæc autem ſemper, Evangelio perite convenienterque explicato, in ſecunda Concionis parte adjungant. Cæterum vel poſt maturas Miſſas, vel pomeridiano tempore, pro hominum & temporum commoditate e Catechiſmo Ledesmi, vel Cardinalis Bellarmini in Polonicum idioma jam translato, rudimenta Chriſtianæ Fidei a Scholaribus recitari curabunt, eaque ipſi, vel eorum Vicarii, junioribus aut ſimplicioribus fidelibus accurate explicabunt.

Quoties item ſe occaſio dederit, doceant populum, quid Miſſa ſit, ad quam oves ſuas cum devotione audiendam excitabunt, docentes eas, quæ, & quanta myſteria contineat, quam ob rem in Eccleſia quotidie celebretur, quid fideles, dum peragitur, meditari oporteat, qui fructus ad eos redeant, qui devote aſſiſtunt, & audiunt.

CONFESSIONES accurate excipiant: animarum hanc eſſe medelam, ſe Medicos agnoſcant, & artem omnium vel maximam tractandarum conſcientiarum. Modum igitur recte confitendi plebem ſuam accurate doceant. In exquirendis peccatis cauti ſint & ſolertes, in pœnitentiis imponendis prudentes, neque a caſibus reſervatis abſolvendi poteſtatem ſibi, niſi conceſſa a Nobis, vel Officiali noſtro (excepto mortis articulo) fuerit, uſurpent.

Porro

Porro utantur Directorio Polanci, ad examinandas conſcientias, & ordinem eum teneant, ut ſi qui imperiti ad confitendum acceſſerint, per Decalogi ſeriem, vel per peccatorum capitalium ordinem, qua parte quisque doleat, quoque morbo laboret, & caute & ſine offenſa aut ſcandalo explorent, aptamque ad ſanandam accommodent, pœnæ conſiliique medicinam.

Caveant, ne gregatim confiteantur, ſed ſingulatim, neve communem omnibus, quod aliquando eveniſſe intelligimus, abſolutionem impertiant.

Curent, ut omnes eorum Parochiani ex conſilio & devotione frequenter, ex præcepto, ſub peccati mortalis reatu, ac excommunicationis pœna circa feſtum Paſchatis (quod tempus habita Provinciæ iſtius Sacerdotumque paucitatis ratione, a Dominica Paſſionis incipi poſſe, & pro Dominica conductus Paſchæ terminari declaramus) confiteantur & communicent. Quocirca eos vim execrationis Eccleſiaſticæ doceant, & ſemel minimum in anno circa feſtum Paſchæ, præcipua Bullæ Cœnæ Domini Capita diligentiſſime explicent, verbisque planis omnes, qui jurisdictionem Eccleſiaſticam violant, qui decimas, & alia debita Chriſti Miniſtris ſtipendia; aut agros Parochorum ſibi quomodolibet uſurpant, qui res morte Parochorum relictas diripiunt: omnes item uſurarios, inceſtuoſos, incantatores, maleficos, ſortilegos, homicidas, viduarum & virginum raptores, Sacramenta ſingulis annis non ſumentes, excommunicationi ſubjacere edoceant.

FESTI DIES, quos ſemper in hac Diœceſi noſtra pius populus ſumma cum reverentia celebravit, ut inviolati ſint, attendant; monebuntque plebem, ut eos non in ebrietatibus, ſed in pietatis officiis, Divinoque cultu traducat. Sunt autem, ut ſequuntur: Circumciſio Domini. Epiphania. Purificatio B. Mariæ Virginis, cujus vigilia jejunetur. Divi Matthiæ Apoſtoli cum jejunio. Annuntiatio B. Mariæ Virginis. Feſtum Paſchæ cum ſequentibus duobus diebus, cujus vigilia jejunetur. D. Alberti. (Marci Evangeliſtæ ad meridiem) Philippi & Jacobi. Stanislai. Inventio S. Crucis. Aſcenſio Domini. Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus diebus, cujus vigilia jejunetur, jejunio Paſchali in lacticiniis. Trinitatis. Corporis Chriſti. S. Joannis Baptiſtæ, cujus vigilia jejunetur. Petri & Pauli, quorum vigilia jejunetur. Viſitationis Beatiſſimæ Virginis cum jejunio conſueto. Mariæ Magdalenæ. S. Jacobi, cujus vigilia jejunetur. S. Laurentii Martyris, cujus vigilia jejunetur. Aſſumptio B. M. V. cujus vigilia jejunetur. S. Hyacinthi, cujus feſtum celebratur Dominica infra octavas Aſſumptionis B. M. Virginis juxta Breve Apoſtolicum. S. Bartholomæi Apoſtoli, cujus vigilia jejunetur. Nativitatis Beatæ M. V. cujus vigilia jejunetur. Exaltatio S. Crucis, in Culmenti Diœceſi ex conſuetudine. Matthæi Apoſtoli & Evangeliſtæ, cujus vigilia jejunetur. Dedicatio S. Michaelis. Simonis & Judæ, quorum vigilia jejunetur. Omnium Sanctorum, quorum vigilia jejunetur. S. Martini Epiſcopi. S. Catharinæ. S. Andreæ, cujus vigilia jejunetur. S. Nicolai. Conceptio B. M. V. cujus vigilia jejunetur, propria conſuetudine veteri. Thomæ Apoſtoli, cujus vigilia jejunetur. Nativitas Domini noſtri Jesu Christi, cujus vigilia jejunetur. S. Stephani Protomartyris. S. Joannis Evangeliſtæ. Præterea Feſta Patronorum in Eccleſiis ad memoriam eorum conſecratis.

De Feſto Annuntiationis B. M. V. celebrando, quando illud transferri contingit, ſerventur Rubricæ Breviarii Romani.

Habeant autem in ſuis Eccleſiis opportuno loco appenſam tabellam, quæ hæc omnia Feſta ſuperius deſcripta contineat, ut in promptu Feſta populo denuntianda ex ambone habeant: adnotatis ibidem Caſibus Papalibus & Epiſcopalibus, ut ſciant Sacerdotes, a quibus peccatis ſuos confitentes abſolvere poſſint.

Tum etiam, ut jejunia Quatuor temporum, & feriarum ſextarum religioſe, ſecundum Provinciæ conſuetudinem, obſerventur, Sacerdotes pro concionibus populo inculcabunt, & ipſi ea ſancte obſervabunt.

Immi-

Imminentibus quatuor anni temporibus, quibus in Eccleſia, ex inſtituto Ss. Canonum, Ordinum collatio fieri ſolet, ex ambona denunciabunt illis, qui animum ſuſcipiendi Ss. Ordines habuerint, ut tempeſtive feria quarta ad Eccleſiam noſtram Cathedralem, vel ad locum ordinationis, per literas intimationis a Nobis deſignandum ſe ſiſtant. Admonebunt autem ſimiliter eosdem, ut quisque a Rectore Scholæ, ac a Parocho ſuo teſtimonium converſationis, morum; a Magiſtratu autem civili natalium; alia itidem requiſita adferat. Cætera item, quæ de ea materia in Concilio Tridentino *Seſſ. XXIII.* traduntur, ordinandos edocebunt.

De Domibus Parochialibus reparandis, ne collabantur, ſervent Statutum Reverendiſſimi Domini PETRI KOSTKA noſtri Prædeceſſoris. Inventaria autem habeant omnium rerum non modo Eccleſiæ, ſed etiam Parochiæ. Quæ Eccleſiis vel antiquitus adſcriptæ ſunt, vel legantur, ea ſibi nullatenus uſurpent, quin imo omnium Legatorum rationem Archi-Presbyteris reddant, ſalva portione Canonica Parocho.

Canonicam porro portionem iſtis definimus finibus, atque ita de ea ſtatuimus, ut, ſi quis ratione ſepulturæ alicui Eccleſiæ res aliquas reliquerit: earum rerum conjunctione, & computatione facta, pars quarta detrahi debeat, & Curato vel Rectori Eccleſiæ Parochialis concedi: ſi quis vero ſanus & nulla ægritudine correptus, alicui Eccleſiæ quid reliquerit, cum bona ſint ſua, & quibuslibet etiam privatis ea conferre poſſit, nulla ex hoc detrahetur Canonica portio. Similiter ſi pro fabrica Eccleſiæ cujuspiam anniverſario vel aliis piis operibus, aut ad perpetuum cultum Divinum, in infirmitate conſtitutus aliquid reliquerit, nihil inde percipit Parochus, niſi in fraudem Parochialis Eccleſiæ hoc factum probetur.

Et quoniam ſolent interdum alibunde Religioſi quidam confluere ad Diœceſis noſtræ oppida & civitates, ad mercatus, & alias ſolennitates, ibi ſtipem colligere, potitare, & victum etiam Religioſis, qui in noſtra Diœceſi verſantur, præripere. Igitur ubi tales Parochi noſtri animadverterint, exquirent ab illis teſtimonium Superiorum: quod ſi ſcandaloſe ſe geſſerint, eos prorſus vel carceribus coerceant, vel ex oppidis extrudi curent, quemadmodum Nos quoque, authoritate noſtra ordinaria, tales errones & ſcandaloſos, ex noſtræ Diœceſis locis hoc Decreto noſtro proſcribimus.

Volumus ad extremum, ut Sacerdotes pro concione, ex aliqua occaſione, moneant graviter populum, ut ſe a curſitationibus, dum Sacra peraguntur, & Divina Officia celebrantur, penitus abſtineant, utque pueros & canes, quos clamoribus, ſtrepitu, latratu, continere non valent, in domibus ſuis relinquant, memores verborum Domini, domum ſuam orationi addictam eſſe aſſerentis.

De Vicariis & Choraliſtis Eccleſiæ Cathedralis Culmſenſis.

In Eccleſia noſtra Cathedrali Culmſenſi, quæ primaria eſt, & officiorum Eccleſiaſticorum Magiſtra, omnia tanto magis ad normam Ss. Canonum fieri, Divinaque Officia cum majori diligentia & attentione peragi debent, quanto magis in eam omnes Sacerdotes, qui per minores titulos habitant, oculos intendunt, exemplumque pietatis ab ea requirunt. Quemadmodum igitur primaria ipſius membra, Canonicos, officiorum commonuimus, ita Vicarios & Choraliſtas hortamur, ut in miniſteriis, quibus ſe ſe addixerunt, diligentes, vigilantesque ſint, Horas Divinarum laudum deſignatas obſervent, & in peragendis Officiis Divinis, ac Hymnis, Pſalmisque decantandis ita verſentur, ut ipſo etiam exteriore cultu corporis & habitu, præ ſe ferant, ſe intus animo Deum venerari, ac promptiſſimam mentem habere ad Divinas ipſius laudes celebrandas.

Quare adveniente hora cantandi Divini Officii, ad initium ſtatim campanæ pulſus, quisque illorum domo

ſua tempeſtive egrediatur, ne pulſu finito, certatim ad Eccleſiam primo currant, & ex celeri illo curſu, anheli ad Chorum ad cantandum veniant. Porro in ipſo Eccleſiæ aditu ſuperpellicia ſumant; a fabellis & colloquutionibus abſtinentes, in Chorum recta eant, atque iſtic coram Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento aliquantiſper orent, ſe ſe ad devotionem diſponentes, tamdiu, donec ab Hebdomadario officium fuerit inchoatum. Qui ſecus fecerint, in Capitulo, quod propter retinenda officia in Cathedrali Eccleſia ſtatis temporibus ſuperius inſtitutum eſt, arbitrio Dominorum Canonicorum diurna portione ſalarii ſui mulctabuntur.

De cætero autem, poſteaquam Divinas Horas abſolverint, otioſi ne ſint, neque ebrietati dediti, nec per oppidum diſcurſent, ſed eam modeſtiam & honeſtatem ſervent, quam in cæteris Clericis noſtris exigimus, & lectioni, & aliis honeſtis occupationibus ſe dedant. Qui ſecus fecerint, in eos Officialis noſter congruis pœnis animadvertat.

De vita & honeſtate Clericorum in communi.

CUm ab honeſtate pietateque Clericorum & Sacerdotum, vita Chriſtiani populi vel maxime ad virtutem informetur, dent operam Clerici & Sacerdotes noſtri, ut luceant omnibus exemplo modeſtiæ & caſtimoniæ; crapulam & ebrietatem, vitiorum omnium vel maxime fomitem, devitent, poculis ne certent, nec æqualibus hauſtibus indulgeant; choreas ne ducere, aut quid inſolens aut ſcandaloſum agere, in comeſſationibus audeant; cantilenas turpes, jocos ſcurriles, verba procacia, omnesque nugas, quæ in ore Sacerdotis ſunt blaſphemiæ, cane pejus & angue fugiant; meminerint ſe eſſe gentem ſanctam, regale Sacerdotium, lucem mundi, ſalem populorum. Habeant animum caſtum, os purum, & ad ſolas Divinas laudes promptum, linguam continentem & modeſtam, gravitatem, modeſtiam, innocentiam, mundiciem, adjuvante Domino, in omnibus actionibus, totaque vita, ſummo ſtudio colendam ſibi eſſe cenſeant. Aleam, & omnes indignas Presbyteris (qui Senes populi ſunt & Doctores) occupationes prorſus ne attrectent. Si quando nuptiis aut conviviis ſæcularium, aut affinitatis, aut neceſſitudinis aliquo reſpectu, intereſſe eos contigerit, ubique præ oculis habeant dignitatem, qua ornati ſunt, Sacerdotalem.

Qui novas Miſſas recenter ordinati celebrant, ne ſtipem pro eo colligant, neve convivia in ipſis peragant, ſub pœna ſuſpenſionis ad arbitrium noſtrum.

Nominatim diſtricte vetamus, ne qui aliquo modo ſuſpectas mulieres in domibus ſuis foveant, nec cum iis multum converſentur, nec ad publicos mercatus, vel quoquam alio una proficiſcantur, quod quidem puniendi Archipresbyteris poteſtas eſto.

Incorrigibiles etiam privationibus beneficiorum ex Concilii Tridentini præſcriptis, vel ex Synodalibus Conſtitutionibus, tum ſequeſtrationibus fructuum, tum carceris, ac aliis gravioribus Canonicis pœnis, a Nobis, vel Officiali noſtro, plectentur.

Horas Canonicas, quas tum ob Ordines ſuſceptos, tum ratione beneficiorum Clerici recitare tenentur, caveant, ne ullo modo omittant, aut negligant.

Nullus Sacerdotum authoritate propria Nobis, vel Officiali noſtro inconſultis, ab Eccleſiæ ingreſſu quenquam prohibeat, aut execretur, neque deneget Sacramenta, niſi in caſibus a jure permiſſis. Nullus interſit ſententiæ ſanguinis, neque pro exequenda literas ſcribat: reorum ſuppliciis non aliter interſit, niſi pro conſolatione, aut exhortatione moriturorum.

Veſtitu inſuper ſtatui ſuo Sacerdotali convenienti utantur, & ejusmodi quidem, qui ſit coloris duntaxat nigri, & ad talos uſque pertingat; binas veſtes in publico portent, tunicam nimirum talarem, & pallium, vel Sacerdotalem togam; neque ſolis domeſticis veſtibus, quæ Czamaræ vocantur, toraces contecti, per oppida curſitent.

ſitent. Pileorum hyemalium pelles non nimium exponant; barbas contra Canonum Decreta ne nutriant: turpe enim eſt Sacerdoti, ab iſtis potius dignitatem aut decorem quærere, quam a virtute actionumque pulchritudine; & exterior habitus cultusque corporis indicat, quomodo intus animus ſit effectus. Igitur hanc quoque modeſtiæ partem pœna Synodali ſancimus.

De Proviſionibus & Inſtitutionibus.

INolevit a multo tempore in hac noſtra Diœceſi conſuetudo, Canonibus, ac Ss. Patrum inſtitutis inimica, quod multi Sacerdotes, magno cum animi noſtri dolore, reperiantur, qui Eccleſias nullo jure, nulla prævia inſtitutione, poſſident. Quæ cum ſit janua quædam ad obtinenda Eccleſiaſtica beneficia, & citra quam plebanalis jurisdictio, & animarum cura, legitime haberi non poſſit; ideo ſtatuimus, ut quilibet Archi-Presbyter, infra ſex ſeptimanas a publicatione præſentis Synodi, omnes Parochos curæ ſuæ Archi-Presbyterali commiſſos, de quorum titulis, inſtitutione, aut legitimis proviſionibus ſibi non conſtat, ad exhibendum infra XI. dies titulos, inſtitutiones, ſive proviſiones legitimas beneficiorum authoritate noſtra ſub pœna ſuſpenſionis, per eundem Archi-Presbyterum ferenda, compellat. Inpoſterum autem provideant, ne quis ad Eccleſias a quoquam intrudatur, vel ſponte invadat, niſi prius aut Nobis, aut Officiali noſtro, fuerit præſentatus, & inſtitutionem legitimam vel Commendam obtinuerit.

Quia autem aliquarum Parochiarum & Eccleſiarum bona certi ſæculares homines audent occupare, panemque e domo Domini Miniſtris tollere, & præripere; tales quidem in pœnas Canonic. Sacri Concilii Trident. *Seſſ. XXII.* incipien. *Si quem Clericorum* &c. incidiſſe declaramus; quem Canonem jubemus etiam pro concione, ſemel a Nobis in menſe, idiomate vernaculo populo explicari; Nos quæque Patronos beneficiorum monebimus per literas noſtras, ut, quantum id peccatum ſit, recogitent, ablataque reſtituant. Quodſi contempſerint, juridicæ eis actiones eo nomine intentandæ erunt, in quibus authoritatem, patrocinium, opem, conſiliumque noſtrum, ſive Parochis, ſive Sacerdotibus aliis, qui eas proſequentur, præſtabimus.

De Scholis.

SCholæ Catholicæ, non modo doctrinæ, verum & pietatis debent eſſe officinæ. Curent igitur Parochi diligenter, ut pro ratione locorum idonei Rectores ab illis, quorum intereſt, illis præficiantur. Profeſſionem fidei ab illis exigant, appoſita ibidem clauſula, de reverentia & obedientia Reverendiſſimo loci Ordinario, & Parocho proprio pro tempore exiſtenti exhibenda. Volumus autem omnino, ut jurisdictioni Parochorum, non autem Magiſtratus, licet ab eo ſalarium percipiat, quivis Rector una cum Collega, ſicubi eum habet, Cantoreque & juvenibus, qui eum in cantu juvant, ſubjaceat. Modum inſtituendæ & erudiendæ juventutis Parochi ipſis præſcribant, ita ut is ad Concilii Trident. Decreta conformetur. Curent etiam, ut non modo Grammaticam, humaniora-que ſtudia proponant, verum etiam rudimenta Chriſtianæ doctrinæ. Prohibeant etiam, ne, quod fieri in quibusdam oppidis parum honeſte intelligimus, puellæ cum pueris, in eodem contubernio legere doceantur, unaque verſentur.

Providendum etiam eſſet, ut in Scholis honeſti, modeſtique adoleſcentes, præſertim in oppidis, Cantori & Rectori Scholæ adſint, tot, quot commode, vel ex facultatibus Eccleſiæ illius, vel ex liberalitate Parochi, vel ex benignitate, munificentiaque piorum ſuſtentari poſſint. Qui quidem Divinas laudes decantent, Miniſteriis Eccleſiaſticis & ritibus ac cæremoniis aſſueſcant. Ac deinde, poſteaquam mores ſuos probaverint, tyrociniumque iſtud exegerint, inter alumnos noſtros recipi, ad Gymnaſia ampliora pro Sacrarum Literarum ſtudio mitti, & deinceps Eccleſiaſticæ militiæ adſcribi poſſint. Hortabuntur autem Archi-Pres-

byteri eo nomine Magiſtratus oppidorum, & hujusmodi Conſtitutionibus noſtris obtemperent.

De Seminario.

PRopoſitum fuit ad deliberandum Sacerdotibus in Synodo congregatis, ut pium de erigendo Seminario, aut ſaltem reformandis Scholis in civitatibus amplioribus inſtitutum, jam ante a Reverendiſſimo olim piæ memoriæ PETRO KOSTKA inchoatum; tum etiam de Domo Hoſpitali pro Sacerdotibus ſenio confectis, & ad Miniſteria Eccleſiaſtica inhabilibus, pro qua jam, Authore Reverendiſſimo PETRO TILICKI (*) Anteceſſore noſtro, aliquantum pecuniæ collatum fuit, ad effectum deduceretur: & ut contributio aliqua certa pecuniaria, a Sacerdotibus utriusque Diœceſis annuatim eo nomine pendenda, communibus ſuffragiis ſanciretur. Quam contributionem cum Sacerdotes Diœceſis Culmſenſis, utpote hac injuria hominum & temporum iniquitate, graviter oppreſſi, maximo ſibi oneri fore quererentur, peterentque deliberationem iſtam cum toto ſuo effectu, in aliud commodius tempus differri: ſupplicationi hujusmodi illorum datus eſt locus & deliberatio ea de re ad futuram, Deo volente, Synodum dilata. Non derogantes quicquam Conſtitutioni ſuperius factæ, nimirum, in qua modum reformandarum Scholarum omnibus Archi-Presbyteris apud majores Eccleſias manentibus præſcripſimus. Cum autem reliqui Diœceſis Pomeſanienſis, tum paucitate Cleri laborantes, tum mole magna jurium & negotiorum Eccleſiaſticorum proſequendorum preſſi, ultro ſe ſe ad hujusmodi contributionem ſubmiſerint; idcirco ex majori quidem & minori Inſula, ubi pinguior gleba, & fertiliores agri, ex ſingulis manſis, ſingulos florenos Polonicos; in montibus autem, ubi res Parochorum anguſtiores ſunt, itidem ex ſingulis manſis unam Marcam Prutenicam annue, ſive id in unam ratam pro Feſto Sancti Martini ſummatim, ſive in ſingula quartualia per partes pendere malint, ad manus eorum, qui hujusmodi cenſus Quæſtores eligentur, repræſentare tenebuntur. Ex cujus contributionis ſumma, & ad negotia, ſive juridicas cauſas Cleri illius, & ad alimenta Sacerdotum ſenio confectorum, aut etiam inhabilium ad Officia Divina peragenda, præſertim, qui operam ſuam Eccleſiæ fideliter præſtiterunt: tum etiam in alios communes Eccleſiarum illarum uſus, ac illius Diœceſis commodum, pecunia illa, ex arbitrio Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, præſtabitur. Idque tamdiu, quoad res communes illorum Sacerdotum eam contributionem poſtulare videbuntur, & quoad aliquid aliud de ea a Nobis, vel noſtris Succeſſoribus, non fuerit conſtitutum.

De Matrimonio.

DE Matrimonio ſervent diligenter Parochi Decretum Sacri Concilii Tridentini, *Seſſione XXIV.* Idque nemo eorum ignoret, ac ne temere quosquam, niſi præmiſſis ternis bannis, ſeparatis feſtivis diebus, teſtimoniis exquiſitis, viliores præſertim, & vagas perſonas, Matrimonio conjungant, ſub pœna arbitraria. Tempora nuptiarum ab Eccleſia prohibita diligenter obſervent.

De Teſtamentis.

DE ordinandis Teſtamentis, tum etiam be bonis eorum conſcribendis, qui inteſtati decedunt, volumus ab omnibus Statutum noſtri Prædeceſſoris Reverendiſſimi PETRI KOSTKA ſervari.

Quoniam autem in inventariis Parochiarum tam a decedentibus, quam a reſignantibus, & a novis Parochis multa peccantur, non ſine injuria & detrimento Eccleſiarum; ſtatuimus, ut novus Parochus cum Archi-Presbytero, vel alio quovis Sacerdote, qui ipſum introducit, præſentibus vitricis & primoribus Eccleſiæ, vel Parochiæ illius, vel ultimæ voluntatis Exequutoribus Anteceſſoris ejus, in primo ingreſſu ſuo, inventarium omnium pecorum, jumentorum, frumentorum, ſupellectilis, & aliarum quarumvis rerum ad Parochiam pertinentium, conficiat, easque res in poteſtatem ſuam reci-

(*) Tilickius Epiſcopatum Warmienſem anno 1599., Vladislavienſem 1604., Cracovienſem 1606. adeptus.

recipiat, & omnia in tres codicillos deſcribat, ac a ſe, & ab introducente Sacerdote ſubſcriptos. Unum quidem vitricis Eccleſiæ ſtatim tradat; alterum vero intra XV. dies Nobis, vel in abſentia noſtra, Officiali noſtro Generali offerat, vel transmittat; tertium vero ſibi ſervet, ac deinceps ſecundum ejusmodi inventarium decedens, in Parochia illa, ſi non meliora, non deteriora tamen Succeſſori ſuo relinquat: ſi autem ultra tres annos eam Parochiam obtinuerit, additamentum aliquod pro Parochiæ reditibus ipſe, vel exequutores ejus, faciant: ſi ultra ſex annos Parochus fuerit, majus aliquanto additamentum, idque non tantum introducentis, verum Officialis ipſius, vel Archi-Presbyteri illius, ſub quo Sacerdos quispiam deceſſerit, arbitrio relinquat; quæ omnia ea & ſingula, quæcunque relinquuntur, juſtis pretiis æſtimari debebunt, pretiaque in ſupradictos codicillos ſive inventaria inſcribent.

Si autem in aliquo ſupra memoratorum negligens compertus fuerit, dimidia parte anni gratiæ mulctabitur, quæ eidem Parochiæ cedet, & in inventarium Succeſſori redigetur.

Hoc autem pro locupletiori Statuti, de ordinandis Teſtamentis infirmorum, Deceſſoris noſtri declaratione annotamus, quod, etiamſi Sacerdotes viciniores infirmus non advocaverit, ultro etiam non vocati debent, & ea, quæ in dicto Statuto præſcribuntur, peragere.

Forma abſolutionis, qua Sacerdos uti debet apud infirmum in articulo mortis.

Miſereatur noſtri &c. *Indulgentiam* &c. ut ſupra. *Dominus noſter JESUS Chriſtus, qui eſt Summus Pontifex, te abſolvat; & Ego authoritate Omnipotentis DEI, & ejusdem Domini noſtri JESU Chriſti, qua fungor hac in parte, abſolvo te ab omnibus excommunicationis majoris, ſuſpenſionis, & interdicti ſententiis, & cenſuris Eccleſiaſticis, a jure vel ab homine, contra ſcienter vel ignoranter latis, & ab omnibus peccatis tuis, DEO per te coram me confeſſis & oblitis, ut ſis abſolutus hic, & in futuro ſæculo ante tribunal ejusdem Domini noſtri JESU Chriſti. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Amen.*

Commodavit Synodi hujus exemplar Illmus, Excellmus ac Rdmus Dnus Kiovienſium Epiſcopus, Comes de Zaluski, Abbas grati animi memoria digniſſimus, & vel ſub ipſa hæc, quæ labuntur, turbida Regni Polonici tempora, ab ſingulari Religionis orthodoxæ tuendæ ſtudio percelebris.

Facta LAURENTII GEMBICKII, harum Conſtitutionum & auctoris & editoris, mentio fuit Tomo præcedente *pag.* 990. Culmenſem aſcendit Cathedram A. 1599. Haud multo poſt egregium ipſi Pro-Cancellarii munus delatum. Tum evectus ad Sedem Vladislavienſem eſt anno 1610. Tandem, lapſo quinquennio, virtus illum cara omnibus dignum reddidit, qui Gnesnenſium Archi-Epiſcoporum in numerum adſcriberetur. Quibus tamen, licet amplis honoribus, diu uti non licuit. Suorum enim laborum, vitæque curſum anno 1624. Antiſtes piiſſimus confecit.
Vid. *Hartknochii Diſſert. XIV.*

SYNODUS ARCHI-DIOECESANA PRAGENSIS,

HABITA

AB ILLUSTRISSIMO ET REVERENDISSIMO DOMINO,

D. SBIGNEO BERKA,

DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPO PRAGENSI, PRINCIPE, LEGATO NATO &c.

Anno Chriſti eodem MDCV.

In Feſto

S. WENCESLAI PRINCIPIS, MARTYRIS ac PATRONI. (*)

LITERÆ CLEMENTIS VIII. PAPÆ ad SBIGNEUM, Archi-Epiſcopum Pragenſem.

CLEMENS PAPA VIII.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM ET APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

QUo loco ſint Eccleſiaſticæ res hoc tempore in Regno Boëmiæ, eæ præſertim, quæ tum ad Catholicæ Fidei ibi variis modis collapſæ reſtitutionem, tum ad morum correctionem, & moderationem exceſſuum pertinent, Fraternitas Tua omnium optime novit, & ipſi nuper ex multorum relatione cognovimus. Cum autem Nos, pro Paſtorali noſtro officio, eam curam, & cogitationem jam diu ſuſceperimus, ut in univerſis Provinciis, ac Regnis, quæ Chriſtiano nomine cenſentur, quantum cum Domino poſſumus, hæreticæ pravitatis errores extirpemus, & corruptos mores emendemus; cumque ex Sacrorum Canonum præſcripto, intelligamus, ad hæc mala ſananda, illud inter cætera aptiſſimum eſſe remedium, quod plerique Eccleſiarum Præſules non ſine magno emolumento adhibuerunt, Provincialis nimirum Concilii; ejus in Provincia Tua, cogendi, & Deo, ut confidimus juvante, celebrandi Concilium (**) non modo utile, verum etiam neceſſarium eſſe arbitramur. Peſtis enim hæreſum tam longe lateque progreſſa eſt, & Eccleſiaſticarum perſonarum corrupti, & depravati mores adeo ibi excreverunt, ut (quod ſine magno animi mœrore, nec meminiſſe poſſumus, nec referre) nulla fere Eccleſiaſticæ diſciplinæ veſtigia ſuperſint, nec (quod ſciatur) aliquod unquam Provinciale Concilium ibi indictum & celebratum fuerit. Quantopere autem hæc Concilia referant ad tanta & tam pernicioſa mala tollenda, ipſa Decreta Generalium Conciliorum declarant, quæ ubi adhuc recepta non ſunt, eadem inſtitui, ubi vero omiſſa fuerunt, renovari jubent; & variæ morborum hujusmodi in plerisque Provinciis curationes per hoc ſalutare remedium adhibitæ, & Eccleſiarum reformationes conſecutæ teſtantur. Atque hac nos ratione ducti, maximam in ſpem venimus, ipſius miſericordia freti, qui etiam cum hæc mala permittit, & iraſcitur, miſericors eſt; fore, ut tantis hujusce Provinciæ malis eadem Concilii Provincialis ratione inita, medela ſalutaris adhibeatur. Nos itaque indictionem ejus duximus non eſſe diutius differendam. Te igitur in Domino hortamur, ut poſtpoſitis cæteris curis, nulla propriæ valetudinis, laboris, aut incommodorum ratione habita, Synodum Epiſcopis Comprovincialibus tuis omnibus, qui de jure, vel conſuetudine illi intereſſe debent, in Tua Provincia primo quoque tempore indicas, & ſtatuto tempore, pro commodo Provinciæ, in ſumma extirpandis hæreſibus, moderandis moribus, corrigendis exceſſibus, controverſiis componendis, aliis denique ex Sacrorum Canonum diſpoſitione muneri-

(*) Die 28. Septembris, nunc 23. Adnotanda in hanc Synodum vide ſub finem.

(**) Error typi. Lege: *conſilium.*

Digitized by Google

neribus præſtandis, diligenter incumbas. Neque vero eſt quod corporis, & virium imbecillitate, & rei novitate, aut difficultate deterrearis, bonorum ſiquidem omnium parens, & auctor Deus, ut ſperamus, vires corporis augebit, difficultates omnes de medio tollet, cœptis biſce tuis favebit ſublatis omnibus impedimentis, & pro ſubditorum tuorum ſalute, piæ cogitationes tandem ad optatum exitum perducet. Qua in re dedimus in Mandatis Venerabili Fratri JOANNI STEPHANO Epiſcopo Vercellen. noſtro & Apoſtolicæ Sedis apud Cæſaream Majeſtatem Nuntio, ut qua pollet, prudentia, conſilio & dexteritate, ſuſceptam hanc deliberationem juvet; & quæ ad eam rem perficiendam neceſſaria fuerint officia, in noſtro nomine præſtet, & diligentiſſime exequatur.

Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris, die XIV. Octobris, M.DCIV. Pontificatus Noſtri Anno tertio decimo.

M. VESTRIUS BARBIANUS.

A tergo.

Venerabili Fratri SBIGNEO, Archi-Epiſcopo Pragenſi.

SBIGNEUS, DEI ET S. SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA ARCHI-EPISCOPUS PRAGENSIS, ET PRINCEPS, LEGATUS NATUS, &c.

Univerſo Clero noſtro, in viſceribus miſericordiæ DEI Dilectiſſimo, Salutem in Domino, & omnis felicitatis incrementum.

QUam religioſum, quam Divino cultui addictum, quam denique Catholicæ Fidei propagandæ ſtudioſum antiquitus fuerit Bohemiæ Regnum, cum multa alia oſtendunt, tum illud inprimis perſpicuo docet, quod nulla fere in toto terrarum orbe Civitas, natio, vel gens reperitur, quæ Templa Divino cultui dicata tam affabre, tam artificioſe, tam magnifice, tam denique regie extruxerit, ornarit, & locupletarit. Neque vero in hoc demonſtrando multum immorari neceſſe eſt; res enim ipſa loquitur, & omnium, qui varias terrarum orbis Regiones peragrarunt, teſtimonio comprobatur. Extant etiam luculentiſſimi hiſtoriarum Scriptores, qui hoc ipſum æternis literarum monumentis commendarunt, omnibusque & poſteris & exteris nationibus notum eſſe voluerunt. Jam qui & quales fuerint eisdem temporibus ejusdem Regni Clericorum mores, vita ac diſciplina, ſi nulla alia ex re cognoſci poſſet, facile oſtenderent, quæ apud Nos conſervantur, ERNESTI primi Archi-Epiſcopi Conſtitutiones: illæ enim ita plene, atque ita cumulate omnes Clericorum muneris partes complectuntur, & ſanciunt, ut neceſſe ſit, & qui tam egregias Conſtitutiones compoſuerit, Antiſtitem valde egregium, & quibus ad obſervandum propoſitæ fuerint, Clericos plusquam mediocri virtute præditos fuiſſe. Unde autem ſit, ut populus Religione, pietate, ac Divino cultu florentiſſimus, ab illa ſua priſtina conſuetudine, & candore deſciverit, moresque antiquiſſimis ejus moribus longe contrarios imbiberit, & Clerus, a quo antea ſanctitatis, juſtitiæ, charitatis, atque omnium virtutum exempla exteræ nationes petere conſueverant, tantam repente morum, ac vitæ mutationem paſſus ſit, ut nullam ferme antiquæ religionis, & pietatis imaginem retinuerit. Id adeo clarum, & notum eſt, ut nulla prorſus explicatione indigeat, Nosque tantam hujusce Metropolitanæ Eccleſiæ noſtræ calamitatem tacitos potius præterire, quam eam commemorando acerbiorem reddere oporteat. Illud tamen tacere nullo modo poſſumus, vel debemus, inter cætera, quæ tantam morum, & diſciplinæ mutationem in populum, & Clerum invexerunt, illud non in poſtremis collocandum eſſe, quod cum Eccleſia hæc ſuis veris & legitimis Paſtoribus per centum quadraginta circiter annos privata fuerit, nullus interim in hac urbe Antiſtes fuit, qui naſcenti morbo occurreret, eique ſenſim irrepenti, antequam penitus invaleſceret, remedium aliquod afferre curaret. Vidit hoc Sacratiſſimæ memoriæ FERDINANDUS I. Romanorum Imperator, Hungariæ & Bohemiæ Rex: is enim cum ſingulari quodam Religionis, & Fidei Catholicæ propagandæ ſtudio arderet, omnesque ſibi rationes ineundas duceret, quibus Divinus cultus in priſtinum ſplendorem ſuum reſtitui poſſe videretur; eam ad id conſequendum longe præcipuam, & quaſi compendiariam viam judicavit, ſi Eccleſiæ Paſtorem ſuum reſtitueret, & quæ antea Paſtore carebat, eam paternæ Antiſtitis proprii curæ, & ſolicitudini concrederet. Neque vero tantum vidit, ſed etiam pro ea, qua in primis florebat, pieta-

pietate, ac Religione, ſummo ſtudio, ac ſingulari diligentia præſtitit; ſtatim enim cum Summo Pontifice egit, ab eoque, ut certum huic Archi Epiſcopali Sedi Antiſtitem daret, qui ſcilicet oves ſuas agnoſceret, easque in æternæ vitæ paſcua recta conduceret, impetravit. Creatus igitur fuit ANTONIUS Archi-Epiſcopus, qui cum primum Tridento rediit, quo ejusdem FERDINANDI Imperatoris Orator ad Sacrum Tridentinum Concilium acceſſerat, confeſtim in eam curam incubuit, ut Clerum, quam optimis moribus imbueret, eumque quantum humanis viribus conſequi poſſet, ad priſtinum illum pietatis, Religionis, & ſanctitatis nitorem traduceret; illico enim univerſum Clerum per ſingulos Archi Decanatus viſitavit, deinde ad Diœceſanam Synodum cogendam animum applicuit. Verum tamen inexſpectata illius mors effecit, ne tam pium, tam religioſum, & tam ſalutare conſilium ad optatum exitum perducere potuerit. Eodem prorſus deſiderio, ac ſtudio affectus fuit MARTINUS Prædeceſſor noſter; verum ea tempora conſecuta ſunt, ut ne ipſe quidem, quod omnibus votis optaverat, aſſequi ullo modo valuerit. Nos quoque cum ad hoc Archi-Epiſcopale munus, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, aſſumpti ſumus, nihil antiquius habuimus, quam ut omnes eas difficultates, quibus tantum, tam excellens, ac tam Divinum bonum impediebatur, ſuperaremus. Et quamvis fel. rec. CLEMENS Papa VIII. tum per ſuas literas, quorum exemplum ſuperius videre poteſtis, tum per Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum D.D. JOANNEM STEPHANUM FERRERIUM, Vercellen. Epiſcopum, & Comitem, ac ſuum, & Sedis Apoſtolicæ ad S.C.M. cum poteſtate Legati, de Latere Nuncium, Nobis ſignificaſſet, idemque Nobis pariter in optatis fuiſſet, ut Provinciale Concilium primo quoque tempore celebraremus; quia tamen multa fere quotidie emergebant, quæ deſiderium noſtrum longe diutius, quam volueramus, retardare videbantur; animum ad Diœceſanam Synodum congregandam convertimus, in eoque nos Summo Pontifici, ſi non penitus, at maxima ſaltem ex parte obedriſſe exiſtimamus. Porro maxime animati fuimus, quod cum primum hac de re cum RUDOLPHO II. Romanorum Imperatore ſemper Auguſto, Hungariæ & Bohemiæ Rege glorioſiſſimo egimus, eum ſicuti pro certo Nobis polliciti fueramus, ad Synodi celebrationem adjuvandam, pro ejus eximia pietate, & Religione paratiſſimum invenimus. Acceſſit etiam, quod Sanctiſſ. D.N.D. PAULUS Divina providentia Papa V. ſtatim ut Summus Pontifex creatus fuit, Nosque Synodi celebrationem inſtituiſſe intellexit, Nobis per eundem Illuſtriſſimum, ac Reverendiſſimum Dominum Nuncium ſuum Apoſtolicum, ſignificandum curavit, ſibi gratiſſimum fore, ſi ſuſceptum & inchoatum opus quam primum ad optatum exitum perduceremus. Maturavimus igitur, ac tandem, quo totis animi noſtri viribus contendebamus, Divina adjuvante miſericordia, pervenimus; Synodum Diœceſanam, videlicet, quæ per annos ferme trecentos nunquam celebrata fuit, congregavimus, in eaque breviter ac dilucide illa omnia complexi ſumus, ac conſtituimus, quæ ad pietatem in hominum animis excitandam, Clericorum mores emendandos, ac Divinum cultum promovendum magis neceſſaria judicavimus. Reliquum eſt, ut quæ Nos non exiguo labore collegiſſe animadvertitis, ea vos aſſidue & attente cogitetis, in iisque vos ita diligenter exerceatis, ut neque induſtriæ, ac vigilantiæ noſtræ Nos pœniteat, & ad vos ex laboribus noſtris quam ubertimus fructus perveniat. Et quoniam Divino numine, factum eſt, ut omnia & ſingula, quæ a Sacroſancta Tridentina Synodo definita & ſtatuta ſunt, ea vos omnes, nullo penitus excepto, ac ſumma veſtra voluntate, receperitis, vos omnes in Domino hortamur, ut ejus quoque Concilii librum aſſidue in manibus habeatis, ejus Decreta & Conſtitutiones ſingulatim, ac diligenter examinetis, eaque ut veſtrarum omnium actionum norma, & regula ſint, procuretis: nunquam enim errabitis, ſi vitam veſtram ad Sanctiſſimas illius Concilii Leges, & præſcriptiones direxeritis. Agite igitur, Fratres Chariſſimi, Majorum noſtrorum diſciplinam, pietatem, & Religionem imitemur. Si quid in Nobis eſt, quod emendatione indigeat, id quamprimum emendemus: fieri enim non poteſt, ut reliquos ad pietatem, Religionem & Divinum cultum amplectendum traducamus, niſi Nos ipſos prius pietatis, Religionis, ac Divini cultus amatores comprobemus. Noſtra nos charitas, humilitas, patientia, & benignitas omnibus commendent: Tales denique Nos in omnibus præbeamus, ut ſolus aſpectus noſter Nos veros Chriſti Miniſtros eſſe convincat: ita ſemper animo affecti ſimus, ut omnibus in Domino inſerviamus. Hæc videlicet arma illa ſunt, quibus Nos tectos eſſe oportet, & quibus ſi pie, prudenter, ac ſtudioſe uſi fuerimus, quamplurimos profecto populos Chriſto Salvatori noſtro lucrifaciemus. Gratia DEI cum omnibus vobis, Amen.

ST-

STATUTA SYNODI ARCHI-DIOECESANÆ PRAGENSIS.

INDEX TITULORUM.

TIT. I. De Profeſſione Fidei, & ejus tuendæ cura.
II. De Doctrinæ Chriſtianæ initiis.
III. De Prædicatione Verbi Dei.
IV. De Sanctorum Reliquiis.
V. De Sacris Imaginibus.
VI. De Blaſphemia.
VII. De Superſtitionibus.
VIII. De Indulgentiis.
IX. De diebus Feſtis.
X. De Sacris Eccleſiæ Jejuniis, ciborumve delectu.
XI. De Eccleſiarum cultu, piaque in eis verſandi ratione.
XII. De Altaribus.
XIII. De Sacriſtia.
XIV. De Sacramentalibus.
XV. De Sacramentis generatim.
XVI. De Baptiſmo.
XVII. De Confirmatione.
XVIII. De Sacra Euchariſtia.
XIX. De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.
XX. De Pœnitentia.
XXI. De Extrema Unctione.
XXII. De Ordine.
XXIII. De Matrimonio.
XXIV. De Divinis officiis.
XXV. De Vita & honeſtate Clericorum.
XXVI. De Parochis.
XXVII. De Beneficiorum collatione, & Jure Patronatus.
XXVIII. De Monaſteriis Virorum.
XXIX. De Monialibus.
XXX. De Archi-Diaconis Diœceſanis.
XXXI. De Decanis ruralibus.
XXXII. De Teſtamentis Clericorum.
XXXIII. De Clericorum Seminario.
XXXIV. De Pœnis, & aliis, quæ generatim ad has Conſtitutiones pertinent.
XXXV. De Sacri Concilii Tridentini acceptatione.

IN NOMINE SANCTÆ ET INDIVIDUÆ TRINITATIS, PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI. AMEN.

NOS SBIGNEUS, DEI & Apoſtolicæ Sedis gratia Archi-Epiſcopus Pragenſis, & Princeps, Legatus natus, Sacræ Cæſareæ Majeſtatis Conſiliarius, & Supremus ac Generalis Magiſter Ordinis Crucigerorum, cum rubea Stella per Bohemiam, Moraviam, Sileſiam, Poloniam &c. ad DEI Omnipotentis, Beatæque MARIÆ ſemper Virginis, ac Beatorum Martyrum Patronorum noſtrorum Viti, Wenceslai, Adalberti, Sigismundi, Procopii, Benedicti cum fratribus, ac Ludmillæ, & omnium Sanctorum laudem, hæc pro Chriſtianæ morum diſciplinæ conformatione, qua Clerum, populumque Fidei noſtræ concreditum prælucere totis in Chriſto viſceribus expetimus, in noſtra Synodo Diœceſana decernimus, ſtatuimus, ac ſancimus.

I. De Profeſſione Fidei, & ejus tuendæ cura.

UNam, Sanctam, Fidem Catholicam, quam unigenitus Dei Filius in terris docuit, quamque Sacroſancta, Apoſtolica, Romana Eccleſia, omnium Eccleſiarum Mater, & Magiſtra, unice colit, ac tuetur, omnes, qui Chriſtiano nomine cenſentur, uno ore profiteri debent. Quare ut ab illa, ſine qua, ut ait Apoſtolus, impoſſibile eſt placere Deo, initium ſumamus, hæc ad ejus Profeſſionem, & conſervationem pertinentia edicimus, & jubemus.

De Profeſſione Fidei.

II omnes, qui Abbatias, Præpoſituras, Canonicatus, Dignitates, Eccleſias Parochiales, aliave Beneficia Eccleſiaſtica cujusvis generis obtinent, in hac Synodo Diœceſana, quive hujusmodi beneficia in poſterum obtinebunt,

Digitized by Google

in ea Synodo, quæ eorum proviſionem proxime ſequetur, illam Fidei Catholicæ præſtent Profeſſionem, iisque verbis conceptam, quæ a fel. record. PIO Quarto Pontifice Maximo literis, eo nomine editis, præſcripta ſunt, cujus quidem Profeſſionis formula hæc eſt:

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, videlicet: Credo in unum Deum, Patrem, Omnipotentem factorem cœli & terræ, viſibilium omnium & inviſibilium. Et in unum Dominum JESUM CHRISTUM, &c. *Vide ſupra.*

Eccleſiaſtici omnes hujus Civitatis & Archidiœceſis, qui huic Sanctæ Synodo non interſunt, cum ſupradictam Fidei Profeſſionem in ea non præſtiterint, non ſolum eam in noſtris, noſtrive Officialis, ſeu alicujus ex Viſitatoribus noſtris manibus, infra ſex menſes proximos emittant, ſed etiam in proxime ſequenti Synodo Diœceſana noſtra eandem profiteantur.

Qui de Beneficiis curatis, aut Canonicatibus, ſeu dignitatibus providebuntur; præter eam, quam in Synodo Diœceſana obire debent, Fidei Profeſſionem, eandem etiam profiteantur in noſtris, noſtrive Officialis manibus, intra duorum menſium ſpatium a die aditæ poſſeſſionis beneficii obtenti, alioquin fructus non faciant ſuos. Proviſi autem de Canonicatibus vel dignitatibus, ipſammet Fidei Profeſſionem intra eundem terminum in Capitulo jurent.

Sacerdotes item ſæculares, ac cujusvis Ordinis & Inſtituti Regulares, qui ad confeſſiones audiendas, ſeu ad Verbum Dei prædicandum admittentur, hujusmodi Fidei Profeſſionem in manibus noſtris emittant, priusquam id muneris aggrediantur.

Idem præſtent ii, qui absque Titulo, aut aliorum vice, certo, aut incerto tempore ad animarum curam gerendam aſſumentur.

Nemo præterea ad aliquem Ordinem majorem, vel minorem promoveatur, niſi prius, ſi decimum quartum ſuæ ætatis annum expleverit, eandem fidem, modo quo ſupra, profeſſus fuerit.

Regulares autem ad Sacras Confeſſiones audiendas, Verbive Dei prædicandi munus ſuſcipiendum, ſeu ad Ordines aſſumendi, huic Decreto ſatisfacient, ſi teſtimonium Nobis exhibuerint, ſe in ſui Superioris manibus id obiviſſe, alioquin coram Nobis eam præſtent.

Qui Doctoratus, vel Baccalaureatus, aut alios gradus ſuſcipere, ſeu ad Notariatus officium aſſumi voluerint, nullo modo admittantur, priusquam eandem Fidei Profeſſionem emiſerint.

Quicunque Laici, vel Clerici quovis pacto legendi, aut interpretandi, vel docendi munus exercent publice, vel privatim; Medici item omnes, & Chyrurgi; quive literarias, vel liberales artes exercent, etiamſi prima Grammatices doceant Rudimenta publice, vel privatim; quovis nomine Pædagogi, vel Ludimagiſtri; Bibliopolæ, & alii libros venales exponentes, & librorum Impreſſores legitime eorum munera exercere volentes, duorum menſium ſpatio vel oſtendant ſe Fidei Profeſſionem præſtitiſſe, vel eam re ipſa præſtent in noſtris, noſtrive Officialis manibus. Qui vero aliquod ex hujusmodi muneribus in poſterum ſuſcepturi ſunt, non ante illud exerceant, quam fidem Catholicam eadem ratione profeſſi fuerint.

Quorum omnium & aliorum item, qui hanc Fidei Profeſſionem præſtabunt, nomina diligenter, ordineque notata Curiæ noſtræ Archi-Epiſcopalis Cancellarius in librum certum referet, qui in Archivio noſtro perpetuo aſſervetur.

Qui ab emiſſa Fidei Profeſſione recedet, ſit officiis omnibus ac beneficiis Eccleſiaſticis ipſo facto privatus absque alia declaratione, nec poſſit ab aliquo in hac Civitate, ac Archi-Diœceſi recipi, ſed ſtatim ad Nos deferatur, ut debitis pœnis contra eum agamus.

Ludimagiſtri, & alii, qui docendi munus exercent, Catholici ſint, & Catholicam Religionem profiteantur, atque eos tantum libros, qui ſanam & Catho-

Catholicam doctrinam continent, in Scholis ſuis adhibeant. Librorum, qui ab Ethnicis conſcripti ſunt, is delectus habeatur, ut non prælegantur, neque explanentur, qui de rebus obſcœnis, ac turpibus tractant. Eorum autem præcipua cura ſit, ut diſcipuli in fidei rudimentis, & Catholicæ Religionis præceptis erudiantur, ac bonis moribus una cum literis imbuantur.

Ut autem fideles noſtræ paſtorali curæ concrediti in fidei Catholicæ puritate facilius conſerventur, parentibus omnibus, pupillorum tutoribus, ac patribus familias interdicimus, ne filios ſuos, aliosve, quorum curam gerunt, ad Hæreticorum ſcholas, ſive ad ipſorum, ut vocant, Academias accedere, vel ad eorum loca habitatum iri permittant. Pueri enim, ſi in tenera ætate, adoleſcentiave nullos fidei errores imbiberint, ad omnes pietatis, & Religionis Catholicæ fructus conſequendos, toto vitæ ſuæ curriculo, faciles ſe reddent.

Cum in comœdiis, ludis ſcenicis, aliisque repræſentationibus aliqua interdum miſceantur, proponanturve, quæ Catholicæ Religioni, morumve honeſtati repugnant, hoc perpetuo Decreto inhibemus, ne in hac Civitate, & Archi-Diœceſi noſtra, aliquæ comœdiæ, ludi ſcenici, ſeu repræſentationes ſacræ, vel profanæ, publice, vel privatim exhibeantur, niſi prius a Nobis, Officialive noſtro recognitæ, & ſcripto comprobatæ fuerint.

Ut ſpiritualium damnorum, quæ ex nimia Judæorum conſuetudine, nimioque commercio fidelibus afferri ſolent, occaſionem adimamus, prohibemus, ne Chriſtiani ad convivia, nuptias, vel dies Feſtos, & Synagogas Judæorum accedant, aut cum eis ludant, choreasve agant, ſeu in eorum famulatu ſint. Neve Chriſtianæ mulieres Judæorum nutrices in eorum domibus eſſe ullo pacto poſſint. Parentes autem, ne filios ſuos, filiasve mittant ad aliquam artem, ſive liberalem, ſive alterius generis a Judæis diſcendam.

Nulli Clerici, vel Laici, pecuniam apud quemvis Judæum deponant, ut ratione mutui, vel depoſiti aliquid, præter ſortem ex convento, vel principaliter ab eo, alioque homine ſperent, alioquin uſuram committunt.

Pernicioſorum & falſorum librorum lectionem, & uſum perpetuam eſſe peſtem animarum pretioſo Chriſti Sanguine redemptarum, nemo eſt, qui neſciat. Ideo huic tanto malo remedium adhibere volentes complures Summi Romani Pontifices, ad fidei Catholicæ, doctrinæque integritatem ſalvam & incorruptam in Eccleſia Dei retinendam, adverſus ejusdem fidei hoſtes ſe ipſos opponentes, ne illorum dolis, & inſidiis, imprudentes & ſimpliciores homines caperentur, probatos, laudabiles, & orthodoxos libros, ab adulterinis, pernicioſis & apocryphis diſtinxerunt. Et ut facilius omnibus innoteſcerent libri, & ſcripta, quæ improbata ſunt, ſive ut hæretica pravitate ſuſpecta, ſive ut pietati ac morum honeſtati inutilia, aut aliqua ſaltem correctione indigentia; confectus eſt eorum Index, ſive Catalogus, a PIO Papa Quarto peculiari Conſtitutione promulgatus, & SIXTI Papæ Quinti, ac CLEMENTIS Octavi juſſu auctus. Quem Indicem cum aliquot declarationibus ad hujus Metropolis & Archi-Diœceſis noſtræ uſum accommodatis, Typis deponi, & quæ in eo præſcripta ſunt, ab omnibus perpetuo obſervari volumus, ac mandamus.

Ut autem Parochi, Confeſſarii, Verbi Dei Concionatores, Ludimagiſtri, librorum Impreſſores, & alii libros venales quovis modo proponentes, in re tam ſeria, partes ſuas facilius cognoſcere poſſint, præfatum Indicem penes ſe habeant, & quidquid in eo præſcribitur, exequantur, atque prout uniuscujusque eorum munus requirit, ab aliis in uſum deduci procurent.

Præterea cum poſt prædicti Indicis editionem & promulgationem, alii etiam libri, tanquam doctrinas falſas, hæreticas, erroneas, ſcandaloſas, bonisque moribus, ac pietati Chriſtianæ contrarias continentes, a Sancta Sede Apoſtolica prohibiti fuerint, ut ad omnium notitiam facilius pervenire valeant, illos ad ejusdem Indicis Romani finem notari mandamus, atque quod

ad eorum lectionem, & uſum ſpectat, idem ſervetur, quod de aliis libris, ſcriptisve prohibitis præſcripſimus.

Qui absque Sedis Apoſtolicæ facultate Nobis exhibenda hæreticorum libros, ſeu cujusvis authoris ſcripta, propter hæreſim, vel falſi dogmatis ſuſpicionem damnata atque prohibita legerit, ſeu penes ſe retinuerit, excommunicationis ſententiam ipſo facto incurret, Sedi Apoſtolicæ reſervatam, præter alias pœnas a Conſtitutionibus Apoſtolicis, Sacrisve Canonibus conſtitutas. Qui vero libros alia de cauſa ab Eccleſia prohibitos legerit, habueritve, cum peccati mortalis ſe reum conſtituat, a nullo Confeſſario ſæculari, vel regulari abſolvi poterit, niſi prius illos Nobis conſignaverit, ſeu cum effectu transmiſerit.

Qui libros aliquos, ſeu ſcripta hæreticorum, aliosve quovis modo prohibitos habet, ipſos infra menſem proximum Nobis, Officialive noſtro conſignet, ſeu cum effectu transmittat; alioquin pœnas & cenſuras contra hujusmodi inobedientes (ut ſupra) inflictas, ipſo facto incurrat.

Nemo Sacræ Scripturæ verbis, vel ſententiis, ad jocum, aſſentationem, contumeliam, ſuperſtitionem, impietatem, aut ad quosvis profanos ſenſus abutatur, alioquin in ejus nefariam temeritatem ad Sacrorum Canonum præſcriptum ſevere animadvertemus.

Nulli libri, ſcriptave cujusvis generis imprimantur, niſi a Nobis, noſtrove Officiali recognita, & ſcripto comprobata fuerint. Librorum autem, qui imprimentur, exemplum auctoris manu ſignatum Nobis ſtatim tradatur, ut in Archivo noſtro Archi-Epiſcopali perpetuo aſſervetur.

Nemo opuſcula, libros, commentarios, aliave id generis quovis titulo, & nomine, quæ manu ſcripta ſunt, evulget, niſi prius a Nobis recognita ſint, & noſtra ſubſcriptione approbata.

Quicumque artem librariam exercent, quive libros vendendos circumferunt, ne eos venales proponant, priusquam illos, ſeu eorum Indicem Nobis, vel Officiali noſtro præſentent, noſtra ſubſcriptione comprobandum. Nullos autem libros hujusmodi indice non notatos vendere, ſeu alia ratione alicui tradere, neque venales proponere audeant.

Parochus, in cujus Parochiæ finibus venales libri exponuntur, ſeu circumferuntur, eos de improviſo viſitet, & ſi hujusmodi exponentes librorum indicem a Nobis ſubſcriptum non exhibuerint, aut libros eo indice non deſcriptos habuerint, illos vendi, aut aliqua ratione tradi non permittant, & eorum nomina ad Nos illico deferant.

Præterea hoſpites, tabernarii, & cauponæ, ſi qui ad eos diverterint, ut de fide diſputare, aut hæreticorum libros vendere, ſeu ſpargere facilius poſſint, illos Nobis ſtatim denuntient.

Inter alia, quæ in ſubditis gubernandis attendere debent Barones, & Nobiles Catholici, unum illud eſt præcipuum, ut in omnibus locis eorum jurisdictioni ſubjectis Catholica Religio conſervetur, ac propagetur; quamobrem eos omnes in Domino monemus, & per viſcera Chriſti Domini obteſtamur, ut ſi quos ſubditos hæreticos habent, eos reſipiſcere, & ad gremium Sanctæ Matris Eccleſiæ redire, debita diligentia & ſingulari pietate curent.

Iidem Barones, & Nobiles Catholici, ſi quos habent, hæreticos ſibi in domeſtico uſu inſervientes, eos omni diligentia inducant, ut Catholici fiant, & Catholice vivant.

Abbates item, & alii Eccleſiaſtici, ſive ſæculares, ſive cujusvis Ordinis, & Inſtituti Regulares, qui in aliquibus locis, Parochiisve hujus Metropolis, & Archi-Diœceſis noſtræ jurisdictionem temporalem habent, omnem operam, omneque ſtudium exhibeant, ut ſubditi ſui in Catholica fide & doctrina pie inſtituantur, & ab hæreſes labe, omnique hæretica pravitate liberi, Catholicam Religionem profiteantur, & Catholice vivant. Si in hoc negligentes ſe oſtenderint, meminerint ſe Chriſto Domino, qui vivos & mortuos eſt judicaturus, ſtrictiſſimam rationem reddituros.

II. De

II. De Doctrinæ Christianæ initiis.

AD æternam vitam cum nati sint fideles, illud diligenti, sanctaque solicitudine providendum fuit, ut ab ineunte usque ætate, doctrinæ Christianæ, quæ ad illam cœlestem vitam hominum mentes in terris instruit, rudimentis, atque institutis plane imbuantur. Quamobrem & Sanctorum Patrum Sanctionibus, & Generalibus Conciliis, pie & salubriter sancitum est, ut saltem Dominicis, aliisque Festis diebus Christianæ fidei initia in unaquaque Ecclesia fidelibus tradantur. Quod necessarium, salutareque institutum, ut vehementius excitaret PIUS Quintus Pontifex Maximus, Christi fidelibus vere pœnitentibus, & confessis, firmum propositum habentibus, confitendi temporibus a Sacris Canonibus statutis, qui aliquam Christianæ doctrinæ Societatem ingredientur, & in discendo, vel docendo articulos fidei, & Sanctæ Matris Ecclesiæ præcepta, operam suam navaverint, quoties in hoc sancto exercitio se occupaverint, quadraginta dies de sibi injunctis pœnitentiis relaxat. Ut igitur pro debito Archi-Episcopalis vigilantiæ nostræ munere, iis salutariter consulamus, quibus in Domino ministramus, Parochis omnibus, etiam Regularibus edicimus, ac jubemus, ut Dominicis, Festisque diebus, a prandio, in sua quisque Ecclesia, dato de more campanæ signo, fideles sibi commissos ad doctrinæ Christianæ Scholas convocent, & ad Petri Canisii Catechismi præscriptum, ipsis rudimenta fidei tradant, & vernacula lingua exponant.

Præterea Parochorum cura in omnibus Ecclesiis parochialibus, ubi doctrinæ Christianæ Societas erecta non est, intra duorum mensium spatium erigatur, & Adjutores, Operariique ac Officiales convenienti numero eligantur, ac regulæ, præscriptionesve observentur, quæ jussu nostro edentur. Scholæ autem puellarum distinctæ sint & separatæ, quoad fieri poterit, a Scholis puerorum.

III. De prædicatione Verbi Dei.

VErbi Dei prædicationem in Ecclesia sancta maxime utilem, & necessariam esse, non est qui dubitet, ideo quicunque parochiales, vel alias animarum curam habentes Ecclesias quocunque modo obtinent, quive certo vel incerto tempore, etiam aliorum nomine, onus habent parochialia munera obeundi, per se, vel per alios judicio nostro idoneos, si legitime impediti fuerint, diebus saltem Dominicis, & Festis solennibus; tempore autem jejuniorum, Quadragesimæ, & Adventus Domini quotidie, vel saltem tribus in hebdomada diebus, nempe die Dominico, feria quarta & sexta, plebes sibi commissas, pro sua & earum capacitate pascant salutaribus verbis, docendo ea, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem; aliquid ex iis, quæ in Missa leguntur, exponant; Sanctissimi Missæ Sacrificii Mysterium aliquod declarent, annunciandoque eis cum brevitate & facilitate sermonis, vitia, quæ eos declinare, & virtutes, quas sectari oporteat, ut pœnam æternam evadere, & cœlestem gloriam consequi valeant.

Si qui autem ad id munus obeundum minus apti reperiuntur, ad peritos confugiant, quorum auxilium implorantes, vel homilias sibi præscriptas, vel latino sermone auctoris ab Ecclesia recepti, in vulgarem linguam conversos, a Nobis tamen approbatos, aut memoriter aut de scripto pronuntient.

Tam Parochi, quam alii Concionatores Catechismum Romanum Sacri Concilii Tridentini auctoritate editum, penes se habeant, & ad ejus præscriptum, quæ quilibet Christianus scire, credere, amplecti, & vitare tenetur, ut æternam salutem consequi valeat, pro temporis, loci, & personarum ratione accurate explicet.

Nemo, qui parochus non sit, concionandi munus aggrediatur, absque facultate a Nobis scriptis obtenta, medio examine.

Regulares cujuscunque Ordinis, & Instituti, nisi a Superioribus suis

de vita, moribus, & ſcientia examinati, & approbati fuerint, ac de eorum licentia, etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare, ſeu Sacræ Scripturæ lectionem habere non audeant; cum qua licentia ſe coram Nobis præſentare, & benedictionem petere teneantur, antequam prædicare incipiant. In Eccleſiis vero, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, ultra licentiam ſuorum Superiorum, etiam noſtram habere teneantur, ſine qua nullo modo prædicent, neque Sacræ Scripturæ lectionem publice vel privatim habeant.

Idem Regulares nullis in Eccleſiis, etiam in iis, quæ ſunt ſuorum Ordinum, prædicare audeant, Nobis, aut Officiali noſtro contradicentibus.

Qui concionandi officio fungentur, eam inibunt rationem, ut ne quidquam ab Eccleſiæ Catholicæ ſenſu, aut a conſentiente Sanctorum Patrum auctoritate, alienum proferant; neve futura ex Sacris Literis divinare, vel alicui eventui certum diem ſtatuere audeant.

Ne hiſtorias apocryphas, neve miracula minus probata narrare aſſuefcant.

Ne ridicula, aut levia, vel inanes fabulas, aliave riſum moventia recenſeant, ſed graviter, pure, ſincere, &, qua fieri poteſt, facilitate, Verbum Dei pronuntient.

Cum impia hæreticorum dogmata apud imperitam multitudinem erunt confutanda, id non prolixa diſputatione, ſed gravibus faciant ac ſolidis rationibus, & argumentis, ex Sacræ Scripturæ & Sanctorum Conciliorum, ac probatæ antiquæ conſuetudinis auctoritate, & Catholicorum Patrum conſenſu depromptis. Hæreticos autem convitiis ſeu contumeliis non afficiant, ſed eorum ſectam, prætenſamque religionem tanquam non ſanam, & Catholicæ Fidei, ac Religionis contrariam damnent, & improbent.

Ne quid obſcure, vel ambigue exponant, quod auditores incertos, aut ſuſpenſos reddere, ſeu in eis varie intelligendi occaſionem præbere poſſint.

Ne fucata oratione, aut inanibus utantur verbis, quibus ſe magis oſtentandæ eloquentiæ, vel doctrinæ, quam ſalutis animarum cauſa, id muneris obire oſtendant, ſuique ipſius eſſe potius, quam JESU Chriſti Prædicatores; ſed Evangelia & Epiſtolas, quæ in Miſſa recitantur, dilucide ac fideliter explicent, oblatisque in dicendo occaſionibus, ad Orationis Dominicæ, Apoſtolicique Symboli, & Decalogi, nec non ad ſeptem Sacramentorum Eccleſiæ, Sacrorumque rituum, & ſolennitatum explanationem frequenter divertant.

Cum de Salvatoris noſtri morte verba habere voluerint, eam docte, graviter & pie eatenus exponant, ut pietatem, ac lachrymas commoveant auditoribus, iisque externis actibus, qui ex Sanctæ Eccleſiæ ritu probati, ad riſum, vel ad jocum nequaquam commovere animos poſſunt.

In arguendis autem vitiis, ut acriores ſe præſtare debent, ita etiam ſe pietatis & charitatis ſtudio, non hominum, ſed peccatorum odio adductos, id facere ſignificent. In ea autem vitia, in quibus populos frequentius peccare intelligunt, vehementius invehantur, & præſertim in ebrietates, quæ animas & corpora maxime lædunt; atque in ludos, ex quibus ſæpe blaſphemiæ, rixæ & homicidia proveniunt; & inter alia ſæpe declarent populo, uſuram Jure Divino naturali vetitam eſſe, ideo nihil lucri ultra ſortem in contractu mutui, vel depoſiti pacto, vel intentione principali interveniente, percipi poſſe absque peccato mortali, & obligatione reſtituendi. Deteſtentur contractus illicitos, & præſertim eos, qui non ſolum Divino Jure, ſed etiam hujus regni Conſtitutionibus prohibentur. In emptionibus etiam & venditionibus, moneant res non poſſe carius vendi juſto pretio ob dilatam ſolutionem, neque ob anticipatam minoris emi, quam valeant.

Ne quenquam expreſſis aut tacitis verbis commonſtrantes inſectentur, ne aliquo odio potius, quam animarum ſalute ad id adduci videantur.

Ne ullos in dignitate Eccleſiaſtica, aut ſæculari conſtitutos aſperius repre-

prehendant, ſed pia potius, ac miti moveant oratione, populos autem ipſos doceant, Præpoſitis ſuis, qui a Deo ſunt, potius obedire, quam eorum nomini aut exiſtimationi quidquam unquam detrahere.

In id autem præſertim, omni animi contentione, & omnibus orationis nervis intendant, ut ad ſolidæ Chriſtianæ pietatis ſtudium, animos auditorum incendant, ita, ut cum ex his aſſiduis cohortationum ſermonibus, ſui muneris partes intelligant, ſe quisque pro ſui Ordinis, generis, & ſtatus ratione, in omnes recte, Chriſtianoque more, vivendi partes excitent, ac tandem, Divina benignitate pie factorum præmium ſempiternum conſequantur.

Dei præcepta non ſolum ſervanda eſſe doceant; ſed & modum oſtendant, quo ſervari illa Deus voluerit.

Sæpe autem fideles ad perfectiorem vitam amplectendam efficacius hortentur, ut non mortalia tantum, ſed etiam venialia peccata ſibi fugienda proponant; quod ut facilius præſtent, frequenter peccatorum ſuorum Sacerdoti approbato faciendam confeſſionem, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſumendam commemorent, ac ſæpius inculcent.

Indulgentias populo ne promulgent, priusquam a Nobis recognitæ ſint, de quibus cum ſermo inciderit, illarum concedendarum poteſtatem, in Eccleſia a Chriſto Domino relictam, & earum uſum fidelibus maxime ſalutarem eſſe doceant.

Neminem paupertatis nomine commendent, niſi quem certo ſciunt vere pauperem eſſe, nullamque fraudem, abuſumve in hujusmodi commendatione intercedere poſſe.

Imprimis autem id ſibi cavendum ſtatuant; ne quod verbis ædificaverint, id moribus deſtruant, neve cum aliis prædicaverint, ipſi reprobi fiant.

Abſoluta concione, Concionatores omnes, ſive Parochi ſint, ſive non, ex antiquiſſimo hujus Sanctæ Eccleſiæ Pragenſis inſtituto, Generalem Confeſſionem lingua vernacula populo indicent, ipſis alta voce illam inſinuantes: & preces præſcriptas ſuper populum recitent, nempe: *Miſereatur*, & *Indulgentiam* &c. ſubjungant: *Pax & benedictio † DEI Omnipotentis deſcendat ſuper vos, & maneat ſemper vobiſcum.* R. *Amen.*

Videant autem, ne ea verba abſolutionis Sacramenti Pœnitentiæ proferant, quæ tantummodo in Confeſſione Sacramentali adhiberi debent. Imo moneant populum, hanc confeſſionem generalem ad concipiendam contritionem peccatorum mortalium, & remiſſionem venialium fidelibus prodeſſe, ſed non eſſe Sacramentalem; ideo iis, qui alicujus peccati mortalis conſcientiam habent, non ſufficere, quod hanc confeſſionem generatim & publice faciant, ſed illud Pœnitentiæ Sacramento diluere teneri, prout inferius dicemus ſub Titulo de hoc Sacramento.

Ut autem unusquisque ſciat præcipua capita, ſuper quibus examinabuntur ii, qui ad Verbum Dei prædicandum, vel ad Sacram Scripturam interpretandam, admittendi erunt, ea hic notari volumus.

Primo de Doctrinæ articulis, dogmatibusve Sacro Concilio Tridentino explicatis, utpote de Canone Scripturæ, de peccato originali, de juſtificatione, de Sacramentis, & generatim de Sacrificio Miſſæ, de purgatorio, de invocatione, & veneratione Sanctorum, de Sacris Reliquiis, de poteſtate & auctoritate Papæ, de Jejuniis, & de diebus Feſtis.

An præterea habeat reliquos Theologiæ notos, & tractatos locos.

Quibus in Gymnaſiis, Scholisve ſtudiis operam dederit.

Quem in Scholaſticis præſertim auctorem familiarem habeat.

An ſæpius Sacrorum Bibliorum volumina cum gloſſa, aliove commentario ſtudioſe evolverit; anque in iis ipſis ita diligenter verſatus ſit, ut inde locos facile, apteque promere poſſit, ad omne ſacræ tractationis genus.

An ſanctarum interpretationum uſu ſit literate peritus.

An ex antecedentibus & conſequentibus, verum Scripturæ ſenſum elice-

elicere poſſit; an item ex Evangeliſtis in eodem genere verſantibus.

An rurſus temere pro ſuoque libitu Sacram Scripturam a vero ſenſu detorqueat.

An tropologicos, moralesve ſenſus, cum literali ſenſu non cohærentes commentetur.

An in explicandis parabolis, rectum, præcipuumque rerum ſenſum ſpectet, prætermiſſis explicationibus, quæ nihil ad propoſitum faciunt.

An traditiónum Apoſtolicarum, Eccleſiaſticarumque notitiam teneat.

An in Sanctorum Patrum ſcriptis atque ſermonibus perite verſatus ſit.

Quem item e Sanctis Patribus maxime in concionando ſequatur, atque imitetur.

An ſacrorum temporum myſteria norit, anve ſacrorum rituum ſignificationes habeat.

An rerum in Eccleſia ſancta geſtarum, & Conciliorum præſertim univerſalium, cognitionem teneat.

An Sanctorum vitas, hiſtoriamque veram norit.

An congruam Sacrorum Canonum ſcientiam teneat.

An Summorum Pontificum jura, atque inſtituta ſciat.

An caſuum conſcientiæ doctrina inſtructus ſit.

An Theologiæ illius myſticæ, quæ tota in ſpiritualis vitæ Conſtitutis tradendis, quæque in purgandis affectibus; atque in reformatione interiori verſatur, præcepta atque exercitationes bene intelligat.

An denique ſanctarum meditationum, orationisque mentalis uſum habeat.

An morum doctrinæ, Chriſtianæque diſciplinæ locos, non ſolum ordine collectos, ſed recte notos habeat.

Quos locos teneat, quibus auditorum animi excitantur vel ad Dei amorem, vel ad cœleſtis Patriæ deſiderium, vel ad virtutum ſtudium, vel ad deteſtationem ſcelerum, vel ad miſericordiam, vel ad certas præterea affectiones, quæ ad Cœlum excitatæ, Chriſtianas virtutes pariunt.

An aptus denique ſit ad concionem concipiendam, & explicandam, non ſolum Theologiæ locorum tractatione, ſed ſimilitudinibus, quæ ab agricultura, vinea, ſemente, aliisque rebus ducuntur, quæ ſub ſenſum cadunt, atque intelligentiam præſertim eorum, etiam rudium, ad quos concio habetur.

An ad concionis ingreſſum recta ratione utatur.

An totam concionem recte, ordineque diſponat.

An dilucide, diſtincteque enarret.

An bene pronuntiet.

An illius verba pondus habeant, an vim item, ut non ſolum audientium aures attingant, ſed animos intime penetrent.

An in tota concione pro cujusque rei, de qua agit, ratione, recte, apte, decore, & congruenter agat.

IV. De Sanctorum Reliquiis.

GLorioſum adeo ſe oſtendit DEUS in Sanctis ſuis, ut non ſolum eos in cœlis gloria ejus beatiſſima perfruentes, in terris coli, ſed illorum etiam corpora, nempe quæ viva Chriſti membra fuerunt, nec non pura Spiritus Sancti tabernacula, quin oſſa ſingula, ac cineres, Reliquiasque omnes a fidelibus ſuis in magna veneratione, ac religione haberi voluerit. Quare ut debitus eis cultus adhibeatur, hæc ſtatuimus.

Ut in honeſtioribus locis, atque in vaſculis decentibus, & quo per facultates licuerit, pretioſioribus aſſerventur, at nunquam una cum Sanctiſſimo Sacramento reponantur.

Atque ut inter ſe diſtincte internoſcantur, eorum nomina in membrana ſigillatim deſcripta, ipſis arcte, rectеque alligentur.

Quo vero inſigniores fuerint Reliquiæ, utpote Sanctorum capita, crura, brachia, aliave membra, vel etiam corpora integra, eo diligentius in capſulis, vaſis, arcisque ex ære, auratis, aut etiam argenteis recondantur, earum nomi-

nominibus distincte in ære, vel lapide sculptis, aut exaratis.

In pariete a dextro Evangelii cornu collocentur, loco scilicet tabulis intrinsecus septo, pannoque serico obtecto, atque extrinsecus firmis valvis, sera & clave bene munito, & clauso, vel in Sacristiæ armario, & in loco eminenti, bene ac firmiter occluso, ubi nihil aliud cum eis habeatur.

Non levem ob causam, sed pietatis tantum gratia exponantur, diligenti habita dierum, & personarum, quibus ostendendæ erunt, ratione, tumque cum luminibus accensis.

Cum autem aliqua occasione in altari erunt exponendæ, vel in processionibus circumferendæ, per Clericos tantum in Sacris Ordinibus constitutos deferantur.

Nec unquam quæstus gratia, qui Christianam pietatem, ac devotionem in animis fidelium imminuat, ostendantur.

Ad tutiorem Sacrarum Reliquiarum conservationem hoc perpetuo Decreto inhibemus, ne absque nostra, nostrive Officialis facultate scripto exarata, extra nostram Archi-Diœcesim eas transferri, nec vero quæ etiam aliunde allatæ sunt, intra nostræ Archi-Diœcesis fines ab una Ecclesia, ejusque Rectore, etiam de consensu Capituli, alteri Ecclesiæ donari, minus vero cuiquam Ecclesiastico vel laico homini, earum particulam aliquam privatim concedi, tradi, donarive liceat. Idque omnes ut Regulares, etiam exempti, servent, eos in Domino monemus.

V. De Sacris Imaginibus.

SAnctorum Imagines uti mirum in modum animos fidelium ad Christianam pietatem excitare & inflammare solent, si rite, pieque pictæ ac sculptæ sint, ita studendum est, ut in iis effingendis omnis lascivia & procax venustas vitetur.

Nullæ Sacræ pingantur Imagines, quæ vel falsum aliquod dogma continere, vel periculosi erroris occasionem præbere posse rudibus videantur.

Neve quæ Sacræ Scripturæ, vel Ecclesiæ ritui, seu Traditionibus non conveniant.

Ne item quæ apocryphas historias referant, aut aliquid falsi, aut superstitiosi contineant, vel piorum oculis aliquam afferre possint offensionem.

Neve humi, sordidoque aut uliginoso loco, neque sub fenestris, unde pluvia stillare possit, effingantur, neve eo loco, ubi clavi finguntur, ne indecenter transfigantur.

Neque vero cum Imaginibus Sanctorum, jumenta, canes, aliave bruta animalia in sacro loco appingantur, nisi quæ vel historiæ veritas, vel Ecclesiæ consuetudo approbaverit.

At corona, quæ Sanctorum capiti, ex antiquo Ecclesiæ ritu, imponi solet, ne iis, qui ab Ecclesia Catholica in Sanctorum numero relati non sunt, imponatur.

Id autem præcipue caveatur, ne dum Sacra Imago Beatissimæ Virginis, aliorumve Sanctorum exprimitur, alterius hominis viventis effigiem ex industria repræsentare artifex studeat; neve quivis alius id fieri curet.

Ne in Sacra Imagine quidquam, quod turpe, quod prophanum, vel inhonestum sit, appareat.

Quod si quæ imagines jam pictæ, sculptæve ita sint, ut Sacris Literis, vel Ecclesiæ ritui, aut pietati Christianæ, honestative aliquo modo repugnent, eas statim aboleri omnino volumus, ac jubemus.

Si quæ vero fractæ, aut diminutæ, vel vetustate corrosæ, seu situ, sordibusve obductæ sint, eæ vel restaurentur, vel, si fieri id minus potest, convenienti loco custodiantur, ne vulgo appareant. Id autem imprimis per eos, quorum interest, curetur, ut illæ a situ, squalore, sordibus, carie, cæterisque id generis integræ conserventur.

Præterea pro Sacrosanctæ Crucis cultu & veneratione jubemus, ne ea humi exprimatur, neve sordidis, & aliqua labe inquinatis locis.

VI. De Blasphemia.

GRave nimis ac detestabile est scelus, quod eum, quem cœlum & terra, & omnia, quæ in eis sunt, per-

Digitized by Google

petuo veneranturr, ac laudant, & ut piiſſimum Conditorem, ac Redemptorem cognoſcunt, ingratiſſimi, atque impiiſſimi homines blaſphemare, aut execrari non exhorreſcunt. Quare ut hæc nefanda peſtis omnino eradicetur, iis, quæ a Sacris Canonibus, & præſertim a LEONE Papa X. in Concilio Lateranenſi, & noviſſime a PIO Papa V. Conſtitutione eo nomine edita, contra blaſphemos conſtitutæ ſunt, pœnis, in hujus criminis reos ſeveriſſime animadvertatur.

Nemo præterea proximo maledicat, aut aliquod malum affectu injurioſo imprecetur, imo penitus abſtineat a ſolitis male imprecandi juxta patriæ morem modis, ne Deus offendatur, aut malum eveniat, vel ſcandalum detur proximo.

VII. De Superſtitionibus.

CUm in Dominico grege ſpeculatores conſtituti ſimus, accurate videre tenemur, ne inimicus noſter ſub Religionis ſpecie falſum cultum clam, & fraudulenter inducat. Quare ad evitandas Diaboli fraudes, & eradicandos errores, ubi jam orti ſint, hæc de Superſtitionibus præſcribenda duximus, quæ animarum curam gerentes, & Confeſſarii Sacerdotes ſedulo ab omnibus ſervari curent. Eam tamen cautionem adhibeant, ne dum ſimplicium animos inani cultu expugnare quærunt, ſimul etiam veræ pietatis radices convellant.

Signa igitur vel imagines, annullive, orationes ſcriptæ, vel, ut vocant, brevia, characteribus aut nominibus incognitis impreſſa, ne ad alicujus morbi, hominis, jumentive curationem adhibeantur.

Ne veneficia, faſcinationes, vel ligaturæ certa quavis obſervatione, aut etiam medicamentis incognitis diſſolvantur.

Ne vulnera, aut plagæ ullæ certo adhibito ſignorum, verborum, aut precum numero, vel alia, quæ a Medicis comprobata non ſint, ratione, curentur.

Ne aliquæ herbæ, aut frutices, certo aliquo die, vel nocte, ea conditione colligantur, ut alio die irrita, atque inanis futura ſit cura illa, ac labor.

Et quia varia nimis, ac multiplicia ſuperſtitionum genera, hoc Decreto comprehendi facile non poſſunt, id ſummatim decernimus, ut omnia, quibus certa temporis, numeri, locive obſervantia, quam præfinire minime licet, tanquam a vero Religionis cultu, Sanctæque Eccleſiæ Catholicæ inſtituto, vel ratione naturali aliena, ſuperſtitioſa cenſeantur.

Omnino autem retinenda eſt pia, & laudabilis conſuetudo benedictionum panis, vini, & aliarum rerum, etiam herbarum, quæ certis ſolennitatibus, & præſertim Paſchæ, Nativitatis Domini, Aſſumptionis Beatæ Virginis, S. Joannis Evangeliſtæ, aliisque feſtivis diebus a Parochis ex ſacris ritibus non ſine myſterio, uberrimaque fidelium utilitate fieri ſolent, dummodo nihil indecens hac de cauſa ſuper altari collocetur, veluti eſculenta; ſed quod ejusmodi eſt, ponatur ſuper aliquo ſcamno, loco convenienti.

VIII. De Indulgentiis.

INdulgentiarum uſus Chriſtiano populo maxime ſalutarem, & Sacrorum Conciliorum auctoritate comprobatum eſſe, Catholica Eccleſia ſemper docuit, eosque anathemate damnat, qui illas aut inutiles aſſerunt, vel in eis concedendis ejus poteſtatem negant. Ut igitur fideles ad eas tam plenarias, etiam in forma Jubilæi conceſſas, quam alias conſequendas, promptiores ſe reddant, ipſarum valorem, fructus, & utilitates Parochi, ac Concionatores ſæpe declarent.

Abuſus omnes, quorum occaſione inſigne earum nomen ab hæreticis blaſphematur, tollantur, & pravi quæſtus in iis percipiendis aboleantur.

Non publicentur, neque earum conceſſiones typis depromantur, niſi prius a Nobis, noſtrove Officiali recognitæ fuerint. Quod etiam ab omnibus cujuscunque Ordinis, & Inſtituti Regularibus ſervari præcipimus.

Indulgentiæ, etiam perpetuæ, peccatorumve remiſſiones, quibuscunque Hoſpi-

Hoſpitalibus, Monaſteriis, Eccleſiis, domibus, Militiis, Ordinibus, etiam mendicantium Ordinum Regularibus perſonis, tam ſingulariter, quam univerſaliter, per quoscunque Romanos Pontifices quavis occaſione, vel cauſa conceſſæ, pro quibus conſequendis manus ſunt porrigendæ adjutrices, & quæ facultatem quæſtuandi, colligendique eleemoſynas quomodolibet continent, PII Papæ Quinti Conſtitutione, revocatæ, caſſatæ, & annullatæ fuerunt; ideo nullo modo publicentur. Hortandi tamen ſunt fideles, ut Indulgentiarum occaſione, Eccleſiis, piis locis, ac pauperibus largas eleemoſynas erogent.

IX. De Diebus Feſtis.

EA eſt morum corruptela, atque ab omni Divina, & humana lege aliena, ut qui Deo dicati ſunt dies, & ad ipſius & Sanctorum celebrandas laudes inſtituti, ii non modo ſancte, pieque, ut par eſt, non colantur, ſed ſervilibus etiam operibus, vilibusque officiis violentur, iisque ipſis homines ad Divinam iram & ſuarum animarum pernitiem abutantur.

Nos igitur Sacrorum Conciliorum auctoritate, ac Summorum Pontificum Decretis innixi, Patrumque inſtitutis adducti, hæc Chriſti fidelibus in Feſtis diebus ſanctificandis proponenda cenſuimus; ut quæ ſacris his diebus agenda, quæve fugienda ſunt, unusquisque perſpiciat.

Primum igitur pridie Feſti, omni pietatis ſtudio fideles ſe parent, atque inſtituant ad illius ſanctificationem, & religioſum cultum, his præcipue piis exercitationibus, atque officiis inferius deſcriptis. Confeſſione, oratione crebriore, atque ardentiore, meditatione celebritatis, quæ agitur, & præcipue imitatione alicujus virtutis Sancti, aut Sanctæ, cujus dies feſtus colitur, jejunio, vel præcepti, vel devotionis, vel ſaltem aliqua abſtinentia; firma, fixaque deliberatione progrediendi in vitæ ſanctioris via.

Ipſo vero die Feſto Miſſæ reverenter ac religioſe interſint, quod prætermitti non poteſt absque peccato mortali. Idque ut in Parochiali Eccleſia præſtent ad Sacrorum Canonum præſcriptum, vehementer in Domino monemus.

Patres autem familias filios ſuos, ac famulos, etiam eos, quos in pecoribus, aliisque animalibus paſcendis occupant, Miſſæ jubeant intereſſe.

Oblationes pro facultatibus, Eccleſiæ Parochiali ex inſtituto faciant.

Sacramentaliter confeſſi Sacram Communionem ſumant, aut ſummo dolore ex peccatis affecti, intimeque contriti, fide viva accenſi, ſpiritualiter Sacram percipiant Euchariſtiam.

Miſſæ etiam ſolemni, quæ collegiatim canitur, præſentes adſint, præſertim in Anniverſariis majoribus Solennitatibus.

Divinis Horarum Canonicarum officiis, ac præcipue Veſperis, Chriſtiano devotionis ſtudio interſint. In Solennitatum majorum celebritatibus ad Matutina Officia convenire ſtudeant.

Concionem ſacram attentiſſime audiant, monitaque Concionantis exequantur, aliis etiam, tum filiis, cæterisque domeſticis, tum externis ſalutariter narrando, quæ diſciplinæ uſui opportuna audierint.

In doctrinæ Chriſtianæ Scholis & diſcendo & docendo verſentur; idemque ab iis, quorum curam habent, ſive filii ſint, ſive alii, præſtari curent.

Egentibus, & præſertim iis, quos ad fores Eccleſiæ repererint, aliquid pro facultatibus in eleemoſynam conferant.

Pauperes non ſolum, qui in publicis Hoſpitalibus ſunt, ſed etiam alibi viſitabunt & adjuvabunt, re, conſilio, atque conſolatione.

Monaſteria Religioſorum, ſanctioris vitæ laude præſtantium adibunt, & cum eis aliquid temporis in ſalutaribus collocutionibus expendent.

Abſtineant autem diebus Feſtis ab omni opere ſervili, mundanoque, atque a quavis illiberalis artis exercitatione, nec non a cujuslibet rei emptione, & venditione, præter id, quod ægrotis aut illius diei victui neceſſarium ſit.

Ea vero cautio omnino adhibeatur, ut in hujusmodi casibus officinæ nullo modo apertæ sint, sed earum ostiolum tantummodo pateat.

Præterea Parochi, ac Concionatores sæpe populum præmoneant, ne Festis diebus personati homines incedant, neve tripudia, choreas, seu saltationes exerceant, aut cujusvis generis ludis incumbant, neque tandem actiones aliquas, aut opera ulla faciant, quæ fidelium animos a Christianæ pietatis officiis abstrahere possint.

Circumforanei, circulatores, digladiatores, & alii id generis homines, ne diebus Festis præstigias suas, inaniaque spectacula agant; neque quidquam omnino vendant, ne medicamenti quidem prætextu.

Si quis autem ex aliqua gravi causa, seu necessitate hujusmodi diebus aliquod servile aut vetitum opus aggredi voluerit, idque non faciat absque facultate a Nobis, aut nostro Officiali in hac Civitate & per Archi-Diœcesim a proprio Parocho impetranda.

Ut autem uniformi ratione a Parochis dies Festi denuncientur, eos omnes, qui in hac Civitate & Archi-Diœcesi tota, præcepto, aut consuetudine, seu voto ad Rubricæ Pragensis præscriptum sanctificari, colive debent, hic notari voluimus.

Pascha cum duobus diebus proxime sequentibus.

Triduum ante Ascensionem usque ad meridiem propter processiones Litaniarum minorum.

Ascensionis Domini.

Pentecoste cum duobus diebus proxime sequentibus.

Solemnitas Sanctissimi Corporis Domini.

Præterea Mense Januario.

Circumcisio Domini die primo.
Epiphania Domini die sexto.

Mense Februario.

Purificatio Beatæ MARIÆ Virginis die 2.
S. Matthiæ Apostoli die 24.

Mense Martio.

Annuntiatio Beatæ MARIÆ Virginis die 25.

Mense Aprili.

S. Marci Evangelistæ die 25. usque ad meridiem propter Processiones Litaniarum.

Mense Majo.

Ss. Philippi & Jacobi Apostolorum die primo.

Mense Junio.

S. Viti Martyris die 15.
Nativitas S. Joannis Baptistæ die 24.
Ss. Petri & Pauli Apostolorum die 29.

Mense Julio.

S. Margaritæ Virginis Martyris die 13.
S. Mariæ Magdalenæ die 22.
S. Jacobi Apostoli die 25.

Mense Augusto.

S. Laurentii Martyris die 10.
Assumptio Beatæ MARIÆ Virginis die 15.
S. Bartholomæi Apostoli die 24.

Mense Septembri.

Nativitas Beatæ MARIÆ Virginis die 8.
S. Matthæi Apostoli & Evangelistæ die 21.
S. Wenceslai Martyris die 28.
S. Michaelis Archangeli die 29.

Mense Octobri.

Ss. Simonis & Judæ Apostolorum die 28.

Mense Novembri.

Celebritas omnium Sanctorum die primo.
Commemoratio omnium fidelium defunctorum die 2do usque ad meridiem.

Mense Decembri.

S. Thomæ Apostoli die 21.
Nativitas Domini die 25.
S. Stephani Protomartyris die 26.
S. Joannis Apostoli & Evangelistæ die 27.

Festum Patrocinii, atque Anniversarium Consecrationis Ecclesiæ in propria Civitate, Oppido, & Parochia. Festa item, quæ in unoquoque loco ex consuetudine, aut voto celebrari consueverunt.

Nullibi tamen celebrentur dies festi in honorem eorum, qui ab Ecclesia Catholica in Sanctorum numero relati

Digitized by Google

lati non ſunt; neve in Calendario, neque etiam literis manuſcriptis, connotentur.

Ut autem omnis in poſterum tollatur ſcrupulus, declaramus dies Feſtos incipere a media nocte antecedente uſque ad mediam ſubſequentem. Eorum vero pietatem, qui a primis Veſperis, ſeu ab occaſu Solis diei antecedentis ab operibus ſervilibus abſtinere incipiunt, ut ad Feſtum celebrandum diligentius ſe præparent, ſummopere laudamus.

X. *De Sacris Eccleſiæ Jejuniis, aut ciborum delectu.*

OMnis Sacrorum temporum celebritas, cum ab Epiſcopis, animarumque Paſtoribus, ſingularem ſolicitudinem; tum a populis obſervantiam, cultumque ei ſolennitati debitum plane depoſcit. Atque in iis quidem unum eſt, quod pie, religioſe, ſanĉteque coli a fidelibus maxime oportet, totum Quadrageſimale tempus, virtutum Chriſtianorum diſciplinæ, atque exercitationibus dicatum; eſt enim plenum Sacris Myſteriis, propter quæ magnam illam Paſchæ ſolennitatem, qua una omnium celebritatum dignitas, ut inquit LEO Pontifex, conſecrata eſt, proxime præcedit. Fuit porro jejunium Quadrageſimale a Chriſto Domino conſtitutum, & ab Apoſtolicis uſque temporibus in univerſa Eccleſia Dei religioſe obſervatum perpetuo, atque ita quidem, ut qui in Quadrageſima (quemadmodum olim Canone Toletano cautum fuit) neglexerit, aut contempſerit, Quadrageſimalis abſtinentiæ, & jejunii diſciplinam, prohibitisque cibis illam violarit, is non ſolum reus cenſeatur Reſurrectionis Dominicæ, ſed etiam alienus fieret a Sacra ejusdem Communione, ac præterea toto illo anno, a carnium eſu abſtineret. Quare ut tempus hoc Sacrum, tamque religioſum, in quo colendo ſanĉteque obſervando veterum pietas mirifice eluxit, a fidelibus noſtræ ſolicitudini commiſſis, majoris obvantiæ ſtudio, abſtinentia, jejuniis, eleemoſynarum largitionibus, oratione, continentia, carnis maceratione, omnique ſalutaris pœnitentiæ diſciplina colatur, hæc ſancimus, atque edicimus, quæ ab animarum curam gerentibus, ac Concionatoribus quotannis die Dominico Quadrageſimæ initium proxime antecedente, intra Miſſæ celebrationem, ſacramve concionem populo præponantur.

Omnis, quem urgens neceſſitas, vel imbecilla ætas a quadrageſimali lege non eximit, quocunque etiam gradu, ordine, poteſtate, vel dignitate præditus ſit, carnibus, cæterisque omnibus, quæ a carne originem trahunt, upote ovis, lacte, caſeo, & aliis id generis, toto Quadrageſimæ tempore, videlicet a feria quarta Cinerum, uſque ad Sabbatum Sanĉtum incluſive abſtineat. Quicumque autem absque notabilis ſalutis corporalis detrimenti veriſimili periculo, hujusmodi cibis veſci non poterit, de proprii Parochi vel Medici conſilio, & non aliter ipſis utatur, facultate tamen ſcriptis obtenta a Nobis in hac urbe, & per Archi-Diœceſim a proprii diſtrictus Archi-Diacono, vel a Decano, ſive ſaltem a proprio Parocho.

Omnis præterea, quicunque ſit, qui jejunii lege adſtrictus eſt, ſingulis Quadrageſimæ diebus (Dominicis exceptis) jejunium ſervet, alioquin peccati mortalis reum ſe conſtituit.

Præter Quadrageſimæ inſtitutum, jejunium etiam ſervare tenentur fideles, & a carnibus abſtinere, ſtatis quatuor anni temporibus, videlicet feriis quartis poſt primam Dominicam Quadrageſimæ, celebritatem Pentecoſtes, Exaltationem Sanĉtæ Crucis, ac Feſtum Sanĉtæ Luciæ immediate occurrentibus, ac feriis ſextis & Sabbatis hujusmodi ferias quartas ſequentibus; in vigiliis autem Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Apoſtolorum omnium (exceptis S. Joannis Evangeliſtæ, & Sanĉtorum Jacobi & Philippi) Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, S. Laurentii Mart., Aſſumptionis B. MARIÆ Virginis, & omnium Sanĉtorum.

Si aliquod Feſtum occurrat celebrandum, feria ſecunda cujusvis hebdomadæ; non die Dominico, ſed Sabbato præcedenti, ejus vigilia ex pio

Sanctæ Matris Eccleſiæ inſtituto, colatur.

Quod ſi diebus jejunium tam Quadrageſimæ, quam quatuor temporum, & vigiliarum aliquis dies feſtus, etiam ex ſolemnioribus, inciderit, jejunium nihilominus iisdem diebus, ſub peccati mortalis pœna, ſervari debet; niſi vigilia Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ in Solennitate Corporis Chriſti occurrerit, quo caſu eam in antecedentem diem transferendam declaramus.

Feriis autem ſextis, & Sabbatis totius anni (excepto die feſto Nativitatis Domini) abſtinere debent fideles ab eſu carnium ſub eadem pœna peccati mortalis. Laudabilis autem conſuetudo ſupra hominum memoriam in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi Pragenſi, jejunandi ſingula quaque feria ſexta per totum annum, perpetuo retineatur.

Cum autem in die jejunii unica commeſtio fieri debeat hora præſcripta, videant fideles, ne in permiſſa refectiuncula veſpertina, in qualitate, & quantitate cibi excedant; ideo proprium Parochum, aut Confeſſarium, qui ſcientia & pietate præditus ſit, conſulant, ut animæ ſaluti tutius ſatisfacere valeant. Nullo enim modo ferendum eſt, ut cibus coctus, piſces, ſeu aliud ferculum ſumatur, ſed panis tantummodo, fructus, herbæ, & ſimilia leviora, in ea quanticate, quæ prudentis judicio modica cenſeatur.

In die Litaniarum majorum, quæ in feſto S. Marci Evangeliſtæ celebrantur, & præterea triduo ante Aſcenſionem Domini, Litaniis minoribus dicato ex Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ inſtituto, uſuque immemorabili, in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi tota, abſtinere debent fideles ab eſu carnium; qui mos fere per univerſam Germaniam ex priſco uſu obſervari conſuevit. Omni autem cohortationis officio inducant Parochi eosdem Chriſti fideles, ut iis diebus proceſſionibus interſint, Sacrasque Reliquias, ac pia loca, Litaniarum cauſa, religioſe viſitent.

Si quis ſalutis ſuæ immemor fuerit, ut Quadrageſimæ tempore, aut aliis diebus ab Eccleſia ſtatutis, publice, cum ſcandalo, & absque licentia noſtra, ſeu Archi-Diaconi Diœceſani, aut ſaltem Parochi ſui, carnibus veſci præſumpſerit, a nullo Confeſſario abſolvi poterit, absque noſtra, aut noſtri Officialis facultate ſcriptis obtenta, & alias pœnas incurret a Sacris Canonibus inflictas.

Nihil non aggrediuntur, atque omni aſtu ſemper agunt hoſtes fidei Catholicæ, ut impietatum ſuarum virus effundant, ideo Eccleſiæ Paſtoribus maximo ſtudio elaborandum eſt, ut omni tempore, & præſertim in Quadrageſima, Verbi Dei prædicatione, tanquam pabulo vitæ, fideles nutriantur ac confirmentur. Quamobrem quod multis bene inſtitutis civitatibus & locis, antiqui, religioſique moris eſt, ut dum ſacra concio habetur, nullæ tabernæ aut officinæ patentes unquam ſint, id in hac Metropoli, aut Archi-Diœceſi tota ſervari maximopere optamus, quo fideles ad prædicationem frequentiſſimi conveniant. Omnem igitur curam adhibeant animarum Rectores, & Concionatores, ut ab omnibus id in uſum deducatur, & perpetuo obſervetur. Confidimus etiam Magiſtratum ſæcularem in hoc opem omnem pro ſua pietate & religione adhibiturum.

XI. De Eccleſiarum cultu, piaque in eis verſandi ratione.

ECcleſias, quæ Domus Dei ſunt, decet ſanctitudo, omnisque honeſtas, ac cultus: quare Sacri Canones, Apoſtolicæ Conſtitutiones, Sacraque Concilia, multa Eccleſiarum cultum concernentia conſtituerunt Decreta, quæ ab omnibus executioni ſunt demandanda. Inter alia autem hæc fidelibus noſtræ Eccleſiaſticæ jurisdictioni ſubjectis obſervanda proponimus, atque mandamus.

Nemo novam Eccleſiam, ſeu Oratorium, Capellamve atque Altare ædificare, vel conſtruere audeat, absque noſtra, noſtrive Officialis facultate ſcriptis obtenta.

Eccleſias humiliter ac devote quilibet ingrediatur; atque in eis quiete & ſancte converſetur, piisque orationibus incumbat.

Flexis

Flexis genibus Sanctiſſimum Sacramentum omnes venerentur, & adorent; Divinis Officiis & præſertim Sacroſancto Miſſæ Sacrificio, aſſiſtant, ea pietatis exterioris ſpecie, qua ſe non tantum corpore, ſed etiam mente, devotoque cordis affectu adeſſe declarent, aperto ſcilicet capite, & utroque genu, non altero tantum, flexo, niſi dum recitatur Evangelium, quod ad medium, quodque ad finem Miſſæ dici ſolet; Quo enim tempore Sacri Evangelii verba recitantur in Eccleſia, ex Anastasii Summi Pontificis Decreto, ſtare debent fideles; quod etiam ſervandum eſt, cum & in Veſperis, *Magnificat*, & in Completorio, *Nunc dimittis*, & in Matutinis, *Benedictus*, recitentur, quæ ex Evangelio excerpta ſunt.

Ne mendici, eleemoſynæ cauſa in Eccleſiis vagentur, ſed ad januam conſiſtant.

Ne quis præterea, quovis tempore in Eccleſiis deambulet, aut negotiis ſecularibus operam det, ſeu cum mulieribus colloquatur, vel ad Sanctiſſimum Sacramentum terga vertat, aliudve quidpiam, quo Divina impediantur aut turbentur officia, excitet, nec ſuper altare ſe ponat, aut quod abſurdius eſſet, ſuper illo ſedeat.

Neque Baptiſmi fontis, aquæve benedictæ vaſis innitatur, vel inhæreat.

Ne in Eccleſiis, earumve ambitu, ſeu in cœmiteriis res aliquas venales vel proponere, ſeu emere cuivis liceat, neve comeſſationes, choreæ, ſeu profani quiquam ludi fiant. Permittimus tamen, ut candelæ, cereive Eccleſiæ uſui, officiisque Eccleſiaſticis deſtinandi extra Eccleſiam vendi, & emi poſſint.

Ne quis aliquam Eccleſiam ingrediatur cum haſtis, ſclopetis, baliſtis, aliisve hujusmodi armis, niſi Magiſtratuum publici miniſtri ſint. Ne item cum venaticis, vel cujusvis generis canibus, accipitribus, ejusmodive volucribus.

Nulla ſepulchra conſtruantur ſub altaribus, altariumve gradibus; ſed loco ita remoto ſint, ut eorum os a cujusvis altaris gradu diſtet ſaltem dimidia ulna.

Lapides autem ſepulchrales ſolum Eccleſiæ adæquent, illudque nullo modo ſuperent; non Sacerdotibus, aliisve per Eccleſiam incedentibus, ullo ſine impedimento, aut incommodo.

Cum in Epitaphiis conſtruendis, alicujus defuncti imago ſuper ſepulchri operculo, aliove loco ſculpenda eſt, ea ineatur ratio, ut nullam præbeat offenſionem; ſed tota hujusmodi ſculptura ea forma ſit, ut vere fideles ad pietatem modendi vim habeat.

Quavis in Eccleſia, præſertim Parochiali, loco eminenti & congruo, Crucis, ac Chriſti Domini in ea affixi imago, ligno, aliove genere pie, decoreque expreſſa, propoſita, apteque collocata perpetuo habeatur.

Ad dexteram cujusvis portæ Eccleſiæ ingreſſu, poſitum ſit vas aquæ benedictæ, ad uſum conſperſionis fidelium, quod æneum ſit, vel ſtanneum, ſeu lapideum, decenti columella ſuffultum. In eo habeatur continuo aſperſorium decens, quo utantur fideles ad ſe pie conſpergendos, cum in Eccleſiam ingrediuntur, & ab ea exeunt.

Vaſa aquæ benedictæ intus in Eccleſia collocentur, nec vero foris ullo modo, ac ſingula quaque hebdomada diligenter laventur, & aqua hujusmodi ex ſacrorum rituum præſcripto, renovetur. Præterea tam in Metropolitana noſtra Baſilica, quam in Collegiatis & Parochialibus omnibus Eccleſiis, ſingulis diebus Dominicis, ante ſummæ Miſſæ celebrationem, aqua præſcriptis precibus benedicatur, & ea altare, ſe, & populum conſpergat Celebrans ex Sanctæ Eccleſiæ inſtituto. Et nullo modo intermittatur proceſſio cum vexillis, & cruce more conſueto.

Ut autem fideles magis excitentur ad fructus conſequendos, qui ex aquæ benedictæ uſu proveniunt, Parochi omnes eos omni cohortationis officio inducant, ut non ſolum in ingreſſu Eccleſiæ ea ſe devote aſpergant, ſed ipſam domi in cubiculis, vaſe decente incluſam habeant, ſeque ac filios ſuos, & familiam mane & veſperi etiam conſper-

ſpergant, atque item greges & armenta, ac fruges, ut a periculis, quæ dœmonum fraude evenire poſſunt, tutæ ſint.

Aqua benedicta e vaſis tollenda cum renovatur, in Sacrarium, vel in cœmiterium ea parte, qua defunctorum oſſa reconduntur, projiciantur.

In uniuscujusque Eccleſiæ frontiſpicio, a ſuperiori ſcilicet parte portæ majoris, extrinſecus pingatur, aut ſculpatur decore, ac religioſe imago Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, JESUM filium in complexu habentis; a cujus latere dextro exprimatur effigies Sancti, Sanctæve, cujus nomine illa Eccleſia nuncupatur, a ſiniſtro alia item Sancti, cui præ cæteris Parochiæ illius populus venerationem tribuit. Aut ſaltem, ſi totum id triplicis imaginis opus fieri non poteſt, Sancti ſolius figura fiat, cujus nomine ipſa Eccleſia appellatur.

Cujusvis Eccleſiæ Rector, illius tanquam Sponſæ ſuæ cariſſimæ decorem, & ornatum ſummopere diligere debet; quare omnem in eo curam ponat, ac diligentiam; ut tum ex Eccleſiæ redditibus, ſi ſufficiant, tum ex piorum hominum oblationibus, tum ex ære publico, debitis temporibus provideatur, ut illa ſemper undequaque ſarta, tectaque ſit, & ab omni ſorde ita expurgata, ut nihil in ea appareat, quod intuentium oculos poſſit offendere.

Præcipua autem cura adhibenda erit, ut a ſuperiori parte tegulis, aſſeribusve decentibus bene ſit tecta, ab intus vero fornice, vel tabulatis. Ejus parietes ſi non picti, at non rudes ſint, neque inæquales, ſed incruſtati, & decenter calce liniti.

Clave ſemper & ſera in foribus munita ſit, ut tuto opportunis temporibus obſerari poſſit.

Feneſtræ, ex quibus a foris ſtantibus in Eccleſiam introſpicere, & Miſſam videre licet, tollantur omnes, neque in poſterum ædificentur; aliæ autem clathris ferreis clauſæ ſint, & vitreis ſpecularibus munitæ.

Eccleſiæ omnes ſumma munditie ſemper excellant, octavo quoque die, & ſæpius item ſcopis (*) mundetur; pulveres e ſedibus, parietibus, feneſtris, altaribus, ac picturis, vulpium caudis, aut panno aliquo, vel ſcopis ad id aptatis abſtergantur, atque arenearum telæ undique ſtudioſe tollantur.

Frumenta, ſiligines, ligna, fœnum, & omnem prophanam ſupellectilem, inſtrumentaque cujusvis artificii, ab Eccleſiis, Oratoriis, locisve ſacris, ubi illa aſſervata ſint, quamprimum exportetur (**); neque in poſterum illa ibidem recondi, cuſtodirive a quoquam liceat.

Parochi, cæterique Eccleſiarum Præfecti ab earum cœmiteriis, atriis, veſtibulis, parietibus, tectisque ſordes, aliamque omnem fœdam turpitudinem per eos amoveri quamprimum curent, ad quos pro officii munere pertinet; videantque in futurum, ne ſordibus inquinentur, obſordeſcantve; quæ loca, cum ſancta ſint, ab omni labe pura eſſe debent.

Suggeſtus, ſi elegantior non habetur, ſaltem ex tabulis ſectilibus iisdemque firmioribus decenti opere, & forma ab Evangelii latere Altaris majoris, exſtructus ſit, & loco conſpicuo, unde Concionator ab omnibus conſpici & audiri poſſit, apte collocatus. Pro ejus ornatu pannus ſerico, vel ex alia materia juxta facultates, decentis magnitudinis habeatur.

In ſingulis Eccleſiis tot deſiderantur ſedes confeſſionales, quot Confeſſarii in frequentiori populi concurſu adhiberi ſolent. At in quavis Parochiali, ſi non duæ, ut certe expediens eſſet, ſaltem una habeatur ex tabulis ſectilibus conſtructa, quæ a parte anteriori aperta ſit.

In medio tabulæ inter Confeſſarium & pœnitentem interjectæ, fiat feneſtella magnitudinis ab omni parte dimidiæ ulnæ; cui a parte pœnitentis affigatur lamina ferrea plena parvulorum foraminum adinſtar cribri conſectorum. Unicuique autem confeſſionali affixa ſit imago Chriſti Domini Crucifixi verſus pœnitentem.

Præter illud, quod Baptiſterio junctum eſt Sacrarium, alterum etiam aliis uſibus deſtinatum, quavis in Eccleſia habeatur, in Sacriſtia, ſi ampla ſit, vel alio commodiori loco, non tamen in aliquo

(*) Subintelligendum forte: *pavimentum.*

(**) Melius: *exportari curet*, ſcil. *Rector.*

aliquo altari. Illud autem ſera, clavique continuo claudatur.

Turris campanilis oſtium valvas habeat, quæ peſſulo, ſeraque continuo claudantur.

Campanæ nullo modo pulſentur ad quævis opera profana ſignificanda, & præcipue ad ea, quas Robotas vocant; neque item ad dandum ſignum mortis, ſeu ſepulturæ eorum, qui ex Sacrorum Canonum Sanctionibus Eccleſiaſtica ſepultura carere debent.

Pulſentur autem in adventu Legati Sedis Apoſtolicæ, Antiſtitis, & Regis; & præterea cum nimbi, procellæ, turbines aut grandines impendent; ſonus enim earum adhiberi ſolet ad tempeſtates repellendas, ut ex Epiſcopali earum benedictione apparet.

Cœmiteria omnia undique ſint muro circumcincta, & qua ad ea ingreſſus patet, non ſolum valvæ ex aſſeribus habeantur, ſed etiam ſupereffoſſa ad ulnam unam cum dimidia humo, ponatur ferrea crates, aut lignea ſaltem; ut in illa omni ex parte brutis animalibus impediatur acceſſus.

XII. De Altaribus.

ALtaria omnia lapidea ſint, vel ſaltem lateritia, quæ tamen ſi conſecranda ſint, tabulam lapideam & ſolidam habeant totum altare contegentem; eaque exſtruantur ratione, ut in ipſis nihil ſubtus recondi, aut poni poſſit, niſi forte pro reponendis Sacris Reliquiis locus aptus relinquatur. Ea autem a ſcabelli, quam gradum vocant, ſolo, ſuperficieve in altitudinem erecta, ſint aliquantulum minus duabus ulnis; longe pateant ulnis tribus, lata ſint ſeſqui ulna.

Scabellum, ſeu gradus altaris ex aſſeribus, ſolidove lapide, vel coctilibus lateribus confectus ſit, latitudinis ſeſqui ulnæ; altitudinis quartæ partis ulnæ, longius præterea, quam altare ita pateat, ut unumquodque ejus latus excedat dimidia ulna, rurſusque ab utroque latere, ſi fieri poterit, illud cingat.

Altaria ſingula, quæ non tota cum Sacerdote item celebrante, opere camerato, ſed tecto laqueato teguntur, aut fornice ita alte exſtructa, ut ea fornix commode, ſæpiusque purgari non queat, umbella, quam cœlum dicunt, operiantur; idque e lapide, aut ſaltem e panno ſerico, ſeu ex tabulis ſectilibus, vel e tela decenter depicta fieri poterit; quod e ligno aut tela integumentum cum catenis ferreis e tecto, vel e pariete pendentibus, aut alia firma ſtructura ſuſtineatur. Hoc autem integumentum, cujusmodi ſit, undique ita late patere debet, ut altare ipſum, & Sacerdos ibi Miſſæ Sacrum faciens omnino contegantur, quo diligentius & ille & altare a pulvere, omnique labente ſorde defendantur.

Curetur, ut, ubi fieri poterit, unum quodque altare habeat ſepimentum e clathris ferreis, vel e cancellis ligneis opere tornatili decenter conſtructum; & in hujus ſepimenti modio ſint valvæ peſſulo ac ſera jugiter claudendæ.

Feneſtula urceolorum, ampullarumve non in altari, ſed in pariete a latere, ubi Epiſtola legitur, ornate, politeque fiat. A ſolo alte exſtruatur ulna una cum dimidia; ejus vero latitudo ſit dimidia ulna, altitudo paulo minus una ulna, ſitque diſtincta lapideo opere, vel ſaltem aſſere decenti transverſo. Ejus autem pars inferior uſui ſit ad projiciendam aquam ablutionis manuum Sacerdotis Sacrum facientis; & ideo foramen habeat exiguum in medio, unde illa defluat in ciſternulam ſuffoſſam. Superior vero pars uſui ſit ad pelviculam cum urceolis, ampullisve, dum Miſſæ Sacrum fit, reponendam.

Altaria omnia, quæ nondum conſecrata ſunt, quamprimum ad ſacrorum rituum præſcriptum conſecrentur. Eorum autem, quæ conſecrata non ſunt, unumquodque petram habeat ſacratam, quod altare portatile dicunt, longitudinis trium quadrantium ulnæ, latitudinis paulo amplius dimidia ulna. Ea autem tela cerata cooperta ſit, atque in altaris medio juſta dimenſione ita inſerta, ut nequeat amoveri, & aliquantulum promineat ab illius menſa, quo Celebrans certo dignoſcere valeat, ſe ſuper ipſa Sacramentum perficere.

Altaria ſingula picturam habeant decentem. Crucem item elegantem, quæ ſaltem ænea ſit. Candelabra duo, ſaltem ænea, cum vaſculis etiam æneis ad ſuſtinendas candelas. Duo extinctoria e lamina ferrea tenui confecta, cum ſuis baculis parvulis, & decentibus. Cartulam cum ſecretis orationibus ſuper tabella, quæ aliquo vel modico circumdata ſit ornamento, extenſam. Mappas numero convenienti, ut cum erunt abluendæ, mutari poſſint, quarum aliquæ longiores ſint, ita ut altaris latera uſque ad terram contegant. Pulvinaria congrua ex ſerico, vel e corio inaurato, aut alia decenti materia, ad librum miſſalem ſuſtinendum; eorum autem loco haberi poterunt parva pulpita, ſaltem lignea polite elaborata. Telam viridem, aut alterius coloris, qua ſemper contectæ ſint altarium menſæ poſt celebratam Miſſam, ut mappæ a pulvere, ſordibusve præſerventur. Ubi vero altarium menſæ non ejusmodi tela, ſed aſſeribus cooperiri ſolent, quo tempore in eis Miſſa fit, aſſeres ita tollantur, ut nulla ipſius menſæ pars ab illis occupata remaneat.

Antipendia omnium colorum Eccleſiæ ritui convenientium, cum elegantiora pro ſolennioribus, tum congrua pro ferialibus diebus. Duo candelabra decentia ad ſuſtinendas faces, vel cereos cum duobus extinctoriis.

Unicuíque altari a parte, unde Evangelium legitur, tintinnabulum parvum, parieti laterali affixum hæreat, appenſo funiculo tam longo, quo Clericus Miniſter uti poſſit, cum Corpus Domini elevatur in Miſſa, ad illud certis diſtinctis ictibus pulſandum.

XIII. De Sacriſtia.

SAcriſtiam, in qua & ſupellex omnis Eccleſiæ ſervari debet, & Sacerdos celebraturus ſacras veſtes induit, habeat unaquæque Eccleſia, in qua Miſſæ Sacrum celebratur. Ea autem ab altari majori paululum diſtet, & ad Orientem, ac Meridiem ſpectet, loco non humido, non uliginoſo, ne ſacra indumenta corrumpantur. Pavimentum habeat ab humo aliquanto altius exſtructum. Tectum vero ſit fornicatum, aut ſaltem aſſeribus polite elaboratis conſtet. Duas ſaltem habeat feneſtras, unde aër facile exire valeat, quæ ferreis clathris, opereque vitreo munitæ ſint. Oſtium valvis decentibus peſſulo, ſeraque munitis occludatur.

In qualibet Sacriſtia, loco magis conſpicuo, ſit Sacra Imago, tum etiam altare, Cruce & candelabris munitum, & mappa contectum, ad quod Sacerdos celebraturus ſacras veſtes induat; vel ubi, præ ſitus anguſtia, altare conſtrui non poſſit, armarium, ſeu veſtiarium illius altaris vicem gerat. Ad Crucem, vel regione Sacerdotis ſe induentis poſita ſit tabella, orationes continens ad ſingula indumenta recitandas, & eas item, quæ ante & poſt Miſſam recitari debent.

Sit præterea Oratorium ab aliqua Sacriſtiæ parte, ſive prominens, ſive intus decenti loco, idque inſtar parvi cubiculi, quo Sacerdos Miſſæ Sacrum facturus ſe recipiat, ibique ſe ſe colligens paulisper meditetur, & oret. Præterea altare parvum habeatur, in quo propoſita Chriſti effigie, aut alia pia imagine ſancte precetur, & gradus ligneus, ubi orando genua flectat. Si vero Sacriſtia ita exigua & anguſta eſt, ut ejusmodi Oratorium habere nullo modo poſſit, ab aliquo ejus latere, quod orationi commodius ſit, gradus ligneus apto loco, tela ſaltem vel panno obducto, collocetur, ubi Sacerdos genua flectens oret, affixa in pariete aliqua imagine Sacra, & tabella item earum orationum, quæ ante, quæve poſt Miſſam recitari ſolent.

Vas aquarium, quod manibus abluendis uſui ſit, e ſtanno ſolidove lapide fiat, cui papilla una, ſeu fiſtula, aut prout opus erit, plures infigantur. Ab inferiori parte ſinus aquarius concavus ad excipiendam aquam, quæ inde affluit e lapide item ſolido, vel ſtanno ſit, foramenque habeat, unde per fiſtulam aqua in parvulam ciſternam ſubterraneam, vel alio derivetur. Ubi vero exiguus eſt redditus, ſuperioris vaſis vice adhibeatur ſitula, cui papilla, ſive fiſtula inſtar gallinacei hæreat, unde aqua ad ablutionis uſum ſenſim affluat, ſubjecto labello, ſinuve aquario, vel

vel alio vaſe in parietis concavitate, quæ hemicycli exigui formam præbeat, ornate exſtructo, ne Sacriſtiæ ſitum impediat.

Ad abſtergendas manus manutergium linteum prope vas aquarium ab opere, inſtrumentove tornatili pendeat; idque ſæpe mutetur, ut ſemper mundum, nitidumve habeatur. E tela congrua confectum ſit, tantæ latitudinis, quanta eſt telæ latitudo; longitudinis vero ulnarum ſex.

Armarium item ad indumenta, veſtes, & ornamenta Eccleſiæ aſſervanda, ex firmis tabulis ſit confectum, a pavimento Sacriſtiæ altitudinis ulnæ unius cum dimidio, cum capſulis ductilibus pro colorum varietate ſacras veſtes aſſervantibus. Cui armario loculi etiam adjuncti ſint, quibus Sacri Calices, patenæ, corporalia, vela, & alia id generis recondantur. Alii præterea, in quibus libri ad Chori, Eccleſiæve uſum collocentur, ubi ſcilicet, vel loci anguſtia, vel cenſus tenuitas proprium, præcipuumve librorum armarium fieri non patitur.

In Sacriſtia Parochialis Eccleſiæ habeantur, ſi fieri poteſt, paramenta integra omnium colorum, qui ex ſacrorum rituum præſcripto in Divinorum celebratione adhiberi ſolent, & ſolenniora, & ferialia item. Omnino autem caſulæ cum ſtolis & manipulis ſaltem duplices ſint omnium colorum; decentiores ſcilicet aliæ pro diebus ſolennioribus, & congruæ pro ferialibus.

Præterea tam in inſignioribus, quam in aliis Eccleſiis, neceſſaria eſt omnis ſupellex, qua Miniſtri Eccleſiaſtici, in Divinis Officiis celebrandis uti ſolent. Ut autem in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi noſtra, uniformis ineatur ratio in hujusmodi ſupellectile conſtruenda; hæc ſummatim præſcribenda cenſuimus, quæ ab omnibus in uſum deduci jubemus.

Amictus, quem humerale vocant, e tenui, candidaque tela conſtruatur, longitudinis ulnæ cum dimidio, latitudinis unius ulnæ, cum cruce parva in ejus medio. Habeat autem in duobus ejus angulis funiculos, qui ad crucis inſtar ſupra Sacerdotis pectus transverſi, indeque in tergum ducti, & mox revocati connectantur.

Alba e tela tenui, candidaque ſit, longe tres ulnas producta, & late tres item circumquaque pateat.

Cingulum e candido filo conficiatur longitudinis ulnarum quinque. Ejus autem capita globulis ejusdem materiæ inſerantur, filamentorum manipulis, floccisve appenſis.

Stola extrinſecus ejusdem materiæ & coloris ſit cum planeta, intrinſecus autem tenui ſerico veſtiatur ejusdem coloris, longe ulnis quatuor cum dimidio producatur; late vero pateat quinta parte ulnæ. Ab utraque autem extrema parte ſenſim latiuscule patens, laciniis ornetur congruæ longitudinis. Stolæ vero cruces tres annectantur, una in medio, reliquæ duæ in ejus partibus extremis.

Manipulus ſit ejusdem materiæ & coloris ab utraque parte cum ſtola, longitudinis unius ulnæ cum dimidia, habeatque tres cruces annexas, unam ſcilicet in medio, & alias duas in partibus extremis, quæ ſenſim latiuscule patentes laciniis exornentur, longitudinis decimæ partis ulnæ. In ejus medio a parte inferiori funiculi annectantur cum globulo e ſerico filamentorum manipulo, floccove appenſo; quibus funiculis, ac globulo ita Sacerdotis brachio manipulus hærebit, ut firmior reddatur.

Caſula, quam alii planetam vocant, longe pateat ſaltem ulnas duas, faſciamque habeat decentis latitudinis aſſutam, & ab anteriori & poſteriori parte uſque ad extremum dependentem, cui altera faſcia transverſalis in ſumma prope parte a fronte adjuncta, crucem exprimat.

Veſtis pluvialis, quam cappam dicunt, longitudine ulnarum duarum cum dimidio conſtet, & pro ſemicirculi ratione late pateat. A fimbriis ornatum laciniarum habeat, a parte ſolum anteriori, tota ab ſummo ad extremum uſque aperta, hinc & inde auri phrigio, ſacris etiam imaginibus intexto, decoretur; a poſteriori parte, inſigne, quod caputium ſive ſcutum vocant,

cant, brevibus admodum laciniis, ornatu vero auriphrigiato, qui anteriori reſpondeat : a ſumma parte anteriori fibula inconſuta connectatur, intrinſecus vero ſerico tenui, aut tela bombyce texta ejusdem coloris circumveſtiatur.

Dalmaticæ, ſeu tunicellæ longitudinis ſint duarum ulnarum, cum auriphrygiis ſive quadris particulis, ejus panni & artificii, ut cum faſciis caſulæ, & pluvialis omnino conveniant.

Antipendium altaris, veſtimentum ſcilicet, quod ante altare tenditur ſuſpenſum ad ejus ornatum, paulo longe quam altare patere debet ; eoque altius, ut ab una parte paululum ſub coronice gradus ejusdem altaris occultetur. A ſuperiori parte palmum a ſummo diſtante, laciniis auro, ſericove elaboratis pro colorum ratione ex Eccleſiæ ritu præſcripta, ornetur. Intrinſecus tela bombycina, aliave decenti veſtitum ſit, quæ a ſuperioris parte palmo uno excedat, ut ſub mappis reflecti poſſit.

Superpelliceum ex tela linea decenti eſſe debet ejus longitudinis, ut a terræ ſolo non amplius, quam quadrante ulnæ diſtet; cujus manicæ ſint latitudinis in omnes partes amplæ duarum ulnarum, & quadrantis.

Calix ex auro, vel argento, aut ſaltem ex aurichalco, dummodo cupa ſit argentea, ab interiori ſaltem parte inaurata, confectus ſit. Ejus pes ample pro illius magnitudine ita pateat, ut firmiſſime, ubi collocatur, conſiſtens cadere non queat. Cupa forma antiqua conſtet; nempe aliquantulum in fundo anguſta ſenſim uſque ad ſummum labrum latior fiat.

Patena ex auro, vel argento ſit, aut ſaltem ex ære undique inaurata; labrum extremum circulare ita ſubtile habeat, ut eo Sacræ Hoſtiæ fragmenta facile colligi poſſint. Illam mediam tenuem concavitatem habeat, quæ amplitudinem labri calicis fere adæquet.

Sacculus calicis & patenæ e tela tenui ſit, late tam patens longeque productus, ut minime arcte calicem capiat. Ita conſutus erit, ut duo angu-li fiant, & transverſus calix in ipſum ſacculum conſtringatur.

Theca lignea ad calicem una cum ſacculo condendum comparata, opere tornatili conficiatur magnitudinis competentis cum operculo, quo compreſſe claudatur. Intrinſecus panno laneo, vel holoſerico, extrinſecus corio circumveſtiatur, & cingulum ex corio ad eam geſtandam adhibeatur.

Velum calicis, quod ſtrophiolum dicunt, ab omni parte ulna, & aliquanto amplius pateat; & ab oris undique ſit opere ſerico, auro argentove tenuiter ornatum, etiamſi e tela tenui ſit, decenter elaborata.

Corporale e tela linea pura & candida ſit, ac ſimplex item; nihilque elaboratum, & nihil ſericum intextum habeat. Ab oris autem acus opere ſimplici punctum ſolum retortum ſit, longe, lateque pateat ulnam unam; ita vero complicatum, ut nulla ejus extremitas appareat.

Palla ex eadem tela conſtet, qua corporale, ſed duplicata, longitudinis & latitudinis tertiæ partis ulnæ. Ea autem magis munda habebitur, ſi nulla ex parte ſerico elaborata ſit, & ſemper cum corporali lavetur, atque amilo illiniatur.

Sacculus, burſave corporalium a fronte ſit cruce, vel alia ſacra imagine in medio intexta, a tergo etiam ex eadem materia & colore; intrinſecus vero ſubſerico aut tela tenui candida circumveſtitus ; late autem undique pateat circiter dimidia ulna.

Purificatorium e tela non craſſa admodum, neque tenui nimis & ſimplici acus opere confectum, latitudine ſit ab omni parte ſaltem dimidiæ ulnæ. Ei autem Crux parvula in medio, vel in quatuor ſummitatibus, quos angulos appellant, acu pingatur.

Urceoli, ampullæve ex argento ſint, vel e ſtanno, aut vitro ab omni parte ſordibus puri; ea latitudine, ut in eos digitus immitti poſſit, cum lavabuntur, quo nitidiores habeantur.

Pelvicula urceolorum, ampullarumve, ſi aurea vel argentea non ſit, e ſtanno ſit, opere autem cælato piam ſpe-

Digitized by Google

ſpeciem exprimente; fundo intrinſecus conſtet lato, ac plano, non elaborato, quo firmius ampullæ impoſitæ hæreant. Permittitur etiam pelvicula ex argilla, fictilisve, ſi congrua ſit.

Miſſale opere librario bene firmiterque compactum, & conglutinatum tenuioribus tabellis ſectilibus, corio, ſericove intectis operiatur, & ad ejus ornatum folia inaurata exiſtant.

Signaculum, ſive regiſtrum Miſſalis cornu transverſale, unde cordulæ pendent, habeat e ſericis filamentis confectum, atque ita latum, ut ejusdem Miſſalis craſſitudinem adæquet; funiculos vero, cordulasve ſericas duodenas colore diverſo diſtinctas, ac longe ita ductas, ut Miſſalis longitudinem octava parte ulnæ excedant.

Pulvinar, quod Miſſali ſupponitur, plenum ſit, non pluma, pilisve animalium, ſed lana ſolida, aut bombyce, longe patens tribus quadrantibus ulnæ, late dimidia ulna.

Thuribulum, navicula, & cochleare, ſi pretioſiora haberi non poſſint, ex aurichalco ſingula ſint artificioſe cœlata, atque ornata periti artificis judicio. Quod ſane thuribulum cum quadruplici catenula ſit, & operculo ejusdem metalli; longitudo autem catenularum ſit ulnarum duarum.

Linteum, quod manibus abſtergendis in Miſſæ Sacro uſui eſt, ex lino tenui contextum, longitudine ulnæ unius cum dimidio, latitudine vero paulo amplius quam ulna, tum præterea ab uno & altero capite ornatum laciniis, & filamentis ejusdem materiæ, & ab extremitatibus lateralibus acus opere ſimplici punctum retortum ſit.

Tabella geſtatoria, quam pacificale vocant, ſi ex auro haberi non poteſt, ſaltem ſit ex aurichalco conflata, & aliquæ piæ cœlaturæ ornatu inſignis, imaginem pietatis condecenter, egregieque expeſſam exhibentis. A tergo manubrium habeat ejusdem metalli. In ea autem includi poterunt aliquæ Sacræ Reliquiæ, ad fidelium devotionem magis augendam.

Vas geſtatorium aquæ benedictæ ex argento opere cœlato, ſi fieri poteſt, habeatnr, alioquin ex ære, aurichalco, vel ſtanno conflatum permittitur.

Vaſcula ſacrorum liquorum uſui Eccleſiæ Archi-Diaconalis grandia ſint, pro Eccleſiarum eidem Archi-Diaconatui ſubjectarum numero, quibus diſtribuenda ſunt. Quæ vaſcula argentea ſint, aut ſaltem e ſtanno pretioſiori; inſcriptionibus inter ſe diſtincta, quibus ſingula Sacra Olea internoſcantur.

Capſula habeatur lignea opere tornatili confecta, decenter quæ ſervandis, portandisque ſacrorum liquorum vaſculis uſui ſit, cum ad ea ab Eccleſia Metropolitana accipienda ſtato Paſchæ tempore mittetur.

Vaſcula autem Parochialis Eccleſiæ ad uſum Sacra Olea ſervandi, ubi præ inopia ex argento fieri non poſſunt, e ſtanno, tum perpolita, mundaque omnino ſint. Tria deſiderantur, forma rotunda, atque ejusmodi, quæ inter ſe nulla plane diſſimilitudine ſint, ſic quidem apte coagmentata, conjunctave, ut trianguli figuram exhibeant. Inſcriptiones aperte expreſſas habeant, quibus uniuscujusque Sacri Olei vaſculum diſtincte internoſcatur.

Habeatur vaſculum ligneum congruum opere tornatili confectum, quod Scatulam vocant. Idque a parte interiori aliquo ornamento ſerico veſtiatur. Habeatur præterea ſacculus e ſerico confectus, in quo ſcatula cum Sacrorum Oleorum vaſis includatur.

Vaſculum, quod hoſtiis aſſervandis paratur, ex operculo conſtans, forma rotunda ſit, ex argento, aut ſaltem ex polito ligno tornatili, aliave decenti materia, decoroque item ornatu, & opere confectum; intrinſecus vero ſerico panno veſtitum, late ita pateat, ut hoſtiæ inde promi commode poſſint.

Alterum item vaſculum minoribus hoſtiis aſſervandis habeatur, quod ex eadem materia, eodem opere, & ornatu conſtet, ac amplitudine majore, nempe quintæ partis ulnæ per diametrum ducta.

Vas ad uſum abſtergendi calices, & lavandi corporalia ex aurichalco, ſtannove confectum, aut æneum paretur

retur in unaquaque Eccleſia, inſtar pelvis binis manubriis conſtans, atque ab uno labro ad aliud una ulna late pateat: osque habeat eminens, per quod quaſi per canalem aqua inde paulatim in Sacrarium effundi poſſit.

Capſulæ corporalium e ſpecioſo ligno, aut certe condecenter ornato ſint, intus vero ſerico, aut tenui panno lineo, circumveſtitæ, forma quadrata. Habeantur autem capſulæ purificatorum, quæ itidem veſtitæ, atque expolitæ ſint.

In ſingulis Sacriſtiis appendatur loco conſpicuo tabella, in qua ſigillatim deſcripta ſint omnium Miſſarum, & Anniverſariorum onera, quæ in illa Eccleſia ex obligatione celebrari debent, & dies itidem adnotati, quibus illa ſunt perſolvenda.

Habeatur præterea liber, in quo Miſſæ, quæ indies fient, a quolibet Sacerdote proprio chyrographo notentur; ut ſcire poſſimus, an Miſſarum obligationibus debite ſatisfiat.

XIV. De Sacramentalibus.

CHriſtianæ pietatis ornamentum, in quo populum fidelem gloriari oportet, altare eſt cœleſtis holocauſti, Sacroſanĉta illa arbor Crucis, in qua Author humanæ redemptionis pependit Chriſtus Dominus. Quare ad Catholicæ Religionis gloriam inſignis admodum fuit ea veterum pietas, ut Crucis ſignum non in Templis ſolum, ſed domi, foriſque in parietibus, ac veſtibulis, paſſimque in Civitatibus, expreſſum appareat, tanquam & præclarum populi Chriſtiani trophæum, & clariſſimum Divinæ miſericordiæ monimentum, & ſempiternum denique teſtimonium, quo palam fieret, fideles cum inimicis Chriſti nihil habere commune; ſed contra eos omnes libere profiteri, quem colunt, Dominum JESUM, & hunc crucifixum. Hoc igitur Majorum religioſo exemplo atque inſtituto excitati, Parochi omnes, in ſuæ quisque Parochiæ cœmiterio, vel alio inſigniori loco, ex ære, vel ex lapide, aut ſaltem ex ligno præcipuis Chriſti Paſſionis myſteriis expreſſum, in foris, viisque publicis, præſertim vero in biviis, & triviis, eminentiori loco, erigi curent: idque, ut a populis ſibi creditis ſedulo præſtetur, frequenti admonitione efficient omnino

Die Sacro PURIFICATIONIS Beatiſſimæ MARIÆ Virginis, uſus ritusque benedictionis candelarum, cereorumve, cum plenus myſteriorum eſt, tum ſalutarium utilitatum, quas non ſolum ex orationibus, quibus Eccleſia in ea benedictione utitur, ſed ex omni Rituali libro probato, Parochus, Concionatorve, eo ipſo die fidelibus ſtudioſe exponat, quo religioſius illas & geſtent, & habeant: nam cum illius benedictionis precatio ad alia multa referatur, tum ad hæc in primis:

Ut candelæ valeant ad ſanitatem animæ, & corporis, terra, marique.

Ut de locis, ubi accendentur, Dæmon, & quidquid Dæmonis ars molitur, depellatur.

Ut mentes, & corda fidelium igne & ſplendore Sancti Spiritus accendantur, illuſtrenturque, ac depulſis vitiorum tenebris, videant, quæ ſunt Deo grata & ſaluti utilia.

Ut ignis caritatis cum lumine fidei in animis accendatur, quo ad lumen æternum vitæ cœleſtis perducantur.

Hæc ſibi omnia a Chriſto Domino, qui eſt Deus verus, & ſplendor lucis æternæ, concedi precantur, interceſſione & ſanctiſſimis meritis Beatæ MARIÆ Virginis, quicunque fideles in illius honorem candelas, quibus benedictionis preces eo die adhibitæ ſunt, devote geſtant.

Sacrorum CINERUM uſus in Eccleſia Dei antiquiſſimus eſt, ac non ſolum ad ſignificandam, ſed etiam ad excitandam pœnitentiam introductus. Quare Parochi & Concionatores, die Dominico, qui feriam aſperſionis Cinerum proxime præcedit, ſalutares eas utilitates populum doceant, quas in earum benedictione multis orationibus Eccleſia petit. Atque hæ quidem præter cæteras ſunt:

Ut fideles, qui Sacro Cinere aſperguntur, ad intimam cordis humilitatem adjuventur.

Ut in eos benedictio cœleſtis deſcendat,

ſcendat, qua adjuti, vere intimeque toto animo peccata doleant, hoc mente ſecum reputantes, ob hominis peccatum terram maledictam fuiſſe, nosque omnes in cinerem, ac terram redituros.

Ut detur corporis valetudo ad pœnitentiam peccatorum peragendam.

Ut anima Divino auxilio protegatur.

Ut a Deo impetremus, quæ ad illius voluntatem petimus.

Ut conſtanti animo in bene agendo perſeveremus.

Hæc bona, quæ Mater Eccleſia pro Sacrorum Cinerum ritu a Divina benignitate precatur, ut fideles pie conſequantur; Parochi & Concionatores, illo ipſo die moneant, quam religioſa intimi animi pietate, quam humili contritoque corde, quam demiſſo veſtitu ad eam actionem conveniant, quamque ſerio ſecum ſtatuere debent, illos jejunii dies in amaritudine animæ ſuæ traducendos ad peccatorum ſatisfactionem.

Hoc aſperſionis Cinerum miniſterium curent Parochi, ut quilibet ſive mas, ſive fœmina pie ſuſcipiat.

Sanctiſſimi præterea & antiquiſſimi inſtituti in Eccleſia Dei eſt, die Dominico Paſcha proxime antecedente, Ramos Palmarum, & Olivarum ſolennibus precibus benedici, ac fidelibus tradi, qui eos in proceſſione geſtent, & domi religioſe, atque decenter aſſervent. Et ſicut ritus is, & inſignem illum Chriſti Domini ingreſſum ad urbem Hieroſolymam & triumphum illum commemorabilem ſignificat, quem Paſſione & morte ſua ſuperatis hoſtibus, idem Dominus reſurgens reportavit; ita aliis etiam myſteriis plenus, a Parochis & Concionatoribus explicetur, quo ardentius ad illius Religionem fideles accenſi, ſpirituales fructus capiant, quos ipſis a Deo Eccleſia precatur. Suntque hi præſertim:

Ut accipiant mentis, corporisque vim ad ſalutis opem, Deique gratiam implorandam.

Ut quemadmodum rami foliis virent, ita opera noſtra, & juſtitia, & omni virtute ſancta quam florentiſſima ſint.

Ut quocunque hi rami inferentur, ejus loci incolæ benedictionem Dei conſequantur, omnique re adverſa propulſata, virtute Altiſſimi defendantur.

Has & alias ſalutares utilitates Parochi, & Concionatores fidelibus exponant, ut qua debent pietate, religioſoque animo ſacros ramos capiendo, geſtando, & cuſtodiendo, ita Dominum precentur, ut per Paſſionem mortemque ſuam, qua Dœmonem ſuperavit, & per miſericordiam illam immenſam, qua id egit, non ſolum corpora a malis tueatur, ſed animæ gratiam ſuam cœleſtem infundat; ſicque ipſi multis virtutibus, bonisque operibus florentes, Chriſtum Dominum ſequantur, hoſtibusque omnibus devictis, ad cœleſtis Hieroſolymæ gaudia introducantur.

Sanctiſſimi item, veterisque inſtituti eſt, a Summo Pontifice Romano formas illas cereas, quas Agnus Dei a figura impreſſa vocamus, ſolenni benedictionis ritu, multisque religioſis cæremoniis, non ſolum primo, ſed ſeptimo quoque Pontificatus anno conſecrari. In quo conſecrationis munere, ſicut ille Chriſti Vicarius, (cujus oratio tanto majoris eſt momenti, quanto ejus officium in Eccleſia ſublimius, & cum eodem Chriſto Domino conjunctius) multa ſancte precatur, a Deo illis concedi, qui animo pio devotoque eos Agnos apud ſe habuerint, ita a fidelibus magna devotione iidem geſtandi ſunt, ad eosque uſus religioſe adhibendi, ad quos ſacræ preces ex Eccleſiæ inſtituto referentur. Quare peculiari GREGORII Papæ VIII. Conſtitutione prohibetur ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda, ne minio, auro aut ullo colore inficiantur, neque venales proponantur.

Cum domi aſſervantur, ut piæ conſuetudinis eſt, loculo decenti recondantur, cum autem in collo appenſi geſtantur, in thecam auream, argenteam, eburneam, cryſtallinamve aut alterius generis decentis, recte incluſi ſint, ita ut tactu violari non poſſint. Nec vero ad ornatum habeat quidquam, quod profanum ſit, quodque minime deceat. Neque qui illos geſtant,

ſtant, aliquid impure, turpiterve agant, aut a Sacra hujusmodi re alienum.

Præterea nemo aliquem ex his Sacris Agnis annulo geſtet. Thecarum fabri ne aliquam particulam ſacræ illius ceræ, e qua Agni imago confecta eſt, in eis includant, quo pluris opus ſuum vendant, ſeu ab eo accipiant, qui thecam Agni cauſa faciendam locarint.

XV. De Sacramentis generatim.

SAcramenta omnia, cum a Chriſto Domino ſalutis noſtræ cauſa ſint inſtituta, atque ex illius Sanguine pretioſiſſimo vim ſumpſerint, ac virtutem; omni animi pietate, ac religione præſtare is debet, qui illa tractaturus eſt, vel miniſtraturus; ne impure miniſtrans, dum aliis ſalutem afferre procuret, æternam ſibi mortem comparet. Studeat igitur ab omni mortiferi peccati labe integrum ſervare animum, qui ad illa miniſtranda, omni fere temporis momento paratus eſſe debet.

Verum ut fidelium mentes ad ea percipienda, qua par eſt, devotione erigantur, eorum vim, ac virtutem frequenter, præſertim cum illa miniſtranda erunt, ex Catechiſmi Romani ſenſu, fidelibus explicabit.

Atque ut intus candida innocentiæ ſtola ornatus eſſe debet, ita etiam extrinſecus mundo ſuperpelliceo, ſtolaque ejus coloris, qui Sacramento miniſtrando congruat, etiam in Sacramentalibus confeſſionibus audiendis, indutus ſit ſemper.

In iis autem miniſtrandis omnem adhibeat diligentiam, ac ſolicitudinem, cum præſertim ægrotorum nomine, vel media nocte accerſetur, quo quidem tempore, neque a procellarum vi, neque rigore a gelu detineatur, quo minus, quocunque oportuerit, etiam in ultimos Parochiæ fines, eo prompte, & alacriter, nulla interpoſita mora, ſe conferat.

Sedulo quoque videbit, ne ad Sacramenta quævis aliquem admittat, niſi armis depoſitis, modeſtoque habitu, ac compoſito corporis geſtu, aliquod reverentiæ interioris indicium exteriori cultu proferat. Neque item eos, qui ſolemnes fidei noſtræ articulos, vel ſaltem ejusdem fidei quatuor præcipua capita, nempe Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum ignoraverint, eaque ediſcere non curarint.

Caveat præterea, ne pro Sacramentorum adminiſtratione, quidquam prorſus exigat, vel extorqueat, ſeu ſignis, aut verbis, aliquid tanquam pretium, vel mercedem quovis modo petat, ſeu de iis paciſcatur: id enim non ſordidæ tantum avaritiæ, ſed etiam Simoniacæ pravitatis non caret ſuſpicione. Honoraria tamen, & quidquid eleemoſynæ nomine dari ſolitum eſt, prompte impendant homines laici, conſuetudinem pie ac religioſe introductam, ſancte obſervantes. Illud autem videant Parochi, ſi id impendere aliqui renuerint, Sacramenta eis miniſtrare non differant, neque recuſent; ſed poſt miniſterium, eorum nomina ad Nos, vel Officialem noſtrum deferant, ut eos Sacrorum Canonum jure, ad piam conſuetudinem obſervandam compellamus.

Religioſa cura in Sanctis Sacramentis miniſtrandis & percipiendis neceſſaria, cum ex ipſis myſteriis intelligi poteſt, tum perſpicitur ex precibus, & ſacris cæremoniis, quæ a Divinis, Apoſtolicisque traditionibus derivatæ, ac perpetuo Sanctæ Eccleſiæ uſu corroboratæ, ad hæc uſque tempora pie retinentur. Sacramenta enim a Chriſto JESU inſtituta, & ad communem omnium ſalutem propoſita, cum cœleſtia munera ſint, atque inſtrumenta Divinæ gratiæ, ſolemnibus cæremoniis tractantur; ut eorum tum adminiſtratio ſancta ſit, tum perceptio plena religionis.

Ut igitur in hac Metropoli & Archi-Diœceſi noſtra, uniformi ratione, miniſtrentur, librum Rituale inſcriptum: Obſequiale, ſive benedictionale, quod Agendam appellant; Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ, (qui poſtquam juſſu noſtro recognitus fuerit, ad Parochorum noſtrorum commodum, Typis denuo deprometur) omnes penes ſe habeant; & quidquid in eo præſcribitur, exacte obſervent, & in uſum deducant. Edito autem libro Rituali noſtro,

ſtro, ut ſupra, reformando, antiquorum uſum, ſub gravi pœna, arbitrio noſtro infligenda, omnibus plane interdicimus.

Præterea antequam Parochus, aliusve Sacerdos ad aliquod Sacramentum miniſtrandum accedat, paululum ſaltem in ſacræ functionis, quam obiturus eſt, meditatione, attente verſetur, atque genibus flexis ad altare aliquantulum orabit, & hanc orationem adhibere poterit, ubi propria adſcripta non eſt.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. ℣. *Gloria Patri*, &c. ℟. *Sicut erat*, &c. & repetitur: ℣. *Veni Sancte Spiritus*, &c. *Dominus vobiscum.* ℟. *Et cum Spiritu tuo.* Oremus. *Domine Deus omnipotens, qui me indignum propter tuam miſericordiam miniſtrum feciſti Sacerdotalis officii; propitius eſto peccatori; ut digne poſſim Divinæ clementiæ Sacramenta, fidelibus ad ea confugientibus miniſtrare. Per Chriſtum Dominum noſtrum.* ℟. *Amen.*

XVI. De Baptiſmo.

BAptiſmi Sacramentum, cujus virtute a damnationis baratro, cui tanquam naturæ filii addicti, omnes naſcimur, in Dei filios adoptamur, atque in innocentiæ ſtatum reſtituimur; omne certe ſanctitate, & gravitate miniſtrandum eſt, atque omni item cum humilitate, ſanctaque modeſtia ſuſcipiendum. Quare in ſingulis Eccleſiis Parochialibus, loco convenienti, habeatur fons baptiſmalis, ſive baptiſterium, e ſtanno, ſolidove lapide conſtans, non tamen ſpongioſo, ne ex illo aqua effluat; qui forma congrua ſit, & columella ſuffultus. In eo autem toto anno habeatur aqua baptiſmalis ex ſacris ritibus conſecrata. Is præterea ſera, quæ amoveri nequeat, jugiter claudatur. Clavis autem a Parocho ſolo diligenter cuſtodiatur, neminique committatur, ne quæ temeraria manus ejusmodi aquam accipere poſſit, vel ea ſuperſtitioſe abutatur.

Panno decenti continuo tegatur, non ſolum ad ejus ornatum, ſed etiam ut aqua a pulvere, aliisque ſordibus præſervetur.

Licet omne aquæ genus, ſive maris, ſive fluvii, ſive paludis, ſive putei, ſive fontis, quæ ſine ulla adjunctione, aqua dici ſolet, etiamſi ſit lutulenta, ſit ſufficiens hujus Sacramenti materia, tamen extra caſum neceſſitatis, non alia aqua in hujusmodi miniſterio adhibenda eſt, quam ex Sanctæ Matris Eccleſiæ inſtituto, ſtatis cæremoniis, & Sacrorum Oleorum admixtione, Sabbato Sancto, & Sabbato item Pentecoſtes, ſolenni ritu, conſecrari ſolet, & in baptiſterio toto anno pure, & decore aſſervari. In caſu autem neceſſitatis curandum eſt, ut pro Sacramenti dignitate, aqua pura & munda habeatur.

Cum ſtatis Sabbatis aqua in baptiſterio renovatur, fons ipſe diligenter lavetur, & lotio in Sacrarium, quod juxta illud eſt, vel ſuper oſſa mortuorum projiciatur.

Cum autem ad aures noſtras devenerit, aliquos Parochos in eorum, qui baptizandi ſunt, exorciſmo antiquiſſimum Eccleſiæ Catholicæ inſtitutum non ſervare, inſerendi ſalem baptizandi ori, ad illa verba: *N. accipe Salem ſapientiæ*; &c. &c. decernimus, ut ad Pragenſis Ritualis præſcriptum, ab omnibus id omnino obſervetur.

Videat Parochus, ubi primum infans Baptiſmi cauſa ad ſe delatus eſt, an ſuæ Parochiæ ſit; quem ſi alienæ eſſe norit, eum, niſi inſtante neceſſitate, non baptizet, ſed ad Parochum proprium jubeat deferri.

Nemini liceat quemquam intra domeſticos parietes baptizare, ſed natum infantem ii, quorum eſt ea cura, ante novum ab ortu diem, in Eccleſiam portandum curent, ut a proprio Parocho baptizetur. Permiſſa eſt tamen, ſi infanti periculum mortis inſtet, facultas baptizandi in privatis ædibus Sacerdoti, vel ſi is abſit, alteri in Sacris Ordinibus conſtituto, ſeu ſi non adfuerit, Laicis, primo mari, & demum fœminæ, qui recte norint veram Baptiſmi formam, quæ eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen.* Quibus verbis nihil prorſus ab ipſis addendum, vel detrahendum eſſe, Parochi fideles crebro admoneant, eosque doceant, neceſſarium eſſe in hujusmodi functione, quod idem, qui baptizat, & aquam infantis capiti infundat, & eodem tem-

pore præſcriptâ proferat verba, & præterea ſaltem intendat facere, quod intendit Eccleſia in hujus Sacramenti adminiſtratione.

Qui in caſu neceſſitatis domi baptizabuntur, intra nonum ab ipſius infantis ortu diem, ſi vixerint, ad Eccleſiam deferantur, ubi exorciſmi, præſcriptæque cæremoniæ a Parocho adhibeantur. Si vero intra hoc ſpatium absque notabili vitæ, vel ſanitatis corporalis detrimento, infans domi baptizatus ad Eccleſiam geſtari non poterit; id cumprimum per valetudinem licuerit, præſtetur omnino.

Antequam Parochus hoc Sacramentum miniſtret, diligenter inveſtiget, an infans baptizatus ſit, & a quo, & qua materia, ac qua forma. Eum vero qui baptizavit, de forma prolata, aliisque ad Baptiſmi eſſentiam requiſitis interrogabit, ut certe ſciat, an vere Baptiſmi eſſentialia ſervata fuerint.

Re autem accurate explorata, ſi certo noverit Baptiſmi formam ſervatam fuiſſe, cum hoc Sacramentum iterari non debeat, caveat, ne illum, neque etiam ſub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo* &c. baptizet, alioquin ſacrilegium committet, & illud impedimentum contrahet, quod Sacri Canones irregularitatem vocant.

Et ſi dubium relinquatur, an Baptiſmi eſſentialia ſint ſervata, nec ne, eo caſu ſub illa conditione baptizetur, nempe: *Si non es baptizatus*, &c.

Infans expoſitus, licet appenſum collo ſcriptum habeat, quo ille baptizatus ſignificetur: ſi tamen re diligenter inveſtigata, adhuc dubium ſit, eum baptizatum eſſe, eadem conditionis formula baptizetur: *Si non es baptizatus*, &c.

Ex antiquiſſima Catholicæ Eccleſiæ conſuetudine, præter Sacerdotem, qui baptizat, alii etiam adhiberi ſolent, qui Patrini, & Compatres vocantur. Quare Parochi fidelibus declarent, cognationem ſpiritualem in Baptiſmi adminiſtratione ad Sacrorum Canonum, & Generalium Conciliorum præſcriptum, contrahi inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem; nec non inter virum & mulierem, qui baptizatum de Sacro Fonte ſuſcipiunt, quos Compatres appellant, & ipſum baptizatum, atque illius patrem & matrem; quæ cognatio non ſolum impedit Matrimonium contrahendum, ſed etiam dirimit contractum. Cum autem propter multitudinem prohibitionum, multoties in caſibus prohibitis contracta ſint Matrimonia, in quibus vel non ſine magno peccato perſeverandum eſt, vel ea non ſine magno ſcandalo dirempta fuerunt; Compatrum pluralitatem Sacri Canones jure meritoque ſemper deteſtati ſunt; ideo decernimus, ac declaramus, unum tantum, aut ad ſummum unum, & unam, in Baptiſmi miniſterio, juxta Sacri Concilii Tridentini diſpoſitionem, cum baptizato, baptizatique patre & matre, cognationem ſpirituálem contrahere, etiamſi plures adhibeantur, ad aſſociandum baptizandum, cum ad Eccleſiam Baptiſmi cauſa defertur. Parochus igitur, cum ad hoc Sacramentum conferendum accedit, unum tantummodo, ſive virum, ſive mulierem, vel ad ſummum unum & unam, ut ſuperius diximus, ad tangendum baptizatum, cum de Sacro Fonte ſuſcipitur, admittat, & eorum nomina in libro deſcribat.

Vir autem & ejus uxor ad eundem baptizatum ſuſcipiendum non admittantur.

Deligant parentes in filiorum ſuorum Baptiſmo compatres tales, quales eſſe oportet, qui & vitæ exemplis, & Chriſtiana, eaque Catholica diſciplina eos inſtruere poſſint.

Ad hujusmodi munus obeundum, nullo modo admittantur infideles, hæretici, excommunicati, interdicti, publice criminoſi, ſeu infames, pueri natu minores quatuordecim annis, nec præterea, qui ſana mente non ſunt, nec vero Abbates, Monachi, vel Abbatiſſæ, aut Moniales, neque demum qui quatuor præcipua doctrinæ Chriſtianæ capita, nempe Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum & Decalogum non rite calluerint.

Meminerint Patrini, Compatresque, ſeu Suſceptores, ſe hac potiſſimum lege obſtrictos eſſe, ut ſpirituales filiolos perpetuo commendatos habeant; ad vitam Chriſtianam inſtituant; curent, ne in hæreſin labantur: ac juxta S. Auguſti-

guſtini ſententiam eos admonere non deſinant, ut caſtitatem cuſtodiant, juſtitiam diligant, charitatem teneant: & ante omnia, niſi a parentibus aut ab aliis inſtruantur, Symbolum, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Decalogum, & prima Catholicæ Religionis rudimenta illos doceant.

Parochus, Sacerdosve baptizans caveat, ne ad infantem baptizandum alio Chriſmate utatur, quam eo, quod illo ipſo anno conſecratum eſt, ut veteri Canone cavetur.

Curet idem, ut infantibus proprio nomine in Baptiſmo appellandis, ea nomina non imponantur, quæ turpia aut ridicula ſunt, quæve gentilium, atque adeo impiorum, & impurorum hominum memoriam reſerant, ſed illorum, qui ob veræ pietatis ac ſanctæ Religionis, virtutisque Chriſtianæ laudem, Sanctorum numero adſcripti ſunt; ut & in ipſo vitæ ingreſſu, cum ethnicis ne nomen quidem commune fideles habere velle proteſtentur, & ipſi infantes, etiam cum ætate proceſſerint, nominum ſimilitudine, ad eorum, a quibus illa accepta ſunt, imitationem excitentur, & præterea, quos imitari ſtudeant, eosdem quoque frequentius precentur, ac ſperent, eos potiſſimum ſibi ad ſalutem tum animi, tum corporis Advocatos fore.

Moneant Parochi puerperas, ut cum primum poſt partum domo exierint, mox ad Eccleſiam Parochialem, Deo acturæ gratias, accedant, ubi ex laudabili Sanctæ Eccleſiæ conſuetudine, benedictionem peculiaribus precibus a Parocho ſuſcipiant. Parochus tamen hac de cauſa puerperæ domum non ingrediatur, etiamſi mulier ob adverſam valetudinem Eccleſiam adire nequeat.

Grave atque immane facinus eſt, infantes per imprudentiam illorum ſuffocari, qui ſtatim ac nati ſunt, ſecum in cubile collocant. Ut igitur huic nefariæ immanitati occurramus, parentibus, nutricibus, aliisque quibuscunque diſtricte inhibemus, ne infantem ætatis ſuæ anno nondum expleto, in lecto ſecum retineant, nec lactent, non adhibita cautione diligenti cunularum, quæ ab hujusmodi periculo infantes præſervare ſolent.

Vix ulla alia cauſa eſſe poteſt, quamobrem plures ex iis, qui adulti Baptiſmum ſuſcipiunt, non modo ullam in Chriſtianis virtutibus progreſſionem faciant; ſed plerumque flagitiis nefariis inquinati, præcipites ad pernitiem interitumque ruant, præter eam unam, quod non ita, ut par eſſet, affecti ipſi, nec vero ab aliis exculti, ad tantum Sacramentum accedant. Nemo igitur adultum quempiam in hac Metropoli & Archi Diœceſi noſtra Pragenſi baptizare audeat, niſi prius adultus ipſe coram Nobis ſe præſentaverit, & ea præſtiterit, quæ pro majori animæ ſuæ ſalute ei præſcribemus.

Antequam baptizandus admittatur, ſive Judæus ſit, ſive Paganus, ſive Turca, quærentur a Nobis, vel ab Officiali noſtro, teſtimonia certa de ejus conditione, anteacta vita, ſtatuque omni, & ejus voluntatem diligenter explorabimus, utrum ex animo, veraque pietate Baptiſmum petat. Si ita comperiatur, illum alicui pio, & religioſo viro committemus, a quo fidei & Chriſtianæ vitæ inſtitutionibus accurate erudiatur; qui tum ſic inſtructus, ad Eccleſiam ducatur communi veſtitu, ut a Nobis, ſeu ab eo, cui id muneris delegabimus, Baptiſmum ſuſcipiat: & ſtatim albam veſtem rite accipiet, ſacris cæremoniis ex Sanctæ Eccleſiæ inſtituto adhibitis.

Et quoniam dilatio Baptiſmi adulti convenit, poterit plerumque ad majorem Sacramenti cultum, unum ex ſtatis temporibus Paſchæ & Pentecoſtes exſpectari.

Interroganti Sacerdoti reſpondeat ipſe, non patrinus; qui tamen ſemper aſſiſtat, tanquam pro baptizando ſpondeat.

Quod vero, licet horribile dictu ſit, aliquando tamen eveniſſe compertum eſt, aliquem ſcilicet ad turpem quæſtum iterum Baptiſmum ſuſcepiſſe; id ne accidat, antequam aliqui baptizentur adulti, omni ſtudio curetur, ut iſti homines, vel Judæi, vel Turcæ, qui Baptiſmum ſibi conferri petierint, plane dignoſcantur, ac ſtatu omni, quantum licuerit, teſtimonium a probatis viris obſignatum, Nobis exhibeant.

Cum autem ad aures noſtras devenerit, ob obſtetricum inſcitiam plu-

res committi errores, in Baptiſmi adminiſtratione in caſu neceſſitatis; præcipimus omnibus obſtetricibus noſtræ Archi-Epiſcopali jurisdictioni ſubjectis, ne hujusmodi munus exerceant, niſi a proprio Parocho ſint approbatæ. Et in primis moneantur, ut in hoc munere exercendo ab omnibus ſuperſtitionibus abſtineant.

Liber conficiatur, in unaquaque Eccleſia Parochiali diligenter aſſervandus perpetuo, in quo notentur omnes, qui in dies baptizantur, hac ratione, latino vel vernaculo ſermone:

Anno 1684. die 5. Januarii in Eccleſia Parochiali Sancti N. a me Presbytero N. ejusdem Eccleſiæ Parocho baptizatus fuit N. filius legitimus naturalis Magnif. Domini N. & Dominæ N. ejus uxoris, natus nudius tertius. Ejus Patrinus fuit Dom. N. filius D. N. Matrina autem D. N. uxor D. N. & filia D. N.

Quod ſi filius non fuerit de legitimo Matrimonio natus, nomen tantum matris deſcribatur, ſi de ea conſtiterit.

XVII. De Confirmatione.

QUoniam ii, qui Baptiſmum ſuſceperunt, qualimodo geniti infantes imbecilli eſſent ad viriliter contra ſpirituales hoſtes pugnandum, ideo Chriſtus Dominus, ne qua in re ſuis militibus deeſſet, Chriſmatis Sacramento, per quod S. Spiritus dona in animis fidelium, niſi obicem ponant, uberrime influunt, eos muniri voluit, qui creſcente jam ætate, ſolidiore etiam cibo indigere videntur, ut adverſus omnes carnis illecebras, mundique fraudes, & malorum Dæmonum vires atque inſidias robuſtiores evadant, ad nomen Domini noſtri Jesu Chriſti non ore tantum, ſed factis etiam confitendum, ſemperque & ubique locorum glorificandum. Quare licet hoc Sacramentum non ſit neceſſarium ad ſalutem, tamen a nemine ſine magno peccato negligi poteſt; ſed potius in re tam ſancta, per quam Divina munera largiſſime impertiuntur, maxima quisque uti debet diligentia, ut illud pie & religioſe ſuſcipiat.

Quamvis autem ad animarum Rectores non ſpectet hujus Sacramenti adminiſtratio, cum id Epiſcopis competat, tenentur tamen ſedulo invigilare, an in propria Parochia aliqui ſint, qui Confirmationem non ſuſceperint, quos omni cohortationis officio inducant, ad eam, cum primum facultas dabitur, humiliter & devote ſuſcipiendam. Atque ut ad hujusmodi Sacramentum promptiores ſe reddant, ejus excellentiam & virtutem, ex Catechiſmi Romani doctrina, atque monitiones noſtras hoc Decreto comprehenſas, tribus diebus Pentecoſtes, & alio etiam tempore, quo illud per Nos, ſeu per Suffraganeum noſtrum miniſtraturi erimus, fidelibus exponant; videantque diligenter, ut omnibus innoteſcat cognatio ſpiritualis, quæ in hujus Sacramenti miniſterio orta intercedit; eadem enim eſt, quæ in Baptiſmo contrahitur, nempe inter confirmantem & confirmatum, confirmatique patrem & matrem: atque inter ſuſceptorem, & ſuſceptum, ſuſceptique patrem & matrem.

Septennio minores ad hoc Sacramentum non admittantur, ut facilius Confirmationis ſuſceptæ memores eſſe poſſint, quæ ſine ſacrilegio iterari non poteſt.

Quæ ad annos diſcretionis pervenerint, non ſolum jejunio, & orationibus, ſed etiam, ſi poterunt, Sacramentali Confeſſione, atque Sacræ Euchariſtiæ perceptione ad illud ſe præparent, ut hujus Sacramenti effectus uberius conſequantur. Provideatur autem, ut eo die Miſſæ Sacro omnes devote interſint, ſi fieri poterit.

Ad hoc Sacramentum accedant fideles fronte non ſordida, aut capillis, ut aliquando ex nimia contigit accedentium incuria, indecenter contecta; non gladio aut pugione accincti, atque tam qui confirmantur, quam eorum ſuſceptores ab Eccleſia ne diſcedant, priusquam Epiſcopalis benedictio data fuerit.

Nulli præterea patrini, ſuſceptoresve adhibeantur, qui infideles, hæretici, excommunicative ſint, vel interdicti, neque viri Regulares, nec Abbatiſſæ, Monialesve, neque item eorum, qui confirmantur, parentes, filiive, aut qui confirmandum levavit de

de Sacro Fonte ; nec qui Sacramenti Confirmationem nondum ſuſceperunt. Permittitur tamen, ut viris Regularibus viri Regulares, & Moniales patrini, matrinæve reſpective eſſe poſſint.

Demum, niſi aliud neceſſitas poſtulaverit, fœminis viri, ſeu viri mulieres nullo modo adhibeantur.

In hujus Sacramenti ſuſceptione fideles manus ante pectus junctas teneant; quo in ſtatu permanebunt, quoad frons medulla panis, & aqua recte abluta, & mappa nitida abſterſa erit. Nemo autem frontem Sacro Chryſmate illitam attingat, etiam ſigno Crucis ſe muniendi cauſa, priusquam abluta, ut ſupra, ſit atque abſterſa.

Meminerint autem recenter confirmati, ob Sacramenti reverentiam, debere eo ſaltem die a frontis lotione abſtinere.

Qui literarum rudes ſunt, ultra ſolitas orationes, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, & Symbolum Apoſtolorum, ſingulis ſeptem diebus, ſaltem ſemel recitent, memores ſeptem cœleſtium donorum, illius Sacramenti virtute ſibi collatorum, in quibus religioſe conſervandis ſoliciti eſſe debent.

Patrini omnes eorum, quos ſuſceperunt, curam gerant, eos doctrinæ Chriſtianæ rudimenta doceant, & cætera omnia præſtent, quæ de Patrinis in Baptiſmo adhibitis, ſancita ſunt.

XVIII. De Sacra Euchariſtia.

PRæſtantiſſimum Sacræ Euchariſtiæ Sacramentum, a Chriſto Domino ad ſempiternam ſuæ acerbiſſimæ Paſſionis memoriam, atque ad ſalutem noſtram cœleſtibus donis & gratiis communicandam inſtitutum, qua maxime fieri poteſt animi pietate, puritate, humilitate, omnique religioſo cultu, ſumi, ac miniſtrari oportet.

Cum autem hoc Sacramentum in Eccleſiis honorifice cuſtodiri conſueverit, tum ut fideles ad illud adorandum, Divinamque Salvatoris noſtri, qui chariſmatum omnium fons vere in eo eſt, opem in quotidianis hujus ſæculi neceſſitatibus implorandam, ſæpe confugiant, tum ut gravi morbo laborantibus deferri poſſit ; generatim decernimus, ac ſancimus, ut in omnibus Eccleſiis Parochialibus continuo ſervetur.

Licet autem antiquæ ſit hujus noſtræ Eccleſiæ Pragenſis conſuetudinis, ut ad dextrum cornu Altaris majoris, loco congrue ornato, collocetur ; decentius tamen eſt, ut, ubi fieri poterit, ſuper majori Altari tanquam in Eccleſia loco digniori illud cuſtodiri curent ; niſi forte in peculiari aliquo extra Chorum Sacello, conſpicuo tamen, & inſigni loco poſitum, conſueverit decenter ſervari.

Tabernaculum vero, in quo reconditum eſt, ſi e laminis argenteis, aut æneis inauratis, aliave ratione elegantius haberi non poteſt, ſaltem e tabulis fectilibus, quæ humiditatem non gignant, polite elaboratis, & religioſarum imaginum ſculptura ornatis, & inauratis, decenti amplitudine exſtruatur; & in ejus ſummitate ſit imago Chriſti glorioſe reſurgentis, & ſacra vulnera exhibentis.

Si autem ita poſitum, ut ſuper altare minime aſcendere oporteat, ad extrahendam Sacram Euchariſtiam; oſtiolo ſit aptato, ut in eo Sacramentum ipſum cum vaſculo ad continendas particulas conſecratas pro fidelium communione deſtinato, Monſtrantiave reponi, aut ex eo etiam extrahi commode valeat. Quod oſtiolum a parte anteriori panno ſerico ſit adornatum.

Vacuum ſit omnino a Sacris Reliquiis, atque a Sacrorum Liquorum vaſis, aliisque quibusvis rebus, ut ne inane quidem vaſculum, Monſtrantiave in eo reponatur.

Sub vaſculo, Monſtrantiave extenſum continuo ſit candidum corporale amilo illitum, quod ſingulis ſaltem duobus menſibus mutetur, ut mundum ſemper habeatur.

Bene tutum & jugiter clauſum ſit tabernaculum ; ejusque clavis habeat cordulam decentem ad ejus ornatum, & nullo modo clavis hæc cum aliis clavibus eadem cordula colligetur, ſed eam Parochus diſtincte aſſervet, neque altari unquam committat.

tized by Google

Vaſculum autem ipſum, Monſtrantiave tegumento decenti, inſtar pallioli, contegatur.

Monſtrantia ad exponendam, vel in proceſſionibus deferendam Hoſtiam magnam, ſi non ex auro, aut argento, ſaltem ex aurichalco bene aurato refulgeat, & velo vel peplo congruo ornata ſit.

In unaquaque Parochiali Eccleſia unum ſaltem habeatur vaſculum, ad retinendas particulas conſecratas, ad uſum Communionis fidelium, etiam infirmorum. Quod ſi ex auro vel argento non erit, ſaltem cupam habeat ex argento, ab interiori parte inauratam. At pes & operculum ex aurichalco eſſe poterit inaurato.

Quinque ſaltem particulæ conſecratæ, ſint ſemper in prædicto vaſculo; vel etiam plures, ubi Parochiæ frequentia, vel magnus graviter ægrotantium numerus id requirit, quæ ſaltem ſemel in menſe mutentur, præſertim feria quinta, ſi commodum erit, in qua Chriſtus Dominus hoc Sacramentum inſtituit. Idque fiat ex Hoſtiis non ante viginti dies confectis.

Hoſtia magna conſecrata nunquam relinquatur, niſi cum vel populo orationis publicæ cauſa ad orandum exponenda fuerit, vel in proceſſionibus deferenda.

E Regione Sanctiſſimi Sacramenti præluceat continuo, etiam noctis tempore, lampas munda, loco convenienti poſita, vel appenſa.

In Eccleſiis Parochialibus, ubi Fraternitas Corporis Chriſti erecta non eſt, erigatur infra tres menſes proximos, & eas regulas, ac præſcriptiones Confratres obſervent, quæ juſſu noſtro edentur.

Unicum ſaltem habeatur cœlum, ſive baldachinum ad Sacram Euchariſtiam contegendam, cum in proceſſionibus vel ad infirmos defertur; quod ſi pretioſius haberi non poteſt, ſaltem e panno ſubſerico, vel alias congruo conficiatur, habeatque haſtilia ſaltem quatuor decenter picta.

Cum autem Sacra Euchariſtia ad infirmos defertur, per vias aſperas, ſeu glacie, vel luto lubricas, habeatur burſa e ſerico ornatiſſima, ad includendum vaſculum Sacram Euchariſtiam continens, quæ burſa cordulas habeat e ſerico, Sacerdotis collo decenter appendendas.

Velum item adhibeatur majus, quod congruum ſit, & latum ſicuti veli tela, atque longum ulnis quatuor, vel quinque, ut non ipſum vaſculum tantum, ſed ipſius etiam deferentis Parochi humeri contegantur.

Cum Sacra Euchariſtia ad infirmos defertur, Clericus aliquis, ſeu Ædituus omnes præcedat; tintinnabulum continuis ictibus pulſans, ut homines admoneantur, & invitentur ad eam pie adorandam, & aſſociandam. Adhibeatur item Crux decens ad hunc uſum deſtinata, in qua Chriſti Domini imago, decore expreſſa, pietatem excitet. Ea autem infirmo porrigatur a Sacerdote, ut ad ſacrorum rituum præſcriptum, ipſam adoret, priusquam Sacram ſumat Communionem.

Præterea in ſingulis Parochiis duæ habeantur laternæ magnæ, vel ſaltem una, in hujusmodi functione adhibenda, quæ furente etiam vento, lumen accenſum defendat.

Cum ad aliquem infirmum deferenda eſt Sacra Communio, plures particulæ conſecratæ in vaſculo reponantur, quarum altera infirmo exhibita, ſaltem una ad Eccleſiam ſub baldachino cum eodem honore, & cereorum accenſorum comitatu referantur, niſi cum extra urbes, oppidave, ſeu de pago ad pagum, & per aſperas, difficilesque vias eundum eſt, quo caſu, tot tantummodo particulæ deferantur, quot erunt infirmi communicandi.

Sacra Communio ad ægrotum non deferatur, niſi is eam vere ſumpturus ſit; ſi vero aliquando occurrat, ut dum ad illum Parochus venit, morbo ita affectum eum inveniat, ut illam tunc ei miniſtrare rite non poſſit; collocato vaſculo ſuper corporali, in menſa eo nomine apparata; paululum moretur, dum flexis genibus una cum cæteris, qui adſunt, ac potiſſimum cum ægroto ipſo ſancte oret; ac poſtea receſſurus Euchariſtia vaſculo incluſa infirmo

firmo benedicat. Quod ſi ægrotus ipſe id vehementer exoptat, Sacramentum, aperto etiam vaſculo, liceat oſtendere adorandum.

Parochus ad ægrotos hoc Sacramentum allaturus, diligenter præmoneat eos, ad quos infirmi cura ſpectat, ut ægrotantis cubiculum ab omni ſorde purgetur, & amota omni re profana, pio apparatu, & ſacris imaginibus, ubi poteſt, exornetur: tum præterea menſa mappa munda conſtrata apparetur, in qua ſuper corporale vaſculum cum Sanctiſſimo Sacramento collocari poſſit.

Antequam ægroto Sacram præbeat Euchariſtiam, illius fidem & devotionem, pro perſonæ & temporis ratione, gravi & brevi ſermone, ad libri Ritualis Pragenſis præſcriptum, excitare curet. Statim ac Sacram Communionem infirmo miniſtraverit, digitos vino & aqua abluat, & ipſi infirmo ejusmodi ablutionem præbendam curet.

Ad ſaluberrimum hujus Sacramenti frequenter ſumendi uſum, Parochi, Concionatores, & Confeſſarii fideles continuo cohortentur, atque excitatis naſcentis Eccleſiæ inſtitutis, ac exemplis, & omnium Sanctorum Patrum conſentiente doctrina, atque Oecumenicæ Synodi Tridentinæ ſententia (quæ optaret quidem fideles in ſingulis Miſſis, non ſolum ſpirituali affectu, ſed prius confeſſos Sacramentali etiam Euchariſtiæ perceptione communicare) curabunt certe, ut præter Paſchalem Communionem, quæ Sanctæ Eccleſiæ præcepto neceſſaria eſt, ſaltem in præcipuis Solennitatibus, veluti die Natali Domini, Epiphania, Pentecoſte, Aſcenſione Domini, celebritate Corporis Chriſti, Feſto omnium Sanctorum, ac præterea in Feſtis majoribus Deiparæ Virginis, Sacra Euchariſtia ſe reficiant. Crebris etiam monitis illud, quod Beatiſſimus SILVERIUS Pontifex ſtatuit, in conſuetudinem ſtudebunt revocare, ut qui ſæpius non communicant, diebus ſaltem Dominicis, Quadrageſimæ & Adventus, ac feria quinta Cœnæ Domini, prævia Sacramentali confeſſione Corpus Domini ſumant. Eam quoque conſuetudinem introducant, ut quoties quis iter longum, aut infeſtum, remque arduam ac difficilem, etiam in qua nullum mortis periculum extimeſcendum ſit, aggreditur; qui itidem in aliqua gravi perturbatione, vel ex filiorum, conjugisve obitu, vel ex bonorum amiſſione, vel ex alia re adverſa affligitur, Sacram Communionem confeſſus ſuſcipiat; idemque faciat itinere, vel negotio difficili, quod ſuſceperit, confecto, vel quocunque beneficio accepto, gratias Deo acturus, hujus Sacramenti ſumptione, in quo præcipua quædam ratio ineſt, qua Omnipotenti DEO pro immenſis in nos collatis beneficiis, aliquam gratiam pie referamus. Curent item, ut mulieres proxime parituræ idem præſtent; ac præterea cum primum a puerperio ad Eccleſiam accedunt.

Ad Sacram Communionem non admittantur hæretici, ſchiſmatici, excommunicati, interdicti, publice criminoſi, meretrices, publici concubinarii, fœneratores, magi, ſortilegi, & alii in peccatis & ſtatu damnationis perſeverantes. Si vero ejusmodi ab eo damnationis ſtatu reſipiſcentes, ſervatis ſervandis, a cenſuris Eccleſiaſticis, & peccatis admiſſis legitimam obtinuerint abſolutionem; ad Sacram Communionem admitti poterunt.

Pueris item & infantibus, qui propter ætatis imbecillitatem, nondum hujus Sacramenti cognitionem habent, Sacram Euchariſtiam nemo audeat miniſtrare, ſub pœna ſuſpenſionis a Divinis, ipſo facto incurrenda. Ii autem cum ad annos diſcretionis pervenerint, qui ut plurimum duodecimi anni ſunt, ad Communionem admittantur, dummodo prius a Parocho, Confeſſariove diligenter examinentur, atque de vi & ratione hujus Sacramenti pie inſtruantur, ut ad illius virtutem, & admirabiles effectus cognoſcendos, piamque animi reverentiam amplectendam, excitentur.

Nemo autem ad hujus Sacramenti ſumptionem accedat cum conſcientia peccati mortalis, niſi prius contritus, & Sacramentaliter confeſſus fuerit, alioquin peccato mortali ſe obſtringeret.

Non

Non ſolum monendi ſunt fideles, ut jejuni (niſi ob infirmam valetudinem in periculo mortis ſint conſtituti; iis enim, etiam ſi jejuni non ſint, Sacra Communio per modum Viatici miniſtrari poteſt) ad Sacram Menſam accedant, ita ut ſaltem a media antecedentis diei nocte, uſque ad illud temporis punctum, quo Euchariſtiam ſumunt, nihil omnino per modum cibi, potusve, aut medicinæ commederint, ſeu biberint, aut ſumpſerint; alioquin peccatum mortale admitterent; ſed etiam cohortandi, ut pridie, quo illam ſument, jejunium celebrent, aut ſaltem parcius cænent, & partem noctis in orationibus, piisque meditationibus vigilent, aut ſaltem prolixius orent, quam ſoliti ſunt. Summa reverentia, omnique humilitate, ac genibus flexis, ad eam ſumendam accedant, oculis non vagis, ſed in Chriſti Corpus pie conjectis, & gladio, pugione, aliisque armis omnino depoſitis.

Antequam Sacra Communio fidelibus præbeatur, fiat Confeſſio generalis, clara voce, lingua vernacula, precationibus illis adhibitis, quas in Titulo: *de Verbi prædicatione*, præſcripſimus; in ipſo autem miniſterio adſint duo Clerici, ſeu Æditui, qui mantilia, mappasve, vaſculo ſacratas particulas continenti ſuppoſitas, ſuſtentent.

Raro communicantes non ante ad Sacram Communionem Parochus admittat, niſi iis diligenter explicaverit, quam immani ſcelere ex Apoſtoli ſententia obſtringatur, qui indigne illam ſumit: debet enim ſe ipſum probare, quicunque ad ſalutem, non autem ad judicium & condemnationem, cœleſtem illum panem manducare voluerit.

Hoc inſtitutum, quod antiquiſſimi ritus eſt, religioſe ſervetur, ut infra Miſſarum ſolemnia, poſtquam ſcilicet Sacerdos Sanguinem ſumpſerit, Sacram Communionem fidelibus ad eam accedentibus miniſtret. Nec vero tamen eam alio tempore miniſtrari, cum occaſio tulerit, vetitum ſit.

Omnem adhibeant diligentiam Parochi, ut unusquisque in ſua Parochiali Eccleſia hoc Sacramentum in Paſchali celebritate ſumat, quemadmodum eſt Sanctæ Matris Eccleſiæ præceptum; ideo in Quadrageſima populo promulgabunt, atque adeo explanabunt Conſtitutionem illam in Concilio Lateranenſi, ab INNOCENTIO Tertio Pontifice Maximo editam, cujus initium eſt: *Omnis utriusque ſexus.* Tempus autem Paſchale Communionis eſt a Dominica Paſſionis uſque ad Octavam Paſchæ inclusive. Quod ſi feſtum Annuntiationis Beatiſſimæ Virginis ante Dominicam Paſſionis occurrerit; qui eo die a proprio Parocho Sacram ſumpſerint Euchariſtiam, Eccleſiaſticæ illi obligationi ſatisfacient.

Moneant Parochi Patres familias de cura per eos adhibenda, ut eorum filii, aliive, qui de eorum familia ſunt, debito tempore peccata ſua Sacramentaliter confiteantur, & Sacram ſumant Euchariſtiam.

Advenæ & peregrini, cujusvis ſtatus, & conditionis, qui tempore Paſchali in hac urbe fuerint, ad Eccleſiam Metropolitanam ad Sacroſanctam Euchariſtiam ſumendam accedant, neque eis ab aliis Parochis miniſtretur.

Videant Parochi diligenter, an aliqui ſint, qui præſtituto tempore Paſchali in propria Parochia non communicarint, ſi quos compererint, eos ſtatim ad Nos deferant, ut ad Sacrorum Canonum præſcriptum, ingreſſu Eccleſiæ interdicti declarentur, & ſi ſic deceſſerint, careant Eccleſiaſtica ſepultura.

Si qui teſtimonium Confeſſarii manu obſignatum Parocho attulerint, quo aliqua ex cauſa eis differatur terminus ſumendi Sacram Paſchalem Communionem, ſi prorogatio hujusmodi ultra quindecim dies per Octavam Paſchæ duraverit, eorum nomina Parochus Nobis denuntiet, ut quidquid eorum ſaluti judicabimus expedire, decernere poſſimus.

Qui vero tempore Sacræ Communionis Paſchalis, in carcere detenti fuerint, eos Parochi, intra cujus Parochiæ limites carceres conſiſtunt, viſitent, & ad illos, poſtquam peccata ſua Sacramentaliter confeſſi fuerint, Sacram deferant Communionem; aut ſi Sacella fue-

fuerint conjuncta, ibi ad illos communicandos celebrent.

Ut igitur omnibus innoteſcant ii, quibus in hac urbe, hujusmodi cura in poſterum incumbet, decernimus, ut iis, qui in carceribus Civitatis veteris detinebunt, Sacramenta miniſtret, qui a Nobis curam animarum habet in Eccleſia S. Jacobi. In Civitate parva, qui Parochialia munera exercet in Eccleſia S. Thomæ. In Raczino Parochus S. Benedicti. In Arce aliquis ex Concionatoribus Baſilicæ Metropolitanæ noſtræ, ab ejusdem Eccleſiæ Decano monendus. Idque ſtatuimus, donec aliter Nobis, Officialive noſtro viſum fuerit.

Cum autem Itali plures, aliique nonnulli, ſive Clerici, ſive Laici, requirant a Parochis, aliisque Eccleſiaſticis atteſtationes Sacræ Confeſſionis, & Communionis, & aliarum actionum Catholicam Religionem concernentium; caveant omnes, ne aliquam atteſtationem conficiant, niſi de iis, quæ certo ſciunt vera eſſe. Atque ut in hujusmodi atteſtationibus, omnis fraus, aut fraudis ſuſpicio tollatur; ne eas alicui tradant, niſi prius a Nobis, Officialive noſtro recognitæ, ſcriptove confirmatæ fuerint.

Si qui ob infirmam valetudinem, etiamſi in Hoſpitalibus ſint, tempore præſtituto ad Eccleſiam accedere non poſſunt, ut Sacram ſumant Euchariſtiam, illam intra eundem terminum Parochus domum deferat, ut Eccleſiæ præcepto ſatisfaciant, & fructus uberrimos, ſpiritualesque utilitates, ex hujus Sacramenti perceptione provenientes, non amittant. Qui tempore Paſchæ a Parochia abfuerit, cum primum domum redierit, vel atteſtationem legitimam Parocho exhibeat, ſe prævia Confeſſione Sacramentali, Sacram Communionem ſumpſiſſe; vel intra ſex dierum ſpatium, confeſſus, a proprio Parocho illam ſumat; alioquin interdicti Eccleſiaſtici pœnam ſubeat, & ſic decenter careat Eccleſiaſtica ſepultura.

Nemo ad Sacram Communionem Paſchalem admittatur, niſi prius atteſtationem in ſcriptis exhibuerit, Confeſſarii ſubſcriptione munitam, ſe peccata ſua idoneo Confeſſario confeſſum fuiſſe, & ab eo abſolutionem impetraſſe.

Nemo Regularis extra Eccleſias ſui Ordinis, Clericis vel Laicis, Sacramentum Euchariſtiæ miniſtrare audeat, absque facultate noſtra, aut ſaltem proprii Parochi; alioquin excommunicationem incurret ipſo facto, Summo Pontifici reſervatam.

Sacram autem Communionem Paſchalem, quæ a Dominica Paſſionis uſque ad Octavam Paſchæ ab omnibus fidelibus ſumi debet, neque etiam in ſui Ordinis Eccleſiis, miniſtrent; cum id ad Parochos, non autem ad illos Sacerdotes, etiamſi Regulares ſint, ſpectet.

Omnes utriuſque ſexus Chriſti fideles in Domino hortamur, ut feria quinta Cœnæ Domini ad noſtram Metropolitanam Baſilicam ſe conferant, & a Nobis, tanquam præcipuo totius Eccleſiæ Pragenſis Paſtore, Sacram ſumant Euchariſtiam. Qui id præſtiterint, Paſchali obligationi ſatisfacient, ac ſi in propria Parochia illam ſumpſiſſent.

Quo autem religioſius Sanctiſſimi Corporis Chriſti Domini celebritatem colant, Parochi, die Dominico ſolennitatem præcedente, paterna charitate, gravique ſermone illos de his præmoneant.

Ut confeſſi, vel in Solennitate, vel intra Octavam, Sacram Communionem ſumant. Ut pro facultatibus eleemoſynam dent, ut pure, caſteque in orationibus frequentes, atque aſſidui ſint, & in pietatis Chriſtianæ exercitationibus verſentur. Ut pridie Solennitatis jejunent, ut & in Solennitate, & reliquis deinceps ſeptem diebus, ad Veſpertinum & Matutinum, aliarumque Canonicarum Horarum Officium, & Miſſæ ſolennis Sacrum conveniant; atque proceſſioni ſolenni, cereum accenſum manibus geſtantes, pie interſint.

Ut autem ad ea Chriſtianæ pietatis officia fideles magis inflammentur, per eosdem Paroehos, Indulgentiæ a Summis Pontificibus URBANO IV. CLEMENTE V. MARTINO item V. & EUGENIO IV. unicuique pœnitenti, & confeſſo conceſſæ evulgentur. Sunt autem hæ:

Jejunantibus pridie Solennitatis Indulgentia conceſſa annorum centum. Iis, qui primis Veſperis, quive in Solennitate Miſſæ ſolenni, Horis matutinis, ac ſecundis Veſperis intererunt, pro ſingulis hujusmodi Officiis, conceſſa eſt Indulgentia centum annorum. Qui Primæ, Tertiæ, Sextæ, Nonæ, & Completorii Officiis aderunt, Indulgentia iis datur quadraginta annorum pro ſingulis Horarum Officiis. Qui intra Octavam Veſpertino, Matutinoque Officio, & Miſſæ ſolennis Sacro aderunt, Indulgentia item datur annorum centum.

Ut Proceſſio, quæ in celebritate Corporis Chriſti, ubique fieri ſolet, debita reverentia, ſolennique apparatu, atque omni religioſo cultu, peragatur, tam in hac Urbe, quam per univerſam Archi-Diœceſim, viæ, per quas tranſire debebit, diligenter mundentur, & auleis, pannis, picturis, floribus, frondibusque virentibus, pro Civitatum, locorumve ratione, ornentur. In ea autem, & in aliis item, in quibus Sanctiſſimum Sacramentum defertur, Canonici ſinguli, & qui dignitates obtinent, tam in Metropolitana, quam in Collegiatis Eccleſiis, & cæteri item Clerici, cereas faces, candelasve forma convenienti accenſas, aperto capite, ferant.

Cum vero occaſione orationis quadraginta horarum, vel alia gravi de cauſa a Nobis, Officialive noſtro approbanda, Sacra Euchariſtia exponenda eſt; ea ſuper altari majori collocetur, debito apparatu, & ornatu, ac convenienti cereorum accenſorum numero religioſe adhibito.

Tam in exponendo, quam in reponendo Sacramento proceſſio fiat per Eccleſiam cum ipſa Sacra Euchariſtia, adhibito convenienti apparatu, & debito luminum numero, ut in ſolennibus proceſſionibus obſervari convenit.

Dum illa in altari expoſita eſt, pro ejusdem cuſtodia, ſemper unus ſaltem Sacerdos, Sacrisve initiatus, tanquam in ſtatione collocatus, excubet, atque in aſſidua precatione, ſanctaque meditatione vigilet.

XIX. De Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.

UT Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium, in quo idem ille Chriſtus continetur, & in altari quotidie a Sacerdotibus, in remiſſionem peccatorum, incruente immolatur, qui in ara Crucis ſemel ſe ipſum cruenta morte obtulit; ea, qua decet, cordis munditia, & puritate, atque exterioris devotionis, ac pietatis ſpecie peragatur, hæc decernimus.

Sacerdos, qui, ut ait Apoſtolus, inter homines in iis, quæ ſunt ad Deum, electus eſt, ut offerat dona & ſacrificia pro peccatis populi, ſecum ipſe frequenter conſideret, quanti ſit munus ſibi commiſſum, victimam illam ſacratiſſimam pro peccatis populi immolandi, & uti ſæpius celebrare debet, ne tanto, tamque admirabili dono & beneficio fraudet Eccleſiam Dei; ita quoque eum eniti par eſt, ut omni animi pietate, ac religione Sacroſancta illa, & illibata offerat dona, ne cum aliis opem imploraverit, ipſe ſibi exitium paret. Celebraturus igitur diligenter prius diſcutiat conſcientiæ ſuæ latebras, & ſi peccati mortalis ſibi conſcius fuerit, quamvis ſibi contritus videatur, absque præmiſſa Sacramentali Confeſſione, ad Miſſam faciendam non accedat, etiamſi ex officio celebrare teneatur, modo non deſit ei copia Confeſſoris. Quod ſi neceſſitate urgente, absque prævia confeſſione, celebraverit, quamprimum confiteatur. Mente præterea recogitet, ac pie meditetur, Myſterii, quod tractaturus eſt, altitudinem, atque excellentiam, propriamque ſui ipſius miſeriam, ac vilitatem, & ſuum in diligendo Deo torporem, totumque ſe in immenſam illius miſericordiam projiciens, interno cordis clamore ſe tanto Hoſpite indignum eſſe cognoſcat, & coram Domino fateatur.

Tum primæ Horæ Officio, aut ſaltem Matutino, & Laudibus perſolutis, ad Sacriſtiam, Oratoriumve ſe recipiat; & aliqua ex orationibus, quæ ante Miſſam recitare præſcribuntur, in Miſſali ſeu tabella ibi appenſa notatis, recitata; ad lavacrum manus abluat, & ſacris

Digitized by Google

ſacris veſtibus ſe induat; atque ad ſingula indumenta, ſingulas orationes dicere non omittat.

Nemo Sacerdos utatur calice e ſtanno, aliove, qui cupam ſaltem interius deauratam non habeat; neque item calice non conſecrato, ſeu corporali non benedicto; neque præterea urceolis, ampullisve fictilibus, alioquin ſuſpenſionis a Divinis pœnam ſubibit.

Super Altare habeantur tres mappæ congruæ, & mundæ, ſine quibus nullibi celebretur. Corporale ſit mundum, & amylo illitum. Stola, & manipulus ſint ejusdem materiæ & coloris, quibus conſtat planeta. Miſſale ſit congruum, non lacerum, & habeat regiſtrum ſive cordulas decentes. Purificatorium item mundum & præſcriptæ magnitudinis. Et breviter: paramenta omnia, & altaris ornamenta ſint congrua, & ea forma confecta, quam ſuperius præſcripſimus.

Quod ad Epiſcopalis Ordinis obſervantiam, in Eccleſia inſtitutum eſt, id omnino ſervetur, ut quo in altari nos Miſſam fecerimus, ne illo die in eodem alius quivis Sacerdos celebret, niſi noſtro conceſſu. Idem obſervetur in altari, in quo quivis Epiſcopus celebrarit.

In Miſſæ celebratione, omnia ſedate, graviter, ac diſtricte pronuntiare ſtudeat, nimiam quidem fugiens prolixitatem, atque inprimis properam, ac indevotam celeritatem.

Miſſæ initio Pſalmum, qui incipit: *Judica me Deus*, atque in fine Sancti Joannis Evangelium (*In principio erat Verbum*) nunquam omittat, niſi iis diebus, quibus ex Miſſalis Rubricis, aliter eſt obſervandum. Ea autem ad ipſum altare, non in acceſſu a Sacriſtia ad altare, neque in receſſu ab altari in Sacriſtiam pronunciet.

In iis autem, quæ ex Sanctæ Matris Eccleſiæ inſtituto, ſecreto dicuntur, pronuntiandis, cautionem illam adhibeat, ut diſtinctum quidem verborum ſonum ipſe percipiat, at ne ulla ratione ab iis, qui præſentes ſunt, audiatur. Canonem vero, quanta maxima poteſt attentione, pronuntiet, ac præſertim Sacroſancta illa verba, quibus Corpus, & Sanguis Domini conficitur; quæ quidem non memoriter, ſed ex tabella, ad omnia altaria adhibenda, ſive ex Miſſali, recitari debent, ne errorem aliquem in conſecratione committi contingat.

Sumpto Sanguine, primo vino tantum Sacerdos ſe purificet; deinde digitis vino, & aqua dilutis, ablutionem ſumat.

Cum in medio Miſſæ manus abluerit; videat, ne altaris mappa illas abſtergat, ſed linteolo ejus rei cauſa e Sacriſtia allato.

Miſſa abſoluta, in Sacriſtiam, eadem gravitate, redeat, & preces pro gratiarum actione recitando, ſacra veſtimenta exuat; iterumque ablutis manibus, ad Oratorium ſe recipiat, ubi aliquantulum pie meditetur.

Cum ad altare accedit, birreto Clericali quadrato caput opertum habere procuret, vel ſaltem parvulo birreto, quem mitram Sacerdotem vocant; neminemque alloquatur, vel cuiquam reſpondeat. Sacræ Cruci ſe profunde inclinet. Sanctiſſimo Sacramento intra tabernaculum poſito, capite operto, reverentiam faciat, altero genu uſque ad terram flexo. Si autem erit expoſitum, idem faciat capite aperto; quod etiam ſervandum eſt, cum ante altare, in quo Sacra Euchariſtia aſſervatur, eſt tranſeundum.

Ne birretum, aut linteolum, ad nares emungendas deſtinatum, hoſtiarumve ſcatulam ſeu claves, & id generis alia, ſuper altari ullo pacto ponat.

Cum autem ad altare acceſſerit celebraturus, neminem plane expectabit, neque cœptam Miſſam ad cujusvis inſtantiam iterum incipiat.

Si coram aliquo Cardinali, Legato, ſeu Nuntio Apoſtolico, aut hujus Eccleſiæ Archi-Epiſcopo pro tempore exiſtenti celebret; dicto Evangelio, ad Sacrarum Cæremoniarum præſcriptum, deferatur ei liber Evangeliorum, ſive Plenarium deoſculandum, & pariter poſt *Agnus Dei*, pacis tabella, quam Pacificale dicunt; & antequam in fine Miſſæ benedicat, faciat

ipſi Cardinali, Legato, ſeu Nuntio Apoſtolico, vel Archi-Epiſcopo, profundam reverentiam.

Atque ut multa paucis comprehendantur; accurate ſtudeat, nullam ex ſtatis cæremoniis, ac ritibus, antiquiſſimo hujus Sanctæ Eccleſiæ Pragenſis Miſſali connotatis, prætermittere. Quod Miſſale a piis, & doctis viris juſſu noſtro recognitum, ad majorem hujus Metropolis, & Archi-Diœceſis noſtræ utilitatem, & decorem, typis excudetur.

Genu flexiones in Miſſæ celebratione, aliisve functionibus Eccleſiaſticis, tam a Canonicis, quam ab aliis Sacerdotibus, & Clericis quibuscunque faciendæ, ſemper in plana terra, nempe altero genu uſque ad terram flexo, fiant, non autem ſæcularium more, pedem retrahendo.

Illud præterea obſervandum eſt, ut quoties Canonici directe tranſeunt ante altare, ubi Sanctiſſimum Sacramentum non aſſervatur, vel ante Archi-Epiſcopum pro tempore exiſtentem, caput & humeros profunde inclinent; cæteri vero Sacerdotes, & Clerici, Altari, & Archi-Epiſcopo diſtinctas reverentias faciant, altero genu ad terram flexo.

Ut autem in poſterum in Sacrarum Cæremoniarum peritia debita adhibeatur diligentia; iis omnibus inhibemus, qui Sacerdotali Ordine initiabuntur, ne Miſſam primam, quas Primitias dicunt, celebrare audeant, niſi prius a Baſilicæ noſtræ Metropolitanæ Archi-Diacono, aliove, cui id curæ dederimus, in Sacris Cæremoniis obeundis approbati fuerint, & facultatem a Nobis, Officialive noſtro ſcripto obtinuerint, quæ per verbum PLACET, exprimi ſolet, pœna ſuſpenſionis contravenientibus propoſita, quam eo ipſo ſubeant.

Sumptuoſa autem convivia, ludos, choreas, & omne inanium oblectamentorum genus, aliosve abuſus, qui novæ Miſſæ celebrandæ cauſa irrepſerunt, tollimus, & abrogamus.

Præterea ut aliqua ineatur ratio, qua Sacerdotes rite ordinati, & nulla cenſura Eccleſiaſtica innodati, & nulli alii ad celebrandam Miſſam admittantur; ſtatuimus, ut nemo Clericus, vel Laicus, in ſuis ſæcularibus Eccleſiis, Capellis, vel Oratoriis, quamvis a Nobis probatis, etiamſi Juris Patronatus fuerint, quemquam Sacerdotem ſæcularem, qui advena ſit, vel peregrinus, celebrare patiatur, niſi oſtenderit formata, literasve teſtimoniales, ſeu dimiſſorias Ordinarii ſui, intra ſex menſium ſpatium ad ſummum datas, & a Nobis, Officialive noſtro recognitas, & ſcripto comprobatas: in qua recognitione exhibere teneantur teſtimonium ſcriptum, de eorum vita & moribus ab iis Ordinariis, in quorum Diœceſi, poſt literas dimiſſorias a ſuo Epiſcopo obtentas, aliquamdiu permanſerint.

Quod autem de Sacerdotibus ſæcularibus præſcripſimus, illud etiam locum habere volumus in Regularibus cujusvis Ordinis, & inſtituti, etiam exemptis, qui absque ſuorum Superiorum facultate, literisque teſtimonialibus de eorum vita & moribus, nulla ratione admittantur ad celebrandum in Eccleſiis, Oratoriisve, ſeu Capellis, etiam Laicalibus, noſtræ Archi-Epiſcopali jurisdictioni ſubjectis.

Sacerdotes, qui publice & notorie criminoſi fuerint, a Miſſæ celebratione abſtineant, niſi emendatæ vitæ indicia certa dederint.

Una tantum Miſſa celebretur in die a quolibet Sacerdote ſæculari, vel regulari: excipimus tamen celebritatem Nativitatis Domini, in qua, ex Sanctæ Eccleſiæ inſtituto, ſinguli Sacerdotes tres Miſſas celebrare poſſunt. Qui extra prædictam ſolennitatem quavis occaſione vel prætextu, pluries celebrarit, ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrat.

Miſſæ nec ante auroram, nec poſt meridiem celebrentur, cum id a Sacris Canonibus abhorreat, excepta nocte Nativitatis Domini, in qua poſt mediam noctem, ſtatim Miſſa prior fieri poteſt, & a quolibet Sacerdote ante auroram celebrari permittitur, quod etiam a Regularibus ſervetur. Neque ferendum eſt, quod alicubi Sabbato Sancto, ſeu in Vigilia Aſſumptionis Bea-

Beatæ Virginis, aliisve quibusvis diebus, veſperi ſeu omnino poſt meridiem, Miſſa fiat, neque etiam vigore cujusvis privilegii a Sede Apoſtolica, ante Concilium Tridentinum obtenti; hujusmodi etiam privilegia peculiari PII Papæ Quinti Conſtitutione abrogata ſunt. Qui contraria fecerit, ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrat.

Antiquiſſimus uſus celebrandi cum cantu, per totum Adventum, ſummo mane, Miſſam de Beata Virgine, quæ *Rorate* appellatur, laudabilis eſt & fidelium devotioni, ac pietati apprime accommodatus; ideo in omnibus Eccleſiis hujus Metropolis, & Archi-Diœceſis noſtræ perpetuo retineri poterit, & obſervari.

Nullus Sacerdos, etiam Regularis, in privatis ædibus, aut omnino extra Eccleſiam & Oratoria, quæ Divino tantum cultui dicata, & a Nobis approbata ſint, Miſſam celebret.

Oratoriorum autem ædificatio, aut uſus ad Miſſam in eis celebrandam, non facile, ſed magna de cauſa permitti debet, in eis enim deſignandis, vel probandis hæc ſervari volumus: ne ſint in interiorum ædium partibus, in quibus Domini, vel familia frequentius verſentur, ſed commodo & honeſto loco, a cubiculis, tricliniis, & ab aula ſeparato; atque ad templi formam, & regulam propius accedant.

In hujusmodi vero Oratoriis nemo dormiat, nihilque fiat, tractetur, aut exerceatur, quod profanum ſit; nullæ ciſtæ profano uſui deſtinatæ, nihilque ex domeſtica ſupellectile, nihilve aliud ſacris locis alienum, in eis aſſervetur, alioquin eo ipſo interdicta ſit in illis Miſſæ celebratio.

Altare habeant forma præſcripta conſtructum, cum tabula lapidea, petraque ſacrata, quod altare portatile dicunt, omnibus ornamentis, & paramentis inſtructum, ut ſuperius ſtatuimus, cum de Altaribus egimus.

Videant autem ii, quibus conceſſa fuerit facultas hujusmodi Oratoriorum, ne paſſim in eis celebretur, ſed tantum in caſu neceſſitatis, præſertim infirmitatis.

Diebus autem Feſtivis, & præcipue ſolemnioribus, non in privatis Oratoriis, ſed in Eccleſia Metropolitana, Collegiata, ſeu Parochiali, ſi fieri poteſt, Miſſæ Sacro interſint. Nullo autem modo in hujusmodi Oratoriis (extra diem feſtum Patrocinii) Miſſa cum cantu celebretur; nec Sanctiſſimum Sacramentum expoſitum teneatur ad adorandum, quavis occaſione vel cauſa, neque etiam in feſto Patrocinii, neve in majori hebdomada ſub Dominici ſepulchri nomine, & prætextu, cum Sacra Euchariſtia in iis tantum Eccleſiis exponenda ſit, in quibus continuo aſſervari conſuevit, ut in Collegiatis, & Parochialibus. Sacerdotes in hoc delinquentes, noverint ſe a Nobis graviter puniendos.

Nulli Sacerdoti ſæculari, vel regulari, etiamſi generalem celebrandi facultatem a Nobis, Officialive noſtro obtinuerit, in Monialium Eccleſiis, Miſſæ Sacrum facere licet, præterquam cui nominatim id conceſſum fuerit.

In noſtra Metropolitana Baſilica nemo ad altaria conſtructa ſuper tumbis Sanctorum Patronorum celebret, absque licentia Decani ejusdem Eccleſiæ.

Hoſtiæ in Miſſa conſecrandæ, non a laicis perſonis, ſed ab Eccleſiaſticis, Monaſteriisve ſumantur. Eæ autem azymæ ſint, non fermentatæ, atque ex ſola aqua naturali, & farina confectæ, non mucidæ, non putres, non maculis aſperſæ, non confractæ; ſed omnino recentes. Et quæ ante menſem coctæ ſint, nullo modo conſecrentur.

Vinum purum adhibeatur in Miſſa, quod non acidum, non corruptum, non herbis, aliisve rebus conditum ſit, atque ob decorem & munditiam, ſi fieri poſſit, album habeatur.

Clericus, vel alius Laicus rite inſtructus inſerviat Celebranti; id autem munus nulla ratione obeatur a fœmina quavis, etiamſi Monialis ſit.

Ante Miſſæ cujusque initium, etiamſi ſine cantu fiat, duæ ſaltem candelæ accendantur, quæ e cera omnino ſint, & decenti craſſitudine, non autem e ſevo. Eæ autem nullo modo extinguantur, priuſquam ultimum Miſſæ Evangelium recitatum ſit.

Antiqua & laudabilis hujus noſtræ Eccleſiæ conſuetudo orandi in Miſſarum celebratione pro Papa, Antiſtite, Rege, ac Regina, perpetuo ſervetur, ac pie retineatur.

Cum Corpus Domini noſtri JESU CHRISTI elevandum eſt in Miſſa conventuali, parochialive, ſignum detur campanæ ſono, cujus ſignificatione fideles, qui in Eccleſia Miſſæ Sacrificio non interſunt, admoniti, ad tanti myſterii, ac beneficii recordationem animum excitantes, mente ſupplici religioſas preces adhibeant.

Feria V. Cœnæ Domini & Sabbato item Sancto in noſtra Metropolitana, atque in unaquaque Eccleſia Collegiata, Parochialive, unica tantum Miſſa celebretur; unica præterea Miſſa fiat in Eccleſia Monialium. In aliis autem Eccleſiis, Oratoriisve, etiam laicalibus non celebretur hoc triduo.

Feria ſexta in Paraſceve nullibi fiat Miſſa cum conſecratione ex ſacris ritibus. Canonici autem omnes, ac reliqui item Sacerdotes, & Clerici in hac urbe degentes, in ſolemni ejusdem diei officio, Sacramentaliter confeſſi, Sacram ſumant Euchariſtiam, habeantque Sacerdotes in ejusmodi ſumptione ſtolam a collo pendentem, ſupra ſuperpelliceum, ad Sacrorum Canonum præſcriptum.

Quo die Summus Pontifex Romanus Conſecrationis, Coronationisve inſignia accepit, pietatis ratio poſtulat, in eo precationem a Clero adhiberi, quamobrem tam in Metropolitana, quam in omnibus Collegiatis Eccleſiis, quot annis, eo die, Miſſa ſolemnis celebretur, ut in feſto Cathedræ Sancti Petri, in albo apparatu, cum ſola oratione, quæ ſolet dici pro Papa: *Deus omnium fidelium Paſtor & Rector.* Et dicatur: *Gloria in excelſis*, ac *Credo*, cum Præfatione *de Apoſtolis.* Parochi omnes eandem Miſſam faciant absque cantu. Si vero hujusmodi Anniverſarium in die aliquo feſtivo venerit, Miſſa de Feſto celebretur, cum paramentis Feſto convenientibus, & in ea pro Papa oretur ſtata illa oratione: *Deus omnium fidelium.* Atque ob eam quidem cauſam, in Anniverſario hujus Eccleſiæ Calendario, Conſecratio Pontificia die ſuo notetur, tum etiam de more denuntietur; ut univerſus Clerus, & populus item, excitetur ad preces pro illo adhibendas.

Præterea ex FELICIS Papæ Quarti Decreto, ſingulis annis, in Anniverſario Conſecrationis Archi-Epiſcopi hujus Eccleſiæ Pragenſis, pro tempore exiſtentis, fiat Miſſa ſolennis, eodem modo, & apparatu, atque iisdem in Eccleſiis, ut diximus pro Coronatione Summi Pontificis, cum eadem oratione: *Deus omnium fidelium Paſtor.* Sed loco nominis *Papæ*, dicatur nomen *Archi-Epiſcopi*, & poſt verba illa: *Eccleſiæ tuæ*, adjiciatur *Pragenſi*; & dicatur *Præfatio de Apoſtolis.* Ut autem & Clerus, & populus item, invitetur ad preces eo die pro Archi-Epiſcopo fundendas, in hujus Eccleſiæ Calendario notetur quotannis, Conſecratio Archi-Epiſcopi.

Capellarum oneribus, & Miſſarum numero, cuivis beneficio Eccleſiaſtico, fundatione, aliove nomine adjuncto, unusquisque, prout ſui muneris partes requirunt, ſatisfaciat. Quibus autem in Eccleſiis, ob multa, variaque defunctorum legata, Miſſas uſque adeo multas celebrari oportet, ut pro ratione ſingulorum dierum, quos teſtamento, aliave ultima voluntate, teſtatores præſcripſerunt, muneri, quod eorum piis voluntatibus debetur, ob Sacerdotum penuriam ſatisfieri non poteſt, aut eleemoſyna eo nomine aſſignata adeo tenuis eſt, ut non facile inveniatur, qui velit huic ſe muneri ſubjicere; unde depereunt piæ teſtantium voluntates, & eorum conſcientias, ad quos prædicta ſpectant, onerandi occaſio datur; Eccleſiarum Rectores, ſive Parochi, aliive, quorum intereſt, omnia ſigillatim Nobis ſignificent; ut re diligenter perſpecta poſſimus in illis Eccleſiis, quas hac proviſione indigere cognoverimus, ſtatuere circa hæc, quidquid magis ad Dei honorem, & cultum, atque Eccleſiarum utilitatem videbimus expedire; ita tamen ut in ſingulis Miſſis, quæ jure reductionis celebrabuntur, eorum defunctorum commemoratio fiat, qui pro ſuarum animarum ſalute legata ad pios uſus reliquerunt. Idque per intentionem applica-

plicationis Miſſarum, per preces in ſecundo *Memento*; & per Collectas in Miſſis fieri poterit.

Nemo Sacerdos ſæcularis, vel Regularis, quavis occaſione, vel cauſa, in Eccleſia, vel alibi, Miſſam non integram, quam Siccam vocant, absque Corporis & Sanguinis Domini noſtri conſecratione, & ſumptione celebrare, ſeu recitare audeat, alioquin ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrat. Qui vero hujusmodi Miſſis interſunt, Eccleſiæ præcepto, de Miſſa die feſto audienda, non ſatisfaciunt; imo in hoc etiam, graviter delinquunt.

Quæ in Miſſa ex ſacris ritibus recitanda non ſunt, nemo pro libitu ſuo, absque Sanctæ Eccleſiæ auctoritate, omittere, mutareve poteſt, ideo edicimus, ut in Miſſis omnibus, etiam iis, quæ cum cantu fiunt, Epiſtola & Evangelium latino ſermone, ut in Miſſali connotata ſunt, omnino legantur. Ut autem fidelium utilitati & devotioni, quantum cum Deo poſſumus, proſpiciamus, permittimus, ut in Eccleſiis, in quibus lingua vernacula legi conſueverunt, illa poſtquam latino idiomate pronuntiata fuerint, etiam eadem lingua vernacula, clara & intelligibili voce, absque cantu proferantur, dummodo de libro, qui a Nobis ſcripto approbatus fuerit, & non aliunde deſumantur.

Cum Summus Pontifex Romanus, univerſalis Eccleſiæ Paſtor, & Parens, ex hac vita migrarit, nuncio certo mortis allato, in omnibus Eccleſiis, omnium campanarum ſono, ut pro mortuis fit, de more pulſetur; tum in noſtra Metropolitana, & in Collegiatis Eccleſiis, Miſſa ſolemnis, & Officium ex ritu pro defunctis, pro eo pie celebrentur, atque Sacerdotes ſinguli Miſſam faciant. Præterea iisdem in Eccleſiis, Miſſa de Spiritu Sancto cum cantu fiat, & donec de novo Succeſſore proviſum fuerit, preces ad Deum continuo offerantur, pro opportuna novi Pontificis electione impetranda, qui Eccleſiam digne ac fructuoſe gubernare poſſit.

Pro Archi-Epiſcopo item, qui Pater, Magiſter, Duxque Cleri, & populi Pragenſis eſt, cum ex hac vita migrare contigerit, & Miſſa pro defunctis pariter celebretur, & preces fiant, pro optima novi Antiſtitis electione, atque hac de cauſa Miſſa de Spiritu Sancto in omnibus Eccleſiis cum cantu celebretur.

XX. De Pœnitentia.

INter omnes noſtræ Paſtoralis curæ ſolicitudines, quæ innumeræ, graviſſimæque ſunt, nulla profecto eſt, quo Nos magis urgeat, quam ut oves noſtræ fidei concreditæ, ab iis Confeſſariis gubernentur, qui & vitæ probitate, & ſcientia, aliisque virtutum ornamentis decorati, eas ad æternæ beatitudinis paſcua feliciter perducere poſſint. Quanto enim ſtudio ac diligentia Pœnitentiæ Sacramentum miniſtrandum ſit, id unum, ſi recte conſideretur, facile oſtendere poteſt, quod poſt Baptiſmum in peccatum lapſis, nulla alia prorſus ratione remitti peccata, aut condonari, cœlumque aperiri, aut in Dei gratiam reſtitui unquam liceat, quam hujus Sacramenti virtute, atque ope, ſi tamen rite, ſuſceptum, miniſtratumque erit. Ne igitur tantum, tamque neceſſarium in populo Dei Sacramentum, negligenter, & imperite miniſtratum, & ſuſcipientibus inutile evadat, & miniſtrantibus exitium pariat, curandum eſt, ut ii tantum Sacramentalibus confeſſionibus audiendis præficiantur, qui hujusmodi munus non perite modo, ſed etiam prudenter miniſtrare noverint, ac ſummopere velint, ut præter Ordinis poteſtatem, quam quidem, cum Sacerdotio initiati ſunt, ſuſceperunt; præter jurisdictionis auctoritatem, quam recipiunt, cum ad audiendas confeſſiones approbantur, doctrina etiam, prudentia & charitate præditi, atque exculti ſint, ut iis virtutibus inſtructi, doctrina quidem recte norint, ex variis peccatorum generibus, quæ gravia, quæve levia ſunt, pro cujusque hominis ordine, & genere dijudicare; prudentia tanquam ſapientes Medici, ſingulis animi morbis opportuna, atque optima præbeant medicamenta; & charitate Dei accenſi, zeloque ſalutis animarum

marum excitati, Chriſti fidelibus omnia præſtent ſalutaria adjumenta.

Nullus igitur Sacerdos, ſive ſæcularis, ſive cujusvis Ordinis & inſtituti Regularis, confeſſiones ſæcularium, etiam Sacerdotum, aut Clericorum audiat, niſi vel Beneficium Parochiale, ſive animarum curam legitime obtineat, vel a Nobis, Officialive noſtro approbationem & facultatem in ſcriptis prævio examine, vel ſine eo, ſi ita judicabimus expedire, obtinuerit; alioquin ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurret. Abſolutio autem Sacramentalis ab illis collata, qui jurisdictionis poteſtatem non habent, irrita eſt, & invalida.

Confeſſionis ſacræ audiendæ munus Sacerdotibus Regularibus, quamvis ad illud ob peritiam, ſcientiamque idoneis, nullo modo committemus, niſi a Monaſterii Præfecto teſtatum literis fiat, eos vitæ diſciplina, moribusque probatos eſſe, ac dignos præterea, quibus id muneris imponatur. Quo in teſtimonii genere, ipſe videat, ne quid teſtificando admittat, quod religioſæ conſcientiæ ſuæ fraudi ſit, labemve afferat.

Ut autem unusquisque ſciat perpetua capita, ſuper quibus examinabuntur ii, qui ad aliquod Beneficium Parochiale obtinendum, vel ad Confeſſiones audiendas præficiendi ſunt, ea hic notari volumus.

Quare fuit inſtitutum Sacramentum Pœnitentiæ. Quæ ejus materia, quæ forma, qui proprius Miniſter.

Quæ differentia ſit inter peccatum mortale & veniale.

Qui ſint effectus peccati mortalis.

Quæ ſunt Regulæ cognoſcendi, an peccatum ſit mortale, nec ne.

Quæ circumſtantiæ peccatorum ſint neceſſario explicandæ in Confeſſione Sacramentali.

Quid ſit occaſio peccati, quotuplex, & quæ vitanda ſub pœna peccati mortalis.

Quid ſit cogitatio moroſa, & quæ ſit peccatum mortale.

Quæ ſint eſſentialia Sacramenti Pœnitentiæ.

De differentia contritionis ab attritione.

De eſſentialibus Sacramenti Matrimonii, ejusque impedimentis tam dirimentibus, quam impedientibus tantum.

De furto, & quæ quantitas furti conſtituat peccatum mortale.

De juramento & ejus comitibus, ſeu conditionibus.

De ſuperſtitionibus, quæ regula tenenda ſit, ut cognoſcatur, quando ſint peccatum mortale.

Quæ ratio ineunda ſit in examinando pœnitente, cum Confeſſarius id faciendum neceſſario judicaverit.

Cætera Examinatorum judicio relinquuntur; qui aliquod cum eis experimentum facere poterunt: De Cenſuris, & earum effectibus; de Votis, eorumque obligatione, commutatione & irritatione; de Uſuris; de conditionibus venditionis cum termino retrovendendi, & demum de reſtitutione tam in bonis animæ, quam famæ, corporis, & cæterarum rerum.

Non licet per literas, ſeu internuncium Confeſſario abſenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem abſente abſolutionem obtinere, ut Decreto CLEMENTIS VIII. auditis votis Patrum Theologorum, ac re cum Illuſtriſſ. Cardinalibus contra hæreticam pravitatem generalibus Inquiſitoribus diligenter, & mature diſcuſſa, declaratum eſt.

Qui aliquid contra prædicti Pontificii Decreti præſcriptum admiſerit, pœnas, & cenſuras in eo inflictas ipſo facto incurret.

Conſiderent Parochi, aliive Confeſſarii diligenter tenorem ſuæ auctoritatis, ne in propriæ, & aliorum ſalutis detrimentum, jurisdictionis ſibi traditæ limites excedendo, falcem mittant in meſſem alienam.

Ut in animarum ſalute procuranda, in Pœnitentiæ Sacramenti miniſterio, uberiores fructus in Domino reportare valeant, Confeſſariis omnibus, etiam Regularibus, edicimus, ac jubemus, & ſingulis annis feria quarta Cine-

Cinerum, qui in hac urbe ſunt, ad Nos, ſive ad Officialem noſtrum; qui vero per Archi-Diœceſim, ad proprii diſtrictus Archidiaconum Diœceſanum accedant, ut ea monita accipiant, quæ in confeſſionibus audiendis, fidelibusque ad Sacram Communionem Paſchalem admittendis, opportuna judicabimus.

Cum peccata poſt Baptiſmum commiſſa nulla alia ratione abſolvi poſſint, ut ſuperius diximus, niſi per Sacramentalem Confeſſionem, quæ fieri debet, non generatim, ac publice, ſed ſpeciatim ab unoquoque pœnitente; qui ad legitimi Sacerdotis aures, peccata ſua, eorumque numerum, & circumſtantias neceſſario explicandas, ſigillatim & ſecreto confiteri tenetur; ut Confeſſarius, tanquam Judex, actum judicialem, ex Divina inſtitutione, in eum exercere, & ſententiam proferre valeat; nullo modo ferendum eſt, plurium confeſſiones ab eodem Sacerdote ſimul, & turmatim audiri; ideo decernimus, ne Sacerdos quisquam id ſacrilegii admittere audeat, ut plures, ſive adultos, ſive impuberes, ita turmatim in Confeſſione Sacramentali, contra Chriſti Domini inſtitutum, & morem in Eccleſia Catholica receptum, ſimul audire attentet, pœna excommunicationis propoſita, ipſo facto incurrenda.

Nemo Confeſſarius ſæcularis, vel Regularis Sacramentum Pœnitentiæ Monialibus noſtræ Archi-Epiſcopali jurisdictioni ſubjectis, miniſtrare audeat, etiamſi ad confeſſiones audiendas, in hac Civitate & Archi-Diœceſi noſtra, generatim admiſſus fuerit, niſi ſpeciale facultatem id obeundi, a Nobis, noſtrove Officiali, ſcripto exaratam obtinuerit; alioquin excommunicationem ipſo facto incurrat.

Ad populi diſciplinam maximopere ſpectat, ut atrociora quædam & graviora crimina, non a quibus Confeſſariis indifferenter abſolvantur; unde merito Pontifices Maximi cauſas aliquas criminum graviores ſuo peculiari judicio reſervare conſueverunt; quod idem Epiſcopis omnibus, in ſua cuique Diœceſi, licere certum eſt, pro illis in ſubditos tradita, ſupra reliquos inferiores Sacerdotes, auctoritate. Ut igitur infraſcriptorum delictorum atrocitas ab omnibus cognoſcatur, & eorum proclivitas diligentius reſecetur, in populi Nobis commiſſi ædificationem, ipſorum abſolutionem Nobis reſervamus; Confeſſariis Sacerdotibus quibuscunque, etiam Regularibus, inhibentes, ne quempiam iis culpis, criminibusve irretitum, absque facultate noſtra, ſcriptis obtenta, abſolvere attentent, etiam quorumcunque privilegiorum jure, tam Regularibus ipſis, quam Confratriis, Eccleſiisve quibusvis conceſſorum, prout a Sancta Sede Apoſtolica ſæpius declaratum fuit; alioquin excommunicationis pœnam ipſo facto incurrant; atque ejusmodi abſolutionem nullius roboris, ac momenti fore decernimus. Omnem autem facultatem, cuivis hactenus conceſſam, ab iis caſibus, vel ab eorum aliquo abſolvendi, penitus abrogamus.

1. Qui libros, ſeu ſcripta Hæreticorum, vel quavis alia ratione prohibita, penes ſe retinuerint, vel legerint, aut impreſſerint, ſeu imprimi fecerint, non abſolvantur, niſi prius libros, & ſcripta ejusmodi Nobis conſignaverint, vel cum effectu transmiſerint. Qui autem Hæreticorum libros hæreſim continentes, vel de Religione tractantes, absque facultate Sedis Apoſtolicæ, legerint, aut tenuerint, impreſſerintve, ſeu quomodolibet defenderint, publice vel occulte excommunicationem incurrent ipſo facto, Sedi Apoſtolicæ reſervatam.

2. Qui nefaria conſuetudine in Deum, vel ſanctos atroces blaſphemias protulerint.

3. Exercentes Sodomiam; quive cum brutis coierint.

4. Homicidium voluntarium committentes, vel illud procurantes, ſi ſequatur effectus. Quive ſubditos ſuos, ſeu quosvis alios, absque ordinario judiciali proceſſu, ultimo ſupplicio damnaverit.

5. Qui abortum procurarint juxta Conſtitutiones Sixti V. & Gregorii XIV.

6. Qui cum aliqua Moniali luxuriæ peccatum mortale, etiam ſolo tactu impudico, admiſerint.

7. Qui ſecundo vel propinquiori gradu conſanguinitatis, vel affinitatis, vel cum ſibi cognatione ſpirituali junctis, inceſtum admiſerint.

8. Concubinarii publici, ſive Sacerdotes, ſive alii.

9. Qui Legatorum piorum ſolutionem longius biennio diſtulerint.

10. Venefici, & qui potiones dederint, ut quis moriatur, aut morbo tabeſcat, vel inſaniat.

11. Qui ad magicas artes, veneficia, incantationes, ligaturas, & alia hujusmodi, Euchariſtia, Sacrisve rebus uſi fuerint. Si autem ſit error in intellectu, excommunicationem ipſo facto incurrunt, Sedi Apoſtolicæ reſervatam.

12. Qui publice, cum ſcandalo, & absque facultate noſtra, aut ſaltem Parochi proprii, Quadrageſimæ tempore, aliisve diebus ab Eccleſia ſtatutis, carnibus veſci præſumpſerint.

13. Qui poſt Sponſalia de futuro ſe carnaliter cognoverint, priusquam Matrimonium inter eos legitime per verba de præſenti ſit celebratum.

14. Qui parvulos ſuffocarint.

15. Adulterium fide data, nempe cum alter conjugum promittit ei, cum qua adulteratur, ſe contracturum Matrimonium cum illa, ſive copula præcedat promiſſionem hujusmodi, ſive ſubſequatur.

16. Clerici in Sacris conſtituti, qui Matrimonium de facto contraxerint; & ſunt ipſo facto excommunicati; quive hujusmodi Matrimoniis conſilium & aſſenſum præſtiterunt.

17. Qui incendium fecerint, nempe antequam denuntientur, at poſt denuntiationem eorum abſolutio eſt Summo Pontifici reſervata.

Attendant præterea Confeſſarii, ne a cenſuris quovis modo Summo Pontifici, Sedive Apoſtolicæ reſervatis, quempiam extra articulum mortis abſolvant, alioquin excommunicationem ipſo facto ſubeant, & irrita eſt, ac nulla hujusmodi abſolutio. Quod ſi quem in articulo mortis ab aliqua cenſura reſervata abſolverint; illum moneant, ut ſi convaluerit, ad Superiorem, cui reſervata eſt, quamprimum poterit, ſe præſentet; alioquin reincidet in eandem.

Canones item pœnitentiales memoriæ mandent, ut ſingulis criminibus congruam ſatisfactionem injungere valeant, ſimulque ipſis pœnitentibus, ut promptius ac libentius Confeſſarii præcepta & monita exequantur, diligenter exponant, quam benigne hodie Eccleſia Sancta graviſſimas antiquorum Canonum pœnas in mitiores commutandas cenſuerit.

Populos autem infra annum ſæpe, ac præſertim Adventus, ac Quadrageſimæ initio, Parochi accurate de iis inſtruant, quæ ad peccatorum remiſſionem hoc Sacramento obtinendam neceſſaria ſunt; vera ſcilicet, ac profunda cordis contritio, pura atque integra oris confeſſio, prompta atque exacta operis ſatisfactio; quæ quidem ex Catechismi Romani fonte hauriri facile poterunt, ac populis prædicari.

Confeſſarii facultatem habentes abſolvendi aliquos ab excommunicatione majori, vel ab interdicto Eccleſiaſtico, ne eos a peccatis abſolvant, niſi prius a cenſuris legitime abſoluti fuerint.

Cum aliquem pœnitentem auditurus eſt Confeſſarius quisque, ſuperpelliceum decens, & ſtolam omnino induat, & infraſcriptis precibus ad tantum miniſterium ſe paret, ac pœnitentem ipſum Summo Deo diligenter commendet.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem,*
℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Cor mundum crea in me Deus,*
℟. *Et Spiritum rectum innova in viſceribus meis.*

℣. *Redde mihi lætitiam ſalutaris tui,*
℟. *Et Spiritu principali confirma me.*

℣. *Docebo iniquos vias tuas,*
℟. *Et impii ad te convertuntur.*

℣. *Li-*

Digitized by Google

℣. *Libera me de ſanguinibus Deus, Deus ſalutis meæ,*
℟. *Et exultabit lingua mea juſtitiam tuam.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum,*
℟. *Et cum ſpiritu tuo.*

OREMUS.

DOmine DEUS Omnipotens, propitius eſto mihi peccatori, ut digne poſſim tibi gratias agere, qui me indignum, propter tuam miſericordiam Miniſtrum feciſti officii Sacerdotalis, & me exiguum, humilemque mediatorem conſtituiſti ad orandum, & interceden dum ad Dominum noſtrum JEſum Chriſtum, Filium tuum, pro peccatoribus & ad pœnitentiam revertentibus. Dominator Domine, qui omnes homines vis ſalvos fieri, & ad agnitionem veritatis tuæ venire; qui non vis mortem peccatorum, ſed ut magis convertantur & vivant; ſuſcipe orationem, quam fundo pro famulis, & famulabus tuis, qui ad pœnitentiam venerunt, ut des illis Spiritum compunctionis; reſipiſcant a Diaboli laqueis, quibus adſtricti tenentur; ut ad te per dignam ſatisfactionem revertantur, per eundem Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Prompte & alacriter ad hoc munus peragendum accedat Confeſſarius, & fideles benigne acceptet, eosque moneat, ut in Confeſſionis Sacramentalis actu, ſint habitu demiſſo, & humili, depoſitis armis, genibus flexis, capite aperto, vultu demiſſo, manibus junctis ante pectus, conſiderantes ſe non coram homine peccatore, ſed coram DEO Altiſſimo eſſe, ut agnoſcendo, & confitendo veniam petant.

Moneant pœnitentem de obligatione examinis, diſcuſſionisve conſcientiæ ſuæ, diligenter faciendæ, antequam ad Confeſſarium accedat, ut omnia peccata mortalia, quorum, poſt diligentem hujusmodi ſui diſcuſſionem, conſcientiam habet, in confeſſione recenſeat: etiamſi occultiſſima illa ſint, & tantum adverſus duo ultima præcepta Decalogi commiſſa, quæ nonnunquam animum gravius fauciant, & periculoſiora ſunt iis, quæ in manifeſto admittuntur. Nam venialia, quibus a gratia Dei non excludimur, & in quæ frequentius labimur, ſicuti recte & utiliter in confeſſionem dicuntur; ita etiam citra culpam taceri, multisque aliis remediis expiari poſſunt. Verum cum univerſa mortalia peccata, etiam cogitationis, homines, iræ filios, & Dei inimicos reddant; neceſſarium eſt omnium etiam veniam cum aperta & verecunda Confeſſione Sacramentali a Deo quærere; qui enim ſcienter aliqua retinent, nihil Divinæ Bonitati per Sacerdotem remittendum proponunt: nam ſi erubeſcat ægrotus vulnus Medico detegere, quod ignorat, medicina non curat. Circumſtantiæ etiam, quæ ſpeciem peccati mutant, ſunt neceſſario in Confeſſione Sacramentali explicandæ.

Inter alia autem, quæ fidelibus ad hoc Sacramentum accedentibus uberrimam adferunt utilitatem, illud eſt præcipuum, ut Confeſſarius expectet, & excitet pœnitentem, ut peccata ſua confiteatur, non expectatis Confeſſarii interrogationibus, quo diligentius conſcientiæ ſuæ latebras diſcutiat, & admiſſa peccata apertius in confeſſione declaret. Cum vero id oportere cognoverit, interrogetur pœnitens de iis, quæ neceſſaria, non quæ inutilia, aut otioſa fuerint. At cum pueri, puellæve de luxuriæ culpis interrogari debebunt, ea cautio adhibeatur, ne quæ antea ignorabant, in propriæ ſalutis exitium forteſſe a Confeſſario doceantur.

Peccata quædam magis uſitata, & quæ maximo ſunt fidelibus populis damno, ſtudioſius perſequatur, & præſertim contractus uſurarios, aliosve quavis ratione injuſtos, crimen falſi teſtis, ebrietates, venereas amicitias, & ejusmodi.

Poſtquam pœnitentis conſcientiam excuſſerit, illud ſui muneris eſſe intelligat, ut remedia aliqua opportuna adverſus tentationes, quibus ille maxime ſuccumbere ſolitus eſt, ſedulo doceat, atque adeo illum diligenter inſtituat nova aliqua ſpirituali vitæ ratione, quam recte ineat.

Videat diligenter, ne quem abſolvat, qui vel odium inimicitiamve deponere nolit; vel reſtituere pro facul-

tatibus recuſet alienum ; ſeu a ſtatu peccati mortalis paratus non ſit deſiſtere, & occaſionem ſimilis peccati vitare ; qua de re doctrinas probatas ſtudeat recte cognoſcere, & ſecundum eas ſe ſe gerere.

Pro peccatis gravibus leviſſimæ pœnitentiæ non imponantur, alioquin, ut Canon ait, conſuit pulvillos ſecundum Propheticum ſermonem ſub omni cubito manus, & facit cervicalia ſub capite univerſæ ætatis, ad capiendas animas; ideo Confeſſarius, qui dum cum confitentibus indulgentius ait, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungit, ex Sacri Concilii Tridentini ſententia, alienorum peccatorum particeps fit. Concubinariis, atque iis etiam, qui peſſimum blaſphemandi uſum plures annos retinuerunt, atque ſe emendare nunquam ſtuduerunt, & quos præterea in quævis alia graviora crimina frequenter ex prava conſuetudine incidiſſe animadverterit, etiamſi quo ad caſus reſervatos facultatem abſolvendi a Nobis obtinuerit; iis ad aliquot dies, atque adeo menſes, prout morbi gravitas exigere videbitur, abſolutionem differat; ita tamen ut illos ſanare, non autem in deſperationem, aut confuſionem inducere, pie, prudenterque procuret.

Fidelibus ad Sacramentalem Confeſſionem accedentibus pœnitentiam imponat, antequam eis beneficium abſolutionis impendat. In ea autem imponenda, prudentiam, diſcretionem, pietatem & juſtitiam adhibeat, neque ei, qui in aliena poteſtate eſt, eam injungat, quam ob ſubjectionem, aliasve rationabiles cauſas exequi non poteſt. Nihil præterea pœnitenti imponat, quo vel aliquod ſcandalum, aut confuſio provenire, vel ipſe pœnitens nimium deterreri poſſit, habita ſemper ratione ſtatus, conditionis, ſexus, & ætatis pœnitentis. Imo cum expediens fuerit, illum interroget, an poſſit pœnitentiam illam peragere; ſi dubitet, eam mutabit, aut minuet.

Si pro perſonæ, criminis conditione ſatisfactionis nomine eleemoſynam aliquam a pœnitente erogandam judicaverit ; eam ne ipſe petat, ac ne oblatam quidem acceptet.

Confeſſione peracta, dum abſolutionem impertit, ne Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, ſeu alias orationes pœnitenti injungat, eo ipſo tempore recitandas, imo, ut pœnitens abſolutionis verba audiens, ſpiritualem conſolationem concipere poſſit, diſtincte, ac ſedate illa pronuntiet, præſertim ea, quæ Sacramenti illius formam continent, nempe: *Abſolvo te*, &c.

In votis autem commutandis, cum ejus rei facultas a Summo Pontifice, vel a Nobis data fuerit, videat omnino, ut vel in majora pietatis opera, quæque Deo gratiora futura ſint, vel ſaltem in æque pia, Deoque grata, illa commutet. Qua quidem in commutatione, laboris atque incommodi, ſumptusque, quos, ſi perſolvendum erat votum, ſubire, perferre, & facere oportuerat, rationem habeat quam diligentiſſimam.

Obſervet, ſi quod peccatum mortale in confeſſionibus præteritis ſtudioſe ſubticuit, ut eas repetere debeat.

In eo maxime cautus ſit abſolvendo, cui facultas adſit aliena reſtituendi, vel legata pia perſolvendi, idque jam alias in confeſſione promiſerit, præſtare tamen neglexit.

Dum abſolutionis formam profert Confeſſarius, manum dexteram ſuper pœnitentis caput, quod non ſine myſterio eſt, elevatam teneat, ita tamen, ut ipſius caput non tangat.

Atque ut omnes una utantur abſolutionis formula, etiam in iis, quæ ad hujus Sacramenti eſſentiam non pertinent, hanc Parochis, & Confeſſariis ſervandam omnibus proponimus.

Miſereatur tui Omnipotens Deus; & *dimiſſis peccatis, perducat te ad vitam æternam, Amen.*

Indulgentiam, abſolutionem, & remiſſionem omnium peccatorum tuorum tribuat tibi omnipotens & miſericors Dominus, Amen.

Dominus noſter JEſus Chriſtus, qui eſt Summus Pontifex, te abſolvat, & ego auctoritate ipſius te abſolvo ab omni vinculo excommunicationis minoris, aut etiam majoris, in quantum poſſum, & indiges. Deinde abſolvo te ab omnibus peccatis tuis in nomine Patris, † *& Filii,* † *& Spiritus Sancti,* † *Amen.*

Paſſio

Paſſio Domini noſtri JESU Chriſti, & merita Beatæ Mariæ ſemper Virginis, & omnium Sanctorum, & quidquid boni feceris, & mali ſuſtinueris, ſint tibi in remiſſionem peccatorum tuorum, in augmentum gratiæ, & præmium vitæ æternæ, Amen. Vade in pace † & noli amplius peccare.

Meminerint Confeſſarii ſervare Sigillum Confeſſionis Sacramentalis, ita, ut neque verbo, neque nutu, aliave quavis ratione, alicui relevent directe vel indirecte, quæ in confeſſione cognoverunt; alioquin præter graviſſimas pœnas non ſolum corporales, ſed etiam infamiæ, a Sacris Canonibus contra hujusmodi inflictas, etiam pœnam depoſitionis incurrent.

Nihil a pœnitentibus quovis modo Sacræ Confeſſionis occaſione exigant. Si quid autem eis eleemoſynæ nomine ab aliquo ſponte oblatum fuerit, id illos humiliter acceptare poſſe permittimus.

Cum infirmitas corporalis nonnunquam ex peccato proveniat, dicente Domino illi languido, quem ſanaverat: Vade, & noli amplius peccare, ne quid deterius tibi contingat; Medici omnes ad præſcriptum Decreti INNOCENTII Papæ Tertii, ac Conſtitutionis PII Papæ Quinti, cum ad infirmos in lecto jacentes vocati fuerint; ipſos ante omnia admoneant, ut peccata ſua juxta ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ confiteantur; neque tertio die ulterius eos viſitent (niſi longius tempus infirmo Confeſſarius ob rationabilem cauſam, ſuper quo ejus conſcientia oneratur, conceſſerit,) ſi eis non conſtiterit, quod infirmi, ut præmittitur, peccata ſua confeſſi fuerint; alioquin interdicti Eccleſiaſtici cenſura innodabuntur, & alias pœnas incurrent, Pontificia Sanctione prædicta contentas.

Propinqui autem & omnes familiares, ac domeſtici infirmi, ſtatim Parochum de infirmitate hujusmodi certiorem faciant; atque tam Parochus, quam conjuncti, & familiares præfati, infirmum ad Sacramentalem peccatorum confeſſionem accurate inducant.

Præterea cum anima ſit pretioſior corpore, Medicos omnes paterne monemus, ut pro corporali ſalute nihil ægroto ſuadeant, quod in periculum animæ convertatur; alioquin excommunicationem a Sacris Canonibus inflictam ſubibunt.

Ad ſalutem cum omnibus fidelibus admodum neceſſarium ſit Catholicæ fidei rudimenta ſcire, antequam confeſſiones audiant, diligenter videant Confeſſarii, an pœnitentes Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum fidei, & decem Præcepta Dei, quæ Decalogo continentur, recte norint, & cum imperitis agant, ut clara voce ipſis audientibus illa recitent. Quos vero ignaros, rudesque offenderint, hanc eorum ſpiritualem ſocordiam acriter reprehendant, oſtendantque, quam gravis eſſe debeat illorum conſcientiæ ignoratio rerum, quæ ad ſalutem tantopere neceſſaria ſunt. Cum autem eos abſolvent, præter alias pœnitentias & actiones ſatisfactorias, id etiam imponant, ut quatuor hæc potiſſima Doctrinæ Chriſtianæ capita, nempe Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, & Decalogum, in poſterum accurate ediſcant, certo illis, pro arbitratu ſuo, præfinito congruo tempore, quod ob neceſſariam aliquam cauſam, ſemel aut pluries prorogari liceat.

At quo facilius pernicioſæ hujusmodi ignorantiæ incommodo occurratur, neque aliqua excuſatione ſuam negligentiam fideles prætexant, illud eisdem animarum Curatoribus mandamus, ut die Feſto, intra Miſſarum celebrationem, cum frequentior fidelium multitudo in Eccleſia aderit, clara voce, ac diſertis verbis, quæ ab omnibus audiantur, modo unum, aliquando plura ex iis præcipuis Doctrinæ Chriſtianæ capitibus, prout opportunius ſibi videtur, recitent; ſimulque eos, qui aderunt, hortentur, ut eadem verba, quibus ipſi præibunt, illi ſimul pronuntient, & dicant.

XXI. De Extrema Unctione.

CLementiſſimus Redemptor noſter, qui ſervis ſuis, quovis tempore, voluit de ſalutaribus remediis adver-

ſus omnia hoſtium omnium tela eſſe proſpectum, quemadmodum auxilia maxima in Sacramentis aliis præparavit, quibus Chriſtiani ſe integros, dum viverent, ab omni graviori ſpiritus incommodo conſervare poſſint; ita Extremæ Unctionis Sacramento, finem vitæ tanquam præſidio munivit. Nam etſi adverſarius noſter occaſiones per omnem vitam quærat, & captet, ut devorare animas noſtras poſſit, nullum tamen tempus eſt, quo vehementius ille omnes ſuæ verſutiæ nervos intendat ad perdendos nos penitus, & a fiducia etiam, ſi poſſit, Divinæ miſericordiæ deturbandos; quam cum impendere nobis exitum vitæ perſpicit.

Quamobrem licet hoc Sacramentum neceſſarium non ſit ad ſalutem, a nullo tamen negligi poteſt absque gravi peccato, ideo Parochi omnes, animarumque Rectores, ejus fructus & utilitates, ſæpe ad Catechiſmi Romani præſcriptum fidelibus explicent, doceantque hoc Sacramentum peccata, ſi quæ ſint adhuc expianda, & eorum maculas abſtergere, ægroti animum alleviare, & confirmare, magnam in eo Divinæ miſericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus ſublevatur, & morbi incommoda, ac labores melius fert, & tentationibus dœmonis calcaneo inſidiantis facilius reſiſtit, atque ſanitatem corporis interdum, ubi ſaluti animæ expedierit, conſequitur.

Omnem diligentiam & ſolicitudinem adhibeant Parochi, ut neminem eorum, quorum curam gerunt, hoc ſalutari præſidio deſtitutum, ex hac vita migrare contingat; ideo cum periculum mortis ægroto impendet, ſupremusque vitæ dies inſtare videbitur; illud ſuperpelliceo & ſtola induti, in tempore miniſtrent, propoſito ſibi exemplo Sanctiſſ. Epiſcopi MALACHIÆ, qui cum culpæ ſuæ (licet immerito) adſcriberet, quod mulier quædam ſine hoc Sacramento deceſſiſſet; totam noctem lacrymans ſe ſe afflixit; ita ut Dei miſericordia, illa mane, quaſi e ſomno excitata, e lecto ſe erigens, hoc Sacramentum acceperit, & etiam a morbo convaluerit. Parati erunt illud die, noctuque nulla interpoſita mora, prompte miniſtrare. Demonſtrabunt quam ſalutariter infirmis expediat, ultro ſponteque hoc Sacramentum pie depoſcere. Videant, ut qui illud ſuſcepturus eſt, prius, ſi fieri poterit, Sanctiſſima Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta præcipiat, quorum virtute munitus Extremæ Unctionis effectus efficacius conſequatur. Studeant illud miniſtrare, dum æger integris eſt ſenſibus; ut intelligere, quid agitur, & fructuoſius ad ejus effectum conſequendum ſe disponere poſſit.

Licet hoc Sacramentum nulli miniſtrandum ſit, qui illud reſpuat; cum tamen ægrotus ingraveſcentis morbi vi ſubito correptus, rationis ſenſum amiſerit, ſi illud ante petierit, vel veriſimile eſt, quod petiiſſet, niſi repentino illo caſu præoccupatus eſſet, is rite inungatur, licet.

Si aliqua morbi vi infirmus oppreſſus, dubitatur vivus ne ſit, an mortuus, eadem conditione utendum eſt: *Si es vivus, per iſtam Sanctam Unctionem* &c.

Si per errorem Sacerdos aliud oleum, quam quod infirmorum eſt, ad ægrotum ungendum unquam adhibuerit; etiamſi Chryſmatis, aut Catechumenorum ſit, ut erratum emendet, Olei Sacri, quod proprium infirmorum eſt, unctionem eidem adhibeat, tumque Sacramenti formam iteret.

Miniſtrari debet adultis periculoſe ægrotantibus, propeque moribundis: & ſenio etiam confectis in diem morituris, etiamſi ægroti non ſint; peſte item laborantibus, cum derepente mors nec opinantes eos occupet; periculoſe etiam vulneratis ad mortem.

Nullo modo miniſtretur infantibus, puerisve, qui nullum adhuc rationis uſum habent, neque peccatis obnoxii ſint; nec furioſis, amentibusve toto vitæ tempore inſania vexatis; nec excommunicatis, interdictis, ſeu impœnitentibus.

Infirmis autem, qui ſana mente dum erant, illud petierunt, cum veriſimile ſit, quod petiiſſent, etiamſi poſtea in amentiam inciderint, miniſtrabitur. Si vero dum infirmus amentia, phreneſive laborat, veriſimile eſt, ut indecore, aut ſpurce, vel impure aliquid agat, quo irreverentia huic Sacramento

mento fiat; non ungatur; niſi alicujus complexu ita teneatur, ut absque alicujus irreverentiæ periculo, firmus, ſtabilisve hæreat.

Mulieribus proxime parituris non miniſtretur, niſi morbi vi ita vexentur, ut veriſimile mortis periculum illis immineat, & morti propinquæ judicentur.

Cæcis, ſurdis, mutis, paralyticisve, quamvis eo ſenſus vel videndi, vel audiendi, loquendive, ſeu ambulandi ſemper caruerint, præbebitur; peccare enim potuerunt per internas potentias, quibus ea membra reſpondent.

Item illud miniſtrari debet ei, qui forte dum eſt in articulo mortis, fuerit baptizatus.

Si cui fortaſſe manus amputata, erutus oculus, naresve, aut aures præciſæ ſint, ſeu alia corporis pars ex iis, quæ ungi ſolent, quavis ratione deerit, quæ pars propinquior eſt, inungatur.

In Sacerdote vero ungendo, manus non ab interiori parte, quæ utique in Sacerdotalis Ordinis ſuſceptione uncta jam fuit, ſed extrinſecus inungendæ ſunt.

Videat Parochus, ut dum Sacramenti formam pronunciat, quæ eſt: *Per iſtam Sanctam Unctionem, & ſuam piiſſimam miſericordiam, parcat tibi Dominus quidquid † oculorum (ſive aurium, aut narium, ſeu linguæ, vel oris, ſeu tactus, ſeu greſſus, ſive renum) vitio deliquiſti.* Eodem tempore ægroti oculis, aliisve corporis membris, ſigillatim unctionem adhibeat, & ad eorum ſingula diſtincte proferat, aut repetat eadem verba. Cumque oculi, nares, aures, & pedes, quæ duplicia ſunt, inunguntur; caveat, ne in alterius membri unctione integra verborum forma abſoluta ſit.

Cum autem ad illud perficiendum renes ungere neceſſarium non ſit, in mulieribus id omitti omnino jubemus; at in viris, ſi per valetudinem licuerit, ungi poterunt; ſin minus, earum loco parti pectoris, quæ cordi proxima eſt, Sacra Unctio adhibeatur.

Licet hoc Sacramentum in diverſis infirmitatibus ſit iterabile, tamen quamdiu in eadem ægritudine, & in eodem mortis periculo infirmus verſatur, ſemel tantum eſt Extrema Unctione liniendus. Quod ſi unctione ſuſcepta convaluerit, quoties poſtea in vitæ diſcrimen inciderit, toties hoc Sacramentum ei adhibebitur. Præterea in morbis quidusdam diuturnis, puta in hydropiſi, ſi ob mortem impendentem quis unctus fuerit, & evaſerit, deinde ex eodem morbo in alium ſimilem caſum, & periculum mortis inciderit, rurſus etiam ungi debebit.

In hac Sacra Unctione vaſculum olei infirmorum ab ipſo Parocho, aliove, qui Sacris Ordinibus initiatus ſit, non a Laicis, ſeu Clericis minorum Ordinum, aut a mulieribus teneatur, vel contrectetur.

In hujusmodi miniſterio obeundo, non ſolum ægrotum ad anteactæ vitæ pœnitentiam, & ad gloriæ æternæ ſpem inducat Parochus; ſed etiam omnes, qui aderunt, diligenter cohortetur, ut pro infirmo ſimul preces fundant.

Illud demum advertendum eſt, quod licet de eſſentia Sacramenti, quilibet Sacerdos rite ordinatus, poſſit Extremam Unctionem cuivis miniſtrare, ita, ut Sacramentum teneat; tamen hujusmodi munus proprie ad proprium Parochum ſpectat; ideo Sacerdotes, qui absque noſtra, vel Parochi facultate illud miniſtrare temere præſumunt, peccati mortalis ſe reos conſtituunt, & ſi Regulares ſint, excommunicationem etiam, ſoli Papæ reſervatam, ipſo facto incurrunt.

Membra infirmi mundentur, priusquam Sacro Oleo inungantur; & unctione adhibita, mica panis, & bombyce, vel ſtuppa, ex ſacris ritibus, abſtergantur a Parocho, ſeu ab alio, qui in Sacris Ordinibus ſit conſtitutus.

XXII. De Ordine.

SAcramenti Ordinis dignitas, utilitas & neceſſitas quanta ſit, ex eo perſpicue manifeſtum eſt, quod alia Sacramenta ab illo ita pendeant, ut ſine eo, ita partim confici, miniſtrarive nullo modo poſſint, partim ſolenni cæremonia, & religioſo quodam ritu, ac pio

pio cultu carere videantur ; atque ſi ſummus ejus gradus ſpectetur, hoc eſt Sacerdotium, ejus præſtantia, atque excellentia apparebit; Sacerdotes enim Dei Interpretes, & Mediatores quidam ſunt, qui ejus nomine Divinam Legem, & vitæ præcepta homines edocent, & ipſius Dei perſonam in terris gerunt; atque non Angeli ſolum, ſed Dii etiam appellantur ; quod Dei immortalis vim, & nomen apud nos teneant. Poteſtas Corpus & Sanguinem Domini noſtri conficiendi, & offerendi, peccataque remittendi , quæ illis collata eſt , humanam quoque rationem, atque intelligentiam ita excedit, ut Sacerdotali dignitati aliquid par, & ſimile in terris inveniri non queat.

Cum autem Divina res ſit tanti Sacerdotii miniſterium ; conſentaneum fuit, quo dignius, & majori cum veneratione exerceri poſſet, ut in Eccleſiæ ordinatiſſima diſpoſitione plures & diverſi eſſent Miniſtrorum ordines & gradus , qui Sacerdotibus ex officio deſervirent; ita diſtributi, ut qui jam Clericali tonſura inſigniti eſſent, per minores ad majores aſcendant.

Parochi igitur, ubi primum aliquem norint, qui vel ſponte ſe Clericali militiæ adſcribi velit, vel a Parentibus adhuc infans religioſa pietate deſtinetur, hoc ſedulo curent, ut ille quo diligentius Clericalis diſciplinæ, vitæque religioſæ inſtitutis imbuatur, Eccleſias frequentius adeat , functiones Clericales, cæteraque id generis miniſteria cernat ; Eccleſiaſticorum hominum conſuetudine utatur, atque multiplici ratione Clericalis vitæ officiis aſſueſcat.

Ut ad Eccleſiæ miniſterium complures inſtituantur, qui ab ineunte ætate ad pietatem, vitæque innocentiam accurate inſtructi, & ſancte, & utiliter poſtea inſerviant ; illud valde ſtudeant iidem Parochi, ut quamplurimos poſſunt pueros, bona indole præditos, qui ſpem afferant, ſe cum Sacris initiati fuerint, Eccleſiæ Miniſtros utiles fore; ad literarum eruditionem, atque ad Eccleſiaſticæ vitæ, & profeſſionis normam accurate informent , moribusque Clericali Religioni congruentibus erudiant , atque parentes ipſos moneant, ut filios ſuos ad ſuſcipiendos Ordines ſancte inducant.

Cum autem ſex temporibus a jure ſtatutis per Nos, ſeu per Suffraganeum noſtrum, Sacram habere ſoleamus Clericorum noſtrorum ordinationem, videlicet ſingulis Sabbatis quatuor temporum, Sabbato item ante Dominicam Paſſionis , quod *Sitientes* dicitur, & Sabbato Sancto; Diebus Dominicis, qui Sacram Ordinationem immediate præcedent, Parochi omnes id populo ſignificent intra Miſſæ celebrationem, & fideles omni ſtudio inducant , ut quatuor temporum jejunia, hac de cauſa ab Eccleſia inſtituta, pie obſervent ; & Deum exorent, ut lumen nobis præbeat in iis deligendis; atque ad Ordines aſſumendis, qui ope Divina adjuti, in ſanctitate & juſtitia ei ſerviant.

Quanta diligentia adhiberi debeat in qualitatibus eorum, qui ad Sacros Ordines aſſumendi ſunt, perſcrutandis, ne indigni, & minus apti, ad hujusmodi gradus admittantur ; Sacri Canones, Pontificiæque Sanctiones, & præcipue Concilii Tridentini Decreta aperte declarant.

Idem quoque clare patet ex Conſtitutionibus Ernesti , primi hujus Eccleſiæ Pragenſis Archi-Epiſcopi, quibus cavetur, ut in Ordinibus conferendis ſcrutinium fiat , & inter cætera inquiratur etiam , an ordinandi pater, avus, & alii ejus aſcendentes uſque ad quartam lineam incurrerint aliquo modo irregularitatem, occidendo, vel mutilando, ſeu in carcerem trudendo aliquem Clericum, ſive pro Clerico habitum. Si quis igitur aliqua culpa, impedimentove ex iis , quæ inferius connotata ſunt, irretitus tenetur ; ne ad Sacram Ordinationem contra Sacrorum Canonum, & Conciliorum præſcriptum accedat ; alioquin cenſuras, & pœnas Canonico jure conſtituras ſubibit.

Impedimento irretiti, qui Ordinibus initiari non debent, ſunt hi:

Minores ætate cuicunque Ordini requiſita.

Rudes & ignari.

Uxo-

Uxorati.
Criminoſi.
Hæreſis nomine ſuſpecti.
Ebrietati & gulæ dediti.
Impudici.
Prolapſi, ſive relapſi in hæreſim poſt Ordinem ſuſceptum.
Uſurarii manifeſti.
Perjuri.
Scurræ, mimi, comœdi, hiſtriones.
Infames quocunque modo.
Patrociniis, computisque reddendis obligati.
Profugi a ſuis Dominis ob aliqua crimina.
Mancipia.
Corpore vitiati.
Inſigniter deformes.
Illegitime nati.
Bigami.
Homicidæ.
Ex infamibus, & inhoneſtis parentibus originem trahentes.
Irregulares quovis alio modo.

Quo in genere cautio ſit, ut præter alia, ſpeciatim perquiratur:

An Judicis criminalis in foro laicali officium geſſerint.
An ſententiam capitis tulerint.
An criminis, cujus nomine capitis quis damnatus ſit, acta, ſententiam, teſtificationesque dictarint, aut conſcripſerint.
An in eo Procuratoris, ſeu Advocati Fiſcalis munus adminiſtrarint; aliaque exercuerint, unde irregularitatis maculam contraxerint.
An ſuſpenſi, an interdicti, an excommunicati.
An amentes.
An morbo caduco, chronico; contagioſo, ſeu ſordido laborantes.
An energumeni.
An ante legitimam ætatem, ſeu furtim, ſeu per ſaltum ordinati.
An non examinati & probati.
An alienæ Diœceſis absque dimiſſoriis ſui Ordinarii literis.

Qui prima Tonſura, vel aliquo Ordine minori vel majori initiari intenderit, ad ædes noſtras Archi-Epiſcopales veſte decenti indutus, capillis decenter tonſis, & Tonſura Clericali, quam Coronam vocant, Ordini ſuo congruenti, ac birreto quadrato ornatus ſe conferat, a feria ſecunda uſque ad ſextam Sacræ Ordinationis Sabbatum proxime præcedentem; ut ſe examini ſubjiciat, atque ejus genus, perſonam, ætatem, inſtitutionem mores, doctrinam, & fidem diligenter inveſtigare poſſimus.

Antequam examinis initium fiat, ſemper a Nobis, ſeu Nobis abſentibus, ab Officiali noſtro recitabitur Oratio inferius deſcripta; quæ congregationum etiam earum initio, quæ de criminum cauſis gravioribus; de Parochialium Eccleſiarum cura committenda; de Confeſſariis, ſeu Concionatoribus admittendis; de ſententia cauſæ gravioris ferenda; de rebus, quæ magnæ erunt deliberationis, habebuntur, omnino eſt recitanda.

ORATIO.

ADſumus, Domine Sancte Spiritus, adſumus quidem peccati immanitate detenti; ſed in nomine tuo ſpecialiter aggregati, veni ad nos, & eſto nobiſcum, & dignare illabi cordibus noſtris. Doce nos, quid agamus; quo gradiamur, & oſtende, quid efficere debeamus: ut te auxiliante, tibi complacere in omnibus valeamus. Eſto ſalus & ſuggeſtor, atque effector judiciorum noſtrorum, qui ſolus cum Deo Patre, & ejus Filio nomen poſſides glorioſum. Non patiaris perturbatores nos eſſe juſtitiæ, qui ſummam diligis æquitatem: ut in ſiniſtrum nos ignorantia non trahat; non favor inflectat; non acceptio muneris, vel perſonæ corrumpat. Sed junge nos efficaciter tibi, ſolius tuæ gratiæ dono, ut ſimus in te unum, & in nullo aberremus a vero: quatenus in nomine tuo collecti, ſic in cunctis teneamus (*) cum moderamine pietatis juſtitiam, ut & hic in nullo a te diſſentiat ſententia noſtra, & in futuro pro bene geſtis conſequamur præmia ſempiterna. ℟. *Amen.*

Examinatores a Nobis, noſtrove Officiali vocati, qui, cum de aliquo majoribus Ordinibus initiando examen conficietur, ſaltem tres, ſi fieri poterit, eſſe debebunt; grave munus ſibi commiſſum conſiderent; in quo ſi negligenter, aut male ſe geſſerint, Deo exactam rationem reddent: ideo non ſpe, non

(*) In exemplari, quo ſum uſus, legitur: *teneamur*. Sit vel: *tueamur*, vel, ut correxi: *teneamus*, oportere cenſeo. Alia id genus errata typographica emendabo.

Digitized by Google

non metu, non præmio, non perſonarum ratione, non aliquo affectu ducti, munus hoc in Domino exequantur.

Ad primam Tonſuram non admittantur, qui ſæcularis judicii vitandi cauſa, ea initiari curant. Neve qui rixam, aut ſimultatem exercent. Nec qui ſpem minime præbent, Eccleſiæ utiles ſe fore. Neque qui Fidei Catholicæ rudimenta, doctrinæque Chriſtianæ præcepta, atque inſtituta ignorant. Neve qui Epactæ intelligentiam non habent. Nec minores ſeptennio completo. Neque qui defectum natalium patiuntur. Nec qui Confirmationis Sacramentum non ſuſceperunt. Neve qui Fidei Profeſſionem in manibus noſtris non emiſerunt (ſi decimum quartum ætatis ſuæ annum compleverunt) niſi prius cum effectu eam præſtiterint. Neque demum qui legere, pronuntiare, & ſcribere neſciunt, de quibus experimentum omnino fiat.

Minoribus Ordinibus non initientur, qui ſaltem latinam linguam non intelligunt, ut eo accuratius, quantum ſit hujus diſciplinæ pondus, poſſint edoceri. Neque ii, qui a Parocho, & a Magiſtro Scholæ, de vitæ ſuæ diſciplina, & moribus, teſtimonium non attulerint. Nec qui, quid ſit Ordo, quem ſuſcepturi ſunt, ignorarint; quæ ejus materia, quæ forma; quod munus; ac differentiam Ordinum minorum a majoribus. Neque qui Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis recitare neſcient; nec qui in doctrinæ Chriſtianæ Scholis operam ſuam non navaverint, neve qui in cantus peritia verſati non fuerint; neque demum, qui Sacra Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta non frequentaverint.

Ad Oſtiariatum, Lectoratum, & Exorciſtatum non admittantur minores ſeptennio completo; neque ad Acolytatum, qui tertium decimum ſuæ ætatis annum ſaltem non attigerint.

Nemo primam Tonſuram, aut Ordines minores ſuſcipiat ab Abbatibus, etiam baculi, & mitræ jure utentibus, aliove ejusmodi privilegio, & auctoritate conferendi Ordines minores munitis absque facultate noſtra ſpeciatim conceſſa, niſi ejusdem Ordinis Regularis ſit. Nulli autem hanc facultatem concedemus, niſi Nobis conſtiterit, hujusmodi Abbates Sacerdotio initiatos eſſe, & ſtatis benedictionis precibus conſecratos.

Minoribus Ordinibus initiati in unoquoque munere ſe exerceant, in Eccleſia illa, cui a Nobis adſcripti fuerint, niſi forte cauſa ſtudiorum abſint, atque ita de gradu in gradum aſcendent, ut in eis cum ætate vitæ meritum, & doctrina major accreſcat, quod & bonorum morum exemplum, & aſſiduum in Eccleſia miniſterium, atque major erga Presbyteros & ſuperiores Ordines reverentia, ac crebrior, quam antea, Corporis Chriſti Communio comprobabunt.

Nemo ad Subdiaconatus Ordinem promoveatur, qui vigeſimum ſecundum, neque ad Diaconatus, qui vigeſimum tertium, neve ad Presbyteratus, qui vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum, ſaltem non attigerit. Neque omnes ii, qui in ea ætate ſunt conſtituti, debent ad hos Ordines aſſumi, ſed digni duntaxat, & quorum probata vita ſenectus ſit.

Quicunque Clerici ſæculares, ſive Regulares abſque Canonica diſpenſatione extra tempora a jure ſtatuta, vel ante legitimam ætatem, ſeu ab alieno Epiſcopo absque literis dimiſſoriis, ad aliquem ex Sacris Ordinibus promoveri ſe fecerint, ab Ordinum, quos ſuſceperint, executione ipſo jure ſuſpenſi erunt. Et ſi hujusmodi ſuſpenſione durante, illorum Ordinum functiones obire præſumpſerint, irregularitatis maculam contrahent, ſuper qua a ſolo Romano Pontifice diſpenſari poterunt; & præterea Beneficiis Eccleſiaſticis, ſi quæ poſſederint, privari poterunt, præter alias pœnas a Sacris Canonibus contra illos inflictas.

Cum non deceat eos, qui Divino Miniſterio adſcripti ſunt, cum Ordinis dedecore mendicare, aut aliquem ſordidum quæſtum exercere; nemo ad Sacros Ordines promoveatur, etiamſi alias ſit idoneus moribus, ſcientia & ætate; niſi prius teſtimonium legitimum Nobis exhibuerit, ſe Beneficium Eccleſiaſticum, quod ſibi ad victum hone-

honeſte ſufficiat, pacifice poſſidere. Id vero Beneficium reſignare non poſſit, niſi facta mentione, quod ad illius titulum ſit promotus; neque ea reſignatio admittatur, niſi conſtito, quod aliunde commode vivere poſſit; & aliter facta nulla erit.

Ad Titulum autem Patrimonii, penſionisve ordinari poterunt ii, quos pro Eccleſiarum noſtrarum neceſſitate vel utilitate aſſumendos judicabimus; eo tamen prius perſpecto, Patrimonium illud, vel penſionem vere, & absque aliqua fictione ab eis obtineri, taliaque eſſe, quæ eis ad vitam ſuſtentandam ſatis ſint; atque illa deinceps ſine licentia noſtra alienari, aut extingui, ſeu remitti nullatenus poſſint, donec Beneficium Eccleſiaſticum ſufficiens ſint adepti, & aliunde habeant, unde vivere poſſint. Qui contra fecerint, pœnas a Sacris Canonibus conſtitutas incurrent.

Valor Patrimonii, aut penſionis, cenſusve, ad cujus titulum quis eſt promovendus, ſit ſaltem talerorum quinquaginta annuorum.

Ii præterea, qui a Nobis, menſave Archi-Epiſcopali, ſive a noſtra Metropolitana, vel alia Eccleſia Collegiata, aut ab aliquo Monaſterio, Barone, ſeu Nobili, vel alicujus Civitatis Senatu, titulum menſæ ad vitam habuerint, ſi publico teſtimonio ſcriptis exarato id Nobis conſtiterit, & Eccleſiis noſtris utiles & neceſſarios judicaverimus, ad Sacros Ordines admittentur.

Cum iis, qui ad Ordines majores aſſumi volent, ab Examinatoribus experimentum fiat, an in cantus peritia ſint verſati, an vim, & naturam, myſteriaque Ordinis, quem ſuſcepturi ſunt, norint.

An ſacrarum veſtium, quibus induuntur, myſteria item & ſignificata.

An functionum notitiam habeant Ordinis, quo quisque initiandus eſt.

An earum uſum, exercitationemque recte teneant.

An in minoribus Ordinibus probati ſint.

An Officium Divinum recitare ſciant, cum ſtatim ac quis Subdiaconatus Ordine initiatus eſt, ſub pœna peccati mortalis, ſacras preces horarias quotidie perſolvere teneatur.

An in orationis ſanctæ ſtudio, uſque verſati ſint.

Quibus meditationibus inſtructi Deum tacite orent.

Qui orationis modus.

Qui illius fructus, quæve utilitates.

Quot, quibusve partibus illa conſtet.

Quid ſit Ordo, quem ſuſcepturi ſunt; quæ ejus materia; quæ forma; quodve munus.

Quæ differentia ſit inter Sacramenta veteris Legis & novæ.

Quid ſit Sacramentum novæ Legis.

Ex quibus conſtet unumquodque Sacramentum.

A quo fuerint inſtituta Sacramenta novæ Legis.

Qui & quotuplex ſit hujusmodi Sacramentorum effectus.

An notitiam habeant voti continentiæ, quod Subdiaconatus Ordini conjunctum eſt.

An Sacramentaliter confeſſi, frequenter Sacram ſumpſerint Euchariſtiam.

An in Scholis Hæreticorum, eorumve, ut vocant, Academiis, literis incubuerint.

An in Catechismi ad Parochos, vel ſaltem Petri Caniſii lectione verſati ſint.

Quæratur item, an eorum nomina, & deſiderium publice in Eccleſia propoſita fuerint, ad Sacri Concilii Tridentini præſcriptum, & de eorum qualitatibus facta ſit inquiſitio.

Nullus ad Sacrum Subdiaconatus Ordinem promoveatur, qui per annum ſaltem in Acolytatu non fuerit verſatus; niſi a Nobis ob Eccleſiæ neceſſitatem ſeu utilitatem ſuper interſtitiis diſpenſationem obtinuerit.

Diaconorum examen fiat aliquanto diligentius de Sacramentorum doctrina. Experimentum item aliquod fiat de concionibus habendis, & ratione

Concionatorum examini ſuperius præſcripta.

Diaconatu non initientur, qui in ſpectantibus ad hunc Ordinem exercendum inſtructi non ſunt; neque qui ſaltem per annum in Subdiaconatu verſati non fuerint, niſi aliud Nobis viſum fuerit.

Ab iis, qui Sacerdotio initiari volent, hæc ſigillatim ſtudioſius perquirantur.

An pie & fideliter in miniſteriis ante actis ſe geſſerint.

An ſpectata pietate ſint, caſtisque moribus.

An præclarum bonorum exemplum, præclaraque vitæ rudimenta ab eis ſpectari poſſint.

Hæc præterea quærantur:

Quid ſit Miſſæ Sacrificium, qui ejusdem effectus.

Quæ partes, & quæ myſteria in eo inſint.

Quæ ſacrarum veſtium ſignificationes.

Quæ in eo officio offerendo requirantur.

Ubi & quando illud fieri non licet.

Quæ dubia in eo aliquando accidere poſſint.

Qua explicatione opus habeant, ut illud recte fiat.

An Sacræ Confeſſionis aliquam notitiam habeant.

An ad alia item Sacramenta recte, riteque miniſtranda idonei ſint.

An in Sacræ Miſſæ celebrandæ cæremoniis ſint inſtructi.

An doctrinam item teneant, qui Verbum Dei tractare, concionemve habere poſſint.

An de re ſacra, de Chriſtianorum virtutum officiis, atque de omni re ad ſalutem neceſſaria, apte populum inſtruere, aut docere poſſint.

Regulares autem cujuscunque Ordinis & inſtituti, ad primam Tonſuram, ſeu ad Ordines minores, vel majores non admittentur, niſi omnibus & ſingulis, quæ ſuperius præſcripta ſunt, diligenter ſervatis, non ſolum quoad examen & interſtitia, ſed circa Sacramentorum frequentiam, ætatem, & Ordinum ſuſceptorum functiones, ac teſtimonium præſtitæ Profeſſionis in Religione approbata.

Ii omnes, qui prima Tonſura, aliquove Ordine minori, vel majori initientur, in ſtato ordinandorum libro, quem Matriculam vocant, notentur, qui in Archivio Archi-Epiſcopali perpetuo aſſervetur.

Paramenta autem, in Ordinis, quem quisque ſuſcepturus eſt, collatione, neceſſaria provideant, quæ lacera non ſint, neque immunda. Qui autem prima Tonſura, vel aliquo Ordine minori initiandi ſunt, ſinguli ſuperpelliceum habeant, congruum & mundum, quod dum Miſſa Epiſcopalis fiet, & Sacra Ordinatio habebitur, omnino induant.

Dum Offertorium in Miſſa canetur, ordinandi omnes ad Romani Pontificalis, ſacrorumque rituum præſcriptum candelas integras pie offerant.

Sacramentali Confeſſione ſe præparent, & præſcriptæ confeſſionis teſtificationem Confeſſarii manu obſignatam noſtræ Metropolitanæ Archidiacono exhibeant; ut in ipſo Sacræ Ordinationis die, intra Miſſæ celebrationem, a Nobis, Suffraganeove noſtro Sacram Communionem percipiant.

Qui autem ad Sacerdotium erunt aſſumendi, Miſſale habeant, quo in ipſa Sacræ Ordinationis Miſſa utantur, in recitando Sacro Canone, ad Libri Pontificalis præſcriptum. Ii autem nullo modo Miſſam primam, quas Primitias vocant, celebrare audeant; niſi prius a noſtræ Metropolitanæ Archidiacono, aliove, cui id curæ dederimus, in cæremoniis approbatus, facultatem celebrandi a Nobis, Officialive noſtro ſcriptis exarandam, quod *Placet* vocant, obtinuerint; alioquin ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrant.

Cum Clerici omnes in Altaris miniſterio, ſacrisve functionibus, Eccleſiis inſervire debeant; qui nulli Eccleſiæ, piove loco adſcripti fuerint, Eccleſiæ Parochiali, ſub qua degunt, inſerviant: nec quisquam Eccleſiam, locumve pium, cui adſcriptus fuerit, deſerere audeat, Nobis inconſultis; alio-

alioquin ab Ordinum, quo initiatus eſt, exercitio, arbitrio noſtro ſuſpenderetur. Et quo facilius etiam Ordinum minorum functiones in uſum deducancur, ſua ſingulis Ordinibus officia hic præſcribenda judicavimus.

Prima Tonſura initiati, cum minorum Ordinum Clerici defuerint, Miſſis miniſtrent, eorum vices exequentes.

Oſtiarii, Eccleſiæ ac Sacriſtiæ oſtia cuſtodiant, eaque debitis temporibus reſerent, & claudant. Publice & nominatim excommunicatos, infideles, & interdictos ab Eccleſiæ limine prohibeant; fores Eccleſiæ & parietes, cum opus eſt, ornent. Cœmiteria cuſtodiant, ne quid in eis indecore fiat. Eccleſiam ſcopis verrant, atque omni ſordium genere expurgent, mundamve ac nitidam ſervent. Campanas pulſent, librum Lectori, aut Concionatori ſuſtineant. Altaria parent, atque indies antipendia, pro colorum ratione, ſingulis diebus convenientia, quoad fieri poterit, mutent, & a pulvere purgent.

Lectores, Prophetias, & Lectiones in Eccleſia legant. Antiphonas in Choro præcinant. Concionanti, cum opus eſt, de libro legant.

Exorciſtæ curabunt, ut nunquam in ſtatis vaſis aqua benedicta deficiat, atque ut in tempore a Sacerdote renoveur, ac benedicatur. Aquæ benedictioni aſſiſtent, & miniſtrabunt; atque aquam ad benedicendum parabunt; vaſis tamen ipſis primum bene lotis, ac diligenter abſterſis. Munus autem exorcizandi Dœmones non aſſument, absque noſtra facultate ſcriptis exaranda.

Acolyti Diaconum, & Subdiaconum ad miniſterium altaris procedentes anteire debent, eisque, prout res exegerit, miniſtrare, lumina quoque in altari accendere. In Proceſſionibus candelabra cum candelis accenſis deferent. Urceolos, ſive ampullas nitidas cum aqua, & vino in pelvicula pro Miſſæ Sacrificio præparent. Thuribulum cum igne, & naviculam cum incenſo parent. Sacramentorum miniſtrationi præſentes adſint. Lampadis coram Sacra Euchariſtia jugiter prælucentis curam habeant, eamque ſæpe mundent.

Majorum Ordinum functiones, cum notæ ſint, non eſt cur hic notemus; ſed eas perpetuo, & diligenter ab iis, quorum intereſt, obiri mandamus; nulli enim ad ſuperioris Ordinis patebit aſcenſus, niſi ſe in Ordine ſuſcepto, altari miniſtraſſe fidem fecerit, ut ſuperius dixímus.

Non liceat Capitulo Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, Sede Epiſcopali vacante, infra annum a die vocationis ordinandi licentiam, aut literas dimiſſorias, ſeu Reverendas, ut aliqui vocant, tam ex juris communis diſpoſitione, quam cujusvis privilegii, aut conſuetudinis vigore, alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere: ſi ſecus fiat, Capitulum Eccleſiaſtico ſubjiciat interdicto, & ſic ordinati, ſi in minoribus Ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio Clericali, præſertim in criminalibus gaudeant; in majoribus vero, ab executione Ordinum ad beneplacitum futuri Archi-Epiſcopi ſint ipſo jure ſuſpenſi.

XXIII. De Matrimonio.

CUm Matrimonium in Lege Evangelica veteribus connubiis per Chriſtum gratia præſtet, merito inter novæ Legis Sacramenta annumerandum, Sancti Patres noſtri, Concilia, & univerſalis Eccleſiæ tradito ſemper docuerunt; ideo omni pietate, & ſanctitate tractari a fidelibus debet. Ut autem innumeræ morum corruptelæ, quæ præſentium temporum calamitate, in eo contrahendo, hominum culpa, introductæ ſunt, omnino tollantur; Parochi omnes ſæpe populos ſuos docebunt, quanta veneratione ad tantum, tamque Sanctum Sacramentum fideles accedere oporteat; non quidem carnis deſideria explere cupientes, ſed prolis propagationem ad Dei honorem pie, ſancteque meditantes. Quare Sponſos efficacibus, & repetitis hortationibus admoneant, ut ante Matrimonii celebrationem, peccatorum ſuorum ſordes, in humili confeſſione lacrymarum abluant imbre ſalutari; mentesque, ne libidinis ſiti æſtuantes deficiant, cœleſti Euchariſtiæ cibo, tanquam rore matutino refrigerent, &

reficiant; atque ita contra ſpirituales nequitias, carnisque procacitatem muniti, ex eo Sacramento non ſibi pernitiem, atque iram Dei, ut multis evenire ſolet, ſed gratiam, ſalutemque comparent.

Sacramenti hujus inſtitutionem, vim, naturam, & ſanctitatem, ex Catechiſmi Romani doctrina fidelibus ſæpe explicabit, ut intelligant non ſolum præparationem, & pietatem in eo ſancte contrahendo, cum res non humana, ſed Divina ſit, verum etiam, quomodo caſte, pieque in eo verſari debeant.

Plurima certe ſunt damna, quæ clandeſtina Matrimonia fidelibus afferre conſueverunt; ideo Sacri Canones, Generalia Concilia, & ERNESTI Primi Prædeceſſoris noſtri Conſtitutiones, ut gravibus peccatis ex ejusmodi connubiis provenientibus occurrerent, Matrimonia publice fieri, pie & religioſe ſanxerunt, nec non in eis contrahendis nonnullas præſcriptiones, & leges condiderunt, quæ in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi noſtra invocabiliter obſervari volumus, ac mandamus. Nulli igitur Matrimonium contrahere audeant, niſi in propriî Parochi, & duorum aut trium teſtium præſentia, & iis omnibus ſervatis, quæ a Sacro Tridentino Concilio peculiari Decreto ſancte præſcripta ſunt, his verbis:

" Tametſi dubitandum non eſt, " clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata & " vera eſſe Matrimonia, quamdiu Ecclesia irrita non fecit: & proinde jure " damnandi ſunt illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera ac rata eſſe negant; quique falſo " affirmant, Matrimonia a filiis familias " ſine conſenſu parentum contracta, " irrita eſſe, & parentes ea rata, vel " irrita facere poſſe; nihilominus San" cta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis " illa ſemper deteſtata eſt, atque pro" hibuit. Verum cum Sancta Syn" odus animadvertat, prohibitiones " illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe; & gravia pec" cata perpendat, quæ ex eisdem clan" deſtinis conjugiis ortum habent; " præſertim vero eorum, qui in ſtatu " damnationis permanent, dum prio" re uxore, cum qua clam contraxe" rant, relicta, cum alia palam con" trahunt, & cum ea in perpetuo adul" terio vivunt. Cui malo, cum ab " Eccleſia, quæ de occultis non judi" cat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur; " idcirco Sacri Lateranenſis Concilii, " ſub INNOCENTIO III. celebrati, " veſtigiis inhærendo, præcipit, ut " impoſterum, antequam Matrimoni" um contrahatur, ter a proprio con" trahentium Parocho, tribus continuis " diebus Feſtivis in Eccleſia, inter Miſ" ſarum ſolemnia, publice denuntietur, " inter quos Matrimonium ſit contra" hendum. Quibus denuntiationibus " factis, ſi nullum legitimum oppona" tur impedimentum, ad celebratio" nem Matrimonii in facie Eccleſiæ " procedatur, ubi Parochus viro, & " muliere interrogatis, & eorum mu" tuo conſenſu intellecto, vel dicat: " *Ego vos in Matrimonium conjungo in no*" *mine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti,* " vel aliis utatur verbis, juxta recep" tum uniuscujusque Provinciæ ritum. " Quod ſi aliquando probabilis fuerit " ſuſpicio, Matrimonium malitioſe im" pediri poſſe, ſi tot præceſſerint de" nuntiatores, tunc vel una tantum de" nuntiatio fiat, vel ſaltem Parocho, " & duobus vel tribus teſtibus præſen" tibus Matrimonium celebretur. De" inde ante illius conſummationem, de" nuntiationes in Eccleſia fiant; ut, ſi " aliqua ſubſint impedimenta, facilius " detegantur: niſi Ordinarius ipſe ex" pedire judicaverit, ut prædictæ de" nuntiationes remittantur: quod il" lius prudentiæ & judicio Sancta Syn" odus relinquit. Qui aliter, quam præ" ſente Parocho, vel alio Sacerdote, de " ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, " & duobus vel tribus teſtibus Matri" monium contrahere attentabunt; eos " Sancta Synodus ad ſic contrahendum " omnino inhabiles reddit, & hujus" modi contractus irritos & nullos eſſe " decernit, prout eos præſenti Decre" to irritos facit, & annullat. Inſuper " Parochum, vel alium Sacerdotem, " qui cum minore teſtium numero, & " teſtes, qui ſine Parocho, vel Sacer" dote, hujusmodi contractui inter-

fue-

" fuerint, nec non ipſos contrahentes, " graviter arbitrio Ordinarii puniri præ- " cipit. Præterea eadem Sancta Syn- " odus hortatur, ut conjuges ante be- " nedictionem Sacerdotalem in templo " ſuſcipiendam in eadem domo non co- " habitent : ſtatuitque benedictionem " a proprio Parocho fieri, neque a " quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel " ab Ordinario licentiam ad prædictam " benedictionem faciendam alii Sacer- " doti concedi poſſe, quacunque con- " ſuetudine, etiam immemorabili, " quæ potius corruptela dicenda eſt, " vel privilegio non obſtante. Quod " ſi quis Parochus, vel alius Sacerdos, " ſive Regularis, ſive ſæcularis ſit, et- " iamſi id ſibi ex privilegio, vel im- " memorabili conſuetudine licere con- " tendat, alterius Parochiæ Sponſos ſi- " ne illorum Parochi licentia, Matri- " monio conjungere aut benedicere " auſus fuerit, ipſo jure tamdiu ſuſpen- " ſus maneat, quamdiu ab Ordinario " ejus Parochi, qui Matrimonium in- " tereſſe debebat, ſeu a quo benedictio " ſuſcipienda erat, abſolvatur. Habeat " Parochus librum, in quo conjugum " & teſtium nomina, diemque, & lo- " cum contracti Matrimonii deſcribat, " quem diligenter apud ſe cuſtodiat. " Poſtremo Sancta Synodus conjuges " hortatur, ut, antequam contrahant, " vel ſaltem triduo ante Matrimonii " conſummationem, ſua peccata dili- " genter confiteantur, & ad Sanctiſſi- " mum Euchariſtiæ Sacramentum pie " accedant. Si quæ Provinciæ aliis, " ultra prædictas, laudabilibus conſue- " tudinibus, & cæremoniis hac in re " utuntur, eas omnino retineri Sancta " Synodus vehementer optat. Ne ve- " ro hæc tam ſalubria præcepta quem- " quam lateant, Ordinariis omnibus " præcepit, ut, cum primum potuerint, " curent hoc Decretum populo publi- " cari, ac explicari in ſingulis ſuarum " Diœceſium Parochialibus Eccleſiis; " idque in primo anno quam ſæpiſſime " fiat, deinde vero, quoties expedire " viderint. Decernit inſuper, ut hu- " jusmodi Decretum in unaquaque Pa- " rochia ſuum robur poſt triginta dies " habere incipiat, a die primæ publi- " cationis, in eadem Parochia facta, nu- " merandos."

Quo facilius autem hujusmodi Decretum ad omnium notitiam perveniat, infra menſem proximum, a ſingulis Parochis, tam hujus Urbis, quam Archi-Diœceſis univerſæ, die Dominico, infra Miſſæ celebrationem, ac præterea bis in anno ad triennium proximum, nempe ineunte Januario, & Auguſto menſibus, de verbo ad verbum, lingua vernacula promulgetur. Atque prædictæ primæ promulgationis teſtificationem manu propria obſignatam, iidem Parochi infra duos menſes proximos ad Nos transmittant, decem talerorum pœna, in pios uſus arbitrio noſtro eroganda, unicuique contravenienti ſancita.

Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote de noſtra, Parochive licentia, & duobus vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt, juxta prædicti Decreti Tridentini diſpoſitionem contractus irritos, & nullos eſſe decernimus.

Declarent Parochi populo differentiam, quæ eſt inter Sponſalia, & Matrimonium; illa enim contrahuntur per promiſſionem hinc inde acceptatam, de contrahendo Matrimonio, per verbum *Promitto*, *vel juro*, *quod te accipiam in uxorem*, *vel maritum*; hoc autem requirit conſenſum, ab utroque contrahente acceptatum, per verba de præſenti, nempe: *Accipio te in meam uxorem*, *vel virum.*

Licet Sponſalia, quæ dicuntur de futuro, etiamſi ſecreto, & absque teſtium præſentia contrahuntur, valida ſint, & obſervari debeant; tamen ad evitandas fraudes, quæ aliquando committi ſolent, decernimus, ut ea loco honeſto fiant, & ſaltem duo, aut tres teſtes adhibeantur, quæ in foro exteriori, ſi opus fuerit, probari poſſint.

Ad Sponſalium validitatem, & robur non requiritur neceſſario præſentia Parochi, qui, ſi requiſitus fuerit, adeſſe poterit tanquam teſtis, non autem ut Parochus, ea tamen cautione, ut ſuperpelliceo, & ſtola non ſit indutus, & omnibus adſtantibus expreſſe ſignificet, illa Sponſalia eſſe de futuro, non autem Matrimonium de præſenti; ideo in iis contrahendis a Sponſis ſigillatim & ſimpliciter requiratur; an eis placeat, quod fiant denuntiationes Matrimo-

Digitized by Google

trimonii, quod inter eos tractatur, nullaque verba adhibeantur, quæ conſenſum de præſenti exprimere poſſint.

Modum autem & conſuetudinem antiquam Sponſalia de futuro publice contrahendi inter Barones & Nobiles hujus noſtræ Archi-Diœceſis, non improbamus; dummodo in eis nihil attentetur, quod libero Sponſorum, contrahentiumve, etiamſi filii familas ſint, conſenſui repugnet.

Matrimonium celebraturus Parochus a Sponſis inveſtiget diligenter; an ſponte, non autem contra propriam voluntatem, hujusmodi contractui conſentiant; an alii fidem adſtrinxerint; an votum caſtitatis, ſeu religionis emiſerint; an ſciant aliquod inter eos intercedere impedimentum, quominus libere contrahere poſſint.

Moneantur item, Matrimonia in aliquo ex caſibus etiam occultis, impendentibus & dirimentibus absque diſpenſatione Apoſtolica contracta, nulla eſſe; eosque excommunicationem incurrere, qui in aliquo conſanguinitatis vel affinitatis prohibito gradu ſcienter Matrimonium contrahunt. Ii autem, qui in aliquo ex caſibus impedientibus & dirimentibus ſcienter contrahere audent, peccato mortali ſe ſe obſtringunt, ac pœnas a Sacris Canonibus inflictas incurrunt.

Ad evitandas fraudes, quæ concurrere poſſunt in contrahendis Matrimoniis in gradibus prohibitis cum diſpenſatione Apoſtolica, nemo Parochus, aliusve quivis audeat celebrare, vel ſolemnizare Matrimonium quodcunque inter eos, qui a Sede Apoſtolica diſpenſationem obtinuerint, contrahendi in gradibus prohibitis; niſi prius hujusmodi diſpenſationes a Nobis, Officialive noſtro recognitæ ſint.

Matrimonia in Eccleſia Parochiali, non autem in privatis ædibus celebrentur, moneanturque Sponſi, ne cum conſcientia peccati mortalis ad hoc Sacramentum accedant, nam ſacrilegium committerent, & Sacramentales effectus non conſequerentur; ideo confeſſi, Sacram Communionem ſumant, ut ſuperius præſcripſimus, & ad tantum Sacramentum humiliter ſe præparent, & ſancte diſponant.

Ante altare genibus flexis ſint contrahentes, dum hoc Sacramentum miniſtratur, Parochus autem, ſi extra Miſſam illud celebraverit, ſuperpelliceo, & ſtola indutus ſit.

Si alter e Sponſis alienæ Parochiæ fuerit, in utraque Parochia denuntiationes fiant, Parochus vero, ne Matrimonium celebret, priusquam teſtimonium acceperit ab altero Parocho, quod in ſua Eccleſia denuntiationes fecerit; & nullum ſibi propoſitum ſit impedimentum, ſi vero ille alienæ Diœceſis ſit, teſtimonium illud non Parochi ſolum, ſed etiam Epiſcopi ſigillo ſit munitum.

Quo die tertia denuntiatio fit, ne Matrimonium celebretur absque facultate noſtra, ſcriptis obtenta, ut facilius percipi poſſit, an inter eos aliquod intercedat impedimentum.

Cum autem veriſimilis ſuſpicio fuerit Matrimonium aliquod poſſe malitioſe impediri, vel alia extiterit cauſa accelerandi Matrimonii celebrationem; hujusmodi impedimentum Nobis ſignificetur, ut præſcriptas denuntiationes, in totum, vel in partem remittamus, prout judicabimus expedire.

Tametſi Nuptiis contrahendis, conſenſus parentum neceſſario non requiritur, illud tamen eſt Jure tam Divino, quam humano traditum, ut ad omnia, quæ præſertim graviora ſunt, parentum conſilio, & auctoritate liberi utantur. Nam cum de honore parentibus tribuendo Lex Divina præſcribit, tum Civilis hoc ſuadet, ut præcipue Nuptiis ineundis, obſequio eisdem ſatisfiat: ubi enim illis aut invitis, aut plane repugnantibus, nuptiæ contrahantur, tunc ſibi nolenti Avus nepotem parat, ſicque e ſtirpe ſua ortum, non modo non diligit, carumque habet, ſed plerumque male odit; quo fit, ut & hoc, & alia præterea mala inde exiſtant. Parochi igitur, antequam publice in Eccleſia nuptiarum celebrationem denuntient; ſi, qui nuptias contrahere volunt, parentes habent; eorum voluntatem in re tanta, & quæ magnæ deliberationis eſt, recte, ac plane cog-

cognoſcant, nec vero, niſi perſpecta illorum voluntate ad denuntiationes progrediantur, ſed iis interea, qui nuptias inire volunt, appoſite, graviterque demonſtrent, quam utile ſit, & cum omni ratione conveniens, in ea re, parentum, tutorumve, ſeu conſanguineorum, qui illorum curam gerunt, conſilio, auctoritateque niti, atque omnino uti. Si vero liberorum nuptiis, parentum vel tutorum conſenſus repugnat, aut plane conſentiens non eſt, ne Parochi quidquam prius ea de re conficiant, quam Nos conſuluerint.

Moneant Parochi fideles, nullum poſſe conſiſtere Matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manſerit. Quod ſi rapta a raptore ſeparata, & in loco tuto, ac libero conſtituta, illum in virum habere conſenſerit, eam raptor in uxorem habeat: & nihilominus raptor ipſe, ac omnes illi conſilium, auxilium, & favorem præbentes, pœnas a Sacro Concilio Tridentino inflictas, ipſo jure incurrant.

Uberrimos fructus, & ſalutares utilitates, quæ benedictionis nuptialis inſtitutum Matrimonium contrahentibus affert, ſi debita cum humilitate, & religioſa animi pietate eam ſuſcipiant, explicent Parochi diligenter. Eam autem a proprio Parocho, non ab alio Sacerdote, absque noſtra, propriive Parochi facultate fiat, quacunque conſuetudine, etiam immemorabili, quæ potius corruptela dicenda eſt, non obſtante.

Curent autem Parochi, ut hujusmodi Benedictio mane, non a prandio, in Eccleſia, non in ædibus privatis fiat, cum celebratione Miſſæ, quæ pro Sponſo & Sponſa, ex ſacris ritibus, dici ſolet.

Præterea ſi Benedictio nuptialis celebrabitur die Dominico, vel alias Feſtivo, Miſſa fiat de Dominica, Feſtove cum ſecunda oratione de Sponſo & Sponſa.

Si fuerint ſecundæ nuptiæ ex utraque parte, ſeu ex altera tantum, Matrimonium fiat in Eccleſia, ſed Benedictio nuptialis intermittatur. Contrahentes autem Miſſæ eo die interſint.

Si quis Parochus, vel alius Sacerdos, ſive ſæcularis; ſive Regularis ſit, etiamſi illud ſibi ex privilegio, vel immemorabili conſuetudine licere contendat, alterius Parochiæ Sponſos, absque noſtra, propriive Parochi licentia, Matrimonio conjungere, aut benedicere auſus fuerit; ipſo jure tamdiu ſuſpenſus maneat, quamdiu Nobis videbitur.

Nemo Parochus, aliusve Sacerdos permittat, in ſua Eccleſia Matrimonia celebrari ab aliquo Sacerdote, qui ad munia parochialia exercenda, a Nobis, Officialive noſtro approbatus non ſit, & præcipue caveat, ne ibidem admittat Prædicantes hæreticos ad hujusmodi munus obeundum; etiamſi contrahentes hæretici ſint.

Cum maxime nefarium ſit Matrimonii libertatem violare, omnes, & ſingulos, cujuscunque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, paterne monemus, ne quovis modo directe vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoscunque alios cogant, quo minus libere Matrimonia contrahant, alioquin cenſuras contra hujusmodi inflictas ſubeunt. Caveant etiam iidem, ne ſubditis ſuis, famulisve quovis modo inhibeant, ſeu eos impediant, ne Matrimonia contrahant; ex hujusmodi enim inhibitione plura animabus determinata, graviaque ſcandala exoriri compertum eſt.

Cum quilibet ſemper præſumatur vivus, niſi de certo nuntio mortis evidenter pateat, ideo nemo ſive mas, ſive fœmina, qui Matrimonium contraxerit, & an ejus conjunx vivus ſit, nec ne, penitus ignorat, etiamſi per ſeptennium, pluresque annos illum exſpectarit, ad ſecundas nuptias, admittatur, priusquam Nobis, Officialive noſtro legitime conſtiterit, ejusmodi conjugem mortem cum vita commutaſſe.

Multi ſunt, qui vagantur, & incertas habent ſedes; & ut improbi ſunt ingenii, prima uxore relicta, aliam, & plerumque plures, illa vivente, diverſis in locis ducunt: quare Parochi, antequam vagorum hominum Matrimoniis interſint, diligentem de eis inquiſitionem faciant; & ſi illos copulandos eſſe judicaverint, rem totam ad Nos,

Officialemve noſtrum, ſi in hac urbe ſint, & per Archi-Diœceſim ad proprii diſtrictus Diaconum, ſeu ſaltem ad Decanum deferant, ut, quid agendum ſit, prudenter decernatur.

Magnam in eo diligentiam adhibeant Parochi, ut corruptela illa, atque adeo peccatum tollatur, atque radicitus extirpetur, quod ſæpe a Sponſis committitur, qui carnaliter antea ſe cognoſcunt, quam Matrimonium per verba de præſenti, coram Parocho & teſtibus, rite in Eccleſia ſit confectum, & celebratum, ut autem fideles ab hujusmodi ſcelere ſe contineant, ejus abſolutionem Nobis reſervamus.

Et Sacro Canonum jure, & Sanctorum Conciliorum Decretis, ſtatis certis anni temporibus, nempe a prima Dominica Adventus, uſque ad Epiphaniam, & a feria quarta Cinerum ad Octavam uſque Paſchæ incluſive, nuptiales ſolemnitates ita prohibitæ ſunt, ut ſi quis eam prohibitionem aut tyrannicam eſſe, aut ab Ethnicorum ſuperſtitione profectam dixerit, anathema ſit. Atque in eis quidem Solemnitatibus, ut eſt peritorum interpretum probatiſſima ſententia, cum ille uxoris ad materialem domum ducendæ actus, tum etiam nuptialia convivia, tripudia, ſaltationes, & choreæ jure quidem cenſentur, quippe cum non ſolum conjugum, ſed aliorum etiam animi, iſtarum actionum, quæ plane voluptarie ſunt, illecebris deliniti, quo tempore ſpiritualibus exercitiis intenti admodum eſſe debent, ad ea evocantur, quæ carnis ſenſui ſerviunt omnino. Cum igitur manifeſtum ſit, hujusmodi actiones Sacris Canonibus repugnare, hoc Synodali Decreto ſancimus, ne quis eis temporibus, quibus nuptiarum ſolemnitates agi, celebrarive interdictum eſt, domum uxorem ſponſam ducat, neve eo nomine convivia nuptialia condicat, ſeu celebret, nec vero item eam ob cauſam ſaltationes, tripudiave agat.

Si vero ex cauſa gravi aliquod Matrimonium iis temporibus contrahendum ſit, cauſa ipſa Nobis proponetur, nec ad celebrationem Matrimonii tempore prohibito deveniatur, absque noſtra, noſtrive Officialis facultate ſcripto exarata, ita tamen, ut eo caſu Sponſi absque aliquo comitatu ad Eccleſiam Parochialem privatim accedant, pro Matrimonii celebratione, quam Copulationem vocant.

Ex antiquiſſimo hujus Sanctæ Pragenſis Eccleſiæ inſtituto, laudabilique conſuetudine, hujusmodi nuptiales ſolennitates triduo quoque ante Aſcenſionem Domini intermitti conſueverunt, qui uſus, cum fideles noſtræ curæ concreditos excitare poſſit, ut iis diebus, proceſſionibus, ac ſpiritualibus operibus, diligentius incumbant, in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi noſtra perpetuo retineatur.

Quo facilius autem ad omnium notitiam Matrimonii impedimenta deveniant, Parochi omnes ea populo ſæpe explicent, & præcipue declarent inter conſanguineos & affines intra quartum gradum, Matrimonia contrahi non poſſe. Quod ſi de facto absque Romani Pontificis diſpenſatione attentetur, irrita ſunt, & nulla; ita ut qui contrarium ſenſerit, anathema ſit. Declarent etiam, affinitatem ex fornicatione provenientem non excedere ſecundum gradum. Juſtitia vero publicæ honeſtatis, ubi Sponſalia quacunque ratione valida non erunt, eſt prorſus ſublata, ubi vero valida fuerint, primum gradum non excedit.

In computandis autem gradibus conſanguinitatis, vel affinitatis, ſemper remotior attendatur, ita ut, dummodo ex una parte quintus gradus extet, etiamſi ab altera ſecundus, vel tertius, vel quartus exiſtat, inter eos Matrimonium, absque aliqua Summi Pontificis, vel Ordinarii diſpenſatione contrahi poterit.

Inter alia crimina, quæ impediunt Matrimonium contrahendum, & dirimunt contractum, connumeratur adulterium, fide data, nempe cum unus conjugum committit adulterium, & promittit ei, cum qua adulteratur, ſe contracturum cum illa poſt obitum conjugis, ſive copula præcedat promiſſionem hujusmodi, ſive ſubſequatur. Invigilent igitur Parochi, ne inter hujusmodi adulteros, absque Sanctæ Sedis

dis Apoſtolicæ diſpenſatione, Matrimonium contrahatur.

Librum habet quilibet Parochus, quem diligenter cuſtodiat, in quo conjugum, & teſtium nomina, cognomina, ac patriam, itemque locum contracti Matrimonii deſcribat hac ratione.

Anno Domini 1684. die 20. Januarii, N. contraxit Matrimonium per verba de præſenti cum N. in Eccleſia Parochiali S. N. loci N. præſente me N. Parocho, & DD. NN. N. teſtibus, factis tamen prius ſolitis tribus denuntiationibus, intra Miſſarum ſolemnia; quarum prima facta fuit in celebritate Circumciſionis Domini, de prima hujus menſis; altera die ſecunda, qui fuit dies Dominicus; & tertia in feſto Epiphaniæ, die ſexta, & nullo detecto impedimento legitimo, quominus libere contrahere poſſent.

Si vero alter conjugum fuerit alienæ Parochiæ, adjiciatur ut infra. Quæ denuntiationes factæ etiam fuerunt in Eccleſia Parochiali Sancti N. loci N. ut ex teſtimonio, ejusdem Eccleſiæ Parochi ſubſcriptione munito, patet.

Atteſtationes autem hujusmodi, quæ indies ab aliis Parochis habebuntur, diligenter aſſerventur, ut Nobis, cum opus fuerit, exhibeantur.

Cauſæ matrimoniales a nemine cognoſcantur, vel decidantur, niſi a Nobis, Officialive noſtro ad antiquorum Canonum, & Sacrorum Conciliorum præſcriptum. Archidiaconi autem, ſi qui ad eos recurrerint, factum intelligant, & de eo Nos illico certiores faciant, illosque, de quorum intereſſe agitur, ad Nos remittant.

XXIV. De Divinis Officiis.

PRoprii loci Patrocinia, ac propriæ Eccleſiæ conſecratæ Anniverſarium Dedicationis, duplici, ſolennique Officio celebrentur cum octavis.

De Sancto, cujus Sacrum Corpus, vel Sacra Reliquia inſignis aſſervatur, Natalis, ac Translationis dies, in ea Eccleſia, ubi reconduntur, duplici Officio celebretur.

Si alicubi ex conſuetudine antiqua, votove, Sancti alicujus feſtum diem populus univerſus, ceſſatione a ſervilibus, vetitisque operibus, aget; de eo Sancto inibi, ſtata die, Officium duplex habeatur. At ſi ſolum pars ejusdem populi ex conſuetudine, voto, vel devotione, alicujus Sancti diem feſtum colat, ac veneretur, de eo fiat Officium ſemiduplex.

De iis, qui Beati dicuntur, neque Sanctæ Sedis Apoſtolicæ auctoritate in Sanctorum numerum adſcripti ſunt, Officium ne fiat, niſi conſulta eadem Sancta Sede, facultateque literis Pontificiis conceſſa.

De cætero tam in Metropolitana noſtra Baſilica, quam in omnibus Collegiatis, ac Parochialibus Eccleſiis, noſtræ Archi-Epiſcopali jurisdictioni ſubjectis, publica omnis, & privata Officii Divini perſolutio dirigatur, & conformetur ad hujus Sanctæ Eccleſiæ ritum, & præſcriptiones, antiquiſſimo Breviario Pragenſi contentas, quod juſſu noſtro a doctis, & piis viris recognoſcetur, & ad majorem Clericorum & perſonarum Eccleſiaſticarum hujus Archi-Diœceſis commoditatem denuo imprimetur.

Martyrologii uſus in Eccleſia Dei antiquiſſimus, Patrum inſtitutis introductus, perpetuaque Eccleſiaſtica conſuetudine ita retentus eſt; ut cum in Choro publice illud legi ſolemne ſemper fuerit, tum in voluminibus Eccleſiaſticis, unus liber antiquo Canone cenſeatur, cujus lectio nominatim Clericalis ordinis hominibus præſcribitur. Quare ut in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, ut in Baſilica noſtra Metropolitana, & in omnibus Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis, Conventibus, & locis, virorum, & mulierum, etiam exemptis, intra hujus noſtræ Archi-Diœceſis limites conſiſtentibus, Martyrologium Sanctiſſ. D. N. CLEMENTIS Papæ Octavi auctoritate promulgatum, in Choro ad primæ horæ Officium publice legatur: primoque loco ſemper fiat memoria illius Sancti, de quo ſequenti die Officium celebrari debet, etiamſi ex iis Sanctis ſit, qui in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi noſtra peculiari Officio celebrari conſueverunt.

Ut autem ſacræ preces horariæ uni-

uniformi ratione ab omnibus perſolvantur, Calendarium Pragenſe, juſſu noſtro, quotannis edendum, quo certa officii ratio ſingulis diebus præſcribitur, Eccleſiaſtici omnes penes ſe habeant, ſingulasque præſcriptiones in eo contentas, in Officio Divino perſolvendo, diligenter attendant, & accurate obſervent.

In Miſſis Divinis, Officiis, functionibusque Eccleſiaſticis obeundis, paramenta omnia ſint ejus coloris, qui pro Feſti, dieive, ac functionis ſacræ ratione, a Sancta Eccleſia præſcriptus eſt, prout in Miſſali denuo juſſu noſtro edendo, videri poterit.

Horæ Canonicæ in Choro quotidie canantur, ubi cantari conſueverunt: neque ob Conciones, aut ſolemnes Miſſas, aliamve ob cauſam omittantur unquam, niſi evidens neceſſitas aliud judicio noſtro aliquando poſtulant; quo caſu absque cantu eas in Choro recitari volumus.

Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis recitetur in Choro, tam in Metropolitana, quam in omnibus Eccleſiis Collegiatis, Monaſteriis, & locis tam virorum, quam mulierum Regularium, etiam exemptis, iis diebus, quibus ex piis fundationibus, laudabilive uſu recitari ſolet.

Candelæ & cerei in Miſſa, & aliis Divinis Officiis ea exiguitate ne adhibeantur, quæ in tanto Myſterio dedeceat, & aſtantibus offenſionem præbeat; nullo tamen modo e ſevo ſint.

In organis, cum vel ad Miſſam, vel ad Veſperas, aliaque Divina Officia, ad excitandam fidelium pietatem, pulſantur; ne quid laſcivum, aut impurum admiſceatur.

Quandocunque per organum figuratur aliquid cantari, ſeu reſponderi alternatim, verſiculis Hymnorum, aut Canticorum, ab aliquo de Choro, intelligibili voce, pronuntietur id, quod ab organo reſpondendum eſt.

Cum in Eccleſiam ad Divina Officia diurna, vel nocturna conveniendum erit; id campanarum ſono ſignificetur, ea interpoſita mora, qua omnes facile convenire poſſint.

Signo audito, qui dignitates in Eccleſia, etiamſi Præfecti ſint, Perſonatusve, aut Canonicatus habent, cæterique omnes, qui intereſſe debent, præparent ſe ad Divinas laudes, & mature ad Eccleſiam progrediantur. Ingreſſi ad Eccleſiam, factis ad Sacroſanctam Euchariſtiam precibus, recta in Sacriſtiam ſe conferant. Quo loco, retenta talari veſte, ſuperpelliceum aſſumant, & reliquum veſtitum ad ſacrum munus neceſſarium; quod ut ſervos Dei decet, tacite & modeſte faciant.

In ingreſſu Chori ad Matutinum, aliaque Divina Officia, is ordo ſervetur, ut paulo poſt ultimum campanæ ſignum ad rem Divinam faciendam, univerſis Canonicis, aliisque in Sacriſtia paratis, pulſetur campana parvula, qua egreſſus Sacerdotum ad Miſſas celebrandas ſignificari ſolet; ut omnes, qui in Eccleſia, vel circum eam ſunt, Divini Officii celebrationem inſtare intelligant. Poſtea omnes de Sacriſtia ordine præcedentes, bini exeant; & ubi ſe ad altare humiliter inclinaverint, ſuum quisque locum in Choro adeat. Ibi flexis genibus, & ſubmiſſa voce, ſaltem Orationem Dominicam dicant; Deinde dato ſigno per Hebdomadarium, eumve, qui officium diriget, ad initium officii, omnes ſurgant, & officium inchoetur.

Omnes in Choro Divina Officia, ut temporis ratio poſtularit, alternis vocibus canant, recitent, attenteque audiant; idque non curſim, non perturbate, non perfunctorie, non oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, & ſtudioſe faciant.

In Choro, & Proceſſionibus, quadrato birreto, aut ſaltem ſubbirreto, quam Mitram Sacerdotalem vocant, utantur, nullo autem modo ſarmaticis, aliisve alterius generis pileis.

Pro temporis & officii ratione, ex Sanctæ Eccleſiæ inſtituto, cæremoniarumve ſacrarum præſcripto, in Choro ſedeant, ſtent, flectant genua, caput aperiant, & ſubmittant, cæteraque ejus generis adhibeant; omnes vero æque idem faciant: faceſſant ſomnus, riſus, joci, rixæ, colloquia. Ne vagentur

gentur in Choro, vel Eccleſia, neve locum mutent, ne occaſione quidem genua flectendi. Ne in Choro, ubi communi officio opera datur, privatim officium dicant, neque literas, aliave ſcripta legant.

Dum in Miſſa, Divinisque Officiis orationes recitantur, nemo ſedeat. In Miſſis autem ferialibus Adventus & Quadrageſimæ, ac in vigiliis, & iis item, quæ pro Defunctis cani ſolent, dum orationes pronuntiantur, omnes genua flectant.

Matutinum Officium, tam in noſtra Metropolitana Baſilica, quam in aliis Eccleſiis quibusvis, non tardius, quam hora quarta poſt mediam noctem recitetur, excepta nocte Nativitatis Domini, ac celebritatibus Paſchæ, & Corporis Chriſti, cum tota hujus Solemnitatis octava, atque triduo ante Paſcha, prima autem, oriente Sole, dicatur, vel paulo poſt, pro laudabili uniuscujusque Eccleſiæ conſuetudine.

Veſperæ in Metropolitana quotidie, ex antiquiſſimo uſu cum cantu recitentur, non ſubmiſſa voce. In cæteris autem Eccleſiis, ea ſervetur conſuetudo, quæ ex primo ſingularum inſtituto, obſervari conſuevit.

Summæ Miſſæ tam in Metropolitana, quam in Collegiatis Eccleſiis, cum ſit Officium duplex, vel ſemiduplex, aut Octava, abſoluto in Choro tertiæ horæ Officio immediate peragantur. Diebus vero jejuniorum, etiam in temporibus Pentecoſtes, & in feriis Adventus, peracta Nona, cæteris diebus, ſtatim poſt Sextam. Pro mortuis autem, poſt Laudes Defunctorum, ſi eorum Vigiliæ mane dicendæ ſint, alioquin poſt Primam illico.

Officium Defunctorum recitetur in Choro in unaquaque Eccleſia, iis diebus, quibus ex priſco more, recitari conſuevit.

Poſtridie illius diei, quo omnium fidelium Defunctorum commemoratio fit, in Metropolitana, & Collegiatis Eccleſiis ſingulis annis, dicatur in Choro Officium integrum Defunctorum pro omnibus hujus Eccleſiæ Archi-Epiſcopis, vita functis, ſub ritu duplici, cum ſola oratione: *Deus, qui inter Apoſtolicos*, & pro eisdem fiant Miſſæ omnes. Præterea ſi non plures in anno, ſaltem ſemel, nempe quarto Nonas Novembris, in iisdem Eccleſiis idem fiat, pro Prædeceſſoribus in Beneficiis Eccleſiaſticis, eorumque Fundatoribus, vita functis, cum ſola oratione: *Deus veniæ largitor, & humanæ ſalutis*, &c.

Spirituales cantationes, quæ a pueris, adultisve, in aliquibus Eccleſiis, intra Miſſæ ſummæ, Divinorumque Officiorum celebrationem, atque ante & poſt Sacram Concionem, ſeu in Proceſſionibus, ad fidelium devotionem excitandam, pie decantari conſueverunt, permittendas duximus, dummodo prius a Nobis, Officialive noſtro recognitæ ſint, & ſcripto comprobatæ, ne aliquid contineant, quod prophanum ſit, vel apocryphum, quodque ſanæ & Catholicæ doctrinæ repugnet. At hujusmodi cantionum cauſa, nihil intermittatur ex iis, quæ in Miſſis, ac Divinis Officiis, ex Sacris ritibus, recitari debent.

XXV. De vita, & honeſtate Clericorum.

NIhil eſt, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum aſſidue inſtruat, quam eorum vita, & exemplum, qui ſe Divino miniſterio dedicarint: cum enim a rebus ſæcularibus in altiorem ſublati locum, conſpiciantur; in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur. Ut igitur Clerici, in ſortem Domini vocati, vitam, moresque ſuos componant, & habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque omnibus rebus, nil niſi grave, moderatum, ac religione plenum præ ſe ferant, delictaque etiam levia, quæ in ipſis maxima eſſent, effugiant. Sacri Canones, Sancta Concilia, Pontificiæque Conſtitutiones, certas officiorum vias, ac rationes Spiritu Sancto Duce præſcripſerunt, quibus intelligant ſe, cum in Dei militiam ſint adſcripti, non ad commoditates, & voluptates; ſed ad labores & ſolicitudines vocatos eſſe; atque ea ſtudia, & officia amplecti debere, quæ, ſi reliquorum

oculis, auribusque obſerventur, profecto efficiatur, ut ipſi glorificantes Patrem, qui in cœlis eſt, magis vitæ exemplis, ad virtutis imitationem incitentur. Quare ad Clericalem diſciplinam in Eccleſiaſticis hominibus noſtræ Archi-Epiſcopali curæ ſubjectis conſervandam, & ea parte, qua collapſa eſt, reſtituendam, has rectè vivendi formulas, ab eisdem Sacris Canonibus, Generalibus Conciliis, Apoſtolicisque Conſtitutionibus ſummatim depromptas ipſis præſcribimus; quas ab omnibus diligenter attendi, & inviolabiliter obſervari mandamus.

Clerici omnes, vel in Sacris conſtituti, vel aliquod Beneficium Eccleſiaſticum cujusvis generis obtinentes, Clericalem Tonſuram, quam Coronam vocant, eamque conſpicuam gerant, ad eam formam, quam poſtulat cujuscunque ordinis ratio. Sacerdotalis autem non ſit minor forma Taleri.

Veſtes item Talares non ſolum interiores, ſed etiam exteriores, coloris tantum nigri (niſi interdum dignitatis ratio alium colorem poſtulet) ac ſimplices, continuo induant, præſertim in Civitatibus, & inſignioribus oppidis. In locis autem minus inſignibus, breviores permittimus, dummodo ſaltem uſque ad tibiæ medium producantur. In itinere vero, quæ ſupra genua ſint, omnino vetamus.

Pallio nunquam utantur, niſi pluviarum occaſione, vel cum iter faciunt.

Caligis nequaquam turgidis, neque diſſectis, calceis non inciſis, camiſiis ad collum, ſive ad manus, non criſpis, & rugoſis, aut artificio laboratis, utantur.

Birretum autem Clericale quadratum gerant, præſertim in Eccleſiis omnibus, in Choro, & Proceſſionibus. Sarmaticis pileis nullo modo utantur; ſed eos tantum geſtent, qui Clericali modeſtiæ, & gravitati conveniant, & Clericum eſſe, qui illis utitur, indicent.

Annulos ne deferant, niſi quibus ex dignitatis officio convenit.

Ac denique in veſtitu omnem novitatem fugiant, non tam nimiæ elegantiæ, quam ſordium, & negligentiæ ſuſpicionem evitantes.

Cum animarum curam gerentes peculiari indumento uti debeant, ut a reliquo Clero diſtincti, ab omnibus tanquam populi ſibi commiſſi Patres internoſcantur, ſancimus, ut Parochi omnes, etiamſi ad hujusmodi munus obeundum ad certum tantummodo tempus admiſſi ſint, veſtem exteriorem uſque ad talos demiſſam impoſterum continuo induant, & geſtent, quæ collo apte annexa laxiores etiam manicas habeat, neque ſine ea coram Nobis, Officialive noſtro unquam compareant, aut in Eccleſiis quovis tempore ſint.

Qui in habitu Clericali, & tonſura convenienti non inceſſerint, pœnas & cenſuras Conſtitutione CLEMENTIS Papæ Quinti in Concilio Viennenſi edita, quæ incipit: *Quoniam* &c. Literis Pontificiis SIXTI Papæ item Quinti contentas incurrunt.

Si barbam non radunt, ut antiquitus moris erat, ſaltem ne eam, comamve ſtudioſe nutriant, ſed capillis ſimplicem cultum adhibeant.

Presbyteri autem barbam ad ſuperius labrum ita inciſam habeant, ut ſumentibus Chriſti Sanguinem nullum afferat impedimentum, atque tam ipſi, quam cæteri omnes, ab utraque parte ne ullo pacto pilos intortos, aut a mento in acutum inciſos, productosve more nutriant militari.

Ne larvati, perſonative unquam publice, vel privatim incedant, ſeu conſpiciantur. Nec comœdiis, aut tripudiis, choreisve, ſeu aliis inanibus ſpectaculis interſint; neque iis etiam, quæ Judicum ſæcularium juſſu, populo ad terrorem proponuntur, cum vel rei torquentur, vel ultimo ſupplicio afficiuntur; niſi fortaſſe, ut eos conſolentur, ſe illis comites adjungant. Quo in pietatis officio, ſedulo videbunt, ne verbo, aut nutu, cauſam ullam carnifici, ut rei mortem acceleret, quavis, etiam pietatis ratione præbeant, ne irregularitatis maculam contrahant.

In omni inceſſu, ſtatu, geſtu, ac vultu, ordinem ſuum profiteantur, omnique Clericalis vitæ actione, religioſi animi mores exprimant, qui in

Eccle-

Eccleſiaſtici Ordinis hominibus elucere debent.

Taxillis, aleisque, ac chartis luſoriis, teſſerisque, atque omni alio ejusmodi ludi genere abſtineant. Cum Ruſticis, aliisve cujusvis conditionis Laicis, ne piramidibus ludant, neve item cum Clericis in Laicorum conſpectu.

Nec ſolum ludere vetamus, ſed eos ludorum ſpectatores eſſe nolumus, nec quemquam ludentem in ædibus ſuis permittere.

Ne ſclopetis, aut bombardis, feras, ſeu aves venando perſequantur; neve quodvis aliud aucupii, aut venationis genus exerceant, canesve, aut accipitres, ſeu alia venatica alant animalia.

Nullo modo certent ad metam, ſive ut vocant, ad ſignum baliſta, ſclopetove, ſive bombardis.

Noctu ne vagentur, neque etiam domo, niſi ob cauſam neceſſariam, exeant.

Clericorum arma ſunt orationes, & lacrymæ, quibus ſi recte ſe munierint, nihil in mundo eſt, quod timere debeant: ideo edicimus, ne Clerici haſtas, ſclopeta, enſes, aliave arma cujusvis generis, ad offenſionem, vel etiam defenſionem ferant, exceptis cultellis ad domeſticum vitæ uſum accommodatis; enſem tamen breviorem in itinere eis permittimus. Quod ſi ob aliquam gravem cauſam aliquis Clericus aliis armis utendi a Nobis facultatem obtinuerit; ne publice ea geſtet, niſi rei aut facti neceſſitas aliter poſtulet.

Menſa Clericorum, etiamſi Laici ei nulli accumbant, vel præſentes ſint, frugalis ſit. In numero, & pretioſitate ferculorum non ſe oſtentet. Exquiſitas delitias, comeſſationes, ebrietates, compotationes, ad æquales hauſtus provocationes, in omni Chriſtiano, & multo magis in Clerico damnamus, atque deteſtamur. Menſæ ne accumbant, antequam illi ſtatis precibus benedicant; neque a menſa diſcedant, niſi gratiis Summo Deo religioſe actis.

Ut flagitii, ſcandalive occaſionem, quæ in cauponis, vel tabernis, ſeu publicis hoſpitiis, occurrere ſolent, Clericis adimamus; cauponarum, ſeu publicorum hoſpitiorum aditu, uſuve eis omnino interdicimus, niſi in itinere neceſſitatis cauſa. In eos vero, qui Clericalem modeſtiam obliti, contra hujus noſtri Decreti præſcriptum, in tabernis, publicisque hoſpitiis, extra itineris occaſionem, cibum ſeu potum ſumpſerint, mulctis & pœnis, habita culpæ & perſonarum ratione, ſevere animadvertemus. Si qui vero publice ebrii fuerint, & ii præterea, qui poſt ebrietatem, tremendum Miſſæ Sacrificium absque prævia Sacramentali Confeſſione celebrare non verebuntur, graviores dabunt pœnas arbitratu noſtro.

Non in comeſſationibus, & ebrietatibus, ſed ut ſobrie vivamus; prædicat Apoſtolus; ideo Clerici publica convivia, præſertim nuptialia, quibus mulieres, mimi, hiſtrionesve interſunt, ut veteri Canone ſancitum eſt, evitent: haud enim aliunde Clericalis ordinis gravitas magis offenſa fuit. Illud autem præcipue caveant, ne in popinis, cauponisve, aut alibi in Laicorum præſentia, cythara, fidibus, aliisve hujusmodi inſtrumentis muſicalibus ſonent.

Si qui autem a neceſſitudine aut propinquitate ſibi junctis invitati, cum illis cibum ſumere voluerint, tum debita utantur modeſtia, ac frugalitate, tum etiam omnino videant, ne eidem menſæ aliqua cujusvis Clerici ancilla, quæ coctrix appellatur, accumbat; cum id absque piorum offenſione admitti non poſſit.

Ne cum hæreticis, & præſertim cum hæreticorum miniſtris, qui prædicantes dicuntur, frequentem conſuetudnem habeant, neve cum eis cibum capiant: hujusmodi enim familiaritates Laicis præſertim rudioribus, absque ſcandalo eſſe non poſſunt. Præcipue autem caveant a mutua quavis conſuetudine, commerciove cum iis, qui Wittembergæ, Lipſiæ, ſeu aliis cujusmodi locis ſunt non legitime ordinati: ii enim, cum hæretici ſint, hæreſum venena evomere, Calviniſmum introducere, & Catholicam Religionem deturbare non deſinunt. Caven-

vendum igitur eſt, ne hujusmodi peſte fideles inficiantur.

Ne cum Laicis familiaria nimis, aut ridicula interponant colloquia, dicteriave, aut mordaces ſales admiſceant. Neque vero digladiatorum, aliorumve improborum hominum conſuetudine utantur, niſi quantum eorum officium pietatis cauſa expoſtulaverit.

Ordinis præterea Clericalis memores, homines leves, in quibus nihil ſingularis pietatis, & Chriſtianæ virtutis elucet, quo poſſunt, ſtudio, fugere debent; cum piis & honeſtis hominibus converſationem habeant. Simonia, ambitio, turpiloquium, ac ſcurrilitas inter Clericos nequidem nominentur.

Erga Laicos gravitatem manſuetudine temperatam ſervare procurent. Se ipſos propter temporalia odioſos non reddant, ſcandala evitent. Morum integritate, & vitæ exemplo omnibus præluceant, ut eos populus amare, ac revereri merito poſſit. Nullam dent occaſionem laicis illos ad ſæcularia tribunalia trahendi, aut evocandi.

Diligenter caveant, ne Sacræ Scripturæ verbis ad prophanos ſermones abutantur, ſeu alios ipſis præſentibus illis abuti permittant.

Cum qui Deo militant, implicare ſe negotiis ſæcularibus prohibeantur, ne coram Judice ſæculari, Advocati, aut Procuratoris nomine cauſas agant, niſi ab aliis in judicium vocati, ſuam, vel Eccleſiæ ſuæ, propinquorum etiam, ſi neceſſe erit, & miſerabilium hominum cauſas tueantur.

Ne artem medendi faciant.

Ab omni mercaturæ genere abſtineant. In negotiationibus, mercaturisve ſe interpretes, & medios non interponant.

Negotiationem etiam cujusvis gegeneris eis omnino inhibemus.

Neve cujusvis Patrocinium, tutelam, aut curam ſuſcipiant, niſi cum pietatis cauſa, ejus rei facultatem a Nobis impetraverint.

Monialium Monaſteria non ingrediantur; neve ad earum cancellos, ſeu ad rotam accedant, neque cum eis colloquantur, absque facultate noſtra ſcriptis obtenta, alioquin pœnas & cenſuras contra hujusmodi inobedientes inflictas incurrant.

In eo officio ne ſe exerceant, ut Moniales, aliasve mulieres doceant legere, ſcribere, aut canere etiam cantum, quem vocant, figuratum, ſeu aliquo cujusvis generis inſtrumento ſonare.

Quoniam ob incontinentiæ crimen, aut ejus etiam criminis ſuſpicionem in Clericalis militiæ Profeſſoribus, mirum in modum laici homines offendi ſolent, ne ob ſuſpectarum mulierum cohabitationem, Eccleſiaſtici homines ullam populo dent offenſionem; decernimus, ne Clerici, quicunque ſint, vel in Sacris Ordinibus conſtituti, vel Eccleſiaſticum Beneficium qualecunque obtinentes, cum mulieribus cujusvis conditionis habitent, niſi cum matribus, ſororibus, amicis, fratrumque uxoribus; neque vero ſervas, ancillasve, quas coctrices vocant, in domeſtico uſu inſervientes, aut ſecum quovis modo habitantes habere poſſint, quadraginta annis minores, aut quæ vitæ aliqua ratione ſuſpectæ fuerint; ſi ſecus fecerint, in eos graviter animadvertemus.

Ne apud ſe libros habeant, aut legant, quorum lectione bene agendi ſtudium, morum diſciplina, & timor, charitasque DEI langueſcere poſſit, quales ſunt, qui res, vel jocoſas, vel ſcurriles, ridiculasve, vel impuras continent. Libris item non utantur de Muſico cantu obſcœnis, vel parum pudice conſcriptis.

Sacrarum autem literarum ſtudiis diligenter omnes incumbant, ut quod ipſi Deo obſequium debent, rite præſtare, & alios in viam Domini dirigere ſedulo valeant. Eam ob cauſam hos ſaltem libros habere procurent, in quorum lectione frequenter verſentur.

Bibliam Sacram vulgatæ editionis.

Breviarium Pragenſe.

Calendarium item Pragenſe in ſingulos annos edendum.

Calen-

Digitized by Google

Catechiſmum Romanum, auctoritate Sacri Concilii Tridentini editum, latine, vel lingua vernacula, cum indice, & diſtributione omnium materiarum pro ſingulis Dominicis, & Feſtis, per concionem explicandarum, vel cum dilucidatione ejusdem, auctore Joanne Chapeville, vel cum explicatione Sebaſtiani Catanei.

Catechiſmum Trevirenſis Archi-Epiſcopi (*a*), cum praxi Catechiſtica.

Catechiſmum Petri Caniſii, ſaltem minorem.

Epiſtolam Antonii Poſſenini de Catechiſmo docendo.

Concilium Tridentinum.

Has noſtras Diœceſanas Conſtitutiones.

Rationale Divinorum Officiorum.

Cæremoniale Romanum.

Directorium Joannis Polanci, & librum ejusdem de juvandis morituris.

Inſtructionem Sacerdotum Franciſci Toleti Cardinalis.

Manuale Navarri, aut Summam Sylveſtrinam (*b*), vel Armillam. (*c*)

Summulam Cajetani, vel Sancti Antonini.

Scutulum fidei Laurentii Hermanurii germanice.

Controverſias Franciſci Coſteri, germanice vel latine.

Pro Concionibus unum, vel plures probatos Auctores, ut Homilias, Joannis Eckii de tempore, & Sanctis, ac de Sacramentis.

Promptuarium Strapletonii.

Poſtillam Petri Caniſii germanicam, Friburgi Brisgojæ impreſſam, 1602.

Surium de vitis Sanctorum, vel ſaltem ejus compendium.

Poſtillam Georgii Schereri germanicam.

Epitomen Friderici Nauſeæ, & id genus alios.

Item pro excitanda mente in Dei amorem, opuſcula Granatæ latine, vel germanice. Inſtitutiones, vel Meditationes Franciſci Coſteri. Libellum Thomæ de Kempis de Imitatione Chriſti, aliaque ejusdem opuſcula. His ſimiles libellos ſpirituales ſedulo lectitari a Clericis cupimus.

Atque ut in ſtudiorum exercitatione indies magis progrediantur, congregationibus Diœceſanis proprii diſtrictus, ſeu tractus ſemper interſint. Ad Sacræ Scripturæ lectionem convenire non prætermittant. Minorum vero Ordinum Clerici, non grammaticæ modo, ſed magis Eccleſiaſticæ diſciplinæ ſtudio ſedulo vacent; atque ut diligentius inſtituantur, ubi Scholæ Præceptoris æque pii, ac periti copia eſt, ei ſtudioſe operam navent.

Ad Canonicas Horas recitandas ſe ſub peccati mortalis reatu omnino adſtrictos ſcire debent, quicunque Beneficia vel Officia Eccleſiaſtica cujusvis generis obtinent, & ii etiam omnes, qui in Sacris Ordinibus conſtituti ſunt. Illi vero præter peccati mortalis culpam, quam ut ſupra contrahunt, ex Decreto LEONIS Papæ Decimi in Lateranenſi Concilio edito, beneficiorum ſuorum fructus pro rata omiſſionis officii, & temporis, ſuos non faciunt, ſed eos tanquam injuſte perceptos in fabricas ipſorum Beneficiorum vel pauperum eleemoſynas erogare tenentur. In hujusmodi autem erogatione ea ratio ineatur; ut qui Horas omnes Canonicas uno, vel pluribus diebus intermiſerit, omnes beneficii, ſeu beneficiorum fructus, qui illi, vel illis diebus reſponderent, ſi quotidie dividerentur; qui vero Matutinum, tantum, dimidiam, qui cæteras omnes Horas, aliam dimidiam, qui harum ſingulas, ſextam partem fructuum ejusdem diei amittat.

At quicunque penſionem, fructus, aut alias res Eccleſiaſticas, ut Clericus percipit, modo prædicto, ad dicendum Officium parvum Beatæ Mariæ Virginis devinctus eſt, & penſionem, fructuum, rerumque ipſarum amiſſioni obnoxius.

Ut autem in pietatis, devotionisque ſpiritu indies magis atque magis prof-

(*a*) Erat is Rdmus & Illmus Joannes a Schœnenberg, qui, *apud Ill. Hontheimium*, electus anno 1581. die 31. Jul. Obiit 1. Maji 1599.

(*b*) Summæ author Sylveſter Mazolini & Prierate, Dominicanus, Magiſter S. Palatii. Obiit 1560.

(*c*) Bartholomæus Fumus, ejusd. Ord. ſcripſit circa annum 1550. *Ita Claudius La Croix in citat. Auctorum expl. Tom. I.*

proficiant, Sanctiſſima Pœnitentiæ, & Euchariſtiæ Sacramenta, religioſe frequentent Clerici omnes; Sacerdotes quidem ſingulis Dominicis, ac Feſtis diebus Sacramentaliter confeſſi Miſſam celebrent, niſi legitima, gravique cauſa detineantur, ſi vero Parochi ſint, ter præterea in hebdomada, ac ſæpius item, prout populi frequentia, & neceſſitas poſtulaverit. Diaconi, & Subdiaconi bis in menſe, atque diebus ſolennioribus, ac aliis diebus feſtis, quibus in ſolemni Miſſæ Sacrificio veſtibus ſacris induti, altari miniſtraverint, peccatorum ſuorum Sacramentali Confeſſione, ac Sacræ Euchariſtiæ ſumptione ſe reficiant. Prima Tonſura vel aliquo ex minoribus Ordinibus initiati, ſaltem ſemel in menſe, & diebus ſolemnioribus id præſtent.

Si antiquæ Legis Sacerdotes ſancti & puri eſſe debebant, ut incenſum Domini, & panes Dei ſui digne offerrent, quanto ſanctiores & puriores eſſe tenentur hi, qui non incenſum tantum, & panes, vel animalium carnes, ſed ipſummet Chriſti Domini Corpus, & Sanguinem offerunt, manibus tractant, & ore ſuſcipiunt, ne de eis dicat ipſemet Deus: Non permanebit Spiritus meus in homine, quia caro eſt. Quid enim magis dedecet Sacerdotem, quam vitæ impuritas & libido? Quare ſi quem cujusvis Ordinis Clericum concubinam, mulieremve eo nomine ſuſpectam habere, aut illius conſuetudine, commerciove uti compertum fuerit, in eum pœnis a Sacris Canonibus inflictis, & aliis etiam arbitratu noſtro irrogandis animadvertemus. Quod ſi monitus, ſpeciali monitione ſecundo deliquerit, tertia parte fructuum, proventuumque ſuorum Beneficiorum, qua ipſo facto privatus exiſtet, fabricæ Eccleſiæ, vel alteri pio loco arbitrio noſtro applicetur. Si autem in eodem delicto perſeverans ſecundæ monitioni non paruerit, omnibus ſuorum Beneficiorum fructibus privatus, prædictis locis ſimiliter applicandis, ab ipſorum etiam adminiſtratione arbitrio noſtro ſuſpendetur. Et ſi ita ſuſpenſus non reſipuerit, contra eum privatione Beneficiorum, aliisque pœnis, & cenſuris agemus.

Hæc eadem, quæ de concubinatu, vel aliis impudicitiæ ſordibus Clericorum præſcripſimus, ſerventur etiam, ſi quis Clericus modo cum una, modo cum alia impudica muliere deliquiſſe comprehendatur.

Præterea quoniam Clerici in fornicationem prolapſi, quorum peccatum ejusmodi, notorium eſt per ſcientiam, ſeu per confeſſionem factam in judicio, aut per facti evidentiam, quæ aliqua tergiverſatione celari non poteſt, aliquando ante, & ſæpe numero poſt pœnitentiam actam, Ordinis, quo initiati ſunt, proprium munus obeant, nulla abſolutione obtenta a ſuſpenſione, quam ex admiſſi delicti notorietate ipſo facto ſubierunt; quippe cum forte non animadvertant neque Dei offenſionem, neque cenſuram Eccleſiaſticam, qua ob tale crimen innodati exiſtunt; eos omnes Clericos monemus, qui manifeſta concubinatus, fornicationisve labe contaminati ſunt, ut vere pœniteant, & abſolutionem ab incurſa ſuſpenſionis cenſura, a Nobis, vel ab eo, cui legitimam a tali cenſura abſolvendi facultatem dederimus, obtineant, atque a male agendi conſuetudine emendati, cujuscunque vel peccati, vel offenſionis publicæ occaſionem cum effectu præcidant; alioquin ſi abſolutione non obtenta, occaſioneque ſcandali non ſublata, Ordinis, quo initiati ſunt, functiones obierint, irregularitatem incurrent, ſuper qua a nullo alio, quam a Summo Pontifice Romano diſpenſari poterunt.

XXVI. De Parochis.

Il omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, cum teneantur oves ſibi concreditas agnoſcere, pro eis Sacrificium offerre, Verbique Divini prædicatione, Sacramentorum adminiſtratione, ac bonorum omnium operum exemplo paſcere, pauperum, aliarumque miſerabilium perſonarum curam paternam gerere, & in certa munia Paſtoralia incumbere, meminerint gregi ſuo jugiter invigilare, & aſſiſtere, illumque in judicio & veritate paſcere, ac gubernare. Ut autem facilius hujusmodi ſui muneris partes exequantur, hæc præter ea, quæ his noſtris Synodalibus Conſtitutionibus variis in locis illis præſcripſimus, peculiari

liari titulo eisdem proponenda censuimus.

Quicumque Beneficium aliquod Ecclesiasticum, curam animarum quomodolibet habens, obtinet, quovis etiam dignitatis nomine nuncupetur, etiamsi eidem ab ipsa fundatione cura non immineat animarum, sed longo post tempore annexa sit; apud suam Ecclesiam resideat, in propria scilicet Ecclesiæ domo, si habeat, alioqui in alia, quæ tamen in propriæ Parochiæ finibus sita sit; neque ei unquam ulla ratione abesse liceat, nisi ex justa causa, a Nobis scripto approbanda. Qui secus fecerit, præter peccati culpam, pœnam etiam amissionis fructuum Ecclesiæ, cui præest, eo ipso incurret.

Qui vero contra Sacrorum Canonum, & Sacri Concilii Tridentini præscriptum plura curam animarum habentia obtinent Beneficia, vel Dignitates, aut Canonicatus, seu alia, in quibus residere oporteat, nisi a Sancta Sede Apostolica dispensationem obtinuerit, is ab eo tempore, quo posterioris Beneficii possessionem assecutus est, sciat Beneficium, quod prius obtinebat, ipso jure vacasse, tenerique ideo ad illud statim dimittendum, fructusque omnes interim mala fide perceptos, Ecclesiæ ipsi restituendos.

Quod si quis Canonicatum, una cum curato Beneficio ex dispensatione Apostolica, retinere possit; non in Canonicatu, sed in Beneficio curato resideat ad præscriptum Constitutionis PII Papæ Quinti.

Nemo ab Ecclesia sua absit absque licentia Archidiaconi, propriæ Regionis, seu tractus. Si autem longior septem diebus absentia sit duratura, non ab Archidiacono, sed a Nobis, Officialive nostro facultatem scripto obtineat. Nullo tamen modo occasione absentiæ intermittatur celebratio Missæ in Ecclesia Parochiali, præsertim die Festo, & vespertinarum horarum, ac debita Sacramentorum administratio, aliaque quævis functio Parochialis.

Cum primum aliquis ejus curæ commissus in morbum incidit, tunc maxime etiam ab ægroto non vocatus, Parochus illum invisat; omnemque Parochialis charitatis diligentiam in eo ponet, ut illum in via salutis recte dirigat, & a nequissimis Dæmonis insidiis, ac conatibus tueatur, atque defendat, præsidio salutarium adjumentorum.

Quod Concilio Agathensi olim pie cautum est, idem Parochus præstari curet, ut Missa celebrata, si quos in Parochiali vicinia habet, frequenter, atque adeo quotidie, cum per alias Parochialis curæ suæ occupationes potest, visitet, eisdemque præstet, prout opus esse viderit, officium charitatis, & solicitudinis paterno muneri suo conjunctæ.

Parochiales item suos, & universe, & sigillatim sæpe numero, prout occasio feret, hoc monebit, ut se accersant, cum primum aliquis in graviorem morbum inciderit.

Et vero quoniam aliis Parochialis curæ officiis aliquando fortasse distineri potest, propterea Parochiæ suæ Sacerdotes, si quos habet, ut saltem aliquot Laicos homines, virtute & vitæ spiritualis usu præstantes, deliget, qui ægrotum adeant, rectèque cohortentur, cum ad vim morbi patienter in Domino ferendam, tum ad alia Christianæ pietatis officia obeunda.

Illis maxime visitandis, & consolandis, assiduam charitatem navabit, qui rerum omnium indigentia, & morbi acerbitate miserabilem in modum afflicti, curationem difficillimam experiuntur, quorum paupertatem, pietatis zelo commotus ita sublevabit, ut & ipse, si per facultates potest, de suo aliquid eroget, & aliorum eleemosynas inquirat.

Quæcunque pietatis officia fidelibus suæ Parochiæ quavis adversa valetudine laborantibus præstare debet Parochus, eadem majori diligentia exhibere tenetur, cum ejus Parochialem viciniam, Parochialesve fines pestilentia, pestisve suspicio invadit: tunc enim proposito sibi ob oculos tam gravi gregis sibi commissi periculo, omni constantia, omnique animi firmitate munitus, illum nullo modo deserat, ne Pastoris solatio destitutus, vehementius perterrefactus, afflictione ta-

beſcat; ſed operam, ſtudium, ac miniſterium ſuum ita navare ſtudeat, ut ad omnia charitatis, ac miſericordiæ officia, & exemplo ſuo, & pio quodam ſanctarum cohortationum ardore, quibus perpetuo, uti diligentiſſime debet, cæteros inflammet. Id autem præcipue curet, ne quis e grege ſuo absque Pœnitentiæ Sacramento ex hac vita migret.

Præter alias ſacras functiones, quas quisque Parochus diebus Feſtis obire debet, ne veſpertinæ horæ Officium in Eccleſia recitandum, quavis occaſione, vel cauſa intermittat.

Singulis diebus Dominicis, intra Miſſæ Parochialis celebrationem, nempe poſt concionem immediate, præter Matrimoniorum denuntiationes, Parochi omnes dies Feſtos, ac jejunia in hebdomada ſequenti occurrentia populo edicant, & evulgent; ut unusquisque, quo die ea occurrunt, intelligat, & ad alia religioſe obſervanda excitetur, ac moneatur.

Cum Sacræ Concionis, ſermonisve munus intra Miſſæ celebrationem præſtatur, id ex antiquo hujus Eccleſiæ ritu, fiat ſemper, ſtatim poſtquam Symbolum Apoſtolorum recitatum eſt, ante Offertorii pronunciationem.

Præpoſiti, Parochi, aliique Epiſcopi inferiores, cum in Altari in Miſſæ Sacrificio, quod ipſi celebrant, id munus obibunt, tunc capite aperto ad ſacrorum rituum præſcriptum, ſtare debebunt. Quo autem facilius a populo audiantur, ſuggeſtum, eos aſcendere opportunius erit; tuncque caſulam deponere, ſi maluerint, licebit, quam ſtatim ſermone habito, ad Altare reverſi induant. Cum in ſuggeſtu concionem, ſermonemve habent, operto ſint capite; & ſedeant, aut ſtent, prout maluerint.

Cum non is Sacerdos, qui Sacrificium Miſſæ facit, ſed alius intra Miſſæ celebrationem, ſermonem, concionemve habiturus eſt, is ſuggeſtum aſcendat: interea vero Sacerdos celebrans, loco a Laicis ſegregato, & ab altari paululum remoto, non extra tamen Presbyterium, ſacris veſtibus indutus cum Diacono & Subdiacono, ſi illi in Miſſa tunc adhibiti ſunt, ab utroque latere conſidentibus, ſedebit.

Dum Sacra Concio, ſermove habetur, ne eo ipſo tempore, in Eccleſia eadem, Miſſæ Sacrificium ab ullo quovis Sacerdote fiat.

Oblationum inſtitutum, quod Offertoria dicunt, jam pridem ab Apoſtolicis uſque temporibus, Apoſtolico etiam Canone ſancitum, Sanctiſſimorumque Pontificum, MELCHIADIS, FABIANI, & GREGORII Conſtitutionibus, & Conciliorum præterea Decretis communitum, quo gravius his temporibus a fidei, doctrinæque Catholicæ hoſtibus exagitatur, & langueſcente pietatis ſtudio, quo magis a fidelibus negligitur, hoc diligentius ſervari, atque ad executionis uſum, ubi intermiſſum eſt, revocari convenit, cum præſertim & ad Divinum cultum illud pertineat, & populis ſalutare ſit, & ad expianda peccata utile. Quare Parochi, Concionatoresve, omni perſuadendi, cohortandique officio, illud, ubi eſt, retineri, ac ubi negligitur, reſtitui ſtudioſe ad Sacrorum Canonum præſcriptum ita curent, ut in Solemnitatibus ſcilicet Domini, diebusque Dominicis, ac Feſtis, item quos coli, aut præcepti, aut conſuetudinis eſt, & præterea in Miſſis Defunctorum, quilibet Chriſtianus aliquid, ſive pecunia, ſive cereis, ſive alio eleemoſynæ genere, prout ſua quisque pietate, devotioneque maluerit, Deo offerre procuret, idque in Eccleſia Parochiali, cum ad Miſſæ Sacrificium, quod a Parocho celebratur, convenerit. Quo in Officio ſervetur, ut quod antiquæ eſt conſuetudinis, primo mares, deinde fœminæ offerant.

Quo gratius autem Deo ſit, quod offertur, ad id præſtandum accedant fideles intima animi pietate, ſpirituali hilaritate, ſancta charitate, omnique Chriſtianæ devotionis teſtificatione. Offerentium autem, prout ſanctæ inſtitutionis eſt, peculiaris commemoratio in Miſſæ Sacrificio a Celebrante fiat.

Pro fidelibus Defunctis religioſas Deo preces, orationemque adhibere, Officium eſt ſalubre quidem, & Sanctum, Chriſtianæque pietatis ſtudio plane

plane dignum; ideo Parochi, ex antiquiſſimo hujus Eccleſiæ noſtræ more, ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, intra Miſſæ ſummæ celebrationem, immediate poſt concionem, fideles moneant, ut pro animabus in purgatorio detentis, intimo cordis affectu, preces effundant.

Oratio veſpertina, quam Salve vocant, in omnibus tam hujus urbis, quam univerſæ Archi-Diœceſis noſtræ Eccleſiis, a primo Sabbato Quadrageſimæ, uſque ad feriam quartam poſt Dominicam Palmarum fieri ſolita, cum ex priſco & laudabili more ſit introducta, & maximam afferat fidelibus utilitatem, perpetuo obeatur; & ut ad eam populi frequentiſſimi conveniant, illos Parochi omni cohortationis officio inducant. Caveatur autem, ne hujusmodi orationis cauſa, cantiones ullæ, quæ Catholicæ non ſint, canantur, & Antiphonam illam ab hæreticis editam, cui initium eſt: *Salve JEſu Chriſte*, omnino prohibemus.

Nullum officii genus, quo fideles ad pietatem excitare poſſint, Parochi prætermittere debent. Quare in unaquaque Parochiali Eccleſia, ter in die, ſummo ſcilicet mane, meridie, & ſub noctem, campanæ ſono fideles excitentur ad orationem, ut meminerint, ſi ſæpius non poſſint, ſaltem tribus his temporibus eſſe orandum, ut Pſalmus docet: Veſpere, mane, & meridie, narrabo & annuntiabo, & exaudiet vocem meam. Ut igitur ii non ſolum campanæ ſonitu, ſed etiam Parochorum cohortationibus moniti, certis illis diei potiſſimum intervallis, ſe ad breviſſimum ſaltem temporis ſpatium colligant, menteque ad Deum converſi, orent; illos unusquisque Parochus religioſe, frequenterque moneat, ac hortetur. Quo in cohortationis genere doceat, quam ſæpius fidelibus orandum ſit, ut non ſolum in eas ſingulas certas horas, ſed in ſingula potius momenta, de innumerabilibus beneficiis, quæ Deus in illos benigniſſime confert, pie gratias agant. Illis vero ſtatis intervallis maxime precandum eſt, Beatiſſimæque Virginis MARIÆ patrocinium invocandum, ut per eximia beneficia iis horis humano generi collata, quibus illa adfuit, ab unigenito ejus Filio miſericordiam fidelibus impetrare dignetur. Campanæ enim ſonitu matutino renovatur memoria Reſurrectionis Chriſti Domini, qui reſurgens ex mortuis ſtatim Sanctiſſimæ Matri ſuæ apparuit. Meridianus ſonus datur ad excitandam memoriam, & recordationem Paſſionis Chriſti, cui Virgo Mater interfuit. Veſpertinus autem ad recolendum mente, animoque beneficium Incarnationis ejusdem Salvatoris noſtri in utero Beatiſſimæ Virginis. At quo fideles, iis tribus temporibus, uniformi ratione orent, & indulgentias a Summis Pontificibus hac de cauſa conceſſas conſequi valeant, curent Parochi, ut omnes, ter Salutationem Angelicam cum tribus verſiculis, & oratione, ex priſco Eccleſiæ uſu, recitari ſolitis, genibus flexis, pie & devote recitent, ut infra.

Angelus Domini nuntiavit Mariæ, & concepit de Spiritu Sancto. Ave Maria &c. *Ecce Ancilla Domini, fiat mihi ſecundum verbum tuum. Ave Maria* &c. *Et Verbum Caro factum eſt, & habitavit in nobis. Ave Maria* &c. Oremus. *Gratiam tuam, quæſumus Domine, mentibus noſtris infunde; ut qui Angelo nuntiante, Chriſti Filii tui Incarnationem cognovimus, per Paſſionem ejus & Crucem, ad Reſurrectionis gloriam perducamur. Per eundem Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.*

Cœleſtia arma, quibus inter cætera, dum in hoc ſæculo nequam, peregrinantur Chriſti fideles, adverſus ſuæ ſalutis hoſtes, in colluctatione aſſidue utendum eis eſt, preces ſunt, & oratio ſancta. Cujus quidem orationis ſtudium, cum & perpetuum, & neceſſarium eisdem eſſe non ſolum verbis, ſed & exempli ſui conteſtatione, docuerit Chriſtus Dominus, fideles omnes ad illud pie, & religioſe amplectendum, in eoque ſolicite verſandum, omni diligentia, ac pietate inducere debemus, præſertim hoc tempore, quo Chriſtiani nominis hoſtes, bellorum incurſibus, omnibusque dolis, inſidiis, impiisque, & continuis machinationibus, Ungariæ Regnum, & alias finitimas ditiones vexare, eisque plurima afferre mala non ceſſant; quibus quidem malis ut

occurramus, quis non videt ad Divinam opem nos debere præcipue confugere? Quod ſane, ut accuratius præſtemus, illuſtre Moyſis exemplum nos admonet, atque aperte docet, quo alte manus extendente, ac ſuſtentante, hoc eſt, ferventibus precibus Divinam Majeſtatem ſolicitante, Iſraëliticus populus Amalecitas ſuperabat, proſternebat, atque internecioni tradebat evidentius; manus autem interdum fatigatas dimittente, hoſtis invaleſcebat illico, atque in fugam Iſraëlitæ convertebantur. Hac igitur de cauſa, præter ſupplicationes & proceſſiones a Nobis indictas, quas omnino fieri volumus, etiam orationem veſpertinam per ſingulas familias hujus Metropolis & Archi-Diœceſis univerſæ communiter in propriis ædibus faciendam inſtituimus, ad opem a Deo imminenti bello implorandam, contra Turcarum, & Catholicæ Religionis hoſtium vim, ac conatus, ad ejusdem Eccleſiæ Catholicæ & Religionis augmentum, Regnorumque & Statuum Suæ Sacræ Cæſareæ Majeſtati quovis modo ſubjectorum conſervationem & propagationem. Parochi igitur, fideles omnes, & præſertim Patresfamilias hortentur, ut hujusmodi orationi quotidie vacent, pia Lytaniarum, vel Beatæ MARIÆ Virginis Coronæ recitatione. Ut autem hoc pium inſtitutum promptius amplectantur, iis omnibus utriusque ſexus Chriſti fidelibus, qui vere pœnitentes, cum propoſito temporibus debitis confitendi, ſingulis diebus, veſperi, hac de cauſa, per horæ quadrantem, certa hora eis bene viſa, oraverint, pro quacunque vice id fecerint, quadraginta dierum indulgentiam, in forma Eccleſiæ conſueta, concedimus.

Tam in hac Urbe, quam in aliis Civitatibus, & locis, ubi aliqui Itali habitant, Parochi illos & publice & privatim ſæpe moneant, de obſervanda Conſtitutione fel. rec. CLEMENTIS Papæ Octavi, (*) qua ſtatuitur, ut nullus Italus, cujusvis conditionis, & ſtatus ille ſit, quovis quæſito colore, audeat habitare, vel domicilium tenere, ubi aliqua Eccleſia cum Parocho, vel Paſtore, ſeu Sacerdote Catholico non exiſtit, in qua libere, & ſine omni periculo palam & publice celebrari, & audiri poſſint Miſſæ, Officia Divina & Conciones, ac Sacramenta miniſtrari, mortuorum corpora ſepeliri, & cætera fieri juxta Catholicum ritum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Abſtineant Itali a Matrimoniis cum hæreticis mulieribus, & ab hæreticorum ſepulturis; filios ſuos non ſinant per hæreticos de Sacro Fonte levari; neque ipſi, hæreticorum filios, niſi a Catholico Sacerdote baptizentur, levare præſumant. Medicorum hæreticorum opera, ceſſante neceſſitate, ubi adſit Catholici Medici idonei copia, non utantur. Ex Italia ad hæreticorum loca profecturi, id ſignificent Ordinariis ſuis, vel Inquiſitoribus, a quibus ſerio admoneantur, ut Catholice, & religioſe vivant, atque hæreticos & ſchismaticos vitent, ſingulis annis ſaltem, de eorum Sacramentali Confeſſione, & Sacratiſſimæ Euchariſtiæ perceptione, per eos factam, fidem Ordinariis ipſis, vel Inquiſitoribus transmittere teneantur. In eos, qui contra hæc facere præſumpſerint, uti de hæreſi ſuſpectos, per locorum Ordinarios, & Inquiſitores procedi poterit.

Sicut Epiſcopale viſitandi munus neceſſarium eſt, Sacrorumque Canonum, & Generalium Conciliorum jure ad eorum, qui viſitandi ſunt, ſalutem procurandam utiliter inſtitutum, ita, qui viſitantur, ut quem debent, fructum ex eo uberem, ſalutaremque capiant, eos frequentes hujusmodi viſitationibus adeſſe oportet. Quamobrem Parochi, crebro populum doceant, tum viſitationum utilitates, tum eas officii partes, quas viſitantibus Nobis, Viſitatoribusve noſtris, ab eo præſtari convenit, tum vero in primis illum, dum viſitatio fit, quam frequentiſſimum adeſſe, gravi cohortatione moneat. Cum autem per Nos ipſos id munus obire non poterimus, per Viſitatores noſtros ſupplebimus, ut tenemur, qui debitis temporibus ad quævis loca noſtræ Archi-Diœceſis accedentes, ſanam & orthodoxam doctrinam inducere, bonos mores tueri, pravos corrigere, populos cohortationibus, & admonitionibus ad Catholicam Religionem, & ad pacem, atque innocentiam accendere, cæteraque præterea, prout locus,

[*] Die 26. Julii anno 1596. edita.

locus, tempus, & occaſio feret, ex eorum prudentia, ad fidelium fructum conſtituere, paterna charitate, Chriſtianoque zelo, procurabunt. Parochi, & alii item, qui viſitabuntur, Viſitatores ipſos benigne & honorifice, ac decenter excipiant, victualiaque ad Sacrorum Canonum præſcriptum prompte ſubminiſtrent; non enim ſecundum Apoſtolum, magnum eſt ab eis meti temporalia, per quos ſpiritualia ſeminantur.

Cum Parochiarum diſtinctio neceſſaria ſit, ut proprium Paſtorem Parochiales cognoſcere poſſint, a quibus cum opus eſt, pie gubernentur, & Sacramentis, aliisque ſpiritualibus adjumentis paſcantur; Parochis omnibus hujus Civitatis edicimus, atque jubemus, ut infra duos menſes proximos ad Nos accedant, ut unicuique eorum certos Parochialis viciniæ limites, ædibus, aut viis perpetuo diſtinguamus, quo facilius proprias oves paſcere poſſint, & meſſem in alienam falcem non mittant.

Nemo Sacerdos ſæcularis, vel cujusvis Ordinis & Inſtituti Regularis, etiam exemptus, in hac Metropoli & Archi-Diœceſi noſtra, curam animarum quovis colore, vel prætextu, exercere audeat, niſi vel aliquod Beneficium Parochiale legitime poſſideat, vel facultatem a Nobis, Officialive noſtro hujusmodi muneris ad certum, vel incertum tempus obeundi, ſcripto exaratam obtinuerit, etiamſi, alterius Parochi Coadjutor, Cooperatorve exiſtat, aut ab aliquo Abbate, Monaſteriive cujusvis Præfecto, etiam exempto, deputatus, alioquin ſuſpenſionem a Divinis ipſo facto incurrat.

Cum ad aures noſtras devenerit, aliquas in hac Archi-Diœceſi reperiri Eccleſias Parochiales, in quibus Patrocinia non celebrantur, quia eorum titulus ignoratur, eo quod per plures annos in hæreticorum manibus extiterint; ſtatuimus, ut quamprimum hujusmodi Eccleſiarum Parochi ſinguli ad Nos accedant, ut declaremus, quo die ſingulis annis, & Patrocinia, & Anniverſarium Conſecrationis propriæ Eccleſiæ, ad Dei honorem, & animarum ſalutem perpetuo ſint inibi celebranda.

Curent Parochi, ut in unaquaque Parochia habeatur Ludimagiſter, qui Catholicus ſit, & eruditus, ac bonæ famæ. Is autem non ſolum in grammatices, & humaniorum literarum peritia, ſed etiam in fidei Chriſtianæ rudimentis, ac Catholica Religione, ad Petri Caniſii Catechiſmi præſcriptum, pueros, adoleſcentesve inſtruat, eosque bonis moribus, Chriſtiana pietate, atque ſpiritualibus exercitiis diligenter imbuat.

Diligentiam item adhibeant, ut mulieres, quæ in Parochia puellas docent legere, & ſcribere, Catholicæ ſint, & ſpectatæ vitæ, atque in eis erudiendis, libris utantur Catholicis, & a proprio Parocho approbatis.

Curent Parochi, & Confeſſarii item, ut pie teſtantium voluntates, & relicta in pios uſus, Eccleſiis, aliisque locis, & perſonis prompte perſolvantur.

Nullis in Eccleſiis, juxta Miſſæ celebrationem, concionisve ſacræ munus, ſeu alio tempore, neque item in Cœmiteriis, Eccleſiarumve atriis, veſtibulis, aut fronte, neque præterea in quibusvis locis ſacris, Parochi, Concionatores, Clerici, aliique quivis, quidquam, quod forenſe, vel profanum ſit, quodque ad rerum prophanarum, ſeu forenſium enuntiationem attineat, promulgent; ſed ea tantum in locis Deo dicatis obeantur, quæ ſacra, & pia ſunt, atque ad Dei cultum & pietatis opera pertinent.

Ob frequentem aliquorum Parochorum mutationem, Eccleſiarum bona deperiri compertum eſt; ideo ad tutiorem, perpetuamque hujusmodi bonorum, quæ Patrimonium Chriſti ſunt, conſervationem, omnibus Parochis, etiam temporariis, & aliis item Beneficiariis hujus Archi-Diœceſis noſtræ præcipimus, ut infra tres menſes proximos duo inventaria authentica conſici curent, in quibus omnis propriæ Eccleſiæ, propriive Beneficii ſupellex, & præterea prædia, cenſus, agri, eorumque fines, ac termini, jura, privilegia, oblationes, atque etiam bona ſe moventia, ſi quæ habet, diſtincte notata ſint, quorum alterum penes ſe reti-

retineant, alterum vero Nobis tradant, in Archivio Archi-Epiſcopali diligenter aſſervandum.

Ad hujusmodi inventaria conficienda teneantur in poſterum infra tres menſes, poſt beneficii ſui adeptam poſſeſſionem, quicunque beneficium Eccleſiaſticum cujusvis generis obtinuerint, meminerintque ſe teneri pro poſſe recuperare ſui beneficii bona, ſi quæ deperdita, & uſurpata reperierint.

Cum autem aliquando reperiantur aliqui bonorum Eccleſiaſticorum, & jurium conductores, qui ea in totum vel in partem uſurpare non verentur, in propriæ ſalutis ſpiritualis exitium, & maximum Eccleſiarum detrimentum; omnibus Parochis, Beneficiariisque edicimus, & jubemus, ut locationes bonorum ſuorum Beneficiorum nunquam faciant Nobis inſciis, & exemplar hujusmodi bonorum locationis Nobis, aut Officiali noſtro ſtatim transmittere teneantur.

Parochi omnes ſæpe populis ſignificent, eos omnes tam Clericos, quam Laicos, qui alicujus Eccleſiæ, Beneficiive, aut loci pii bona, cenſus, jura, fructus & obventiones, per ſe, vel alios, quacunque arte, vel quovis quæſito colore, in proprios uſus convertere, & uſurpare præſumpſerint, ſeu impedire, ne ab iis, ad quos jure ſpectant, percipiantur, excommunicationem, & alias pœnas Sacrorum Canonum, & Generalium Conciliorum jure, contra hujusmodi inflictas, incurrere.

Sepelire mortuos opus miſericordiæ eſt non minimum, ut Sacrarum Literarum monumenta, & perpetua Catholicæ Eccleſiæ conſuetudo, Sanctorumque exempla clariſſime teſtantur. Ad hoc ſepeliendi munus Sacræ Cæremoniæ, & ritus, qui neque recentes ſunt, neque myſteriorum expertes, vel ab Apoſtolis ipſis, vel a primis Sanctiſſimæ Fidei noſtræ Patribus ad fidelium pietatem, defunctorumque ſuffragia, fuerunt ſalubriter inſtituti. Quare Parochi omnes, cum ſæpe fideles ad hoc ſpirituale officium hortentur, ut funus proſequantur, exequiisque omni animi pietate interſint; tum ipſi, cæterique Sacerdotes, & Clerici, ea devotione; iisque religioſis precibus, & ſanctis cæremoniis, illud rite ita concelebrent, ut ad rem, quam agunt, intime, pie, animoque attenti, etiam corporis compoſitione, habitu, atque vultu, pietatem, gravitatemque, quemadmodum Dei Miniſtros decet, præ ſe ferentes, invitent alios præſentes non modo ad orationem pro defuncto, ſed & meditationem mortis, quæ in ea funeris actione ob oculos unicuique proponitur.

Cum autem infidelium, nec non excommunicatorum, interdictorum, manifeſtorum uſurariorum, impœnitentium, & aliorum ejusmodi defunctorum corpora, Eccleſiaſtica ſepultura ad Sacrorum Canonum præſcriptum carere debeant: Caveant Parochi, ne hujusmodi corporum funeribus & exequiis interſint, eave in Eccleſiis ſuis, ſeu cœmiteriis ſepeliri, aut funerum, ſeu exequiarum ejusmodi occaſione, prædictarum Eccleſiarum campanas pulſari permittant; alioquin cenſuras & pœnas contra hujusmodi impoſitas incurrent.

Magnam adhibeant diligentiam Parochi, ut, quæ de Eccleſiæ, Sacriſtiæ, Altarium ornamentorum, & Eccleſiaſticæ ſupellectilis nitore, munditia, & forma ſuperius præſcripſimus, diligenter ab omnibus attendantur, & ſerventur, & præſertim, ut nullibi Miſſa celebretur, niſi in Eccleſiis, ac Oratoriis Deo dicatis, & a Nobis approbatis, & ſuper altaribus forma præſcripta conſtructis, & ornatis. Sedulo invigilent, ut Altarium mappæ, & alia ornamenta decentia ſint, & munda. Nulla corporalia adhibeantur in Miſſæ Sacrificio, quæ non ſint congrua, & amylo illita. In Sacra Euchariſtia, aqua Baptismali, ſacris liquoribus, calicibus purificatoriis, & aliis ejusmodi rebus ſacratis aſſervandis, & in Eccleſiaſticis miniſteriis adhibendis, nihil incultum, ſituque obſordeſcens, pulverulentum, immundum, aut rei ſanctitate indignum haberi, ſeu uſui eſſe permittant. Habeant vas decens huic tantum uſui deſtinatum, ad harum noſtrarum Conſtitutionum præſcriptum, in quo, cum

cum opus eſt, lavent corporalia, & purificatoria, & lavationis aqua in Sacrarium projiciatur. In eo autem laventur calices lixivio, & ſmigmate, ſaltem ter in anno, ut decentiores, & nitidiores continuo remaneant.

Unusquisque Parochus Librum habeat ſtatus animarum ſuæ Parochiæ quotannis renovandus ; cujus exemplar ad Nos deferat, mittatve, cum de hoc requiſitus fuerit. Et in eo notet nomen, & cognomen eorum, qui in ſua Parochia habitant per familias diſtinctorum. Qui in Paſcha præcedenti Sacram ſumpſerint Euchariſtiam, notentur hoc ſigno: *Comm.* Qui ad Confeſſionem Sacramentalem admittuntur, ſed per ætatem eis non permittitur Sacra Communio, notentur hac ratione: *Conf.* qui vero Sacramentum Confirmationis ſuſceperunt, diſtinguantur hoc modo: *Cbr.*

XXVII. De Beneficiorum Collatione, ac Jure Patronatus.

BEneficia Eccleſiaſtica iis tantum conferenda ſunt, qui medio examine, a Nobis approbati fuerint, exceptis iis, qui in forma, ut dicunt, gratioſa, a Sancta Sede Apoſtolica proviſi fuerint.

Præſentati, ſeu electi, vel nominati a quibusvis Eccleſiaſticis perſonis, etiam Sedis Apoſtolicæ Nuntiis, ad quævis Eccleſiaſtica Beneficia, non inſtituantur, nec confirmentur, neque admittantur, etiam prætextu cujusvis privilegii, ſeu conſuetudinis, etiam ab immemorabili tempore præſcriptæ, niſi fuerint prius a Nobis examinati & idonei reperti.

Ad dignitates quascunque, aliave Beneficia, quibus animarum cura ſubeſt, nemo promoveatur ; niſi qui ſaltem vigeſimum quintum ſuæ ætatis annum attigerit, & in Clericali ordine verſatus, doctrina ad ſuum munus exequendum neceſſaria, ac morum integritate commendetur.

Ad cæteras autem dignitates vel perſonatus, quibus animarum cura nulla ſubeſt, Clerici alioquin idonei, & viginti duobus annis non minores adſciſcantur.

Nemo ad dignitatem, Canonicatum vel præbendam aliquam aſſumatur; niſi qui eo Ordine Sacro, quem illa dignitas, præbenda, aut portio requirit, aut ſit initiatus, aut in tali ætate, ut infra annum initiari valeat. Quod etiam ſervetur in collatione Beneficiorum ſimplicium, ſeu Altarium, etiam extra Collegiatas Eccleſias, quæ Sacerdotalem ordinem ex fundatione requirunt. Cætera autem, quæ Clerici quivis, etiam prima Tonſura tantummodo initiati, obtinere poſſunt; ii tamen, qui decimum quartum ſuæ ætatis annum expleverint, conferantur.

Cum alicujus Eccleſiæ Parochialis vacatio quomodocunque contigerit, ei tantum, qui medio examine, ætate, prudentia, ſcientia, morum probitate, & aliis requiſitis, magis idoneus repertus fuerit, ad Sacrorum Canonum, & Conſtitutionum Pontificiarum præſcriptum, conferatur. Quod ſi Juris Patronatus alicujus fuerit; qui e Patrono præſentatus erit, ab Examinatoribus, coram Nobis, Officialive noſtro examinetur, ut non admittatur, niſi idoneus repertus fuerit.

Examinatores munus ſuum nullo modo aggrediantur, antequam, vel in Synodo noſtra Diœceſana, vel privatim, in manibus noſtris, ad Sancta Dei Evangelia juraverint, ut infra:

Ego N. Examinator deputatus, juro, me omni humana affectione poſtpoſita, munus mihi commiſſum pie & fideliter executurum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Evangelia.

Caveant, ne quidquam prorſus occaſione examinum, nec ante, nec poſt, accipiant ; alioquin Simoniæ vitium tam ipſi, quam alii dantes incurrent; a quo abſolvi nequibunt, niſi dimiſſis Beneficiis, quæ quomodocunque, etiam antea obtinebant, & ad alia impoſterum obtinenda inhabiles reddantur.

Sicut legitima Patronatuum jura tollere, piasque fidelium voluntates in eorum inſtitutionem violare æquum non eſt, ſic etiam, ut hoc colore Beneficia Eccleſiaſtica in ſervitutem redi-

gantur, non eſt permittendum. Nullus igitur Juris Patronatus titulus admittatur, niſi ſit ex fundatione, vel dotatione etiam ab eis facta, quibus jure hæreditario Patroni ſuccedunt, & authentico documento, aliisque jure requiſitis oſtenſum, ſive etiam ex multiplicatis præſentationibus, per antiquiſſimum temporis curſum, qui hominum memoriam excedat, aliave ſecundum juris diſpoſitionem.

Jura Patronatus nullo modo ad hæreticorum manus pervenire poſſint, etiamſi illa ſibi competere prætendant jure hæreditario, vel quovis alio prætextu.

Patroni autem Beneficiorum cujuscunque Ordinis, conditionis, & dignitatis, etiamſi Communitates, Univerſitates, Collegia quæcunque Clericorum, vel Laicorum exiſtant, in perceptione fructuum, proventuum, & obventionum quorumcunque Beneficiorum, etiamſi vere de Jure Patronatus ipſorum ex fundatione, & dotatione eſſent, nullatenus, nullave cauſa, vel occaſione ſe ingerant, ſed illos libere Rectori, ſeu Beneficiario, non obſtante etiam quacumque conſuetudine diſtribuendos dimittant.

Qui alicujus Beneficii Parochialis, vel etiam ſimplicis, Jus Patronatus habent, perſonam idoneam Nobis, intra quatuor menſes, a die vacationis, ſi Laici ſint, & intra ſex, ſi Eccleſiaſtici, præſentare debeant. Alioquin pro illa vice jus præſentandi ipſo facto amittunt, & Nobis, vel ei, ad quem hujusmodi collatio ſpectat, eo ipſo devolvitur.

Nemo autem præſentatus, vel nominatus, vel electus, ab inferioribus proviſus, a Nobis, Officialive noſtro prius admittetur, vel inſtituetur ad quodvis Beneficium, quam infra ſcriptum jusjurandum emiſerit.

Ego N. præſentatus, & electus ad Beneficium N. juro per Sacroſancta Dei Evangelia, quæ meis manibus tango, neque me beneficii obtinendi cauſa, aut ut ad id præſentarer, vel nominarer, neque quempiam alium, meo nomine, aut conſentiente, vel ſciente me, quidquam Collatori, Patrono ſeu alii cuiquam ea de cauſa promiſiſſe, aut dediſſe; ſeu compenſaſſe, aut prius datum confirmaſſe, vel apud quemquam depoſuiſſe; neque mutuo dediſſe, vel locaſſe, vel prius mutuo datum, commodatum, locatum, aut quocunque modo debitum remiſiſſe; vel relaxaſſe, nec de domibus, terris, prædiis, redditibus ejus Eccleſiæ, fructibusve, juribus, aut obventionibus ejusdem, præteritis, præſentibus & futuris, donationem, remiſſionem, locationemve feciſſe, promiſiſſe, aut iniviſſe. Ita me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

Nemo admittatur ad poſſeſſionem cujusvis Beneficii Eccleſiaſtici, etiamſi juris Patronatus fuerit, priusquam in manibus noſtris Profeſſionem fidei emiſerit, & tactis ſcripturis jus jurandum, ut infra, præſtiterit, quo promptius excitetur ad præſtandam obedientiam Ordinario debitam, atque ad Bonorum ſui Beneficii conſervationem, & recuperationem.

Ego N. Titularis Beneficii N. promitto, & juro, quod obediens ero Illuſtriſſimæ celſitudini Veſtræ, & legitimis Succeſſoribus veſtris in hoc Archi-Epiſcopatu; Eccleſiæ meæ inſerviam, & omnia, quæ ratione Beneficii Eccleſiaſtici ad præſens mihi collati, præſtare teneor, prompte exequar. Ejusdem Beneficii bona tam mobilia, quam immobilia, & ſe moventia, nullo modo alienabo; immo ſi quæ alienata reperiam, pro poſſe recuperabo. Ritum Sanctæ Romanæ & univerſalis Eccleſiæ in miniſtrandis Sacramentis Eccleſiaſticis inviolabiliter tenebo, & obſervabo; vocatus ad Synodum Diœceſanam veniam, niſi legitimo detentus fuero impedimento. Bonorum omnium tam mobilium, quam immobilium, ac jurium quorumcunque hujus beneficii duo conficiam inventaria authentica infra tres menſes proximos; quorum alterum penes me diligenter conſervabo, & alterum Illuſtriſſimæ Celſitudini Veſtræ tradam in Archi-Epiſcopali Archivio perpetuo aſſervandum. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

XXVIII.

XXVIII. De Monaſteriis Virorum.

NUlla Monaſteria nova in hac Metropoli & Archidiœceſi noſtra conſtruantur, absque facultate a nobis ſcriptis obtenta.

Regulares omnes, quo arctiori Regula obſtricti ſunt, eo accuratius, & perfectius, juxta eorum inſtitutum, Dominicum agrum excolere tenentur, in quo utique excolendo, Epiſcopis, & Parochis maximo debent eſſe adjumento, atque in cultu Dei augendo, animarumque ſalute procuranda omnem opem afferre. Quamobrem confidimus eos omnes univerſa, quæ his noſtris Synodalibus Decretis continentur, prout ad eorum unumquemque ſpectant, & regulari diſciplinæ conveniunt, prompte axecuturos præcipuamque adhibituros diligentiam in iis exequendis, quæ de Eccleſiarum cultu, & pia in eis verſandi ratione, de prædicatione Verbi Dei, de confeſſionibus audiendis, de ornamentis, paramentis, ac ſupellectile in Miſſæ Sacrificio, Sacramentorum adminiſtratione, ſacrisque functionibus decenter adhibendis, eorumque munditia, & nitore in hac Synodo ſunt præſcripta.

Caveant, ne intra ſuorum Monaſteriorum clauſuram, mulieres quovismodo recipiant, admittantve ſub pœnis, & cenſuris, Conſtitutionibus Pontificiis expreſſis.

Quod ut facilius executioni mandari poſſit, curabunt Abbates, Præpoſiti, Prioresve, & alii Superiores, ut aliquis habeatur locus extra Clauſtra, ubi fœminæ in caſibus neceſſariis audiri poſſint.

Nulli Monachi, Regularesve Viri, ad balnea publica accedant, cum id a Regularis ſtatus diſciplina, & obſervantia abhorreat.

Cum non ſolum Clerici ſæculares, ſed etiam regulares, ad ea, quæ Divinum cultum reſpiciunt, intendere teneantur, in eorum Clauſtris, & Monaſteriis, ne quempiam ſui, aut alterius ordinis, Virum Regularem, qui vagus ſit, & absque ſui Superioris commendatitiis literis, admittant ultra unam, aut alteram noctem ad ſummum.

Ne in ſuis Eccleſiis aliquem Sacerdotem ſecularem, vel regularem, vagum, ſeu peregrinum, absque ſui Superioris atteſtationibus, & commendatitiis literis, quæ omni falſitatis ſuſpicione careant, ad celebrandam Miſſam admittant; ne tremendum hoc ſacrificium ab apoſtatis, aut a non rite ordinatis, cenſurisve Eccleſiaſticis innodatis fieri permittatur.

Peculiari CLEMENTIS Papæ VIII. Decreto pie ſancitum eſt, Regulares omnes debere ab eo Epiſcopo, in cujus Diœceſi Monaſterium, in quo degunt, ſitum eſt, ordines ſuſcipere, niſi Sedes Epiſcopalis vacaverit, ſeu infirma valetudine, aliove impedimento detentus, Epiſcopus ille ſacram non habuerit ordinationem; quo caſu ſi extra Diœceſim ad ſuſcipiendos ordines accedere voluerint, hujusmodi impedimenti teſtimonium, ab Epiſcopo, ejusve Officiali Generali, ſeu, ſede vacante, ab Officiali Capitulari ſcripto comprobatum, ei, a quo ordinari voluerint, exhibere tenentur. Cum autem ſex temporibus a jure ſtatutis, vel a Nobis, vel a Suffraganeo noſtro, Sacramentum ordinis ad noſtræ Eccleſiæ utilitatem miniſtretur; non eſt, cur Monachi, aliive Regulares, ad alios Epiſcopos confugiant, ut ordines ſuſcipiant. Ad Nos igitur, ſive ad Suffraganeum noſtrum, non autem ad alienos Epiſcopos pro ſuſcipiendis ordinibus accedant; alioquin ad Sacrorum Canonum, & prædictæ Pontificiæ Sanctionis præſcriptum, contra eos agemus.

Quo facilius Parochi debitam inire poſſint rationem in Sacra Communione Paſchali fidelibus miniſtranda, & confeſſionum Sacramentalium atteſtationibus in animarum ædificationem accipiendis, & recognoſcendis; iidem Regulares Sacram Communionem a Dominica Paſſionis uſque ad octavam Paſchæ inclusive, laicis non miniſtrent, ratione obligationis Paſchalis; ſed eos admoneant, ut ad proprium Parochum accedant; a quo juxta Sacrorum Canonum Conſtitutiones illam ſumant.

Quicunque Regularis extra Monaſterium ſine Scripta facultate vagatur, a Nobis tanquam ſuæ Regulæ deſertor punietur, etiamſi eo ſe nomine excuſet, quod ad Superiores ſuos velit accedere, niſi ab iis mittatur vel evocetur; cujus rei ſpeciatim, nominatimque in facultatem mentio fiat.

At qui habitum ſuæ Religionis deſeruerint, niſi præcipua Sanctæ Sedis Apoſtolicæ facultate tuti ſint, in eos, tanquam apoſtatas ſeveriſſime agemus.

Qui vero in Monaſterio degere ſolitus, extra Monaſterium notorium aliquod crimen ita admiſerit, ut populo ſcandalo ſit; nobis inſtantibus, a ſuo Superiore, intra tempus a nobis præfigendum, ſevere puniatur, ac de punitione nos certiores faciat. Si Superior non punierit delinquentem, immo extra Diœceſim transmiſerit, intra terminum a nobis præſcribendum, ad locum, in quo deliquit, illum revocet, ſub pœnis Pontificio Decreto contentis. Alioquin Ordinarius loci, ad quem delinquens transmiſſus fuerit, a nobis requiſitus, in eum ſevere animadvertet.

Cenſuras omnes, atque interdicta, quæ a Sancta Sede Apoſtolica, ſeu a Nobis emanaverint, Regulares omnes in ſuis Eccleſiis evulgent, & obſervent.

Dies feſtos, qui in hac Metropoli & Archidiœceſi noſtra, ex voto, ſeu priſco uſu ſanctificari conſueverunt, iidem Regulares obſervare teneantur.

Nemo Regularis, Monialium Monaſteria ingredi, ſeu ad eorum cancellos, rotamve accedere, vel eas alloqui audeat, ſub pœnis a Sacra Congregatione Cardinalium, Epiſcoporum & Regularium negotiis præpoſita, ac peculiaribus Sanctionibus Apoſtolicis ſancitis, & aliis etiam arbitrio noſtro imponendis.

Vota ſubſtantialia in omnibus Monaſteſteriis veraciter obſerventur. Cum autem regularis vitæ peſtis ſit perniciosiſſima proprietas; quæ ei occaſionem, , & fomenta ſubminiſtrant, tollantur omnino.

Victus, veſtitus, cæteraque vitæ ſubſidia, pro eorum neceſſitate, & Monaſterii facultatibus, ex communi, prompte, hilariter, non ſordide, nec in pecuniis, ſed in rerum ſpecie præbeantur. Monachi, aliique Religioſi, non in Eccleſiis incorporatis, ſed omnes in Monaſteriis vitam communem agant, niſi aliud Regula permiſerit, & Superior cum Capitulo ſuo expreſſe conſenſerit, ac nos eorum ſententiam approbaverimus. Non tamen prohibemus, quin curam animarum in iis exerceant, modo alias apti ſint, & a Nobis approbati.

Penſiones ad vitam, aut reditus perpetuos, nullos quovis prætextu recipere, neque ratione officiorum vel miniſteriorum pecuniam, ut propriam conſervare permittatur, ſed omnia in communem uſum convertantur.

Nemo pecuniam, vel aliud quidpiam proprium apud ſe, vel alium habeat, immo nequidem apud Priorem ſuum, vel alterius nominis Superiorem, ut vere dicere poſſit: hoc eſt meum, & non commune, ac pro ſua voluntate uti queat; nec bona immobilia ad uſumfructum poſſideat.

Conſiderent Abbates, Præpoſiti, aliique Superiores Monaſteriorum Regularium, ſe non habere dominium Bonorum Eccleſiaſticorum, qua Patrimonium Chriſti ſunt, ſed tantummodo adminiſtrationem, ſalvo paupertatis voto; ideo videant, ne ejusmodi bona gravent ære alieno, aliisque oneribus, oneroſisque contractibus in præjudicium Monaſterii ſui, ſuorumque Succeſſorum, ac eorum item, qui cœnobio, jurisdictionis temporalis ratione, præſunt. Ad ſervitia Monaſterii nullos hæreticos, neque etiam per breve aliquod tempus, ſub quovis prætextu admittant. Mimos, ſcurras, & alios id generis dyſcolos, & moriones, non alant, neque eorum conſuetudinem habeant.

Quæ Monaſteria Parochias incorporatas habent; ut idoneos Parochos habere poſſint, duos ad minimum juvenes in celebri aliquo Gymnaſio alere procurent.

Ut in omnibus Monaſteriis docti viri haberi poſſint, ſemper duo ex juniori-

Digitized by Google

nioribus profeſſis, vel ſi id nulla ratione fieri queat, ad minimum ex ſingulis cœnobiis, in Patrum Societatis Jeſu Scholis, aliisve Gymnaſiis Catholicis, uſque ad ſecundum Theologiæ annum, alantur.

Caveant Prælati, ne ex bonis, aut fructibus Monaſterii ſui ſuos ditent amicos vel propinquos; neque quidquam ut proprium ipſi poſſideant, vel aliis poſſidendum, aut donandum relinquant.

Curent Abbates, Præpoſiti aliive Regularium Superiores habere Ludimagiſtrum aliquem eruditum, & bonæ famæ, qui vere Catholicus ſit, curamque habeat, juniores ſtatim a Profeſſione, imo & Novitios, ſi expedire videbitur, ſaltem in Catechiſmo & Grammaticis inſtruendi, atque ad Scholas altiores, ad quas mitti debebunt, diſponendi. Procurent præterea habere Theologum; qui Sacerdotes, aliosque in piis, quæ regulam, conciones, caſus conſcientiæ, & id genus alia reſpiciant, diligenter inſtruat.

Si qui Regulares, quod abſit, audiendarum confeſſionum, aut concionandi munus non ita ſincere, & cum ædificatione obierint; eos ab officio ſuſpendemus, & removebimus.

Ea eſt quorumdam Religioſorum temeritas, ut non ſolum extra Clauſtra, absque ſuorum Superiorum licentia degere, & apoſtatare audeant, cenſuras Eccleſiaſticas contra Apoſtatas impoſitas incurrendo, ſed etiam Religionis habitum deponere, & in hujusmodi cenſuris inſordeſcere; atque in hoc damnationis ſtatu perſeverantes, in aliquibus Eccleſiis Parochialibus noſtræ jurisdictioni Archi-Epiſcopali ſubjectis, Miſſas celebrare, Sacramentaque miniſtrare non erubeſcant. Quare pro debito vigilantiæ noſtræ munere, eos paterne requirimus, atque in Domino monemus, ut præteritorum criminum pœnitentes, ad nos cum omni fiducia confugiant; eos enim ad Sanctæ Matris Eccleſiæ gremium revertentes, benigne excipiemus; & eorum ſalutem, omni charitatis ſtudio, totoque cordis affectu procurabimus: ſi vero, quod abſit, ab hoc damnationis ſtatu reſipiſcere non curaverint, in eos juxta Canonicas Sanctiones ſevere animadvertemus.

Regulares omnes utriusque ſexus, etiam quovis modo exempti, ſi intra Archidiœceſis noſtræ limites eorum Monaſterium exiſtat, ſacros liquores ſingulis annis renovari ſolitos, a noſtra Metropolitana ſumere teneantur. Si vero aliunde eos ſumpſerint, pœnas dabunt a Sacris Canonibus ſancitas.

XXIX. *De Monialibus.*

MAximum certe periclitanti Eccleſiæ præſidium afferre poſſunt aſſiduis orationibus, & vigiliis ſuis Sacræ Virgines, quæ in Religione Deo ſe dicarunt, ſi, ut virginitatis flore decoratæ, gratiores ſunt Chriſto Jeſu, Sponſo ſuo, ita majore devotionis Zelo, ſanctoque charitatis igne accenſæ fuerint. Quare ut in earum Monaſteriis integra conſervetur vetus diſciplina, & ea parte, qua depravata eſt, reſtituatur, ad eamque ſe ipſæ conformantes, in rerum Divinarum contemplatione liberius conquieſcant; hæc ab ipſis ſervanda decernimus, & ſancimus.

Conſtitutio BONIFACII Papæ Octavi, quæ incipit: *Periculoſo*, ſervetur diligenter, ita ut nemini Sanctimonialium cujuscunque ordinis, & inſtituti, liceat impoſterum poſt Profeſſionem exire a Monaſterio, etiam ad breve tempus, quocunque prætextu (niſi ex aliqua legitima cauſa a nobis ſcripto approbanda) ſub pœna excommunicationis ipſo facto incurrenda. Ingredi autem Clauſuram Monaſterii nemini liceat cujuscunque generis aut conditionis, ſexus, vel ætatis fuerit, ſine licentia noſtra, vel Superioris earum (quoad Monaſteria Regularibus ſubjecta) ſcriptis obtenta, alioquin eandem pœnam ſubeant. Quæ facultas nulli concedatur, niſi urgentibus neceſſitatibus, aliter autem conceſſa nulla ſit.

Facultas autem exeundi a Monaſterio nullo modo concedi debet, niſi urgentibus neceſſitatibus; ideo nullis Abbatiſſis, aliisve Monialibus permit-

mittemus, quavis occaſione, vel cauſa, ut Commatris, Suſceptricisque munus præſtent in Baptiſmi miniſterio; neve ad nuptialia, aliave quæcunque convivia, ſive ſympoſia accedant; neque ad balnea ſive publica, ſive privata adeant.

Cum a nobis facultatem obtinuerint ob aliquam gravem neceſſitatem a Monaſterio exeundi; ſaltem duas provectioris ætatis & probatæ vitæ fœminas ſecum habeant, eisque perpetuo interdicimus, ne extra Monaſterium quavis occaſione, vel cauſa pernoctent.

Nullæ mulieres admittantur ad aliqua Monaſteriorum ſervitia, niſi probatæ vitæ ſint, & facultatem a Nobis ſcripto obtinuerint.

Moniales omnes ad regulæ, quam profeſſæ ſunt, præſcriptum, vitam inſtituant & componant, atque in primis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem, ut obedientiæ, ut obedientiæ, paupertatis, & caſtitatis vota, præceptaque ad trium votorum eſſentiam, nec non ad communis vitæ victus, & veſtitus conſervationem pertinent, fideliter obſervent: ea enim, quæ ad Regularis vitæ ſubſtantiam ſpectant, non ſunt relaxanda, ne tota regularis diſciplina corruat.

Ne ante profeſſionem (excepto victu & veſtitu Novitiæ, illius temporis, quo in probatione eſt) quocunque prætextu, ab ejus Parentibus, aut Curatoribus, Monaſterio aliquid ex bonis ejusdem tribuatur; ne hac occaſione diſcedere nequeat, quod totam vel majorem partem ſubſtantiæ ſuæ Monaſterium poſſideat, nec facile ſi diſceſſerint, id recuperare poſſit. Abeuntibus autem ante profeſſionem omnia reſtituantur, quæ ſua erant.

Nulla acceptetur in Monaſterio aliquo, educationis gratia, vel ut habitum regularem ſuſcipiat, ſeu quovis alio prætextu, absque facultate a Nobis obtenta, alioquin excommunicationem ſubeant ipſo facto non ſolum Moniales, quæ eam intra Monaſterii clauſuram introduxerint, ſed illa etiam, quæ ingreſſa fuerit.

Nullo modo permittendum eſt, puellas hæreticas in aliquo Monialium Monaſterio acceptari, educationis gratia, neque ſub quovis alio prætextu, ne aliquod ſpirituale detrimentum iis, quæ in Monaſterii clauſura ſunt, ob hoc afferatur: ſi vero aliqua admittenda videatur, eo quod ſpem præbeat converſionis, res tota ad Nos deferatur, ut, quid agendum ſit, decernamus.

Si puella, quæ habitum regularem ſuſcipere voluerit, major duodecim annis ſit, non ante eum ſuſcipiat, nec poſtea ipſa, vel alia profeſſionem emittat, quam nos virginis voluntatem diligenter exploratam habuerimus, an coacta, an ſeducta ſit, an ſciat, quid agat: & ſi voluntas ejus pia, ac libere cognita fuerit, habueritque conditiones requiſitas, juxta Monaſterii illius, & ordinis regulam, libere ei profiteri liceat. Cujus profeſſionis tempus ne nos ignoremus, teneatur Præfecta Monaſterii ante menſem nos certiores facere.

Nullis in Monaſteriis profeſſio fiat ante decimum ſextum annum expletum; nec qui minori tempore, quam per annum poſt ſuſceptum habitum in probationem ſteterit, ad profeſſionem admittatur. Profeſſio autem ante facta nulla eſt, nullamque inducit obligationem ad alicujus regulæ, vel Religionis, vel ordinis obſervationem, aut ad alios quoscunque effectus.

Nulla quoque renuntiatio, aut obligatio ante facta, etiam cum juramento, vel in favorem cujuscunque cauſæ piæ valeat, niſi cum licentia Noſtra, vel Officialis noſtri, fiat intra duos menſes proximos ante profeſſionem, ac non alias intelligatur effectum ſuum ſortiri, niſi ſecuta profeſſione: aliter vero facta, etiamſi cum hujus favoris expreſſa renuntiatione, etiam jurata, eſt irrita, & nullius effectus.

Finito tempore Novitiatus, Præfecta Monaſterii, obtenta prius a nobis facultate, Novitias, quas habiles invenerit, ad profitendum admittat, vel e Monaſterio eas ejiciat.

Nulla Monialis ambiat, aut ullo quovis modo, ſive directe, ſive indirecte per ſe, aut aliam, honores, officiave cujusvis generis ſui Monaſterii quærat.

Sin-

Singulæ propria voluntate depoſita, & ad obtemperandum paratæ, ſibique Dei gloriam & communem Monaſterii utilitatem tantummodo proponentes, ad honores & officia eas eligent, quas, omni remoto humanitatis affectu, Spiritus Sancti impulſu, ad id munus magis idoneas eſſe judicaverint.

Abbatiſſa, ſeu Prioriſſa, ne minor quadraginta annis eligatur, quæve in vitæ honeſtæ laude vixerit octo annis, poſtquam profeſſa eſt. Quod ſi in eodem Monaſterio non ejusmodi reperiatur, ex alio ejusdem Ordinis deligi poſſit. Sin autem Nos, vel Superior regularis (quoad Monaſteria ei ſubjecta) hoc etiam incommodum judicaverimus, eligatur ex iis, quæ in eodem Monaſterio annum trigeſimum exceſſerint, & quinque ſaltem annis, poſt expreſſam profeſſionem, laudabiliter vixerint.

In electione autem Abbatiſſæ, & Prioriſſæ, quæ tacitis ſuffragiis eligantur, Monialium vota a Nobis, Officialive noſtro, (ſeu a Superiore regulari, quo ad Monaſteria ei ſubjecta) extra Monaſterium ante cancellos, clatrosve feneſtræ, collocutionis uſui deſtinatæ, accipientur. In reliquis ſerventur ſingulorum Ordinum, vel Monaſteriorum Conſtitutiones.

Abbatiſſa, ſive Prioriſſa, tanquam communis omnium Monialium Mater, ipſarum & corporis, & animæ ſaluti quam diligentiſſime conſulat, easque ſtudioſe admoneat, ut puro corde ſint, vitæque integritatem ſervent, & ad perfectionem virtutum omnium contendant, ſiquidem quæ Religionem ſuſceperunt, niſi ad ſummum illum gradum pervenire conentur, minus ſane efficiunt, quam debent, pro vitæ, & Ordinis inſtituto, quod profitentur. Meminerint autem ſibi reddendam rationem eſſe juſtiſſimo Judici, erratorum omnium, quæ Moniales, ejus negligentia, aut culpa, admiſerint.

Inprimis vero curet, ut pax & concordia Sororum conſervetur, ſublatis, quantum in ea fieri poterit, omnibus diſſidii, ac diſcordiæ cauſis, ut quemadmodum debent, unum corpus, & unus ſpiritus in earum Sponſo, Jesu Christo, perfecto charitatis vinculo, colligentur. Invigilent etiam, ut ſingulæ ſuo munere recte fungantur, neque ulla alterius officium occupet, niſi auxilii cauſa, idque ipſius juſſu. At ſi alicujus importunitas, aut re, aut verbo, Sororum pace perturbata, charitatem violarit, acerrime ab ipſa Præfecta, & ſi opus erit, a Nobis, Superioreve puniatur, & ejus animi elatio edometur.

Abbatiſſæ autem, ſive Prioriſſæ, Moniales omnes obedientiam, & obſervantiam præſtent, quemadmodum earum votum poſtulat. Quæ vero ejus juſſa neglexerit, neque pœnitentiam ſibi impoſitam adimplere voluerit, aut ſuperbe, & injurioſe reſponderit, non habita ejus dignitatis ratione; aut contumaciter deferendo, vel excuſando, eam impedierit, quo minus illas reprehendat, aut caſtiget, quæ aliquid commiſerint; ad Nos deferantur, ut eorum contumaciæ debitis pœnitentiis, & pœnis occurrere poſſimus.

Singulis etiam hebdomadis Abbatiſſa, Prioriſſave juxta propriæ Religionis inſtitutum, Capitulum habeat corrigendi cauſa Moniales pro erratis, quæ ipſæ publice, vel in ſuorum officiorum munere admiſerint; quorum veniam ipſæ ſponte, atque humiliter coram omnibus petant; eisque pœnitentiam imponendi, & alia adhibendi, quæ earum inſtitutis tradita ſunt, ad ipſas in humilitate, & ſui contemptione continendas, atque ad virtutes omnes ſtudioſe ſectandas. Caveant autem Moniales, ne pœnitentiam ſibi ab Abbatiſſa, Prioriſſave impoſitam, pertinaciter recuſent; neve ſuperioris temporis delicta ſibi invicem objiciant.

Novitiarum curam ſola Magiſtra electa loco a cæteris Monialibus ſeparato habeat, alia præterea nulla. Hæc Novitias in timore, & cultu Dei, & in obſervatione Religionis erudiat, coneturque etiam vitæ exemplo, quæ nullam habeat anſam reprehenſionis, aſſiduisque admonitionibus ita eas inſtituere in ſpiritualis, & ſanctæ vitæ ratione, ut progredientes, Deo adjutore, perfectæ ejus ancillæ poſſint evadere.

Januæ

Januæ Monaſterii die clauſæ ſint una ſaltem clave, quæ ab ea, cui id jure Abbatiſſa dederit, cuſtodiatur, ut cum opus fuerit, aperiri poſſit. Ante occaſum Solis quotidie claudantur duabus clavibus, diverſo fabrili opere confectis, quarum altera noctis tempore aſſervetur ab Abbatiſſa; altera vero ab aliqua ex antiquioribus Monialibus, ad id ab Abbatiſſa deputata.

Nulli viri, quavis occaſione, vel cauſa in Monialium Monaſterio pernoctent.

Abbatiſſa, ſive Prioriſſa, & Moniales bona Monaſterii alienare, permutare, locare, aut de eis contrahere nullo modo poſſint, absque Noſtra, Officialisque noſtri, ſeu Superioris regularis, quoad Monaſteria ei ſubjecta, præſentia, & conſenſu; ſervatis item cæteris, quæ jure ſervari debent. Neque item aliquid in Monaſterio ædificari, inſtaurarique faciant, absque noſtro conſenſu ſcriptis exarato.

Nulla admittatur ad habitum Monachalem, neque ad profeſſionem, niſi prius propoſita fuerit in Monialium Capitulo, in quo ferantur tacita ſuffragia, ut ſingulæ Moniales, nullo humano affectu impeditæ, libere valeant ſuæ conſcientiæ ſatisfacere.

Nulla proponatur in Capitulo tam pro habitu ſuſcipiendo, quam pro profeſſione emittenda, absque facultate a Nobis, Officialive noſtro ſcriptis obtenta, etiam in Monaſteriis Regularibus ſubjectis, ut prius de puellæ moribus, vita, & ætate inquiramus, & ipſam examinemus, ad explorandam ejus voluntatem, & propoſitum, quod liberum eſſe debet.

Quoniam autem, quæ Moniales, profeſſione emiſſa, velum ſuſceperunt, ſacras preces horarias quotidie perſolvere tenentur; nulla ad Profeſſionem admittatur, quæ Officium Divinum recitare neſciat.

Profeſſionis, & diei, & anni, quo facta eſt, in libro ad eum uſum confecto, memoria conſervetur, manu Abbatiſſæ, ſive Prioriſſæ notata, adhibitaque ſubſcriptione ejus, quæ profeſſa ſit, ſi modo ſcribere ſciverit, & Superioris item, qui eam admiſerit.

Cum ad Sanctimoniales valde pertinet, Omnipotentem Deum aſſidue laudare, eidemque gratias agere, & ſupplicare, ut ſuam miſericordiam omnibus hominibus ad ſalutem impertiat, idcirco die, noctuque chorum frequentent, Sacrisque Officiis diſtincte, & attente, ab ipſis, & voce, & pio animi affectu celebrandis interſint, illis ſolum exceptis, quarum Præfecta juſti impedimenti excuſationem acceperit. Sonni, & cantus, qui honeſti & ſpirituales non ſint, colloquia etiam, riſus, quidquid præterea indignum eſt Domo Dei, & ejus Divina Majeſtate, cum qua colloquimur in oratione, omnino amoveantur.

Sacroſancta Euchariſtia ne intra Monaſterii clauſuram, ſed in Eccleſia exteriori, loco decenti, confervetur ſuper altari majori, ea ratione, quam ſuperius præſcripſimus, cum de hoc Sacramento tractavimus. Coram ea autem continuo præluceat lampas decens & munda, in Eccleſia exteriori, loco convenienti poſita.

Quod de clauſura non violanda decrevimus, ita ſervetur, ut nulla Monialis, neque etiam ad Eccleſiam exteriorem accedat. Ideo nullum oſtium habeatur, per quod e Monaſterio, locove collocutionum uſui deſtinato in Eccleſiam pateat acceſſus; niſi forte permittendum ſit hujusmodi oſtium pro miniſtranda Monialibus Sacra Euchariſtia, ubi non habetur feneſtella huic uſui deſtinata: quæ tamen quamprimum exſtruatur ad formam inferius deſcriptam, ut prædictum oſtium muro obturari poſſit; illud autem interim clave continuo claudatur, quæ ab Abbatiſſa, Prioriſſave aſſervetur, ne extra Sacræ Communionis tempus, quavis occaſione, vel cauſa aperiatur.

Ut autem ſacræ veſtes ad Miſſæ ſacri uſum, & antipendia, aliaque ad altaris ornatum, cum opus eſt, exponi poſſint, in pariete Eccleſiæ a parte altaris majoris, quo commodior ſit loco, intra Monaſterii clauſuram ſtructo, in quo aſſervantur paramenta; feneſtra fiat, rota apte conſtituta, quæ ejusmodi ſit, ut tota pene ſita inhæreat in craſſitudine parietis, qui aliquo incru-

incruſtationis opere craſſior propterea fiat. Munietur valvis ab uno, & altero latere, quæ bonæ ſint, unæ ab interiori Monialium parte, alteræ extrinſecus, & ambæ apte claudantur clavibus.

Ab altera parte Altaris in eodem pariete, loco, qui alicui Oratorio intra Monaſterium conſtruendo reſpondeat; feneſtellula alia, ſculptorio opere pie ornata exſtruatur, unde Monialibus Sacra Communio miniſtretur. Cujus feneſtellulæ planum æquale ſit, & a pavimento Eccleſiæ alte exædificatum ulnis duabus. Hæc feneſtellula late pateat extrinſecus ulnam unam & paulo amplius, alte exſtructa ulnam unam, & tertiam partem alterius ulnæ; ita ut in primo aſpectu latioris, intrinſecus autem anguſtioris formæ ſpeciem præ ſe ferat. Tota autem in ipſa parietis craſſitudine inſit, quæ aliquanto minus unius ulnæ ſit, ita tamen, ut intrinſecus a parte Monialium extremi parietis craſſitudo ne latior ſit decima parte ulnæ. Intus vero, in eo extremo pariete ſpatium inſit trium quadrantium ulnæ; in quo ſpatio feneſtellula altitudine & latitudine quadrantis ulnæ fiat, unde Monialibus Sacra Euchariſtia præbeatur. In feneſtellula a parte interiori valvulæ ferreæ, aut æneæ ſint, polite confectæ, quæ peſſulo, & clave obſerentur; a parte exteriori valvulæ paulo majores, quibus tota feneſtellula ſepiatur, adjunctis ſera, clave, & peſſulo.

Nemo Sacerdos ſecularis, vel regularis audeat Miſſam facere in Eccleſia interiori, chorove Monialium, ubi officium ipſæ decantare ſolent, neque alibi intra Monaſterii clauſuram, alioquin ſuſpenſionis pœnam ipſo facto ſubeat. Qui autem in Eccleſia exteriori id obire voluerint, ne inibi celebrent absque facultate noſtra ſcriptis obtenta.

Moniales Miſſæ non inſerviant, neve Clerici miniſtrantis munus præſtent, neque etiam intra Monaſterii clauſtra reſpondendo, & pronuntiando ea, quæ Clericus in hujusmodi Sacrificio reſpondere conſuevit.

Diebus Feſtis, ut otium, a quo omnia mala oriuntur, evitetur, tempus, quod ſibi a Divinis Officiis & conſuetis orationibus ſuperfuerit, in ſacra aliqua lectione conſumere curent, quæ ad Dei, & ſui ipſius cognitionem conducat, viamque monſtret perfectionis, & æternæ vitæ; hujusmodi enim lectio ſuavis eſt & fructuoſa animorum oblectatio, vitia coercet, atque ad virtutes inflammat. Videant autem, ne libros inanes, profanos, & qui quovis modo mentis puritatem corrumpere poſſint, ullo modo legant; immo nullos libros penes ſe habeant, qui animæ ſaluti, & regularis ſtatus ſplendori, Confeſſarii ſui judicio, non conveniant; præcipue vero caveant, ne libros hæreticos, ſeu quavis alia ratione prohibitos, apud ſe retineant, ſive legant, alioquin cenſuras & pœnas ſuperius præſcriptas incurrunt. Præterea orationes ab hæreticis editas, aliasve, quæ ab eorum Confeſſario approbatæ non ſint, nullo modo recitent.

Quod ad cibum, potum, ſomnum, veſtitum, cæterasque res attinet; omnes communiter vivant, quemadmodum votum paupertatis poſtulat, ut tuum, & meum, & omnis privata rerum poſſeſſio, & re, & verbo, penitus tollatur, atque item omnis ſupervacaneus & inanis rerum uſus; neque ulla ſit, quæ quidquam poſſideat, aut ad uſum adhibeat, ut proprium, etiamſi ad neceſſitatem conceſſum ſit.

Dona, quæ ſingulis mittuntur, ad Abbatiſſam, Prioriſſamve adferantur, nec ulla poſſit illa accipere, aut ad uſum adhibere, niſi ſciente, aut conſentiente Abbatiſſa, Prioriſſave, quæ in id omnino incumbere debet, ut ex Monaſterio vitium proprietatis, tanquam multorum malorum cauſam evellat.

Mane & veſperi ante refectionem Abbatiſſa, ſive Prioriſſa menſæ benedicat, in fine gratiæ agantur ſtatis precibus. Ad menſam autem aliquis ſpiritualis liber, qui ad Religionem incendat, quotidie legatur, omnibus diſcumbentibus cum ſilentio, & attente audientibus, ut una cum corpore mens etiam recreetur.

Univerſæ Moniales, ſi fieri poteſt, uno loco dormiant, ſingulæ videlicet

in ſingulis lectis, & in ſingulis etiam cellis, ſi tanta ſit copia cellarum, ut omnes capere poſſint.

De iis, quæ Domini ſunt, frequenter cogitare aſſueſcant, Divinarum rerum contemplationi vacent; fugiant colloquia vana & inutilia, ſanctumque ſilentium, quo magna animæ ſpiritualium donorum ſit acceſſio, ſedulo ſervent. At præcipue caveant, ne veſperi, ſigno ſilentii dato aliqua in alterius cellam ſe recipiat, ſed ex diſciplinæ regularis inſtituto, in propriis ſingulæ ſe contineant.

Monialibus nulla quidem nimia diligentia videri debet, ad ejus theſauri cuſtodiam, cujus cauſa propinquis, rei familiari, ac terrenis omnibus rebus, & curis renuntiantes, ſe Religionis jugo ſubjecerunt. Ut igitur ſanctum earum propoſitum ea parte, quæ diaboli inſidiis maxime patet, communiatur, non ſolum corpore, ſed & corde, clauſtrali quieti perpetuo ſtudeant. Nulla Monialis, puellam ullam, ſive ex conſanguineis, ſive ex alienis apud ſe educare audeat; aut in ſua cella dormire, etiam ſub prætextu exercitii in monaſtica diſciplina, permittat; cum hujusmodi puellæ, loco ſeparato, puellarum educationi deſtinato, vel in Novitiatu, qui diſtinctus a Monialium cellis habeatur, omnino eſſe debeant.

Moniales quando cum œconomis Monaſterii, aliisve quibusvis exteris, etiam ſtrictiori conſanguinitatis vel affinitatis gradu ſibi junctis, ex gravi cauſa, loqui coguntur; facultatem obtineant ab Abbatiſſa, ſive Prioriſſa, & ad locum collocutionum uſui deſtinatum, nempe ad ipſius loci feneſtram accedant, non ad januam, neque in Eccleſia, aut alibi; præſentibus ſemper Monialibus arbitris. Brevi finem loquendi faciant; caveantque, ne tempus, quo nihil eſt pretioſius, inani aut inutili ſermone conſumant.

Feneſtra autem collocutionis bene munita ſit opere clathrato ferreo duplici, dimidiæ ulnæ, vel paulo minoris intervallo inter unum & alterum interjecto. Opus vero clathratum ejusmodi ſit, ut ſpiſſi clathri, firmiterque infixi, inter ſe ſinguli, non amplius diſtent decima parte ulnæ. Inſtruatur præterea lamina ferrea, quæ latius paulo, quam feneſtra undique patens, a parte Monaſterii intus parieti infixa, firmoque bitumine agglutinata, clathrato operi interiori inhæreat. Sit vero plena foraminibus parvulis, inter ſe diſtantibus decima circiter parte ulnæ. Hæc lamina ferrea habeat feneſtellulam in medio exſtructam, dimidiam ulnam undique patentem, quæ ſera, vecte, & clave claudatur. Obducatur item feneſtra extrinſecus tela nigri coloris, affixa inſtrumento telari, quod aperiri queat.

Pars anterior Chori, in quo Moniales ſacras preces horarias perſolvunt, ea forma ſit, ut ab iis, qui in Eccleſia exteriori fuerint, illæ nunquam videri poſſint, neque etiam per feneſtram, per quam Sanctiſſimum Sacramentum, cum in Miſſa elevatur, adorant.

Omnes feneſtræ, & cancelli, & quicunque locus, per quem Moniales externam Eccleſiam introſpicere poſſunt, muro obturentur, præter feneſtram, in qua collocata eſt rota, & feneſtellam ad ſolum Sacræ Euchariſtiæ ſumendæ uſum conſtitutam, atque illam feneſtram, per quam Corpus, & Sanguinem Domini noſtri Jesu Christi, a Sacerdote celebrante elevatum, aſpicere valeant.

Ut accuratius clauſura ſervari poſſit, omnem diligentiam adhibeant Abbatiſſæ, atque Prioriſſæ, ut quamprimum in Monaſteriis habeantur Servæ, quas Converſas dicunt, Religionis habitum ſumentes, & tria vota profitentes, quæ Monaſterii ſervitia obeant, & famularum ſæcularium vices intra clauſtra ſuppleant.

Quo quietius Abbatiſſæ, & Moniales ſpiritualibus officiis, & clauſtralibus exercitiis intendere poſſint, Oeconomos habeant, ab ipſis Deputatos cum interventu noſtro, noſtrive Officialis Generalis, atque Superiorum regularium, quoad Monaſteria ei ſubjecta, qui curam habeant regendi eos, qui temporali manualium jurisdictioni ſubſunt.

Si qui autem ex hujusmodi ſubditis ad Abbatiſſam, Prioriſſamve, ſeu ad

ad Moniales recurſum habere voluerint, clauſuram non ingrediantur; ſed ſive mares, ſive fœminæ ſint, loco præſcripto, ad cancellos, feneſtramve collocutionis uſui deſtinatam, eas alloquantur.

Puellæ, quæ educationis cauſa, in Cœnobiis degunt, non minores ſeptennio ſint, & vigeſimum quintum annum non excedant. Absque facultate noſtra, ut diximus, non acceptentur. In aliqua Monaſterii parte, a Monialium habitatione ſeparata, degant. Magiſtra omnium una ſit, quæ doctrinam Chriſtianam, modos orandi ab Eccleſia probatos, Litanias, Roſarium, Officium Beatæ Mariæ Virginis, Pſalmos pœnitentiales, & hujusmodi eas recitare doceat. Item acu pingere, & alia, quæ locum & ſexum illum decent. Pretium pro earum victu, alimentisve perſolvatur Abbatiſſæ, ſeu Prioriſſæ, quæ eis neceſſaria a Monaſterio ſubminiſtrari curabit, non autem ſpeciatim ab aliqua Moniali.

Cum propinquis, aliisque externis ne colloquantur, niſi eisdem ſervatis, quæ ſupra de Monialibus eo in genere decreta ſunt.

Quæcunque ex illis puellis monialis fieri voluerit, ad propinquos ſuos mittatur, aut ad eos, qui ipſius curam habent (niſi aliter a Nobis, Officialive noſtro judicatum fuerit expedire) apud quos ſaltem per menſem maneat, priusquam a Nobis, Officialive noſtro examinetur; ut facilius, ac melius ejus libera voluntas exquiri, & explorari poſſit. Si vero propinqui hæretici fuerint, nullo modo ad eos puella mittatur, ſed ejus voluntas in Monaſterio ad cancellos, ſive in Eccleſia exteriori, prout nobis videbitur, exploretur.

Puellas vero domi ſuæ foris viventes, neque literas, neque ullam omnino artem Monialibus docere liceat, ne ad feneſtellas quidem, aliave collocutionis loca.

Summopere optamus, ut unumquodque Monaſterium habeat Concionatorem a nobis approbandum, quoad Monaſteria nobis ſubjecta, qui ei, ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, ac ſæpius item, Dei verbum prædicet, easque erudiat in omnibus, quæ ad Dei cultum & ſempiternam ſalutem conſequendam pertinent. Is autem nullo modo clauſuram Monaſterii ingrediatur, ſed in exteriori Eccleſia, loco conſtituto, munus ſuum obeat.

Semel ſaltem ſingulis menſibus, & diebus item ſolennioribus per annum, ac ſæpius præterea ad propriæ religionis conſtitutionum præſcriptum, Moniales omnes peccata ſua Confeſſario a nobis ſpeciatim approbato, confiteantur, & Sacram ſumant Euchariſtiam.

Ter in anno unicuique Monialium Monaſterio noſtræ Archi-Epiſcopali jurisdictioni ſubjecto, Confeſſarium extraordinarium eligemus, ut animarum morbis facilior & opportunior medicina adhiberi poſſit. At quo liberius, hujusmodi remedio indigentes, eo uti poſſint, omnes Moniales extraordinario Confeſſario ſe præſentare teneantur, etiamſi Confeſſionem Sacramentalem differre voluerint, ut eam coram Confeſſario ordinario obeant.

Monaſterii clauſuram Confeſſarius nullo modo ingrediatur, niſi cum Sacramenta Pœnitentiæ, Euchariſtiæ, & Extremæ Unctionis Monialibus, graviter & periculoſe ægrotantibus, miniſtrare, & alia ſpiritualia adjumenta adhibere debet. Quo tempore, dum intra clauſuram commoratur, eum duæ Moniales, quæ ætate cæteris præſtent, comitentur. Eæ autem omnes proſequentur, quicunque clauſuram Monaſterii introierint, etiam Superiores, & Viſitatores, facta prius ſignificatione ſonitu minoris campanæ, ut Moniales ſe recipiant.

Cancelli ferrei, lamina, linea tela feneſtulæ ejus loci, ubi Moniales confitentur, ita compactæ cohæreant, ut removeri non poſſint, & inde tantum audiri, aſpici autem nullo modo valeant.

Abbatiſſa, Prioriſſave neminem ad Monaſterii famulatum & procurationem admittat, cujus ætas, & mores Nobis, & earum Superiori (ſi Regularibus ſubſint) probati non ſint.

Monialibus non liceat exteris quibusvis etiam earum conſanguineis, aut

affinibus, literas ſcribere, ſeu exarare, vel ab exteris exaratas accipere, absque facultate Abbatiſſæ, ſive Prioriſſæ.

Nullis in Monaſteriis admittantur Balneatores, niſi ex aliqua gravi neceſſitate, Medici teſtimonio comprobata, & facultate a nobis ſcripto obtenta.

Monialium corpora in ſepulchris convenienti loco intra clauſuram, non autem in Eccleſia exteriori conſtructis ſepeliantur. Nullo autem modo Moniales, e clauſura, funeris ducendi cauſa, exeant, ſed proceſſio fiat per Monaſterium. Si autem intra clauſuram nullum habetur ſepulchrum; donec illud exſtruatur, ſepeliantur in Eccleſia exteriori, ita tamen, ut funus ducatur intra Monaſterium, & hac de cauſa ingredi poterit Confeſſarius ordinarius Monialium cum aliquo ſocio, qui defunctæ corpus, uſque ad ſepulturam comitentur, absque eo, quod Moniales e Monaſterio exeant, ſeu Eccleſiam exteriorem ingrediantur.

Moniales omnes intra hujus Metropolis & Archidiœceſis noſtræ limites conſiſtentes, quæ Regularium curæ ſubſunt, has noſtras Conſtitutiones in his præſertim, quæ ſpectant ad clauſuram, ſive ad admiſſionem cujusvis puellæ, adoleſcentisve ad habitum, ſeu profeſſionem, vel ad educationem, inviolate obſervent, ſub iisdem pœnis, & cenſuris ſuperius ſancitis, & inflictis.

XXX. De Archi-Diaconis Diœceſanis.

UT totius Archi-Diœceſis noſtræ neceſſitates facilius cognoſcere, eisque opportuna remedia acuratius adhibere poſſimus, illam in certos Archi-Diaconatus, tractusve diſtribuendam cenſuimus, ſingulis tractibus certas Civitates, oppidaque ac loca aſſignando. Archidiaconi igitur Diœceſani, qui hujusmodi diſtrictibus, ſeu tractibus, juſſu noſtro, pro tempore præſidebunt, onus ſibi commiſſum conſiderent, & quam in eo ſibi committendo ſpem, fiduciamque habuimus, perpendant; tum efficiant; ut noſtræ expectationi reſpondeant, vigiliarum ſuarum ſtudiis, aſſiduaque ſolicitudine.

Omni ſtudio ac diligentia curabunt, ut quæ ad Divini cultus augmentum, animarumque ſalutem procurandam, a Sacris Canonibus, Generalibus Conciliis, Apoſtolicis Sanctionibus, & Synodalibus Decretis, tam Ernesti Primi Prædeceſſoris noſtri, quam his noſtris, atque Viſitatorum noſtrorum ordinationibus, ſancte præſcripta ſunt, in regione, tractuve ſibi commiſſo, ab omnibus diligenter attendantur, & accurate obſerventur. Monita noſtra prompte exequantur, & Parochis ſuæ regionis tractusve, omni promptitudine ſignificent, ut illa populis notificent, & ab omnibus in uſum deduci curent. Frequenter autem de iis, ac reliquis omnibus, ad officium ſum ſpectantibus, Nos, Officialemve noſtrum literis ſuis certiores faciant.

Præcipuum vero eorum munus erit viſitandi Eccleſias omnes, & loca regionis, tractusve ſibi commiſſi, ſaltem bis in anno, nempe menſe Aprili, & Octobri.

In hujusmodi bina viſitatione videant diligenter, an Decreta noſtra, Viſitatorumque noſtrorum executioni demandata ſint. Si autem quæ exiſtat difficultas in iis exequendis, eam nobis ſignificent.

Videant item, an Eccleſiæ tam Parochiales, quam filiales, ac domus Eccleſiaſticæ aliqua egeant inſtauratione.

An bona Eccleſiæ, Hoſpitaliumve, ubi illa ſunt, & piorum locorum recte adminiſtrentur.

An ſingulis diebus Dominicis, & Feſtis, doctrina Chriſtiana in omnibus Eccleſiis parochialibus doceatur.

An Parochi in propriis Eccleſiis reſideant.

An verbum Dei aſſidue, & præſertim diebus Dominicis & Feſtis prædicent.

An munera Parochialia diligenter, & religioſe exequantur.

An aliqua Eccleſia parochialis careat Rectore, Parochove.

An

An bona Eccleſiæ in totum, vel in partem ab aliquo uſurpentur.

An hæ noſtræ Conſtitutiones Synodales a Parochis, Clericis, & ab aliis omnibus, ad quos ſpectant, obſerventur.

Quæcunque in viſitatione Nobis referenda repererint, ſtatim literis ſuis ſignificent; ut ea adhibeamus remedia, quæ Divini cultus augmento, & animarum ſaluti magis expedire judicabimus.

Cum ex optimo Sacerdotalium Conventuum inſtituto, in Eccleſiaſtica diſciplina non modo retinenda, ſed etiam inſtauranda, uberrimi fructus percipi poſſint; iidem Archi-Diaconi Parochos omnes & Clericos ſui diſtrictus, ſingulis annis, ſaltem ter ad ſe convocent, & congregationes habeant, eaque præſtent, quæ inferius præſcribemus.

Hujusmodi autem Congregationum dies is conſtituatur, qui plerisque ſit commodior, ea tamen habita ratione, ut hac de cauſa non impediantur Parochi, quominus Sacras Confeſſiones Sacramentales debitis temporibus audire poſſint. Ideo hi Conventus non habeantur hebdomada, quæ proxime antecedit Natalem Domini, neque duabus hebdomadis ante Paſcha Reſurrectionis, neve item diebus, quibusdam præcedentibus aliquam aliam Solemnitatem, veluti Pentecoſtes, Corporis Chriſti, Aſſumptionis Deiparæ Virginis, & omnium Sanctorum.

Ad Conventum Diœceſanum cogantur Sacerdotes omnes, item qui Sacris Ordinibus ſunt initiati, & qui Beneficia obtinent, etiam Canonici, iis tantummodo exceptis, qui aliquo legitimo impedimento fuerint impediti, ab Archi-Diacono approbando. Miſſæ interſint, quæ de Spiritu Sancto ab eo, cui id curæ dederit Archi-Diaconus, celebrabitur, habitu decenti, & talari induti, cum tonſura Clericali, quam Coronam vocant, Ordini ſuo congruente. Unusquisque præterea ſuperpelliceum habeat, quod neque ſitu, ſordeve ſqualleat, nec vero uſu obtritum ſit, ſed candidum, ab omni labe purum, & decens. Qui abfuerit, cauſam Archi-Diacono, eo ipſo congregationis die, demonſtret. Quæ ſi ab eo approbata non fuerit, præter alias pœnas arbitrio noſtro irrogandas, pecunia in pios uſus, Archi-Diaconi arbitratu, convertenda, mulctetur; quæ neque minor ſit dimidio taleri, neque major duorum talerorum; & in hos limites, pro culpæ modo, & perſonæ ratione, ab eo, qui præeſt, mulcta conſtituatur.

Pridie congregationis, omnes Sacerdotes peccata ſua confiteantur, & ipſo die conventus hujusmodi, pro Eccleſiaſticis ac Benefactoribus vita functis, Miſſam celebrent.

Jejuni omnes & Miſſæ, & congregationi interſint, alioquin mulctam dent, ac ſi absque cauſa legitima abſentes eſſent.

Miſſa celebrata, in domum Archi-Diaconi modeſte, & graviter accedant, & laicis hominibus excluſis, fiat oratio, ut infra, genibus flexis.

Veni Sancte Spiritus, reple tuorum corda fidelium, & tui amoris in eis ignem accende. Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon. Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem,*
℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Memento Congregationis tuæ,*
℟. *Quam poſſediſti ab initio.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum,*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, lumine tuæ claritatis illuſtra: ut videre poſſimus, quæ agenda ſunt; & ea, quæ recta ſunt, agere valeamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Deinde, ſuo quisque loco, non tumultuarie, raptimque, ſed graviter, ordineque conſideant: & ſermone habito ab Archi-Diacono, in quo aliquid de Cleri diſciplina tractetur, una, aut altera quæſtio proponatur, prout in præcedenti congregatione, ſeu ſaltem per menſem, antequam diſcutiendæ ſint, unusquisque ab Archi-Diacono admonitus fuerit, & earum exemplar acceſſerit.

Ea autem ſit quæſtionum materia, quam hominum mores, actionesque & negotia, quæ in ipſa regione gerantur, ſuppeditabunt. Ad conſcientiæ difficultates explicandas, non autem ad ingenii ſolum, verborumque argutias exercendas. In quas item quæſtiones, Archi-Diaconi cura, apte inſerantur, quæ ad Divini cultus rectam rationem, Sacramentorum rectam adminiſtrationem, ac caſuum Sanctæ Sedi Apoſtolicæ & Nobis reſervatorum explicationem, ſpectant.

Aliquis Parochus, Sacerdosve, qui Secretarii congregationis munere fungetur, ad id ab Archi-Diacono deputatus, ſilentio indicto, ſingulas quæſtiones de ſcripto pronuntiet. Tum Archi-Diaconus de ſingulis quæſtionibus ſententiam ſingulorum roget, ab iis initium faciens, qui inferiori loco ſedebunt, niſi aliquando ordinem hujusmodi aliquo modo mutare expedierit; neque quisquam, niſi interrogatus, ſententiam dicat.

Archi-Diaconus ad congregationes quam maxime præmeditatus veniet, ſtudio diligenti adhibito, conſultis etiam doctiſſimis viris, quos adire judicaverit, pro quæſtionum natura.

Unusquisque ſententiæ ſuæ rationem, & certam auctoritatem afferat. Utantur omnes ſermone latino, niſi aliquando aliquis, ut explicatius ſententiam ſuam exprimat, lingua vernacula uti maluerit.

Archi-Diaconus autem, ubi omnium ſententias audierit, ſummatim colliget, quæ fuſe dicta ſunt; prætermiſſa commemorabit; falſa a veris, dubia a certis, ſingularia a communibus ſecernat, diſſidentes inter ſe Doctorum opiniones conciliabit, & quæ verior doctrina ſit, exponet; rem denique omnem enucleate explicabit, & ab eo, qui Secretarii congregationis munere fungetur, in libro deſcribendam dictabit, vel ipſe Archi-Diaconus ſcribet. Qui etiam Eccleſiaſticos omnes diligenter inſpiciat, an veſtitu decenti induti ſint, & corona Clericali ornati. An orationibus, ſpiritualibus exercitiis, ſtudiis, & diſciplinæ ſcholaſticæ incumbant. An ſacras preces horarias quotidie recitent. Et alia in eis ſcrutabitur generatim, ac breviter, quæ pro ſua prudentia expedire judicaverit, prout ratio perſonarum, & temporis ſpatium tulerit.

Legantur demum aliquæ ex his noſtris Conſtitutionibus Synodalibus, præſertim illæ, quæ ad Parochos, & rectam Sacramentorum adminiſtrationem ſpectant. In hoc autem Archi-Diaconus arbitrabitur; qui etiam ſtudebit, ut aliquod temporis ſpatium in eo ponatur, quo inter ſe Parochi, aliis remotis, quæ ad boni Sacerdotis, & Paſtoris officium, atque ad animarum curam bene gerendam pertinet, conferre poſſint, ac de ſuæ quisque Parochiæ incommodis, & difficultatibus, quarum explicatio aliorum conſilio, operaque opus habeat, conſulere.

Deinde Archi-Diaconus diem ſequentis congregationis indicat, & quæſtiones proponat in eadem explicandas, earumque exemplar per ſe, vel per eum, qui Secretarii munere fungetur, unicuique tradat. Illis autem, qui a congregatione abfuerint, ſignificetur dies ſequentis conventus, & quæſtionum exemplar mittatur ſaltem per menſem, ante ſtatam congregationis diem.

Abſoluta congregatione, antequam itineri ſe committant Sacerdotes, flexis genibus, preces inferius deſcriptas recitent.

Kyrie eleyſon. Chriſte eleyſon. Kyrie eleyſon.
Pater noſter.

℣. *Et ne nos inducas in tentationem,*
℟. *Sed libera nos a malo.*

℣. *Confirma hoc Deus, quod operatus es in nobis,*
℟. *A Templo Sancto tuo, quod eſt in Jeruſalem.*

℣. *Domine exaudi orationem meam,*
℟. *Et clamor meus ad te veniat.*

℣. *Dominus vobiſcum,*
℟. *Et cum Spiritu tuo.*

OREMUS.

Præſta nobis, quæſumus Domine, auxilium gratiæ tuæ: ut quæ, Te auctore, facienda cognovimus, Te operante, impleamus. Per Chriſtum Dominum noſtrum. ℟. *Amen.*

Nemo

Nemo per Civitatem, ſeu oppidum, quo Clerus convenerit, vagetur, neque hac, aut illac concurſet, neve otioſe, ſeu curioſe obambulet; nec negotia cujusvis generis cum Laicis habeat, neque ad tabernas, diverſoria, ſeu hoſpitia publica ullo modo divertat. Sed precibus peractis, omnes ſe more Sacerdotali invicem ſalutantes, ſeque item orationi mutuæ in viſceribus JESU CHRISTI commendantes, absque aliqua mora, in pace diſcedant, ad ſuas quisque Sacerdotales, & Clericales ſtationes accedentes, eo ſtudio ex conventus celebritate accenſi, ut & in Dei gloria, & in animarum ſalute procuranda indies magis fructus conſtet, quem ex eodem conventu conſecuti ſunt.

Archi-Diaconus, quæ in conventu acta ſunt, Nobis, aut Officiali noſtro quamprimum per literas ſuas ſignificabit, & præſertim, quæ ut executioni in animarum ædificationem facilius demandentur, noſtram auctoritatem requirunt.

Omnes animarum curam gerentes, cujuscunque dignitatis fuerint, & alii item Sacerdotes, ac Clerici, Archi-Diaconis loco cedent; atque in iis omnibus, quæ ad illorum munus pertinebunt, humiliter obtemperabunt, ipſosque debito honore proſequentur.

Singulis annis feria quinta Cœnæ Domini liquores a Nobis, Suffraganeove noſtro, ex Sacrorum Canonum Sanctionibus conſecrari ſolent, & ab omnibus Parochis noſtræ Archi-Diœceſis ſumi, ut veteribus combuſtis, novi, recentesque in Sacramentis miniſtrandis, Sacramentalibusve functionibus obeundis ex ſacris ritibus adhibeantur. Ut igitur animarum curam gerentes majori facilitate & promptitudine, illa habere valeant, Archi-Diaconi eo ipſo die feriæ quintæ poſt Dominicam Palmarum, aliquem ad eos Sacros Liquores, a Baſilica Metropolitana, in vaſis forma præſcripta confectis, & nitidis, ſumendos mittant; eosque ſtatim ſui diſtrictus, tractusve Decanis, & Parochis diſtribuant. Curent autem, ut omnes ante Sabbatum Sanctum illos habeant, aut ſaltem ante Sabbatum, quod immediate præcedit Dominicam in Albis, gravi pœna negligentibus propoſita, arbitratu noſtro irroganda.

Eſt illud pervetus inſtitutum, atque jure Canonum comprobatum, ut ob honorem, qui Baſilicæ Metropolitanæ, Cathedralive tanquam matri a cæteris Eccleſiis Parochialibus tribui debet, Cathedraticum Archi-Epiſcopo, Epiſcopove ſingulis annis perſolvatur. Cum autem hujus noſtræ Archi-Diœceſis Parochi, animarumve Rectores, etiam temporarii, in magna Paſchæ ſolemnitate, ex antiquiſſima & immemorabili conſuetudine, certam pecuniæ portionem hujusmodi Cathedratici nomine, quod fumalia vocant, Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ perſolvere conſueverint, ne hac de cauſa ad hanc Civitatem cum non parvo eorum incommodo, atque impenſa, accedere cogantur, iis omnibus edicimus, ac jubemus, ut Eccleſiæ ſuæ nomine, ejusmodi pecuniam in manibus Archidiaconi propriæ regionis, ſeu tractus, ante Dominicam Palmarum quotannis perſolviſſe habeant, ſub pœna dupli. Archidiaconi autem, cum ad harum conſtitutionum noſtrarum præſcriptum, ad ſacros liquores a noſtra Metropolitana ſumendos mittent, illam pecuniæ portionem, quam a Parochis exegerint, ei integre conſignandam curabunt, cui id curæ dederimus.

Ut ea, quæ in univerſa Archidiœceſi noſtra, correctione, & reformatione pro tempore indigebunt, facilius cognoſcere, iisque opportuna remedia, quantum in nobis erit, adhibere valeamus, omnibus Archidiaconis Diœceſanis præcipimus, ut quotannis feria quarta, poſt Dominicam tertiam a Paſcha, congregationi in hac Civitate, nempe in ædibus noſtris Archi-Epiſcopalibus, coram Nobis, Officialive noſtro obeundæ, omnino interſint, in qua de bono Eccleſiæ noſtræ regimine tractabimus. Iidem autem Archidiaconi maximo nobis erunt adjumento, in iis cognoſcendis, ac decernendis, quæ ad Cleri, populique nobis commiſſi diſciplinam conformandam apta judicabuntur.

XXXI.

by Google

XXXI. De Decanis Ruralibus.

CUm Clericalium Conventuum inſtituta ratio in omnes partes utilis ſit, & ſalutaris; ii enim ſunt Scholæ, & exercitationes non ſolum ſtudiorum, ſed etiam officiorum Eccleſiaſticorum, in quibus & animarum Rectores, & cæteri Clericalis ordinis homines verſantur; Civitates, & loca Archidiaconalibus Diœceſanis adjudicata, in certos Decanatus diſtinguere voluimus, ſingulis Decanatibus certa oppida, locave aſſignando. Decani igitur proprii diſtrictus, ſive tractus Archidiacono ſubſint, & omni promptitudine obediant, atque de ejus conſilio, omnia ad eorum munus ſpectantia diligenter peragant.

Noſtra, Officialisve noſtri monita, etiam quæ ab Archidiaconis nomine noſtro eis indies notificabuntur, & ea item, quæ his noſtris Synodalibus Decretis præſcribuntur, prompte exequantur, & ab Eccleſiaſticis, Laicisque intra ſui tractus limites conſiſtentibus, prout ad eorum quemque pertinere dignoſcent, executioni demandari curabunt.

Quater in anno, Parochos, aliosve Eccleſiaſticos ſuæ regionis, vel tractus ad ſe convocent, & Clericales Conventus habeant ad eam rationem, quam ſuperius præſcripſimus, cum de congregationibus ter in anno ab Archidiaconis habendis tractavimus. Si qui abſentes fuerint absque legitima cauſa, a Decano approbanda, ab eo mulctabuntur eo modo, quo, qui a congregationibus apud Archidiaconum habendis abfuerint, puniri debent. Quidquid autem in hujusmodi Conventibus agetur, ad proprii diſtrictus Archidiaconum ſtatim ſignificent.

Licet Parochi omnes ſubſint Archidiacono proprii diſtrictus; tamen ſuæ Regionis Decano debitam etiam præſtabunt obedientiam in iis, quæ ad ſuum munus ſpectant; ita ut auctoritas Decani, non immediate a Nobis, ſed ſubordinate ab Archidiacono pendeat, absque tamen aliquo præjudicio auctoritatis noſtræ, Officialisque noſtri Generalis, quæ ſemper ſalva remaneat, & illæſa.

XXXII. De Teſtamentis Clericorum.

CLerici omnes ſæculares hujus Metropolis & Archidiœceſis noſtræ, etiamſi Beneficia Eccleſiaſtica cujusvis generis obtineant, liberam quidem habeant teſtandi facultatem ex privilegiis antiquiſſimis, & immemorabili conſuetudine; ſed de bonis Eccleſiæ nomine acquiſitis nullo modo teſtari ſeu diſponere poterunt.

Concubinarum, ſpuriorumve, vel aliarum turpium perſonarum in Teſtamentis Clericorum ne mentio fiat. Quod ſi quis quacunque de cauſa, vel quovis prætextu, concubinæ ſuæ, mulierive vitæ non probatæ, ſeu ſpuriis, etiam ſub ancillæ, vel ſervi, aliove quovis fictitio nomine, quid legaverit, hujusmodi legatum irritum ſit, & nullum, illudque in pios uſus arbitrio noſtro convertetur.

Nullos Executores Teſtamento conſtituant, qui Catholici non ſint; neque inſtituant bonorum ſuorum hæredes Pichardos, aliosve hæreticos, neque hujusmodi hominibus aliquid jure legati, vel quavis alia ratione relinquant; alioquin teſtamentum eo ipſo irritum, inane & nullum declaramus.

Nulla Clericorum Teſtamenta ſuum ſortiantur effectum, executionive demandentur; niſi prius clauſa, & fide dignorum virorum ſigillis obſignata, Nobis, Officialive noſtro transmiſſa fuerint aperienda, & de more approbanda, & publicanda.

Executores Teſtamentorum, intra annum a die obitus Clerici defuncti, de omnibus, & ſingulis, quæ invenerint (quorum omnium inventarium authenticum extare volumus) & quibus, ac quomodo ea diſtribuerint, & qua ratione Teſtamentum executioni demandaverint; Nobis, aut Officiali noſtro rationes reddant, alioquin pœnas dabunt arbitratu noſtro.

Quocunque anni tempore Clericus quispiam obierit, ex defuncti fructibus ſemper congrua portio relinquatur Succeſſori, uſque ad novi anni initium.

Si

Si inter Succeſſorem, & teſtamenti Executores aliqua fuerit controverſia; ad Officialem noſtrum recurrant, qui illam ſummarie definiat, ac decidat.

Quicunque Sacerdos, vel Clericus, ubi primum de morbo, aut morte alterius Clerici cognoverit, Archi-Diaconum propriæ regionis, ſeu tractus, quamprimum certiorem reddat. Quod ſi caſus tam cito ad Nos deferri nequeat, præſertim ſi nullum teſtamentum ſit factum, aut Teſtamentarii non ſint præſentes, ſeu ignorentur, ipſi Sacerdotes proximi & primi, ejus obitus ſcientiam habentes nomine noſtro univerſa obſignent, remque ſtatim ad Nos, Officialemve noſtrum deferant.

Ne quis ſub quovis prætextu ſupellectilem, remve aliam, ſeu ſcripta ad Eccleſiam, cui ille Clericus præerat, pertinentia, neve ipſius Clerici vivi, ſeu defuncti bona cujusvis generis invadat, aſportet, ſeu ſurripiat, ſub pœnis, & cenſuris, a Sacris Canonibus ſancitis.

Si quis Clericus deceſſerit ab inteſtato, ſervetur conſuetudo immemorabilis hujus Metropolis, & Archi-Diœceſis noſtræ, dividendo ejus bona, & hæreditatem in tres partes, portionesve æquales; quarum prima ad Eccleſiam, cui ipſe, dum viveret, præerat; altera ad defuncti hæredes; tertia vero ad eum, ad quem ſpectat præfatæ Eccleſiæ Jus Patronatus, quam Collaturam vocant, absque aliqua contradictione perveniat.

XXIII. De Clericorum Seminario.

Nihil eſt in hac Metropoli, & Archi-Diœceſi noſtra magis neceſſarium ad Catholicam Religionem propagandam, quam Sacerdotum, & Operariorum doctrina, pietate & morum integritate præſtantium ſufficiens numerus, & copia. Meſſis enim multa eſt, & pauciſſimi habentur operarii, ita ut multæ Eccleſiæ Rectore careant, & earum neceſſitati, ob Sacerdotum penuriam (quod lacrymantibus oculis fateri cogimur) ſuccurrere nequimus. Cui gravi malo opportunum remedium nulla ratione adhibere poſſumus, niſi Seminarium Clericorum ad Sac. Conc. Trid. præſcriptum erigatur; in quo collegiatim certus adoleſcentium numerus conſtituatur, cenſus & redditus ad eorum ſuſtentationem neceſſarios præfiniendo. Cum enim duo præcipue in Sacerdote requirantur, probitas videlicet vitæ, & doctrina; earum utraque in Seminariis omni facilitate comparatur; quæ ea potiſſimum de cauſa eriguntur, ut in iis boni, ſtrenuique operarii ad curationem animarum inſtituantur; & ii quidem adoleſcentes (qui ob ætatem, cum tenera ſit, & proclivior ad voluptates, & flexibilis etiam ad bonarum rerum impreſſiones admittendas, in operibus virtutum eruditi debent) eam vitæ perfectionem adipiſcantur, quæ in iis, qui Doctores populorum futuri ſint, elucere debet, & ſeverioribus diſciplinæ legibus coercendi. Quare ut hujusmodi Seminarium ad Catholicæ Religionis augmentum, noſtræque Eccleſiæ utilitatem ad eam rationem, quæ ejusdem Sacri Concilii Tridentini Decreto præſcribitur, quamprimum erigatur, omnem operam, omneque ſtudium pro debito vigilantiæ noſtræ munere adhibebimus.

Cum autem in Seminarii erectione ii deſiderentur redditus, qui ad illum adoleſcentium numerum ſuſtentandum ſufficiant, quem Archi-Diœceſis noſtræ amplitudo, & Eccleſiarum neceſſitas poſtulat, non poſſumus non plurimum confidere de pietate, religione, ac charitate Abbatum, & Catholicorum Baronum hujus Archi-Diœceſis. Ideo eos rogamus, & per Dei miſericordiam obſecramus, ut in hac re, quæ bono hujus Eccleſiæ regimini non ſolum utilis, ſed neceſſaria eſt, deſiderium noſtrum religioſa liberalitate adjuvent, quo illum ſortiri poſſit effectum, quem, Deo adjuvante, ſperamus.

XXXIV. De Pœnis, & aliis, quæ generatim ad has Conſtitutiones pertinent.

Quicunque, vel univerſi, vel ſinguli, quorum intereſt, his noſtris Conſtitutionibus, non paruerint,

ruerint, aut aliquid contra commiſerint, admiſerintve, illi mulctas & pœnas luant iis ipſis Decretis ſancitas, ac alias item, ex Eccleſiaſticis, Conciliorumque Sanctionibus, & Canonum jure, atque graviores præterea pro culpæ, & perſonarum ratione, arbitratu noſtro conſtituendas.

Quæcunque facultas ex Decretis in hac Synodo editis a Nobis requirenda eſt, eam concedere poterit Officialis noſter, niſi in iis, quæ proprie ad Ordinem Epiſcopalem pertinent, aut in quibus Vicarii a Sacris Canonibus, ſeu a Sacro Concilio Tridentino excluſi ſunt.

Si in his Conſtitutionibus aliqua difficultas orta fuerit, ejus declarationem, & omnium præterea, quæ ipſis Decretis continentur, interpretationem, & explicationem Nobis, & Succeſſoribus noſtris Archi-Epiſcopis, legitime intrantibus, perpetuo reſervamus, ſalva ſemper Sedis Apoſtolicæ auctoritate.

Ut eorum, quæ in hac Synodo ſancita ſunt, ignorantiam excuſare nemini liceat, edicimus, ut poſt duos menſes proximos hodierna die inchoandos omnes ſe, & his Decretis, & ſi contra fecerint, pœnis, quæ in eis continentur, teneri intelligant.

Clerici omnes Beneficium aliquod Eccleſiaſticum, qualecunque ſit, obtinentes, & qui in Sacris Ordinibus ſunt conſtituti, has Conſtitutiones noſtras infra menſem proximum comparent, & penes ſe habeant, ſex talerorum in pios uſus arbitrio noſtro erogandorum unicuique contravenienti mulcta ſancita.

Omnia & ſingula, quæ a Nobis in hac Synodo Diœceſana decreta, actaque ſunt, qua debemus obedientia, & reverentia, auctoritati, ac judicio Sanctæ Romanæ Eccleſiæ, omnium Eccleſiarum Matris, & Magiſtræ ſemper emendanda, & corrigenda ſubjicimus.

XXXV. De Sacri Concilii Tridentini acceptatione.

HOc tandem corollarii loco addimus, quod cum poſt præfatarum Conſtitutionum promulgationem Decretum de Sacroſancto Tridentino Concilio acceptando juſſu noſtro lectum & promulgatum fuerit, in hunc videlicet, qui ſequitur modum:

REverendiſſ. ANTONIUS Prædeceſſor noſter, ut primum Tridento, quo FERDINANDI I. Auguſtiſſ. mem. Imperatoris Orator ad Sacram Tridentinam Synodum perexerat, Pragam rediit; in eo totus fuit, ut quamprimum Archi-Diœceſanam Synodum cogeret, & in ea cum alia multa ſalubriter inſtitueret, tum omnia & ſingula, quæ ab ipſa Sancta Tridentina Synodo definita, & ſtatuta fuerant, & ipſe palam reciperet, & ab omnibus, ac ſingulis Sacerdotibus, & Clericis ſuis palam recipienda curaret, quemadmodum Tridenti, ſuo, & hujus Archi-Epiſcopalis, cui tunc præerat, Eccleſiæ nomine acceptarat. Idque multa ejus ſcripta, quæ apud Nos conſervantur, aperte oſtendunt. Verum cum morte ſublatus, Synodalem Conventum cogere non potuerit, & ob gravia tum Anteceſſoris noſtri MARTINI, tum noſtra impedimenta in hodiernum uſque diem protractus ſit, noſtrum eſſe duximus illud ipſum exequi, quod ab omnibus Præſulibus in prima Synodo Diœceſana præſtandum eſt. Quare præſenti Decreto ſupradictum Concilium, omniaque & ſingula in eo definita, & ſancita recipimus, & approbamus, atque vobis omnibus & ſingulis recipienda & obſervanda edicimus. In cujus rei teſtimonium, majusque robur Nos ipſi ſubſcribemus, & a vobis ſubſcribi mandamus.

Cumque omnes & ſinguli, nemine prorſus excepto, ac ſumma etiam alacritate, idem Sacroſanctum Concilium Tridentinum acceptarint, ſeſeque illud in omnibus, & per omnia obſervaturos eſſe, ſumma ſua voluntate, ac per propriam ſubſcriptionem promiſerint, quemadmodum ex actis Synodalibus liquet; Idcirco omnes & ſingulas Perſonas Eccleſiaſticas in Domino monemus, eisdemque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus & mandamus, ut infra trium menſium ſpatium ejusdem Con-

Concilii Tridentini Librum, & Decreta penes ſe habeant, illaque diligenter meditentur, perpendant, & quemadmodum ſe facturos promiſerunt, in omnibus, & per omnia obſervent.

F I N I S.

Excuſa primum hæc Synodus anno 1605. *Pragæ typis Nigrianis.*

Recuſa ibidem per Georgium Czernoch anno 1684. *ex ſpeciali mandato Celſiſſimi ac Rdmi Principis, Domini Joannis Friderici Comitis de Waldſtein, Pragenſis Archi-Epiſcopi, cum citationibus ad marginem diligenter expreſſis.*

Commodavit exemplar Rdiſſimus, Celſiſſimusque Dominus Joannes Mauritius Guſtavus perp. gratiſſimæque mem. primus Operis CC. Author, & Auctor munificentiſſimus.

Breve *Benedicti* XII. P. M., quo Erneſtum Pragenſem Epiſcopum a Metropolitana Henrici Archi-Epiſcopi Moguntini jurisdictione eximit, datum Avenione X. Cal. Aug. 1341. Pontificatus VII. vide apud *Lunig Contin. I. Spicil. Eccleſ.* pag. 207. Nihil de eodem Apoſtolico Brevi (quod mirere) in vita Venerab. Arneſti, ſeu Erneſti primi Pragenſis Archi-Epiſcopi *Balbinus*, ex quo diploma *Clementis* VI, factam a ſe A. 1343. prid. Cal. Maji in Metropolim Pragenſ. Eccleſiæ erectionem confirmantis A. 1344. 8. Cal. Sept., dedimus Tom. CC. IV. pag. 347.

Eod. Tom. pag. 381. exſtat Synodus Pragenſis Provincialis Erneſti Prag. Archi-Epiſcopi I.

Statuta Diœceſana ſub Antonio de Muglitio, exhibentur Tom. VII. a pag. 26. ad pag. 54., ubi tum Conradi Weſtphali luctuoſam a vera fide defectionem, naramque ex ea celeberrimæ Metropolis viduitatem diuturnam adeo ac pernicioſam, tum Ferdinandi I. Imp. labores pro Sede illa vigori priſtino reddenda glorioſiſſime ſuſceptos, aliaque adnotatu digna reperies.

Succeſſor Antonii & Concivis Martinus, Peltenbergenſis Præpoſitus, Magiſter Crucigerorum Generalis, deſignatus ab Roman. Imperatore Rudolpho II. Archi-Epiſcopus Pragenſis tanta officium ſuum ſolertia ac dexteritate geſſit, ut cumulate faceret Bonis omnibus ſatis, nec, in illo quod carperet, comes felicitatis perpetuus, livor haberet. *Ita fere opuſculum Pragæ editum* 1672., *cui titulus:* Gloria Univerſitatis Carolo-Ferdinandeæ Pragenſis &c.

Idem opuſculum pauca refert eodem ſcribendi genere de Sbignæo Berka, XI. Prag. Archi-Epiſcopo, quæ fuſius his plane verbis enarrat *Hiſtoriæ Soc. JESU Provinciæ Bohemiæ Part. II. P. Joannes Schmidl ejusd. Soc.*: " Quod vero hoc anno ad " memoriam celeberrimum, ad Eccleſiæ Bohemæ diſciplinam utiliſſimum accidit, " erat Synodus Nationalis; qualis a temporibus *Arneſti I. Archi-Epiſcopi Prag.*, " qui ante *Ziſiskanas* turbas, id eſt, ante ducentos & complures annos hanc rexe- " rat Eccleſiam, celebrata non fuit. Hanc *Sbigneus Archi-Epiſcopus* ad diem 28. " Septembris, qui D. Wenceslao Bohemiæ Duci ac Martyri ſacer eſt, edixit, ac " triduo extraxit. . . . . Scopus primarius, in quem Sacri Conventus intentio & " conatus collimabat, reformatio Cleri & integritas Romanæ Fidei urgenda occur- " rerat, ... Et hoc quidem, ad cæterum *Sbignæi* in Eccleſiam ſuam ingen- " tium meritorum cumulum, poſtremum opus ac glorioſiſſimum acceſſit: nam " anno, quem abhinc auſpicamur, Chriſti 1606. die 6. Martii ▪ mortalibus ſubla- " tus eſt, Vir non magis vetuſtate nobiliſſimæ in Bohemia Berkarum de Duba & " Lippa Familiæ, quam eximia virtute, morum elegantia, eruditione ac ſapientia " præſtans, in rebus gerendis magni uſus & conſilii, ideoque Rudolpho Imp. & " Proceribus Regni, etiam Acatholicis, inprimis carus.

" Adoleſcens Olomucii in Academia noſtra liberales artes & cum iis amorem erga " Societatem noſtram combibit. Inde Cracoviam transgreſſus Philoſophiam & " Theologiam perdidicit, ad Licentiam uſque ſupremæ Laureæ provectus. . . . " Eccleſiæ Cathedraticæ ſex, una etiam Metropolitana, Canonicatus ſuos (*Sbigneo*) " detulerunt: Præpoſitus Wiſehradi, Olomucii, Oetingæ ac Litomericii audiit: " Adminiſtrator Ratisbonenſem Epiſcopatum annis aliquot fama maxima, virtute- " que integerrima gubernavit; donec ipſum Rudolphus Imp. Archi-Epiſcopum " Pragenſem juſſiſſet. Romani tres conſequenter Pontifices ſuum eſſe Camera- " rium voluerunt. . . . Sedit in Pragenſis Eccleſiæ ſolio annis 13., menſibus pro- " pe quinque. &c." *Hæc, quibusdam omiſſis, ex cit. Schmidlio* pagg. 419. & 420.

Digitized by Google

STATUTUM SYNODALE

ERNESTI, (*) ARCHI-EPISCOPI COLONIENSIS,

De Inveſtitione, & Profeſſione utriusque ſexus Regularium anno 1605. *undecima Septembris editum,*

CONFIRMATUM

A PAULO V. PP.

Anno Chriſti MDCVII. Ejusd. Pauli V. PP. III. Rudolphi II. Imp. XXXI.

PAULUS PAPA V.

VENERABILIS FRATER &c. APOSTOLICAM BENEDICTIONEM.

SIngularis Tuus Regularis diſciplinæ ac Religioſis conſervandæ zelus promeretur, ut ea, quæ deſuper a Te decreta & ſancita eſſe cognoſcimus, Apoſtolicæ firmitatis munimine roboremus. Cum itaque ſicut Tuo nomine Nobis nuper expoſitum fuit, Tu ad nonnullos abuſus in Religioſorum ad regularem vitam ingreſſu in Tua Diœceſi ingentes tollendos, & Religionis rigorem, quoad fieri poteſt, in viridi obſervantia manu tenendum, Statuta ac Decreta quædam ediderit hujusmodi ſub tenore, videlicet:

ERNESTUS, DEI GRATIA ELECTUS ET CONFIRMATUS ARCHI-EPISCOPUS COLONIENSIS, &c.

Abuſus circa ingreſſum Religionis.

QUia variæ audiuntur querelæ, quod in primo actu, & in ipſo religioſæ vitæ tyrocinio, nec non in Profeſſionibus, in Monaſteriis utriuſque ſexus Regularium, multæ & magnæ fiunt expenſæ, tam in ſumptuoſorum prandiorum, quam veſtimentorum & ſupellectilis, quo recipiendorum cellulæ adornantur, ac munerum cauſa, quæ Superioribus dari conſueverunt, unde quam plurimis ad vitam Monaſticam alioquin idoneis media frequenter præcluduntur, quo minus ad tam ſanctum inſtitutum pervenire poſſint. Illis quoque qui admiſſi ſunt, ſi forte vitam Monaſticam minus ſibi convenire experiantur (quod non raro accidit) & loco cedere velint, libertas recedendi adimitur, propterea quod ob ſolemnitatem ejusmodi prandiorum & aliorum actorum circa inveſtitionem habitorum, qui hominibus laicis profeſſionis formam exhibent, ſine apoſtaſiæ & infamiæ nota id facere nequeant, tum etiam quod ob ſumptus nimis magnos, qui recuperari nequaquam poſſunt, magnam partem Matrimonii ſui & alimentorum in ſequentem vitam neceſſariorum perdiderint.

Et circa Teſtamenta Profeſſorum, & eorum ſolemnes Exequias.

Deteſtabilis etiam corruptela quædam Monaſteria invaſit, qua Conventuales etiam Profeſſi ſeu Profeſſæ ex hac vita decedentes teſtamenta condere, & Abbatibus, vel Abbatiſſis, ſeu aliis Superioribus Monaſterii ſui certam quandam pecuniæ ſummam relinquere, pro ſolemnioribus exequiis, ſive etiam pro annuis obitus ſui memoriis peculium, ex quo Conventui refectio aliqua detur, deputare & aſſignare tenentur, vel ſi id factum non fuerit, tota ſupellex quæ in demortui cella relicta in hunc uſum vendi & diſtrahi debet; alioqui defuncti animæ hujusmodi charitatis officia & juſta nequaquam perſolvuntur; quæ quidem inſtituto vitæ monaſticæ repugnant, ipſos Conventuales præter proprietatis vitium,

(*) De Erneſto vide notata ſub finem Synodi ad Annum 1598.

Digitized by Google

tium, quod hac ratione incurrunt, per omnem vitam ſuam in congreganda hujusmodi pecunia ſolicitos ac diſtractos faciunt; amicos etiam, a quibus eam extorquere ſæpe coguntur, valde gravant.

Qualiter abuſus prædicti corrigendi.

Hinc ſtatuimus, & ordinamus, ut in primo actu, quo qualescumque perſonæ Religioni alicui primum deſtinantur, & habitum aſſumunt, ſive etiam ante, vel poſt illum actum, ante profeſſionem nullum omnino inſtituatur prandium, nulla Superioribus vel aliis quibuscumque dentur, nec per ipſos recipiantur dona, aut cellarum feneſtræ, imagines, vel tabulæ pictæ, ſtatuæ, ciſtæ, promptuaria, armaria, Sacrarum Reliquiarum thecæ, aut capſulæ, neque aliud quiddam, quo Novitii, vel Novitiæ cella potius adornatur, quam rebus neceſſariis inſtruitur.

Forma convivii die Inveſtitionis faciendi.

Si quæ tamen Sacræ Veſtitionis & Profeſſionis ultra communem & quotidianam portionem ex conſuetudine religionis in Monaſterio exiſtentibus ab antiquo data fuerit refectio, eam quidem non intendimus per hoc Statutum adimere, ſed ita moderari volumus, ut pro ſingulis Religioſis iſtius Monaſterii non amplius, quam dimidius florenus Colonienſis ſive duodecim albi in ſumptum ejusmodi refectionis a parentibus aut amicis Monaſterio numerentur.

Inveſtiendi modus.

Sacræ Religioni inveſtienda Virgo absque omni pompa & ſuperbo veſtitu, absque ullo comitatu parentum vel amicorum, puerorum aut puellarum ex ipſis penetralibus Monaſterii, & habitu, quo in Schola Monaſterii conſtituta, vel alias antea diebus ſolemnioribus conſueverat ad Sacram Communionem accedere, in publicum veſtienda procedat.

Nulla Virgini religioſæ habitu veſtiendæ aut profeſſionem facturæ pueruli JEſu præferatur ſtatua, ſed ejus loco exponatur in ſummo Altari in Venerabili Sacramento ipſe Virginum omnium Sponſus Chriſtus Dominus.

Convivium diei Profeſſionis.

Die Sacra Profeſſionis non alii invitentur ad convivium, quam qui vel ſanguine vel ſummo alio neceſſitudinis vinculo profeſſionem edituro aut edituræ conjuncti ſunt, qui ſine aperta ingratitudinis nota & gravi offenſione non invitari non poſſunt: hac tamen conditione, ut plures non admittantur convivæ, quam duodecim; procul hinc arceantur exquiſitæ dapes, abſint argentea atque aurea vaſa & pocula, nulla admittatur inſtrumentalis, aut vocalis muſica, nullæ ducantur choreæ, neque ulli conjunctis manibus in orbem ducti circuitus, ſed ſint frugalia omnia, ſit ſpiritualis lætitia, & in Deo Divinisque colloquiis recreatio; atque ante Veſperas, quæ ultra horam tertiam conſuetam non differantur, finienda.

Secundo autem die, multominus tertio, aut ſequentibus, nullus amicorum convivandi cauſa fiat acceſſus, nec in eſculentis, aut poculentis novi aliqui in Monaſteriis ſumptus fiant: ullave negotia aut anniverſaria Profeſſionis convivia, &c.

Prohibentur regalia & regitalia convivia.

Prohibemus etiam omnia convivia regalia, aut reginalia, nec non prandia & ſumptus, qui propter ſimiles quascumque cauſas fieri, & inſtitui ſolent.

Plures concurrentes uno die eodem ſumptu profiteantur.

Si plures in eodem Monaſterio ejusdem curſus fuerint Novitii aut Novitiæ, ii non diſtinctis diebus, ſed uno atque eodem tempore ſimul profeſſionem faciant, & una atque eadem opera unoque ſumptu tempus, moleſtia & ſumptus redimantur.

Nemini liceat peculium colligere.

Nemini Religionem ſeu vitam Monaſticam Profeſſo aut Profeſſæ liceat teſtamentum condere, peculium colligere, Superioribus, vel aliis quibuscumque certam pecuniæ ſummam poſt mortem relinquere, vel pro ſolemnibus exequiis, aut pro annuis obi-

Digitized by G

tus ſui memoriis, vel pro ſimilibus cauſis quidquam deputare vel aſſignare, &c.

Pœnæ contravenientium his Statutis.

Ut vero hæc ſanctiſſime conſtituta optatum ſortiantur effectum, & nuſquam hiſce Sanctionibus, adeoque Spiritui Sancto pertinaciter reſiſtatur, præter excommunicationem ferendæ ſententiæ, quam contra delinquentes Abbates, Commiſſarios, Viſitatores, Prælatos, Rectores, Confeſſarios, aliosque inveſtitionis actum facientes, vel Profeſſionem excipientes, ſimiliter contra Abbatiſſas, Magiſtras, Prioriſſas, Matres, aliasque Sanctimonialium Rectrices, Præfectas & inveſtitionem ejusmodi promoventes vel admittentes in his ſcriptis & præſentium tenore comminamur, a qua excommunicatione, non niſi a Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario abſolvi valeat, quando lata fuerit, præter alias ordinarias ac arbitrarias pœnas certo infligendas.

Pœnæ arbitrariæ certo infligendæ.

Nullus poſtea, eo loco, ubi contra, quam præſcripſimus, actum fuerit, inveſtiatur, aut profeſſionem faciendam admittatur.

Morientes quoque, qui teſtamenta condiderint, ſeu aliquid præſcriptorum de exequiis, aut annuis obitus ſui memoriis ordinaverint, aut Superioribus vel aliis quibuscumque pecuniam, aut peculium aſſignaverint, Eccleſiaſtica priventur ſepultura.

Superiores vero & alii, qui pecuniam vel peculium tali modo exegerint aut receperint, vel ordinationibus ſcriptis conſenſerint, aut admiſerint, a Prælaturis & officiis ſuis ſint ſuſpenſi, donec transgreſſores ad obedientiam venerint, & Nobis pro exceſſibus ſuis ſatisfecerint.

Prælegenda hæc Ordinatio inveſtiendis, & Profeſſionem edituris.

Mandamus proinde Fiſcalibus omnibus, ut omnes diligentiæ & vigilantiæ nervos intendant, ne quid ab eis deſideretur officii in facienda inveſtigatione, ac delatione hujusmodi exceſſuum, qui ne qua per aliquam ignorantiæ rimulam denuo alibi irrepant, aut per inolitæ vitioſæ, & corruptæ conſuetudinis januam palam ingrediantur, volumus, ut quotiescumque aliquis inveſtiendus aut Profeſſionem editurus eſt, hæc noſtra Conſtitutio in congregatione omnium iſtius Monaſterii Profeſſorum publice legatur uno menſe ante inveſtitionem, & profeſſionem, eademque per Superiores Monaſterii pleniſſime explicetur parentibus & amicis inveſtiendorum, atque profeſſionem editurorum, eosque præmoneant, ut omnibus modis huic noſtræ Sanctioni obedienter acquieſcant, & ſatisfaciant.

Præcipimus præterea Viſitatoribus, & Rectoribus omnibus, ut eandem per ſingulos articulos in omni viſitatione, & aliàs quotiescumque videbitur, vigilantiſſime inquirant, examinent, & vindicent.

Præter Ordinarium alius Extraordinarius Confeſſarius bis aut ter in anno Sanctimonialibus offerendus.

Inſuper cum ob graves cauſas frequenter mandatum ſit, ut Virginibus Sanctimonialibus præter ordinarium Confeſſarium bis aut ter in anno alius extraordinarius Confeſſarius offeratur, qui omnium confeſſiones audire debet; & necdum ſatis pro afflictarum conſcientiarum conſolatione ea res in uſum ubique venerit, quin ſuperſit juſtæ querelæ locus, ſub pœna excommunicationis ſententiæ mandamus Abbatibus, Prælatis, Rectoribus, Confeſſariis, Monaſteriorum Præfectis, ad quos hæc cura aliquo modo pertinere dignoſcitur, ut quot annis Sanctimonialibus ſuis bis aut ter aliquem a Nobis, aut noſtro in Spiritualibus Vicario approbatum Confeſſarium extraordinarium, ſive ſæcularem, ſive regularem, qui omnium confeſſiones audiat; nimirum in principio Quadrageſimæ, ad Feſtum Aſſumptionis Beatæ Mariæ Virginis, circa Feſtum omnium Sanctorum, ſeu in principio Adventus Domini, aut aliis temporibus magis opportunis. Et ut Nobis conſtet quinam & quales iſti extraordinarii Confeſſarii ſint; & ne juſta fieri poſſit contra perſonam exceptio, tenebuntur

tur ſingulorum Monaſteriorum Prælati, Præfecti, aut Rectores, quibus incumbit hujusmodi Confeſſarium nominare, ſuorum Confeſſarii ordinarii, & extraordinarii nomen, Nobis aut noſtro in Spiritualibus Vicario quot annis ſcripto exhibere ante Dominicam Quinquageſimæ. Datum Arnsburgi, anno 1605. die undecima menſis Septembris.

Præfatæ Conſtitutiones confirmantur autboritate Apoſtolica.

CUm cupias præinſerta Statuta ſeu Decreta a Te edita, pro majore iſtorum firmitate, & firmiori obſervantia, Apoſtolica auctoritate confirmari, Tuo nomine Nobis fuit humiliter ſupplicatum, ut in præmiſſis opportune providere de benignitate Apoſtolica dignaremur.

Nos igitur Te ſpecialibus favoribus, & gratiis proſequi volentes & a quibusvis ſuſpenſionis & interdicti, aliisque Eccleſiaſticis cenſuris & pœnis a jure vel ab homine quavis occaſione vel cauſa latis, ſi quibusdam quomodolibet innodatus exiſtis, ad effectum præſentium duntaxat conſequendum harum ſerie abſolventes, & abſolutum fore cenſentes, hujusmodi ſupplicationibus inclinati, præinſerta Statuta, ſeu Decreta a Te edita, de Venerabilium Fratrum noſtrorum S. R. E. Cardinalium negotiis regularium Præpoſitorum conſilio Apoſtolica auctoritate tenore præſentium approbamus & confirmamus, illisque omnibus & ſingulis Apoſtolicæ firmitatis robur adjicimus, ſupplentes omnes & ſingulos tam juris, quam facti defectus, ſi qui intervenerint in eisdem, Tibique ut Statuta & Decreta ſupra inſerta inviolabiliter obſervari facere poſſis ac valeas, concedimus & indulgemus, non obſtantibus Conſtitutionibus, & Ordinationibus Apoſtolicis, nec non quorumcumque Monaſteriorum, Conventuum, & Ordinum etiam juramento Confirmatione Apoſtolica vel quavis firmitate alia roboratis, ſtatutis, & conſuetudinibus, privilegiis quoque, indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, & confirmatis, & approbatis; quibus omnibus & ſingulis, eorum tenores pro expreſſis habentes, hac vice dumtaxat harum ſerie ſpecialiter, & expreſſe derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque. Datum Romæ apud Sanctum Marcum ſub annulo Piſcatoris, die ſexta Junii 1607. Pontificatus noſtri anno Tertio.

Cl. Chapeavillus in geſtis PP. Leod. Tom. III. pag. 645. Lunig Spic. Eccl. Cont. I. P. pag. 873.

SYNODUS PROVINCIALIS MECHLINIENSIS,

Præſidente Rdmo & Illmo in Chriſto Patre ac Domino,
D. MATTHIA HOVIO,
Archi-Epiſcopo Mechlinienſi,
Præſentibusque omnibus Epiſcopis Comprovincialibus.

HABITA

Anno Chriſti MDCVII. Pauli V. PP. III.
Rudolphi II. Imp. XXXI.

CONVOCATIO CONCILII PROVINCIALIS MECHLINIENSIS.

MATTHIAS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA ARCHI-EPISCOPUS Mechlinienſis, RRmis DDnis Epiſcopis Comprovincialibus ſuis, totique Clero, & univerſo populo Diœceſis ac Provinciæ Mechlinienſis, Salutem in Domino.

DOcet nos Evangelium, dormientibus hominibus, in agro Dominico ab inimico ſuperſeminari zizania: quo fit, ut in Eccleſia Dei nunquam hæreſes, nunquam deſint ſcandala.

dala. Quapropter maxime neceſſarium eſt non dormire, ſed ſemper vigilare Paſtores Eccleſiæ, ut in ea, vel non ſuperſeminentur depravatæ doctrinæ, morumve zizania, vel ſi ſubnaſci aliqua cæperint, tempeſtive opprimantur, aut evellantur: atque ideo etiam conſuetudinis ſemper fuit, jam inde ab Apoſtolorum temporibus, in Eccleſia Dei Synodos & Concilia cogere; per quæ Superiorum Eccleſiaſticorum communi vigilantia, conſilio ac decreto, dictis malis occurreretur, & ſanæ doctrinæ puritas & morum integritas illibata conſervaretur; ut ex omnium ſæculorum Hiſtoriis, & Conciliorum Decretis, quæ etiamnum in omnium manibus ſunt, manifeſtiſſime conſtat. Quapropter etiam SSta Synodus Tridentina merito mandavit omnibus Metropolitanis, ut ſingulis trienniis convocatis omnibus Comprovincialibus ſuis, Provinciale Concilium celebrent; eidemque Sacro Decreto mox a dicto SSto Concilio Tridentino abſoluto, anno ſcilicet ſeptuageſimo, Mechliniæ obediri voluit Illuſtriſſimus & Reverendiſſimus D. Cardinalis Granvellanus, piæ memoriæ, primus Archi-Epiſcopus Mechlinienſis, quantumvis ob neceſſarias cauſas extra Provinciam ſuam degens: ac deinde rurſum anno ſeptuageſimo quarto Lovanii. Sed cum anno ſeptuageſimo octavo ingraveſceret bellum civile, & mox tota hæc regio ferro flammæque tradita videretur, ſic ut ſeptem Civitatum Epiſcopalium hujus Provinciæ duæ tantum immunes manerent ab oppreſſione Hæreticorum, ac proinde omnia paſſim Capitula diſpergerentur, Monaſteria exterminarentur, Parochiales Eccleſiæ devaſtarentur, itinera denique omnia latronibus infeſtarentur, totusque Clerus proſcriberetur, proſligareturque; neceſſario intermitti debuit ſanctum hoc opus cogendorum Conciliorum Provincialium, cum tamen iis alioqui maxime opus videri poſſet, ob effuſam ubique hæreſim, & morum corruptelam. Nunc autem per Dei miſericordiam, & Regis ac Principum noſtrorum Catholicorum non minus ſumptuoſam quam laborioſam ſolicitudinem, nonnihil mitigata calamitatis acerbitate, re communicata cum Reverendiſſimis Dominis Fratribus noſtris Comprovincialibus, ac cum Venerabilibus Dominis in Chriſto Nobis plurimum dilectis Decano & Capitulo Eccleſiæ noſtræ Metropolitanæ, nec non cum Vicariis noſtris, Synodi Provincialis convocationem exiſtimavimus non diutius differendam; ſed eam proxima hac æſtate, Deo opitulante, celebrandam, idque prout etiam Sereniſſimæ S. Celſitudini viſum eſt, in Civitate Mechlinienſi, Eccleſiaque noſtra Metropolitana. Quapropter Reverendiſſimos in Chriſto Patres, ac Fratres, Gandenſem, Silvæducenſem, Ruremundanum, Brugenſem, Antverpienſem, & Iprenſem, ipſorumque Cathedralium Eccleſiarum Capitula, ac alios quoscumque, qui de jure vel conſuetudine Concilio Provinciali intereſſe debent, ſerio requirimus, hortamur, & monemus; & nihilominus pro auctoritate noſtra Archi-Epiſcopali, eisdem, & eorum ſingulis, in virtute ſanctæ obedientiæ, ac ſub pœnis a jure ſtatutis, diſtricte præcipimus & mandamus; ut per ſemetipſos, aut ſi forte juſto detineantur impedimento (de quo competentem fidem facere tenebuntur) ſaltem per Procuratores ſuos legitimos, ad dictam Synodum, & Concilium Provinciale in dicta Civitate Mechlinienſi celebrandum die 25. Junii, poſtridie ſcilicet S. Joannis Baptiſtæ præſentis anni milleſimi ſexenteſimi ſeptimi, conveniant ac compareant. Ipſique Reverendiſſimi Comprovinciales noſtri, quoscumque ſuarum Diœceſium reſpective Abbates, Prælatos, Capitula & Conventus, aliosque, qui de jure vel conſuetudine intereſſe debent ad hanc Synodum, tunc quoque comparere faciant; ad nobiscum, de modo & ratione, quibus errantes a fide ad Eccleſiæ gremium revocari, vitia, abuſus, & ſcandala tolli, & Eccleſiaſtici Officii ratio in melius reformari valeat, aliisque ad hanc rem pertinentibus & neceſſariis, tractandum, conſultandum & deliberandum, ac demum per Nos cum præfatis Reverendiſſimis Fratribus & Coepiſcopis Suffraganeis noſtris, prout opportunum videbitur, Deo aſpirante, concludendum, decidendum & ſtatuendum. Ut autem præſentes noſtræ literæ, ad omnium, quorum intereſt, notitiam perveniant, earum exempla per Secretarium noſtrum ſubſignata, ac contra ſigillo noſtro munita, valvis ſingularum Eccleſiarum Cathedralium noſtræ Provinciæ, nec non Collegiatarum S. Petri Lovanii & S. Gudilæ Bruxellæ, affigi volumus; ac eos, quos concernunt, ſic arctari, ac ſi ipſismet coram prælectæ & inſinuatæ forent, decernimus & declaramus: cum intimatione, quod ſive ad dictam diem comparuerint, ſive non, nos nihilominus ad dictæ Synodi Provincialis celebrationem procedemus, & procedi faciemus, prout juris fuerit & rationis, abſentium contumacia in aliquo non obſtante. Datum Mechliniæ in Palatio noſtro Archi-Epiſcopali, pridie

Digitized by Google

pridie Kalendas Martii, anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo.

† *De Mandato Rmi & Illmi Domini Archi-Epiſcopi Mechlinienſis.*

Jac. van Saſſeghem Secret.

DECRETUM,

Quod nulli præjudicium fiat ex ordine evocationis aut Seſſionis in hac Synodo:

Pronunciatum a Secretario Concilii die XXVI. Junii anni M.DC.VII.

HAbita cum noſtris Confratribus Epiſcopis Comprovincialibus ſuper ordine Eccleſiarum matura communicatione; de ipſorum conſilio & aſſenſu, ad evitandas quæſtiones, quæ inde in principio oriri poſſent, declaramus omne id ſine præjudicio ordinis & honoris futurum, quicquid in præſenti Provinciali Concilio accidet, ex Eccleſiarum evocatione, aut Deputatorum ſeſſione: quodque nemo per hoc aliquid novi juris quoquo modo prætendere poterit in futurum. Ne tamen quæſtiones de ordine Eccleſiarum cum alicujus injuria diſſimulare velle videamur, liberum erit omnibus, ſuo tamen loco, rationes, ſi quas habeant, proponere a Patribus examinandas.

ORATIO EXHORTATORIA,

HABITA

per Rdiſſimum & Illmum Dominum ARCHI-EPISCOPUM MECHLINIENSEM ad univerſum Clerum in Concilio Provinciali jam congregatum.

REVERENDISSIMI PATRES,
REVERENDI AC VENERABILES DOMINI:

GRatias Divinæ Bonitati ago, quæ in dira hujus belli tempeſtate animos vepermovit, vosque in itinere ſic conſervavit, ut ad hunc ſacrum cœtum ſalvi conveniretis: ubi jam mihi incumbit, vobis aperire cauſas hujus convocati Concilii, & ejus celebrandi modum aliquem proponere. Quod quidem non videor commodius facturus, quam ob oculos ponendo exhortationem pientiſſimi & zeloſiſſimi Principis Nehemiæ, cujus hæc ſunt verba: (a) *Vos noſtis afflictionem, in qua ſumus, quia Jeruſalem deſerta eſt, & portæ ejus conſumptæ ſunt igni. Venite, & ædificemus muros Jeruſalem, & non ſimus ultra opprobrium.* Qua quidem exhortatione vir ſanctus ac prudens alloquitur contribules ſuos de tribu Juda & Benjamin, jam ex Perſica captivitate reduces: qui cum ipſo in afflictione erant, eo quod templum invenirent conflagratum, ac nata in eo virgulta & arbuſta; Sacerdotes Levitasque profligatos, clauſa jam ora canentium Dominum, (b) defeciſſe Sacrificia Officiaque Divina, neglectas plane contemptasque ſanctæ Legis cæremonias, muros Jeruſalem devaſtatos, populum commixtum fuiſſe inter gentes, & didiciſſe opera eorum; (c) bonam denique Iſraelitarum partem adhuc inter Atheos detineri captivam; ac præter hæc omnia, ſe undique Dei ſuisque hoſtibus circumcingi: idque (quod plurimum eos angebat) propter ipſorum peccata, dicente Jeremia Propheta: (d) *Peccatum peccavit Jeruſalem, & ideo inſtabilis facta eſt.* Quod etiam flebiliter Deo confitebantur Daniel, (e) Eſdras, (f) & Nehemias. (g) Sed hæc illorum afflictio fuit. Nunc noſtram inſpiciamus, neque ei abſimilem reperiemus. Quot enim nunc templa exuſta? Quot Monaſteria paſſim vaſtata? Quot altaria everſa, quot polluta videmus? atque utinam non multo plura viva Dei Templa præteriti temporis tempeſtate, non tantum in Hollandia, Zelandia, Geldria, Friſia, ac Tranſiſulana, verum & in multis Brabantiæ locis, diabolo ceſſiſſent! Quot infauſtis hiſce temporibus abuſus, quot ſcandala ſubnata ſunt? Dei miniſtrorum numerus quomodo imminutus eſt, ut, cum in ſingulis pæne Parochiis plures eſſe ſoleant, qui laudes Deo perſonarent, cultum Divinum ac Sacrificia ad Deum populo placandum concelebrarent, nec non verbo Dei, Sanctiſſimisque Sacramentis populum paſcerent, nunc in oppidis quidem pauci ſint, in pagorum multis Eccleſiis nulli: & inter eos ipſos, quos populi neceſſitatibus Divina clementia reliquit, eheu! quam multi adhuc neceſſariis vitæ deſtituti? Quam multi denique morum correctione indigent? Scholæ grammaticales pleræque omnes detecere

(a) 2. *Eſdr.* 2. (b) *Eſth.* 13. (c) *Pſ.* 105. (d) *Thren.* 1.
(e) *Dan.* 3. (f) 1. *Eſd.* 9. (g) 2. *Eſd.* 1.

fecere; Catechiſticæ paucæ ſunt; pauca Seminaria Sacerdotum, eaque ipſa parum dotata. Et quod omnium maxime deplorandum eſt; quam multis in locis Officium Divinum Deum populo irritat magis quam conciliat, ob id celebrantium nauſeam ac præcipitantiam, ob paramentorum ſordes & contemptibilem vilitatem, atque ob veterum ſanctarum auguſtarumque cæremoniarum neglectum & contemptum? Quantum in multorum animis, ex converſatione cum hæreticis hic multis annis paſſim dominantibus, pravi fermenti hæſit, imo & hæret etiamnum? Quot in populi manibus pernicioſi relicti ſunt libri, ceu quædam gentium idola? Et ut mala cuncta breviter recenſeam; quantus denique numerus fratrum, conſanguineorum, & amicorum noſtrorum adhuc ſub diro illorum jugo in vicinis Provinciis detinetur, cum graviſſimo periculo animarum ſuarum? Quæ quidem omnia in vindictam peccatorum noſtrorum indubie patimur, dum gratiam Dei in vacuum accepimus; (*b*) dum arida ligna manſimus, (*i*) non reddentes fructum Domino vineæ, (*k*) neque charitatem veritatis habuimus; (*l*) dum anima noſtra nauſeavit ſuper manna noſtro, (*m*) nimirum, verbo Dei & Sacroſanctis Sacramentis, quaſi cibo leviſſimo; & Domus orationis, cultusque Divini, neglecta, ſordibus horruit, & non niſi ſolis labiis in ea Deus honorari viſus eſt. Sane, his & infinitis aliis Eccleſiæ Belgicæ malis qui non affligitur, qui non uritur, ob hæc qui non gemit, aut pie luget, nec calidus eſt, nec frigidus; (*n*) & nullius minus, quam Eſdræ, quam Nehemiæ imitator. Quid ergo a nobis omnibus hæc Eccleſiæ Dei facies requirit, Patres Reverendiſſimi, & Fratres, quotquot adeſtis, Chariſſimi? Anne, ut ſuaviter ſedentes, otioſi, ſpectemus ipſius collabentis miſeriam, nec aſcendamus ex adverſo opponentes murum pro domo Iſrael: (*o*) nihil patientes ſuper contritione Joſeph? [*p*] & quaſi per viam, [*q*] id eſt, obiter, & ex occaſione tantum ſalutantes ac ſalvantes ſubditos noſtros, lana honoris & lacte utilitatis [*r*] ex grege nobis commiſſo contenti, ac interim quod perit, non requirentes? Abſit, abſit inquam. Quia, teſte D. Auguſtino, (*s*) *ut nihil eſt in hac vita, & maxime hoc tempore, facilius, lætius, & hominibus acceptabilius Epiſcopi, Presbyteri, aut Diaconi officio, ſi perfunctorie atque adulatorie res agatur; ita nihil apud Deum miſerius, & triſtius, & damnabilius.* Et quidem videri poſſemus perfunctorie egiſſe, quod dictis malis per Concilium occurrere non ſtuduerimus, præſertim id ſerio mandante Sacro Concilio Tridentino: verum id, ob belli impedimenta, ac ſpem rerum tranquilliorum, ac proinde etiam majoris fructus, uſque nunc differendum prudenter judicabat Illmus & Rmus Dominus Octavius Frangipani, Archi-Epiſcopus Tarentinus, Nuncius Apoſtolicus, pridem hinc digreſſus. Nimirum, quia poſuit præteritis annis Deus tenebras, horam ſcilicet & poteſtatem tenebrarum, & facta eſt nox; in ipſa pertranſierunt omnes beſtiæ ſilvæ, (*t*) brutales nimirum illi itinerum infeſtatores, necnon etiam hæretici, ut catuli leonum rugientes, ut rapiant eſcam ſibi, animas a Deo deſertas. Sed dum nunc videtur oriri ſol induciarum, & ſperatæ pacis, & in cubilibus collocantur hi catuli: juſſi nimirum intra ſua præſidia ſe continere, exibit homo ad opus ſuum: tempus ſcilicet eſt, ut pio nunc operi accingamur, nunc bona conſilia ineamus ad mundanda Sancta, (*u*) & renovanda; ne diutius quieſcentibus nobis exprobret per Prophetam ſuum Zachariam Deus: [*x*] *O Paſtor & idolum derelinquens gregem.* Si ſcilicet cum oculos, ut idolum, habeamus, nec tamen oſtendamus nos videre abuſus & ſcandala per nos corrigenda: pedes, ut idolum, ſed perambulare gregem Dominicum non lubeat; nec clamemus in gutture noſtro, quantumvis lupum graſſari intelligamus: nares quidem habeamus, nec tamen ſubodoremur, quo hæc mala tendant omnia, quid nobis, quid ovibus noſtris ſint allatura. Conſilio igitur Nehemiæ acquieſcamus, & quid porro dicat, audiamus: *Venite, & ædificemus*, inquit, *muros Jeruſalem.* Qua quidem exhortationis voce (*Venite*) nullam profectionem corporalem requirebat, jam exiſtentibus in Judæa hæc loquens; ſed animorum conjunctionem in opus, quod præ manibus erat, quam & obedienter mox præſtabant, dicente Scriptura: (*y*) Quod congregata ſint in opus quadraginta duo millia virorum, quaſi vir unus; id eſt, omnes in eumdem ſcopum collimantes, omnes idipſum concorditer agentes. Quod & nobis omnibus ad hanc congregationem convenientibus ſummopere obſervandum erit, ut ſimus, quaſi vir unus, & nihil æque caveamus, atque contentionis ſtudium; quo [quod abſit] oboriente, nihilo amplius fecerimus, quam qui turrim Babylonicam moliebantur (*z*) jam diviſis inter ſe linguis.

(*b*) 2. *Cor.* 6. (*i*) *Luc.* 13. (*k*) *Matth.* 21. (*l*) 2. *Theſſal.* 2.
(*m*) *Num.* 21. (*n*) *Apoc.* 3. (*o*) *Ezech.* 13. (*p*) *Amos* 6.
(*q*) *Luc.* 10. (*r*) *Ezech.* 34. (*s*) *S. Aug. Epiſt.* 148. (*t*) *Pſalm.* 103.
(*u*) 1. *Macbab.* 4. (*x*) *Zachar.* 11. (*y*) 1. *Eſd.* 2. (*z*) *Gen.* 11.

guis. Rogo itaque vos omnes obedire Apoſtolo dicenti: (a) *Obſecro autem vos fratres per nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti, ut idipſum dicatis omnes, & non ſint in vobis ſchismata.* Proponere quidem, & ſuggerere cuique licebit, quod ad rem pertinere putaverit; ſed ut hoc non niſi ſuo loco & ordine fiat, nec importuna ſuggeſtione quisquam perturbet, ſignificabuntur omnibus capita ſeu tituli agendorum, & eorum ordo, quo ſuo loco & tempori quisque ſuum conceptum reſervet. Interim vero ſapere apud ſemetipſum, aut, quod hinc naſci ſolet, pro ſententia ſua, quam Chriſtiana humilitas aliorum judicio ſubjicere mandat, decertare aut contendere nemo præſumat, memor dicti Apoſtolici: (b) *Si quis autem videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.* Et alte quisque recogitet admonitionem Jacobi Apoſtoli, qui cum initio Capitis tertii Epiſtolæ ſuæ dixiſſet: (c) *Nolite plures Magiſtri fieri, fratres mei, ſcientes quia majus judicium ſumitis;* addit in fine: *Quod ſi zelum animarum habetis, & contentiones ſint in cordibus veſtris, non eſt iſta ſapientia de ſurſum deſcendens a Patre luminum, ſed terrena, animalis, diabolica.* Et porro indicans, quando quis exiſtimare poſſit ſe vere ſapere, ſubnectit: *Quæ autem de ſurſum eſt ſapientia, primum quidem pudica eſt, deinde pacifica, modeſta, ſuadibilis, bonis conſentiens.* O vere aurea verba! quæ vel ſola merito ſufficiant ad hæreſes omnes extinguendas, ad pertinaces omnes confundendos, ad diſcordes omnes conciliandos. Quare qui pudicam non habet ſapientiam, id eſt, non verecunde ſententiam ſuam profert; qui modeſtam ſapientiam non habet, id eſt, non humiliter de ſuo judicio ſentit; qui bonorum ſuaſionibus acquieſcere reſpuit, ideoque ſuadibilis non eſt, qui non veretur a bonis diſſentire, liquido cognoſcat non eſſe ſapientiam ſuam de cœlo a Patre luminum, ut pro ejus defenſione contendere debeat. Et magnopere præterea nobis conſiderandum eſt, quod de naſcente Eccleſia refert Beatus Evangeliſta Lucas, (d) nimirum fidelibus fuiſſe omnibus cor unum, & animam unam: quorum hic, ſi unquam alias, fidos imitatores nos eſſe convenit. Unde & ſe quisque ſuſpectum habere debet, ne ſui ſenſus amantior impios Sanaballath & Tobiam plus referat deſtruentes, (e) quam pios Nehemiam & Eſdram ædificantes. Nam, ut ait Sapiens, (f) *unus ædificans, & unus deſtruens, quid prodeſt illis, niſi labor?* Sed pergamus, & quid porro Nehemias moneat, videamus. Poſtquam enim is per verbum [*Venite*] animorum unionem indixerat, non minus, quid nobis nunc, quam quid illis tunc agendum erat, conſequenter deinde expreſſit: *Ædificemus*, inquit, *muros Jeruſalem.* Ad id nempe, quadraginta duo millia virorum convenerant, huic operi, quaſi vir unus, incumbebant. Illud ipſum & nobis nunc cordi ſit, huic ſedulo intendamus, ad quod tanto numero convenimus: nam hæc eſt ratio, hic unicus ſcopus hujus convocati Concilii, ut videlicet, unanimi ſtudio, & ut ſapientes Architecti Eccleſiæ collapſa reſtauremus, (g) angulari lapidi pie ſuperædificantes. At videat unusquisque, inquit Apoſtolus, quomodo ſuperædificet: nam fabros ſpirituales eſſe Sacerdotes & Eccleſiæ Paſtores teſtatur Deus, loquens Jeremiæ Prophetæ, qui erat de Sacerdotibus Anatoth: (h) *Ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & regna, ut evellas & deſtruas, ædifices & plantes.* Evellamus igitur, quæ in agro Dominico deprehenderimus ſuccreviſſe zizania, quæque in atriis Domini ſubnata virgulta: deſtruamus male fabricata per præteritorum temporum nimiam licentiam: plantemus e diverſo ſalutarium legum, Sanctarumque Conſtitutiouum ſurculos, unde piorum operum & vitæ veræ Eccleſiaſticæ fructus proveniant: & dum ſinguli non poſſumus omnia, Nehemiæ ſapientiam ſequamur; ut, quemadmodum ille plurimos in fabricam ſuam conquirebat operarios, ita & nos hic ſoliciti ſimus de creandis Paſtoribus, præcipuam curam in hoc Concilio gerentes circa erectionem & dotationem Seminariorum: (quod & præ cæteris voluit nobis eſſe cordi S. Concilium Tridentinum) ut in iisdem multi adaptentur Paſtoratui; quia meſſis ubique multa, [i] ſed operarii, cheu! nimis pauci. Deinde ubi Paſtores aſſumpſerimus, & hoc nobis ſerio curandum venit, ne ii ipſi fraudentur cibo ſuo, aut corum neceſſitatibus quid deſit in hac tanta annonæ caritate: (k) qui enim bene præſunt Presbyteri, duplici honore digni haberi debent, ne tædio per inediam ſuperati, ſtationem ſuam deſerant. Sed & aliud factum nobis [l] in Nehemia imitandum occurrit: quod videlicet, ſicut is, diſtributis oneribus, certas murorum rupturas certis familiis ſarciendas deſtinabat, donec omnes in unum conſolidarentur; ita & diverſis hic diverſa incumbent munera, ut nimirum alii proponant, alii reſolvant & decernant: alii Secretarii ſint, alii negotiorum Promotores: hi quæ ad Theologiam, alii quæ ad jus perti-

(a) 1. *Cor.* 1. (b) 1. *Cor.* 11. (c) *Jac.* 3. (d) *Act.* 4.
(e) 2. *Eſd.* 4. (f) *Eccli.* 34. (g) 1. *Cor.* 3. (h) *Jerem.* 1.
(i) *Matth.* 9. (k) 1. *Tim.* 5. (l) 1. *Eſd.* 3.

pertinent, ſubminiſtrent : ſicque gratiam quisque ſibi datam in alterutrum (*m*) (ut loquitur Apoſtolus) adminiſtrabit. Omnia vero noſtra in charitate fiant, (*n*) & unus tam pii operis conſummandi ſcopus nos connectat, & quaſi virum unum efficiat. *Ædificemus & plantemus* a nobis ipſis inchoando; ſuum videlicet quisque, ac domeſticorum ſuorum hortum, primum zizaniis expurget, & inde veteris hominis rudera removeat : atque ut ipſimet imprimis tamquam lapides vivi Chriſto ſuperædificemur, [*o*] ſerio ſinguli noſtrum per veram pœnitentiam, jejunia, eleemoſynas, devotas preces, piaque ac frequentia Sacrificia, ad Deum recurramus ; enixe rogantes, ut nos Spiritu ſuo dirigat, & recta ſapere concedat, ſuggeratque ſervis ſuis, quæ ad renovationem Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quæque ad bonam ac ſalutarem populi ſui directionem neceſſaria novit: ſicque benigne faciat in bona voluntate ſua Sion , [*p*] ut per pia, ſanaque conſilia, ac Decreta noſtra, ædificentur muri Jeruſalem ; atque ita noſtras, omniumque nobis ſubditorum, juxta dictum Apoſtoli Petri, [*q*] caſtificet animas in obedientia charitatis: id eſt, omnium mentes ita purificet , omniumque oculum ac intentionem tam ſimplicem faciat , ut ex imis præcordiis quisque ſe oſtendat diligere decorem Domus Dei, prompte obediendo in hac Sacra Congregatione decernendis ; nam ſine vera perfectaque obedientia , nullus Concilii fructus. Nemo igitur contra id quod verum, juſtum, & ſanctum eſt, quod Canonibus veteribus , quod denique novo juri Sacro ancti Concilii Tridentini conforme, ſui Capituli , ſui Monaſterii, ſuæ Eccleſiæ conſuetudines alleget: ſed evelli obedienter patiatur, quod per inolitam conſuetudinem male ſuccrevit, ut meliori plantæ locus fiat : nemo hic jus acquiſitum contra jus in Sacris Canonibus aut Sancto Concilio Tridentino ſancitum alleget: [*r*] nemo altare contra altare erigat : nemo privilegia contra intentionem dantis extendat, aut abrogata obtendat: nemo denique ſe a Dei Lege, aut Apoſtolicæ Sedis delegatis , exemptum putet. Hortor autem vos paucis , cum Apoſtolo dicente: (*s*) *Obedite Præpoſitis veſtris, & ſubjacete eis; ipſi enim pervigilant tamquam rationem reddituri pro animabus veſtris.* Serio conſideret quisque, nullum agrum, nullum hortum tam bene excultum, qui non ſubinde indigeat expurgatione & raſtro : nullam quoque tam exacte ædificatam domum, quæ non aliquando reſtaurationem requirat. Quocirca & mira providentia Spiritus Sanctus Eccleſiam ſuam regens , per Sacrum Concilium Tridentinum mandavit, in omni Provincia Concilium ſingulis trienniis, in omni Diœceſi ſingulis annis cogendum. Quod totum indubie fruſtraneum & illuſorium erit, niſi adſit, ut ante diximus, vera obedientia: quæ ubi deeſſe ſolet, & Conciliorum celebratio , & ipſa quoque Religio tandem perire ſolet. Quamobrem & ſic comminatur Deus per Prophetam Oſee: (*t*) *Veruntamen unusquisque non judicet, & non arguatur vir ; populus enim tuus ſicut ii, qui contradicunt Sacerdoti. Et corrues hodie*, & *corruet etiam Propheta*, id eſt, prophetia, *tecum.* O terribiles Dei minas ! O peccatum grande & exoſum nimis Divinæ Majeſtati contradictio ! O infelicem, o miſeram, inquam, regionem illam, ubi in tantum invaluit ſpiritus contradictionis erga Paſtores Eccleſiæ, ut, dum nullus ſequitur fructus, Deus ipſe ſuadeat non judicari, id eſt, puniri ; non, inquam, redargui virum, quod contradici ſoleat Sacerdoti, aliis ſemper atque aliis repertis contradictionis ac inobedientiæ coloribus. Audiant ergo tales, & hanc Prophetæ ſententiam ſerio ruminent: *Et corrues hodie*, id eſt, brevi. Cum enim per hunc ſpiritum contradictionis & inobedientiæ effuſa fuerit contemptio ſuper Principes, (*u*) illorum nimirum ſucceſſores, de quibus dicitur: *Conſtitues eos Principes ſuper omnem terram;* (*x*) errare hujusmodi facit Deus in invio viæ latæ, cujus noviſſima ducunt ad mortem, & non in via arcta & recta. Sed quid multa? Ad Eſdram & Nehemiam denuo recurramus; eorum prudentiam & animi fortitudinem conſideremus, aſſequamur, imitemur. Illi enim, ut multos patiebantur operi ſuo obgannientes ac contranitentes, multos item apud Regem Perſarum calumniantes, quales erant Beſellam & Tabeel, (*y*) qui odio, quo in piam hanc fabricam æſtuabant, prætexebant gratam memoriam ſalis, quod in Palatio regio comederant, atque animum impatientem læſionis Regis, ſeu jurisdictionis illius : illi, inquam, Divinæ protectioni difficultatem omnem ferventibus precibus committentes, nec non zelo ſuo fortiter inſiſtentes, una manu trullam ad operis provectionem, (*z*) altera gladium ad hoſtium averſionem geſtabant ; unde & Dei manum bonam ſuper ſe ſentiebant, atque opus ſuum feliciter conſummabant. Nos quoque juxta egregium hoc Nehemiæ & Eſdræ factum, in hac ſpirituali ædificatione ſemper quidem prudenter, ſed & non minus fortiter elaboremus ; nec extimeſcamus tam in decernendis ac ſtatuendis, quam etiam in

(*m*) 1. *Pet.* 4. (*n*) 1. *Cor.* 16. (*o*) 1. *Pet.* 2. (*p*) *Pſ.* 50.
(*q*) 1. *Pet.* 1. (*r*) *Joſ.* 22. (*s*) *Hebr.* 13. (*t*) *Oſee* 4.
(*u*) *Pſ.* 106. (*x*) *Pſ.* 44. (*y*) 1. *Eſd.* 4. (*z*) 2. *Eſd.* 4.

in exequendis bonis conſtitutionibus, vel domeſticorum, vel exterorum quorumcumque ſiniſtras machinationes; confidentes benigniſſimum Deum indubie cauſam ſuam judicaturum, ac fideles miniſtros ſuos directurum & protecturum: ut hac ratione cum Nehemia recte ſententiam concludamus: *Non ſimus ultra opprobrium.* Ante enim ſtupendæ pulchritudinis & toto orbe celebratum fuerat templum: Civitas item Regia, & circumvicinis omnibus imperitans, Jeruſalem; unde & Dominam gentium, & Principem Provinciarum eam nominat S. Jeremias, (*a*) quam nemo non ſuſpiciebat, reverebatur. Sed ecce, hæc flammis & depopulationi tradita, nunc deriſioni, ſannis atque opprobriis hoſtium exponebatur, dicentium: (*b*) Hæccine eſt urbs perfecti decoris, & gaudium univerſæ terræ? Judæi quoque ipſi (natio tam grandis & inclyta, ut haberet Deum appropinquantem ſibi, (*c*) quamque cœlum ſuo manna paſcebat, (*d*) ac mare rubrum, (*e*) & ipſe Jordanis extimeſcere videbatur, [*f*] quæque poſtmodum tanto fuit hominibus terrori, ut tria tantummodo millia Judæorum, (*g*) centum millia hominum in Antiochia trucidarint) in tantum a gentibus nunc contemnebantur & opprimebantur, atque adeo ipſis exoſi facti erant, ut & impune eos occidere liceret, & mortui, Regis juſſu, ſepultura privarentur, ut ex Tobiæ hiſtoria patet. [*b*] Quo tamen nihil Judæis accidere potuit gravius, quam quod hoc ipſum opprobrium in Deum redundare videretur, tamquam ſalvare nequiviſſet populum ſuum: [*i*] dum ejusdem Dei impotentiæ hoſtes aſſcriberent, quod alioqui peccatis ipſius populi imputandum erat; quodque hoc pacto nomen Dei blaſphemaretur in gentibus. Quemadmodum ergo ruina Templi, devaſtatio civitatis Jeruſalem, ac ipſius populi immanis depreſſio, magno opprobrio fuere Judæis: ita & nunc non minus nobis irriſioni ſunt, Templorum ac Monaſteriorum everſio, Eccleſiarum depauperatio, Sacerdotii quidam contemptus, atque hinc Presbyterorum exiguus numerus: hoſtium denique imperium in tot Catholicas Civitates. Ob quæ & alia nihil pæne ſonant hæreticæ conciones, quam improperia, & deſpectum Catholicæ Eccleſiæ & Religionis; in ſummam profecto veræ fidei noſtræ injuriam, ac proinde etiam ipſius Dei blaſphemiam: & præſertim dum temere in publicis literis, non ita pridem a nobis lectis, adverſarii noſtri jactare audent; quod Deus per eorum proſperitatem, & noſtram adverſitatem, teſtetur veritatem religionis ipſorum: quam tamen nonniſi perfidiam eſſe certo cognoſcimus. O ſuperbiam execrandam! o dira improperia! Hæccine diutius toleremus? Elaboremus, Patres, elaboremus, inquam, ut hanc adverſariis occaſionem evomendorum opprobriorum, quæ non tam ex fortitudine eorum, quam ex merito peccatorum noſtrorum, exque neglectu animarum officiique noſtri, atque ex quadam Divini cultus nauſea, ipſis naſcitur, penitus tollamus: totis viribus id, ad quod hoc Concilium coactum eſt, exequamur: evellamus zizania, ſcandala & abuſus vitemus, corrigamus; male fabricata deſtruamus; muros Jeruſalem ædificemus; templa viva extruamus; ſurculos piæ juventutis plantemus; hortos denique noſtros novellis virtutum plantis, per ſeriam vitæ emendationem, morum correctionem, ac Eccleſiæ Divinique cultus reſtaurationem, ſerio exornemus: ac tum demum certo confidamus, veluti ſublata cauſa, etiam tollendum effectum, opprobrium videlicet ipſum; ſimulque futurum, ut Eccleſiæ Dei, ejusque Miniſtris ac Filiis priſcus ſuus honor, jurisdictio, & dignitas redeat: quodque conſequenter, qui Eccleſiam velut navem rimoſam, domumve ruinoſam ante fugiebant, deſerebant, & deſtruebant; nunc ad eam debite expurgatam, ac bonis legibus reſtauratam, revertentur, eamdemque nobiscum denuo viſitabunt, ædificabunt, exornabunt.

INDEX TITULORUM TOTIUS CONCILII.

TIT. I. De Profeſſione Fidei, ac de bis, quæ ad ejusdem Fidei integritatem conſervandam pertinent.
II. De Sacramentis in genere.
III. De Sacramento Baptiſmi.
IV. De Sacramento Confirmationis.
V. De Sacramento Pœnitentiæ.
VI. De Indulgentiis.
VII. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.
VIII. De Sacramento Extremæ Unctionis.
IX. De Sacramento Ordinis.
X. De Sponſalibus & Sacramento Matrimonii.
XI. De Doctrina & Prædicatione Verbi Dei.
XII. De Officio Divino & Cæremoniis.
XIII. De Feſtis & Jejuniis.
XIV. De Imaginibus & Sanctorum Reliquiis.

(*a*) *Thr.* 1. (*b*) *Thr.* 2. (*c*) *Deut.* 4. (*d*) *Exod.* 16.
(*e*) *Exod.* 14. (*f*) *Pſ.* 119. (*g*) 1. *Machab.* 11. (*h*) *Tob.* 2.
(*i*) 4. *Reg.* 19.

Digitized by Google

XV. De Superſtitione.
XVI. De Epiſcopis, & eorum officio, ac Sede vacante.
XVII. De Archi-Presbyteris, Paſtoribus, & Cuſtodibus, eorumque officiis.
XVIII. De vita & honeſtate Clericorum, eorumque correctione.
XIX. De Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia.
XX. De Scholis.
XXI. De Seminariis.
XXII. De elocatione & conſervatione bonorum Eccleſiaſticorum.
XXIII. De Reparatione Eccleſiarum.
XXIV. De Regularibus & Monialibus.
XXV. De Foro, Juriſdictione, & Immunitate Eccleſiaſticis.
XXVI. De Synodo Provinciali & Diœceſana.

DECRETA ET STATUTA SYNODI PROVINCIALIS MECHLINIENSIS.

TITULUS PRIMUS.

De Profeſſione Fidei, ac his, quæ ad ejusdem Fidei integritatem conſervandam pertinent.

CAPUT I.

CUm a Fide, tamquam a fundamento, pendeat vita ſpiritualis, & Religio noſtra; ab ea exordium ſumendo Sacra Provincialis Synodus Mechlinienſis legitime congregata ſtatuit, & decernit, ut omnes Profeſſores, Concionatores, Confeſſarii, ac etiam quicumque in hæreſim lapſi ad Eccleſiæ gremium redeunt, ſinguli, præter abjurationem, & alia ad quæ tenentur, coram Ordinario ſuo, ejusve Vicario Generali, aut alio ab altero eorum ad id deputando, faciant Profeſſionem Fidei juxta Bullam PII IV. & in Romanæ Eccleſiæ obedientia ſe permanſuros ſpondeant ac jurent.

CAPUT II.

Multo magis ſaluberrimum Decretum Concilii Tridentini, de ſimili Fidei Profeſſione, in manibus Ordinarii, ejusve Vicarii Generalis facienda ab omnibus & ſingulis, qui de Canonicatibus, & dignitatibus in Eccleſiis Cathedralibus & quibuscumque Beneficiis curam animarum habentibus proviſi ſunt, ſi alicubi forte obſervari deſierit, in uſum revocetur; cum declaret idem Concilium, quod alioqui prædicti omnes non faciant fructus ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

CAPUT III.

Ludimagiſtri emittant Fidei Profeſſionem juxta formulam a Ss. memor. PIO IV. præſcriptam. Typographi vero, Bibliopolæ, ac Librarii faciant Fidei Profeſſionem juxta formulam hic ſubjunctam; ſic tamen ut ubi excepturus juramentum forte habebit aliquam rationem de profeſſuri fide dubitandi, eum præmoneat & examinet circa aliquos articulos hoc tempore maxime controverſos. Ludimagiſtri ac Ludimagiſtræ, & quicumque eorum Hypodidaſcali ſeu cooperatores ſunt, in iis locis, ubi eſt Scholaſticus, coram eo, alibi coram Archi-Presbytero hanc Fidei Profeſſionem facient: Typographi vero, Bibliopolæ, ac Librarii in manibus Ordinarii, aut ab eo ad id deputandi. Et inſuper hi juramentum præſtabunt de non invehendis, nec diſtrahendis, vel etiam compingendis libris prohibitis: illi quoque etiam oblata Fidei Profeſſione, non aliter tamen ad aperiendam Scholam admittentur, quam ſi Scholaſtico, vel ubi is non eſt, Archi-Presbytero ſuo de eorum fidei integritate, morumque probitate, per fide digna teſtimonia ſufficienter conſtiterit.

CAPUT IV.

Ego N. *omnia & ſingula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Eccleſia utitur, & quæ a Sacris Canonibus, & Generalibus Conciliis, ac præcipue a Sacroſancta Tridentina Synodo tradita, definita, & declarata fuerunt, indubitanter recipio atque profiteor; nec non Romano Pontifici, Summo in terris JEſu Chriſti Vicario, veram obedientiam ſpondeo ac juro; ſimulque hæreſes omnes,*

Digitized by Google

omnes, ab Eccleſia damnatas & rejectas, ego pariter damno & rejicio. Sic me Deus adjuvet, & hæc Sancta Dei Evangelia.

CAPUT V.

Nemo præter Typographos, Bibliopolas & Librarios juratos, ullos libros excudere, aut venales exponere præſumat. Ipſis etiam Typographis, Bibliopolis, ac Librariis non liceat vel alios libros imprimere, quam qui ab Ordinario, vel aliquo approbato Cenſore examinati & approbati fuerint; vel alios venales exponere, aut ſecreto diſtribuere, quam quorum Catalogus ab Ordinario, vel approbato aliquo Cenſore ſit viſus & approbatus, ſub pœnis pro qualitate & circumſtantiis facti infligendis.

CAPUT VI.

Libri etiam domorum mortuariarum non diſtrahantur, niſi ab approbato aliquo Cenſore, vel alio ad id ab Ordinario deputato, viſitati & vendi permiſſi fuerint. Et viſitatio iſta gratis fiat.

CAPUT VII.

Moneant diligenter Parochi ſibi ſubditos, libros hæreticos, vel ex profeſſo lubricos, nullo modo legere vel habere licere; eisque prohibitiones, quæ habentur in Indicibus librorum prohibitorum, Sedis Apoſtolicæ auctoritate poſt Concilium editas, crebro inſinuent.

CAPUT VIII.

Studeant etiam noſſe vultum pecoris ſui, & ſi quem inter ſubditos ſuos peregrinis doctrinis abductum, falſave dogmata ſpargentem adverterint, eum Ordinario, vel ejus Vicario Generali, aut Officiali mox denuntient; nec non & illos, quos Eccleſiam, Divina Officia, & Sacramenta debitis temporibus non frequentare, vel aliter de hæreſi ſuſpectos eſſe deprehenderint, niſi moniti ſtatim ſe purgent, aut emendent.

CAPUT IX.

Ludi theatrales non aliter deinceps permittantur, quam ſi ab Ordinario, vel eo, quem ipſe ad id deputaverit, permittendi videantur. Idemque ſit de actionibus Mimorum & Hiſtrionum, qui vulgo **Cauer-ſpeelders** vocantur; ac de cantilenis, rythmis, & quibusvis ſcripturis, quæ paſſim ab ignotis & exteris hominibus venales circumferuntur, aut etiam publice decantantur. Et ut hæc omnia exactius obſerventur, decernit Synodus ſupplicandum Sereniſſimis Principibus, ut in eo auctoritatem ſuam interponant.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

In adminiſtrandis Sacramentis, Paſtorale ſuæ Eccleſiæ Cathedralis omnes ſequantur; & eo deficiente, Eccleſiæ Metropolitanæ, nihil temere addendo, demendo, vel immutando.

CAPUT II.

Adminiſtraturi Sacramenta Baptiſmi, Sacræ Euchariſtiæ, Extremæ Unctionis, & Matrimonii, nec non concionaturi, ſtola & ſuperpelliceo vel alba ſint induti. Sacerdotes quoque ſæculares, non niſi ſuperpelliceo induti, in locis ſacris ſæcularium confeſſiones accipiant. Paſtores vero, & Vice-Paſtores, etiam ſtolam ſuperaddant.

CAPUT III.

In adminiſtratione quorumcumque Sacramentorum, vis & efficacia eorum, pro captu ſumentium ac præſentium, ſæpe a Paſtoribus explicentur; omnesque preces Sacramentales, maxime vero ipſæ formæ Sacramentorum, tractim, diſtincte, & attente cum debita reverentia pronuntientur.

CAPUT IV.

Et ne, dum quis aliis eſt Miniſter ad ſalutem, damnationem ſibi acquirat, caveat quisque diligentiſſime, ut qua decet munditie & puritate Sacramenta adminiſtret.

CAPUT V.

Paſtores ad adminiſtranda Sacramenta vocati, officio ſuo fungi non tardent, graviter alioqui puniendi; graviſsime vero, ſi quem ipſorum negligentia, ſine Baptiſmo, Confeſsione, Sacro Viatico, aut Extrema Unctione, ex hac vita migrare contigerit.

Ca-

CAPUT VI.

Non modo Archi-presbyteri ſingulis annis ab Ordinario ſuo, vel Sede vacante a Vicario Generali, Sacrum Chriſma & Sacra Olea tempeſtive petant, & per Sacerdotem, Diaconum, vel ſaltem Subdiaconum, in mundis & honeſtis vaſculis (ſcilicet ſtanneis aut argenteis, nullo modo vero cupreis, teſtaceis, aut vitreis) ad locum reſidentiæ ſuæ ferri curent: ſed Paſtores etiam ſinguli quotannis ab Archi-presbytero ſuo, vel ex ea Eccleſia unde conſueverunt, per ſe, aut alium Sacerdotem, non autem illo inferiorem, in ſimilibus vaſculis Sacrum Chriſma, Sanctaque Olea ferre non omittant; iisque receptis, veteribus non utantur: ſed quidquid ex illis ſuperfuerit, ſi liquidum, lampadi, quæ lucet ante Venerabile Sacramentum, infundatur; ſin autem bombyci vel goſsipio immixtum fuerit, ſuper piſcinam comburatur.

TITULUS III.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

PAſtores Sacrum Fontem ſub operculo & ſera diligenter ſervent; Sacrum quoque Chriſma & Oleum, ſub ſera & loco honeſto. Et Sabbato Sancto, ac in Vigilia Pentecoſtes aquas Baptiſmales conſecraturi, ipſum fontem antea per ſe, vel ſaltem aliquem in Sacro Ordine conſtitutum, mundent.

CAPUT II.

Quilibet Parochus librum habeat, in quo ſingulorum baptizatorum, nec non parentum, & patrinorum ac matrinarum nomina & cognomina, diemque Baptiſmi diligenter deſcribat, eumdemque quotannis in viſitatione Archi-Presbytero exhibeat; nec umquam plures, quam unum Suſceptorem, vel unam Suſceptricem, vel ad ſummum unum & unam admittat. Et ſi qui alii ad tangendum infantem inſtar Patrinorum ſe ingerant, declaretur aperte ante Baptiſmum, nec eos, nec alios, præter deſcriptos ſeu deſignatos, ullam cognationem ſpiritualem contrahere.

CAPUT III.

Curent, quantum fieri poteſt, Parochi, ne gentilium aut alia prophana nomina pueris imponantur.

CAPUT IV.

De pueris expoſititiis id obſervent Parochi, ut ſi inveniant certa circa infantem indicia, per quæ conſtet eum non eſſe baptizatum, utpote ſal, quod mulieres apud eum deponere ſolent, tamquam indicium non collati Baptiſmi, eo caſu talem infantem absque ulla hæſitatione baptizent, nulla appoſita conditione: ſi vero nulla ſigna, nullumque teſtimonium ejus rei deprehendant, eum ſub conditione baptizent.

CAPUT V.

Prohibet præterea Sancta Synodus, ne quis Paſtorum Baptiſmi Sacramentum, alio in loco, quam in illis Eccleſiis, in quibus Sacri Fontes conſtituti & conſecrati ſunt, exceptis caſibus in jure permiſſis, conferre audeat.

CAPUT VI.

Et quia frequens experientia docet, modernos hæreticos ſæpe contra receptam Eccleſiæ conſuetudinem, & antiquiſſimam traditionem baptizare, uno aquam fundente, alio formam ipſam pronuntiante; ab hæreticis (qui non ſunt ad baptizandum admittendi, ubi aliquis Catholicus præſto eſt) baptizati, ſimiliter ſub conditione baptizentur.

CAPUT VII.

Hortatur hæc Synodus & requirit omnes Magiſtratus ſingulorum locorum, ne quam ad obſtetricandum parturientibus admittant, niſi prius a Curato loci, ubi obſtetrix moratur, teſtimonium ſinceræ & Catholicæ fidei habeat, profeſſionemque fidei coram Archi-Presbytero ſuo faciat; nec non materiam formamque Baptiſmi teſtimonio ejusdem Curati probe calleat: & ultra conſuetum juramentum, juret etiam, quod infantes a ſe excipiendos quantocyus, vel ſaltem intra tres dies baptizari curabit; aut ſi obſiſtentibus parentibus vel amicis id efficere non poſſit, mox Paſtori loci eos denuntiet.

Ca-

by Google

CAPUT VIII.

Puerperæ, cum a puerperio donum exeuntes ſe ad Eccleſiam contulerint, a Parocho proprio juxta probatiſſimam Eccleſiæ conſuetudinem purificentur.

CAPUT IX.

Ad abolendam pravam illam conſuetudinem, qua ruri præſertim poſt Baptiſmum puerorum convivia non ſine maximis incommodis & periculis tam puerperæ, quam infantis celebrari conſueverunt: mandat hæc Synodus Paſtoribus, ut ſubinde moneant & hortentur ſubditos ſuos, ut ab hujusmodi conviviis abſtineant: quod ut facilius impetrent, caveant in primis ipſi, ne quantumvis invitati dictis conviviis interſint.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

DE dignitate, vi, & effectibus hujus Sacramenti, Parochi ſubditos ſuos ſæpe diligenterque inſtruant; maxime ſub id temporis, quo illud Epiſcopus in iis locis adminiſtraturus eſt.

CAPUT II.

Moneant tunc etiam Sacramentum hoc iterari non poſſe, & Confeſſionem præmittendam a confirmandis, ſi ſint doli capaces; eosque, qui in Baptiſmo Patrini eſſe non poſſunt, nec hic eſſe poſſe; nec non de conferendis integris mundisque faſciis juſtæ magnitudinis, ut fronti & capiti circumcingi poſſint: item de Patrinorum obligatione, ac cognatione ſpirituali, quam cum confirmandis, eorumque patre & matre contrahunt, ejusdemque cognationis effectu, ac ſimilibus.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

NEmo, etiam Regularis, confeſſiones ſæcularium, ne quidem Sacerdotum, audire præſumat extra mortis articulum, niſi aut Parochiale Beneficium obtineat, aut ab Ordinario loci idoneus judicatus aut admiſſus fuerit. Admiſſio quoque iſta in ſcriptis habeatur.

CAPUT II.

Judicem ſedentem ſententias ferre oportet: ideo etiam Confeſſarius non niſi ſedens confeſſiones excipiat, quacumque etiam pœnitentes dignitate fulgeant.

CAPUT III.

Ubi erecta necdum ſunt confeſſionalia, quæ Confeſſarium a pœnitente aſſerculo cancellato, ac pœnitentem a ſequentibus alio aſſerculo disjungant, intra tres menſes a publicatione Decretorum hujus Concilii ſumptibus fabricarum erigantur; & ab eo tempore nemo ſine licentia Ordinarii extra ejusmodi confeſſionalia, fœminarum confeſſiones audire præſumat, niſi in caſu neceſſitatis, ſub pœna arbitraria.

CAPUT IV.

Sciat quilibet a caſibus Sedi Apoſtolicæ aut Epiſcopo reſervatis ſe abſolvere non poſſe, præterquam in mortis articulo, niſi ad hoc ſpecialem facultatem debite acceperit; quo etiam ſuper irregularitatibus aut votis diſpenſare non præſumat, niſi aliam ſpecialem poteſtatem ad hoc habuerit.

CAPUT V.

Magna oportet eſſe inſtructum ſcientia, qui de rebus maximis ex tempore judicare debet. Ideo Confeſſarii, quibus non hominis, ſed Dei judicium exercendum eſt, & quidem de animabus pretioſo JEſu Chriſti Sanguine redemptis, lectioni eorum librorum, unde neceſſariam ſibi ſcientiam hauriant, diligentiſſime vacare merito debent; utpote, Directorii Polanci, Manualis Navarri, aut ejus Compendii, Summæ Toleti, Enchiridii Binsfeldii, & ſimilium.

CAPUT VI.

Meminerit unusquisque confeſſionis ſigillum ſtrictiſſime ſervandum eſſe, etiam ſub pœnna depoſitionis a Sacerdotali officio, & detruſionis in arctum Monaſterium, ad agendam ibidem perpetuam pœnitentiam. Hoc porro ſigillum ad ea ſe quoque extendit, quæ ſubinde occaſione eorum, quæ in confeſ-

Digitized by

ſione detecta ſunt, poſt datam abſolutionem a Confeſſariis interrogati pœnitentes vel repetunt, vel diffuſius enarrant; quæ perinde, ut ea quæ in ipſa dicta ſunt confeſſione, ſecreta ſunt habenda.

CAPUT VII.

Nemo aliquem ad perpetuo ſibi ſoli confitendum obliget; & ejusmodi promiſſionem etiam juratam, tamquam irrationabilem & indiſcretam, hæc Synodus irritam eſſe declarat, & quatenus opus eſt, irritat.

CAPUT VIII.

Ut autem Paſtores & Confeſſarii ſciant, cujusmodi ſatisfactiones pœnitentibus injungere debeant, mature expendant verba Tridentini Concilii *Cap.* 8. *Seſſ.* 14. quæ ſunt hæc: " Debent ergo Sacerdotes Domini, quantum ſpiritus & prudentia ſuggeſſerit, pro qualitate criminum, & pœnitentium facultate, ſalutares, & convenientes ſatisfactiones injungere: ne, ſi forte peccatis conniveant, & indulgentius cum pœnitentibus agant, leviſſima quædam opera pro graviſſimis delictis injungendo, alienorum peccatorum participes efficiantur. Habeant autem præ oculis, ut ſatisfactio, quam imponunt, non ſit tantum ad vitæ novæ cuſtodiam & infirmitatis medicamentum, ſed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam & caſtigationem. Nam claves Sacerdotum non ad ſolvendum dumtaxat, ſed & ad ligandum conceſſas, etiam antiqui Patres & credunt & docent.

TITULUS VI.

De Indulgentiis.

INdulgentias, atque alias ſpirituales gratias, ab Ordinariis locorum, adhibitis duobus de Capitulo, debitis temporibus populo publicandas eſſe Sacrum Tridentinum Concilium decernit: quod ab eis erit diligenter obſervandum, ſumma in illis Indulgentiis recognoſcendis adhibita diligentia, atque ita ad Tridentini Concilii præſcriptum, coercitis iis, qui oblata charitatis ſubſidia colligunt, hos Eccleſiæ theſauros non ad quæſtum, ſed ad pietatem exerceri omnes intelligant.

TITULUS VII.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPUT I.

IN ſingulis Eccleſiis Parochialibus plures Hoſtiæ Sacræ ad uſum ægrotorum continuo aſſerventur, & quidem ſub ſera, & in loco honeſto, ac decenti vaſculo. Et ſingulis ſaltem hebdomadis, aut circiter, vel ſi humiditas loci requirat, etiam ſæpius ſpecies Sacramentales renoventur.

CAPUT II.

Ubicumque locus ab hoſtibus ac prædonibus eſt tutus, & facultates Eccleſiæ ferunt, continuo tam de nocte quam de die, ante tabernaculum Sanctiſſimæ Euchariſtiæ lumen ardeat, alibi ſaltem ſub Officio Divino.

CAPUT III.

Paſtores, & quicumque alii Sacerdotes, Venerabilis Corporis Chriſti Sacramentum ad ægrotos, aut alios, nunquam perferant, niſi decenter & reverenter ornati ſtola & ſuperpelliceo, & Cuſtos ſuperpelliceo indutus lumen & campanulam ſonantem præferat; quo populus ſui moneatur officii, tum erga Sacramentum, tum erga laborantem infirmum. Idque obſervetur, etiam ſi infirmus frequentius in ægritudine ſua viaticum ſalutis ſibi deferri petat, alioqui pœna arbitraria punientur. Et quando fieri poteſt, antequam Sacra Euchariſtia ad ægrotum deferatur, præmittatur confeſſio.

CAPUT IV.

Numquam unica dumtaxat Sacra Hoſtia ad ægrotum deferatur, ne Parocho ad Eccleſiam redeunte inane vaſculum populus adoret.

CAPUT V.

Quilibet annos diſcretionis habens communicare debet ut minimum in Paſchate in Eccleſia ſua Parochiali. Incipit autem Paſcha ad hunc effectum in Dominica Palmarum, & durat uſque ad Dominicam in Albis, incluſive.

Ca-

Digitized

CAPUT VI.

Qui huic mandato Eccleſiæ non obedierint, vel in Paſchate a Parochia abfuerint, & reverſi intra octo dies non docuerint ſe alibi in Paſchate communicaſſe, mox Epiſcopo denuntientur; ut ejus judicio, niſi legitimam excuſationem attulerint, & vivi ab ingreſſu Eccleſiæ arceantur, & mortuis Eccleſiaſtica denegetur ſepultura. Ultimo quoque ſupplicio afficiendis tempeſtive de Sacra Euchariſtia provideatur. Quod ut fieri jubeant, rogentur Sereniſſimæ Suæ Celſitudines.

CAPUT VII.

Concubinarii publici, antequam concubinas ſuas actu dimiſerint, ad Sacram Communionem non admittantur: neque etiam publici Uſurarii, vel palam inimicitias exercentes, niſi illi uſuris renuntiaverint, & injuſta lucra reſtituerint, aut de iis reſtituendis cautionem dederint; & hi reipſa pacem compoſuerint, vel ſeſe ad reconciliationem debite obtulerint.

CAPUT VIII.

Sacroſancta Euchariſtia pie & utiliter ad populi devotionem interdum in publicis ſupplicationibus defertur; potiſſimum vero in Feſto Sacro Chriſti Corpori conſecrato, ejusque Octava. Sed ne nimia frequentia minuat reverentiam, rarius extra prædicta tempora id fiat, & non niſi in arduis cauſis pacis, & publicæ neceſſitatis, vel utilitatis. In illis autem proceſſionibus, ad quas populus non tam orandi, quam ſpectandi gratia confluere ſolet, abſtineatur. In communibus autem ſupplicationibus circumgeſtari poterunt Sanctorum Reliquiæ.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

PArochi ægrotos ſæpe inviſant, hortenturque, ne ad extremum Sacramenti hujus ſuſceptionem differant; at potius ſenſibus rationisque uſu adhuc integris, illud ſibi adminiſtrari petant, ut ita uberiorem ejus fructum percipiant.

CAPUT II.

Falluntur, qui exiſtimant ſuſcepto hoc Sacramento vel teſtamentum condi non poſſe, vel ſpem convaleſcendi ob id imminui. Ideoque Paſtores contrarium ſubinde populum doceant. Et ſi forte alicubi uſu introductum ſit, ut teſtamentum a ſuſceptione hujus Sacramenti conditum non ſubſiſtat, declarat hæc Synodus ejusmodi conſuetudinem pro corruptela habendam eſſe; utpote cauſam, cur tam ſalutaris Sacramenti ſuſceptio ad extremum vitæ ſpiritum a plerisque differatur; iique interim effectus Sacramenti non percipiant, & ſæpe etiam ſine eo moriantur.

TITULUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

AD minores Ordines promovendi, bonum a Parocho, & Magiſtro Scholæ, in qua educantur, teſtimonium habeant.

CAPUT II.

Majoribus Ordinibus inſigniendi, ſi ſint Religioſi, a Superiore ſuo, ætatis, natalium, ac vitæ morumque probitatis debita teſtimonia in ſcriptis adferant: Sæculares, ſi in Eccleſia Collegiata, eive ſubjecta, reſideant, a Decano Capituli; ſi in Collegio, vel Pædagogio aliquo degant, ab illius Præſide; alioquin a proprio Paſtore ſimilia teſtimonia exhibere debeant. Et non habens hujusmodi teſtimonia, ne ad examen quidem admittatur, niſi Epiſcopo aliter videatur.

CAPUT III.

Fiant inſuper proclamationes promovendorum ad ſingulos Ordines majores juxta Decretum Concilii Tridentini; & qui de iis non docuerint, rejiciantur.

CAPUT IV.

Doceant Religioſi, etiam Ordinum Mendicantium, de Ordinibus ſuſceptis teſtimonio ipſius Epiſcopi, per literas a Secretario Epiſcopi communitas, antequam altiorem Ordinem ſuſcipiant.

Digitized by Google

CAPUT V.

Epiſcopi ſubditos ſuos non niſi jam probatos & examinatos ad alium Epiſcopum dimittant, juxta Decretum Concilii Tridentini.

CAPUT VI.

Tituli Patrimoniales, & Beneficiales, ſint deinceps ad minimum quadraginta florenorum; nec ullus eorum, niſi viſis literis in debita forma expeditis, admittatur.

CAPUT VII.

Nemo ad Ordines titulo beneficii quantumvis opimi promoveatur, niſi Canonicam inſtitutionem & pacificam poſſeſſionem ejusdem antea obtinuerit.

CAPUT VIII.

Juret deinceps quilibet Ordinandus ad titulum patrimonialem, & beneficialem, quod titulum, quem pro futura ſua promotione exhibet, vere & ſine ulla fraude poſſideat; quodque illum non reſignabit, vel alienabit, niſi ei de alio ſufficienti titulo ſit proſpectum; neque tunc quidem aliter, quam cum ſcitu & conſenſu ſui Epiſcopi, in literis ipſius reſignationis aut alienationis exprimendo: item quod titulum illum, qui in locum prioris tituli ſucceſſerit, absque ſimili conſenſu non reſignabit, vel alienabit.

TITULUS X.

De Sponſalibus & Sacramento Matrimonii.

CAPUT I.

PArochus ante ſolennizationem Matrimonii tam Sponſum, quam Sponſam expreſſe interroget, num libere & ſine ulla coactione ad Matrimonium ſimul contrahendum advenerint: & ſi alterum eorum ad id coactum eſſe adverterit, ad ſolennizationem Matrimonii non procedat, nec alteri ad hoc vices ſuas committat, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio.

CAPUT II.

Proclamationes Matrimoniales tribus diſtinctis Dominicis vel Feſtivis diebus, ſub Summo Sacro, vel concione, aut alioqui ſub frequenti populi conventu fieri debent. Si quis ſine iis, earumve remiſſione ab Ordinario in ſcriptis obtenta, Matrimonio jungere aliquos præſumat, graviter puniatur.

CAPUT III.

Quandocumque Matrimonium contrahere volentes ſunt diverſarum Diœſium, Decanatuum, vel Parochiarum; Parochus unius ad Matrimonii ſolennizationem non procedat, niſi & omnes proclamationes in Eccleſia ſua fecerit, nullumque intellexerit Canonicum impedimentum; & ſimiliter Parochum alterius deſponſorum omnes tres proclamationes feciſſe, & nullum Canonicum impedimentum denuntiatum eſſe, ex teſtimonio ejusdem Paſtoris certo cognoverit, vel de diſpenſatione Ordinarii ipſi conſtiterit. Et ſi forte ſignaturam illius Paſtoris non noverit, & teſtimoniales ſibi exhibitas de falſo ſuſpectas habeat, exigat teſtimonium ſaltem unius perſonæ fide dignæ, quod teſtimoniales illæ ſint ſcriptæ vel ſubſignatæ manu ejus, a quo ſcriptæ vel ſubſignatæ eſſe dicuntur; vel ſi hujusmodi teſtimonium haberi non poſſit, exigat juramentum ab altero deſponſorum, quem teſtimoniales illæ concernunt, quod eas a Parocho ſuo acceperit, vel ab eo ſcriptas eſſe ſciat. Et ſi quem hic perjurum eſſe, aut crimen falſi committere contigerit, is graviſſime puniatur.

CAPUT IV.

Impedimento aliquo denuntiato, vel Matrimonio deſponſorum oppoſitione aliqua facta; non prius ad ulteriores proclamationes aut Matrimonii ſolennizationem Parochus procedat, quam re ad Ordinarium, vel Vicarium ejus, aut Officialem delata, ab eodem intellexerit, quid facere debeat.

CAPUT V.

Parochi omnes impedimenta Matrimonii exacte noſſe & in memoria habere ſtudeant, & ſubinde in concionibus ſuis ea populo declarent. Et inter cætera ſciant, ſuosque doceant, affinitatem ortam ex copula illicita impedire Matrimonium in primo & ſecundo gra-

Digitized by Google

gradu tantum : & nullam omnino cognationem ſpiritualem contrahi inter Suſceptorem & Suſceptricem ; nec etiam inter baptizatum, vel confirmatum & ſuſceptum, & ſuſcipientis conjugem.

CAPUT VI.

Meminerint Parochi ſibi non licere vagorum hominum Matrimoniis intereſſe, niſi re ad Ordinarium delata ab eo licentiam id faciendi in ſcriptis obtinuerint : neque ea licentia ſine cauſæ cognitione & matura deliberatione detur.

CAPUT VII.

Habeant quoque ſinguli Paſtores librum, in quo deſcribant nomina & cognomina Matrimonio junctorum, ac teſtium, nec non diem & locum contracti Matrimonii; eumdemque librum diligenter cuſtodiant, & quotannis in viſitatione Archi-Presbytero exhibeant. Qui quidem liber ubi jam completus fuerit, ſervabitur in Archivis Eccleſiæ.

CAPUT VIII.

Tempus clauſum diligenter obſervetur: &, ſi quando ex legitima cauſa aliqui ad Matrimonium tunc contrahendum per Ordinarium admittantur, abſtinendum tamen erit a ſolennitatibus nuptialium conviviorum, choreis, Sponſarum publicis traductionibus, & ſimilibus, quæ temporis ſanctitati repugnant ; a quibus ſimiliter abſtinendum erit, etſi Matrimonium antetea contractum fuerit, ſub pœna arbitraria.

TITULUS XI.

De Doctrina & prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

MEminerint Regulares ſe ſine licentia Superiorum ſuorum, ac benedictione Epiſcopi Diœceſis, in qua degunt, in Eccleſiis Ordinum ſuorum, & ſine expreſſa licentia tam Epiſcopi, quam Superiorum ſuorum, in Eccleſiis non ſuorum Ordinum prædicare non poſſe, nec uſquam omnino Epiſcopo contradicente.

CAPUT II.

Pari aut majori ratione, Sacerdotibus & Diaconis ſæcularibus nec ſine licentia Ordinarii, nec eo contradicente prædicare licet. Et Paſtores neminem omnino in Eccleſiis ſuis concionari permittant, niſi de ejusmodi licentia Ordinarii in ſcriptis prædocuerit.

CAPUT III.

Abſtineant Concionatores ab inanibus, ac difficilibus, captumque auditorum ſuperantibus, & ad fidei ædificationem minus pertinentibus quæſtionibus, a convitiis, a fabuloſis, & narratione apocryphorum, iiſque omnibus, quæ vel auditoribus riſum moveant, vel eorum animos a Superioribus ſuis avertant : neve paſſim hæreticorum argumenta apud imperitam multitudinem referant ; ſed ea tantum doceant, quæ ad fidem veram, pietatem, obedientiam, & concordiam pertinent, quæque ſcire omnibus neceſſarium eſt ad ſalutem : annuntiando cum brevitate & facilitate ſermonis, vitia quæ quemque declinare, & virtutes quas ſectari oportet.

CAPUT IV.

Paſtores Eccleſiarum ruralium ſingulis diebus Dominicis ſub concione recitent lingua vernacula tractim & intelligibiliter Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, & Præcepta Decalogi & Eccleſiæ.

CAPUT V.

Diverſitas libellorum doctrinæ Chriſtianæ, ſive Catechiſmi, magnum in diſcendo & docendo parit difficultatem. Ideoque mandat hæc Synodus, ut Parochi, aliique omnes, ad quos ſpectat, a feſto Nativitatis Domini proxime venturo, unum & eumdem modum in docendo & diſcendo doctrinam Chriſtianam ubique teneant, tenerique faciant; eum ſcilicet, qui in libello, auctoritate hujus Concilii ad eum finem brevi edendo, continebitur.

CAPUT VI.

Optat denique hæc Synodus, ut Paſtores ſingulis diebus Dominicis ac Feſtivis catechizandæ juventuti ſerio

ſe dent, vel ubi alteri alicui id oneris incumbit, diligenter ſuperintendant.

TITULUS XII.

De Officio Divino, ac Cæremoniis.

CAPUT I.

CUm in Officio Divino negotium nobis ſit cum Deo ipſo, qui Rex Regum eſt & Dominus Dominantium, merito non modo ſtatis ſemper horis ad chorum conveniatur, ſed in eo etiam a fabulis, riſibus, & aliis inſolentiis omnino abſtineatur, ſub pœna amittendæ diſtributionis, & alias arbitraria pro modo ſcandali.

CAPUT II.

Meminerint autem omnes tam in dignitate conſtituti, quam Canonici, Capellani, Vicarii, Beneficiati, & reliqui Habituati, mandati Concilii Tridentini; ut omnes Divina per ſe, & non per ſubſtitutos, compellantur obire officia, atque in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare. Quod Decretum præſens Synodus inviolabiliter obſervari mandat.

CAPUT III.

Diſtributiones Chori diſpenſentur ſecundum præſcriptum Concilii Tridentini ad tertiam partem fructuum. Ut vero minores Horæ non negligantur, pro illis certæ diſtributiones aſſignentur, aut minores illæ Horæ majoribus adjungantur: ita ut in majoribus illis Horis nemo diſtributione gaudeat, niſi qui in minoribus quoque Horis debite interfuerit.

CAPUT IV.

Careant quoque diſtributionibus, qui ante *Gloria Patri* primi Pſalmi cujusque Officii uſque ad finem eidem Officio actualiter non interſunt; exceptis dumtaxat iis, qui ex cauſis expreſſis in Cap. unico *De Clericis non reſid. in* 6. & in primo Concilio Provinciali Mechlinienſi (*) hoc Tit. Cap. 4. 5 & 6. & in Bullis erectionis Epiſcopatuum hujus Provinciæ, pro præſentibus & Officio Divino intereſſentibus habendi ſunt, & ut tales diſtributionibus gaudere debent.

CAPUT V.

In Eccleſiis, quæ necdum recepto uſu Romano proprium Officium adhuc ſervant, vel recepto etiam uſu Romano propria quædam Officia Patronorum ſuorum illi admiſcent, ſi Apoſtolica auctoritate necdum ejusmodi Officia recognita, & debitè ab incertis & apocryphis purgata ac correcta ſint, intra ſex proximos menſes id fiat.

CAPUT VI.

Serius ad Officium Divinum venientes, etſi diſtributione privandi ſint, libere tamen Chorum intrare permittantur. Et ſi quis eos manuum, vel pedum plauſu, aliove ſtrepitu excipiat, ipſe quoque diſtributione privetur, & inſuper pro modo ſcandali puniatur.

CAPUT VII.

Gravis tantum, & quæ pios affectus moveat muſica, Officio Divino adhibeatur; non etiam laſciva, vel ſæcularis. Similiter & organa, & quæcumque inſtrumenta muſica, tam in Proceſſionibus, quam in Eccleſiis, modulatione ſua laſcivas cantiones non imitentur; nec Præfationem aut Orationem Dominicam in Miſſa abſumant.

CAPUT VIII.

Tintinnabula quoque & campanas ad harmoniam quamdam pulſantes, ejusmodi pulſatione turpes, inhoneſtas, vel ſcandaloſas cantiones non exprimant, vel imitentur, ſed potius Hymnorum & Canticorum Eccleſiæ modulationes. Et ſicubi neceſſe fuerit, cum Magiſtratu deſuper agatur.

CAPUT IX.

Nemo in loco ſacro vel convivium inſtituat, vel convivio interſit, aut negotiationem exerceat, vel in eo etiam poſt Officium Divinum deambulet, ſub pœna arbitraria.

CAPUT X.

Proclamationes quoque forenſes, & denuntiationes quarumcumque venditionum, vel rerum venalium, etiam in

(*) Vide Tom. VII. pag. 614.

in Templo fieri ſolitæ, deinceps non fiant, niſi extra Templum, & Officio Divino prorſus abſoluto.

CAPUT XI.

Mandat deinde hæc Synodus, ut Conventus Capitularis non fiat ſub Officio Divino, niſi res, ob urgentes aut repentinas cauſas, moram non patiatur.

CAPUT XII.

Canon Miſſæ ſecreto pronuntietur; nihilque in eo, etiam pietatis prætextu, umquam addatur, vel mutetur. Et generalitet alios ritus, aliasve cærimonias vel preces in celebratione Miſſarum nemo adhibeat, præter eas, quæ ab Eccleſia probatæ & receptæ ſunt.

CAPUT XIII.

Curent ubique Paſtores, nec non alii, ad quos id pertinet, ut ſacri calices, corporalia, purificatoria, albæ ac reliquæ veſtes Sacerdotales, omniaque paramenta altaris ſemper ſint integra & munda; idque ſub pœna arbitraria, pro modo culpæ & negligentiæ.

CAPUT XIV.

Ubi Eccleſiarum paupertas calices argenteos emi non patitur, hortatur Synodus, ut ſaltem ſuperior eorum pars ſeu cuppa ſit argentea, maxime ubi non eſt periculum ab hoſtibus aut prædonibus: ubi vero ob ejusmodi periculum, aut extremam paupertatem, calices ſtannei adhuc tolerandi ſunt, ut minimum ſingulis ſaltem quindecim diebus debite mundentur.

CAPUT XV.

Vago ac ignoto Sacerdoti, etiam Regulari, Miſſam celebrare non liceat, niſi oſtenſis teſtimonialibus, vel commendatitiis literis ſui Ordinarii, nec cuiquam omnino extra Eccleſiam, & ad Divinum cultum dedicatum & ab Ordinario deſignatum Oratorium.

CAPUT XVI.

In omnibus pagis totius Provinciæ Miſſa Parochialis Dominicis & Feſtis diebus certa & eadem hora ſemper fiat, quacumque ratione in contrarium non obſtante, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XVII.

Pauperes per Eccleſias tempore Miſſarum, Prædicationum, aliorumve Divinorum Officiorum, mendicare ſeu eleemoſynas petere non permittantur, ſed ad valvas Eccleſiæ ſtare jubeantur: deputenturque ubique a Superioribus vel Adminiſtratoribus Eccleſiarum, qui mendicantes ab Eccleſiis arceant & expellant; & quidem, ſi neceſſe fuerit, ſub certo honorario ex bonis menſarum pauperum perſolvendo.

CAPUT XVIII.

Ut uniformitas Cæremoniarum uſus Romani ubique tandem inducatur; quilibet Ordinarii in ſingulis Decanatibus ſuæ Diœceſeos, & inſuper omnia & ſingula Capitula tam Collegiata, quam Cathedralia, aliquos deputant cæremoniarum & rituum Eccleſiæ Romanæ peritos, qui primitias celebraturos dictis cæremoniis ac ritibus debite inſtruant. Et deinceps nemo ſæcularis primitias celebrare præſumat, niſi ab aliquo ex dictis deputatis easdem cæremonias & ritus ſe perfecte didiciſſe, Capitulo, vel Archi-presbytero, cui ſubeſt, teſtimonio Inſtructoris ſui debite probaverit, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XIX.

Ut autem hæc uniformitas ſacrorum rituum & cæremoniarum, magnopere commendans Catholicæ Religionis dignitarem & unitatem, in omnibus etiam reliquis Eccleſiaſticis Officiis adhibeatur; imprimendum in hiſce partibus, & ab omnibus, quos concernit, quoad fieri poterit, obſervandum erit Cæremoniale Epiſcoporum, quod magno labore & induſtria ad hoc componi juſſit fel. rec. CLEMENS PP. VIII. & in omnes Eccleſias Metropolitanas, Cathedrales, & Collegiatas introduci diſtricte mandavit.

CAPUT XX.

Hoc vero cum fieri non poſſit ſine Magiſtro Cæremoniarum, qui totus in eo ſit, ut dictum Cæremoniale perlegat, & aliis rationem dictarum Cæremoniarum oſtendat & præeat; mandat hæc Sancta Synodus, ut in ſingulis Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis ſumptu

ptu Capituli aliquis ad hoc maxime idoneus conſtituatur, cui in ritibus omnes obedire teneantur.

TITULUS XIII.

De Feſtis & Jejuniis.

CAPUT I.

MEminerint exempti omnes, etiam Regulares, Decreti Concilii Tridentini, quo dies Feſtos, quos in Diœceſi ſua ſervandos Epiſcopus præcepit, ipſi quoque ſervare jubentur.

CAPUT II.

Paſtores ſingulis diebus Dominicis ſub concione, vel Summo Sacro, dies Feſtos & Jejunia ea ſeptimana occurrentia populo denuntiare non omittant.

CAPUT III.

Dies Feſti tam celebriores, quam minus ſolennes, nec non jejunia per totam Provinciam ſervanda, in prima Synodo Provinciali Mechlinienſi plene enumerantur, ita tamen ut in locis, ubi vel plura vel ſtrictius obſervata fuerint, mandet Synodus, ut pia conſuetudo obſervetur. Quænam vero Feſta in ſingulis Diœceſibus, ſingulisque Parochiis, inſuper ſervari debeant, ſtetur conſuetudiue cujusque loci.

CAPUT IV.

Nundinæ annuæ, & forum rerum venalium hebdomadarium, cum in diem feſtum incidunt, in alium transferantur. Et jejunia in diem Dominicam incidentia, pridie ſerventur.

CAPUT V.

Feſtum Annuntiationis Beatæ Mariæ, ſi quando inter Dominicam Palmarum, & Dominicam in Albis occurrerit, celebretur juxta receptam conſuetudinem tam a populo, quam a Clero, feria tertia poſt dictam Dominicam in Albis: ſi vero in aliam quamlibet Dominicam Quadrageſimæ præterquam Palmarum inciderit, celebretur feria ſecunda proxime ſequenti etiam a populo.

CAPUT VI.

Feſtum S. Marci, ſi in hebdomada Paſchæ, vel in Dominica *Quaſi modo*, evenerit; celebretur feria quarta poſt *Quaſi modo*, tam a Clero, quam a populo. Si vero in aliam Dominicam inciderit, feſtum quidem ſervetur ipſa die Dominica; ſed proceſſio, abſtinentia a carnibus per totum diem, & jejunium uſque ad prandium, ſerventur die ſequenti. Quod ſi vero in feriam quintam poſt Dominicam *Quaſi modo* translatum, cum feſtis Ss. Philippi & Jacobi aut S. Crucis concurrerit; celebritas quidem a populo illis ipſis diebus ſervabitur, ſed dicta proceſſio, abſtinentia, & jejunium, ſicut in diebus Rogationum, in feriam quintam transferentur.

TITULUS XIV.

De Imaginibus, & Sanctorum Reliquiis.

CAPUT I.

NE per falſi dogmatis imagines rudibus periculoſi erroris occaſio præbeatur, nulla umquam in Eccleſiis etiam exemptis inſolita imago ponatur, niſi ab Ordinario prius approbata fuerit. Curentque diligenter Epiſcopi, ut in imaginibus tam ſculptis, quam pictis, loco ſacro jam illatis, vel deinceps inferendis, nihil inordinatum, nihil profanum, nihil inhoneſtum appareat, neque in intima altarium tabula vivorum effigies depingantur.

CAPUT II.

Imagines ſacras ſæculariter comptas, nec in templis, nec in proceſſionibus tolerent Epiſcopi, & quæ ad ornatum ſupplicationum proponuntur, ejusmodi ſint, quæ oculos ſpectantium non offendant.

CAPUT III.

Nemo Eccleſiaſtici Ordinis laſcivas, & ob nuditatem vel aliter obſcœnas, & quæ pias mentes offendant imagines, in ſuis ædibus ac hortis ponat, vel retineat, ſub pœna arbitraria. Concionatores quoque contra hujusmodi imaginum quocumque etiam profano loco poſitarum deteſtandum uſum, frequenter conciones ſuas inſtituant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT IV.

Reliquiæ Sanctorum in vasis honestis, seu capsulis obseratis, locoque honesto (non tamen in tabernaculo SSmi Sacramenti) asserventur; nec ex iis per alium, quam Ordinarium loci, aut ab eodem ad id potestatem in scriptis habentem, umquam educantur.

CAPUT V.

Numquam etiam Reliquiæ vel imagines in processionibus deferantur, nisi per Clericos Sacris initiatos, quantum fieri potest; neque tam longi itineris circuitu, ut aut populi devotio languescat, aut compotationibus, aliisque insolentiis occasio præbeatur.

TITULUS XV.

De Superstitione.

CAPUT I.

NEmo ad morbos vel vulnera hominum aut brutorum curanda superstitiosis remediis utatur: vel super rebus deperditis, aut super futuris eventibus, ac quibusvis secretis, Divinos, seu pro Divinis se venditantes, consulere præsumat. Si quis aliquid horum fecerit, & monitus non abstinuerit, mox ipsi Ordinario, vel Officiali denuntietur, juxta Bullam SIXTI V. editam contra exercentes Astrologiæ judiciariæ artem, quæ incipit: *Cæli & terræ Creator.*

CAPUT II.

Et nihilominus hæc Synodus mandat omnibus Judicibus Ecclesiasticis, ut in exilium mittant, vel mitti curent omnes, qui super futuris eventibus, aliisque secretis responsa dant; eosque, qui tales consulunt, graviter puniant, & multo gravius animadvertant in maleficos, & incantatores, & etiam omnes, qui vulgo Ægyptii vocantur.

CAPUT III.

Et quoniam rudis populus sæpe ex ignorantia superstitionibus inquinatur; Parochi subditos suos diligenter de illis doceant, & inter cætera, superstitiosum esse, expectare quemcumque effectum a quacumque re, quem res illa, nec ex sua natura, nec ex institutione Divina, nec ex ordinatione vel approbatione Ecclesiæ producere potest.

CAPUT IV.

Nullus omnino exorcizare præsumat sine licentia Ordinarii in scriptis obtenta: nemo etiam utatur aliis exorcismis, quam ab Ordinario approbatis, vel potestate exorcizandi ulla ratione abutatur, sub pœna perpetuæ privationis illius officii, & alias arbitraria.

TITULUS XVI.

De Episcopis, & eorum Officio, ac Sede vacante.

CAPUT I.

QUanto sublimior est Episcoporum dignitas, tanto etiam purior ac sanctior debet esse ipsorum vita: quare mores suos omnes ita componant, ut reliqui ab iis frugalitatis, modestiæ, continentiæ, ac quæ nos tantopere commendat Deo, sanctæ humilitatis exempla petere possint; nihilque in eorum supellectili, mensa, victu, ac reliquo vitæ genere appareat, quod non simplicitatem, Dei zelum, ac vanitatum contemptum præ se ferat.

CAPUT II.

Et quia in tremendo strictissimi judicii die non pro se ipsis tantum, sed pro animabus etiam sibi commissis rationem reddituri sunt, summo studio & continua vigilantia gregem suum pascant & regant; officiumque suum in omnibus, maxime quoad executionem Decretorum Concilii Tridentini, & hujus Provincialis, cum omni diligentia & solicitudine explicent.

CAPUT III.

Inter cætera meminerint oneris prædicandi verbi Dei, & totius Diœceseos singulis saltem bienniis visitandæ.

CAPUT IV.

Curent etiam, ut jura & stipendia Secretariorum, & aliorum quorumcumque Ministrorum suorum, Sacris Canonibus & Decretis Concilii Tridentini in nullo contrarientur; atque insuper pro qualitate laborum & ratione sumptuum ita sint moderata, ut iis se

gravari nemo jure conqueri poſſit: & ſi quis in eorum exactione exceſſiſſe deprehendatur, graviter puniatur; & relapſus, officio privetur.

CAPUT V.

Meminerint Epiſcopi ſe conformare Decreto ac Conſtitutioni Concilii Tridentini *Seſſ.* 25. *de Reform. Cap.* 1.

CAPUT VI.

Cum primum Sedes Epiſcopalis vacaverit, ſupplicationes ac preces publice privatimque habeantur, atque a Capitulo per Civitatem & Diœceſim indicantur, quibus Clerus populusque bonum a Deo Paſtorem valeat impetrare.

CAPUT VII.

Vacante eadem Sede Epiſcopali ſequentur Cathedralia Capitula in adminiſtratione dictæ Sedis Conſtitutionem Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *de Reform. Cap.* 16.

CAPUT VIII.

Facta novi Epiſcopi nominatione, proceſſus ſuper ejus natalibus, vita, ætate, doctrina, & moribus, Romam transmittendus, fiat juxta diſpoſitionem Bullæ GREGORII XIV. quæ incipit: *Onus Apoſtolicæ ſervitutis.*

TITULUS XVII.

De Archi-Presbyteris, Paſtoribus, & Cuſtodibus, eorumque Officiis.

CAPUT I.

ADeptus Paſtoratum, ultra profeſſionem Fidei, faciet etiam ſubſequens Juramentum, antequam cura animarum, vel poſſeſſio Paſtoratus ei detur.

CAPUT II.

Ego N. *juro & promitto obedientiam, reverentiam, & honorem Summo Pontifici Romano, ac Rmo Domino Epiſcopo N. eorumdemque Succeſſoribus. Item juro & promitto Eccleſiæ meæ Parochiali de N. fideliter deſervire ſecundum oneris illi annexi exigentiam, & in eo perſonaliter reſidere. Bona Paſtoratus vel Eccleſiæ meæ non alienabo; & indebite alienata, quantum in me erit, fideliter recuperare ſtudebo. Specificationem omnium fructuum Paſtoratus mei, cum debita deſignatione hypothecarum, limitum & terminorum, intra annum a Feſto Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ proxime venturo, Archi-Presbytero tradam; fructus anni, in quo me mori aut meam Eccleſiam dimittere continget, ſubjicio & obligo ad laudabilem deſerviturum uſque ad feſtum Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, mortem vel dimiſſionem meam proxime ſubſecuturum. Sic me Deus*, &c.

CAPUT III.

Cum a Concilio Tridentino conſtituta ſit certa ratio providendi Rectoribus Eccleſiarum parochialium de competentia vivendi: mandat Synodus provincialis Epiſcopis, ut iisdem juxta præſcriptum dicti Concilii de portione Canonica provideant. Quam quidem, computatis certis fructibus & emolumentis, ac incertis ſeu accidentalibus, quæ ad certam ſummam communibus tribus aut quatuor annis ultimo præteritis redigi poſſunt, ſingulis Paſtoribus non infra triginta quinque libras, nullis autem ſupra quinquaginta libras groſſorum Flandriæ, iidem Epiſcopi conſtituant; niſi eorumdem judicio parochiæ amplitudo aliquid amplius ultra 50. libras requireret. Ut vero hæc omnia perfici poſſint, licebit Epiſcopis per unionem vicinarum & minorum Eccleſiarum, aut ſimplicium Beneficiorum, vel per conceſſionem deſerviturarum, & alias propter idoneorum Sacerdotum raritatem, per modum proviſionis providere.

CAPUT IV.

Si vero contingat oriri aliquam difficultatem Paſtoribus in aſſignanda judicio Epiſcopi dicta Canonica portione, iidem Epiſcopi, ſeu eorumdem Vicarii aut Officiales, ſummarie & de plano, ſine ſtrepitu & figura judicii, audita nuda petitione Parochorum, ac eorum, quorum intereſt, reſponſione, & facta deſuper ſummaria informatione, quod ipſis Parochis deeſſe compererint, ad ſummam ſuperius taxatam per modum proviſionis adjudicabunt; & appellatio executionem non ſuſpendat.

CA-

Digitized by Google

CAPUT V.

Eccleſiis parochialibus vacantibus curabunt Epiſcopi & Archi-Diaconi, ut quam fieri poterit citiſsime, iisdem de idoneis Paſtoribus provideatur, illique mox inſtituantur, & ſic a capta poſſeſſione, & inchoata reſidentia, pro rata temporis fructibus gaudeant.

CAPUT VI.

Quamdiu ob malignitatem horum temporum, & raritatem idoneorum Sacerdotum, ſingulis pagis de proprio Paſtore provideri non poteſt, ſed uni Parocho duorum aut trium pagorum curam committere Ordinarii coguntur; curent ejusmodi deſervitores, ut onera Miſſarum ſingulis paſtoratibus incumbentia fideliter expleantur.

CAPUT VII.

Archi-presbyteri & Paſtores Decreta Concilii Tridentini, nec non hujus & primæ Synodi provincialis, ſæpe diligenterque legant: & quæ paſſim in iisdem ponuntur officium ipſorum concernentia, quam diligentiſſime exequantur.

CAPUT VIII.

Paſtores ab omnibus ad ſuas parochias commigrantibus, ſi eorum vitam & fidem aliunde cognitam non habuerint, exigant deſuper literas teſtimoniales ultimi ipſorum Paſtoris; quæ ſi non exhibeantur, Curiæ Epiſcopi inſinuent, ut eas exhibere compellantur juxta edicta deſuper emanata.

CAPUT IX.

Piorum legatorum diligentem curam habeant, & ſeriis monitionibus ſatagant, ut ante finem anni piis Fundatorum voluntatibus ſatisfiat, alioqui ii, quibus hoc onus incumbit, Ordinario denuntientur.

CAPUT X.

Archi-presbyteri ſinguli, ubi id juris ex conſuetudine habent, Eccleſias parochiales, Capellas, & Hoſpitalia, aliaque pia loca diſtrictus ſui, juxta commiſſionem ſibi ab Ordinario datam vel dandam quotannis viſitent; actaque viſitationis intra tempus ab Ordinario præſcriptum, vel præſcribendum, ad ipſum, vel Vicarium ejus Generalem transmittant.

CAPUT XI.

Inter cætera viſitaturi ſerio inquirant, an Paſtores ipſi, ac reliqui Sacerdotes, & Miniſtri Eccleſiæ honeſte vivant; & an officio ſuo in prædicatione verbi Dei, celebratione Miſſarum, adminiſtratione Sacramentorum, ac cæteris omnibus, ſatisfaciant.

CAPUT XII.

Videant etiam, an Eccleſiæ & domus paſtorales & Capellanorum ſint ſartæ tectæ.

CAPUT XIII.

Advigilent quoque, ut bona fabricarum, & pauperum, bene & fideliter adminiſtrentur.

CAPUT XIV.

Capitula Paſtorum ſinguli Archipresbyteri quotannis celebrent, præciſe illo die, quem Ordinarius illis ſtatuet; ut ita Ordinarius, ſi ita expedire judicaverit, vel aliquem ad ea mittere, vel iis ſignificanda ſcripto ſignificare poſſit.

CAPUT XV.

Cuſtodes quarumcumque Eccleſiarum parochialium, ac Sacellorum, præſtent juramentum de obedientia, in his, quæ officii ſui ſunt, exhibenda Paſtori & Ædituis. Item requiſiti dent cautionem pro his, quæ illorum curæ committuntur, ac promittant ſe in Officio Divino & adminiſtratione Sacramentorum ſuperpelliceo uſuros, alioqui officio privandi. Et ſi Cuſtodes non reſideant, teneantur providere Eccleſiæ de idoneo aliquo ſubſtituto, cum ſtipendio, Ordinarii arbitrio illi conſtituendo.

CAPUT XVI.

Sacerdotes quoque quando haberi poterunt, præ cæteris ad officia Cuſtodum aſſumantur; ut hac ratione Officium Divinum honeſtius peragi, & Scholæ de Ludimagiſtro, & populo de Miſſa matutinali proviſum eſſe poſſit.

Digitized by Google

TITULUS XVIII.

De vita & honeſtate Clericorum, eorumque correctione.

CAPUT I.

NEmo, etiam in Ordine Sacro conſtitutus, fidejubeat: ſciantque omnes Clerici ipſis non licere ullo pacto fori privilegio renuntiare; & ſi renuntiaverint, nullam eſſe renuntiationem, in eosque ad Sacrorum Canonum præſcriptum agi poſſe, ac debere.

CAPUT II.

Quilibet tonſuram habeat, ſuo gradui & Ordini congruam, eamque ſemper conſpicuam.

CAPUT III.

Nemo Beneficiatus, vel in Ordine Sacro conſtitutus, barbam geſtet alatam; & quilibet Sacerdos ita inſuper ſuperius labrum reſciſſum habeat, ut Sanguinem Chriſti ſumpturo non ſit impedimento.

CAPUT IV.

Etſi habitus non faciat Monachum, debent tamen Clerici in oppidis veſtes geſtare ſuo Ordini congruentes, ut per decentiam habitus extrinſeci, morum honeſtatem intrinſecam oſtendant; ideoque tunicas exteriores manicatas & Clericale biretum, quod eſt Eccleſiaſticorum hominum proprium, ad Crucis formam confectum ſemper gerant: galerum vero non adhibeant, niſi cum ob adverſam valetudinem, aut aeris intemperiem, pluviamve ingruentem, adhiberi oporteat; qui tamen ſericus non ſit, aut inſtar militarium turbinatus: quem etiam, cum primum in Eccleſiam vel in ædes publicas præcipue ingreſſi ſunt, ſtatim deponant. Qui vero ruri agunt, veſtem interiorem, ut minimum, ad dimidium tibiarum uſque promiſſam habere debeant. Porro Clerici viatores aut peregrinantes ita ſe decenter ſuaque profeſſione digne gerant, ut eorum moribus, verbis, habituque modeſto per omnia glorificetur Deus. Et quoniam mundana curioſitas quotidianas adinvenit levitates, omnis ille habitus quibuslibet Eccleſiaſticis perſonis interdictus ſit, a quo Epiſcopus abſtinendum mandarit: & qui ab Epiſcopo moniti, etiam per edictum publicum honeſtum habitum Clericalem non geſtaverint, per ſuſpenſionem ab Ordinibus, officio, & beneficio, ac fructibus, & redditibus, & proventibus ipſorum beneficiorum, nec non ſi ſemel correpti iterum in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & beneficiorum coerceantur.

CAPUT V.

Clerici quoque beneficiati, vel in Sacris conſtituti, decimas, cenſus, prædia, aut terras alienas non conducant, quæſtus faciendi gratia, neve ullam negotiationem ſæcularem exerceant, ſub pœna arbitraria.

CAPUT VI.

Neque edendi vel bibendi cauſa tabernas ingrediantur, niſi peregrinationis, vel alia neceſſitate compulſi, ſub pœna arbitraria.

CAPUT VII.

Ebrietas quemlibet hominem valde dedecet, quod mentis inducat exilium; ſed maxime perſonas Eccleſiaſticas, quod præter peccati & ſcandali gravitatem, etiam libidinis fomitem ſubminiſtret. Quare & tanto diligentius omnes ab ea ſibi caveant, & in eam lapſi pro gravitate delicti & ſcandali puniantur.

CAPUT VIII.

Quoad concubinarios (ſi qui ſint, quod Deus avertat) vel ſuſpectam cum mulieribus conſuetudinem habentes, juxta Decreta Canonum & Concilii Tridentini rigoroſe puniantur. Et hujusmodi mulieres, ſi monitæ ab Ordinario, ſe ab eorum conſuetudine non ſejunxerint, extra oppidum, vel Diœceſim, invocato etiam, ſi opus fuerit, brachio ſæculari, ejiciantur.

CAPUT IX.

Et generaliter quæcumque a Sacris Canonibus, præſertim Concilii Tridentini, de vita, honeſtate, & modeſtia Clericorum retinenda, & ſimul de luxu, luſibus, & quibuscumque criminibus vitandis ſancita ſunt; eadem omnia ſub iisdem pœnis, tamquam hic

Digitized by Google

hic repetita, hæc Synodus ſervari mandat.

TITULUS XIX.

De Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis, ac Beneficiatorum reſidentia.

CAPUT I.

EX promotione inidoneorum Miniſtrorum Eccleſiæ plurimum mali & ſcandali provenire res ipſa loquitur. Quare mandat Synodus, ut non tantum Epiſcopi, ætate, vel moribus, vel eruditione, vel aliter quomodocumque inidoneos, a ſuſcipiendis Ordinibus arceant; verum etiam ut quælibet beneficia & officia Eccleſiaſtica dignis tantum, & ſine acceptione perſonarum conferantur, utque in conferendis Paſtoratibus ſervetur Decretum Concilii Tridentini *Seſſ.* 24. *Cap.* 18. *de Reform.* etiam quoad convocationem examinandorum per edictum publicum.

CAPUT II.

Cum dignitates in Eccleſiis Cathedralibus & Collegiatis, ad conſervandam augendamque Eccleſiaſticam diſciplinam ſint inſtitutæ, ut qui eas obtinent, pietate præcellant, & aliis ſint exemplo: ſtatuit hæc Synodus omnium Eccleſiarum & Monaſteriorum Abbates, Præpoſitos, Prælatos, Decanos, Archi-Diaconos, Archi-Presbyteros, Pœnitentiarios, Cantores, Scholaſticos, Theſaurarios, & Canonicos Cathedrales, nec non poſſeſſores Capellaniarum, quas vocant, animarum, quæve ex fundatione perſonalem reſidentiam requirunt, & alios omnes beneficiorum, quibus aut cura animarum annexa eſt, aut onus ſimile incumbit, poſſeſſores, ad perſonalem reſidentiam in Eccleſiis ſuarum dignitatum aut beneficiorum obligari, & perſonaliter reſidere debere. Quod ſi id præſtare neglexerint, adverſus eos, ad Sacrorum Canonum, ac Sacri Concilii Tridentini præſcriptum, procedetur.

CAPUT III.

Si qui autem ex prædictis, ſeſe privilegio perpetuo aut temporali tutos & exemptos a perſonali reſidentia putent, dictum privilegium Epiſcopo, ſeu ejus Vicario, intra tres menſes exhibeant, ut cognoſcat, an ex veris cauſis conceſſum ſit, nec ne.

CAPUT IV.

Beneficiati, neque ex fundatione, neque ex conſuetudine, vel aliter ad perſonalem reſidentiam obligati, nihilominus onera Miſſarum beneficiis ſuis incumbentia, in Eccleſiis ubi ea fundata ſunt, plene ac debite expleri curent; alioquin hoc ipſo, etiamſi in loco privilegiato reſederint, a fructibus beneficiorum ſuorum ſuſpendantur, & ſuſpenſi maneant, donec debite docuerint de impleto onere Miſſarum, ob cujus omiſſionem ſuſpenſi fuerant.

CAPUT V.

Pluralitas beneficiorum, & certum continet animarum periculum, & totius Ordinis Eccleſiaſtici perverſio eſt; ideoque mandat hæc Synodus exacte ſervari, quicquid de ea in Cap. *De multa*, x. *De Præbendis*, ac in aliis Sacris Canonibus, & præſertim in Sacro Concilio Tridentino, decretum & ſtatutum eſt.

CAPUT VI.

Permutationes beneficiorum, quas vocant triangulares, & ſimplices reſignationes beneficiorum in favorem tertii, cum clauſula, non aliter, neque alias, improbat etiam hæc Synodus, easdemque deinceps fieri prohibet.

TITULUS XX.

De Scholis.

CAPUT I.

EX bona educatione ac inſtitutione Juventutis pendet pro magna parte ſalus totius Reipublicæ. Quapropter ubicumque Scholæ, tam quotidianæ, quam Dominicales adhuc requiruntur, agant Archi-Presbyteri cum Magiſtratibus & Præfectis locorum, ut eæ mox erigantur, ſimulque rationem ineant ipſis Ludimagiſtris de annuis ſtipendiis providendi.

CAPUT II.

Pauperes per ſubtractionem eleemoſynarum menſæ pauperum, alii vero aliis pœnis liberos, aliosque domeſticos ſuos ad Scholas Dominicales, ac lectionem Catechiſticam, mittere per Magiſtratus & Præfectos locorum ſine conniventia compellantur; eoque tempore, quo juventus in Scholis inſtituitur, a tripudiis & aliis inſolentiis, quibus juvenes a Scholis avocentur, omnino abſtineatur.

CAPUT III.

Optat hæc Synodus, ut tam in Dominicalibus, quam aliis quibuscumque Scholis, maſculi a viris, & puellæ a mulieribus tantum inſtruantur: ubicumque tamem id obtineri non poterit, ſaltem locis & interſtitiis maſculi a puellis ſeparentur.

CAPUT IV.

Scholæ Scholaſticis Capitulorum ſubjectæ, ab iisdem Scholaſticis, cæteræ omnes ab Archi-Presbyteris, vel aliis ad id ab Ordinario deputatis, ſingulis ſaltem ſemeſtribus ſerio viſitentur; nec ulli omnino libri in iis prælegantur, qui turpe aut obſcœnum quid contineant, quique ab Ordinario approbati non ſint.

CAPUT V.

Scholas Dominicales frequentantes non tantum doceantur legere & ſcribere; verum etiam, & quidem præcipue, inſtituantur in rudimentis fidei: & ante omnia doceantur Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, Præcepta Decalogi & Eccleſiæ, modumque confitendi ac Miſſæ Sacrificio inſerviendi, & qui grandiores ſunt, rationem etiam ſe parandi ad Communionem.

CAPUT VI.

Inſuper hortatur hæc Synodus, ut in Scholis latinis doceatur Cantus Gregorianus; nec non ut Ludimagiſtri & Ludimagiſtræ Scholarum linguæ vernaculæ juventutem ſuam ſtatis diebus ad lectionem Catechiſticam deducant, eosque ibidem in officio contineant.

TITULUS XXI.

De Seminariis.

CAPUT I.

UBicumque ſaluberrimum Decretum Concilii Tridentini de inſtituendis Seminariis necdum executioni mandatum eſt, curent Epiſcopi illi plene ac debite ſatisfieri in proxima Synodo Diœceſana, in ſingulis Diœceſibus, quam citiſſime fieri poterit, celebranda. Ut autem hoc pro præſentis temporis ſtatu commode fiat, ſexageſimus denarius, aut plus minusve, prout videbitur Epiſcopo, cum conſilio eorum, qui ex Decreto dicti Concilii Tridentini eidem ſunt adjungendi, e bonis Eccleſiaſticis in qualibet Diœceſi in hunc uſum applicetur.

CAPUT II.

Inter alia doceantur cantum Gregorianum, & cæremonias Eccleſiæ; & in illis ipſis, in Cathedralibus & aliis Eccleſiis exerceantur.

CAPUT III.

Rector vel Præſidens Seminarii ad minimum ſingulis annis adminiſtrationis ſuæ computum fideliter reddat.

CAPUT IV.

Quæ præterea pro pia inſtitutione hujusmodi juventutis, & Seminariorum erectione, a Sacroſancta Tridentina Synodo decreta ſunt *Seſſ.* 23. *Cap.* 18. *De Reform.* hic habeantur pro inſertis.

TITULUS XXII.

De Elocatione & conſervatione Bonorum Eccleſiaſticorum.

CAPUT I.

QUæ in prima Synodo Provinciali Mechlinienſi, de conſervatione ac debita adminiſtratione Bonorum Eccleſiaſticorum decreta ſunt, eadem omnino amplectitur hæc Synodus: & inſuper iis adjicit ea, quæ ſequuntur.

CAPUT II.

Bona Eccleſiæ locare non liceat ultra tempus a jure permiſſum.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT III.

Poſſeſſores quorumcumque beneficiorum, literas fundationum eorumdem, & omnium bonorum ad beneficia ſpectantium, Decanis Capitulorum vel Archi-Presbyteris, quorum viſitationi ipſa beneficia ſubſunt, intra trimeſtre poſt publicationem præſentis Synodi exhibeant, in Archivis Epiſcoporum vel Capitulorum aſſervandas, ſub pœna quatuor florenorum Seminario applicandorum; vel ſi eas ſe habere negent, ſub juramento ſe deſuper expurgent.

CAPUT IV.

Ubicumque regiſtra bonorum quorumcumque Collegiorum Eccleſiaſticorum, beneficiorum, fabricarum, menſarum Sancti Spiritus, aliarumque piarum fundationum, a quindecim annis legitime renovata non fuerint, renoventur ea cum debita deſignatione limitum & conterminorum infra annum proximum, idque ſumptibus eorum, in quorum utilitatem fiunt.

CAPUT V.

Et quia injuria horum temporum multa interciderunt munimenta bonorum Eccleſiaſticorum: ut iniquis debitoribus, quos in poſterum forte ſolutionem denegare contingeret, obvietur; mandat hæc Synodus univerſis Beneficiatis hujus Provinciæ, ut ſinguli legitima faciant manualia, in quibus annuam ſolutionem ita ſignent, ut ex eisdem manualibus ſucceſſu temporis legitima poſſeſſio probari poſſit. Et hæc ipſa manualia quotannis a Decanis viſitentur, & Succeſſoribus gratis relinquantur.

CAPUT VI.

In ſingulis Eccleſiis Parochialibus & Sacellis fiat inventarium omnium ornamentorum, & quorumcumque aliorum bonorum mobilium, ad ipſam Eccleſiam vel Sacellum pertinentium: idemque inventarium a Paſtore, vel Rectore Sacelli, ac Ædituis, ſubſignetur; atque ita ſubſignatum cum cæteris monumentis debite aſſervetur.

CAPUT VII.

Paſtores, & quicumque alii Beneficiati, domos beneficiorum ſuorum integras conſervent; ac debite reparent, niſi reparationes earumdem ab aliis fieri debere certo conſtet. Archi-Presbyteri, ubi ipſis id juris ex conſuetudine competit, illas ſingulis annis ſerio viſitent; & quando eas reparatione indigere advertent, eam mox fieri mandent; & non obedientes denuntientur Epiſcopo, vel ejus Vicario Generali, ut ad debitas reparationes faciendas, prout juris & rationis fuerit, compellantur, & pro præterita negligentia etiam puniantur. Si vero ad hujusmodi reparationes obligatos, iis necdum perfectis, ex hac vita migrare vel beneficia ſua reſignare contigerit; bona domorum mortuariarum, eorumque qui beneficia ſua dimiſerunt, arreſtentur, & arreſtata maneant, donec eæ perfectæ fuerint.

CAPUT VIII.

Rationes fabricarum, & menſarum pauperum, aliarumque piarum fundationum, ſingulis annis ubique reddantur; vel ſaltem, ubi tenuiores ſunt earum proventus, ſingulis bienniis: & de decennio in decennium contineant plenam ſpecificationem quantitatis, limitum, & conterminorum, ſilvarum, pratorum, ac terrarum arabilium; nec non expreſſam deſignationem tam fundorum & ædium, ſuper quibus redditus vel cenſus hypothecati ſunt, quam ædium & fundorum, iiſdem hypothecis adjacentium, & conterminorum.

CAPUT IX.

Certi quoque dies ad audiendas rationes ubique conſtituantur: & ſi eorum, quibus rationum redditio incumbit, culpa vel negligentia evenerit, quo minus ſtatuto tempore redditio illa facta fuerit, ſinguli eorum multentur; & multa applicetur fabricæ, menſæ pauperum, vel fundationi, cujus computus reddi debuerat.

CAPUT X.

Ordinarii ipſi per ſe, vel ſaltem per Archi-Presbyteros, vel alios ad id deputandos, non tantum fabricarum & menſarum pauperum, ſed etiam Hoſpitalium, domorum orphanorum, ac quorumcumque locorum piorum computus ſemper audiant, & examinatis præ-

Digitized by Google

præcedentibus computibus videant, num eorum concluſiones debite purgatæ, ſeu reliqua eorum plene ſoluta ſint; utque omnia debite adminiſtrentur, diligenter advigilent.

CAPUT XI.

Hoſpitalia in ſubſidium peregrinorum erecta, hiſtrionibus, aleatoribus, aliisque id generis hominibus non pateant: nec in iis viri cum fœminis verſari permittantur, etiam ſi ſe Matrimonio junctos eſſe aſſeverent.

CAPUT XII.

Decretum Concilii Tridentini *Seſſ.* 22. *C.* 11. *de Reform.* contra occupatores quorumcumque bonorum & jurium Eccleſiæ ſubinde populo per Concionatores inculcetur, eumque in finem hæc Synodus illud de verbo ad verbum hic inſerendum cenſuit: " Si quem Cle-" ricorum, vel Laicorum, quacunque " is dignitate etiam Imperiali aut Rega-" li præfulgeat, in tantum malorum " omnium radix cupiditas occupave-" rit, ut alicujus Eccleſiæ, ſeu cujus-" vis fæcularis vel regularis beneficii, " montium pietatis, aliorumve pio-" rum locorum jurisdictiones, bona, " cenſus ac jura, etiam feudalia & " emphyteutica, fructus, emolumen-" ta, ſeu quascumque obventiones, " quæ in Miniſtrorum & pauperum " neceſſitates converti debent, per " ſe vel alios, vi vel timore inculſo, " ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Cle-" ricorum aut Laicorum, ſeu quacum-" que arte, aut quocumque quæſito " colore, in proprios uſus convertere, " illosque uſurpare præſumpſerit, ſeu " impedire, ne ab iis, ad quos jure " pertinent, percipiantur; is anathe-" mati tamdiu ſubjaceat, quamdiu ju-" risdictiones, bona, res, jura, fru-" ctus, & redditus, quos occupave-" rit, vel qui ad eum quomodocum-" que etiam ex donatione ſuppoſitæ " perſonæ pervenerint, Eccleſiæ, ejus-" que Adminiſtratori ſive Beneficiato, " integre reſtituerit, ac deinde a Ro-" mano Pontifice abſolutionem obti-" nuerit: quod ſi ejusdem Eccleſiæ " Patronus fuerit, etiam jure Patrona-" tus ultra prædictas pœnas eo ipſo pri-" vatus exiſtat. Clericus vero, qui " nefandæ fraudis & uſurpationis hu-" jusmodi fabricator ſeu conſentiens " fuerit, eisdem pœnis ſubjaceat; nec " non quibuscumque beneficiis priva-" tus ſit, & ad quæcumque alia benefi-" cia inhabilis efficiatur, & a ſuorum " Ordinum executione, etiam poſt in-" tegram ſatisfactionem & abſolutio-" nem, ſui Ordinarii arbitrio ſuſpenda-" tur."

CAPUT XIII.

Denique quicumque habent Reliquias, ornamenta, munimenta, vel alia quæcumque, ad Eccleſias, Hoſpitalia, Monaſteria, aliave loca pia diruta, vel deſerta, ſive Rectoribus deſtituta, quomodolibet ſpectantia, ad Archiva Epiſcopi deferre teneantur ibidem conſervanda.

TITULUS XXIII.

De reparatione Eccleſiarum.

Cum infinitæ quotidie oriantur lites ſuper reparatione Eccleſiarum, ſtante hoc civili bello deſtructarum, eo quod Epiſcopatus hujus Provinciæ ſint in diverſis Ducatibus & Comitatibus, & proinde non ubique eædem ſint conſuetudines: viſum fuit huic Synodo per modum proviſionis, & ſine alicujus præjudicio, ex communi juris diſpoſitione per Sacrum Concilium Tridentinum innovati, certam ſuper hac re ineundam eſſe rationem, cui omnes ſeſe conformare teneantur, poſteaquam ſuper eadem cum Sereniſſimis ſuis Celſitudinibus maturius actum fuerit.

TITULUS XXIV.

De Regularibus, & Monialibus.

CAPUT I.

Meminerint Superiores Monaſteriorum, & domorum, tam virorum, quam mulierum, Decreti Concilii Tridentini, quo ſtatuitur, ut is tantum numerus conſtituatur, ac conſervetur, qui vel ex redditibus propriis Monaſteriorum, vel ex conſuetis eleemoſynis commode poſſit ſuſtentari.

CAPUT

CAPUT II.

Curæ ſit etiam Epiſcopis, & aliis Superioribus, ut juxta Decretum dicti Concilii, extraordinarium Confeſſarium bis aut ter in anno Monaſteriis Sanctimonialium offerant, qui non unius vel alterius tantum, ſed omnium omnino confeſſiones audire debeat: & certi ad hoc dies ubique præfigantur.

CAPUT III.

Sciant ſimiliter ipſæ Sanctimoniales, etiam exemptæ, ſibi non licere poſt Profeſſionem, etiam ad breve tempus, Monaſterium egredi; niſi ob aliquam ex tribus cauſis expreſſis Conſtitutione Ssmæ memoriæ Pii V. hac de re edita, quæ inviolabiliter eſt obſervanda.

CAPUT IV.

Cætera omnia de Regularibus, ac Monialibus, in Concilio Tridentino, & in prima Synodo Provinciali Mechlinienſi, decreta amplectens, & innovans, hæc Synodus inſuper addit ea, quæ ſequuntur.

CAPUT V.

In Conventuali Religioſorum, & Monialium menſa, lectio ſacra, quantum res patitur, numquam omittatur.

CAPUT VI.

Prælati Regularium eos tantum ſubditis ſuis Confeſſarios deputent, quos prævio examine, per ſe vel Lectorem ſuum facto, invenerint ſufficienter idoneos.

CAPUT VII.

Libertati Profeſſionis Virginum Deo dicandarum hæc Synodus proſpicere volens, hoc præſenti Decreto tollit omnia Statuta & conſuetudines, quæ dictæ libertati aliquo modo officere poſſunt. Prohibet itaque, ne quarumcumque Virginum capilli ante Profeſſionem reſecentur: mandatque, ut Epiſcopi, vel ab eis Deputati, earumdem virginum voluntatem, tam ante ſuſceptionem habitus, quam ante Profeſſionem, Sacro Trid. Concilio ita jubente, diligenter explorent, non aliter tamen, quam eas ſolas eſſe certo cognoſcant.

CAPUT VIII.

Valde dedecet in Monaſteriis tam virorum, quam mulierum, hoſpitibus advenientibus vina & cereviſiam vendi; atque ideo etiam hæc Synodus id fieri diſtricte prohibet, ſub pœna arbitraria.

CAPUT IX.

Si Decreto Concilii Tridentini, de lectione Sacræ Scripturæ in Monaſteriis Religioſorum habenda, negligentia prælatorum alicubi non ſatisfiat, Epiſcopi locorum, auctoritate a dicto Concilio ſibi attributa, id debite procurent.

TITULUS XXV.

De Foro, Jurisdictione & Immunitate Eccleſiaſticis.

CAPUT I.

ORdinarii locorum, eorumque Officiales, juxta Decretum Concilii Tridentini cauſas omnes, etiam beneficiales, ſaltem infra biennium a die motæ litis terminent; alioquin poſt id ſpatium liberum ſit partibus, vel alteri illarum, Judices ſuperiores, alias tamen competentes, adire.

CAPUT II.

Judices appellationum eas non recipiant, niſi a definitiva, vel a definitivæ vim habente, & cum gravamen per appellationem a definitiva reparari nequeat; prout per Concilium Tridentinum decretum eſt.

CAPUT III.

Ut in cæteris omnibus, ita quoque vel maxime in adminiſtranda juſtitia, quoad Statuta Curiarum, ſalaria, & ſtipendia Miniſtrorum, & practicorum earum, cæteraque hujusmodi, uniformitatem in tota Provincia ſervari expedit. Et ideo ſtatuit præſens Synodus, ut uniformis & moderata ratio, deſuper ejusdem Synodi auctoritate conſtituenda, ab omnibus, quos concernit, obſervetur.

CAPUT IV.

In correctionibus conforment ſe Epiſcopi Decreto Concilii Tridentini

Digitized by Google

Seſſ. 25. Cap. 3. ut nimirum rarius cenſuris utantur, ſed aliis mediis ibidem a Concilio præſcriptis.

CAPUT V.

Ut ſatisfiat Decreto Concilii tridentini, quod jubet in ſingulis Conciliis provincialibus, aut Diœceſanis, aliquot perſonas juxta Conſtitutionem BONIFACII VIII. quæ incipit, *Statutum, &c.* qualificatas, & alioquin ad id aptas deſignari, quibus præter Ordinarios locorum, cauſæ Eccleſiaſticæ in partibus delegandæ, a quolibet Legato vel Nuntio, atque etiam ab ipſa Sede Apoſtolica committantur: præſens Synodus deſignat, & nominat perſonas infraſcriptas, earumque nomina, cognomina, & qualitates, ad ſuam Sanctitatem transmittenda eſſe ſtatuit.

In Archi-Epiſcopatu Mechlinienſi pro idoneis nominati & deſignati ſunt:

MECHLINIÆ,

D. Henricus Franciſcus van der Burch, J. U. Licentiatus, Decanus Eccleſiæ Metropolitanæ Mechlinienſis, & Vicarius Generalis Archi-Epiſcopatus ejusdem.

D. ac M. Petrus van den Wiele, Sacræ Theologiæ Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Metropolitanæ Archi-Diaconus.

D. Jacobus Boonen, J. U. Licentiatus, Canonicus & Officialis Mechlinienſis.

LOVANII,

Rdus Pater D. Libertus Schaloun, Abbas Vlierbacenſis.

Rdus Pater D. Joannes Druſius, S. Theologiæ Licentiatus, Abbas Parcenſis.

Rdus Pater D. Ludovicus ab Lynatten, Abbas S. Gertrudis, & Conſervator Privilegiorum Univerſitatis Lovanienſis.

BRUXELLÆ,

D. Petrus Pantinus, Decanus Inſignis Eccleſiæ Collegiatæ S. Gudilæ Bruxellenſis, Protonotarius Apoſtolicus.

D. Cæſar Clemens, S. Theol. Doctor, Decanus Eccleſiæ Collegiatæ Anderlechtenſis, Protonotarius Apoſtolicus.

D. Cornelius Worzel, S. T. Licentiatus, Decanus Bredanus, & Plebanus Bruxellenſis.

IN EPISCOPATU GANDENSI,

D. ac M. Adrianus Varræus, S. T. Licentiatus, Catbed. Eccleſ. S. Bavonis Præpoſitus.

D. ac M. Petrus Bernaerts, S. T. Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Decanus.

Rdus Pater D. Livinus van der Meulen, Abbas Tbrunchinienſis.

D. Franciſcus del Pio, U. J. Licentiatus, Canonicus Eccleſiæ Cathedralis S. Bavonis, & Officialis Gandavenſis.

D. ac M. Philippus Jadaert, S. T. Licentiatus, Eccleſiæ Collegiatæ S. Pharaildis Decanus.

IN EPISCOPATU BUSCODUCENSI,

D. ac M. Gisbertus Caverincx, S. Theologiæ Licentiatus, & Eccleſiæ Cathedralis Decanus, deſignatus Epiſcopus Daventrienſis.

Rdus Pater D. Arnoldus Veſſenius, Abbas Monaſterii Berneuſis.

D. Everardus de Raveſteyn, U. J. Licentiatus, Canonicus dictæ Cathedralis Eccleſiæ, & Officialis.

IN EPISCOPATU RUREMUNDENSI,

D. ac M. Petrus Pollius, S. T. Doctor, Cathedralis Eccleſiæ Ruremundenſis Decanus.

D. Fredericus Joannis, Cantor ejusdem Eccleſiæ & Canonicus.

D. Guilelmus Randeraet, J. U. Licentiatus, & ejusdem Eccleſiæ Canonicus.

IN EPISCOPATU BRUGENSI,

D. ac M. Nicolaus de Heere, Eccleſiæ Cathedralis Brugenſis Decanus.

Rdus Pater D. Joannes de Bourier, Abbas Monaſterii S. Andreæ.

Rdus Pater D. Joannes Montanus, Abbas Monaſterii de Eeckhoudt.

D. ac M. Arnoldus a Mechlinia, S. Theologiæ Licentiatus, Eccleſiæ Cathedralis Archi-Diaconus & Canonicus.

D. Remigius Driutius, J. U. Licentiatus, Canonicus ejusdem Eccleſiæ & Officialis.

D. ac M. Dionyſius Chriſtophori, S. Theol. Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Canonicus & Scholaſticus.

IN EPISCOPATU ANTVERPIENSI,

D. Joannes del Rio, U. J. Licentiatus, Decanus Eccleſiæ Cathedralis Antverpienſis, & Vicarius Epiſcopatus ejusdem, & Protonotarius Apoſtolicus.

Rdus Pater D. Dionyſius Feyten, Abbas Monaſterii S. Michaelis.

D. Cornelius de Witte, S. Theol. Licentiatus, Archi-Diaconus & Canonicus dictæ Cathedralis Eccleſiæ.

D. Joannes Gevarts, J. U. Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Canonicus & Officialis.

D. An-

Digitized by Google

D. Antonius Heylwigen, J. U. Licentiatus, ejusdem Eccleſiæ Canonicus & Theſaurarius.

D. ac M. Aubertus Miræus, S. Theol. Baccalaureus, Canonicus & Scholaſticus ejusdem Eccleſiæ.

In Episcopatu Yprensi,

D. Judocus Veranneman, Eccleſiæ Cathedralis Decanus.

Rdus Pater D. Carolus de Argenteau, Monaſterii S. Winoci Abbas.

Rdus Pater D. Vincentius du Buet, Monaſterii S. Joannis Abbas.

D. Carolus van Houcke, J. U. Licentiatus, Cathedralis Eccleſiæ Archi-Diaconus & Canonicus.

D. Ludovicus Vlaminck, J. U. Licentiatus, ejusdem Eccleſ. Cathedralis Theſaurarius.

D. Franciſcus de Montmorency, Eccleſiæ Collegiatæ oppidi Casletenſis Præpoſitus.

Si quempiam ex prænominatis ante proximam Synodum provincialem, aut Diœceſanam, mori contigerit; Epiſcopus conſilio Capituli alium uſque ad proximam Synodum ſubſtituet, eamdemque ſubſtitutionem ad Sedem Apoſtolicam transmitti curabit.

TITULUS XXVI.

De Synodo Provinciali, & Diœceſena.

CAPUT I.

COncilio Provinciali, vel Diœceſano, debite convocato, omnes qui de jure vel conſuetudine illi intereſſe debent, die & loco præfixis perſonaliter comparebunt, niſi legitime impediti fuerint: quo caſu tempeſtive de cauſa impedimenti fidem facient: & nihilominus Procuratorem virum Eccleſiaſticum mittent, non tantum ad audiendum & referendum, ſed etiam ad deliberandum & agendum, quæ Principalis faceret, ſi perſonaliter intereſſet, nec non ad ſimpliciter acceptandum & recipiendum, quæcumque in ipſa Synodo ſtatuta & decreta fuerint.

CAPUT II.

Contra abſentes non legitime excuſatos, vel qui Procuratorem ſufficienti mandato inſtructum non miſerint, primum ad contumaciam etiam per affixionem edicti publici ad valvas loci, in quo Concilium celebrabitur, deinde ad alias pœnas juxta Canonicas Sanctiones decernendas procedatur.

CAPUT III.

Nemo, ſine licentia Præſidis Concilii, a Concilio recedere audeat; neque tunc aliter, quam ſufficienti conſtituto Procuratore.

CAPUT IV.

Quod ſi Epiſcopi, & alii, qui intereſſe debent, a noviſſimo Concilio circa hæc aliqua obſervaverint, quod in futuro Concilio proponendum videatur, id uno menſe ante diem præfixum ipſi Metropolitano per literas ſignificent.

CAPUT V.

Quæcumque in hac Provinciali Synodo, ad majorem Dei gloriam & animarum ſalutem, ſtatuta ſunt per univerſam Mechlinienſem Provinciam, per ſingulas Diœceſes intra annum Diœceſanis Synodis publicanda ſunt; ad quas omnes omnino, tam exempti, quam non exempti, ut publicari ea audiant, & ad ea ſe conforment, ex Decreto Tridentinæ Synodi *Seſſ. 24. de Reform. Cap. 2.* accedere tenebuntur.

Quæ reliqua ſunt reformationem concernentia, & tempore exiguo expediri non potuerunt, Epiſcopi in proxima Synodo Diœceſana ſtatuant, prout utilitatem Eccleſiæ poſtulare judicabunt. Mandat poſtremo hæc eadem Synodus Provincialis, ut quæcumque tam in Concilio Tridentino, quam in hac ipſa Synodo decreta & ſtatuta ſunt, poſt impreſſionem inviolabiliter obſerventur; omnia interim & ſingula cenſuræ & judicio Sedis Apoſtolicæ quam humillime ſubmittens. Actum Mechliniæ Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo, die decima nona menſis Julii; ſubſignatum:

MATTHIAS (*) *Archi-Epiſcopus Mechlinienſis.*

Petrus

(*) Matthias Hovius Mechliniæ, qua in urbe Parentes habuit, non tam opulentia, quam fama vitæ ac nominis integritate claros, annumque 1542. natalem, totis viginti

Digitized by Google

Petrus Damant Epiſcopus Gandavenſis.
Gisbertus Maſius Epiſc. Buſcoducenſis.
Henricus Epiſcopus Ruremundenſis.
Carolus Philippus de Rodoan Epiſcopus Brugenſis.
Joannes Miræus Epiſcopus Antverpienſis.
Carolus Maſius Epiſcopus Yprenſis.

Ante horum Decretorum publicam lectionem, Rmus & Illmus Dominus Præſidens, re cum RRmis DDnis Coepiſcopis communicata, ſequentem Schedulam de ſcripto pronuntiavit, eamque hic ad calcem ad verbum adſcribi mandavit:

REverendi ac Venerabiles DDni: Rerum, de quibus hactenus hic actum eſt, multitudo & gravitas, merito tempus extenſius requireret & longius, præſertim cum de plerisque etiam ſint conſulendæ Sereniſſimæ Celſitudines Suæ, quarum protectione ſperamus faciliorem executionem: ſed cum RR. VV. ſæpius nobis expoſuerint, quanto cum damno ab ovibus ſuis abſint, & quanto hic ſumptu detineantur, ideoque ſe non ferre diuturniorem moram; viſum eſt RRmis Patribus hujus Synodi vos cum bona venia ſua dimittere, declarando, & conſueto modo publicando, quod vobis auditis, & expenſis rationibus veſtris & ſuis, decernendum & obſervandum videtur.

Poſt cujus Schedulæ pronuntiationem prædicta Concilii Decreta publice lecta fuerunt, die vigeſima menſis Julii anni Milleſimi ſexcenteſimi ſeptimi. In cujus rei fidem nos infraſcripti ejusdem Concilii Secretarii propria manu ſubſcripſimus:

Petrus Pantinus, Protonotar. Apoſtolicus, Decan. Eccl. S. Gudilæ Bruxellenſis.

Dionyſius Chriſtophori, Cathed. Eccleſiæ Brugenſis Canonicus & Scholaſticus.

TESTI-

---

quatuor annis Archi-Epiſcopali muneri Antiſtes ex Vicario Generali tertius ita præfuit, ut, *Cl. Foppenſio teſte*, rudi indigetæque formam Diœceſi primus daret. Fratrem habuit *Joannem van den Hove*, pro avita Religione ac Patria V. Id. Apr. 1580. ab Sectariis trucidatum.

Lovanii in domo Standonica altiorum Studiorum initia, ac progreſſus in ſcientiis Theologicis, Michaelis Baji, Doctoris opera uſus atque inſtitutione, perquam laudabiles fecit, Collegii Pontificii Alumnus, dignus, qui S. Theologiæ Licentia palam condecoraretur. Inde domeſticam ſedem repetens per annos aliquot in SS. Petri & Pauli Eccleſia Concives ſuos Sacro verbi Divini pabulo Paſtor gratioſiſſimus refecit, potuitque fructus laborum ſuorum uberes eo ſibi polliceri certius, quo majore polleret dicendi ſuavitate, quo ampliore ſermonis gratia in ſuorum animos auditorum ſeſe inſinuaret, Orator tempeſtate ſua florentiſſimus.

Anno 1577. Metropolitanæ S. Rumoldi electus Canonicus, Max. Morillono Tornacenſes ad Infulas evecto ſucceſſit Archi-Diaconus anno 1582. Quo ex officii ad Vicarii Generalis primum, tum ad Archi-Epiſcopi dignitatem anno 1596. progreſſus, ſtudia illuc omnia convertit, qua demum ratione, emendatis Cleri moribus, temeritatem Acatholicorum ſub iſta tempora in Belgio vix non dominantem opprimeret. Quare Synodum Provincialem anno 1607. Mechliniæ & auſpicatus eſt feliciter, & pari fine terminavit. Statuta jam dedimus, daturi etiam, ubi ad manus pervenerint, alterius cujusdam, quam & Ipſe altero anno poſt celebravit, Diœceſanæ Decreta, una cum Gandavenſi ejusdem anni Concilio, quod Petrus Damantius Ep. habuit.

Fuit Matthias Potentiſſimis Alberto & Iſabellæ Principibus a Conſiliis ſtatus, atque inprimis carus; Archi-Epiſcopale fundavit Seminarium, ac multa Eccleſiæ Belgicæ perutilia gnaviter congeſta typo dedit. Obiit, poſtquam Epiſcopos conſecraſſet 11., Presbyteros 2482., Diaconos 2777., Subdiaconos 2790., & in Minoribus Ordinibus 2713. in Abbatia ſua Affligemienſi, anno 1620. 3. Cal. Julii, ætatis 78. Sacerdotii 54. Archi-Epiſcopatus 25. vel in ſola Oratione parænetica ad Clerum univerſum in Synodo illa Provinciali jam congregatum habita, quam admirabilem *Morerus* jure nuncupat, ſuperſtes nunquam non futurus.

Vide Cl. Caſtillion. Sac. Belgii Chronologiam pag. 498. *Et cit. Cl. Joan. Franc. Foppens Biblioth. Belg. P. II. pag.* 874. & 875.

TESTIMONIUM

Illuſtriſſimi & Revdiſſimi Domini, D. Cardinalis PAMPHILII, ſuper facta recognitione Concilii Provincialis Mechlinienſis ab Illuſtriſſimis & Rmis DD. DD. Cardinalibus Interpretibus Sacri Concilii Tridentini.

NOS HIERONYMUS Tituli S. Blaſii de Annulo S. R. E. Cardinalis PAMPHILIUS, fidem facimus & atteſtamur, Decreta confecta in Provinciali Synodo a Reverendiſſimo D. Archi-Epiſcopo Mechlinienſi, eaque a R. D. Dionyſio Chriſtophori, Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis Canonico, ipſiusque Archi-Epiſcopi Procuratore, ad Smum D. N. perlata a Sacra Congregatione Cardinalium Concilio Tridentino interpretando præpoſitorum emendata, recognita, atque aptata fuiſſe: nec non eorumdem Decretorum exemplum apud ipſam Congregationem remanſiſſe; cum quo bujusmodi Decreta hoc libello chartarum xxix. (*quarum prima incipit*: Decreta, &c. *ultima vero*: Potuerunt, &c. *& definit*: Eccleſiæ Brugenſis Canonicus & Scholaſticus) *deſcripta, & collata in omnibus, & per omnia concordant. In quorum fidem his propria manu ſubſcripſimus, & ab infraſcripto Secretario item ſubſcribi, ſigillique noſtri impreſſione communiri mandavimus. Datum Romæ, die III. Aprilis, Anno M.DC.VIII.*

HIER. CARD. PAMPHILIUS.

JOANNES FRANC. FAGNANUS, Sacræ Congregat. Concilii Secretarius.

BREVE

SS. D. N. PAULI PP. V.

Super Confirmatione Concilii Provincialis Mechlinienſis.

VENERABILIBUS FRATRIBUS Archi-Epiſcopo & Epiſcopis Provinciæ Mechlinienſis,

PAULUS PP. V.

VEnerabiles Fratres, Salutem & Apoſtolicam Benedictionem. Acta Synodi Provincialis Mechlinienſis, a Fraternitatibus veſtris nuper habitæ, quæ Dilectus Filius Dionyſius Chriſtophori, Canonicus & Scholaſticus Eccleſiæ Brugenſis, ad Nos detulit, ut ſi Nobis probarentur, illa confirmaremus auctoritate noſtra Apoſtolica; nonnullis mutatis, ut videbitis, approbavimus: recognita prius mandato noſtro, a Venerabilibus Fratribus noſtris Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, Interpretibus Sacri Concilii Tridentini. Laudamus valde, Fratres Venerabiles, zelum pietatis, prudentiam & vigilantiam veſtram, quam in hujusmodi Decretis ſanciendis agnovimus; ac Deum ſapientiæ & miſericordiarum Patrem precamur, ut quotidie in vobis augeat dona Divinæ ſuæ gratiæ, ut miniſterii veſtri ac laborum, quos ad ejus Sanctiſſimi Nominis gloriam & animarum ſalutem ſuſcipitis, præmia benignus vobis retribuat, cum reddideritis rationem villicationis veſtræ. Quemadmodum etiam hortamur, atque Apoſtolica auctoritate, quam a Dei benignitate licet immeriti accepimus, jubemus, ut ejus Synodi Decreta omnia, quæ ad Sacrorum Canonum præſcriptum omnes iſtius Provinciæ Epiſcopos, omnesque eorum Diœceſanos obſtringunt, ab omnibus quam diligentiſſime & inviolate ſerventur: ac vobis omnibus Apoſtolicam benedictionem noſtram peramanter largimur. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub annulo Piſcatoris, quarto Kal. Maji, M.DC.VIII. Pontificatus noſtri anno Tertio.

PETRUS STROZA.

Aliud Teſtimonium examinati Concilii, ab Illmo & Rmo Domino, D. Cardinale PAMPHILIO, directum Rmo & Illmo Domino Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.

PERILLUSTRI ac Rmo DOMINO uti Fratri D. Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.

PErilluſtris ac Rme D. uti Frater: Provincialem Synodum Mechlinienſem, ab Amplit. T. adhibitis Comprovincialibus Epiſcopis noviſſime celebratam, & a Rdo D. Dionyſio Chriſtophori Cathedralis Eccleſiæ Brugenſis Canonico & Scholaſtico, Amplit. T. & ipſorum Comprovincialium Epiſcoporum Procuratore, exhibitam, ejusque Decreta ad mores moderandos, exceſſus corrigendos, abuſus iſtic bellorum præſertim injuria atque hæreticorum artibus

introductos eradicandos, pie ac ſapienter confecta, Illmi Cardinales Trid. Conc. Smi D. N. auctoritate Interpretes, pro munere ſibi injuncto diligenter recognoverunt, atque ubi oportuit, etiam emendarunt. Itaque illam ipſam Synodum ad Amplit. T. nunc remittimus, pro ſui muneris debito edendam, publicandam, & ſedulo in iſta Provincia obſervandam, ut egregiæ ac pientiſſimæ operæ, & induſtriæ, ſaluberrimique laboris fructus, quos ſibi initio propoſuit, uberiores in dies, adjuvante Domino, percipiat. Quod ut cumulate & quam celerrime fiat, nos ſummis precibus a Divina benignitate contendimus, Amplitudinique T. ſalutem plurimam precamur in Domino. Romæ, die X. Aprilis, Anno M.DC.VIII.

Ampl. T. Perill. ac Rmæ

uti Frater ſtudioſiſſ.

HIER. Card. PAMPHILIUS.

Secundæ Literæ prænominati Illmi & Rdiſſimi Domini, D. Cardinalis PAMPHILII, ad dictum Rmum & Illmum D. Archi-Epiſcopum Mechlinienſem, teſtantes omnium Proteſtationum in examine & recognitione hujus Concilii eam habitam rationem, quam jus & ratio requirit, ideoque illud jam omnes obligare.

PERILLUSTRI ac Rmo DOMINO uti Fratri D. Archi-Epiſcopo Mechlinienſi.

PErilluſtris ac Rme D. uti Frater. Synodum Provincialem Mechlinienſem ab Amplitudine T. adhibitis Comprovincialibus Epiſcopis noviſſime celebratam, a Sacra Congregatione Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum recognitam, ac nonnullis opportune immutatis probatam fuiſſe, jam aliis literis pro munere noſtro atteſtati ſumus. Nunc ne cuipiam adverſus ipſum Concilium, prudenter ac moderate unanimi Epiſcoporum conſenſu confectum, conquerendi anſa aut occaſio ulla ſuperſit; ſuperaddere placuit, quod reipſa verum, Illmos Patres in ea recognitione, atque emendatione, Proteſtationes iſtic habitas, ac in ipſa Synodi calce deſcriptas, perlegiſſe, expendiſſeque, ac earum, quantum Sacri Canones juſtitiæ norma ſuadebant, rationem habuiſſe. Illam igitur ipſam Synodum, ejusque Decreta incunctanter exequatur Ampl. T. quando jam nullum legitimum obſiſtit impedimentum, & bene valeat in Domino, a quo diuturnam illi incolumitatem cum ejus gratiæ incremento precamur. Romæ, die XXII. Maji, M.DC. VIII.

Ampl. T. Perill. ac Rmæ

uti Frater ſtudioſiſſ.

HIER. Card. PAMPHILIUS.

Sequitur Edictum Alberti & Iſabellæ Claræ Eugeniæ Archi-Ducum, idiomate expreſſum Belgico & Articulos 30. complectens, in quibus de Ludimagiſtris, de Bibliopolis, ac Librariis, de Scholis Dominicalibus potiſſimum agitur.

Decreta hæc Synodi Provincialis Mechlinienſis & Statuta typis Plantinianis edita Antverpiæ apud Joannem Moretum anno 1608. *Recuſa tum Antverpiæ in Officina Plantiniana apud Viduam & Hæredes Balthaſaris Moreti anno* 1680., *tum per Harduinum in CC. Collectione Regia Tom. X. Pariſiis anno* 1714.

SYNO-

Digitized by Google

SYNODUS DIOECESANA YPRENSIS,

Anno Chriſti MDCIX. Pauli V. PP. V. Rudolphi II. Imp. XXXIII.

CELEBRATA

DIE QUARTA MENSIS NOVEMBRIS

Sub CAROLO MASIO,(*) Yprenſi Epiſcopo.

CAROLUS MASIUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS Yprenſis, univerſo Clero & populo Civitatis & Diœceſis noſtræ, Salutem in Domino.

CUm a poſtremis hujus noſtræ Provinciæ bellicis tumultibus non eſſet in Eccleſia noſtra ſervata Synodus Diœceſana, pluriniaque interim tot annorum ſpatio, & injuria temporis, & hominum malitia, eſſent immutata, collapſa & depravata: atque ad ea emendanda & reſtauranda non eſſet opinione noſtra remedium convenientius & ſalubrius, quam ad illud confugere, quo Eccleſia Dei in ſummis periculis ſemper eſſet uſa; recurrendo nimirum ad Concilia Generalia, Provincialia, & Synodalia. Hinc eſt, quod, cum nihil magis haberemus in votis, quam muneri humeris noſtris impoſito, quantum in nobis eſſet, ſatisfacere, cœperimus ſtatim a primo die Reſidentiæ noſtræ omnes cogitationes & actiones noſtras eo dirigere & collimare, ac ita omnia ad actum tam ſolemnem præparare, ut quam primum tempus & occaſio permitteret, poſſemus Synodum indicere, & eam celebrare, atque ita remedio illo tam ſalubri non ſolum, ſed prorſus neceſſario, in tanta deſolatione Eccleſiæ noſtræ nos juvare. Nam ubi a quarto die Conſecrationis noſtræ Concilio Provinciali Mechlinienſi interfuiſſemus, & eo finito ad Reſidentiam noſtram cum Dei gratia rediiſſemus, viſum fuit conſultum, inſtituere ante omnia per totam Diœceſim noſtram Viſitationem generalem: in qua cum propriis noſtris oculis illius ſtatum penitius perluſtraſſemus & inſpexiſſemus: ſane ſi antea, tunc magis judicavimus omnino neceſſarium in propoſito noſtro progredi, & conceptam Synodi declarationem ad effectum deducere, ut in ea etiam Provinciale Mechlinienſe Concilium publicare pro officio noſtro poſſemus. Sed cum illud prius ſecundo anno a ſua Sanctitate confirmatum prodiret in lucem, neceſſe fuit illam animi noſtri ſententiam differre in annum ſequentem, tertium nimirum Reſidentiæ noſtræ, quando tandem hanc Synodum noſtram, præhabito conſilio cum Capitulo Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, indiximus, eamque ad optatum finem perduximus. De quo ſingulari Dei beneficio, tam opportune nobis ante translationem & diſceſſum noſtrum præſtito, non poſſumus ipſius Divinæ Majeſtati dignas ſatis agere gratias; & vobis deinde, qui præſentiam & operam veſtram nobis in hac parte tam prompte

(*) Carolus Maſius (vulgo Maëz) Patria Bruxellenſis, Frater Engelberti Maſii egregium ſanctioris Concilii Præſidem olim agentis, ex Decano Antverpienſi ac Sereniſſimorum Archi-Ducum Alberti & Iſabellæ Eleemoſynario, Petro Simonis, Tiletano, quem a variis ſcriptis typo editis *Valerius Andreas in Bibliotheca ſua Belgica pag.* 761. commendat, indefeſſo per annos viginti Epiſcopo ſucceſſit, Bruxellis in Eccleſia D. Gudulæ die XXIV. Junii anno 1607. conſecratus. Sub ipſa ſtatim novæ dignitatis primordia Provinciali Mechlinienſi interfuit Synodo, & hanc, quam proferimus, poſt biennium celebravit. Evecti anno 1610. Gandavenſem ad Infulam, magnas, quibus eminebat, tum corporis, tum animi dotes nemo ſubditorum non ſuſpexit, laudavitque. Annus illi M. DC. XII. menſis Maji die XXI. ſupremus diluxit, & ſepulchrum in Eccleſia Cathedrali Gandavenſi datum.

Caſtillion Sacra Belgii Chronolog. P. II. pag. 511. & 526. *Havenſius in Comment. de erectione novorum in Belgio Epiſcopatuum Lib. I. pag.* 71.

prompte exhibuiſtis. Unde tam certam in animo noſtro de vobis omnibus fiduciam concepimus, ut non dubitemus, quin eadem animi promptitudine unusquisque veſtrum conabitur pro virili has noſtras Ordinationes. exequi & adimplere: adeo ut exiſtimemus neceſſe non eſſe pluribus ad hoc vos hortari vel monere, cum hoc ipſum & profeſſio noſtra, ſalusque propria & ſubditorum noſtrorum, atque præſens Eccleſiæ extrema neceſſitas, nec non & Fidei Catholicæ conſervatio, jure ſuo a nobis expoſtulet, & requirat: ne, dum putamus nos omnia mala & pericula cum his induciis evaſiſſe, in multo plura & graviora poſtmodum incidamus, quam hactenus perpeſſi ſumus: quæ ſi Deum ab Eccleſia ſua, & hac noſtra Yprenſi, ac a nobis avertere velimus, præſtet unusquisque noſtrum officium ſuum, & ſtudeat quam maxime ſedulo pro modulo ſuo hanc communem Matrem noſtram juvare. Hiſce valete, memores horum eſtote, & Omnipotentem pro nobis orate.

DECRETUM,

Quod nulli præjudicium fiat ex ordine Seſſionis in hac Diœceſana Synodo, promulgatum per Reverendum Dominum Archi-Diaconum Eccleſiæ Cathedralis Yprenſis.

REverendiſſimus Dominus Epiſcopus Yprenſis ſtatuit & decernit: ſi quis ad hanc Synodum vocatus, & in eam admiſſus, ſuo loco non incedat, aut ſedeat, aliumve actum in ea gerat; non ideo alteri cuiquam jus acquiri, aut acquiſitum eſſe, nihilque de hujusmodi jure aut poſſeſſione detrahi, ſed in eo ſtatu & conditione omnia permanere, quo erant ante hanc Synodum Diœceſanam.

INDEX TITULORUM SYNODI.

TIT. I. De Profeſſione Fidei, ejusque integritate reſtituenda & conſervanda.
II. De Prædicatione verbi Dei.
III. De Scholis Parochialibus & Dominicalibus.
IV. De Seminario Clericorum.
V. De Officio Divino, Cæremoniis & Locis Sacris.
VI. De Feſtis, Jejuniis, & Proceſſionibus.
VII. De Sepulturis, Officiis Defunctorum & Funeralibus.
VIII. De Sacramentorum adminiſtratione.
IX. De Sacramento Baptiſmi.
X. De Sacramento Confirmationis.
XI. De Sacramento Pœnitentiæ.
XII. De Sacramento Euchariſtiæ.
XIII. De Sacramento Extremæ Unctionis.
XIV. De Sacramento Ordinis.
XV. De Sponſalibus & Matrimonio.
XVI. De Epiſcopali Sede vacante.
XVII. De vita & honeſtate Clericorum.
XVIII. De Canonicis, Archi Presbyteris, ſive Decanis ruralibus, Paſtoribus, Cuſtodibus, eorumque officiis.
XIX. De Regularibus & Monialibus.
XX. De bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione & conſervatione.
XXI. De Judicibus delegatis, & ordinariis Examinatoribus.
XXII. De Synodo Provinciali & Diœceſana.

CONSTITUTIONES & ARTICULI SYNODI DIOECESANÆ YPRENSIS.

TITULUS I.

De Profeſſione Fidei, ejusque integritate reſtituenda & conſervanda.

CAPUT I.

CUm omnis cura noſtra primo versari debeat in iis, quæ ad Fidem Catholicam (quam Sancta Romana Eccleſia Mater noſtra colit, docet, & ſine qua impoſſibile eſt placere Deo) integre violateque ſervandam pertinent; ideo ab eadem potiſſimum Synodum hanc Diœceſanam judicavimus inchoandam:

Digitized by Google

andam : ut quam ab uno eodemque Spiritu hauſimus, una etiam eademque Profeſſione fateamur : quamque infeliciſſimis hiſce temporibus hæreticorum rabie ac ſtudio offuſcatam & implicatam vidimus, non modo priſtino ſplendori reſtituere, ac explicare; verum etiam ita ſtabilire, ac undequaque munire conemur, ut eam poſteris claram, apertam, integram, firmamque relinquamus. Quare præmiſſa per Nos & univerſam hanc Synodum in nomine Sanctæ & Individuæ Trinitatis, congregatam, publica Catholicæ & Apoſtolicæ Fidei profeſſione, juxta Bullam PII IV., inhærentesque ſaluberrimo Sacroſancti Concilii Tridentini Decreto, ſtatuimus & ordinamus, ut ſimilem Fidei profeſſionem emittant omnes, qui deinceps in Diœceſi noſtra ad Dignitates, ſive Regulares, ſive Sæculares, Canonicatus, & alia quæcumque Beneficia Eccleſiaſtica curam animarum habentia, promovebuntur & admittentur : idque in manibus noſtris, vel Vicarii noſtri Generalis, ſive Officialis : alioqui prædicti omnes non faciant fructus ſuos, nec illis poſſeſſio ſuffragetur.

CAPUT II.

Et quia, ſi unquam, nunc maxime, Fidei & Religionis ratio habenda eſt, ita ut nihil omittendum ſit, quod ad ejusdem præſidium aliquo modo facere poſſit; ſtatuimus, ut in poſterum eandem Fidei profeſſionem faciant, primo ſinguli Canonici Collegiatarum Eccleſiarum, in Capitulo ſuo, antequam ad reſidentiam admittantur.

CAPUT III.

Secundo, quotquot deinceps ad Ordines Sacros promovendi.

Omnes inſuper Concionatores, Confeſſarii, etiam Religioſi (juxta eamdem Bullam PII IV.) niſi de ea antea facta coram Superioribus ſuis Regularibus (quos ad id deputamus) abunde doceant.

Lectores etiam Sacræ Theologiæ in Monaſteriis ſive Clauſtris.

Ut & omnes, qui poſthac ad alias Synodos Diœceſanas convenient, & in hac Fidei profeſſione non interfuerint.

Item qui in hæreſim lapſi, ad Eccleſiæ gremium reverti volunt.

CAPUT IV.

Præterea idem faciant omnes Baillivi, Scabini tam Civitatum, quam pagorum : eæque omnes publicæ perſonæ, quæ Edicto Regio de prima Junii anno M. D. LXXXVII. per glorioſæ memoriæ PHILIPPUM II. comprehenduntur; idque juxta formam in eodem præſcriptam. Rogamus interim & hortamur in Domino omnes, qui jus habent creandi & conſtituendi Magiſtratus, Baillivos, aliosque Miniſtros juſtitiæ, ne ullos aſſumant, niſi probatæ vitæ, & fidei viros, exceptoque ab iis prædicto juramento, cum profeſſione fidei.

CAPUT V.

Librarii vero & Bibliopolæ, præter eam profeſſionem, adjicient & præſtabunt juramentum de non invehendis, vel ſecreto diſtribuendis, libris prohibitis.

CAPUT VI.

Cumque parum prodeſſet, Superiores & Præfectos Fidem Catholicam profiteri, niſi & populus a teneris annis eadem imbuatur, ipſorumque vigilanti cura in ea contineatur; monemus Prælatos, & Paſtores omnes, ut per ſeipſos, aut alios viros doctos, explicent ſedulo & diligenter populis ſibi commiſſis Articulos Fidei, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, præcepta Decalogi & Eccleſiæ, efficaciam inſuper & ritus Sacramentorum; advigilentque paſtores quam maxime, ne ullus lupus inter oves verſetur aut latitet; procurentque, quantum humana diligentia aſſequi poterunt, ut agnoſcant vultum pecoris ſui, noverintque extraneos, ſi qui in parochiis ſuis habitaturi advenerint.

CAPUT VII.

Parochias autem ſuas ſtatim a Dominica in Albis ferio quotannis viſitabunt per domos & familias : omniumque ad Sacram Communionem obligatorum nomina & cognomina in regiſtrum particulare referent.

CAPUT VIII.

Obſervent inſuper, ut ab omnibus in propria id fiat Parochia, & an huic Eccleſiæ præcepto de Communione ſatisfecerint; arcendi alias, ni id authentico teſtimonio probaverint, ab Eccleſia vivi, & mortui Eccleſiaſtica ſepultura privandi, juxta Capitulum: *Omnis utriusque ſexus*, *De Pœnitentiis & Remiſſionibus.*

CAPUT IX.

Volumus etiam, & expreſſe inhibemus ſub pœna ſuſpenſionis ab officio, ne ullos venientes ex partibus ſuſpectis permittant in Parochiis ſuis familiam conſtituere, vel habitationem eligere, niſi ipſis de Fidei Profeſſione facta, & eorum a Nobis, aut Vicariis noſtris admiſſione legitime conſtet.

CAPUT X.

Supremos autem Baillivos, Officiarios, & Magiſtratus, in omnibus & ſingulis Civitatibus, oppidis, pagis & locis Epiſcopatus noſtri, in Domino rogamus & monemus, ne ullos ſimiliter admittant, niſi de ſimili Fidei Profeſſione coram Nobis facta, ante omnia doceant; ut & de iis omnibus, ad quæ Eccleſiæ Præcepta, Principumque Edicta, ſimiles obligant.

CAPUT XI.

Cum autem periculoſius ſit venenum, quod auribus, quam quod ore hauritur, non ſatis erit populum ſana doctrina inſtruere, niſi etiam librorum (quorum lectio ei conceditur) accurata ratio habeatur: quare diſtricte præcipimus & mandamus Decanis & Paſtoribus, ut ſedulo advigilent, ne Librarii & Bibliopolæ ullos libros in diſtrictus ſuos invehant, aut venales exponant, quorum Catalogus non ſit a Nobis, aut Vicariis noſtris antea examinatus & approbatus.

CAPUT XII.

Et quoniam ex Statuto Concilii Provincialis, nemo præter Typographos, Bibliopolas & Librarios juratos, libros excudere, aut venales exponere poſſit; cenſendi ſunt contravenire eidem Statuto, qui paſſim absque licentia & permiſſione Superiorum, quosvis libros, cantilenas, ephemerides, ſimiliaque in veſtibulis Templorum, aut aliis in locis publicis venalia habent, aut per plateas circumferunt. Rogat itaque hæc Synodus omnes Baillivos, Officiarios, Magiſtratus, aliosque, ejusmodi abuſum impediendi facultatem & auctoritatem habentes, ea utantur per confiſcationem etiam omnium librorum & cantilenarum, ut olim CAROLUS V. Imperator Auguſtæ memoriæ, anno M.D.L. Edicto ſuo caverat, confirmatum deinde a PHILIPPO II., Anno M.D.LVI.

CAPUT XIII.

Libri omnes, inventi apud quoscumque Bibliopolas, aut circumforaneos, ex profeſſo laſcivi, obſcœni, necromantici, ſuperſtitioſi, hæretici; quicumque denique bonis moribus aut fidei contrarii ſunt, in eorum conſpectu absque diſſimulatione lacerentur & auferantur.

CAPUT XIV.

Moneant etiam Paſtores populum, neminem poſſe legere, aut penes ſe habere Sacra Biblia vulgari lingua ſine Ordinarii licentia in ſcriptis: imo contrarium facientes, Sacramentaliter abſolvi non poſſe, niſi Bibliis Ordinario prius traditis.

CAPUT XV.

Quare Bibliopolæ ejusmodi Biblia nemini communicabunt, qui prædictam facultatem non habeat, ſub pœnis quarta regula Indicis librorum prohibitorum expreſſis.

CAPUT XVI.

Decani autem vel Paſtores nequaquam præſumant eam facultatem alicui concedere.

CAPUT XVII.

Monebunt inſuper ſubditos, abſtineant a lectione omnium librorum, qui aliquo modo tractant de Magicis artibus, præſtigiis diabolicis, ſuperſtitionibus, cæterisque hujusmodi; quamque graviter peccent, qui eos legunt, aut iis utuntur.

CAPUT XVIII.

Diſputationes vero de rebus & myſteriis fidei a perſonis ſæcularibus neque

que publice, neque privatim fiant: idque prohibitum esse sub pœna excommunicationis (Cap. 2. §. *Inhibemus quoque. De Hæreticis, in sexto.*) sæpe moneant pastores; volumusque tales, si qui essent, Officiali nostro denuntiari, & in eos, tamquam de fide suspectos, inquiri.

CAPUT XIX.

Inhibemus præterea, ne quis sine nostra in scriptis obtenta licentia officium Exorcistæ exerceat: neque utatur alia forma, quam ea, quæ præscripta est in novo Manuali Ecclesiæ Yprensis: faciatque id ex mera charitate & desiderio juvandi proximum, non autem ex avaritia aut alia causa indebita.

CAPUT XX.

Exorcismi autem non temere & leviter adhiberi debent, sed in probabili & apparente maleficii indicio; tum ne ludibrio passim exponantur, tum etiam ne frustra hominibus vanus de dœmone incutiatur metus. Neque hunc actum quisquam aggrediatur, nisi re cum Decano loci communicata: aut si remotius absit, cum pastore viciniore prudente, & in ejusmodi versato.

CAPUT XXI.

Abstinebunt similiter Exorcistæ a verbis & sermonibus indiscretis, ne quis hac ratione de aliis siniſtram opinionem concipiat.

CAPUT XXII.

Pastores cum opportunitate denuntiabunt etiam excommunicatos, quotquot malis artibus & remediis superstitiosis (quæ explicitum vel implicitum pactum cum dœmone continent) morbos aut vulnera tam hominum, quam brutorum animalium curare præsumunt, quique in rebus deperditis Divinatores consulunt: non resipiscentes autem ad Nos deferent.

TITULUS II.

De Prædicatione Verbi Dei.

CAPUT I.

ANte omnia monitos illos quam maxime volumus, qui prædicandi munere, vel Christianam Doctrinam exponendi funguntur. Videant inprimis, ne quod verbo ædificant, id vita & moribus destruant; ne cum aliis prædicaverint, ipsi reprobi efficiantur.

CAPUT II.

Doceant vero & interpretentur Sacram Doctrinam eo sensu, quem Catholica Ecclesia & consentiens Sanctorum Patrum authoritas, comprobavit; nec quidquam ab iis alienum aut dissonum proferant: historias apocryphas, hæreticorum opiniones & argumenta ne referant ante imperitum vulgus.

CAPUT III.

Et si necessitas postulat eorum dogmata falsa accuratius confutari, fiat id non longa disputatione, sed gravi & clara redargutione.

CAPUT IV.

Ne ostentandi ingenii & doctrinæ causa, difficiles atque superfluas quæstiones tractent, fucumve orationis & pigmenta nimium requirant; cum ita se ipsos verius, quam JEsum Christum prædicare viderentur.

CAPUT V.

Sed præcipue in articulorum Fidei, Orationis Dominicæ, Angelicæ Salutationis, præceptorum Decalogi, & Ecclesiæ, Sacramentorum, Missæ, Sacrorum Rituum, Evangelii & Epistolæ dilucidam & compendiosam explicationem & expositionem incumbant.

CAPUT VI.

In coarguendis vitiis ita se modeste habeant, ut non hominum, sed peccatorum & delictorum odio, ac Christianæ pietatis & charitatis desiderio adducti videantur.

CAPUT VII.

Ideo ne quempiam nominatim insectentur, aut tacite eum designent; interea non dissimulent, neque vereantur (justo tamen zelo) invehi in pravas & scandalosas consuetudines seu corruptelas, aut publica peccata; juxta illud 1. *Timoth.* 5. ***Peccantes coram omnibus argue, ut & cæteri timorem habeant.***

Digitized by Google

CAPUT VIII.

Volumus autem, Paſtores omnes ex nunc ſingulis diebus Dominicis, & majoribus Solemnitatibus, conſueta & certa hora concionari, vel ad minus catechizare. Quodſi nec hoc præſtent, ſtatuimus ejusmodi in functione Paſtorali nulla ratione tolerare: componant ſe itaque omnes, ſi non ad concionem, ſaltem ad lectionem Catechiſticam.

CAPUT IX.

Ad concionandum vero nemo a Paſtoribus admittatur, niſi doceat legitime de facultate a Nobis obtenta: idque toties, quoties concionem habere voluerit: ſaltem ſingulis trimeſtribus.

CAPUT X.

Superiores etiam non emittant ſuos ad concionandum, aut ad ſervandos terminos, niſi cum ſocio; neque ulla ratione permittant illos ſolos vivere, ubi ordinarias ſtationes habent, & ſocii aſſumendi commoditatem.

CAPUT XI.

Servabunt autem exactiſſime ſolitas ſtationes, mittentque eos, quoties promiſerunt, idoneos, gratos, & qui locis ipſis ſatisfaciant.

CAPUT XII.

Neque Paſtor externos Concionatores, aut Terminarios in tabernis ad onus Eccleſiarum tractet; ſed quoniam ejus ſtationem ſervarunt, domi ſuæ honeſta portione eos excipiat.

TITULUS III.

De Scholis Parochialibus & Dominicalibus.

CAPUT I.

CUm juventus ſemen ſit Reipublicæ, multumque faciat ad conſervandam & propagandam Catholicam Fidem, ſi illa probe inſtituatur & educetur: volumus omnino, ut ubique locorum Scholæ Parochiales reſtituantur. Quare rogamus, & ſerio monemus, maxime Paſtores & Magiſtratus, & notabiles ſingularum Parochiarum, diligenter in eam curam incumbant, ut quam primum ubique eædem Scholæ erigantur aut renoventur.

CAPUT II.

Iis præficiantur Ludimagiſtri integris moribus, fide, & vitæ probitate conſpicui; quique nullos libros Flandricos aut Gallicos ediſcendos pueris proponant, niſi honeſtos, aut ſaltem moralitatem docentes, iique prius per Scholaſticum noſtrum examinentur & admittantur.

CAPUT III.

Qui tamen, antequam ludum aperiant, ſiſtent ſe Nobis, admittendi demum, ſi literis teſtimonialibus, & vitæ probitate commendati, Fidei Profeſſionem & conſuetum Juramentum præſtiterint.

CAPUT IV.

Monemus itaque Paſtorem loci, ne ullum ſua auctoritate ad Ludimagiſtri officium admittat, qui licentiam noſtram in ſcriptis non exhibeat: alias omnino rejiciendus; & Paſtor, ut contemptor mandatorum ſui Superioris, ex arbitrio puniendus.

CAPUT V.

Utque melior Scholarum ratio habeatur, ipſique Ludimagiſtri facilius in officio contineantur, mandamus Paſtoribus, Scholarum ſuarum curam gerant diligentiſſimam.

CAPUT VI.

Decanis inſuper & Scholaſticis omnibus, ut eas in diſtrictibus ſuis perſonaliter viſitent.

CAPUT VII.

Commendamus autem Ludimagiſtris, primo ſuos doceant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Fidei, præcepta Decalogi, & Eccleſiæ, Sacramenta, peccata mortalia, virtutes iis contrarias, aliaque doctrinæ Chriſtianæ capita ſenſim, pro eorum capacitate.

CAPUT VIII.

Adjunget deinde modum confitendi, mane & veſperi orandi, inſerviendi Miſſæ, legendi, ſcribendi, demum canendi Cantum Gregorianum.

CA-

Digitized by

CAPUT IX.

Cumque non minor ratio habenda ſit pauperum, quam divitum, optamus modum aliquem inveniri, ad Scholas Dominicales in gratiam pauperum erigendas, non ſine ſingulari fructu & commodo.

CAPUT X.

Mandamus etiam ſerio omnibus noſtræ Diœceſis Paſtoribus, ut de lectione Catechiſtica, in ſuis Eccleſiis per ſe, aut per alium idoneum habenda, maxime ſint ſoliciti; idque omnibus Dominicis & Feſtivis diebus, ſigno campanæ ad eam dato.

CAPUT XI.

Caveant, ne ob exiguum catechizandorum numerum a tam pio & neceſſario opere ceſſent, ſub pœna unius floreni pro qualibet omiſſione, ad uſum Seminarii noſtri applicanda.

CAPUT XII.

Ut autem majori cum fructu fiat, habeant Catalogum puerorum omnium & puellarum; abſentium parentes moneant; monitos auxilio brachii ſæcularis mulctent tandem pecuniaria pœna, juxta Edictum Sereniſſimorum Principum noſtrorum.

TITULUS IV.

De Seminario Clericorum.

CAPUT I.

PORro cum de nulla re debeamus magis eſſe ſoliciti, quam ut Eccleſiæ noſtræ de bonis & probis Miniſtris provideatur, quod ab eo pene ipſius ſalus dependeat; illiusque verum & unicum remedium non aliunde, quam ex bene fundato & dotato Clericorum Seminario peti debeat; hocque noſtrum, etiamſi ab erecta Sede Epiſcopali inſtitutum, ita tenuiter dotatum ſit, ut exigua ſpes videatur ſublevandi extremam bonorum Paſtorum & Capellanorum penuriam: inhærentes Decretis Sacroſancti Concilii Tridentini, Concilii Provincialis Mechlinienſis, & conſuetudini, ab initio erectæ Sedis uſque ad poſtremos tumultus hic laudabiliter ſervatæ; declaramus, ex fructibus menſæ noſtræ Epiſcopalis, Capituli Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, omnium Dignitatum, Perſonatuum, Officiorum, Præbendarum, Portionum, Abbatiarum, Prioratuum, Hoſpitalium (etiam ſi dentur in titulum vel Commendam) quorumcumque denique Beneficiorum noſtræ aut ignotæ Diœceſeos, cum conſilio tamen duorum e Capitulo noſtro, & duorum e Clero, ſexageſimam partem aut portionem detrahendam, huicque Seminario noſtro applicandam, quoad alia ratione eidem proviſum ſit, ut prædictam contributionem in totum vel ex parte remittendam eſſe judicemus.

CAPUT II.

In aſſumendis autem juvenibus, ad hoc Seminarium, & alendis ex iſtiusmodi contributione, delectus habebitur; & magis idonei cæteris præferentur; qui non niſi legitimi, & decimum nonum ætatis annum ingreſſi, aſſumentur.

CAPUT III.

Declarabunt iidem, ſe animum habere ad ſtatum Eccleſiaſticum, promittentque ſe id munus in Eccleſia ſubituros, cum idonei fuerint, quod Nos ipſis imponemus: alias expenſas Seminario refundant.

CAPUT IV.

Uti etiam, ſe gratos fore, & memores beneficii a Seminario accepti, ſi quando ad meliorem fortunam evehantur.

TITULUS V.

De Officio Divino, Cæremoniis & locis ſacris.

CAPUT I.

CUm jam ſtatim ab initio erectæ Sedis, Eccleſia noſtra Cathedralis aſſumpſerit uſum Romanum, æquumque ſit, ut membra Capiti ſuo ſe conforment: mandamus, ut omnes Eccleſiæ Collegiatæ & Parochiales, eundem uſum & cæremonias obſervent. Paſtores etiam Religioſi, quamdiu paſtorali munere funguntur, proprium relinquant, Romanum aſſumant, tam in

Miſſis, Concionibus, quam in Horis Canonicis, aliisque officiis.

CAPUT II.

Libros Eccleſiæ ſumptu procurent Magiſtri fabricæ; qui ſi negligentiores fuerint, a Nobis quam primum providebitur: abſtineantque omnino Paſtores ab uſu aliorum librorum.

CAPUT III.

In ornamentorum etiam coloribus & mutatione, Rubricis Romani Miſſalis ſe conforment.

CAPUT IV.

Utenturque ornamentis mundis, decentibus & benedictis.

CAPUT V.

Venerabile Sacramentum ſub fideli cuſtodia recludatur loco honeſto, ac tuto, non humili, aut humido, ſed a dextro latere ſummi Altaris, in muro, aut in ipſo Altari in capſula argentea, vel ad minus (ſi ex alia materia) deaurata: cujus claves penes ſe ſervet ſolus paſtor, & ſubſidiarius Sacellanus.

CAPUT VI.

Sit etiam ad manum alia decens & inaurata capſula, deferendo Sacramento ad infirmos commoda, in eaque ſemper ſufficientes Hoſtiæ: quæ ne corrumpantur, & ut ſingulis quindenis mutentur, ſerio, & de his rationem redditurus, advigilet Paſtor.

CAPUT VII.

Ante Venerabile Sacramentum lampas ardeat, ſaltem tempore Divini Officii, ubi fundatio minus ſufficiens: alias ſemper, ubi fabricæ abunde proviſum.

CAPUT VIII.

Vaſcula Sacrorum Oleorum non ſint ex cupro, ſed ex argento vel ſtanno; reponanturque alio decenti loco, etiam clauſo, & non cum Venerabili Sacramento.

CAPUT IX.

Virgulæ etiam, quarum in ungendis baptizandis & infirmis uſus eſt, ſint ex argento, non autem ex ligno, ut pluribus in locis cum irreverentia fieri conſuevit.

CAPUT X.

Volumus præterea, ne deinceps in tremendo illo Miſſæ Sacrificio alius ſit uſus calicum, quam argenteorum, aut ſaltem cuppa ſit argentea: interdicentes omnino Paſtoribus & Sacellanis, poſt tres menſes proximos, uſum ſtanneorum, ſub pœna arbitraria.

CAPUT XI.

Uſum item Altarium portatilium vel ligneorum in noſtra Diœceſi non ulterius permittimus, quam ad Feſtum Sancti Joannis proximum inclusive.

CAPUT XII.

Promovebunt interim Paſtores ſuorum reſtaurationem altarium, utque iis lapis integer imponatur, offerentes ſemper operam noſtram ad eorum conſecrationem; quæ conſecrata, ſerventur munda & decenter ornata.

CAPUT XIII.

Et quoniam magnam paſſim irreverentiam & indecentiam vidimus, ſordes nimirum avium, maximeque bubonum, non in pavimentis Eccleſiarum ſolum, ſed & in ipſis altaribus: mandamus Paſtoribus omnibus & Magiſtris fabricæ, quamprimum earum in Eccleſiam ingreſſum occludant, & ſingula altaria aſſeribus ſuperne, teſtudinis & fornicis inſtar muniant: ſub gravi pœna per negligentes hujus noſtræ ordinationis incurrenda, & via juris infligenda.

CAPUT XIV.

Reliquias Sacras nemo paſtorum in Eccleſiam ſuam admittat, niſi prius a Nobis examinatas & approbatas.

CAPUT XV.

Imagines etiam in Eccleſiis ſuis nullas inhoneſtas aut ſcandaloſas exponant; neque deinceps ullas exponendas accipiant, niſi a Decano ejus diſtrictus admiſſas: amovebunt autem eas quam primum, ſi quæ tales eſſent.

CAPUT XVI.

Imagines item vetuſtate conſumptas, aut carie exeſas, auferri curabunt,

Digitized by Google

bunt, cum nec ornatum Eccleſiis, nec populo devotionem afferant: quæ vero hæreticorum malitia & rabie mutilatæ aut læſæ ſunt, ad tollendam irreverentiam decenter reſtaurentur.

CAPUT XVII.

Epitaphia nulla ponantur, niſi examinata & approbata; nec unquam cujuscumque demum ſint, in eo loco, ubi tabernaculum Venerabilis Sacramenti poni conſuevit.

CAPUT XVIII.

Sedes confeſſionales cum cancellis ex utroque latere fieri curent Paſtores, ponanturque loco decenti, honeſto, ſecreto, omnibus tandem conſpicuo.

CAPUT XIX.

Cumque jam DEI imprimis benignitate & miſericordia, Sereniſſimorumque Archiducum Principum noſtrorum vigilantia & induſtria, a belli calamitatibus & miſeriis liberati, ſeriam domus Dei reſtaurationem meditemur: omnes & ſingulos, tam Eccleſiaſticos, quam ſæculares, in Domino monemus, ne ulterius differant opus, Deo inprimis, Principibusque noſtris gratiſſimum, ac populo omnino neceſſarium; ſed ſerio in Eccleſiarum & Altarium reſtaurationem incumbant.

CAPUT XX.

Cœmeteriorum, cum ſint loca benedicta, in quibus Chriſti fideles in ſpem Reſurrectionis quieſcunt, merito magna ratio habenda eſt. Volumus itaque, ea muris, foſſis, aut ſepibus, ita concludantur, ut equis, vaccis, porcis, aliisque ſimilibus animalibus nullus ad ea pateat ingreſſus.

CAPUT XXI.

Herba, quæ in cœmeteriis creſcit, divendatur, & metatur in commodum Eccleſiæ: neque in cœmeteriis, tempore Dedicationis, ullæ merces venales exponantur, aut tripudia fiant; nihilque omnino, quod ſanctitati & immunitati loci repugnet.

CAPUT XXII.

In Miſſæ Sacrificio non minus, quam duæ candelæ cereæ & decentis formæ accendantur, etiamſi ſebaceæ plures accenſæ fuerint.

CAPUT XXIII.

Pro Majeſtate vero & reverentia tanti Myſterii, ad quod etiam Angeli contremiſcunt, caveat Celebrans, ut & qui illi miniſtrant, ne unquam in altari pileum, biretum, chirothecas, chlamydes, claves, aliaque hujusmodi reponant, aut altari (quod multo eſt indecentius) toto corpore aut brachiis innitantur.

CAPUT XXIV.

Diaconus autem, & Subdiaconus durante Sacrificio, cui aſſiſtunt, minime chirothecas aut flores manibus tractent; ſed Roſarium aut libellum precum.

CAPUT XXV.

Cumque in Concilio Provinciali cautum ſit, ut Ordinarii in ſingulis Decanatibus deputent aliquot peritos cæremoniarum & rituum Eccleſiæ Romanæ, qui recenter ordinatos Sacerdotes in Miſſæ celebratione, aliisque ritibus inſtruant: volumus, ut ſinguli Archipresbyteri prævia communicatione nobiscum ſuper hac re habita, quamprimum in ſuo diſtrictu, & noſtro nomine, duos deſignent, quos ad hoc judicaverint magis idoneos; & in locum defunctorum ſemper alios ſtatim ſubſtituant.

CAPUT XXVI.

Proinde inhibemus omnibus Paſtoribus noſtris, & Superioribus Monaſteriorum, ne alicui in Eccleſiis ſuis Primitias celebrare permittant, qui de hac inſtructione per unum e prædictis facta ſcripto non doceat.

CAPUT XXVII.

Ante Miſſam matutinalem, vel Laudes, quæ aliquando fiunt de Venerabili Sacramento, Paſtores omnes per ſe, vel per ſuos Sacellanos benedicant aquam, juxta priora Statuta Synodalia, quod iterum ſerio mandamus: & tanta copia infundatur in vaſa ad hoc parata, ut populo per ſeptimanam ſufficiat.

CAPUT XXVIII.

Quæ benedictio aquæ Dominicis diebus nunquam omittatur.

Ca-

Digitized by Google

CAPUT XXIX.

Summa Miſſa, & Concio, eadem hora fiant in omnibus Eccleſiis.

CAPUT XXX.

Veſperæ canantur ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis hora ſecunda pomeridiana ; in Quadrageſima vero, quando poſt Miſſam cantatæ fuerunt, Completorium cum laudibus conſuetis eadem hora ſecunda cantetur.

TITULUS VI.

De Feſtis, Jejuniis, & Proceſſionibus.

CAPUT I.

CUm magnus paſſim ſit neglectus dierum Feſtorum, & intolerabiles ſint inſolentiæ, exceſſus & irreverentiæ, quæ his diebus committuntur, provocentque in nos Dei iram, qui Chriſtianos iis diebus abuti videt, quos in Divinas Laudes, iram Dei avertendam, & peccatorum veniam impetrandam ab Eccleſia inſtitutos, diligentiſſime impendere debuiſſent : volumus, quinimo huic malo occurrere cupientes, in virtute obedientiæ mandamus omnibus & ſingulis Paſtoribus noſtris, tam magnum abuſum ſæpe & graviter in concionibus ſuis reprehendant, & quantum in ſe eſt, impediant: Promotoribus vero noſtris, diligenter advigilent, & hujusmodi violatores & contemptores pro meritis puniri curent. Baillivos etiam, Magiſtratus, cæterosque Officiarios urbium & locorum vehementer hortamur, ut juxta Edictum Sereniſſimorum Archi-Ducum Principum noſtrorum huic etiam malo ſua auctoritate mederi, omnibus modis annitantur ; præſertim, ne tempore Summi Sacri, Concionis, & Veſperarum deambulationes in foro & locis publicis, compotationes in tabernis, luſus in ſphæriſteriis vel plateis, venditiones carnium in macellis, ſimilesque exceſſus committantur.

CAPUT II.

Subhaſtationes & auctiones publicas fieri diebus Dominicis & Feſtivis, prohibemus omnino.

CAPUT III.

Paſtores omnes per ſe ſingulis diebus Dominicis cum gravitate & præmeditatione denuntiabunt populo jejunia & feſta, quæ in ſequentem ſeptimanam incident, monebuntque de eorum accurata obſervantia, & obligatione ad peccatum mortale.

CAPUT IV.

Prævidebunt autem diligenter Rubricas Miſſalis, Breviarii Romani, Concilium Provinciale, Synodum Diœceſanam, eaque omnia, quæ ſuper iis per Nos, aut Prædeceſſores noſtros, piæ memoriæ, ſtatuta eſſe poſſent, ne quid male denuntient ; prout hic & alibi aliquando factum, cum auditorum offenſione, confuſione & ſcandalo: alias graviter puniendi in exemplum aliorum.

CAPUT V.

In Proceſſionibus cum paſſim magni abuſus, inſolentiæ & irreverentiæ committantur, monemus Paſtores, iis tempeſtive occurrant: qui ſi non audiantur, quoniam de ejusmodi reſpondere debent, potius domum ſe recipiant, neque Proceſſiones ſervent.

CAPUT VI.

Proceſſiones, quæ fiunt cum Venerabili Sacramento, ſint modeſtæ: & Celebrans Sacramentum cum reverentia pedes geſtet, non in curru, aut rheda.

CAPUT VII.

Et quia contingit interdum, uno in loco ex diverſis Eccleſiis duas Proceſſiones inſtitui eodem die ; deinceps ad vitandam confuſionem, rationem iniri volumus, ut alterutra transferatur : in quo, ſi diſſentiant partes, auctoritatem noſtram interponendam offerimus.

TITULUS VII.

De Sepulturis, Officiis Defunctorum, & Funeralibus.

CAPUT I.

COrpora fidelium Defunctorum ex domibus mortuariis per plateas in

in templum ſeu ſepulturæ locum non deferantur, niſi Cruce præcedente, & uno ad minus Sacerdote ac Cuſtode.

CAPUT II.

Quod pro omnibus etiam pauperibus & mendicis obſervari volumus: & ſaltem Miſſa legatur in refrigerium eorum animæ, cujus pitantiam ſolvat menſa pauperum, ſi vere pauperes fuerint.

CAPUT III.

Si autem in Xenodochiis mortui ſint, antequam illinc efferantur, dicatur Miſſa in Sacello loci; deinde præcedente Capellano & Cruce, funus ad cœmeterium deferatur.

CAPUT IV.

Omnes ſepulturæ commode fient ante meridiem; & ſi Exequiæ non celebrentur, funus ſemper in Eccleſiam deferatur, ut ante ſepulturam, ſuper eo Miſſa dicatur.

CAPUT V.

Officium Exequiarum & Anniverſariorum non celebretur die Dominico & Feſtivo; ſed in proxime ſequentem feriam transferatur: ſepultura tamen, ſi neceſſitas poſtulaverit, fiat cum Miſſa lecta, Exequiis in alium diem delatis.

CAPUT VI.

Ad Sepulturam nequaquam admittendi uſurarii notorii, niſi per teſtamentum uſuras reſtitui mandaverint, cum ſufficienti cautione de executione ſuæ voluntatis, juxta Conſtitutionem GREGORII X., & ſub pœnis Canonum.

CAPUT VII.

Abrogamus irreligioſam & irrationabilem conſuetudinem, quibusdam in locis introductam, qua occiſorum Exequiæ differuntur, donec inter homicidam & occiſi hæredes transactum ſit; easque, aliarum more, quamprimum perſolvi mandamus.

CAPUT VIII.

Cumque præ manibus habeamus taxam certam conſtituendi omnium jurium Parochialium & funeralium, ut exceſſus omnes & abuſus, qui paſſim committuntur, e medio tollantur, & commendabilis illa uniformitas introducatur & ſervetur; mandamus & volumus, eam taxam ab omnibus ad amuſſim obſervari; ſin minus, ad reſtitutionem acceptorum cogantur, & graviter præterea puniantur.

TITULUS VIII.

De Sacramentorum adminiſtratione.

CAPUT I.

CUm omnia illa, quæ ad Sacramentorum adminiſtrationem pertinent, tam accurate, exacte, & dilucide in Sacroſancto Concilio Tridentino, Catechiſmo ad Parochos, Concilio Provinciali, & Statutis Synodalibus explicentur, ut ſupervacaneum ſit eadem hic repetere vel aliqua iis adjicere; ad ea Paſtores noſtros, aliosque, quorum intereſt, remittentes, commendamus tantum eorum diligentem lectionem, ut memoriæ mandent, iiſque ſe, etiam in minimis, ſemper in adminiſtratione Sacramentorum conforment.

CAPUT II.

Quod ut commodius fiat, & ne ullam eorum ignorantiam prætendant; volumus, ut deinceps omnes, quibus animarum cura commiſſa eſt, præter alios libros neceſſarios, habeant penes ſe Concilium Tridentinum, illiusque Catechiſmum ad Parochos, Decreta Concilii Provincialis, & noſtra hæc Diœceſana, ut & ea, quæ a noſtris Prædeceſſoribus edita ſunt.

CAPUT III.

Quos omnes an habeant & legant, tenebuntur in ſuis viſitationibus inquirere Decani.

CAPUT IV.

Ut autem in adminiſtratione Sacramentorum ſervetur uniformitas, utentur in poſterum omnes, quibus eorum adminiſtratio credita eſt, novo Manuali Reverendiſſimi Domini PETRI SIMONIS Anteceſſoris noſtri, piæ memoriæ.

CAPUT V.

Diligenter Paſtores advigilent, ne quis ſuorum e vivis excedat non munitus

nitus Eccleſiæ Sacramentis ; proinde nunquam ita domo abſint, quin prius domeſticis ſignificaverint, & ſtatim ad manum eſſe poſſint. Si vero diutius abeſſe cogantur, alium ſuo loco ſubſtituent: alioqui ſi quis eorum negligentia ſine Baptiſmo, Sacro Viatico, aut Extrema Unctione e vivis exceſſerit, ad menſem integrum a Sacramentorum adminiſtratione ſuſpendatur, aut arbitrio Judicis graviter puniatur.

TITULUS IX.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

QUia veremur ſubinde committi per aliquot Paſtores tales defectus in adminiſtratione Sacramenti Baptiſmi, ut nonnullis forte ſcrupulus injici poſſit, num conſtet vere Baptiſmus; monemus eos ſerio, ut & alios omnes, qui eorum vices ſubeunt, etiam in minimis ſequantur Manuale novum, ſerventque accurate formam & ritum in eo præſcriptum.

CAPUT II.

Cumque plures ſint Paſtores, qui negligentem curam habeant aquæ & fontis Baptiſmalis; regiſtrum item baptizatorum ſervent incorrectum, aut ſuis Cuſtodibus, ſæpe rudibus, ignaris, & negligentibus committant; caveant ſibi deinceps, & fontes Baptiſmales ſub clauſura nitidos & mundos habeant.

CAPUT III.

Regiſtrum vero baptizatorum penes ſe ſervent; & ſi rudiores in ſcriptura, aliena manu & correcta utantur; alias delinquentes graviſſime puniendi.

CAPUT IV.

Si quando fons Baptiſmalis mundandus ſit, ejus aqua in piſcinam infundatur, juxta præſcriptum Concilii Provincialis.

CAPUT V.

Pueri expoſititii, ſive ſal iis appoſitum fuerit, ſive non, ſemper ſub conditione baptizandi.

CAPUT VI.

Cum quis PROCURATORIO nomine prolem e Sacro Fonte ſuſcipit, non PROCURATOR, ſed ipſe PRINCIPALIS cognationem contrahit: quo caſu utriusque nomen, tam PROCURATORIS, quam mandantis, regiſtro inſcribendum eſt hoc modo: *N. nomine, vel, commiſſione N.*

CAPUT VII.

In Baptiſmo, qui in neceſſitate domi fit, cognatio contrahitur ab eo, qui tum aſſiſtit, non autem ab eo, qui cæremoniis poſtea in Eccleſia adhibitis: eoque caſu utriusque nomen in regiſtro ſcribatur: *N. Suſceptor in Baptiſmo, & N. Suſceptor in Catechismo.*

CAPUT VIII.

In Patrinos non admittantur hæretici, notorie excommunicati, uſurarii publici, infames, minores duodecim annis, & qui inopes mentis nullam habent notitiam ejus fide juſſionis, ad quam ſe obligant: quod etiam ſervetur in mulieribus & matrinis.

CAPUT IX.

Monachis quoque, Religioſis, etiam in dignitate Abbatiali, vel alia conſtitutis, per Sacros Canones prohibetur, aliquem e Sacro Fonte ſuſcipere: quod neque per PROCURATOREM fieri volumus.

CAPUT X.

Infantes ſine Baptiſmo mortui, ſepeliantur non in ſacro loco, ſed alio extra ſepta cœmeterii, vicino tamen & honeſto: cum autem (quod funeſtum eſt) continget fœtum utero matris adhuc incluſum, ſimul cum ea extingui, cum eadem ſepeliatur, neque ex ea eximatur: ſi tamen id factum fuerit, ſeparatim loco non ſacro condatur.

CAPUT XI.

Paſtores diligenter inſtruant obſtetrices, quibus in caſibus, qua verborum forma, & qua materia illis baptizare liceat; nullasque admittant, niſi ſic prius inſtructas, exhibito ſuæ vitæ & fidei teſtimonio: ac poſt juramentum coram Magiſtratu præſtitum, denuntiandi (juxta Edictum Regium) quot & quæ proles in ſingulis Parochiis noverint baptizandas; alias rejiciantur, & cum infantibus baptizandis ab Eccleſia arceantur.

TITU-

TITULUS X.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

INſtruant populum in omni occaſione Paſtores de vi & efficacia hujus Sacramenti; moneantque, nullos in poſterum ad hoc admittendos, ſi majores ſint & doli capaces, niſi prævia confeſſione, neque minores ſeptennio, niſi Nobis ex cauſa rationabili contrarium expedire videatur.

CAPUT II.

Nemo autem præſumat hoc Sacramentum ſuſcipere, aut aſſiſtere confirmando, niſi probe inſtructus in fundamentis Fidei.

CAPUT III.

Quicumque etiam non fuerit confirmatus, non admittatur, ut ſit aliorum Patrinus, neque ad primam Tonſuram.

TITULUS XI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

COnfeſſiones excipere in noſtra Diœceſi nemo præſumat, niſi cum facultate, eaque in ſcriptis, ſub gravi pœna.

CAPUT II.

Revocamus etiam omnes licentias abſolvendi a caſibus Ordinario reſervatis, datas ab Anteceſſore noſtro, bonæ memoriæ; nullusque ab iis quemquam abſolvat, ſine noſtra facultate in ſcriptis obtenta.

CAPUT III.

Eam vero, ſi alicui concedimus, non extendimus ad abſolutionem ab hæreſi.

CAPUT IV.

Confeſſarii ſemper penes ſe habeant in ſcriptis omnes caſus Summo Pontifici & Ordinario loci reſervatos, ne per ignorantiam aut incuriam plus ſibi facultatis aſſumant.

CAPUT V.

Reſervamus autem Nobis, primo de jure, & ex Decreto Concilii Tridentini, omnes Caſus, quibus annexa eſt excommunicatio major; Sodomiam deinde cum aliis ejusdem generis etiam gravioribus, hæreſim, apoſtaſiam, raptum virginum, homicidium voluntarium, incendium voluntate deliberata procuratum, fornicationem ſacrilegam cum Sanctimonialibus, inceſtum cum conſanguineis & affinibus in primo aut ſecundo gradu, adulterium publicum, injectionem violentam manuum in parentes, & ſortilegium.

CAPUT VI.

Nemo confeſſiones excipiat in tenebris, ſed cum ſufficienti lumine.

TITULUS XII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

CAPUT I.

SI quando Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum ad infirmos deferendum erit, Paſtores monebunt vicinos, ut comitentur cum tædis, idque pulſu campanulæ populo ſignificabunt: iis vero, qui ex pio charitatis affectu Venerabile Sacramentum comitabuntur, præter Indulgentias a Summis Pontificibus conceſſas, quadraginta alios dies Indulgentiarum concedimus: aliis autem, qui impediti, domi oraverint pro ſalute ægroti, viginti etiam dies elargimur.

CAPUT II.

Mandamus etiam Paſtoribus, ne aliter, quam ſuperpelliceo & ſtola induti, præeunte Cuſtode cum ſuperpelliceo, nola & lumine, Venerabile Sacramentum deinceps ad infirmos deferant.

CAPUT III.

Inter eundum vero & redeundum nullibi hæreant, niſi apud infirmum.

CAPUT IV.

Ad Sacramenta Euchariſtiæ & Matrimonii, ſine noſtra venia ne admittantur, qui ita rudes, ut Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Decalogi & Eccleſiæ, prorſus ignorent, aut Confirmationis Sacramentum non acceperint.

Digitized by Google

TITULUS XIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis.

CAPUT I.

OLeum infirmorum ad ægros quoties deferendum eſt, Paſtor induatur ſuperpelliceo & ſtola, præcedente Cuſtode cum ſuperpelliceo & lumine.

CAPUT II.

Infirmus ſi inter unctiones exſpiret, non progrediatur Paſtor.

CAPUT III.

In dubio vero an mortuus omnino, an adhuc vivus, utatur conditionali hac forma: *Si es vivus, per iſtam Unctionem* &c.

CAPUT IV.

Omnibus etiam Chriſti fidelibus, qui Sacrum Oleum, cum ad ægros defertur, comitati fuerint, eundo decem, & redeundo totidem dies Indulgentiarum in Domino concedimus & elargimur: iis vero, qui id de nocte fecerint, viginti eundo, & totidem redeundo impartimur; quibus etiam hujus Sacramenti, ſicut & Euchariſtiæ Miniſtros, gaudere declaramus.

TITULUS XIV.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT I.

PRomovendi deinceps ad Ordines majores, de proclamationibus factis ad ſingulos Ordines doceant in ſcriptis, & tempori eas fieri curent: alias ſciant ſe non admittendos.

CAPUT II.

Nemo admittatur ad Primitias celebrandas (propter fraudes, quæ committi poſſunt) niſi Superiori ejus Eccleſiæ ſuſcepti Sacerdotii literas exhibeat.

CAPUT III.

Et quemadmodum fæcularis Clericus, ad Sacros Ordines promovendus, fidem facere debet, de ſua proviſione ſufficienti, tituli nimirum Beneficialis, ſive Patrimonialis; jurare etiam, ſe illum bona fide poſſidere, nec alienaturum aut reſignaturum ſine ſcitu & conſenſu Ordinarii, & quando de alio ſufficienti ſibi proſpectum fuerit: ita quoque Regularis fidem faciat literis ſui Superioris, ſe Religionis, in quam admiſſus eſt, profeſſionem emiſiſſe; & ulterius juramento aſſerat, ſe eandem proprio motu feciſſe, eamque ſe modo ratam habere. Quæ omnia Regiſtro Ordinatorum inſcribantur.

TITULUS XV.

De Sponſalibus & Matrimonio.

CAPUT I.

PAſtores exacte ſciant communiora Matrimonii impedimenta, tam ea, quæ impediunt contrahendum, quam quæ dirimunt contractum: qualia ſunt, Conſanguinitas uſque ad quartum gradum incluſive: affinitas orta ex legitimo Matrimonio uſque ad ſimilem gradum etiam incluſive: affinitas orta ex fornicatione uſque ad ſecundum gradum incluſive: cognatio ſpiritualis per Baptiſmi aut Confirmationis Sacramentum contracta: Ordo Sacer: omne votum caſtitatis: impotentia: validæ promiſſiones Matrimoniales: Juſtitia publicæ honeſtatis, ex validis Sponſalibus proveniens, quoad primum gradum tantum.

CAPUT II.

Si itaque taliter impeditos conjunxerint, graviter punientur: graviusque ſi præſciverint impedimenta ſubeſſe.

CAPUT III.

Cum vero continget impedimentum aliquod denuntiari, aut oppoſitionem aliquam fieri Matrimonio, deſponſorum, vel tantum ſit rumor publicus, ſubeſſe aliquod impedimentum; etiamſi nulla fiat oppoſitio, inhibemus Paſtoribus noſtris, ne ad ulteriores proclamationes, multo minus ad Matrimonii ſolemnizationem procedant, priuſquam cauſa ad Nos, aut Officialem noſtrum delata, quid agendum ſit, decernatur: cum ſimilium caſuum judicium Nobis, aut Officiali noſtro reſervemus.

CAPUT IV.

Quando ex cauſa diſpenſatum fuerit ſuper una proclamatione trium ban-

Digitized by Google

bannorum: prohibemus Matrimonium ſolemnizari eo die, quo poſterior reliquarum duarum facta ſit: idemque ſervetur, ſi unica tantum facta eſſet, & ſuper duabus a Nobis ex cauſa diſpenſatum fuiſſet.

CAPUT V.

Proclamationes ordinarie fiant in Parochia Sponſi & Sponſæ, ubi contracturi Matrimonium degunt: ſi tamen ad illas recenter advenerint, fiant & in iis etiam, unde venerunt, & ubi magis innotuerunt: ut ſic facilius impedimenta, ſi quæ ſint, detegantur.

CAPUT VI.

Prohibemus etiam, ne aliqua proclamatio fiat die feriali, etiam ſi eo tempore caneretur Miſſa de Venerabili Sacramento.

CAPUT VII.

Publicabunt inſuper Paſtores in omnibus Eccleſiis Parochialibus Decretum Sacroſancti Concilii Tridentini, quod irritat & annullat Matrimonia, quæ aliter, quam præſente Parocho proprio, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, duobus item vel tribus teſtibus contrahuntur.

CAPUT VIII.

Præterea Matrimonium nullum eſſe, etiamſi contrahatur coram Parocho loci, ſed neutrius contrahentium.

CAPUT IX.

Nolumus etiam ſine ſpeciali diſpenſatione noſtra, alio loco, quam in Eccleſia (quæ proprie Sacramentorum locus eſt) & infra Miſſarum ſolemnia, Matrimonia celebrari.

CAPUT X.

Qui quarto ſimul & quinto conſanguinitatis vel affinitatis gradu juncti ſunt, libere inter ſe ſine aliqua diſpenſatione Matrimonium contrahant.

CAPUT XI.

Paſtores denuntiabunt excommunicatos eſſe, qui ligaturis aut quibuscumque aliis maleficiis Matrimonii actum inter conjuges impedire conantur; eosque etiam ex nunc, prout ex tunc excommunicatos declaramus; cujus peccati, & excommunicationis noſtræ, abſolutionem Nobis reſervamus.

CAPUT XII.

Habeant Paſtores omnes Regiſtrum, in quo omnium contrahentium & teſtium nomina & cognomina inſcribantur, cum anno, die, & loco: quod ſerio & ſub gravi pœna mandamus.

TITULUS XVI.

De Epiſcopali Sede vacante.

CAPUT I.

VAcante per mortem Epiſcopi Sede, Capitulum Cathedrale infra octo dies, juxta præſcriptum Sacroſancti Concilii Tridentini, Vicarium Generalem conſtituet, qui ſemel a Capitulo electus, ſine juſta & rationabili cauſa deſtitui nequaquam poteſt.

CAPUT II.

Poterit tamen Capitulum eidem unum, aut alterum adjungere, quorum conſilio in omnibus utatur.

CAPUT III.

Si quæſtio oriatur illius occaſione inter Dominos de Capitulo, & plures ad hoc officium electi fuerint, præferetur, juxta declarationem Sacræ Congregationis magis idoneus: & ſi dubitetur quis magis idoneus, cenſebitur electus, qui a majore parte Capituli electus & deſignatus fuerit.

CAPUT IV.

Deputentur etiam ſtatim a Capitulo unus aut plures Oeconomi, qui ſimiliter, ut & alii Officiarii omnes, non amoveantur ſine juſta & rationabili cauſa.

CAPUT V.

Ubi autem Vicarium, vel alios Officiarios abeſſe contigerit, ſubſtitutorum electio ad Vicarium Generalem, non autem ad Capitulum pertinet.

CAPUT VI.

Nulla Beneficia ad Collationem Epiſcopi ſpectantia, per Vicarium aut Capitulum conferantur; ſed Succeſſori ſerventur; poterunt tamen conſtituere idoneos, qui iis deſerviant.

Digitized by Google

CAPUT VII.

Oeconomi de omnibus & ſingulis fructibus & proventibus dotis menſæ Epiſcopalis, qui defuncto non competunt, Succeſſori rationem reddere teneantur: nec quidquam in contrarium facit Statutum Capituli, quod & numquam practicatum, & Nos, Succeſſoresque noſtros minime obligare poteſt: eoque minus, quod nec Sedis Apoſtolicæ, nec Principum confirmatio acceſſerit.

TITULUS XVII.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

CUm nihil ita Sæculares ad pietatem & Dei cultum excitet, quam probitas & exemplaris vita Clericorum, ſtatui & profeſſioni reſpondens: quippe quos ſciunt ordine & dignitate alios præcellere, videant etiam moribus præcedere & prælucere: omnibus, qui in ſortem Domini vocati ſunt, quique ejus Eccleſiæ miniſterio dedicati, nihil adeo curæ ſit, quam vitam moresque ſuos ita componere & corrigere, ut habitu, geſtu, ſermone, cunctis exemplo ſerviant, & ædificationem adferant.

CAPUT II.

Quæ reformatio, ſi unquam alias, jam maxime neceſſaria eſt: proinde Clericis omnibus ſerio mandamus, ut iis, quæ ſuper hac re in Concilio Tridentino, Concilio Provinciali, & ſuperioribus Decretis Synodalibus pie conſtituta ſunt, ſe per omnia ſtudeant conformare.

CAPUT III.

Curentque inprimis omnes, ut per extrinſeci habitus & veſtium decentiam, animorum honeſtas intrinſeca, maturitas ac gravitas ſingulorum Ordini conveniens reſpondeat. Ad eos autem magis promovendos & inducendos, ipſa Sacri Concilii Tridentini verba putavimus hic inſerenda, *Cap. 6. de Reform. Seſſ.* 14. " Quia vero etſi habitus non " facit Monachum, oportet tamen Cle- " ricos veſtes proprio congruentes Or- " dini ſemper deferre, ut per decenti- " am habitus extrinſeci, morum hone- " ſtatem intrinſecam oſtendant: tanta " autem hodie aliquorum inolevit te- " meritas, Religionisque contemptus, " ut propriam dignitatem & honorem " Clericalem parvipendentes, veſtes " etiam deferant, publice laicales, pe- " des in diverſis ponentes, unum in Di- " vinis, alterum in carnalibus: propter- " ea omnes Eccleſiaſticæ perſonæ, quan- " tumcumque exemptæ, quæ aut in " Sacris fuerint, aut Dignitates, Perſo- " natus, Officia, aut Beneficia qualia- " cumque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi " poſtquam ab Epiſcopo ſuo, etiam " per edictum publicum, moniti fue- " rint, habitum honeſtum Clericalem, " illorum Ordini, & dignitati congru- " entem, & juxta ipſius Epiſcopi ordina- " tionem & mandatum non detulerint, " per ſuſpenſionem ab Ordinibus, ac " officio, & beneficio, ac fructibus, " redditibus, & proventibus ipſorum " beneficiorum; nec non, ſi ſemel co- " repti, denuo in hoc deliquerint, et- " iam per privationem officiorum & " beneficiorum hujusmodi coerceri " poſſint, & debeant: ſecundum Con- " ſtitutionem CLEMENTIS V. in " Concilio Viennenſi editam, quæ in- " cipit: *Quoniam innovando & ampliando.*

CAPUT IV.

Cui Conſtitutioni Nos inhærentes præcipimus & ordinamus, ut omnes Sacris Ordinibus initiati, in Civitatibus ſuarum reſidentiarum incedant ſemper induti toga talari; ſotana vero ſeu pallium interius, ſi ejusdem non ſit longitudinis, ad mediam uſque tibiam tamen dependeat: Quod licet itineris cauſa brevius eſſe poſſit, infra genua tamen ſemper defluat, & chlamyde exterius tegatur.

CAPUT V.

Tali etiam pallio, aut promiſſiore, Paſtores rurales ſemper utantur; & omnes paſſim a veſtibus brevioribus abſtineant.

CAPUT VI.

Qui in Civitatibus commorantur, & Sacerdotes rurales, quando domi ſunt, ex præſcripto Concilii Provincialis, Clericale Biretum, quod eſt Eccleſiaſticorum hominum proprium, & ad

ad crucis formam confectum, ſemper in capite habeant: galerum vero non adhibeant, niſi rariſſime, & ob cauſas ibidem expreſſas: ſitque ejus formæ, & diſtinctus a Sæcularibus, qui Eccleſiaſticum deceat.

CAPUT VII.

Et quoniam teſte Eccleſiaſtico C. 33. Multam malitiam docuit otioſitas, nec illa quidquam perniciosius vitæ Clericorum nominari poteſt: quicumque Eccleſiæ miniſterio nomen dederint, ſerio cogitent & expendant, ſe non ad ignaviam, deſidiam, aut iners otium, ſed ad ſalutares Eccleſiaſticæ militiæ labores ſubeundos eſſe vocatos. Quare ſi a penſo & officio præſtito, ad quod primario obligantur, aliquod temporis ſuperfuerit, illud non otio, vaniloquio, inutilibus actionibus, luſibus, aut poculis; ſed piis, ſanctis, honeſtisque exercitiis aut ſtudiis impendant; memores monitionis Divi Hieronymi: *Ama ſtudia literarum, & carnis vitia non amabis.*

CAPUT VIII.

Omnes Clerici beneficiati, & qui ad Eccleſiæ miniſterium ſe parant, Sacram Euchariſtiam ſæpius ſumant.

CAPUT IX.

Decet etiam maxime, ut Diaconi & Subdiaconi diebus ſaltem Dominicis & ſolemnioribus, quando Altari miniſtrant, Sacram Communionem percipiant.

CAPUT X.

Sacerdotes vero omnibus, ſaltem diebus Dominicis, Feſtisque ſolemnibus, Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium Deo pro ſuis & populi peccatis offerant; alias tanti tamque pretioſi talenti ſibi crediti ſeveriſſimo Judici, & magno ſuo malo, exactiſſimam rationem reddituri.

CAPUT XI.

Quod ipſum minus omittant Sacerdotes Canonici, qui etiam ex Chriſti patrimonio, & fidelium eleemoſynis ſuſtentantur.

CAPUT XII.

Cumque ut omni ratione ſcandalis occurratur, auferaturque hoc corruptiſſimo ſæculo omnis Cleri ſugillandi occaſio, abſtinendum non eſt tantum a malo, ſed ab omni ſpecie mali: quisque ſibi caveat, non ſolum ab ipſo crimine incontinentiæ, quod Ordinem Eccleſiaſticum adeo vilem & contemptibilem facit; verum ab omni ejus etiam minima ſuſpicione. Parati itaque ſint omnes, ſi ratione ſuarum ancillarum, aut mulierum aliarum, apud populum oblique audiant, easdem ſtatim ad primam noſtram aut Capituli ſui monitionem a ſe ablegare, aut earum familiaritatem vitare: alias, ſi primo non obedierint, graviter mulctandi; & ſi ulterius perſeverent, arbitrali pœna pro meritis puniendi.

CAPUT XIII.

Tabernas vero, tamquam malorum multorum occaſiones & fontes, non modo omnibus Clericis prohibemus; ſed ſerio injungimus Promotoribus noſtris, ſi quos Canonicos, Sacerdotes, Religioſos, Paſtores, Sacellanos, aliosque Eccleſiæ Miniſtros, easdem frequentare aut ingredi (excepta ſola itineris cauſa) deprehenderint, eos coram Officiali noſtro evocari quam primum faciant; cui mandamus, primum per mulctas pecuniarias, deinde etiam per carceres ad meliora tales compellat.

CAPUT XIV.

E cellis vinariis Capituli vel Cleri nullum lucrum quæratur: quod tamen ſi deductis oneribus acceſſerit, in pios uſus convertatur.

CAPUT XV.

Eæ autem pia intentione admiſſæ, ne ſerviant pro tabernis Canonicorum aut ſubditorum Capituli, & minus extraneorum.

TITULUS XVIII.

De Canonicis, Archi-Presbyteris, ſeu Decanis ruralibus, Paſtoribus, Cuſtodibus, eorumque Officiis.

CAPUT I.

INprimis cum dignitates in Eccleſiis, præſertim Cathedralibus, ad augendam

gendam conſervandamque Eccleſiaſticam diſciplinam inſtitutæ ſint; quique eas obtinent, pietate cæteros præcellere, exemplo eſſe, & Epiſcopos ſuos omni opera & officio juvare teneantur: merito, qui ad eas vocabuntur, aut ad Canonicatus Eccleſiæ Cathedralis aſſumentur, tales eſſe debent, eaque morum integritate, ut reliquis in Clero exemplo ſervire, & merito Eccleſiæ Senatus dici poſſint.

CAPUT II.

Archi-Presbyteri continue advigilent, præterquam in populum, etiam in Paſtores, Sacellanos, Cuſtodes, Ludimagiſtros, aliosque Eccleſiarum diſtrictus ſui Miniſtros.

CAPUT III.

Defectus vel exceſſus cum deprehendunt, eos ſtatim Nobis, aut Officiali noſtro denuntient.

CAPUT IV.

Ad Paſtoratuum etiam poſſeſſionem neminem inducant aut admittant, niſi excepta prius ab iis Fidei profeſſione, & juramento, a Concilio Provinciali hoc Titulo præſcripto, idque in præſentia duorum teſtium, cum nota omnium in ſuis regiſtris.

CAPUT V.

Nullus deinceps percipiat fructus Beneficii ſui, qui non antea ab Archi-Presbytero in poſſeſſionem introductus, juraverit, ante ſex menſes proximos exhibere eidem exactum regiſtrum omnium fructuum ſui beneficii, cum debita ſpecificatione hypothecarum, limitum & terminorum: ejusque notam ſervabit in ſuo regiſtro Archi Presbyter, & copiam authenticam omnium ad Nos mittet.

CAPUT VI.

Decani vero Chriſtianitatis, qui in ſuo quisque diſtrictu ſub Epiſcopo ſunt Paſtores Paſtorum, & Eccleſiaſticarum perſonarum Epiſcopo ſubjectarum, nec non obſervatores populi, inſtituent ſinguli in diſtrictu ſive Decanatu ſuo, poſt Dominicam in Albis, viſitationem, quam infra quatuor ſeptimanas proxime ſequentes non ſolum abſolvent, ſed acta etiam illius ad Nos quamprimum transmittent.

CAPUT VII.

Cumque plurima mala & ſcandala oriantur in Eccleſia Dei ex mala & inhoneſta vita Paſtorum, aliorumque Miniſtrorum Eccleſiæ, juxta monitionem Apoſtoli 2. Cor. 6. *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum*: ſtatuimus inpoſterum nullos tolerare, qui ita vivunt, vel male audiunt, ut populo potius ſint ſcandalo & offenſioni, quam ædificationi.

CAPUT VIII.

Multo tamen minus ferendi ſunt, qui vel ob ſordidum quæſtum cum hæreticis connivere, componere, tranſigere, vel alia ratione eosdem in ſua malitia & hæreſi fovere præſumpſerint.

CAPUT IX.

Ut etiam, qui ſuper ſubditorum exceſſibus component.

CAPUT X.

Approbantes, & laudantes Caput X. Tituli VII. veterum Statutorum Synodalium, quo Decanis Chriſtianitatis decernitur, & adjudicatur optimum pignus, quod in domibus mortuariis Paſtorum deprehenſum fuerit; præſenti Statuto declaramus, hoc ipſum etiam ad domos mortuarias Paſtorum Religioſorum, cujuscumque demum ſint Regulæ vel Ordinis, per omnia extendendum. Decani enim & viventibus & morientibus omnibus Paſtoribus ex æquo invigilant.

CAPUT XI.

Mandamus inſuper omnibus Paſtoribus, ut ſecundum univerſalis Eccleſiæ ordinationem ſervent Tempus Paſchale ad communicandum, a Dominica Palmarum uſque ad Dominicam in Albis incluſive: neque cum ullo Parochianorum, niſi juſta ex cauſa, diſpenſent.

CAPUT XII.

Paſtores deinceps, ſine prævio noſtro aut Decani ruralis conſenſu, in ſcriptis obtento, neque Sacellanum, neque Cuſtodem aſſumere, aut ad Eccleſiam ſuam admittere præſumant.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Si qui vero ita admiſſi jam ſint, & infra ſex proximas ſeptimanas ſe Nobis, aut Decanis non ſiſtant, ſciant ſe ex nunc ab omni officio ſuſpenſos, quoad præſenti ordinationi omnino ſatisfecerint.

CAPUT XIV.

Cuſtodes diligentes & aſſidui adſint Paſtoribus, aſſiſtantque iis in omni officio Chori, & Horis Canonicis, Miſſa matutinali, votiva ſumma, Veſperis, Laudibus, omni adminiſtratione Sacramentorum, & omnibus officiis funeralibus; nec unquam ſe ſine eorum venia abſentent.

CAPUT XV.

Tabernas autem inhabitare, frequentare, in iisdem expenſas facere, & minus tabernarium agere, prorſus nolumus.

CAPUT XVI.

Cui noſtro Mandato poſt publicationem qui obedire noluerint, ſtatim amoveantur.

CAPUT XVII.

Ludos theatrales aut comœdias neque profanas, neque ſacras admittant Paſtores, niſi a Nobis, aut Deputatis noſtris de novo examinatas, & in ſcriptis admiſſas.

CAPUT XVIII.

Caveantque in eo diſpenſare, ſive directe aut indirecte conſenſum aliquem præbere, ſub pœna indignationis noſtræ; ſed potius pro viribus ſe illis opponant: tum ſi nihil proficiant, totum negotium ad Nos deferant.

CAPUT XIX.

Baillivos etiam, Magiſtratus, aliosque juſtitiæ Miniſtros & Officiarios ſerio monemus, ne facultatem alicui ejusmodi ludos exhibendi faciant; ſed toto conatu rem adeo periculoſam impediant.

CAPUT XX.

Paſtores, qui augmentum dotis ſeu portionis canonicæ in cura ſua fieri volunt, procurent inprimis, cauſam ſuam bene & clare inſtructam habeant, & tum Officialis, noſtrumve Decretum conveniens expectent.

TITULUS XIX.

De Regularibus & Monialibus.

CAPUT I.

CUm in Eccleſia militante diverſi ſint & varii ſtatus hominum, omnes Domino Deo famulantium; nobiliores tamen ii ſunt, & Deo gratiores, in quibus homines, præter diligentem obſervationem mandatorum (& quo arctius ſe illi conjungant, & ſimiliores fiant) tria etiam Evangelica conſilia, aliaque omnia ad majorem perfectionem tendentia media ultro amplectuntur. Ad quod ſanctum vitæ Angelicæ in terris inſtitutum (donum prorſus Divinum) promovendum, & conſervandum, plurimi Sancti Summique Pontifices tum per Oecumenica, tum nationalia Concilia, aliaque opportuna remedia, plurimum ſemper elaborarunt. Sed ea fuit ab initio invidia adverſarii noſtri communis in hoc arctioris & ſanctioris vitæ genus, ut illud oppugnare totis viribus & maxime hoc ultimo ſæculo nunquam deſierit; ut merito cum Propheta lachrymando exclamare poſſimus, Cap. 4. *Quomodo obſcuratum eſt aurum, mutatus eſt color optimus, diſperſi ſunt lapides Sanctuarii in capite omnium platearum?* Vere diſperſi lapides, muri, ſtructuræque integræ Monaſteriorum: ſed parum id eſſet, ſi non ſimul cum iis diſperſi & fugati Monachi, Monachæque, diſciplina ipſa laxata, ſoluta, & multis in locis collapſa foret. Hortatur quidem nos Sancta Synodus Tridentina *Seſſ. 25. de Reform. Regularium & Monialium*, ſerio in reſtaurationem Monaſticæ diſciplinæ incumbamus, Regulares, Religioſos, Moniales, omnes denique officii ſui exequendi admonens: ſed ea noſtra eſt negligentia & tepiditas, ut potius toti hactenus ſimus in muris & ſtructuris reparandis, quam in propriis & antiquis moribus & legibus emendandis & reformandis.

Quapropter Abbates, Præpoſiti, Prælati, cæterique Monaſteriorum Superiores, eam deinceps ſeriam curam & diligentiam adhibeant, ne in eſſentialibus & ſubſtantialibus vitæ monaſticæ (qualia inprimis tria vota, vel ſi

by Google

quæ alia, pro loco & ordine) vel minimam relaxationem aut remiſſionem admittant: ſed potius ipſi primum forma gregis ſui facti ex animo, & tanquam lucidiſſima ſpecula omnes, quas ſuis inſtillare & infundere volunt virtutes & perfectiones, exemplo & factis ipſis exprimant & præluceant.

CAPUT II.

Temporalium itaque adminiſtrandorum non prima cura ſit; verum Divinum Officium primi ipſi frequentent; Miſſæ Sacrificium quotidie Deo offerant; humilitate cæteris emineant; charitatis officiis omnes ſuperent; caſtitate & puritate omnibus præluceant. Denique etſi divitiæ adſint aut abundent, meminerint voti paupertatis, futuræ neceſſitatis & parſimoniæ, ac deinde, ut boni diſpenſatores, modeſtæ in menſa, veſtitu, moribusque ſuis frugalitatis.

CAPUT III.

Aderunt etiam ſemper, quantum in ſe erit, in prandio & cœna Religioſis ſuis, eorumque portionibus (ut omnis obloquii & murmurationis occaſio tollatur) contenti maneant.

CAPUT IV.

Præſcindent inſuper omnem damnabilis proprietatis occaſionem, ſi Religioſis ſuis aliquem idoneum præficiant, qui totus ſit in eorum neceſſitatibus veſtium, librorum, aliarumque rerum procurandis; quique de pecunia ſingulis menſibus in eum uſum accepta, exactam ſibi & fidelem rationem reddat.

CAPUT V.

Ad habitum autem induendum, nullum deinceps admittant, niſi cum conſenſu & conſilio ſuorum, etiam abſentium, & in Curis agentium; ſaltem ſanioris partis.

CAPUT VI.

Ita admiſſi bene exerceantur in omnibus, quæ ſunt Religionis; neque probationis anno durante, foras egredi permittantur.

CAPUT VII.

Antiquum habitum Ordinis vel Monaſterii, quem multi ob turbas mutarant aut depoſuerant, quam primum omnes reſumant; quem ne in itinere quidem exiſtentes unquam dimittant. Poterunt tamen tum galerum, & ſuperius honeſtum pallium adjicere.

CAPUT VIII.

Deſcribantur etiam & deſignentur ſtatim ubique ſepta Monaſterii; (intra quæ Religioſi concludantur, nec iis egredi facile permittantur) ut cum amore & cultu ſolitudinis, Monachi nomen conſonet: nec enim decet ea, quæ animo contempſimus, oculis auribusque repetere aut reviſere.

CAPUT IX.

Quæ clauſtri Religioſi negligentia cum plurima noſtris temporibus ſcandala & mala, ex frequenti illa virorum & mulierum promiſcua conſuetudine, invexerit, prudenter Sancta Tridentina Synodus omnibus Epiſcopis, ſub obteſtatione Divini judicii, & interminatione maledictionis æternæ, mandat & præcipit, ut Sanctimonialium clauſuram inviolabiliter ſervari curent, & ſemel profeſſæ, ne quidem ad breve tempus, Monaſterio unquam egrediantur.

CAPUT X.

Proinde nullæ inpoſterum ad habitum admittantur, quin perfectam clauſuram, Monaſterio utcumque reſtituto & reparato, ſe ſervaturas promittant.

CAPUT XI.

Et omnes ante habitum & profeſſionem ſiſtant ſe Nobis, aut Vicario noſtro examinandas, cujuscumque demum ſint Monaſterii, Ordinis, ſive Religionis.

CAPUT XII.

Ut autem libertati Virginum novitiarum melius provideatur, Sacrum Concilium Tridentinum, integrum probationis annum admittit; & Provinciale Mechlinienſe omnia Statuta & conſuetudines tollit, quæ aliquo modo earum libertati contraria ſunt: qualia ſunt, ſi capilli ante earum profeſſionem, reſecentur; ſi cum ſolemni pompa, propendentibus crinibus, Sponſarum inſtar ſæcularium ornatæ, per plateas, confluente populo, ad Monaſterium veſtiendæ ducantur; aliaque his ſimilia,

milia, quæ ingreſſum Religionis & egreſſum maxime divulgant.

CAPUT XIII.

Proinde volumus, ut deinceps filiæ, quæ ad Religionem admitti petent, ſiſtant ſe honeſto ſecundum ſtatum ſuum habitu in Eccleſia ejus loci; nobiles nobilium, communes communium: quod jam laudabiliter multis abhinc annis Ypris & alibi obſervatum fuit.

CAPUT XIV.

Differantur etiam convivia (ſi tamen ea parentes fieri petant) in tempus profeſſionis: quæ tum ſint frugalia & honeſta.

CAPUT XV.

Domos Eccleſiaſticorum vel Sæcularium prandii aut cœnæ cauſa Religioſæ nunquam accedant; nec civitate ulla de cauſa egrediantur; ut etiam in ſuis Domibus & Monaſteriis nullos unquam Sæculares nec Eccleſiaſticos ad familiaritatem, minus autem ad prandium vel cœnam admittant.

CAPUT XVI.

Choreæ & tripudia, etiam ſi ſine inſtrumentis muſicis fiant, in veſtitionibus & profeſſionibus deinceps omnino omittantur.

TITULUS XX.

De Bonorum Eccleſiaſticorum adminiſtratione & conſervatione.

CAPUT I.

OEconomiam & bonam utilemque bonorum temporalium (quæ a Majorum vel pietate, vel parſimonia multum noſtris temporibus excreverunt) adminiſtrationem & diſpenſationem omnibus Prælatis, aliisque Eccleſiaſticis Superioribus unice commendamus.

CAPUT II.

Decani etiam omnium Paſtorum & Beneficiatorum nomina, cum circumſtantiis ſuorum beneficiorum, quam primum per totum ſuum diſtrictum inſcribant: Beneficiati vero omnes ante ſex menſes finitos, a die publicationis præſentis Synodi, tradent ſuis Decanis in ſcripto beneficium cum oneribus, bonis, ſitu & terminis terrarum, decimarum elocationibus, redditibus &c. per Magiſtratum loci, aut aliam perſonam publicam, eorum notitiam habentem, ſubſignatum. Quod Decani ad Nos transmittant ſub pœna ſuſpenſionis a perceptione fructuum, per negligentes incurrenda.

CAPUT III.

Nemo deinceps Beneficiatus adminiſtrationem bonorum ſui beneficii, quovis prætextu, Sæcularibus, Magiſtratibus aut Magiſtris fabricæ committat; ſed ipſe ea adminiſtret, & munimenta ſua penes ſe ſemper retineat.

CAPUT IV.

Cui malo ut occurramus, volumus præterea, tradantur Decanis omnes literæ originales, quæ aliquo modo ad beneficia, Curas, Capellanias, menſas pauperum, aliasque fundationes pias pertinere & ſpectare inveniantur; eæque in noſtro Archivio ſervandæ transmittantur. Ad uſum vero retineant ſibi Beneficiati authenticas copias: ut & ipſas originales toties (prævio de reſtituendis juramento) recipient, quoties earum inſpectionem in judicio, aut alibi neceſſariam judicabimus.

CAPUT V.

Operæ pretium foret, ut omnes Prælati ſæculares & regulares, Capitula etiam, omnia ſua munimenta tranſcribi, vel in formam aliquam authenticam tranſumi quam primum curent; eaque in judicio fidem faciant, implorata etiam Principis authoritate. Quod ipſum in paſtoratibus, & ſimplicibus parochialibus beneficiis fieri ſimiliter curabimus.

CAPUT VI.

Et ſicut poſtremo Concilio Provinciali cautum fuit, ut antiqua & ante quindecim annos ſcripta regiſtra Collegiorum, beneficiorum, fabricarum, menſarum, cæterarumque piarum fundationum, ante proximum annum ubique renoventur: ita ubi nulla ſunt omnino, aut imperfecta & mutila, quam citiſſime ea nova fiant aut perfici-

Digitized by Google

antur; ubique cum debita designatione limitum, terminorum, quantitate & situ terrarum, pratorum, sylvarum, vivariorum, hortorum, censuum, reddituum, similiumque circumstantiarum; idque sumptibus eorum, in quorum præsentem utilitatem cedunt.

CAPUT VII.

Si interim bona Ecclesiarum Parochialium, aut aliorum simplicium beneficiorum, ob neglectam solutionem censuum, ab ipsismet Pastoribus aut Beneficiatis evincantur, vel evictione ab aliis facta, ab ipsis recuperentur: non ideo liberum, ea pignora sibi, aut suis hæredibus retinere; sed Ecclesiis aut beneficiis reacquisita esse censentur.

CAPUT VIII.

Alias qui contrarium feciſſe deprehendentur, puniantur ipsi; & contra hæredes Bonorum Ecclesiasticorum detentores procedatur.

CAPUT IX.

Cui insuper incommodo ut occurrant Decani, petant ab omnibus, simul cum aliis beneficiorum circumstantiis, etiam omnes census & onera adscribi; de quorum solutione facta doceant semper tempore visitationis futuræ.

CAPUT X.

Concionatores, Confessarii, & Pastores juxta Concilium Tridentinum *Sess.* 22. *Cap.* 11. in omni occasione populum doceant, omnes & quoscumque, qui jurisdictiones, bona, census, jura Ecclesiarum, beneficiorum, aut piorum locorum in proprios usus convertere, illa usurpare, aut usumfructum impedire præsumpserint, tamdiu subjacere anathemati; Clericos præterea omnibus beneficiis privari, & ad omnia alia inhabiles effectos esse, donec ea Ecclesiæ aut possessoribus legitimis integre restituerint, & a Romano Pontifice veniam & absolutionem obtinuerint.

CAPUT XI.

Pro beneficiorum vacantium bonis constituatur diligens aliquis, qui prævio juramento ea fideliter recipiat, & administret.

CAPUT XII.

Absentes a suis beneficiis, tempori doceant de legitima absentiæ causa; alias suos non faciant fructus.

CAPUT XIII.

Observentur diligenter ab omnibus Beneficiatis, quæcumque in primo & secundo Concilio Provinciali sancita sunt de alienationibus, elocationibus, computubus, manualibus faciendis, cæterisque eo spectantibus: quæ etiam Suæ Celsitudines edicto stabiliverunt, sub pœna nullitatis omnium contractuum, aliter quam superioris Decreto initorum, cum causæ cognitione interposito. Quæ omnia hæc Synodus probat, & ab omnibus Prælatis, Capitulis, aliisque particularibus, etiam Magistris pauperum, & fabricæ, deinceps inviolate observanda statuit & præscribit.

CAPUT XIV.

Arbores etiam Ecclesiarum, Pastoratuum, Capellaniarum, pauperum, vel aliarum quarumcumque piarum fundationum, nemo deinceps quovis prætextu, aut in qualemcumque usum, sine nostra interventione & facultate in scriptis obtenta, vendere aut amputare præsumat, sub pœna nullitatis: contra quos insuper via juris procedetur.

CAPUT XV.

Patroni insuper, tam Ecclesiastici, quam sæculares, Magistratus, & Communitates, inposterum nequaquam disponant, aut in alios quosvis usus applicent bona Ecclesiæ vel pauperum, sine nostro consensu & licentia in scriptis obtenta.

CAPUT XVI.

Reparationes vero & restaurationes Ecclesiarum, & distributiones eleemosynarum liberæ, semper fiant conscio Pastore.

CAPUT XVII.

Qui eas non ex humano affectu, aut cum exceptione personarum, sed omnibus indifferenter vere pauperibus, & probis, honestisque, vel ipse distribuat, vel distribui curet.

CA-

Digitized by Google

CAPUT XVIII.

Si quæ indulto Principum ad reparationes Eccleſiarum concedantur, ea publice & plus offerentibus elocentur, neque ad alios uſus applicentur; eorumque reddatur computus præſenſente Paſtore ſingulis ſemeſtribus.

CAPUT XIX.

Multum intereſt, ut ſemper probi & fideles Magiſtri fabricæ, & menſæ pauperum Adminiſtratores conſtituantur: viderint proinde, qui alios & negligentes creant, num actionum ſimilium iniquarum coram Deo participes eſſe velint.

CAPUT XX.

Munimenta & computus tam fabricæ, quam menſæ pauperum, recondantur in arca lignea, qualem curabunt fieri omnes Paſtores ante ſex proximas ſeptimanas, ſumptibus communibus: eamque ponant tuto loco in Sacriſtia, ſub tribus ſeris, & tribus clavibus, ſervandis a Paſtore, a Magiſtro fabricæ, & tertia a ſeniore Magiſtro pauperum.

CAPUT XXI.

Quod ipſum de clavibus tribus gazophylacii, ſeu trunci eleemoſynarum, etiam obſervetur.

CAPUT XXII.

Qui admittuntur ad adminiſtrationem bonorum fabricæ, vel menſæ pauperum, præſtent Superioribus juramentum.

CAPUT XXIII.

Paſtores omnes curent intereſſe computubus fabricæ & menſæ pauperum, utque iidem diligenter & fideliter reddantur.

CAPUT XXIV.

Quod idem faciant Decani circa computus Hoſpitalium, aliarumque piarum fundationum diſtrictus ſui.

CAPUT XXV.

Monemus etiam Magiſtratus oppidorum, ut Nobis tempori ſignificent, quando hujusmodi computus examinandi ſunt; ut juxta Edictum ſuarum Celſitudinum vel intereſſe, vel aliquem ex noſtris eo mittere poſſimus.

CAPUT XXVI.

Cum vero redditis computubus, & deductis deducendis, aliquid boni ſupereſt, id non relinquatur in adminiſtratorum manibus, ſed ſtatim in uſus pauperum aut Eccleſiæ applicetur.

CAPUT XXVII.

Pro reductionibus fundationum tenuium faciendis, ad Nos recurrendum eſt.

CAPUT XXVIII.

Paſtores de reparandis & reficiendis ſuis domibus Paſtoralibus maxime ſint ſoliciti: referantque ad Nos Decani in ſuis viſitationibus, qui ea in re negligentes aut inobedientes fuerint.

CAPUT XXIX.

Ubi vero domus Paſtorales ita ſunt collapſæ, vel ubi nullæ omnino ſunt, Paſtores eas quam primum reſtaurari, vel loco commodo de novo ædificari curent: prudenter tamen id faciant, & cum bona venia & ſumptibus Parochianorum.

CAPUT XXX.

Si per negligentiam Paſtoris defuncti, neceſſariæ domus reparationes factæ non ſint, recurratur ad ejusdem domum mortuariam, implorato etiam, ſi opus fuerit, brachio ſæculari.

CAPUT XXXI.

Paſtores omnes & Beneficiati, qui ſuis beneficiis domos annexas habent, easdem inhabitent; non autem externis elocent.

CAPUT XXXII.

Eccleſiæ ob periculum furum, aut etiam profanationis, poſt Officium Divinum ſtatim claudantur.

TITULUS XXI.

De Judicibus delegatis, & Ordinariis Examinatoribus.

CAPUT I.

JUdices delegati ſunt ii omnes, qui nominati ſunt ultimo Concilio Provinciali; quibus in hac Diœceſi adjungendus eſt *D. Dionyſius Blommaert, J. U. Licentiatus & Officialis.*

Digitized by Google

Examinatores vero juxta Decretum Concilii Tridentini conſtituuntur ſequentes:

D. Carolus van Houcke, J. U. Licentiatus, Archi Diaconus

D. Joannes Sylveſter, S. T. Licentiatus, Pœnitentiarius.

D. Ludovicus Ulaminck, J. U. Licentiatus, Archi-Preſbyter.

D. Petrus Wyts, J. U. Licentiatus, Cantor.

D. Petrus Cauweel, S. T. Licentiatus, Scholaſticus.

D. Guilielmus Zyloof, S. T. Licentiatus, Graduatus.

CAPUT II.

Qui omnes memores erunt juramenti ſui, munusque ſuum, ſepoſita omni affectione, fideliter exequentur.

CAPUT III.

Ita ut ratione ejusdem examinis nihil a quoquam accipiant, ſub pœna juxta Concilium Tridentinum incurrenda.

CAPUT IV.

In examine vero conſiderent non tam ſcientiam cujusque, quam etiam uſum, experientiam, judicium, ingenium, ſolertiam; & maxime ne quis ſe alteri examinandum ſupponat; minus docti (modo noti, & probis moribus) doctioribus & ignotis ſemper præferantur.

TITULUS XXII.

De Synodo Provinciali & Diœceſana.

CAPUT I.

CUm omnes etiam exempti teneantur obſervare Statuta Concilii Provincialis & Diœceſani; monemus in Domino, iis ſe quam primum conformet in omnibus: utque omnem ignorantiæ prætextum auferamus, eadem nunc promulgamus, & publicamus, & pro legitime promulgatis & publicatis haberi volumus; ſecundum quæ per quoscumque Judices in judicio procedatur: eaque ab omnibus Prælatis, Canonicis, Paſtoribus, aliisque noſtræ Diœceſis Sacerdotibus legi & obſervari per ſe, ſuosque omnes volumus & præcipimus.

FINIS.

Impreſſa Ypris in 8vo anno 1609. *typis Franciſci Belleti*; *anno* 1673. *Antverpiæ in Officina Plantiniana Balthaſaris Moreti reimpreſſa.*

SYNODUS CONSTANTIENSIS
DIOECESANA,
Anno Chriſti MDCIX. Pauli V. PP. V. Rudolphi II. Imp. XXXIII.

Sub JACOBO FUGGERO, (*) Epiſcopo Conſtantienſi,
UNDEVICESIMO MENSIS OCTOBRIS DIE CELEBRATA.

ACTA SYNODI CONSTANTIENSIS.

QUamvis a Sacro Tridentino Concilio ſalubriter ſancitum ac decretum ſit, ut ſinguli Epiſcopi Synodum Diœceſanam quotannis convocent, & indicant; ab hujus tamen Decreti executione Rmus ac Illmus Princeps, ac Dominus, D. JACOBUS, Epiſcopus Conſtantienſis, Dominus Augiæ majoris &c. Ejusque pii Anteceſſores, ob longe lateque patentem ſuam Diœceſin, temporum difficultatem, variaque impedimenta, retardati, ac præpediti ſunt. At cum evidens neceſſitas, nimiumque intervallum ab ultima Synodo intercedens expoſceret, moram hanc diuturniorem abrumpi, malis-

(*) *Vide ſub finem Synodi.*

Digitized by Google

malisque moribus, ex lapsa multis in locis Ecclesiastica disciplina, ortis, novis bonisque legibus congrueret obviari; Rma ac Illma Celsitudo Sua, nullam porro sumptuum, ac impedimentorum rationem habendam duxit, Synodumque hoc anno convocatis omnibus Diœceseos suæ Statibus Ecclesiasticis, celebrare penitus constituit. Accessit demum Bulla a Sanctissimo Domino nostro, D. PAULO Divina providentia Papa V. emanata, Rmam ac Illmam Suam Celsitudinem in tam pio ac laudabili proposito confirmans, & Sacro Indulgentiarum Thesauro, omnes & singulos eidem Synodo præsentes, gratiose locupletans, sub modo & tenore infra scripto.

Dilecto Fratri nostro JACOBO, Episc. Constant.

PAULUS PAPA V.

VENERABILIS FRATER, SALUTEM & Apostolicam Benedictionem.

CUm sicut Nobis nuper exponi fecisti, Tu Synodum tuam Diœcesanam, & in ea Missam solemnem in Pontificalibus, Divina adspirante gratia, propediem celebrare intendas; Nos ad ea, quæ Christi fidelium animarum saluti, simulque Tuæ spirituali consolationi conducunt, libenter Paternæ nostræ charitatis favorem dirigentes, de Omnipotentis DEI misericordia, ac Beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus, auctoritate confisi. Omnibus utriusque sexus Christi fidelibus, vere pœnitentibus, & confessis, ac Sacra Communione refectis, qui in die, qua dictam Missam in Pontificalibus, ut præfertur, in ipsa Synodo celebraveris, eidem Missæ, in totum vel in partem, & Benedictioni per Te post Missarum solennia, super populum elargiendæ devote interfuerint, seu eadem die Ecclesiam Constantiensem, etiam devote visitaverint, & ibi pro Christianorum Principum concordia, hæresum extirpatione, & Sanctæ Matris Ecclesiæ exaltatione, pias ad Deum preces effuderint, plenariam omnium peccatorum suorum Indulgentiam, & remissionem misericorditer in Domino concedimus, & elargimur. Contrariis non obstantibus quibuscunque. Præsentibus post dictam diem minime valituris. Datum Romæ apud S. Petrum, sub Annulo Piscatoris die XXVII. April. M. DC. IX. Pontific. nostri Anno Quarto.

S. COBELLUTIUS.

Qua quidem Indulgentiarum Bulla, cum ea, qua par est, reverentiæ & gratitudinis erga præmemoratum Ssmum D. N. significatione, a Rma & Illma Celsitudine Sua recepta, cum ante Messem, & Autumnum proxime imminentem ob Diœceseos amplitudinem, Synodus celebrari commode non posset; placuit eidem Rmæ ac Illmæ Suæ Celsitudini eam ad diem Dominicam post Pentecosten decimam sextam, quæ est decima octava Mens. Octob. Anno Domini Millesimo sexcentesimo nono, ad Omnipotentis Dei laudem & gloriam, vitæque ac morum Status Ecclesiastici reformationem, nec non Fidei Catholicæ in hac Diœcesi propagationem indicere ac convocare. Quapropter Literas Citationis, omnibus & singulis Statibus Ecclesiasticis, in hac Diœcesi commorantibus, tam ab ordinaria jurisdictione exemptis, quam eidem subjectis, quos de jure, vel consuetudine Synodo hujusmodi interesse oporteret, insinuandas, prælo subjici, & per fideles juratosque Nuncios, seu Pedellos emitti, præfata Illma ac Rma Sua Celsitudo decrevit, atque mandavit.

LITERÆ INDICTIONIS seu Convocationis Synodi.

JACOBUS, DEI ET APOSTOLICÆ Sedis Gratia Episcopus Constantiensis, Dominus Augiæ majoris & Oeningæ, &c. Rmis, Rdis, Venerabilibus, Religiosis, & Honorabilibus Nobis in Christo syncere Dilectis atque Devotis, Ecclesiæ nostræ Cathedralis Constantiensis Præposito, Decano & Capitulo, universis & singulis Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Guardianis, & aliis Superioribus Ordinum quorumcunque, etiam Ordinis S. Joannis Hierosol. & B. Mariæ Virg. Teutonici Commendatoribus, nec non Rectori & Universitati Friburgensi, Eccles. Collegiatarum Præpositis, Decanis, Custodibus & Canonicis, Capitulorum Ruralium Decanis, Camerariis & Deputatis, Parochialium & aliarum Eccles. Rectoribus, Pastoribus, Plebanis, Parochis, eorum Vicariis, Capellanis, Clericis & Beneficiatis, Monasteriorum Sanctimonialium Abbatissis, Priorissis, Magistris, Matribus, aliisque Ecclesiasticis tam Regularibus utriusque sexus, quam Sæcularibus quibuscunque per Diœcesin nostram Constant. ubilibet constitutis, sive exemptis, sive nostræ ordinariæ jurisdictioni subjectis, qui de jure vel consuetudine Synodo Diœces. interesse debent & tenentur, Salutem in Domino sempiternam.

EPiscopalis officii nostri ratio postulat, ut quanto gravioribus malis & hæresibus laborantem Dei Eccles. conspicimus, tanto majori

jori ſtudio & vigilantia in eam, quam ex Alto Nobis traditam & commendatam ſuſcepimus, functionem incumbamus, & gregi Nobis credito cuſtodiam ſimul & diſciplinam adhibeamus, ne ſi noſtra fortaſſe incuria perire contingat, quod Chriſtus Dominus noſter in ara Crucis pretioſo Sanguine ſuo redimendum duxit, æternæ maledictionis væ, quod apud Ezech. 34. c. Dominus Paſtoribus negligentibus comminatur, certiſſimo judicio incurramus.

Hinc eſt, quod Nos ab initio ſtatim noſtræ ſuſceptæ Paſtoralis curæ de celebranda Diœceſana Synodo, in qua morum & Eccleſiaſticæ diſciplinæ reformatio inſtitueretur, exceſſus corrigerentur, & quantum per horum temporum difficultates fieri poſſet, variæ hæreſes, errores ac ſchiſmata extirparentur, cogitaverimus: Quam quidem cogitationem noſtram hactenus variis ex cauſis impeditam, Smus Dominus noſter, D. PAULUS Divina providentia Papa V. per Suæ Sanctitatis & Sedis Apoſtolicæ Nuntium cum poteſtate Legati de Latere, apud D. Catholicos Helvetios commorantem, Illmum & Rmum Dominum, D. LADISLAUM Comitem de Aquino, Epiſcopum Venafranum, ita promovit excitavitque, ut tantæ auctoritati ac ſtimulo, tum etiam Sacris antiquis & noviſſimis Trid. Conc. Canonibus & Decretis contravenire, ab officio noſtro Paſtorali alienum duxerimus, ſed neceſſarium omnino ac valde utile futurum judicaverimus, ſi non obſtantibus etiam multis impedimentis, variisque hujus noſtri temporis incommoditatibus, quam primum Diœceſ. Synodum indicere mus, omnesque ſtatus Eccleſiaſticos Epiſcopatus noſtri convocaremus.

Quare vos omnes & ſingulos, tam exemptos, quam non exemptos, ac alios quoscunque, qui de jure vel conſuetudine Synodo Diœceſanæ intereſſe debent, auctoritate noſtra ordinaria, & vigore Sacroſancti Conc. Trid. Nobis in hac parte conceſſa Apoſtolica, in Domino requirimus & hortamur, vobisque & cuilibet veſtrum, ſub pœnis & cenſuris, in dicto Conc. Trid. & alias contra contumaces in hoc caſu, a jure infligi ſolitis & conſuetis, præcipimus & mandamus, ut die Dominica, quæ eſt decima octava dies menſis Octobr. hujus currentis anni milleſimi ſexcenteſimi noni in Civitate Conſtantienſi ad dictam Synodum Diœceſanam celebrandam, perſonaliter & per vos ipſos, aut juſte & Canonice impediti, per legitimos veſtros Procuratores cum ſufficienti mandato compareatis, (niſi diem celebrationis Synodi ex aliqua cauſa prorogatam fuiſſe, aliis noſtris ad vos directis literis intellexeritis) atque ſequenti die Lunæ ejuſdem menſis, in Eccleſia noſtra Cathedrali, in habitu & veſtitu Chorali, uniuscujusque dignitati, ordini & ſtatui congruo conveniatis, Sacræ Miſſæ Officio a Nobis in Pontificalibus, Deo adjuvante, celebrando, in quo omnibus & ſingulis ſive Clericis ſive Laicis præſentibus, modo Sacramentaliter confeſſi, communicaverint, ex ſpeciali gratia & conceſſione Sanctiſſimi Domini noſtri, D. PAULI Papæ V. prout ex conceſſ. Bulla, quam ad valvas Eccleſiæ noſtræ Cathedralis affigi curavimus, latius patet, Indulgentiam plenariam & remiſſionem omnium peccatorum, in Domino præſentium tenore publicamus, & ut ſeſe tanti Theſauri participes faciant, omnes ſerio requirimus & adhortamur, aliisque cæremoniis conſuetis ſolemniter peractis, una Nobiscum communi conſilio tractaturi & concluſuri ea, quæ ad Dei Omnipotentis laudem & gloriam, Eccleſ. Cathedral. Diœceſisque noſtræ Conſtant. incrementum, atque totius Cleri & populi mores & diſciplinam inſtituendam & promovendam, ad hæreſum denique extirpationem neceſſaria, ac utilia videbuntur.

Ne autem ob omnium aut multorum abſentiam, interea Divinus cultus & debita Sacramentorum adminiſtratio intermitti debeat, volumus ac mandamus, ut Eccleſiarum Collegiatarum ſæcularium, & Decanatuum ruralium Capitula, per tres aut ad minus per duos, ex ſingulis Capitulis eligendos, cum pleno mandato, Abbatiſſæ vero, Prioriſſæ, Magiſtræ, Matres, ac aliæ Monaſteriorum Sanctimonialium quorumcunque Præfectæ, per Procuratores Eccleſiaſticos, ſive Sæculares, ſive Regulares, cum ſimili pleno ac ſufficienti mandato compareant: Certificantes omnes & ſingulos, ſive exempti, ſive non exempti fuerint, qui a Nobis per præſens hoc edictum vocati, ad dictam Synodum venire neglexerint vel recuſaverint, Nos nihilominus tam ad executionem eorum, quæ in Synodo ſtatuentur, ipſorum abſentia & contradictione minime obſtante, quam ad ſupra comminatas pœnas & cenſuras irremiſſibiliter proceſſuros. Volumus etiam, & ab omnibus Prælatis, Parochis & Curatis requirimus, ut quam primum hoc Edictum, quo Diœceſanæ Synodi certa dies indicta eſt, acceperint, ſingulis ſeptimanis uſque ad finem Synodi, in ſuis Eccleſiis, una cum proceſſione, ubi commode fieri poterit, Sacrum Miſſæ Officium,

pro

pro optimo in præfata noſtra Synodo tractandarum rerum eventu, celebrari faciant & procurent.

Omnes præterea Diœceſis noſtræ fideles monemus, & per viſcera miſericordiæ Chriſti Domini adhortamur, ut omni ſtudio Chriſtianæ pietatis, & aſſiduis religioſisque precibus, a Deo miſericordiarum & Patre totius conſolationis, Nobis negotium tam ſalutare tractantibus, opem & auxilium implorent, quo adjuti in hac Synodali tractatione, omnia conſilia, ſermones & actiones noſtras in finem dirigamus, nempe in Chriſtum JEſum, cui in omni juſtitia & ſanctitate ſervire debemus. In cujus rei fidem hoc Edictum confici, auctoritateque noſtra imprimi, & noſtro ſigno muniri, tum manu Notarii Vicariatus ſignatum, publice proponi, & legitimæ executioni demandari voluimus & juſſimus. Datum Conſtantiæ in Palatio noſtro Epiſcopali, Anno a Nativitate Domini Milleſimo ſexcenteſimo nono, ſeptima die menſis Septembris, Indictione ſeptima.

JOAN. ANDREAS DORNSPERGER, D. Notarius ſſ.

Præinſertis igitur literis Pontificiis, & Citatione ad Synodum, per Notarium in eisdem ſubſcriptum, & a tota poſtmodum Synodo deputatum, decima tertia Menſis Septembris, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo nono, Pontificatu Sanctiſſimi Domini noſtri, D. PAULI Divina providentia Papæ V. Anno ejus Quinto, per affixionem ad valvas Eccleſiarum, Cathedralis, & Collegiatarum S. Stephani Proto-Martyris, & SS. Joannis Baptiſtæ & Evangeliſtæ, in Civitate Conſtantienſi, rite executioni demandatis; & extra Civitatem, per totam Diœceſin Conſtantienſem, exceptis locis hæreſum labe infectis, omnibus & ſingulis, quorum intereſt, legitime per Pedellos ac Nuntios juratos inſinuatis; Exemptorum quidem Monaſteriorum Abbatibus, aliisque illuſtrioribus Diœceſeos Statibus, præter intimationem literarum Convocationis Synodi, etiam per literas a Rma ac Illma Sua Celſit. benevole vocatis, & invitatis, die & tempore præfixo, in celebri, magnoque numero Civitatem Conſtantienſem ingreſſi ſunt, quorum nomina, dignitates, ac tituli, a calce horum actorum fideliter & quantum eorundem notitia haberi potuit, annotati ſunt.

Reliqui partim exemptionis, ac privilegiorum ſuorum prætextu, partim viva voce, & in ſcriptis, abſentiam ſuam purgarunt.

Interim pridie quam Synodus celebraretur, pro ejusdem felici auſpicio & ingreſſu, hora prima pomeridiana, omnium campanarum, in Eccleſiis & Monaſteriis Civitatis Conſtantienſis exiſtentium, compulſatio inſtituta eſt, continuato quidem pulſu earundem, per quartam horæ partem; majoris vero campanæ uſque ad horam ſecundam.

ACTA PRIMI DIEI SYNODI.

Die itaque decima nona Menſis Octobris, mane hora quarta, in Eccleſia Cathed. decantatæ ſunt Matutinæ cum Laudibus; quas excepit Sacrum Miſſæ Officium de B. M. Virgine Deipara: ſub quo uſque ad horam ſextam pulſata eſt campanula, Clerum ad preces Primarum pro more convocans, quo pulſu finito, omnes reliquæ Horæ Canonicæ, uſque ad Nonam incluſive perſolutæ ſunt. Interim pulſu majoris campanæ, quadrante poſt ſextam, tota Synodus ad Cathedralem Eccleſiam convocata eſt; id quod ſingulis ſubſequentibus diebus, ante Synodicum Conventum obſervari conſuevit.

Sub pulſu ejusdem campanæ, præmemoratus Rmus ac Illmus Epiſcopus Conſtantienſis, cum Aulica ſua familia, & Dominis Conſiſtorialibus celebri numero ac ordine, ex Palatio ſuo prodiit, comitante ipſum Rmo ac Perilluſtri Capitulo Eccleſiæ Cathed. ad portam ejusdem Eccleſiæ majorem. Ubi poſteaquam porrecto aſpergillo, aſtantes aqua benedicta pro more perfudit, per ipſam Eccleſiam, ad ſubſellium Rmæ ac Illmæ Suæ Celſitud. ante medium Altare D. Virgini ſacrum, extra Chorum præparatum, proceſſit. Ibique cum reliquis Dominis Abbatibus, paramentis rubei coloris, aſſiſtentibus hinc inde Adm. Rdo ac Nobili Domino Sigismundo a Wolffurt, Decano, & Cathedralis Eccleſiæ Aichſtatenſis Canonico, nec non Adm. Rdo Illri ac Generoſo Domino Udalrico Baroni in Königseck & Aulendorff, Eccleſiarum Salisburgenſis, Conſtantienſis, & Auguſtanæ Canonico, & Collegiatæ Eccleſiæ S. Cyriaci in oppido Weiſſenſtaig Præpoſito, indutus eſt. Interim Domini Canonici in ſedibus, ab utroque latere, juxta Dominum Epiſcopum collocatis, loca ſua, dignitatis & ſenii habita ratione occuparunt; Rmo Domino Suffraganeo, paulo infra Dominum Epiſcopum, in Pontificalibus exiſtente.

Porro Adm. Rdi & Clariſſimi Domini, Joannes Hausman U. J. D. Rmi & Illmi Epiſcopi Conſtantienſis Vicarius & Officialis, Præpoſitus Colleg. Eccleſiæ S. Joannis Conſtantiæ: nec non Dominus Joannes Chriſtophorus Hager Decretorum Doctor, Cathed. Eccleſiæ Conſtantienſ. Canonicus, D. Leon-

hardus Hamerer, Ss. Theol. D., Parochus & Canonic. Eccleſ. Collegiatæ S. Stephani, D. Georgius Benzius, U. J. D. Sigillifer & Fiſcalis, & Joannes Andreas Dornſperger, U. J. D. Canonicus dictæ Eccleſ. Collegiatæ S. Stephani, ſinguli Rmi ac Illmi Epiſcopi Conſtantienſis Conſiliarii, in Promotores & Actuarium reſpective a Synodo deputandi, in menſa, quæ inter ſubſellia Dnorum Canonicorum media poſita erat, conſederunt.

Interim Dni Prælati Monaſteriorum, baculis Paſtoralibus, mitris, & reliquo Pontificali habitu inſtructi; Eccleſiarum vero Præpoſiti, Canonici, Decani, Presbyteri & Clerici, in habitu, & amictu ſuo Eccleſiaſtico, & Chorali, cum cujusque nomen, ac dignitas, ex catalogo, a Notario, qui poſtea in Actuarium Synodi deputatus fuit, recitaretur, in eadem Eccleſia Cathedrali præſtolati ſunt.

Qui cum ex loco editiori promulgaretur, Dominorum in Promotores deputandorum, alter dextrum, alter latus ſiniſtrum tenebat, qui Dominos Abbates, eorum Procuratores, aliosque cujusque nomine, titulo ac dignitate lectos ac vocatos, in ſedilia ad utrumque latus medii Templi, quod intra columnas majores, & qua in longitudinem patet, diſtribuerunt. Et primum quidem locum Rmi ac Illmi Domini Abbatis S. Galli nomine, a dextro latere occupavit, Reverendus & Religioſus Fr. Jodocus Mezler, Canonum Doctor, & ejusdem Monaſterii Conventualis. Cumque nomine Rmi ac Illmi Domini Abbatis Campidonenſis, nemo compareret, a latere ſiniſtro ejusque primo loco Rmi ac Perilluſtris Domini Abbatis Monaſterii B. M. V. loci Eremitarum Procurator, videlicet Reverendus, Religioſus ac Nobilis Dominus Joachimus a Böroldingen, Decanus ejusdem Monaſterii, eſt collocatus; & ita ſucceſſive, pro cujusque dignitate, ſtatu & gradu, ſinguli per dictos Dominos Promotores, in ſedes inſtructas, hinc inde repoſiti ſunt: Donec ad tenuioris ſtatus Presbyteros & Clericos perventum fuit, qui circulum inferius claudebant, & in multa transverſa ſcamna, quæ in eum uſum ita inter ſe diſpoſita erant, ut ambitus tranſitusque liber ubique pateret, locabantur.

Locis igitur cuique aſſignatis, Adm. Rdus & Clariſſimus Dominus Joannes Hausmann U. J. D. Rmi ac Illmi Epiſcopi Conſtantienſis Vicarius in Spiritualibus generalis, Dominos Prælatos, aliosque ad Synodum convocatos, in hæc verba allocutus eſt:

Rmi, Rdi, Illres, Nobiles, Magnifici, Venerabiles, Religioſi, & Honorabiles Viri ac Domini. Quamvis Rmus in Chriſto Pater & Illmus Princeps ac Dominus noſter, D. JACOBUS, Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia, hujus Almæ Eccleſiæ Conſtant. Epiſcopus, Dominus Augiæ majoris & Oeningæ, &c. Dominus noſter gratioſiſſimus, propter ſolam Dei gloriam, pro Eccleſiæ, & Epiſcopatus ſui reformatione, non ut de majoritate, aut præcedentia lites forſitan, & controverſiæ ſuboriantur, ad hanc Synodum vos convocaverit: quia tamen Rma ac Illma Sua Celſitudo non intendit privilegiis, & prærogativis veſtris circa Seſſionem, in Diœceſana Synodo vobis & cuilibet veſtrum competentibus, quæ ſibi plane perſpecta non ſunt, in aliquo præjudicare; Ideo hanc præſentem collocationem & ordinem ſine veſtro & cujuslibet veſtrum præjudicio factam eſſe, vobisque & ſingulis, jus quod ſibi in hoc caſu de jure, vel conſuetudine competere prætendit, ſalvum, ac integrum permanere, ex juſſu & mandato ſpeciali ejusdem Rmæ ac Illmæ Celſitud. Suæ, coram univerſa Synodo, & ſpecialiter coram Notario, ad conſcribenda acta hujus Synodi deputando declaramus & proteſtamur, atque hanc noſtram declarationem, & proteſtationem, ad acta ejusdem Synodi conſcribi petimus.

Quo peracto, ex mandato Reverendiſſimi Domini Epiſcopi, idem Dominus Vicarius, Synodum his verbis interpellavit:

Rmus in Chriſto Pater, & Illmus Princeps ac Dominus, D. JACOBUS, Epiſcopus Conſtantienſis, per me interrogat omnes & ſingulos Dominos Prælatos, & alios quoscunque ad hanc Synodum legitime convocatos, ame ad DEI Omnipotentis laudem, & gloriam, Eccleſiæ Catholicæ decorem, & Epiſcopatus Conſtantienſis incrementum, Synodus Diœceſana Conſtantienſis legitime indicta, convocata, & congregata, eis aperienda videatur?

Quo publice dicto, & plerisque *Placet* reſpondentibus, Rmus Dominus Epiſcopus noſter, Synodum aperiendam decrevit his verbis:

CHRISTI nomine invocato, pronunciamus & decernimus, Synodum Diœceſanam Conſtantienſem, legitime indictam, convocatam, & congregatam, aperiendam fore & eſſe, prout eandem aperimus, apertamque eſſe declaramus, IN NOMINE PATRIS, ET FILII, ET SPIRITUS SANCTI.

Qua ſententia promulgata, organis & muſica, cum compulſatione campanarum, decantatus eſt Hymnus glorioſus: *Te Deum laudamus.* Interim Adm. Rdi Nobiles & Clariſſimi

riſſimi Domini Jacobus Raslerus, U. J. D. Proto-Notarius, Canonicus Cathedralis & Præpoſitus Collegiatæ S. Stephani Eccleſiarum Conſtantiæ, & Dominus Joannes Jacobus Blarer a Wartenſee, Canonicus Cathedr. Conſtant. & Baſileenſis, nec non Collegiatæ Elwacenſis Eccleſiarum, in munere Diaconatus & Subdiaconatus inſervituri, ad Sacriſtiam ſe conferentes, paramentis rubeis ſeſe induerunt, & ad Rmum Dominum Epiſcopum proceſſerunt. Abſoluto Hymno, præmemoratus Rmi ac Illmi Domini Epiſcopi Vicarius, Celſitud. ejusdem his verbis allocutus eſt:

Rme in Chriſto Pater, & Illme Princeps, Domine gratioſiſſime, laudabili conſuetudine, in celebrandis Synodis introductum eſt, ut aliqui viri Eccleſiaſtici deputentur, qui procurent, ut omnia rite decenterque fiant, & totius Synodi acta fideliter conſcribantur. Quare Illmam & Rmam Celſ. Veſtram pro Synodi hujus congregatæ promotione, humillime rogo & requiro, ut viros aliquot idoneos Promotores & Actuarios Synodi, publice deputare & nominare dignetur.

Cui Rmus & Illmus Dominus Epiſcopus Conſtantienſis, reſpondit his verbis:

Eligimus, nominamus, ac deputamus ex Capitulo Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, Dominum Joannem Chriſtophorum Hagerum, Decretorum Doctorem, Canonicum; Ex inferiori Clero, Leonhardum Hamerer, Ss. Theologiæ Doctorem, Canonicum & Plebanum Eccleſiæ Collegiatæ S. Stephani, in Promotores. In Actuarium vero, ſeu Notarium, Joannem Andream Dornſperger, U. J. D. Canonicum prædictæ Eccleſiæ S. Stephani. Quod ſi Domini Prælati, vel alii aliquid habeant, quod contra præfatos Promotores, & Actuarium opponere poſſint, vel velint, facultatem publice proponendi omnibus & ſingulis concedimus.

Cui Decreto, cum nemo ex Patribus Synodalibus contradiceret, Dominus Vicarius eosdem Dominos Promotores, & Actuarium his verbis affatus eſt:

Cum nemo prodeat, qui contra vos quicquam opponat, vos hic ad Sancta DEI Evangelia præſtabitis Juramentum, quod quilibet veſtrum Officium ſibi injunctum, fideliter, rite, debite & diligenter exequi velit, omni dolo & fraude ſemotis.

Quo quidem Juramento, ad delationem Domini Vicarii, per eosdem Dominos Promotores, & Notarium, ad Sancta Dei Evangelia præſtito, omnes genua flexerunt, &

Reverend. Domino Epiſcopo præcinente, Antiphonam: *Veni Sancte Spiritus*, Cantoribusque eam proſequentibus, Dominus Epiſcopus Verſiculum: *Emitte Spiritum tuum*, &c. cum oratione, cecinit.

His peractis, inſtituta eſt publica Proceſſio circa ſummum Templum, in qua ut congruus ordo obſervaretur, Actuarius Synodi Catalogum omnium præſentium ex cancellis ejusdem Eccleſiæ denuo inverſo ordine, qui ſeſſioni cujusque conformis eſſet, recenſuit. Et principe quidem loco, Cruce prælata, duo Ceroferarii, admodum Reverendum & Clariſſimum Dominum Joannem Chriſtophorum Hagerum, Canonum Doctorem, & Cathedr. Eccleſiæ Canonicum, pluviali aureo indutum, & Sacras Reliquias deportantem præibant. Eundem vero Scholares & Alumni S. Conradi ſubſecuti ſunt.

Hos exceperunt Patres Capucini, Religioſi Ordinum mendicantium, videlicet Religioſi Ord. S. Franciſci, nempe PP. quos vocant de Obſervantia, & Conventuales. Mox Religioſi Ordinum, B. Mariæ Virginis Carmelitarum, D. Auguſtini, & D. Dominici. Religioſi Ord. S. Pauli primi Eremitæ, & S. Wilhelmi. Deinde Capellani & Succentores Eccleſiæ Cathedr., quos antecedebant Capellani S. Pauli Conſtant. & Collegiatarum Eccleſiarum S. Joannis & S. Stephani ibidem. Quorum veſtigiis illico Procuratores Decanatuum ruralium, prout lecti erant, inſiſtebant; ſubſequentibus Legatis Monaſteriorum, & Abbatiarum Sanctimonialium, nec non Canonicis, Eccleſiarum Collegiatarum Procuratoribus. Poſtmodum procedebant Præpoſiti Collegiorum ſæcularium, & Ord. D. Auguſtini Canonicorum Regularium, Univerſitatis Friburgenſis, & trium Principum Abbatiſſarum Legati. Poſt hos lecti ſunt, ſinguli qui intererant Abbates, quos ſubſequutum eſt, Rmum & Perilluſtre Capitulum Cathedr., tum Reverendiſſimus Dominus Suffraganeus, & poſt illum Subdiaconus, & Diaconus, atque ſupranominati Domini Aſſiſtentes: demum Reverendiſſimus ac Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus Conſtantienſis, cum Officialibus, Magiſtratu ſæculari Conſtantienſi, Aulicis, & aliis compluribus Laicis, extremum ordinem confecit.

Finita ſolenni proceſſione, Prælati, Præpoſiti, & Canonici, aliique Illuſtrium Statuum Legati, eo ordine, quo antea extra Chorum ſederant, ſuperiora Chori ſedilia occuparunt. Reliquus Clerus in inferioribus ſedibus, & medio Chori ſpatio ſubſtitit. Moxque, ut a Muſicis Sacrum Miſſæ Officium de Spiritu Sancto inchoatum eſt, præeuntibus Domino Joanne Jacobo Blarer a Wartenſee, Subdiacono, & Domino Jacobo

Raslero U.J.D. Diacono, Reverendiſſimus ac Illuſtriſſimus Dominus Epiſcopus e Sacrario, Intus utrumque Adm. Reverendis Nobilibus ac Illuſtr. Dominis, Sigismundo a Wolfurt, Decano, nec non Domino Joanne Udalrico Barone in Kõnigseck & Aulendorff, ſtipantibus, prodiit, & prædictum Miſſæ Officium ſolenni ritu, juxta Pontificalis libri præſcriptum celebravit. Sub qua Miſſa complures ex Cathedr. Eccleſiæ Canonicis, qui in Sacerdotio conſtituti non erant, (Canonici namque Presbyteri per ſe Miſſas celebraverant) maximaque Cleri parte, & Reverendiſſimæ Suæ Celſ. familiaribus, de manu ejusdem Sacram Euchariſtiam, quo gratiæ & Indulgentiarum a Sanctiſſimo noſtro, in Bulla præinſerta, conceſſarum, compotes redderentur, ea, qua par eſt, reverentia, & devoto animi cultu ſumpſerunt.

Finito Sacrificio Miſſæ, Reverendiſſimus Dominus Epiſcopus depoſita caſula, & reſumpto pluviali rubei coloris, mitratus & pedo innixus, comitantibus Dominis Aſſiſtentibus, Diacono & Subdiacono, ac ſubſequentibus Dominis Prælatis, Canonicis, omnibusque Synodum conſtituentibus membris, extra Chorum ad locum præparatum progreſſus eſt.

Quo cum perventum fuit, Reverendiſſima ac Illuſtriſſima Sua Celſ. in genua procubuit, depoſitaque mitra, quod & a Prælatis factitatum, totaque Synodo genua flectente, Antiphonam: *Exaudi nos Domine*, inchoavit, Choro cum Cantoribus, eandem ad finem uſque proſequente. Et generatim omnes illæ orationes, & cæremoniæ adhibitæ fuerunt, quas Pontificale Romanum, pro hujusmodi Synodicorum conventuum felici auſpicio & ingreſſu, exprimit uſurpandas.

Finito Hymno: *Veni Creator Spiritus*, ſuggeſtum conſcendit Rdus & Religioſus P. Jacobus Maier, Societatis JESU Theologus, & ſummi Templi Conſtantienſis Eccleſiaſtes, ac ſubſequenti Oratione: *De optima Synodum celebrandi ratione* Rmum ac Illmum Dominum Præſulem, totius Synodi Proceres ac Clerum cohortatus eſt.

TAcita quadam naturæ convenientia (Rme & Illuſtriſſime Princeps, Rmi, Illuſtres, Nobiles, Ampliſſimi Præſules, cæteri Admodum Reverendi, virtute, eruditione ac dignitate quavis ſpectabiles DD. & PP.) tota propemodum antiquitas conſentit, omnem Remp. duabus potiſſimum rebus adminiſtrari: Prudentia & Conſilio. Illam Principi ineſſe, hoc adeſſe debere. Ut enim prudentia imperantis propria & unica virtus eſt; ſic ſola, nec oneri gubernationis par eſt, nec ſatis firma, niſi aliorum conſilio ſtabiliatur. Veriſſime enim dictum eſſe ab Euripide arbitror: Σοφὸς τύραννος, τῶν σοφῶν συμμετρίᾳ. Princeps ſapiens, ſapientium commercio. Magna namque negotia, magnis adjutoribus egere quis neſciat, cum nec ab Atlante cœleſtium machinarum pondera ſine Hercule ſuſtineri, fabuloſa illa priſcorum Poëtarum turba comminiſci auſa ſit? Sed mitto vana commenta, quando ipſa ſacrarum hiſtoriarum auctoritas nobis fidem facit. Jethro Sacerdos Midian cum cognatum ſuum Moyſen, nimia mole negotiorum, in populo, multitudine prope infinito, ingenio pervicaci nec ſatis tractabili, judicando pene oppreſſum vidiſſet, ratus tam pertinacem laborem & vires excedere imperantis, & populorum regimini non ſatis proſpicere, eo conſilio Moyſen inſtruxit, ut curarum parte in alios translata, onus ſibi levius ferendo redderet. *Non bonam*, inquit, ô Moyſes [*a*], *rem facis. Stulto labore conſumeris tu & populus iſte, qui tecum eſt: ultra vires tuas eſt negotium, ſolus illud non poteris ſuſtinere. Sed audi verba mea atque conſilia, & erit Dominus tecum. Provide de omni plebe viros ſapientes & timentes Deum, qui judicent populum omni tempore: ſi quid autem majus fuerit, ad te referant, leviusque ſit tibi partito in alios onere.* Paruit Moyſes; nec ſic tamen ſatis expeditam ad omnes difficultates evolvendas ſenſit ſibi eſſe gubernandi rationem: quare a Deo ipſo auxilium & conſilium in tam difficili negotio poſtulare neceſſe fuit. *Non poſſum* (clamat Moyſes [*b*] ad DEUM) *ſolus ſuſtinere hunc populum, quia gravis eſt mihi.* Quid ageret DEI ſapientia? *Congrega*, inquit, *mihi ſeptuaginta viros de Senibus Iſraël, quos tu noſti, quod Senes populi ſint ac Magiſtri, & duces eos ad oſtium Tabernaculi fœderis, faciesque ibi ſtare tecum, ut deſcendam & loquar tibi, & auferam de ſpiritu tuo, tradamque eis, ut ſuſtentent tecum onus populi, & non tu ſolus graveris.* Conſtitutum ergo nobis ſit unius prudentia, non ſatis gubernari multitudinem, niſi aliorum accedant conſilia. Pauca enim aliqua unus videat, unus audiat, ut jure merito ex Græciæ Sapientibus non poſtremus, multos regis oculos, multas aures deſideret.

Quare neminem ex hac corona eſſe arbitror, qui non tuum Rme & Illme Princeps conſilium, imo optimum factum vehementer probet ac collaudet, quo tandem poſt quadraginta duorum annorum intervalla, in hanc celeberrimam Civitatem Conſtantienſem Synodum convocare conſtituiſti. Tale namque factum decebat prudentiam tuam, quam natura indidit, longus regimi-

(*a*) *Exod.* 18. (*b*) *Num.* 11.

giminis uſus confirmavit, ut id felici eventu conſequereris, quod Anteceſſores tui in diuturnis votis habuerunt. Recte, recte inquam, pervidiſti, Diœceſ. hanc, quam DEI OPT. MAX. munere adminiſtras, cui amplitudine Germania non habet parem, quam variarum hæreſum vicinia premit, intrinſeca pariter & extrinſeca mala divexant, non poſſe firma ſtabilitate regi, niſi communibus ſuffragationibus, quod ex Reipub. utilitate ſit, ſtatuatur. Habes igitur, Princeps optime, & oculis tuis præſentes contueris, quos diuturnis votis expetiiſti, quos publicis literis evocaſti, viros, ſi numerum ſpectes, plurimos; ſi auctoritatem, graviſſimos; ſi virtutem, probatiſſimos; ſi eruditionem, literatiſſimos; ſi in te affectum, tui amantiſſimos; ſi ſingulorum erga te officium, tibi fideliſſimos; ſi prudentiam, ſolertiſſimos; & quod in conſiliis dandis Rom. Eloquentiæ parens caput eſſe voluit, ſtatus Reip., morum ingeniorumque hominum in Provincia, maxime gnaros: ut proinde a tot & tam multis non niſi plurima; ab optimis optima; a peritiſſimis, ſaluberrima conſilia expectare debeamus. Ad quos cum mihi in hoc primo ac celeberrimo conſeſſu ſermo habendus ſit, neſcio, an plura ſe offerant, quæ animum meum terrent & avocant, quam quæ me ad libere dicendum allicere poſſunt. Nam *Sapientiam* (*c*) *inter perfectos loqui*, nec facundia, nec virtus mihi conceſſit; ille ſolum potuit, quem Divina Sapientia erudivit, quem tubam cœleſtem, lyram ſpiritualem, organum Dominicum & magnum veritatis præconem Theologus ille appellavit, cui ab aurea dicendi facultate Chryſoſtomi cognomen eſt inditum, ut proinde merito formidare debeam, ne aliquis minus oculis me reſpiciens vetus in me dictum jaciat:

Num & Saul inter Prophetas? (*d*)

Jubent nihilominus ex altera parte formidinem mente conceptam deponere, & frontem nonnihil exporrigere, tua inprimis Rme Antiſtes juſſio & auctoritas, quæ me hoc loco conſtituit, quo vel ſupreme temerarium ambitio nunquam perduxiſſet: tum etiam veſtra PP. ampliſſimi benevolentia ac prudentia, quarum hæc errores meos facile diſſimulare novit, illa etiam condonare. Quam vero dicendi materiam potiſſimum eligam? De optima Synodum celebrandi ratione dicere mihi conſtitutum eſt, argumento, ni fallor, & tempori opportuno, & veſtræ expectationi. Dicam vero breviter, quia ſic vos deſiderare intelligo, & apud eos dico, quibus animi ſenſa inſinuare, eſt perſuadere.

Si quid rectum, ſi quid excelleus, ſi quid ſanctum homines in votis habere deſiderant, ſemper ad priſca illa ſæcula, ad antiquos Eccleſiæ primitiæ mores adſpirant. Hinc illas voces ſæpius ingeminari audimus: O quis nobis referat aurea illa ſæcula, feliciſſimam illam ætatem, in qua priſca fides, vera pietas, ſyncera charitas floruit? Quod ſi perfectiſſima forma vivendi in populo primæ Eccleſiæ viguit, minime dubitandum eſt, optimam quoque regendi rationem in ejusdem Eccleſiæ Rectoribus conſtitiſſe; ut proinde recte facturus videar, ſi primam illam Apoſtolorum de rebus in fide ac moribus controverſis Synodum Hieroſolymis celebratam, vobis pro forma ac idea, ad quam præſentem veſtram Synodum conformare debeatis, propoſuero. Illam S. Lucas breviter, ut aſſolet, deſcribit in Actibus Apoſtolorum. (*e*) Quidam de Phariſæorum ſecta ex Judæa in Syriam & Antiochiam atque Ciliciam deſcendentes, gentiles noviter ad fidem converſos falſis doctrinis turbare, atque eorum ſalutem in circumciſione & Moſaicæ Legis obſervatione conſtituere nitebantur. Cui malo ut occurreretur, Hieroſolymis Apoſtoli & Seniores convenerunt, & cum cauſa in utramque partem acriter diſputata fuiſſet, Petrus ſuam ſententiam gravibus verbis propoſuit, quam Barnabas & Paulus ſignis & prodigiis inter gentes factis; Jacobus Hieroſolymorum Antiſtes Prophetarum oraculis confirmavit, reliquus Apoſtolorum & Seniorum Senatus ipſa ſua taciturnitate comprobavit; ac tandem unanimi conſenſu decretum eſt, ne gentes Moſaicarum obſervationum jugo gravarentur. Habetis quaſi compendio deſcriptam formam Concilii. In quo ſive cauſam ejus & principium intueor, ſive progreſſum & finem contemplor, manifeſte comperio ex rectiſſimo rationis præſcripto, immo ex ipſo Spiritus Sancti inſtinctu ac ductu omnia peracta fuiſſe. Agite ergo PP. Ampliſſimi, admoveamus lapidem Lydium ad opus nobis propoſitum, & bonæ Synodi conditiones examinemus: atque inprimis quid in perſonas huic Synodo præſentes derivandum ſit, indagemus. Præſidem Concilii agnoſcere S. Petrum perſuadeor, cum quia primus ipſe ſententiam dicit, tum quia cæteri ejus auctoritate moti, ſententiæ acquieſcunt. In hoc Conventu Præſidem habetis Rmum veſtrum Epiſcopum, cui eam eſſe auctoritatem in hanc Synodum, quæ D. Petro fuit in Hieroſolymitanam, nemo ambigit, niſi qui inter Theologos parum verſatus neſcit Apoſtolis Epiſcopos ſuccedere, atque eorum quemque id ſibi juris in Eccleſiam ſuam vendicare, quod Pontifex in univerſam fideli-

(*c*) 1. *Corinth.* 2. (*d*) 1. *Reg.* 12. (*e*) *Actor.* 15.

um congregationem habet. Quare veſtri officii erit, ejus auctoritatem in omnibus revereri, ſententiam reverenter audire, juſtæ voluntati prompte obſequi, ac denique ejus definitionibus concordiſſime acquieſcere. In veſtris vero perſonis, qui Præſidi Conſiliarii aſſideris, quid deſiderem ? Totam veſtri muneris functionem S. Petrus duobus verbis non minus bene, quam appoſite expreſſiſſe mihi videtur, quando ſuos Aſſeſſores his titulis compellavit : *Viri fratres, vos ſcitis, quoniam, &c.* Viros honorifice, fratres amice appellat, & ſimul nos inſtruit, ad Conventus Eccleſiaſticos, non niſi viros, non niſi fratres adhiberi debere, viros ut prudenter, fratres ut amanter: viros ut fortiter, fratres ut concorditer agant. Itaque ab hoc noſtro conſeſſu omnis procul abeſto fœmina. Nulla Reip. aut firma aut diuturna felicitas conſtitit, quæ mulierum conſiliis fuit gubernata. Telemachus apud antiquiſſimum Scriptorum Homerum, omnem publici muneris curam matri Penelope, quamvis lectiſſimæ fœminæ, denegat, & ad colum fuſumque remittit.

Ergo domum (f) mater repetat, muliebria penſa
Atque opera exercens, telasque & pendula fila
Et calathos relegas, famulasque ad lumina longis
Adhibeas penſis, operumque adiiſſe labores
Ipſa jube; nam ſermo viris debetur & oris
Officium & ratio, &c.

Quis ſingulis hominibus ſua munia aſſignavit ſapientius Salomone? at ille inquirens mulierem non imbellem, ſed fortem, non ocioſam, ſed laborioſam, non nugigerulam, ſed conſtantem, non ſtolidam, ſed ſapientem ac providam, quibus ſtudiis deditam ſcribit? *Quæſivit*, inquit, [g] *lanam & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti ejus apprehenderunt fuſum. De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis*, & reliqua œconomiæ muliebris miniſteria exercuit; inter quæ nulla gerendi Magiſtratus, nulla publicæ functionis fit mentio. Aliena hæc a fœmina, viri ſunt propria. *Nobilis* (b) *in portis vir ejus, quando ſederit cum Senatoribus terræ.* S. Paulus mulieribus in Eccleſia etiam diſcendi gratia loqui non permittit : ego ad docendum, ad conſultandum de rebus ſummis, ad clavum Reipub. mulieres in hac Synodo admittam? Abſit hoc a me, abſit a vobis PP., niſi bonum, niſi felicitatem a noſtro conventu abeſſe malimus. Intelligitis, opinor, me non tam muliebrem ſexum, quam muliebrem animum a veſtro conſenſu excludere velle, & contra viros eviratos pugnare. Poſſe enim ſub virili toga muliebrem mentem latere, qui dubitat, ex Diogenis, meridiana luce, ad exiguum lucernæ lumen, in media virorum turba, virum quæritantis Philoſophia reſponſum petat, & audiet, homines quidem eſſe permultos, viros autem perpaucos. Barba virum duntaxat ornat, non facit, vetus eſt, ſed verum verbum. Ergo viros vos eſſe oportet PP. Synodici, hoc eſt, maſculas virtutes pectore gerere. Viros maxime commendat prudentia, armat zelus, hoc eſt, Religionis ac pietatis tuendæ amor, corroborat fortitudo atque conſtantia. Prudentia opus habetis, ut, quæ agenda ſunt, perſpiciatis, zelus ad audendum impellat, robur animi ac conſtantia omne impedimentum amoliatur. Quæ virtutum catena quam vobis ſit neceſſaria, ex fine, ob quem conveniſtis, clare intelligetis. Antiquis id ſemper in more poſitum fuiſſe, ex hiſtoriis diſcimus, ut non niſi ob graviſſimas cauſas magnorum ac plurium conventus agerent. Hinc quod Romani tributis aut centuriatis Comitiis non perfecerunt, ad curiata referre ſunt ſoliti. Hebræi quoque, ut ex Joſepho refert Illuſtriſſ. ac Doctiſſimus Cardinalis Baronius, tria Judiciorum genera exercuerunt, quorum ſupremum, quod ipſi Sanedrim, Græci συνέδριον appellant, tum primum cogebant, quando de maximis cauſis: Religione, Sacerdotio, Prophera controverſia incidit. Quod ſi celebres conventus graves ſemper cauſas habuerunt, vos tanto numero, poſt aliquot annorum decades ob leves cauſas convocatos eſſe, exiſtimabimus ? Concilium Hieroſolymitanum coëgit hæreſis Phariſæorum judaizantium; vos non una hæreſis, ſed tot propemodum circumſtant, quot beſtia illa Babylonica in Apocalypſi monſtroſa capita protulit; quas ſi amplius præcavere non poteſtis, extirpare tamen veſtro ſtudio, veſtra induſtria, gladio ſpiritus, armatura Dei debetis. Apoſtolos Hieroſolymas convocavit indiſcretus legis Moſaicæ zelus, cujus jugum, quod nec ipſi Judæi, nec Patres eorum portare potuerunt, gentibus converſis imponere conabantur. Sed his calamitoſis temporibus malitia hominum eouſque excreſcit, ut non durum legis jugum obtrudere, ſed ſuave jugum Chriſti & onus leve, quod Patres noſtri jam a mille ſexcentis annis tanta facilitate ſuſtinuerunt, ab humeris noſtris moliantur excutere. Docent ex Cathedris omnem vivendi licentiam hæretici, Divinorum præceptorum obſervantiam impoſſibilem, piarum operationum exercitationem otioſam, immo pernitioſam clamitant, Sacroſanctum Pœnitentiæ forum, quo

(f) *Hom. odiſ.* 1. (g) *Prov.* 31. (b) 1. *Corinth.* 14.

quo hucusque omnem disciplinam Christianam, ubi adhuc viget, conservatam, ubi intercidit, restauratam videmus, immanem conscientiarum carnificinam vociferantur. Reclamant quidem huic impiæ licentiæ & licentiosæ impietati verbis Catholici, repugnant sententiis, refutant argumentis, sed prô dolor, eandem impietatem multi tuentur vita, profitentur factis; dum passim ita vivitur, ut a populo, a Clero, a maximo, a minimo, ab omni gradu & ordine Divinus cultus negligatur, operum Sanctorum usus jaceat, & in eorum locum comessationibus, carnis deliciis, luxui, lasciviæ, vitiis universis vacetur. Quam pauci hodie mortificationem JESU in suo corpore circumferunt, (*i*) ut vita JESU in illis manifestetur? Quam multi delitias Sardanapali, luxum Sybaritarum ita moribus exprimunt, ut vita ipsa, velut tessera, ostendant se Epicuræ potius, quam Christianæ militiæ nomina dedisse. Hæc, & his graviora vitia emendare, propulsare & extirpare tenemini, si vestri muneris obligationem recte perpenditis. At quanta ad hoc opus moliendum prudentia exigitur, quanta circumspectio, ut dum prodesse vultis, obesse non probemini? Hoc etenim tempore ea est perversitas hominum, ut ex curatione vulnerentur, ex pharmaco venenum hauriant, nisi prudenter & discrete medicina applicetur. (*k*) Prudentiæ tres functiones ex Aristotele, Angelicus Doctor constituit, nimirum bene consultare, syncere judicare, & fortiter executionem præcipere. Quam bene omnes hujus virtutis partes expleverint Hierosolymitani illi Patres, ex Scriptura facile innotescit. Primo namque de quæstione propolita facta est inquisitio magna, rationes firmæ cum a S. Petro, tum a S. Jacobo in medium prolatæ, quæ omnia ad consultandi munus spectant. Deinde ad judicium perventum est in hanc formam: *Visum est Spiritui Sancto & nobis, nihil ultra imponere vobis oneris, quam hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum & sanguine & suffocato & fornicatione; a quibus custodientes vos, bene agetis.* Denique ut executioni mandarent, quod prudenter judicatum est, miserunt Judam & Silam, qui cum magna consolatione fratres confirmaverunt. Hic rursum vos adhortor PP. Amplissimi, ut semel præfixam vobis agendi ideam, nunquam non intueamini. Ac inprimis seria a vobis deliberatio instituatur, quibus mediis, quæ ex locorum, temporum, personarumque circumstantiis metienda sunt, tantis malis obvenire possitis. In judicandi vero munere duo ex Apostolica forma in vos præcepta derivare optarem, unum ut quicquid agitis in Spiritu Sancto agatis. Spiritus ille sit Auctor, sit Director, sit Promotor, mentes vestras illuminet, pectora suo igne accendat, quod tunc demum consequemini, si puritate mentis, rectitudine intentionis, fervore charitatis vos digna Divini illius flaminis habitacula effeceritis. Alterum est, ut sicut illi, temporum & morum conditione sic postulante, sublata legis severitate, solummodo necessaria onera imposuerunt; ita vos e contrario nihil eorum statuere prætermittatis, quæ ad vivendi licentiam refrenandam, ad disciplinam Ecclesiasticam instaurandam vobis necessaria esse videbuntur: & quod a vestris subditis fieri postulatis, eo ipsos exemplo vestro, quæ compendiosissima persuadendi ratio est, ducatis, *Facti*, ut D. Petrus [*l*] loquitur, *forma gregis ex animo.* Denique cum recta statuisse nihil aut parum prosit, nisi quæ imperata sunt, fiant, magna vobis animi constantia agendum est, ut nihil eorum, quæ statuta sunt, aut pertinaciter repudietur, aut negligenter intermittatur. Itaque proderit etiam mittere Judam & Silam ad fratres tota Provincia seu Diœcesi dispersos, hoc est, Visitatores & Inspectores, qui eo nomine sint commendandi, quod tradiderint animas suas pro nomine Domini nostri JESU Christi, quibus ea cura ac solicitudo sit, ut Decreta vestra & Senatusconsulta populis proponant, eadem stata, sancta, perpetua esse velint. Atque his ferme functionibus integrum virorum munus, omni ex parte explebitis.

Supereſt ut quomodo in hac Synodo fratrum vobis nomen ac amorem vindicetis, paucis exponam. Sicut nihil adeo inimicum est bonis consiliis, quam inter consultores dissensio, ita ausim affirmare, unicum consultationum firmamentum esse concordiam. Sed quid dico sana consilia firmari concordia? Plus dicam. Nescit vinci, quicquid concordi voluntatum consensu aliquando coaluit. Quid debili virgulto debilius? at societate & conjunctione cum aliis adeo forte efficitur, ut quod seorsim levi conatu puer frangeret, robustissimi viri vires ac conatum omnem eludat. Notus est Phrygis illius fabulatoris Æsopi apologus de virgarum fasciculo, quem parens moriturus filiis suis frangendum proposuit. Conati sunt singuli colligatum dirumpere, sed conati tantum, minime vero consecuti sunt, quod maxime cupierunt; dissolutum vero fascem minimus natu nullo negotio fregit, rupit. Simile refert Plutarchus de Scyluro Scytha, qui octoginta liberorum pater, cum jam moriturus esset, fascem jaculorum singulis porrexit & frangere jussit, quod cum nemo eorum præstare conando posset, ipse singula

(*i*) 2. *Corinth.* 4. (*k*) 2. 2. *q.* 47. *art.* 9. (*l*) 1. *Petr.* 5.

la exemit jacula, iiſque ſine negotio frangentibus omnia, quid ſymbolis hiſce voluerit, explicavit. Si, inquit, concordes fueritis, validi inviĕtique manebitis: Sin vero diſcordes, imbelles & imbecilles facilesque expugnatu futuri eſtis. Certum ergo ſit, quod experientia etiam quotidiana nos docet: concordia res parvas creſcere, diſcordia maximas dilabi. Nec mirum. Ut enim navis per medios fluĕtuum vortices, interque furibundos ventorum turbines illæſa pertranſit, ſi vela idem littus reſpiciant; ita ſuaſoria quoque ratis, ludibrium ventis debet, niſi conſiliorum velis conſentientibus ad unum portum dirigatur. Felicem hujus navis curſum duabus potiſſimum rebus impediri, graviſſimi politicarum rerum Scriptores aſſerunt. Unum eſt contumacia velut remora quædam, qua aliqui propriæ perſuaſioni ita pertinaciter inhærent, ut cujusvis conſilii quamvis egregii, quod ipſi non adferunt, ſint inimici, & ex ſuo tantum ore ſapere poſſe videantur. Alterum ſunt affectuum inordinatorum ſcopuli, in quos privatæ utilitatis ventus conſiliorum cymbam ſæpe cum publico exitio impellit, niſi diligentiſſime caveantur. Quæ omnia ſi a veſtro Senatu longiſſime, uti non dubito, abfuerint, & fraterna concordia eritis illuſtres, & ad omnes difficultates ſuperandas fortes. *Frater enim* [m] *qui adjuvatur a fratre quaſi civitas firma, & judicium quaſi vectes urbium*, ex Dei ore ſapientiſſimus Salomon pronunciavit. Scio equidem privata ſtudia, & rei familiaris controverſias ſolere aliquando fraternos animos in diverſas trahere ſententias, & mutuis aliquando diſſociare odiis; quamprimum vero ab externo inimico communia omnium fratrum bona invaduntur, quamprimum parentis aut familiæ nomen & auĕtoritas violatur, mox tantiſper diſſimulatis privatis diſſidiis, in veterem amicitiam coaleſcere; ſeque pro paterna hæreditate, pro familiæ honore, tam conjunĕtis animis opponere, ut omnem facile difficultatem perrumpant. Videbis nonnunquam oviculas patenti campo inter ſeſe arietare; cernes ſubinde gallinaceos pullos in pugnam deſcendere, unguibus, roſtellis ſe mutuo dilacerare, & implacabiles inimicitias oſtentare; ſtatim vero ut hi milui, illæ accipitris præſentiam ſenſerint, depoſitis odiis in unum coire; ipſo naturæ inſtinĕtu edocti, etiam propriæ incolumitati magis proſpeĕtum fore, ſi publico hoſti conjunĕtis viribus obſiſtant, quam ſi privata diſſidia cum certo ſuo exitio proſequantur. Quod ſi veſtris quoque animis Patres penitus perſuaſum fuerit, vos in communi cauſa cœleſtis Patris, qui vos in Filios adoptavit, convenifſe, pro paterna hæreditate, quæ eſt Eccleſia Dei, certare, a Chriſti grege communem hoſtem, lupum infernalem, hæreſes, vitia propellere, nihil proprii commodi quærere debere, omnino confido nihil futurum, quod fraternam veſtram concordiam diſſolvat, ſed potius omnia veſtra conſilia ab hac charitate vim roburque ſumptura, quibus ad machinationes omnes adverſariorum perfringendas fortes & invicti efficiamini.

Architecturæ veſtræ conſpexiſtis ideam, Patres integerrimi, intellexiſtis Concilii antiquiſſimi, auguſtiſſimi, ſanctiſſimi formam: facite ergo ſecundum exemplar, quod vobis monſtratum eſt in Monte Sancto Sion. Hoc commiſſi vobis muneris poſtulat obligatio, exigit ovium ſubditarum neceſſitas, expeĕtat Chriſti Sanguine redempta Eccleſia, flagitat Dei amor. Cogitate vos non pro agris, ſed pro aris, non pro veſtris fortunis, ſed pro Chriſti hæreditate, non pro liberis, ſed pro filiis Dei tuendis conveniſſe: pro animabus, inquam, fidelium, quas Chriſtus non corruptibilibus auro & argento, ſed pretioſo ſuo Sanguine emit, redemit: quas veſtræ curæ ita commiſit, ut ſanguinem earum, immo ſanguinem ſuum, ſi vel veſtra negligentia, vel conniventia pereant, & præda hoſtibus fiant, de manibus veſtris ſit exaĕturus. Sed mihi jam dudum veſtra benevolentia abutenti, receptui; vobis, claſſicum canat Apoſtolicus Doĕtor, tuba cœleſtis, verbis, quæ primo Philippenſibus (n) intonuit. *Si qua conſolatio in Chriſto, ſi quod ſolatium charitatis, ſi qua ſocietas ſpiritus, ſi qua viſcera miſerationis, implete gaudium meum, ut idem ſapiatis, eandem charitatem habentes, unanimes, idipſum ſentientes, nihil per contentionem, neque per inanem gloriam, ſed in humilitate Superiores ſibi invicem arbitrantes, non quæ ſua ſunt, ſinguli conſiderantes, ſed quæ aliorum: ut probetis potiora*, (o) *ut ſitis ſincere & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fruĕtu juſtitiæ per* JESUM *Chriſtum in gloriam & laudem Dei.*

HOC
NOS OMNES VOVEMUS,
VOS AGITE.
DIXI.

Qua Oratione ad finem deduĕta, Adm. Rdus & Clariſſimus Dominus Joannes Chriſtophorus Hager, Decretorum Doĕtor, Cathedral. Eccleſiæ Canonicus, primus Synodi Promotor, totum Synodicum Conventum, his, quæ ſequuntur conceptis, verbis affatus eſt.

Rmi, Rdi, Illuſtres, Nobiles, Venerabiles, Religioſi Viri ac Domini obſervandi, Rmus

in

(m) *Proverb.* 18. (n) *Philip.* 2. (o) *Philip.* 1.

in Chriſto Pater ac Illmus Princeps ac Dominus, D. JACOBUS, Epiſcopus Conſtantienſis, Dominus noſter Clementiſſimus, ſub pœna excommunicationis mandat ac præcipit omnibus ac ſingulis in Synodo Diœceſana, hic præſentibus, & ad eandem vocatis, ne aliquis absque Rmæ ac Illmæ Celſ. Suæ licentia & conſenſu diſcedat, donec Synodus hæc debite finita, & cum Benedictione dimiſſa fuerit. Porro eosdem hortatur, ut omnes in diverſoriis, hoſpitiis, & aliis ubique ſeſe modeſte decenterque gerant, ut eorum bona converſatio, aliis, præſertim vero Laicis, ſit in exemplum, tum ut querelas, & gravamina ſua, ſi quæ habeant, conjunctim vel diviſim deputatis Conſiliariis, ſingulis diebus durante Synodo in Palatio Epiſcopali, ab hora prima pomeridiana, uſque ad ſecundam congregatis, in ſcriptis offerant, ut de iisdem mature deliberare, & quantum per horum temporum difficultates fieri poteſt, remedium adferri valeat. Demum omnes die craſtina finito pulſu majoris campanæ, in hoc loco, habitu (Pontificalibus exceptis) cujuslibet ſtatui ac ordini congruenti, de negotiis Synodalibus tractaturi conveniatis.

Quibus omnibus expeditis, data prius ſolenni & Epiſcopali benedictione, a Reverendiſſimo Domino Præſidente Synodicus confeſſus, ad prandii refectionem dimiſſus eſt.

Horæ poſtmodum pomeridianæ ejusdem diei, ſpectandæ Tragico Comediæ de S. Martyre JUSTO, in PP. Societatis JESU recens exſtructo Gymnaſio, celebratæ, impenſæ ſunt.

ACTA SECUNDI DIEI SYNODI.

POſtero die ad medium ſeptimæ, Sacrum Miſſæ Officium celebravit Adm. Rdus & Religioſus Dominus Martinus, Abbas Monaſterii S. Blaſii, de Sanctiſſima Trinitate, cum Collecta de Spiritu Sancto, miniſtrantibus eidem duobus ex Eccleſiæ Cathedr. Conſtant. Succentoribus: Miſſa finita, Rmus Dominus Epiſcopus, indutus ſupra Rochetum (ut vocant) amictu, ſtola, & pluviali rubeo, aſſiſtentibus eidem duabus Dignitatibus præmemoratis, ſimiliter indutis rubeis ornamentis, ex Choro proceſſit, ad locum præparatum, quem Reverendiſsimum Capitulum Cathedrale, Domini Prælati, & alii ſubſequuti ſunt. Seſſione competenti ab omnibus occupata, Rmus Dnus Epiſcopus orationem: *Adſumus Domine &c.* clara voce recitavit.

Quo facto, Reverendus & Clariſſimus Dominus Leonhardus Hamerer, Ss. Theologiæ D., Parochus & Canonicus Eccleſiæ Collegiatæ S. Stephani, ſecundus Synodi Promotor, converſus erga Synodicum conventum & univerſum populum, in hæc verba profatus eſt:

Rmus in Chriſto Pater ac Dominus, D. JACOBUS, Epiſcopus Conſtantienſis, ſub pœna excommunicationis præcipit ac mandat, ut omnes Laici, qui non de voluntate, & conſenſu Rmæ ac Illmæ Suæ Celſ. adſunt, hinc recedant.

Quo Edicto promulgato, Laici omnes Templum Cathedr. egreſſi ſunt; Linguæ vero latinæ ignari, per Ædituos & Pedellos ad hoc deputatos, excedere juſſi, portæque ejusdem Eccleſiæ occluſæ ſunt.

Poſtmodum primus Synodi Promotor, Synodum hiſce verbis allocutus eſt:

Rmi, Rdi, Venerabiles & Religioſi Domini; Quia ad præſentem Synodum univerſi & ſinguli Domini Prælati, tam Sæculares, quam Regulares, exempti & non exempti, atque etiam totus Clerus Civitatis & Diœceſis Conſtantienſis, & cæteri omnes, qui de jure vel conſuetudine, Synodo intereſſe debent, per authenticas, & edictales literas legitime convocati ſunt. Ideo Rme & Illme Domine Præſidens, ego hujus Synodi deputatus Promotor a Rma & Illma Celſitudine Veſtra decerni poſtulo, ut literæ Convocationis, cum earundem Executione, per Notarium ejusdem Synodi publice perlegantur.

Cui Domini Promotoris petitioni, Reverendiſsimus Dominus Epiſcopus Conſtantienſis, benigne annuendo reſpondit: *Decernimus.* Quo Decreto audito, Actuarius ſeu Notarius Synodi, literas Indictionis & Convocationis ejusdem, una cum earundem executione, per eum in valvis Eccleſiarum Cathedr. & Collegiatarum S. Stephani & S. Joannis Conſtantiæ facta, publice perlegit. Quia vero infinitum fuiſſet, omnes & ſingulas Pedellorum & Curſorum extra Civitatem Conſtantienſem & per totam Diœceſin inſinuationes dd. literarum legendo percurrere; Idcirco eædem Executiones a Notario Synodi juſtæ & legitimæ repertæ, & in ſcriptis comprehenſæ, toti Synodico conventui exhibitæ & monſtratæ ſunt, a quolibet pro arbitrio legendæ, ac luſtrandæ.

Deinde idem Dominus Promotor hæc verba ſubjunxit:

Audiviſtis Rmi & Rdi Patres & Domini, Literas Convocationis Synodi omnibus

& ſingulis, qui de jure vel conſuetudine Synodo Dioeceſanæ intereſſe debent, transmiſſas, & legitime inſinuatas fuiſſe. Ut igitur inobedientes & contumaces ab obedientibus diſcernantur, peto, ut Notarius hujus Synodi Catalogum omnium ſpecialiter vocatorum, alta voce legat, & ubi quis ſe nomine vel dignitate ſua nominari audiet, mox reſpondeat, ſuamque verbo: Adſum, *perſonalem præſentiam ſignificet, qui vero tanquam Procuratores Collegiorum, Capitulorum, Monaſteriorum, aut alias alieno nomine hic adfuerint, illi prodeant, & mandata ſua Rmi ac Illmi Domini noſtri Vicario in Spiritualibus exhibeant, ut ea examinare ac recognoſcere, & utrum ſufficientia ſint nec ne, ſuo tempore, vel ad ipſam Synodum, vel ad Reverendiſſimum Dominum Epiſcopum, tanquam Ordinarium, referre poſſit. Quod ſi pro hujusmodi recognitione Domini Prælati, & cæteri Patres, unum vel plures, Domino Vicario adjungere velint, illud eis Rmus ac Illmus Dominus Epiſcopus permittit.*

Quod dicto, Notarius Synodi omnium & ſingulorum ad Synodum vocatorum nomina, ex Catalogo recenſuit.

Proinde ſinguli proprio nomine comparentium, ut nomina ſua exaudierunt, verbo *Adſum*, ſeſe propalarunt; qui vero alieno nomine aderant, ad lectum Dominorum ſuorum Principalium nomen vel dignitatem in medium prodierunt, & mandata procuratoria, vel realiter obtulerunt, vel in manus Notarii Synodi, de propediem transmittendis, caverunt.

Porro recognitio mandatorum exhibitorum a ſolo Domino Vicario, & Dominis Conſiliariis Eccleſiaſticis facta eſt; eo quod Domini Prælati, cæterique Patres Synodici, nullam de eorundem integritate ſuſpicionem moventes, neminem eisdem adjunxerint.

Quibus peractis, alter Dominorum Promotorum, Dominus D. Hamerer, citatorum & ad Synodum vocatorum, quorumcunque ſive ſæcularium, ſive Regularium, in Catalogo a calce actorum hujusmodi expreſſorum, non comparentium contumaciam accuſavit, atque in pœnas Juris Canonici, & S. Tridentini Concilii incidiſſe declarari petiit, his verbis:

Rme & Illme Princeps ac Domine, Domine Clementiſſime, cum ex recenſito Catalogo appareat, quosdam ad hanc Dioeceſanam Synodum legitime citatos, & convocatos, qui de jure vel conſuetudine Synodo intereſſe tenentur, neque Procuratores, neque emanſionis, & abſentiæ ſuæ Excuſatores miſiſſe, ſed contumaciter contra Sacrorum Canonum, & Sacri Tridentini Concilii Conſtitutiones emanſiſſe. Ideo omnium & ſingulorum non comparentium, contumaciam accuſo, atque a Rma ac Illma Celſitud. Veſtra obnixe peto, ut non ſolum tanquam contumaces, ſed etiam in pœnas Canonicas incidiſſe, declaret, atque nihilominus contumacia & abſentia illorum minime obſtante, in Synodo, ad ea procedi decernat, quæ pro honore, & gloria Dei, pro Eccleſiæ & Fidei Catholicæ incremento, & pro morum reformatione, & diſciplina neceſſaria videbuntur.

Reſpondit Reverendiſſimus Dominus Præſidens.

Decernimus, ut non obſtante contumacia, & abſentia non comparentium, nihilominus in Synodo procedatur, tractetur, & determinetur, prout Nobis & Patribus præſentibus viſum fuerit, pœnas vero Juris, & Concilii Tridentini in contumaces ſtatutas, ſpatium deſuper maturius deliberandi ſumentes, pro hac vice ſuſpendimus.

Lato hujusmodi Decreto, Prior Dominorum Promotorum, Dominus D. Hager, Synodalem conſeſſum, hiſce affatus eſt verbis:

Rmus in Chriſto Pater & Illmus Princeps ac Dominus, D. JACOBUS, Epiſcopus Conſtantienſis, quantum hujus Dioeceſis Conſtantienſis, & ejusdem ſtatuum, ac perſonarum, conditio & qualitas, horumque temporum, in quibus verſamur, difficultas ferre potuit, nova Statuta Synodalia, Sacris Canonibus, & Tridentino Concilio conformia confici, & conſcribi curavit, quorum lectio, nunc publice ex Cancellis alta, & intelligibili voce fiet: Quare ex mandato Rmæ & Illmæ Suæ Celſitud. vos omnes hic præſentes, & quorum intereſt, in Domino adhortor, ut diligenter auſcultetis, & ea, quæ ulteriori deliberatione indigere putaveritis, in notam ſumatis, ut eo melius ſuper iis deliberare, ſententias veſtras dicere, & Rmæ ac Illmæ Celſitudini Suæ, pro exceſſibus corrigendis, & moribus reformandis, atque pro Eccleſiaſticæ libertatis conſervatione, aliisque incumbentibus negotiis, ſalutari veſtro conſilio & auxilio aſſiſtere poſſitis.

Interim Venerabilis Dominus Joannes Oſchwaldi Præpoſitus Collegiatæ Eccleſiæ in Oppido Imperiali Uberlingenſi, & Parochus ibi-

ibidem, ſuggeſtum aſcendit, & lectionem novorum Statutorum Synodalium aggreſſus eſt.

Qua paulo poſt decimam durante, Rmus ac Illmus Dominus Præſidens, Synodum cum benedictione ad prandium dimiſit.

Porro ſecundus Promotor Synodi, Dominus D. Hamerer pro continuatione lectionis Statutorum, ſecundam pomeridianam indixit, ac promulgavit.

Poſtmodum ſigno a majori campana, per quartam horæ partem dato, ad horam ſecundam præfixam convenientibus, Rmo ac Illmo Domino Præſide, cum univerſis Prælatis, & Patribus Synodalibus, in loco ſolito, præfatus Reverendiſſimus Dominus Præſidens, Orationem: *Adſumus Domine S. Spiritus, &c.* protulit. Dein Laicis exire juſſis, portisque occluſis, lectio Statutorum Synodalium, uſque ad horam quintam inſtituta eſt.

Interim Rdus Dominus Vicarius, & reliqui Domini a Synodo deputati, in Sacriſtiam ſuperiorem ſe recipientes, procuratoria mandata recognoverunt.

Demum lectione Statutorum, uſque ad horam quintam continuata, rurſus cum benedictione Synodus dimiſſa eſt; & medium ſeptimæ poſteri diei, pro Sacro Miſſæ Officio audiendo, & reſidua Statutorum parte legenda, per alterum Synodi Promotorem deputatum eſt.

ACTA TERTII DIEI SYNODI.

TErtia poſtmodum die, nimirum XXI. Octobris, ad pulſum majoris campanæ, convenerunt omnes Synodum conſtituentes Patres, Miſſaque de S. Urſula & Sociabus, ab Admodum Reverendo & Clariſſimo Domino Joanne Chriſtophoro Hagero, Decretorum Doctore & Cathedr. Eccleſiæ Conſtant. Canonico, duobus Canonicis, videlicet Rdis, Nobilibus & Clariſſimis Dominis Jacobo Raslero U. J. D., & Jo. Jac. Blarer a Wartenſee, in munere Diaconatus & Subdiaconatus miniſtrantibus celebrata eſt. Qua finita, Rmus & Illmus Dominus Epiſcopus proceſſit extra Chorum, ad locum conſuetum, quem Capitulum Cathedrale & reliqui Domini Prælati, totusque Clerus ſubſecutus eſt. Cæterum ut a Rma ac Illma Sua Celſit. oratio: *Adſumus Domine S. Spiritus, &c.* recitata eſt, & locum ſuum quisque tenuit, laicis excluſis, portisque obſeratis, Lector in promulgatione Conſtitutionum Synodalium perrexit. Ea cum ante meridiem finiri commode non poſſet; Prior Dominorum Promotorum primam horam pomeridianam, pro continuatione lectionis finalium Statutorum indixit: ſimulque ex mandato Rmi ac Illmi Domini Præſidentis, ordines & ſtatus Eccleſiaſticos in certas claſſes diſtribuit, locaque congrua, quantum fieri licuit, eisdem aſſignavit, ſubſequentibus verbis Synodum affatus:

Rmi, Rdi, Venerabiles Viri ac Patres, Rmus Dominus Epiſcopus ac Præſidens noſter concedit vobis omnibus & ſingulis ſpatium conſultandi & deliberandi, ſuper Conſtitutionibus Synodalibus jam prælectis & promulgatis, & a vobis omnibus auditis, uſque in craſtinum. Quod ut commodius facere poſſitis, in certas claſſes vos diſtribui, atque loca idonea, ubi poſt prandium finita Statutorum Synodalium lectione conveniatis, vobis aſſignari, ſingulisque claſſibus, unum exemplar Statutorum dari mandavit.

Et primo quidem loco Rmum & Perillustre Capitulum Cathedrale in loco Capitulari ſolito convocabitur.

Secundam claſſem obtinebunt Domini Abbates, Præpoſiti Regulares & Procuratores abſentium Prælatorum, nec non trium Principum Abbatiſſarum, & Univerſitatis Friburgenſis Legati, in hypocauſto majori Palatii Epiſcopalis conventuri.

Tertiæ claſſi nimirum Præpoſitis, Decanis & Canonicis, Colleg. Eccleſiarum Procuratoribus attributum eſt, hypocauſtum Dominorum Canonicorum Cathedr. Eccleſiæ contiguum.

Quartam claſſem conficient omnes & ſinguli Ruralium Capitulorum Decani ac Procuratores, iisdemque Eccleſia Colleg. St. Joannis Baptiſtæ, & Evangeliſtæ deputata eſt.

Quinta demum claſſis conſiſtet in conventu Provincialium, Priorum, Guardianorum, omniumque Procuratorum, vice ac nomine quorumvis Monaſteriorum, utriusque ſexus comparentium, iisque Eccleſia D. Dominici pro loco congruo, deſtinata eſt.

Quæ locorum aſſignatio, ut a prædicto Domino Procuratore Synodi promulgata eſt, ad binas Eccleſiæ Cathedralis valvas in ſcriptis quoque per Notarium Synodi publicata & affixa eſt.

Præinſerta igitur claſſium deputatione tum oretenus, tum in ſcriptis publicata, ſecundus Promotor Dominus D. Leonhardus Hamerer, Synodum his verbis interpellavit:

Rmus Dominus Episcopus, & Præsidens noster, omnibus præcipit, ut a prandio finita Statutorum Synodalium lectione, omnes & singuli in loca sibi assignata concedant, & de Statutis Synodalibus prælectis, depositio omni humano affectu, solam Dei gloriam & honorem, & Ecclesiæ Catholicæ, atque Episcopatus Constantiensis, in spiritualibus incrementum præ oculis habendo, inter se tractent, & die crastina Missa solemni finita, in hoc loco, & communi congregatione Rmæ & Illmæ Celsitudini, sententias suas in scriptis offerant.

His peractis, Synodus cum benedictione ad prandium dimissa est.

Cæterum cum Rmus ac Illmus Dominus Episcopus a prandio, residuæ Statutorum Synodalium lectioni, ob certa quædam occurrentia impedimenta, præsidere non posset, ejusdem vice ac nomine, Rmus Dominus Joannes Jacobus, Episcopus Sebastiensis, & Rmæ ac Illmæ Suæ Celsitudinis in Pontificalibus Vicarius, præfuit.

ACTA QUARTÆ ET QUINTÆ DIEI SYNODI.

QUarta postmodum die, nimirum XI. Calendas Novembris, convocata de more per majorem campanam Synodo, ad medium septimæ, solenne Missæ Officium decantavit, Adm. Rdus Dominus Petrus Emberger, Præpositus Collegiatæ Ecclesiæ Beronensis, duobus ex Succentoribus Cathedr. Ecclesiæ eidem inservientibus. Quo finito, Rmus ac Illmus D. Præsidens pronuntiata primum alta, & intelligibili voce consueta oratione: *Adsumus Domine S. Spiritus,* sese in superiorem Sacristiam, cum suis Ecclesiasticis Consiliariis recepit, Statuum Synodalium sententias super prælectis Synodicis Constitutionibus auditurus.

Postmodum Rma ac Illma Sua Celsitudo locum præmemoratum ingressa est, primus Dominorum Promotorum, Synodum in Choro congregatam, hisce verbis affatus est:

Rmi, Rdi & Venerabiles Viri Patres ac Domini observandi. Non dubitat Rmus in Christo Pater ac Dominus, D. JACOBUS, Episcopus Constantiens. Dominus noster Clementissimus, Dnes Vestras die hesterna in locis sibi assignatis convenisse, de Statutis Synodalibus mature deliberasse ac concluisse, proinde mandat vobis, ut per Deputatos, ex qualibet classe, Reverendissimæ & Illustrissimæ Suæ Celsitud. vestras sententias & judicia offeratis.

Deinceps totus ille dies, diversorum Statuum judiciis super Constitutionibus Synodalibus, nec non variis eorundem gravaminibus, tam oretenus, quam in scriptis expositis, consumptus est.

Postera luce media ante septimam hora, Missa solennis per D. Michaelem Buchmaier, Succentorem Cathedr. Ecclesiæ decantata est. Qua finita, secundus Dominorum Promotorum Synodum his verbis allocutus est:

Rmi, Rdi & Venerabiles Viri Patres ac Domini multum observandi; Crastina die Rmus ac Illmus Dominus Episcopus ac Præsidens noster finem imponet Synodo huic Diœcesanæ Constant. Quare ex mandato Rmæ Celsit. Suæ vobis omnibus & singulis præcipio, ut mane ad pulsum majoris campanæ, quilibet in suo habitu Pontificali vel Chorali, pro cujusque statu ac dignitate, pro agendis Deo gratiis, & Synodalibus negotiis finiendis, in hoc loco comparcat.

Reliquæ ejusdem diei horæ, audiendis & excipiendis Monasteriorum, Collegiorum & Capitulorum, quibus diversimode gravari se prætendunt oneribus, & sententiis de Statutis Synodalibus, viva voce & in scriptis oblatis impensæ sunt.

Ea die in palatio Rmi ac Illmi Domini Episcopi, ex Dominorum Prælatorum numero selecti ac deputati Patres, suam de Constitutionibus Synodalibus sententiam edixerunt, eandem in scriptis redactam, Rmæ ac Illmæ Suæ Celsitud. offerentes, prout a reliquis etiam Statibus factitatum.

SEXTÆ DIEI SYNODI.

ULtima demum die, quæ erat XXIV. Mensis Octobris, qua Synodus dimittenda esset, omnes, vel in Pontificali, vel Chorali habitu, pro cujusque statu & dignitate, hora præfixa, in Templo Cathed. comparuerunt. Missæ Officium celebravit Rmus Dominus, D. Joan. Jacobus, Episcopus Sebastiensis: Rmi ac Illmi Domini Episcopi Constantiensis in Pontificalibus Vicarius, d. Cathed. Ecclesiæ Canonicus & Custos; assistentibus eidem in munere Diaconarus & Subdiaconatus, Admodum Reverendis, Nobilibus & Clarissimis Dominis, Domino Jacobo Raslero, U. J. D. Proto-Notario, & Domino Joanne Jacobo Blarer a Wartensee, ambobus Cathedr. Ecclesiæ Canonicis.

Quo finito, Rmus ac Illmus Dominus Præsidens, Choro egressus, in loco præparato sese collocavit, omnibus reliquis loca & sedes sibi assignatas occupantibus, ibi Rmo ac Illmo Domino Episcopo cum tota Syno-

do

do in genua procumbente, Cantores Antiphonam: *Propitius eſto peccatis noſtris*, inceperunt, de cætero omnia proſequentes, quemadmodum in Pontificali Romano annotatum eſt. Hymno: *Veni Creator Spiritus*, finito, Reverendus & Clariſſimus Dominus Leonhardus Hamerer, Ss. Theologiæ D., Parochus & Canonicus Collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani, ſuggeſtum conſcendit, & ſubſequenti latino ſermone, ad Synodum accommodato peroravit.

QUod olim Lucio Craſſo præſtantis ingenii, ſummæque eloquentiæ viro; Reverendiſſime & Illuſtriſſime Princeps ac Domine, Domine Clementiſſime, Rmi, Rdi, Perilluſtres, Generoſi, Nobiles, Magnifici, Clariſſimi, Venerabiles Viri, Fratres, & Domini multum obſervandi, accidiſſe teſtatur M. T. Cicero, ut in principiis dicendi exalbeſceret, & tota mente, atque omnibus artubus contremiſceret; idem mihi jam nunc haud paulo minoris eloquentiæ, haud etiam paulo minore de cauſa uſu venire fateor libere: Neque vero meus iſthinc timor exiſtit tantum, & formido, quod ego facundia impediriſſima, coram vobis eloquentiſſimis, ingenio exiguo, vel potius nullo, coram vobis conſultiſſimis, ætate & experientia juvenis, coram vobis judicio & diſcretione maturis, & ut uno verbo proloquar, ego humilis & indoctus coram totius Conſtantienſis Diœceſis Amplisſimis, Doctiſſims, Selectiſſimisque Viris, quarumcunque cenſura non niſi gravis eſſe poteſt, & rigoroſa, verba facere debeam, ſed etiam non immerito meus inde proficiſcitur metus, quod propter ſatis longam interruptionem, ſi quæ in me fuit unquam facultas orationis [quæ ſcio quam ſemper fuit exigua] eam ita ſentio exaruiſſe, ut cum effluxiſſe verba, excidiſſe ſententias, methodum oratoriam evanuiſſe, memoriam etiam ex parte defeciſſe animadvertam, vix brevem quendam, eundemque ſimplicem a me pertexi poſſe ſermonem, & experiar, & ingemiſcam. Attamen quia veſtra mihi humanitas, & diſcretio ſingularis ſpem facit indubitatam, Vos hoc ipſum, quod a me ſuſcipitur factum, non tam arrogantiæ cuidam vel præſumptioni aſcripturos, quam obedientiæ, quam Rmo & Illmo Principi, Domino meo Clementiſſimo, cujus auctoritati in re licita & negotio pio refragari nefas eſſet, me debere ſuapte intelligitis: Idcirco dicam vobis & libere & breviter, non quomodo ſe quisque pro ſuo ſtatu vocationeque gerere, vitamque traducere debeat, cum ex his, quæ in præſenti Epiſcopali Ss. Synodo hinc inde a vobis agitata, & trutinata ſunt, quid cuivis ſequendum, fugiendumve ſit, abunde ſatis compertum ſit: ſed quidnam vos ad ſedulam Statutorum obſervantiam allicere, commovere, ſtimulare poſſit ac debeat, pauciſſimis verbis demonſtrabo, interim vero ut me attente & benevole audiatis, precor.

Si creatura illa rationalis, homo nuncupatus, ut a DEO OPT. MAX. eſt factus, ita ſemper rectus ac integer perſtitiſſet, non ſolum facilis, ſed jucundus etiam fuiſſet ei curſus ad immortalitatem, & æternam gloriam, propter quam conditus erat, nullo quidem alio adjumento, præter DEI gratiam, quam tamen in ipſa origine hauſiſſet, & ſuis deinde meritis & cooperatione uberrime adauxiſſet; nunc autem cum hæc humana natura, adeo fracta, debilitata ac deformata ſit, non modo ex originali culpa, quæ deinde in omnes homines pertranſit, ſed etiam ex propriis cujusque peccatis, cumque eidem perpetua ſit colluctatio & conflictus & cum carne, quam circumfert, & adverſus Principes & poteſtates tenebrarum harum, a quibus jugiter infenſiſſime oppugnatur, hinc fit, ut nihil jam ei aut difficilius, aut laborioſius, aut etiam periculoſius eſſe poſſit, quam ad æternam illam beatitudinem aſpirare, nihil proclivius, quam ab ea excidere, & quod acerbiſſimum eſt contra, in ſempiternum animæ, corporisque exitium & interitum proruere: Hanc igitur ob cauſam, Pientiſſimus ille hominum Creator & Cuſtos, cujus Natura, Bonitas, & cujus proprium eſt ſemper miſereri & parcere, nunquam deſtitit, neque deſiſtit noſtram hanc imbecillitatem opportunis quibusdam adjumentis fulcire, & omnibus Divina quædam quaſi inſtrumenta proponere, quibus ſi velint ſecure, imo facile ſalutem ſuam operari poſſint; Hinc nimirum tot conſilia, tot rationes, tamque varia, ut ita dicam, Domini ac Salvatoris noſtri inventa & Sacramenta, quæ in Eccleſia Catholica videmus, ad hominem per ſe adeo lubricum, proclivem ac debilem vel ſuſtinendum, ne cadat, vel ſublevandum ſi ceciderit, & ad eum corroborandum, & in omni legis Chriſtianæ perfectione confirmandum: Immo vero inter Divina hujusmodi media, ad vitam non modo Chriſtiano homine, ſed & Clerico & Religioſo Viro dignam traducendam, ac æternam demum ſalutem aſſequendam, aptiſſima non minus, quam utiliſſima & maxime neceſſaria eſſe, ſive Oecumenicas, ſive Provinciales, ſive etiam Diœceſanas, cujusmodi hæc eſt, Synodos, quis noſtrum eſt, qui non intelligat? Enimvero quid in præſenti, & jamjam finienda Synodo aliud eſt pertractatum, quam de principio & fundamento ſalutis noſtræ, fide ſcilicet orthodoxa, ſine qua impoſſibile eſt

ad Deum accedere, ipſique placere ? Quid rurſus aliud actum eſt, quam de Ss. Sacramentorum, per quæ vel Dei filii, & cohæredes Chriſti efficimur, vel eidem pœnitentes reconciliamur, vel denique juſti in gratia ſtabilimur, virtute & efficacia? An non etiam, quod certa quædam præſcripta, & leges, ſecundum quas mores, vitamque quilibet ſuam conformare, ſeu potius reformare debeat, ſunt ſancitæ, inter Divina hujusmodi & quidem ſingularia remedia eſt recenſendum ? Quarum quidem Legum innovatio, quam hoc præſertim tragico, exulceratiſſimoque tempore & ſalubris & neceſſaria ſit, vel ex olim Decretorum violatione, vel ex diſſoluta, heu! nimium Clericorum vita, moribusque ſatis ſuperque conſtat : Cujus enim culpa eveniſſe arbitramini, quod præterlapſo ſæculo tam pernitioſæ variarum hæreſum contagiones, totam propemodum invaſerint Germaniam, quam quod Clerus, qui ſal terræ eſſe debebat, fuerit infatuatus, nec ad eam rem, ad quam maxime oportuiſſet, utilis fuit? Quid inſuper aliæ cauſæ eſſe ſuſpicamini, quod præfatæ hæreſes uſque in hanc diem non modo non ceſſaverint, ſed multis variisque amplificatæ acceſſionibus accreverint ſemper, &. indies grandeſcant adhuc, quam quod Clerus tam Superior, quam Inferior, tantis Eccleſiæ ærumnis & calamitatibus non modo nihil afficiatur, ſed longe magis inſoleſcat, gulæque, crapulæ & libidini obſcœnæ indulgeat, quæ ſane morum turpitudo adeo imperiti, ſimplicisque populi animos offendit, ut ſubinde magis, magisve, a Catholica noſtra Religione alienior efficiatur, atque Sacerdotium una cum Sacerdotibus, doctrinam juxta ac Doctorem execretur, dirisque devoveat, ita & protinus ad quamvis ſectam potius deficere ſit paratus, quam qui ad veram velit Eccleſiam redire: quæ quidem cum ita ſint, decuit ſane Rmum noſtrum Illmumque Principem, ceu Supremum hujus Amplisſimæ quidem, ſed eheu! nimium collapſæ Diœceſis Speculatorem & Paſtorem, ejusmodi Miniſtrorum vitia, quæ vel ipſi Deo ſtomachum moverunt, & ad ſumendum hoc de nobis acerbiſſimum ſupplicium provocaverunt, ab Eccleſia Chriſti depellere, & in ipſos malorum fontes, unde hæc ſcaturiunt, oculos conjicere, & ea, quæ Divinam aciem offendunt, quæ hoſtium noſtrorum animos a nobis alienarunt, & ea, quæ tacitas etiam Catholicorum cogitationes vulnerant, e medio aufferre: quod quidem partim per crebras, quas Reverendiſſima Celſitudo Sua per potiorem Diœceſis partem inſtituit Eccleſiaſticæ diſciplinæ viſitationem & inquiſitionem, partim vero per inſtitutæ Synodi executionem fiet adhuc : noſtrum autem eſt, ut ea, quæ hiſce diebus a nobis unanimibus vobis ſancte, religioſe, ac pie concepta, & ſtabilita ſunt, deinceps ſedulo ſervanda aggrediamur, & proſequamur. Neque vero ab hujusmodi obſervatione mandatorum, nos vel dura neceſſitas abſterrere, vel præceptorum multiplicatio gravis & odioſa videri debet, quippe per hanc ipſam neceſſitudinem illud tandem aſſequemur, ut cum initio necesſitate hac coacti vivere inceperimus, aſſuetudo deinde & ipſa exercitatio, & quaſi experientia quædam ejus, quæ ſub virtute latet, ſuavitatis, eam nobis voluntariam reddet amabilemque.

Addo & aliud, quod nos ad Statutorum obſervantiam merito propellere debet, nempe obedientia, quam Præpoſitis noſtris & debemus & vovimus, imo & juravimus, & cujus transgreſſores gravisſimis ſemper a vindice Deo mulctati ſunt pœnis, quas quidem recenſere prolixum nimis foret, & odioſum. Jam vero ut tandem portum noſtra proſpiciat oratio velaque complicem, quid dicam de æternæ illius & immarceſcibilis, quam ſperamus omnes, gloriæ retributione, intuitu videlicet cujus, nos cum Sanctiſſimo Davide Propheta cor noſtrum non dicam ad hæc duntaxat facilia Statuta obſervanda, ſed ad quasvis alias juſtificationes ejus, in æternum faciendas inclinare deberemus. Laborioſum equidem eſt agricolæ jungere boves, & aratrum ducere, ſulcis arva proſcindere & ſemina ſpargere, hyemes & frigora perferre, æſtate vero pæne ſanguinem ipſum ſudare, foſſis actis ſuperfluas aquas a ſatis arcere, ripas amnium aggeribus præmunire, & per arva media colles facere, ſed omnia iſta operoſa, laborioſaque levia redduntur ac facilia, dum vel ſola ſpe concipit flaventes novalium ſegetes, & falces exacutas, & aream manipulis plenam, & fruges maturas magna alacritate domum comportandas. Pari etiam modo gubernator efferatas undas ac tempeſtatum vim furensque pelagus ſæpenumero contemnit; adhæc ventorum inconſtantiam, marinas jactationes, longinquas peregrinationes haud gravatim fert, dum mercium ſarcinas, emporiorum opportunitatem, prædivitemque ex his comparandam copiam animo ſecum reputat. Nec abſimiliter miles vulnera patitur, telorum pilarumque nubem excipit, famem, frigus, æſtus, ſitim, difficiles peregrinationes, & in acie pericula & diurna & nocturna perfert, dum futuras victorias & trophæa cogitat; ſed cur hæc commemoro, & quid ſibi volunt hæ ſimilitudines? Orationem nimirum his concludere lubet, ut ad labores virtutis cauſa alacriter & ſuſcipiendos, & perferendos, & Synodalia Statuta magnanimiter capeſcenda ani-

animemini. Si enim eorum quisque quos commemoravimus, laborem levem ac facilem existimat, spe futurorum commodorum, quibus etiamsi potiri contingat, non tamen ultra præsentem vitam prorogantur, multo sane magis convenit vos percipiendæ gloriæ æternæ intuitu, & spe futuræ vitæ, cœlestisque beatitudinis, tam certamina dubia (militia quippe est vita hominis super terram) quam alios quosvis sudores impigre perferre, quandoquidem illorum spes temporaria est, & incerta, nec raro in expectatioue melioris fortunæ ex hac vita sunt prærepti, spe tantum oblectati, eventu autem procul, graves licet interea labores ac pericula perpessi: Quoties enim accidit, ut post multos illos sudores agricola nonnunquam falcem jamjam in messem immissurus, rubigine in eam, aut locustarum multitudine delata, aut imbribus immodicis incidentibus, aut grandinibus ingruentibus, aut alia quapiam calamitate per aëris intemperiem oborta, redierit domum vacuis manibus, labore quidem omni exhausto, cæterum fructus spe frustratus? Annon sæpe itidem evenit, ut Gubernator lætus multitudine mercium, & magna alacritate velis expansis, multumque maris emensus, in ipso persæpe portus ingressu, aut procella repente exorta, aut navi in latens aliquod saxum impacta totum onus perdidit, & post tanta pericula amissis mercibus ægre nudus in littus evaserit? Miles denique similiter non raro posteaquam toties in acie stetisset, adversosque hostes toties repulisset, ac fortiter profligasset, jamjam victoriæ imminens repentino aliquo ictu vel casu, e vita est sublatus, nullo interim periculorum ac strenuorum laborum præmio percepto. Nostræ vero res sese non ita habent: nam & spes habemus immobiles, æternas & firmas, nec cum temporaria hac vita finiendas, sed ad immortalem illam, & beatam vitam perennantes, nec solum aëris tempestatibus, maris injuriis, aut aliis quibusvis improvisis casibus, sed & morti ipsi minime obnoxias. Hæc, inquam, spes gloriæ perennis adipiscendæ indubitata, nos ad currendam mandatorum Dei viam stimulare debet, & hæc omnia scientes, juxta præscripta nostram deinceps traducamus vitam, & æquo, quidquid molestiarum nobis accidet, feramus animo, (memores quod non sunt condignæ passiones nostræ ad futuram gloriam, quæ in nobis revelabitur, & quod momentaneum hoc & leve tribulationis nostræ mire supra modum æternum pondus gloriæ operatur in nobis;) Hujusmodi nempe considerans olim electum illud organum, & Divinarum constitutionum proclamator Divus Paulus, non modo non est contristatus afflictiones, infirmitates, carceres, vincula, verbera, lapides, pericula, naufragia, famem, sitim, nuditatem & mille alia exterius, interiusque incommoda perferendo, sed & in hujusmodi infirmitatibus est gloriatus, hujus inquam Ssmi Apostoli, imo ut uno proloquar verbo, omnium nullo excepto Sanctorum vestigiis insistentes, contemnamus generose sæculi hujus voluptates & illecebras, & officii obedientiæ Rmo nostro Antistiti debitæ, vocationisque quilibet suæ memor, ita juxta saluberrime & statuta, & recepta fidei, morumque dogmata, suam traducat vitam superstitem, ut post decursum hujus sæculi finem, tanquam fidelis servus mercedem recipiat æternam. Dixi.

Præinserta oratione concluſa, Adm. Rdus & Clarissimus Dominus Vicarius, subsequentem protestationem, contra eos, qui ad Synodum legitime convocati, vel contumaciter prorsus emanserunt, vel non legitimis instructi mandatis alieno nomine interfuerunt, coram toto Synodico confessu, hisce verbis interposuit:

Quandoquidem Rmus & Illmus Dominus Episcopus, ac Præsidens superioribus diebus non præter gravem animi sui molestiam animadvertit, quorundam Ordinum Superiores & alios nonnullos, ad Synodum Constant. (qui alias de jure, vel consuetudine interesse tenentur) legitime vocatos, partim omnino non accessisse, partim vero in eadem cum protestationibus frivolis, & mandatis procuratoriis limitatis comparuisse, desuper nihilominus votata, concluſa, & definita adprobando; Ne igitur hujusmodi inobedientes & contradictores, in præsumpto eorum proposito & facto, magis obfirmentur; silentio ejus rei novitatem & prætensiones præterire non potuimus. Itaque nomine ac vice Rmæ ac Illmæ Suæ Celsitud. coram toto Synodali consessu, & nominatim coram Notario ad Acta ejusdem Synodi conscribenda deputato, solemniter protestamur, absentiam non comparentium, & protestationes quorundam præsentium nulliter factas, Diecesanæ Synodo jam celebratæ & inposterum celebrandæ, alitsque competentibus juribus Episcopalibus, in nullo præjudicare debere; Econtra Rma & Illma Sua Celsit. expresse se declarat, quod per hæc nova Statuta Synodalia, in reliquis omnibus, ipsorum exemptioni, juribus & privilegiis, quatenus sunt in usu, & Decretis Ss. Conc. Trid. non repugnant, minime derogare intendat, quorum omnium & singulorum, ut certa notitia, perpetuis futuris temporibus habeatur, petimus etiam

etiam hanc declarationem, & reſpective contrariam eliſivam proteſtationem, ad Acta hujus Synodi referri & conſcribi.

Hanc proteſtationem, excepit ſententia per Dominum Lectorem hujus Synodi, publice e ſuperiore loco lecta & promulgata, eratque ſubſcripti tenoris:

Chriſti nomine invocato &c. Nos JACOBUS Dei & Apoſtolicæ Sedis Gratia Epiſcopus Conſtantienſis, Dominus Augiæ majoris & Oëningæ, &c. Conſtitutionibus Synodalibus, in hac Synodo Conſtantienſi publice propoſitis, lectis, & promulgatis, omniumque Statuum Eccleſiaſticorum, reſponſionibus auditis atque diſcuſſis, maturo conſilio, & deliberatione, nec non totius Synodi, omnium & ſingulorum Patrum Synodalium unanimi & communi præcedente conſenſu, pronuntiamus, decernimus & declaramus, Synodum hanc in Dei nomine concludendam fore & eſſe, prout eam auctoritate noſtra ordinaria concludimus, mandantes, ut omnes & ſingulæ Conſtitutiones Synodi præfatæ, quantum per horum temporum difficultates fieri poteſt, ab omnibus inviolabiliter, præſertim quæ Catholicæ Fidei Profeſſionem, Sacramenta, cæremonias, & totius Cleri Sæcularis & Regularis vitam moresque concernunt, ſerventur; atque a Vicario, Officiali & Fiſcali, nec non Eccleſiarum Prælatis & Superioribus, pro ratione cujuslibet officii, executioni demandentur. Facultatem Nobis & Succeſſoribus noſtris ea omnia & ſingula declarandi, quatenus opus fuerit, reſervantes in his ſcriptis.

Quo Decreto pronuntiato, Adm. Rdus Dominus Vicarius Synodum, his verbis compellavit:

Rmi, Rdi, Illres, Nobiles, Magnifici, Venles & Religioſi Viri, Patres ac Domini obſervandi, Rmus ac Illmus Dominus Epiſcopus & Præſidens, Dominus noſter Clementiſſimus, omnes & ſingulos per me interrogat, num vobis placeat, ut ad Dei Omnipotentis laudem & gloriam huic Sacræ Synodo Epiſcopali Conſtantienſi, finis imponatur.

Omnibus *Perplacet* reſpondentibus, Rmus ac Illmus Dominus Præſidens, alta voce recitavit orationem: *Exaudi quæſumus Domine ſupplicum preces, &c.* juxta normam & ritum Romani Pontificalis.

Interim portis recluſis, laici intromiſſi ſunt, & a Muſicis glorioſus Hymnus: *Te Deum laudamus, &c.* ſolenniter, adhibita campanarum compulſatione, decantatus eſt.

Quo abſoluto, Adm. Rdus & Clariſſimus Dominus, D. Joannes Chriſtophorus Hagerus, prior Dominorum Promotorum, Notarium Synodi ſubſequentibus verbis requiſivit:

Reverende Domine Notarie, ego ad hanc Synodum Diœceſanam Conſtantien. una cum Domino Collega meo deputatus Promotor, nomine Synodi præfatæ a te requiro, & poſtulo, ut omnia & ſingula in hac Synodo, acta, tractata, propoſita, decreta & definita diligenter & fideliter conſcribas, unumque vel plura Inſtrumentum, vel Inſtrumenta, ad petitionem eorundem, quorum intereſt, de iis omnibus confícias, & confecta tradas.

Cui quidem requiſitioni, Notarius ſe ea, qua par eſt, fide ac ſedulitate pariturum pollicitus eſt, atque teſtes infraſcriptos ibidem præſentes, ut omnium & ſingulorum, quæ in hac Synodo geſta & tractata fuerint, memores exiſtant, requiſivit.

Deinde alter Dominorum Promotorum ſolenniter grates retulit inprimis Deo Omnipotenti, B. Mariæ V., Sanctisque tutelaribus Patronis Pelagio, & Conrado: tum nomine Rmi ac Illmi Domini Epiſcopi, univerſæ Synodo.

Demum publicatione Indulgentiarum facta, & benedictione Epiſcopali ſolenni ritu impertita, Diaconus ad Synodum converſus, alta voce cecinit; *Recedamus in pace.* Cui Chorus reſpondit: *In nomine Chriſti.*

Et quia ego Joannes Andreas Dornſperger, U. J. D. Canon. Eccleſ. Collegiatæ S. Stephani Conſtant. Sacra Apoſtolica auctoritate publicus, & in Archivio Curiæ Rom. immatriculatus, ac Epiſc. Curiæ Conſtantienſis in officio Vicariatus Collateralis Notarius, a ſupramemorato, Rmo ac Illmo Domino Præſide, totaque Synodo, in Actuarium, deputatus ac juratus, omnibus & ſingulis præinſertis actis & actitatis interfui. Idcirco præſcripta Decreta, Statuta, & Acta Synodalia, in fidem eorundem, prævia debita requiſitione propria manu ſcripſi: Acta ſunt hæc Anno a partu Virginis Milleſimo ſexcenteſimo nono, Indict. ſeptima, Pontificatu Sanctiſſimi Domini noſtri, D. PAULI, Divina providentia Papæ Quinti, Anno quinto, diebus, menſe & loco, quibus ſupra. Præſentibus Venerabilibus & Clariſſimis Dominis, Alexandro Leimberer, Ss. Thelog. D. Marckdorffenſi, & M. Philippo Jacopo Herber, Conſtantienſi, Rmi ac Illmi Domini Epiſcopi Conſtant. Capellanis Aulicis, teſtibus ad præmiſſa vocatis ſpecialiter ac requiſitis.

Joann. Andreas Dornſperger, D. Notar. ſſt.

CATA-

CATALOGUS PRÆLATORUM, COLLEGIORUM, DECANATUUM, omniumque utriuſque ſexus Monaſteriorum ad Synodum Epiſcopalem Conſtantienſem, die decima nona menſis Octob. An. M. DC. IX. celebratam vocatorum, tam exemptorum, quam non exemptorum, tam eorum, qui per ſe, vel per alios comparuerunt, quam illorum, qui omnino emanſerunt.

REverendiſſimus & Illmus Dominus, D. JACOBUS Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Epiſcopus Conſtant. Dominus Augiæ majoris & Oëningæ, &c. Præſidens, ac Synodum Diœceſanam convocans.

Rmus Joannes Jacobus Mirgel, Epiſcopus Sebaſtienſis, Rmi ac Illmi Domini Epiſcopi Conſtantienſis Suffraganeus, Conſiliarius, Cathedr Eccleſiæ Conſtantienſ. Canonicus & Cuſtos.

Rmus ac Perillris D. Marcus Sitticus Comes de Altaemps, & Gallara, Præpoſitus & Canonicus Cathedr. Eccleſiæ Conſtantienſ. nec non Eccleſiarum Salisburgenſis & Auguſtanæ Canonicus.

Adm. Rdus ac Nobilis Dominus Sigismundus a Wolffurt, Decanus, & Cathedr. Eccleſ. Aichſtatenſis Canonicus.

Adm. Rdus ac Nobilis Dominus Jacobus Blarer a Wartenſee Senior, Præpoſitus Colleg. Eccl. S. Pelagii, in Epiſcopali Cella.

Adm. Rdus Illuſtris & Generoſus Dominus Udalricus Baro in Königseck & Aulendorff, Canonicus Cathedr. Eccleſiarum Conſtant. Salisburg. & Auguſtanæ, nec non Colleg. Eccleſ. S. Cyriaci in oppido Wyſſenſtaig Præpoſitus.

Adm. Rdus ac Nobilis Dominus Sigismundus Fridericus ab Hornſtain.

Adm. Rdus & Clariſſimus Dominus Andreas Wendelſtein, U. J. D. Cantor.

Adm. Rdus ac Nobilis Dominus Joannes Caſparus Betz, Licentiatus.

Adm. Rdus ac Nobilis Dominus Sixtus Wernerus Vogt de Summeraw, de Prasberg, Canonicus Cathedr. Eccleſiarum Conſtant. Auguſtanæ & Aichſtatenſ.

Adm. Rdus ac Nobilis Dominus Joannes Jacobus Blarer de Wartenſee, Canonicus Cathedr. Conſtant. Baſileenſis & Colleg. Elwacenſis Eccleſiarum.

Adm. Rdus & Clariſſimus Dominus Jacobus Raslerus U. J. D. Protonotarius Apoſtolicus.

Adm. Rdus & Clariſſimus Dominus Chriſtophorus Hager, Decretorum Doctor.

Abbates.

Nomine Rmi ac Illmi Principis ac Domini, D. Bernardi, Abbatis Monaſterii Ord. D. Benedicti, comparuit Rdus & Religioſus Fr. Jodocus Mezler, Canonum D. & ejusdem Monaſterii Conventualis.

Nomine Rmi ac Illmi Principis ac Domini, Domini Henrici, Abbatis B. M. V. Campidonenſis nemo comparuit, ſed literis ad Reverendiſſimum ac Illmum Dominum Epiſcopum Conſtantienſem datis, privilegiorum ſuorum, & exemptionis prætextu, ab hujusmodi Synodali comparitione ſeſe excuſari cenſuit, rem tamen ad Ssmum, cui immediate ſubjectus ſit, deferri curaturum.

Nomine Rmi & Perilluſtris Principis ac Domini, D. Auguſtini, Abbatis Monaſterii B. M. V. loci Eremitarum, vulgo Einſidlen Ord. S. Benedicti, comparuit legitimo cum mandato Rdus, Religioſus & Nobilis P. Joannes Joachimus a Boroldingen, Decanus ibidem.

Nomine Rmi Domini Petri, Abbatis Monaſterii Salemitani, Ord. Ciſtercienſis, prout & reliquorum Dominorum Abbatum, ejusdem Ordinis, nominatim Monaſterii Wettingen, S. Urbani, & Tennenbach, eo quod ipſis (uti ſcriptis ad Rmum ac Illmum Epiſcopum literis atteſtati ſunt) a Rmo Ordinis Generali inhibitum ſit, nemo comparuit.

Adm. Rdus D. Martinus, Abbas Monaſterii S. Blaſii, Ord. D. Benedicti.

Adm. Rdus Dominus Georgius, Abbas Monaſterii Weingarten, Ord. ejusdem.

Adm. Rdus Dominus Urbanus, Abbas in Ochſenhauſen, Ord. ejusdem.

Adm. Rdus Dominus Georgius, Abbas Monaſterii Creutzlingen, Ord. Canonic. Regul. D. Auguſtini.

Adm. Rdus Dominus Jacobus, Abbas Monaſteriorum Petridomus, & S. Georgii in oppido Stain, Ord. S. Benedicti.

Adm. Rdus Dominus Michael, Abbas Monaſterii Zwifalten, Ord. S. Benedicti.

Adm. Rdus Dominus Balthaſar, Abbas Monaſterii Rothenſis, Ord. Præmonſtrat.

Adm. Rdus Dominus Jacobus, Abbas Monaſterii Augiæ minoris, vulgo Weiſſenaw, Ord. Præmonſtratenſis.

Adm. Rdus Dominus Jodocus, Abbas Monaſterii Muryenſis, Ord. S. Benedicti.

Adm. Rdus Dominus Udalricus, Abbas Monaſterii Rejnaw, Ord. ejusdem.

Adm. Rdus Dominus Martinus, Abbas Monaſterii Schuſſenriedt, Ord. Præmonſt.

Nomine Adm. Rdi Domini Gebhardi, Abbatis Monaſterii Augiæ majoris Brigantinæ, Ord. D. Benedicti, Fr. Joannes Maier, Conventualis ibidem comparuit, cum mandato.

Adm. Rdus Dominus Jacobus, Abbas Monaſterii Marchthal, Ord. Præmonſtraten.

Adm. Rdus Dominus Gottfridus, Abbas Monaſterii Wiblingen, Ord. D. Benedicti.

Adm. Rdus Dominus Martinus, Abbas S. Georgii in Hercynia Sylva, Ord. D. Benedicti.

Adm. Rdus Dominus Joannes Jacobus, Abbas Monaſterii S. Petri, Ord. ejusdem.

Adm. Rdus Dominus Jacobus, Abbas S. Trutperti, Ord. ejusdem.

Adm. Rdus Dominus Mathias, Abbas Monaſterii Fiſchingen, Ord. ejusdem.

Nomine Adm. Rdi Domini Jacobi, Abbatis Monaſterii Eisne, comparuit, cum mandato, Adm. Rdus Dominus Abbas Monaſterii Weingarten.

Adm. Rdus Dominus Jacobus, Abbas Monaſterii Montis Angelorum, Ord. ejusdem.

Nomine Adm. Rdi Domini Abbatis S. Joannis in valle Thuræ, nemo comparuit.

Johannitæ.

Rmus ac Illmus Princeps ac Dominus, D. Arbogaſtus, Magiſter Ordinis S. Joannis Hieroſolymitani per Germaniam, & Commendator in Haiterſchen.

Dominus Commendator in oppido Friburgenſi.

Dominus Commendator in oppido Imperiali Uberlingenſi.

Dnus Commendator in Tobel.

Dnus Commendator in Vilingen.

Dnus Commendator in oppido Imperiali Rottwilenſi.

Dnus Commendator in Hemmendorff.

Dnus Commendaror in Rordorff.

Dnus Commendator in Kisnacht.

Dnus Commendator in Bubichen.

Dnus Commendator in oppido Neoburgenſi.

Dnus Commendator in Wadiſchweil.

Dnus Commendator in Rexingen.

Dnus Commendator in Leuggeren.

Dnus Commendator in Hohenrain.

Horum Commendatorum nullus per ſe, vel Procuratorem comparuit.

Teutonici.

Adm. Rdus Nobilis & ſtrenuus Dnus Chriſtophorus Thumb a Newenburg, Balivus per Alſatiam & Burgundiam, Commendator in Altſcahuſen.

Dnus Commendator in Maynaw.

Dnus Commendator in Beuchen.

Dnus Commendator in oppido Imperiali Ulmenſi.

Dnus Commendator in oppido Friburg.

Dnus Commendator in Hitzkirch.

Dnus Commendator in Wineden.

Horum Commendatorum pariter nullus comparuit.

Abbatiſſæ Principes.

Pro parte Rmæ & Perilluſtris Principis ac Dominæ, D. Eleonoræ, Abbatiſſæ, & Capituli Collegiatæ Eccleſiæ Ss. Cornelii & Cypriani in Buochaw, comparuit cum mandato, M. Sebaſtianus Köchlin, Parochus & Canonicus ibidem.

Nomine Rmæ & Perilluſtris Principis ac Dominæ, D. Barbaræ, Abbatiſſæ, & Capituli Collegiatæ Eccleſiæ B. M. V. in oppido Imperiali Lindavienſi, comparuerunt cum mandato M. Joannes Sorg, Decanus ruralis Capituli ibidem, & Parochus in Hergattſchweil, M. Georgius Keller, Parochus in Wangen, & Dominus Michaël Troll, Parochus in Oberraitnaw, Camerarius.

Nomine Rmæ & Perilluſtris Principis ac Dominæ, D. Urſulæ, Abbatiſſæ, & Capituli Colleg. Eccleſ. S. Fridolini in Seckingen, D. Clemens Schubinger, Canonic. & D. Fridolinus Keller, Paroch. ibid. interfuerant.

Univerſitas Friburgenſis.

Nomine Archiducalis Academiæ Friburgenſis, comparuit mandato legitimo inſtructus M. Chriſtophorus Piſtorius, Vicarius Parochialis Eccleſiæ & Præſentiæ ibidem Rector.

Præpoſiti Regulares.

Rdus Dominus Michael, Præpoſitus Monaſterii Waldſee, Ord. Canonicorum Regul. D. Auguſtini.

Rdus Dominus Vitus, Præpoſitus Monaſterii Bewren, Ord. ejusdem.

Nomine Rdi Domini Joannis, Præpoſiti Monaſterii Wengen, in Oppido Imperiali Ulmenſi, comparuit cum literis abſentiam ſuam purgantibus Adm. Rdus Dominus Gottfridus, Abbas Monaſterii Wiblingen, Ord. D. Benedicti.

Rdus Dominus Udalricus, Præpoſitus Monaſterii Omnium Sanctorum Friburgi, præfati Ord. D. Auguſtini.

Rdus Dominus Petrus, Præpoſitus Monaſterii Riederen, Ord. ejusdem.

Car-

Digitized by Google

Carthuſiani.

Nomine Rdorum Dominorum Priorum Carthuſiarum Friburgenſis & Ittingenſis nemo comparuit, ſed abſentiæ ſuæ cauſas, nimirum certa quædam ipſis occurrentia impedimenta, in ſcriptis expoſuerunt; cum ratificatione omnium & ſingulorum pro ſe, ſuisque Monaſteriis, quæ in Synodo Diœceſana acta, geſtaque fuerint; ſalvis nihilominus exemptionibus, privilegiis, ac juribus Ordini ipſorum competentibus.

Eccleſiæ Collegiatæ.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ S. Stephani Conſtantiæ comparuerunt ſufficienti mandato inſtructi, Adm. Rdus ac Clariſſimus Dominus Jacobus Raslerus, U. J. D. Protonot., Cathedr. Eccleſiæ Conſtantienſis Canonicus, & prædictæ Eccleſiæ Præpoſitus; nec non Rdi Clariſſ. ac Nobiles, Dominus Leonhardus Hamerer, Ss. Theolog. D., Parochus & Canonicus, Dominus Joannes Fridericus a Menlishofen, & Dominus Jo. Udalricus Locher, Canonici ibid.

Collegiata Eccleſia S. Joannis Conſtantiæ, comparuit per Rdum & Clariſſimum Dominum Joannem Hauſman, U. J. D. Rmi ac Illmi Epiſcopi Conſtant. Conſiliarium, Vicarium & Officialem, Præpoſitum, & Dominum Valentinum Byrbaumer, Ss. Theol. Doctorem, Parochum & Canonicum ibidem.

Capitulum Collegiatæ Eccleſiæ S. Pelagii in Oppido Epiſcopalis Cellæ, ablegavit Dominum Joan. Hilarium a Menlishofen, Cuſtodem, & M. Gebhardum Keller, Parochum & Canonicum ibidem.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ Beronenſis interfuit Dominus Petrus Emberger, Præpoſitus, & Dominus Rochus Bongartner, Canonicus & Secretarius ejusdem Capituli.

Ex Collegiata Eccleſia S. Margarethæ, in Oppido Waldtkirch comparuit Dominus M. Matthæus Zimmermann, Præpoſitus.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ S. Leodegarii Lucernæ, comparuerunt Dnus Nicolaus Schall, Protonotarius Apoſtolicus, Præpoſitus, & Dnus Joannes Kaiſer, Ss. Theolog. D., Canonicus ibidem.

Ex Colleg. Eccleſia S. Cyriaci in Wiſſenſtaig, cum mandato comparuerunt Adm. Rdus Illris & Generoſus Dominus Udalricus Baro in Königseck, & Aulendorff, Præpoſitus, & Dominus Laurentius Zoller Ss. Theol. D., Decanus, Magiſter Conradus Nunnenbeck, Canonicus ſenior, & Burſarius, nec non Dominus Jodocus Byrbaumer Ss. Theol. D., Canonicus & Cuſtos ejusdem Eccleſiæ.

Collegiata Eccleſia S. Verenæ Zurzachii exiſtens, miſit cum mandato Dominum Paulum Schuſelbühel, Præpoſitum, & Dominum Jacobum Molitorem, Canonicum & Cuſtodem ibidem.

Nomine Colleg. Eccleſiæ S. Crucis in oppido Horb, comparuerunt ſufficienti cum mandato, Dominus Jacobus Stainlin, Præpoſitus, & Georgius Zanger, Canonicus ibidem.

His ſeſe adjunxit Dominus Sebaſtianus Vogler, Canonicus & Concionator ibidem.

Ex Collegiata Eccleſia S. Mauritii in Eningen cis Nicrum, procuratorio nomine cum mandato comparuerunt Dominus Jacobus Müller, Præpoſitus, & Dominus Joannes Jacobus Walch, Ss. Theologiæ D., Canonicus ibidem.

Collegiata Eccleſia in Werd per neminem comparuit; verum Dominus Præpoſitus & Canonici ibidem, literis Domini Sculteti, & Senatus Civitatis Solodorenſis, abſentiæ certas quasdam cauſas allegarunt.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ S. Nicolai in oppido Marckdorff, mandato legitimo inſtructus comparuit M. Martinus Buck, Parochus & Cuſtos ibidem.

Collegiata Eccleſia B. M. Virginis in oppido Cellæ Ratholdi, comparuit per Dominum M. Jacobum Keller, Parochum & Cuſtodem, nec non Dominum Georgium Schlachter, Capellanum ibidem.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ B. M. V. in Bettenbrunnen, comparuerunt Dominus Melchior Hailig, & Dominus Chriſtophorus Saurmann, Canonici ibidem.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ S. Petri in Stauffen, cum mandato adfuerunt Dominus Melchior Finckel, Parochus in Underſunthofen, & Dominus Michael Helcheberger, Parochus in Viſchen.

Capitulum Coll. Eccleſiæ S. Jacobi in Hechingen, miſit Dominum Ottonem Henricum de Löwen, Decanum & Parochum, & Dominum Conradum Unverdorben, Canonicum ejusdem Eccleſiæ.

Ex Collegiata Eccleſia in Wolffegg, Dominus M. Georgius Wallerus, Præpoſitus, comparuit.

Collegiata Eccleſia S. Nicolai Uberlingæ, comparuit per Dominum Joannem Oſchwaldi, Ss. Theol. Baccalaureum, Præpoſitum, & Dominum Joannem Udalricum Keſſering, Canonicum ibidem.

Nomine Collegiatæ Eccleſiæ in Zeill, adfuit Dominus M. Balthaſarus Lengſt, Præpoſitus in Zeill.

Abbatiæ Sanctimonialium.

Dominæ Abbatiſſæ Monaſteriorum Rottenmünſter, Vallis S. Crucis, Hegbach, Guttenzell, Feldbach, Baind, Fridenweiler, Günterſtal, Gnadenthal, Wunnenthal, Wurmſpach, Frawenthal, Neidingen auf dem Hoff, Calcara, Maggenaw, Tenichen, Ord. Ciſtercienſis, neminem miſerunt.

Pro parte Monaſteriorum & Conventuum Rathauſen & Eſchenbach, prædicti Ord. Ciſtercienſis, comparuit Dominus Melchior Suterus, Parochus Colleg. Eccleſiæ S. Leodegarii Lucernæ, & ruralis Capituli ibidem Decanus.

Domina Abbatiſſa & Conventus Monaſterii Münſterlingen, Ord. D. Benedicti, comparuit per Rdum Nobilem, & Religioſum P. Joannem Joachimum a Böroldingen, Decanum Monaſterii B. M. V. loci Eremitarum.

Dominæ Abbatiſſæ & Conventus Monaſteriorum S. Claræ in oppido Villingenſi, in Paradiſo prope Schaffhauſen, in Wittichen, ejusdem Ord. comparuerunt per Rdum & Religioſum P. Beatum, FF. Minorum Conventualium Ord. D. Franciſci per ſuperiorem Germaniam Provincialem.

Nomine Dominarum Abbatiſſarum & Conventuum Monaſteriorum S. Claræ in oppido Friburgenſi, Horti Mariæ, Söflingen, comparuit Rdus & Religioſus F. Antonius Zierer, Ord. S. Franciſci de Obſervantia, Provinciæ Argentinæ Diffinitor, & Confeſſarius d. Monaſterii Söfflingenſis.

Monaſteria, quibus Præpoſitæ & Magiſtræ præficiuntur.

Nomine Rdæ Dominæ Præpoſitæ & Canoniſſarum Monaſterii Intzkoffen, Ord. D. Auguſtini, comparuit cum mandato Dnus Andreas Rainolt, Ss. Theol. D., Confeſſarius ejusdem Monaſterii.

Rdæ Dominæ Præpoſitæ & Canoniſſarum Monaſterii Riederen, Ord. præfati, ſeſe Rdus & Religioſus Dominus Petrus Haug, ibidem Præpoſitus, Procuratorem conſtituit.

Rdæ Dominæ Magiſtræ Monaſteriorum Urſpringen, & Amtenhauſen, Ord. D. Benedicti, Rdus Adm. & Religioſus Dominus Abbas S. Georgii in Hercynia Sylva Procurator cum mandato exſtitit, tanquam eorundem Monaſteriorum Viſitator.

Nomine Rdæ Dominæ Magiſtræ & Conventus Monaſterii Hermanſchweil, Ord. D. Benedicti, præmemoratus Dominus Abbas tanquam Viſitator, comparuit.

Pro parte Rdæ Præpoſitæ, & Conventus Monaſterii Montis Angelorum Ord. D. Benedicti, comparuit Admodum Reverendus Dominus Abbas ibid.

Monaſterium S. Mariæ in Monte, penes fluvium Lauchart, Ord. D. Benedicti, conſtituit Adm. Rdum & Religioſum Dominum Michaëlem, Abbatem Monaſterii Zwifaltach, ejusdem Ordinis, tanquam Ordinarium d. Monaſterii Viſitatorem.

Nomine Monaſteriorum Sanctimonialium in Einſidlen im Paar, in Seedorff, prope Altdorff Helvetiorum, Ord. D. Benedicti, Rmi Domini Abbatis Monaſterii B. M. V. loci Eremitarum, tanquam Viſitatoris eorundem Monaſteriorum Procurator, comparuit.

Capitula & Decanatus Rurales.

Ex Decanatu Augiæ Majoris, comparuerunt cum mandato M. Georgius Oſchwald, Parochus ad S. Georgium & Decanus, Dominus Melchior Fiſel, Parochus ad S. Joannem ibidem, & Camerarius ejusdem Capituli.

Nomine Decanatus oppido Stain, adfuerunt Dominus Gallus Aſphalus, Parochus in Hemmenhofen, & Decanus, nec non Dominus Marcus Neidhard, Plebanus in Singen.

Decanatus oppidi Steckborn, & Frawenfeldt nunc uniti, miſerunt Dominum Virum Gäng, Parochum in Pfyn, Decanum, & Dominum Georgium Aigenmann, Parochum Frawenfeldenſem.

Decanatus Newkirch Kleckoviæ, comperuit per Dominum Jacobum Iflingen, Parochum Obereggingen, Decanum; & Dominum Georgium Bodmar, parochum in Büel, Camerarium.

Ex Decanatu oppidi Stielingen, interfuit Dominus Joannes Jacobus Kraus, Parochus prædicti oppidi, & Camerarius; nec non Dominus Chriſtophorus Lindius, Parochus in Grauenhauſen.

Nomine Ruralis Capituli Waldtshut, comparuerunt Dominus Joannes Jacobus Holzer, Parochus in Lauttingen, Decanus, Dominus Gregorius Drechsler, Parochus in Waldtkirch, Camerarius, & Dominus Joannes Lang, Plebanus prædicti oppidi Waldtshut.

Ex Decanatu oppidi Engen, interfuerunt Dominus Jacobus Faber, Parochus in Fridingen, Decanus, & M. Chriſtophorus Schley, Vicarius in oppido Tengen.

Deca-

Decanatus oppidi Stockach, comparuit per Dominum Joannem Chriſtophorum Maus, U. J. D. Parochum in Hindelwang, Decanum, Dominum Theodoricum Herman, Ss. Theol. D. Parochum in Bodma, nec non Dnum Georgium Reſtlin, Parochum prædicti oppidi Stockachenſis.

Rurale Capitulum Lintzgow miſit Dominum M. Gallum Hummel, Parochum in Bermatingen, Decanum, Dominum Sebaſtianum Irmler, Parochum in Frickingen, & Dominum Bernhardum Ill. Parochum in Lewkirch.

Pro parte Decanatus oppidi Moskirch, interfuere M. Sebaſtianus Angelin, Decanus, & Parochus ibidem, nec non Dominus Jacobus Krenckel, Plebanus in Walmanſchweiler.

Decanatus oppidi Imperialis Lindavienſis Procuratores exſtiterunt, M. Joannes Sorg, Parochus in Hergatſchweiler, Decanus, M. Georgius Keller, Parochus Wangenſis, nec non Dominus Michael Troll, Parochus in Oberraittnaw, ejusdem Capituli Camerarius.

Decanatus Turingenſis ablegavit M. Gregorium Brigler, Parochum in Cappel, Decanum, & M. Chriſtophorum Awer, Parochum in Türingen, Camerar.

Pro Parte Decanatus oppidi S. Galli interfuerunt M. Melchor Schelling, Parochus Rorſchachenſis, Decanus, & Dnus Michael Reuti, Parochus in Bernang, Camer.

Ex Decanatu Wilenſi, miſſi ſunt Dominus Diethelmus Ully, Plebanus in Maslang, Decanus; Dominus M. Joannes Phæbas, Parochus Wilenſis, Camerarius Aderat etiam M. Joan. Udoartus, Præpoſitus in Werdbühel.

Nomine Decanatus Tigurini comparuit Dnus Petrus Brendlin, Parochus Rapperſchwilenſis, & Dominus Joannes Schwartzmann, Parochus in Glarus.

Ex Decanatu Regenſpergenſi, & Clero Badenſi, interfuit Dominus Balthaſar Hamerer, Parochus prædicti oppidi Badenſ.

Ex Decanatu Brengartenſi ablegatus eſt Jacobus Hauſer, Parochus Tugienſis, & Decanus ejusdem Capituli.

Decanatus oppidi Mellingen comparuit per M. Bernardum Stallder, Parochum Vilmergenſem, Decanum, & Dominum Jacobum Walther, Plebanum in Boſſweil.

Decanatus Hochdorff miſit Dominum Jacobum Gampar, Parochum in Innweil, Camerarium, & Dominum Burchardum an der Hüb, Parochum in Sintz.

Nomine Ruralis Capituli Williſaw adfuerunt Dominus Henricus am Rein, Canonicus Beronenſis, Parochus in Dietweil, ejusdem Capituli Camerarius, & Dominus Adamus Hool, Parochus in Zell.

Pro parte Decanatus Lucernenſis ablegati ſunt, Dnus Melchior Suterus, Decanus ruralis Capituli & Parochus prædicti oppidi, & Rmi ac Illmi Epiſcopi Conſtant. in ditione Lucernenſi Commiſſarius: nec non Dominus Leonhardus Fründt, Parochus Uranienſis, Protonotarius Apoſtolicus.

Ex Decanatu Surſee comparuit Dominus M. Ludovicus Schweitzer, Parochus in Ruswyl, Decanus, & Dominus Martinus Mazinger, Parochus in Sempach.

Nomine Decanatus, Cleri & Confratrum Præſentiæ Friburgenſis, adfuit M. Chriſtophorus Piſtorius, Parochus & Præſentiæ Friburgenſis Rector: M. Joanues Bley, Capituli Friburgenſis Decanus, & ejusdem Præſentiæ Ternarius.

Decanatus Briſacenſis miſit M. Joannem Michaelum, Parochum in Munzingen, Decanum, M. Joannem Paulum Curtium, Parochum in Kirchofen, Camerarium, Dominum Matthiam Boucher, Parochum in Veldtkirch.

Nomine Decanatus Neoburgenſis, comparuit Dominus Joannes Haut, Parochus in Bamlach, Camerarius, & Dominus Nicolaus Gunterus, Parochus Zielenſis.

Decanatus Endingenſis comparuit per Dominum Joannem Weiſs, Parochum in Saspach, Decanum, & D. Mathiam Fetſcherum, Parochum ad D. Petrum Endingæ, Camerarium.

Ex Decanatu Wieſenthal, interfuit Dominus Fridolinus Keller, Parochus Seckingæ.

Decanatus oppidi Villingen, ablegavit Dominum Felicem Wiel, Parochum Eſchingæ ad Danubium, Decanum, Dominum Joannem Textorem, Parochum Riedberinganum, Camerarium.

Nomine Ruralis Capituli Wurmlingenſis, interfuit Dominus Joannes Meiſs, Parochus Hattingenſis, Decanus, & Dominus Joannes Hirlinæus, Parochus oppidi Möringen, prædicti Capituli Vice-Camerarius.

Decanatus & Cleri oppidi Imperialis Rottwilenſis, Procuratores exſtiterunt M. Joannes Breneiſen, Parochus in Deiſslingen, & M. Joannes Renner, Parochus in Dünningen, Camerarius, nec non Dnus Jacobus Luon, Parochus præmemorati oppidi Rottwilenſis.

Ex Decanatu Ebingenſi ablegati ſunt Dominus Chriſtophorus Faulhaber, Decanus, & Parochus in Shertzingen, nec non Dominus Udalricus Hagg, Parochus in Harthauſen, ejusdem Capituli Camerarius.

Decanatus Dornſtetten, miſit Dominum Joannem Offterdinger, Parochum inferioris

pagi Waldach, Decanum, & Dominum Georgium Hopp, Parochum in Salzſtetten, Camerarium.

Decanatus oppidi Haigerloch, Procuratores exſtiterunt Dominus Joannes Stozius, Parochus ibidem & Decanus, nec non M. Joannes Hurm, Parochus in Binzdorff, Camerarius.

Nomine Decanatus oppidi Herrenberg, nemo comparuit.

Decanatus Tubingenſis, nunc Rottenburgenſis, comparuit per M. Franciſcum Sartorium, Ss. Theologiæ Baccalaureum Formatum, Decanum & Parochum Rottenburgenſem, Dnum Fridericum Kettenacker, Parochum in Hürlingen.

Decanatus oppidi Hechingenſis, miſit Dominum Ottonem Henricum Baldum de Löwen, Decanum tam ruralis Capituli, quam Collegiatæ Eccleſiæ S. Jacobi, & Parochum ibidem, nec non Dominum Marcum Teiffelium, Parochum in Steinhoffen.

Ex Decanatu Trochtelfingenſi adfuit Dominus Jacobus Munz, Parochus in Oberſtetten, Decanus: & Dominus Joannes Riegger, Parochus in Gamertingen.

Nomine Decanatus Eſslingen, ſeu Newhauſen, adfuit Dominus Zacharias Schnitzer, Parochus in Newhauſen.

Rurale Capitulum oppidi Geiſslingen, comparuit per Dominum Joannem Schreyer, Parochum in Bemmerkirch, & Dominum Chriſtianum Speet, Parochum in Wiſſgeltingen.

Decanatus oppidi Blawbeuren, miſit Dominum Hermanuzium, Parochum in Ringingen, electum Decanum, & Dnum M. Joannem Geismeyer, Parochum in Deiſslingen, Camerarium.

Decanatus oppidi Ehingani ad Danubium, comparuit per Dominum Claudium Aichel, Ss. Theol. Baccal. Formatum, & Vicarium Ehingenſem; nec non M. Andream Hiltebrandt, Parochum in Griesingen, & Eccleſiaſten prædicti oppidi.

Nomine Decanatus oppidi Riedlingenſis, adfuit M. Georgius Pfeiffer, Parochus in Dürrenwaldtſtetten, Decanus, & Dnus Jacobus Beck, Parochus prædicti oppidi Riedlingenſis, Camerarius.

Decanatus oppidi Munderkingen Procuratores extiterunt, M. Jacobus Viſcherus, Decanus, & Parochus in pago fori Zwifaltach; nec non Fr. Balthaſar Dorner, Conventualis Monaſterii Marchtalenſis, Ord. Præmonſtratenſis, Parochus prædicti oppidi Munderkingenſis.

Decanatus oppidi Imperialis Bibracenſis, ablegavit M. Leonhardum Gentner, Parochum ibidem, & M. Matthæum Albertum, Parochum in Schömerberg.

Ex Decanatu Lauphaim, miſſi ſunt M. Matthias Härlin, Parochus in Sulmingen, & Dnus Georgius Schick, Camerarius, & Parochus in Hüttesheim.

Decanatus Dietenheimenſis comparuit per Dominum Marcum Moz, Decanum, & Parochum ibidem: nec non Dominum Simonem Jäch, Parochum in Erolzheim, Camerarium.

Decanatus oppidi Wurzach conſtituit Procuratores, Dominum Georgium Fimpel, Parochum in Schwartzach, & Decanum: nec non F. Joachimum Gietteler, Parochum in Heiſterkirch, Conventualem Monaſterii Rothenſis, Ord. Præmonſtratenſis.

Rurale Capitulum oppidi Sulgenſis, miſit Dominum Andream Vogel, LL. Doctorem, Parochum in Bezenweiler, Decanum: nec non Dominum Laurentium Rebmann, Canonum Doctorem, Parochum in Monte Buſſo.

Ex Decanatu oppidi Mengen, deputati ſunt M. Joannes Stoll, Decanus, & Parochus Schærenſis; nec non M. Jacobus Felber, Parochus in Bingen.

Decanatus oppidi Imperialis Ravenſpurgenſis, comparuit per Dominum Conradum Fabrum, Ss. Theologiæ Baccal., Parochum Altorffenſem, Decanum; M. Joannem Alberti, Parochum Eccleſiæ B. Mariæ Virginis prædicti oppidi, Dominum Joannem Stehelin, Parochum in Valdtburg, nec non Dominum Matthæum Langenſtain, Capellanum in Hoſpitali præmemorati oppidi Ravenſpurgenſis.

Decanatus Stivenhoven deſtinavit Procuratores, Dominum M. Melchiorem Finckel, Parochum in inferiori pago Sundthofen, & Dnum Michaëlem Helcheberger, Parochum in Fiſchen, Camerarium.

Decanatus Eisne, miſit Dom. M. Georgium Ruopp, Parochum in Reichenhofen, Decanum, & M. Barth. Routhart, Ss. Theol. Baccal., Parochum in Leukirch.

Monaſteria Ord. D. Dominici Prædicatorum.

Nomine Monaſteriorum in Civitate Conſtantienſi, Friburgenſi, & Rottwilenſi exiſtentium, comparuit Rdus & Religioſus P. Servatius Jüngling, Ss. Theologiæ Doctor, Fratrum Prædicatorum per ſuperiorem Germaniam, Auſtriam & Saxoniam, Magiſter Provincialis. Cæterum cum de illius adventu dubitaretur, prædicta Monaſteria in Procuratorem, Venerabilem & Religioſum P. Udalricum Gœzonium, Ss. Theologiæ Doctorem, prædicti Cœno-

Digitized by Google

Cœnobii Conſtantienſis Priorem, conſtituerunt.

Monaſteria Sanctimonialium ejusdem Ordinis, quæ per Prioriſſas reguntur.

Dominæ Prioriſſæ & Conventus Monaſteriorum S. Petri & Zoffingen Conſtantiæ, nec non S. Marci in Sieſſen, conſtituerunt Procuratorem præmemoratum Dominum Priorem Monaſterii Conſtantienſis.

Nomine Dnæ Prioriſſæ & Conventus Monaſterii Sancti Petri, auf dem Bach, prope oppidum Svicenſe, præfati Ordinis, adfuit Rmi Domini Abbatis Monaſterii B. M. V. Eremitarum Procurator.

Dominæ Prioriſſæ & Conventus Monaſteriorum Vallis Sanctæ Catharinæ in Dieſſenhofen & Lewenthal, ejusdem Ordinis, comparuerunt, per F. Joannem Kener & F. Paulum Meyer, Ord. Prædicatorum, Confeſſarios ibidem.

Pro parte Prioriſſæ & Conventus Monaſterii Habſtal, comparuit Dnus Joannes Ziegler, Parochus ibidem.

Reliquæ Prioriſſæ & Conventus Monaſteriorum ejusdem Ordinis, videlicet Kirchbergæ in Adelhauſen, in Stetten, in Hedingen, Sanctæ Agnetis, Sanctæ Catharinæ, & ad Pœnitentes Friburgi, D. Agnetis, & D. Catharinæ Briſaci, comparuerunt, per præfatum Ordinis Magiſtrum Provincialem.

Congregationes Sororum, ſive Incluſoria ejusdem Ordinis.

Domus Congregationis in Hirſtal, prædicti Ordinis, conſtituit Procuratores Dominum M. Joannem Sorg, Decanum Capituli Lindavienſis, Parochum in Hergatſchweiler: Dnum Melchiorem Troll, ejusdem Capituli Camerarium, & Plebanum in Oberraittnaw.

Incluſorium ſeu Domus in Enendach, ejusdem Ordinis, comparuit per prædictum Dominum Joannem Ziegler, Parochum Habſtalenſem.

Reliquarum domorum ſeu incluſoriorum nomine in oppido Imperiali Rottwilenſi, Buochorn, Pfullendorff, Marispurgi, Villingæ, in Horb, in Engen, in Waldtshuot, in Oberndorff, in Bintzdorff, in Hirlingen, in Haigerloch, in Gruolen, in Nellenberg, in Baden Ergoviæ, in Raurhacher, in oppido Wilenſi Turgoviæ exiſtentium, Procuratorem ſe pariter conſtituit præfatus ejusdem Ordinis Provincialis.

Religioſi Ord. D. Auguſtini, Eremitarum.

Nomine Monaſteriorum hujus Ordinis utriuſque ſexus, videlicet Conſtantienſis, Friburgenſis, Briſacenſis, & Oberndorfenſis, nec non Sanctæ Catharinæ & S. Adelhaidis, comparuit Reverendus & Religioſus P. Joannes Georgius Greiffenſtain, Rheni & Sueviæ Provincialis, Prior prædicti Monaſterii Oberndorffenſis.

Dominus Prior & Conventus Monaſterii Uttenweiler, ejusdem Ordinis, conſtituit Procuratorem Dominum Andream Vogel, U. J. D., Parochum in Bezenweiler.

Monaſteria FF. Minorum Conventualium S. Franciſci.

Nomine Monaſteriorum hujus Ordinis, nimirum Conſtantienſis, Uberlingenſis, Lucernenſis, Briſacenſis, Villingenſis, & Neoburgenſis, interfuit Reverendus & Religioſus P. Beatus Bishalm, FF. Minorum Conventualium per ſuperiorem Germaniam Provincialis.

Idem P. Provincialis Procuratorem ſe conſtituit Monaſteriorum ſeu Congregationum Sanctimonialium ejusdem Ordinis, videlicet S. Germani Villingæ, in Valle Kinziaca, S. Galli Uberlingæ, domus pauperum ibidem, Margrethauſen, Sipplingen, Beche, Wettbach, S. Michaëlis, Rauenſpurgi, Dalbach prope Brigantiam, S. Annæ ibidem, Reuthe, Moſsheim, in Saulgen, in Riedlingen, in Laiz, in Görhaim, in Pfullendorff, in Grönenberg, in Hermannsberg, in Möckingen, in Newhauſen, domus apud Thermas Helvetiæ, domus in Baden, Bremgarten, Tugii, in Mutterthal, Solodori, in Grimmenſtain.

Religioſi Ord. S. Franciſci de Obſervantia.

Nomine Monaſteriorum Friburgenſis, & S. Lucii prope oppidum Hechingen, a Reverendo & Religioſo Patre Gaſpare Cholero, Ord. Provinciali, ablegatus eſt P. Antonius Zierer, Provinciæ Argentinæ Diffinitor, & Confeſſarius Söflingæ.

Monaſteria, Domus ſeu Incluſoria Sanctimonialium Ord. S. Franciſci de Obſervantia.

Præmemoratus P. Antonius Zierer comparuit etiam nomine infraſcriptorum Monaſteriorum, ſeu domorum & incluſoriorum, quæ per Pr. de Obſervantia gubernari

ized by Google

nari consueverunt, videlicet Congregationis in oppido Brisacensi, Ehingensi prope Danubium, Munderkingensi, domus Oberclausen & Silchen prope Rottenburg, in Unlengen, in oppido Horb, Wurtzach, Waldtsee, Warthausen, S. Ottberti prope Deislingen, Weiler prope Urspringen, Kysslegg, in Seckingen, in Uberlingen, an der Biß, Monasterii Berche, in Weingarten, & Ogelspeuren sitorum.

Religiosi Ord. Carmelitarum.

Nomine Monasteriorum Ordinis Carmelitarum in oppidis Rottenburgensi & Ravenspurgensi existentium, aderat P. Andreas Lucas, & P. Andreas Mayer, priores ibidem.

Ordo S. Antonii.

Domini Procuratores Ordinis S. Antonii in oppido Friburgensi, Villingensi, & in Uznach, nec per se, nec per Procuratorem comparuerunt.

Wilhelmitæ.

Nomine Monasterii Oberriedt, Ord. Wilhelmitarum Friburgi, interfuit F. Joannes Gold, Subprior ibidem.

Nomine Monasterii in oppido Mengen, ejusdem Ordinis, interfuit F. Joannes Weinschenck, prior, & parochus Ecclesiæ S. Martini ibidem.

Dominus Prior Monasterii Syon, prædicti Ord., neminem misit ob exiguum numerum Conventualium illic tum temporis degentium.

Paulini.

Nomine Dominorum Priorum, & Conventuum Monasterii Rorhaltensis in Tanaw, in Bondorff, & Grünenwaldt, Ord. D. Pauli primi Eremitæ Procuratorem se constituit R. P. Rudolphus Biel, prior Rorhaldensis, & provincialis ejusdem Ordinis.

Pro parte Monasteriorum Langenaw & Argenhardt præfati Ordinis, suo & respective procuratorio nomine interfuit F. Thomas Schroff, prior monasterii Langenaw.

Ex Fratribus laicis in Bernstain, Ordinis D. Francisci nemo comparuit.

Si numerus personarum, qui huic Diœcesanæ Synodo interfuerunt, ineatur, reperientur centum nonaginta circiter, exceptis iis, qui in Rmi & Illmi Domini Episcopi & Prælatorum familia extiterunt, nec non Capellanis & aliis Clericis Cathedralis & aliarum Ecclesiarum Civitatis Constantiensis.

FINIS.

Omnia ad majorem DEI gloriam, & Ecclesiæ Catholicæ exaltationem.

CONSTITUTIONES & DECRETA
EJUSDEM SYNODI CONSTANTIENSIS,
ANNO SEQUENTE CAL. MART. PUBLICATA.

JACOBUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA EPISCOPUS CONstantiensis, Dominus Augiæ majoris & Oeningæ, &c. Universis & singulis Cathedralis nostræ, & Collegiatarum, Parochialiumque Ecclesiarum Prælatis, Abbatibus, Præpositis, Prioribus, Decanis, Rectoribus, & Curatis, cæterisque Civitatis & Diœcesis nostræ Constantiensis Clericis, & personis Ecclesiasticis, tam Regularibus, quam Sæcularibus, Salutem in Domino sempiternam.

NUlla usquam fuit vel mediocris Respublica, quæ non sit certis legibus constituta; nihil enim est tam aptum ad jus conditionemque naturæ, quam lex, sine qua nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum natura, nec ipse mundus potest. Per leges & reguntur urbes, & conservantur: quæ si abrogentur, & pro sua cuique libidine licentia permittatur, non Respublica tantum ut intereat, sed nihil etiam inter nostram & bellvarum vitam intersit, necesse est. Omnia legibus & observantia legum ornantur, omnia præclara, omnia augusta legibus accepta sunt ferenda. Lex enim, ait Cicero, nihil est aliud, nisi recta & a numine Deorum tracta ratio, imperans honesta, probibensque contraria. Hinc etiam nos inducti sumus, ut Leges & Constitutiones aliquas pro borum temporum conditione necessarias & salutares, ex Sacris Canonibus & Concilii Trid. Decretis depromptas colligeremus, atque in Diœcesana Synodo Constantiensi mense Octobri proxime elapso, celebrata vobis proponeremus, quibus tum Catholica nostra

Digitized by Google

noſtra Religio conſervari, ac conſervata propagari, tum perturbata Cleri & populi diſciplina reſtitui poſſit. Eas de unanimi omnium veſtrum tunc in præfata Synodo congregatorum conſenſu, ſancitas, approbatas & collaudatas, non tantum Ordinaria noſtra auctoritate præſentium tenore confirmamus, ſed etiam typis expreſſas ad vos mittimus. Accipite igitur, quas una Nobiscum conſtituiſtis & approbaſtis Leges, & eas non tantum quanto maximo poteſtis amore & pietate amplectimini, atque ad earum ſententiam & rationem vos totos accommodate, ſed etiam ſubditis curæ veſtræ commiſſis, quatenus eos, eorumque ſalutem reſpiciunt, exponite, utque tum a vobis ipſis, tum ab iis diligenter & accurate obſerventur, curate. Datum in oppido noſtro Marisburgo, 1. Martii, Anno reparatæ ſalutis M. DC. X.

INDEX TITULORUM, QUI QUATUOR HIS DECRETORUM SYNODALIUM PARTIBUS CONTINENTUR.

TITULI PRIMÆ PARTIS.

I. De Religione & Fide Catholica.
II. De Profeſſione Fidei Catholicæ.
III. De Libris prohibitis.
IV. De Superſtitionibus & Magia.
V. De Sacramentis Eccleſiæ.
VI. De Baptiſmo.
VII. De Sacramento Confirmationis.
VIII. De Sacramento Euchariſtiæ.
IX. De Sacrificio Miſſæ & celebratione Miſſarum.
X. De Pœnitentia.
XI. De Confeſſariis & Caſibus reſervatis.
XII. De Extrema Unctione.
XIII. De Ordine.
XIV. De qualitatibus Ordinandorum.
XV. De Sponſalibus.
XVI. De Matrimonio & impedimentis Matrimonii.
XVII. De Lectionibus Sacris.
XVIII. De Prædicatione Verbi Dei.
XIX. De Catechiſmo & inſtitutione Juventutis Chriſtianæ.
XX. De Cultu Divino & Cæremoniis Eccleſiaſticis.
XXI. De Reliquiis, Imaginibus, cultu ac veneratione Sanctorum.
XXII. De Indulgentiis & Purgatorio.
XXIII. De Feſtis diebus.
XXIV. De Jejuniis ac delectu ciborum.
XXV. De Scholis privatis.
XXVI. De Seminario.

TITULI SECUNDÆ PARTIS.

I. De vita & honeſtate Clericorum.
II. De Prælatis & Canonicis Eccleſiæ Cathedralis & Collegiatarum.
III. De Officio Decani Ruralis.
IV. De Camerariis.
V. De Plebanis & Eccleſiarum Parochialium Rectoribus.
VI. De Vicariis Eccleſiarum incorporatarum, & Canonica portione.
VII. De Sacellanis & aliis inferioris Ordinis Clericis.
VIII. De Clericis peregrinis.
IX. De Reſidentia Clericorum.
X. De Horis Canonicis.
XI. De Libris Clericorum.
XII. De Collationibus Beneficiorum & Jure Patronatus.
XIII. De Inſtitutionibus.
XV. De Pluralitate Beneficiorum.
XVI. De Simonia.
XVII. De Concubinatu.
XVIII. De Uſuris & aliis Contractibus illicitis.
XIX. De Eccleſiis, Capellis, Oratoriis & Altaribus.
XX. De Rebus Sacris & Sanctis.
XXI. De Bonis & Juribus Eccleſiarum conſervandis & non alienandis.
XXII. De Decimis & Oblationibus.
XXIII. De Fabricis & Fabricarum Procuratoribus.
XXIV. De Succeſſionibus & Teſtamentis Clericorum.
XXV. De Exequiis & Sepulturis.
XXVI. De Immunitate Eccleſiaſtica.

TITULI TERTIÆ PARTIS.

I. De Regularibus & Religioſis.
II. De Electione & Confirmatione Prælatorum.
III. De Monialibus.
IV. De Religioſis Domibus.
V. De Sodalitatibus & Confraternitatibus.

Digitized by Google

TITULI QUARTÆ PARTIS.

I. De Jurisdictione & Judicio Ecclesiastico.
II. De Causis Ecclesiasticis, quæ de jure & immemoriali tempore ac consuetudine ad forum Ecclesiasticum Constantiense pertinent
III. De Personis Judicii Ecclesiastici.
IV. De executione Processuum.
V. De Censuris Ecclesiasticis & aliis pœnis judicialibus.
VI. De Absolutionibus.
VII. De Appellationibus.
VIII. De Visitationibus.
IX. De celebratione Synodorum, & executione Statutorum Synodalium.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM DIOECESIS CONSTANTIENSIS, *PARS PRIMA.*

In Nomine Sanctissimæ et Individuæ Trinitatis, Patris, et Filii, et Spiritus Sancti, Amen.

TITULUS I.

De Religione & Fide Catholica.

QUia sine vera Fide impossibile est placere Deo,(*a*) utpote quæ sit fundamentum Religionis. Ideo nos unam Sanctam, Catholicam, Romanam Fidem a Christi Domini nostri, & Apostolorum ejus doctrina ductam, a Majoribus nostris acceptam, atque a Sacris Oecumenicis Conciliis, & universalis Ecclesiæ sensu, novissime etiam a Sacra Tridentina Synodo explicatam, traditam & definitam suscipimus, veneramur, credimus & confitemur, omniaque huic Sanctæ, Catholicæ, & Apostolicæ Fidei contraria, hæreses quascunque & schismata detestamur, rejicimus & anathematizamus. (*b*) Statuentes, atque omnibus Prælatis, universo Clero, ac populo Diœcesis nostræ mandantes, & in Domino exhortantes, ut in hac Fide Catholica constantes, & firmi permaneant, eandem credant, observent, ac doceant; neque ulla ratione aut persuasione a veritate hujus Sanctæ Fidei, & Ecclesiæ Catholicæ, in qua stant & salvantur omnes gentes, avelli se patiantur.

TITULUS II.

De Professione Fidei Catholicæ.

EGo N. firma fide (*c*) credo & profiteor omnia & singula, quæ continentur in Symbolo Fidei, quo Sancta Romana Ecclesia utitur; videlicet: Credo in unum DEUM Patrem Omnipotentem, factorem cœli & terræ, visibilium omnium & invisibilium. Et in unum Dominum JESUM Christum, &c.

Hanc Fidei Catholicæ Professionem, (*d*) antequam beneficiis, dignitatibus & officiis quibuscunque frui & fungi cœperint, faciant omnes quarumcunque Ecclesiarum, tam Sæcularium, quam Regularium Prælati, Canonici, Parochi, Vicarii, Curati, Sacerdotes, aliique Clerici, Concionatores, Confessarii, Universitatum, (*e*) Gymnasiorum & Scholarum Rectores, Doctores, Professores, Magistri. Item promovendi ad aliquem gradum Doctoratus, Licentiæ, aut Magisterii. Præterea Typographi, Bibliopolæ, Medici, Chirurgi. Prælati quidem Canonici, & cæteri Clerici sæculares, coram Nobis, vel Vicario nostro Generali, & in Capitulis suis.

Regulares in manibus suorum Superio-

(*a*) D. Paulus ad Hebr. 11. c. (*b*) C. Excommunicamus. 1. & 2. de Hæret.
(*c*) Ex Bulla Pii Papæ IV. quæ incipit: *Injunctum nobis, sub dato Romæ Anno* 1564. *Idib. Nov.* (*d*) d. Bulla Pii IV. Concil. Trident. cap. 2. de Reform. Sess. 25.
(*e*) Bulla Pii IV. quæ incipit: *Sacrosancta, sub dato Romæ Anno* 1564. *Idib. Nov.* d. cap. 2. de Reform. Sess. 25.

Digitized by Google

periorum, aut eorum, quibus hujusmodi receptio Professionis Fidei, de jure vel consuetudine competit.

Laici vero coram Parochis aut Decanis ruralibus, vel iis, ad quos receptio hujusmodi spectat.

TITULUS III.

De Libris prohibitis.

I.

LIbros hæreticos, maxime illos, qui de religione falsa & hæresi ex professo tractant, atque de hæretica pravitate sunt suspecti, nemo legat, vel apud se retineat, nisi a Sede Apostolica dispensationem desuper impetraverit in scriptis, (f) quam Nobis, aut Vicario nostro exhibeat.

II. Neque hos solum, sed omnes pietati morumque honestati contrarios libros, qui amatoria, impura, obscœna, inhonesta, famosa, superstitiosa, & his similia continent, narrant aut docent, serio prohibemus. (g) In delinquentes Procurator noster Fiscalis ex officio severissime, juxta Canonicas Sanctiones animadvertat.

III. Illos etiam, qui obscœnas ac petulantes imagines & picturas, vel ad ludibrium nostræ Catholicæ Religionis, vel ad Ecclesiasticarum aut aliarum honestarum personarum infamiam factas vendunt, emunt, sibi fieri procurant, vel retinent, minime impunitos relinquemus.

IV. Parochi diligenter advertant, ne subditi sui parochiani, ex malitia aut simplicitate, libris Hæreticis, vel de hæresi suspectis, aut bonis moribus atque pietati Christianæ repugnantibus utantur. Quod si aliquos hujusmodi libros haberi, & legere deprehenderint, eos cum charitate & discretione primum corrigant, contumaces & rebelles ab Ecclesiæ ingressu, & Sacramentorum participatione arceant, & si incorrigibiles existant, Nobis, aut Vicario nostro referant, ut in tempore, malo, ne forte serpat ulterius, per competentia remedia subvenire valeamus.

V. Nulli libri, imagines aut picturæ uspiam in locis Catholicis Diœcesis nostræ venales exponantur, quas non prius Parochi, Decani, vel alii Censores a Nobis designati, ope etiam & auxilio Magistratus sæcularis, si opus fuerit, quem Nos in tam pia, & necessaria re Nobis minime defuturum speramus, inspexerint, examinaverint & approbaverint. (h)

VI. Præterea statuimus, & Typographis serio mandamus, ne libros cujuscunque generis, sive Ecclesiasticos, sive prophanos, in civitate Constantiensi, & aliis locis Catholicis nostræ Diœcesis, absque nostra, aut Vicarii nostri Generalis, aut a Nobis ad hoc specialiter Deputatorum approbatione & censura, imprimant; (i) Alioquin Nos contra eos juxta Canonicas Sanctiones ad Ecclesiasticas censuras, vel alias pœnas, prout Nobis oportunum videbitur, procedemus.

VII. Officinas Bibliopolarum in Civitate Constantiensi Vicarius noster, cum deputatis librorum Censoribus, in aliis locis Parochi, aut Decani rurales visitent, libros inspiciant, & examinent.

VIII. Denique rogamus & hortamur in Domino Principes, & Magistratus omnes sæculares: & Ecclesiasticos, in Diœcesi nostra existentes, ut non tantum hæreticos & de hæresi suspectos, pro sua pietate ac studio erga veram & indubitatam Sanctam, Catholicam Fidem e suis ditionibus atque oppidis, quo ad ejus fieri potest, amoveant, & expellant, (k) verum etiam sub gravissimis pœnis prohibeant, ne suarum ditionum homines, percipiendæ linguæ,

(f) Concil. Trident. de editione & usu sacr. Libr. Sess. 4. & Sess. 18. de Libr. delectu. Index Libr. prohib. a Pio Papa IV. in speciali Bulla, quæ incipit: *Dominici gregis, sub dato Romæ die 24. Martii Anno 1564. confirmatus.*
(g) Per d. Ind. libr. prohib. c. 1. 2. & 3. 5. q. 1. tot. tit. C. de libel. famos.
(h) d. Index libr. prohib. cum Regulis ei præpositis. (i) d. Index & Regulæ.
(k) c. Sicut excellentia. 23. q. 4.

guæ, mercaturæ aut alio nomine diutius & ultra unum aut duos menſes in locis hæreticorum commorentur; ne liberos ſuos ad ſectariorum ſcholas ablegent, aut ad loca hæretica in Matrimonium locent, neve libros hæreticos & de hæreſi ſuſpectos & alios prohibitos in ditiones & oppida ſua inferri, & venales exponi patiantur.

TITULUS IV.

De Superſtitionibus & Magia.

I.

FRequens eſt, præſertim apud mulierculas, ſed grande ſuperſtitionis & magiæ piaculum, Chriſtianæ fidei, ac vero cultui, qui DEO TER OPT. MAX. debetur, e diametro repugnans.

II. Cujus cum varia nimis & multiplicia ſint genera, (*l*) ea hic recenſere non intendimus: ſed Parochos, Concionatores, Confeſſarios, & alios quoscunque ad ſummam caſuum conſcientiæ, Cardinalis Toleti, aliosque probatos authores remittimus. Illud ſummatim decernimus, ut hujusmodi, cujuscunque generis ſint incantatorum, ſortilegorum, magorum, divinatorum ſuperſticioſorum artes, cum ſint ex quadam peſtifera ſocietate Dæmonum atque hominum quaſi pacta infidelis & doloſæ amicitiæ (*m*) ſive tacite, ſive expreſſe conſtituta, a Parochis, Concionatoribus, Confeſſariis, & pio Magiſtratu, ſub pœnis Eccleſiaſticis & temporalibus ſeveriſſime prohibeantur, atque ab Eccleſia Dei, & cœtu fidelium penitus eliminentur. (*n*)

III. Et ſane Nos ſuperſtitioſos divinatores, ſortilegos, & magos, niſi reſipiſcant, anathemate feriemus, (*o*) & ſi Clerici fuerint, a beneficiis, dignitatibus, & officiis quibuscunque perpetuo deponemus. (*p*)

TITULUS V.

De Sacramentis Eccleſiæ.

I.

SEptem Eccleſiæ Sacramenta divinitus inſtituta, (*q*) per quæ omnis vera juſtitia vel incipit, vel cœpta augetur, vel amiſſa reparatur: & quibus velut remediis Deus peccatis noſtris mederi, nobisque gratiæ ſuæ munera impartiri voluit, ex Oecumenicorum Conciliorum & univerſalis Eccleſiæ præſcripto, cum ea, qua decet, reverentia ſuſcipimus. Omnibus Clericis Diœceſis noſtræ, tam Sæcularibus, quam Regularibus, cujuscunque ſtatus & conditionis fuerint, diſtrictius mandantes, ut ea omnia, & ſingula in timore Domini cum debita reverentia, tum per ſe uſurpent, ac ſancta ſancte tractent, tum ut a laicis condigne ſuſcipiantur, diligenter procurent.

II. Volumus autem & Eccleſiarum Miniſtris præcipimus, (*r*) ut in concionibus, in Catechiſmo, & ante cujusque Sacramenti adminiſtrationem, ſi neceſſitas, propter populi ruditatem & inſcitiam poſtulaverit, breviter virtutes, fructus & debitum uſum Sacramentorum, quid externa ſigna, quid cæremoniæ ſignificent, ad captum tum ſuſcipientium, tum reliquorum aſtantium, lingua germanica exponant, atque declarent, ut noſſe poſſint quid ſuſcipiant, quantum fructum inde referant, & quomodo ſeſe ad ejus uſum digne præparare debeant.

III. Et ut in uniformitate Spiritus Deo ſerviamus, cæremoniis & ritibus in adminiſtrandis Eccleſiæ Sacramentis utantur omnes, juxta præſcriptum Sacerdotalis Eccleſiæ noſtræ, donec Nos aliter ſtatuerimus, & prædictum Sacerdotale magis ad uſum & cæremonias Eccleſiæ Romanæ reduxerimus.

IV. Quod ſi inter Miſſale noſtrum ad Romanum reformatum, & Sacerdotale, quoad aliquas cæremonias differentia occurrat, Miſſale ſequendum, &

(*l*) Vide cap. Igitur. 26. q. 3.
(*m*) Cap. Illud. in fin. 26. q. 2.
(*n*) C. Quicunque. §. Ex præmiſſis. 16. q. 5.
(*o*) C. Si quis ariolos. & d. §. Ex præmiſſis. 16. q. 5.
(*p*) d. Paſſim cauſa. 26. q. 5. cap. Quam ſit grave. De exceſ. Prælat.
(*q*) Concil. Trid. Seſſ. 2. de Sacramentis. c. Ad abolendam, de Hæret.
(*r*) Concil. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 7.

Digitized by Google

& juxta ejusdem præſcriptum cæremoniis utendum eſſe declaramus.

V. Pias & antiquas conſuetudines circa actus & officia quædam Eccleſiaſtica, quæ fortaſſe ſine offenſione populi intermitti non poſſunt, ita probamus, ut prius Nos, aut Vicarius & Conſiliarii noſtri Eccleſiaſtici conſulantur: noſtrumque aut eorum reſponſum ac reſolutio deſuper expectetur & obſervetur.

VI. Sacerdotes, qui ex alienis Diœceſibus in noſtram transmigraverint, novas vel peregrinas cæremonias ſecum non adferant, aut pro ſuo libitu ſibi fingant, ſed ſi Eccleſiis noſtræ Diœceſis inſerviunt, in iisque beneficia aſſequuntur, noſtræ etiam Diœceſis rititibus ac cæremoniis, tum in Sacramentorum adminiſtratione, tum in aliis Divinis Officiis peragendis utantur. Contra inobedientes Fiſcalis noſter ex officio procedat.

VII. Sacramenta omnia lingua latina, ſobrie ante prandium, niſi neceſſitas & laudabilis conſuetudo aliter ſuaſerit, ſine peccato mortali, non obiter & præcipitanter, ſed cum debita gravitate, reverentia ac pietate, ſine geſticulationibus & cæremoniis non conſuetis, cum ſtola & ſuperpelliceo adminiſtrentur, ut populus, cum viderit ſancta ſancte ac religioſe tractari, ſimiliter ad ſancte & religioſe Sacramenta ſuſcipienda moveatur.

VIII. Mandamus etiam, ut Divina Sacramenta omnibus indifferenter, divitibus, pauperibus, utriusque ſexus (iis exceptis, quos ad ſuſcipienda Sacramenta Canonicæ Sanctiones faciunt inhabiles) ſine dilatione, pro ratione loci, temporis & neceſſitatis, pie, prompte, ſine Simoniæ labe, aut ulla mercede conventa, vel exactione aliqua indebita, gratis miniſtrentur. (*s*)

IX. Permittimus tamen, ſi quid a ſuſcipientibus Sacramenta ſponte offeratur, ut illud a Curatis vel Clericis, præſertim pauperioribus, & quorum aliqua pars reddituum in hujusmodi obventionibus ſtolæ, ut vocant, ſit, non tantum recipi, verum etiam, quantum de jure licet, pro ſuſtentatione ſufficienti aliquid peti poſſit. (*t*) Ubi etiam populum Chriſtianum in Domino exhortamur, ne bovi trituranti os alligent, (*u*) ſed Chriſtianum ac dignum eſſe cogitent, eos de altari vivere debere, qui altari inſerviunt.

X. Sanctiſſimum Domini noſtri JESU Chriſti Corpus, Aqua Baptiſmi, Sanctum Chriſma & Olea Sacra ſub diligenti & forti cuſtodia atque clauſura, quodlibet in loco ſuo condecenti, & in vaſculis mundis conſerventur & habeantur. (*x*) Claves non penes Ædituos, ſed Curatos, vel eorum ſocios in cura exiſtant, quas non paſſim & coram familia relinquant; ſed vel ſecum, vel domi ſuæ in certo loco occluſas habeant, ne forte (quod abſit) injuria aut prophanatio Sacris Chriſti myſteriis irrogari poſſit.

XI. Sanctum Chriſma & Olea Sacra, quorum in adminiſtrandis Sacramentis eſt uſus, a Nobis & Eccleſia noſtra Conſtantienſi matrice ſingulis annis nova petantur & renoventur, cætera vel in novo igne Sabbati Sancti, vel alio honeſto loco & igne comburantur, & cineres in Sacrarium deponantur. (*y*)

XII. Quod ſi anno nondum abſoluto Sacra Olea ſibi deficere animadverterit Parochus, a Decano ſuo nonnihil Olei Sacri, quo indiget, petat, aut hanc a Canone præſcriptam rationem ineat, ut cum Oleo Sacro non ſacrum, de olivis tamen expreſſum, miſceat. (*z*) Id vero guttatim ita confundat, ut ſemper, quod infunditur, minus ſit oleo conſecrato.

TITULUS VI.

De Baptiſmo.

I.

QUia Baptiſmus fundamentum (*a*) eſt noſtræ ſalutis, per quem ex filiis iræ & diffidentiæ regenera-

(*s*) C. Non ſatis. c. Cum in Eccleſia. c. Apoſtolicam. de Simonia.
(*t*) Per d. c. Ad Apoſtolicam. de Simonia. (*u*) Deut. 25. cap. 1, Corinth. 9.
(*x*) C. 1. de cuſtod. Euchariſt. (*y*) C. Literis. de Conſec. d. 3.
(*z*) Cap. 3. de Conſecrat. d. 3.
(*a*) C. Conveniens. de Presbyt. non baptiz. c. Cum itaque, in fine. de Conſecr. diſt. 4.

mur in filios adoptionis filiorum Dei. Ideo infantes recenter nati ſine aliqua mora, & quam citiſſime fieri poteſt, ad Eccleſiam Parochialem deferantur, & adhibitis prius debitis & conſuetis orationibus, exorciſmis, (*b*) unctionibus (*c*) & cæremoniis in aqua baptiſmali ſanctificata & benedicta a Parochis baptizentur. (*d*)

II. Injungimus vero Parochis & Curatis omnibus ſerio, ut ad baptizandum aliquem infantem vocati ſine mora in Eccleſia compareant, & officio ſuo paſtorali ſatisfaciant. Quod ſi eorum culpa infans aliquis ſine Baptiſmo mortuus fuerit, Nos eos quam ſeveriſſime puniemus, atque etiam pro qualitate culpæ ab officio ſuſpendemus, aut beneficio privabimus.

III. Illuſtrium quoque & Nobilium Virorum infantium recens natorum Baptiſmus, ultra paucos aliquot dies minime differatur, & tunc modo ubi nullum mortis periculum timetur. (*e*)

Infantes omnes publice in Eccleſia, aut ſaltem in Sacello ſive Oratorio aliquo baptizentur. (*f*) Caſum neceſſitatis excipimus, quando ſcilicet propter mortis periculum infans ad Eccleſiam deferri non poteſt, quo caſu & domi & privatim a quolibet homine Chriſtiano Baptiſmus licite adminiſtrari & conferri poterit, (*g*) modo debita materia, quæ eſt aqua naturalis, ſimplex vel ſanctificata, & forma, quæ eſt: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, adhibeantur. Magis tamen convenit etiam in hoc caſu a Sacerdote, vel alio Clerico, ſi adſint, & eorum copia commode ac ſalva honeſtate haberi poſſit, tum a viro, denique a fœmina infantes periclitantes baptizari.

IV. Quod ſi in periculo infans baptizatus ſupervixerit, ad Eccleſiam nihilominus deferatur, & Baptiſmo excepto, reliquæ cæremoniæ propter neceſſitatem omiſſæ ſuppleantur. (*h*)

Examinent vero diligentiſſime Parochi, aut eorum ſocii obſtetrices, vel alios, qui infantem aliquem baptizarunt: An & quomodo, quibus verbis & forma, qua materia & aqua, & cum qua intentione baptizaverint. Quod ſi debitam materiam, formam, & Eccleſiæ intentionem adfuiſſe cognoverint, Baptiſmum minime repetant, ſi neutrum horum adfuerit, aut unum ex illis defuerit, de novo baptizent: ſi probabiliter dubitent, Baptiſmum cum conditione conferant, videlicet: *Si non es baptizatus, ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti.*

V. Moneant etiam Parochi obſtetrices, ut non tantum in baptizandis infantibus periclitantibus cautæ ſint ac circumſpectæ, officiumque piæ & honeſtæ matronæ præſtent, ſed etiam ut pro hujusmodi neceſſitatibus ſingulis annis aquam benedictam, antequam Sacrum Oleum & Chriſma fuerit infuſum, in Sabbatis Paſchæ & Pentecoſtes recipiant, per annum in vaſe mundo conſervent, & ea in baptizando utantur.

VI. Infans expoſitus, licet in collo habeat appenſum teſtimonium, quod baptizatus fuerit, ſi tamen aliunde non conſtet, baptizetur ſub conditione. Quod ſi in teſtimonii ſchedula ſit inſcriptum nomen, quod illi in Baptiſmo impoſitum eſſe aſſeratur, idem nomen ipſi imponatur, & omnia, quæ circa hæc geſta ſunt, in libro baptizandorum diligenter conſcribantur.

VII. Prudenter Sacrum Tridentinum (*i*) Concilium propter pericula & difficultates impedimenti cognationis ſpiritualis & Matrimoniorum conſtituit in Suſceptores ſeu Patrinos baptizandorum unum tantum, vel ad ſummum unum, & unam ſumi debere, quam ſalubrem Conſtitutionem hactenus in Diœceſi noſtra obſervatam etiam de cætero obſervari mandamus. Neque

(*b*) C. Sive parvuli. de Conſecr. diſt. 4.
(*c*) C. 1. §. Quia vero. de Sacra Unctione. c. Deinde. de Conſecr. diſt. 4.
(*d*) C. Conſtat. de Conſecr. d. 4. (*e*) C. Neque. c. Si quis per ignorantiam. 1. q. 1. & de Conſecr. d. 4. c. Quicunque. (*f*) Clem. 1. de Baptiſ. & ejus effectu.
(*g*) C. In neceſſitate. c. Mulier. c. Sanctam. de Conſecr. diſt. 4.
(*h*) Facit cap. Ab antiqua. de Conſecr. diſt. 4. (*i*) Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 2. concordat. cap. Quamvis. de cognat. ſpirit. in 6. c. Non plures. de Conſecrat. d. 4.

que Parochi plures ſub quovis prætextu admittant, niſi malint & noſtram indignationem & condignam pœnam ſuſtinere.

VIII. Viri nobiles, ſi quando plures Patrinos forte pro majori ſolennitate & familiæ ſuæ ſplendore adhibeant, volumus, ut Parochi ex ipſis duos deſignent, qui veri Suſceptores ſint, & cognationem ſpiritualem contrahant, atque in librum baptizandorum a Parochis inſcribantur: Reliqui non item, quos tamen loco teſtium Baptiſmi ſolennitatibus intereſſe non vetamus.

IX. Patrini ſint homines pii atque Catholici, ætatis maturæ, ut ad interrogata apte reſpondere valeant, bonæ vitæ & famæ, in fide Catholica & probatis moribus bene inſtituti, ut filios ſuos ſpirituales in iisdem inſtruere poſſint: id enim ipſorum quam pro infantibus DEO & Eccleſiæ faciunt, ſponſio requirit. (*k*)

X. Et revera ſatius eſſe judicamus eos Patrinos deligere, qui magis infantes in fide & Chriſtiana pietate imbuere, quam donis ac muneribus cumulare queant.

XI. Regulares cujuscunque Ordinis, Moniales item ad ſuſcipiendum infantes ex Sacro Fonte, nec recipiantur, nec admittantur: (*l*) ii enim cum propriam voluntatem non habeant, ſed ex Superiorum ſuorum nutu dependeant pro aliis ſpondere quomodo poſſunt?

Parochi quoque Patrinos officii & ſponſionis ſuæ diligenter admoneant, omniumque baptizandorum, eorundem PARENTUM AC PATRINORUM nomina & cognomina cum annotatione anni, menſis & diei in librum ſpecialiter ad hoc deputatum inſcribant, (*m*) & vel domi ſuæ, vel in aliquo loco Eccleſiæ clauſum cuſtodiant, illumque ſingulis annis Decano ſuo oſtendant, ut in hoc negligentes Nobis, vel Vicario noſtro digna pœna plectendos denunciare poſſit.

XII. Puerperæ exacto puerperio domum cum exierint, mox Eccleſiam Deo acturæ gratias ad benedictionem a Parocho accipiendam, & Miſſæ Sacrificium audiendum accedant. Ubi mos hic laudabilis & antiquus injuria temporum in deſuetudinem abiit, in uſum priſtinum per Parochos cum prudentia & diſcretione revocetur.

XIII. Habeant ſingulæ Eccleſiæ Parochiales & curatæ ſingulos fontes lapideos bene clauſos & munitos, & ubi in una, & eadem Eccleſia diverſæ religiones propter bonum, & pacem publicam tolerari debent, omnino diſtinctos, neque cum hæreticis ullo modo communes, in quibus aqua baptiſmalis benedicta, & Chriſmatis unctione ſanctificata, & ſingulis annis diebus Sabbati, Paſchæ & Pentecoſtes per Parochos ſolenni ritu & cæremoniis renovata, ſumma cum diligentia & munditia ſervetur.

XIV. Moneant diligenter populum Chriſtianum Parochi, ne aquam baptiſmalem ad aliquem prophanum & ſuperſtitioſum uſum accipiat, nec ea aliter, quam ad aſperſionem (*n*) corporum & domorum ad depellendas diabolicas nequitias utatur.

TITULUS VII.

De Sacramento Confirmationis.

I.

CUm in Sacramento Confirmationis homo quaſi adoleſcat & perficiatur in virum, ut ſit plenus atque perfectus Chriſtianus, & ad pugnam, quæ nobis cum Diabolo, mundo & carne perpetua eſt, per Spiritus Sancti gratiam confirmetur: (*o*) Summo ſtudio Parochis & Curatis omnibus enitendum eſt, ne ſibi commiſſorum animæ tam potenti & ſalutari Sancti Spiritus robore defraudentur. Itaque quotiescunque occaſio fuerit, præſertim vero in Feſtivitatibus Pentecoſtes de hujus Sacramenti inſtitutione, præſtantia, ſanctitate, virtutibus & effectu populum ex

(*k*) C. Vos autem omnia. de Conſecr. d. 4.
(*l*) C. Non licet. c. Monachi. de Conſecr. d. 4. c. Placuit 16. q. 1. c. Pervenit 18. q. 1.
(*m*) d. c. 2. Seſſ. 24. de Reform. Matrim. §. Parochus.
(*n*) C. In Sabbato Sanct. de Conſec. d. 4. (*o*) C. Spiritus S. c. Noviſſime. de Conſec. d. 5.

ex concione inſtruant, ſimulque ſeptem dona Spiritus Sancti, quæ in hoc Sacramento conferuntur & accipiuntur, explicent, & populum Chriſtianum ſedulo moneant ad hujus tam præſtantis Sacramenti piam devotamque ſuſceptionem.

II. Ne vero Nos in hac parte (cum ſolus Epiſcopus Confirmationis Sacramentum conferre poſſit)(p) officio noſtro paſtorali deſimus, conferemus hoc Sacramentum vel ipſi, vel per noſtrum Vicarium in Pontificalibus Generalem, in Civitate noſtra Conſtantienſi in feſtivitate Pentecoſtes, & temporibus, quibus in Eccleſia noſtra Cathedrali Ordines Sacri conferri ſolent, videlicet Feria ſexta poſt Dominicam *Invocavit*, feria ſexta poſt Dominicam *Lætare*, die Veneris ſancto, feria ſexta ante Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis infra octavam Pentecoſtes, feria ſexta in angaria Crucis, & feria ſexta in angaria ante Nativitatem Domini.

III. Extra vero civitatem Conſtantienſem in Diœceſi noſtra in omnibus viſitationibus, quibus vel nos, vel noſter in Pontificalibus Vicarius intererit; Item in conſecrationibus & benedictionibus Eccleſiarum, Cœmiteriorum, Altarium & Prælatorum.

IV. Monebimus vero prius Curatos locorum, ubi & quando Sacramentum hoc in Diœceſi adminiſtrare velimus, ut ipſi hoc populo ex cancellis denuntiare, atque ad ſuſcipiendum cohortari poſſint, populus vero ſeſe pie & digne præparare valeat.

V. Ad Confirmationem nullus, qui ad annos diſcretionis pervenit, accedat, niſi prius de peccatis confeſſus. (q) Minores ſeptennio ex multis cauſis non admittimus, (r) niſi Nobis, aut Vicario noſtro in Pontificalibus ſpecialiter cum aliquo, ex cauſa diſpenſandum videatur.

VI. Suſceptores in Sacramento Confirmationis tales ſint, quales ſupra de Baptiſmo deſcripſimus, nec plures, quam unus. (s) Suſceptores vero neque iis quos ſuſceperunt, neque eorum parentibus largiantur aliquid tale, ex quo occaſio Sacramentum hoc iterandi, quod ſæpius commiſſum audivimus, præbeatur.

VII. Quod ut præcaveri & melius etiam de cognatione ſpirituali judicari queat, mandamus Parochis, ut confirmatos & eorum compatres, annum, menſem & diem collatæ Confirmationis, ſervatis cæteris omnibus, quæ de libro Baptizatorum præſcripſimus, in ſpeciali libro, quantum fieri poteſt, inſcribant.

TITULUS VIII.

De Sacramento Euchariſtiæ.

I.

SAcroſancto Euchariſtiæ Sacramento, Corpore & Sanguine Domini ac Redemptoris noſtri JESU CHRISTI, Symbolo maximæ & infinitæ charitatis DEI erga nos, Eccleſia Catholica nihil habet ſublimius, nihil ſanctius, nihil auguſtius: Illud vero cum his calamitoſis temporibus ab Hæreticis paſſim prophanetur, oppugnetur & contemnatur, mandamus ſerio omnium Eccleſiarum Diœceſis noſtræ Rectoribus, Concionatoribus, cæterisque Clericis ſæcularibus & Regularibus quibuscunque, ut ſubditis ſuis & populo Chriſtiano ſæpius quam diligentiſſime explicent, & inculcent, quæ poſt tot clariſſima Sanctorum Patrum & Oecumenicorum Conciliorum teſtimonia noviſſime Sacra Tridentina Synodus (t) de inſtitutione & excellentia, de veritate & reali præſentia Domini noſtri JESU CHRISTI in Sanctiſſima Euchariſtia, de transſubſtantiatione, de adoratione, cultu ac veneratione huic Sanctiſſimo Sacramento exhibenda, & de digna ſumptione & oblatione hujus tanti Sacramenti definivit ac declaravit.

II.

(p) C. Quanto conſ. c. Manus. de Conſecr. d. 5. Conc. Trid. Seſſ. 7. de Confirm. can. 3.
(q) Cap. Et jejuni. de Conſec. d. 5.
(r) Ex Catechiſmo Romano.
(s) C. In Catechiſmo, cum ſeq. de Conſecr. d. 4. per tot. tit. de cognatione ſpirit. in 6. Concil. Trid. Seſſ. 24. de Reform. Matrim. cap. 2.
(t) Seſſ. 13. in Decreto de Sanctiſſimo Euchariſt. c. 1. 2. 3. 4. & 5.

II. Et licet Eccleſia, refrigeſcente charitate ac fervore populi Chriſtiani, ſemel tantum in anno circa feſta Paſchalia Corpus & Sanguinem Domini noſtri a fidelibus, debita præparatione præmiſſa, ſumi debere ſtatuerit; (*u*) Quia tamen vere ſit ſuavis Dominus ſæpius guſtantibus eum, omnes Chriſti fideles & Catholicos Diœceſanos noſtros in Domino hortamur, ut hunc cœleſtem Divinumque panem, immenſum cœleſtium divitiarum theſaurum non ſemel tantum, ſed ſæpius in anno, maxime vero in ſolennioribus Feſtivitatibus ſumant. (*x*).

III. Parochi quoque ad piam & ſalutarem hujus Sacramenti frequentiam ſuos quisque verbo & exemplo publice & privatim incitent atque invitent.

IV. Paſchalis Communio quotannis in Parochiali Eccleſia fiat, (*y*) quam nemo intermittat, differat, aut alibi faciat, ſine noſtra, aut Vicarii noſtri, vel proprii Parochi ſui licentia. Quod ſi quis ex neceſſitate vel alia juſta cauſa a Nobis, vel Vicario noſtro approbata extra Parochiam ſuam communicaverit, de eo Parocho ſuo ſufficientem fidem faciat.

V. Si quis vero Eccleſiæ & noſtrum mandatum omnino contempſerit, & monitus non reſipuerit, is ad nullum aliud etiam Matrimonii Sacramentum admittatur, & vivus a communione fidelium & Eccleſiæ ingreſſu arceatur, & mortuus ſepultura Chriſtiana privetur. (*z*) Parochi etiam talium nomina Nobis, aut Vicario noſtro in ſcriptis deferant, ut competens remedium adhibere, & inobedientes per condignas pœnas, adhibito etiam, ſi opus fuerit, brachii ſæcularis auxilio ad obedientiam & præceptorum Eccleſiæ obſervantiam revocare valeamus.

VI. Nullus ſine prævia Sacramentali confeſſione & abſolutione præſumat ad tremendum hoc Sacramentum accedere, (*a*) ſed probet ſeipſum homo, & ſic de pane illo edat. (*b*) Qui ſecus facere deprehenſus fuerit, contra eum ut ſacrilegum tanti myſterii prophanatorem ſeveriſſime procedemus.

VII. Publici concubinarii, fœneratores, blasphemi, & alii ejusmodi facinoroſi (*c*) homines ſemel, bis, terve ſub ſpe emendationis ad pœnitentiam & Sacram Communionem admiſſi, ſi poſtea eos in eodem luto peccatorum hærere cognitum fuerit, amplius ad Communionem non admittantur, donec eos vitam & mores emendaſſe, Parochi perſpexerint.

VIII. Euchariſtiæ Sacramentum qui ſumunt, cogitent ſe ad Dominum & Deum ſuum accedere, proinde pœnitentiam, animi ſubmiſſionem & debitam devotionem vultu ac habitu demiſſo præſeferant. (*d*)

IX. Miniſtretur Sacra Communio non promiſcue maribus & fœminis ſimul, ſed primo maribus ſeorſim, poſtea fœminis.

X. Euchariſtiam vero eo modo porrigant Parochi fidelibus, qui in Eccleſia Catholica tot jam ſæculis ſemper fuit obſervatus, & a Sacris Conciliis Conſtantienſi, (*e*) Baſileenſi, (*f*) & Tridentino (*g*) publico totius Eccleſiæ Decreto confirmatus, nimirum ut non modo fideles laici, verum etiam Sacerdotes non celebrantes Corpus & Sanguinem Domini, adeoque totum Chriſtum Deum & hominem ſub una panis ſpecie ſumant. Quem communicandi ritum tanto diligentius in Diœceſi noſtra obſervari volumus, quod hoc non obſcuro ſymbolo hodie vere Chriſtiani & Catholici a Sectariis & Hæreticis diſcernantur.

XI.

(*u*) c. Omnis utriusque ſexus. de Pœnit. & Remiſſ.
(*x*) Facit c. Omnis homo. d. & c. Et ſi non frequentius. de Conſecr. diſt. 2.
(*y*) d. c. Omnis utriusque. Concil. Lateran. ſub Innoc. III. can. 21. Concil. Trid. Seſſ. 13. de Sacr. Euchar. can. 9. & Seſſ. 14. de Sacr. Pœnit. c. 5.
(*z*) d. c. Omnis utriusque.
(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 13. de Sacr. Euchar. c. 7.
(*b*) 1. Corinth. 11.
(*c*) Pro dilectione. de Conſecr. d. 2. Sylveſter in verbo: Euchariſtia. 3. n. 7.
(*d*) d. Seſſ. 13. c. 7.
(*e*) Seſſ. 13.
(*f*) Seſſ. 30.
(*g*) Seſſ. 13. de Sacram. Euchar. can. 3. & Seſſ. 21. c. 1. 2. & 3. de Communione ſub utraq.

Digitized by Google

XI. Vinum ablutionis poſt ſacram Communionem non in calice, nec a Sacerdote, ſed vel ab alio Clerico vel honeſto laico ex alterius formæ poculo argenteo, aut deargentato porrigatur, ne rudes & idiotæ, ut aliquando factum fuiſſe intelleximus, Chriſti Sanguinem in eo ſe ſumere credant.

Adoleſcentibus, qui primum communicare voluerint, Euchariſtia non detur, niſi Parocho conſtet illos in Articulis Fidei, Præceptis Eccleſiæ, Oratione Dominica, Salutatione Angelica, decem Præceptis, atque circa Sacramentorum, maxime Baptiſmi, Pœnitentiæ, & Euchariſtæ virtutes & efficaciam eſſe inſtructos: quod idem de puellis primum communicaturis intelligendum volumus.

XII. Communicantes omnes, ii præſertim, qui ſemel tantum in anno communicant, diligenter ex ſuggeſtu, & in confeſſione a Parochis & Confeſſar. admonendi ſunt, cum quanta humilitate & reverentia ad tremendum illud Sacramentum venire debeant, (*b*) & quanta ſupplicia, juxta Apoſtoli Pauli ſententiam (*i*) eos maneant, qui indigne Corpus & Sanguinem Chriſti Domini ſuſcipiunt.

XIII. Ut autem populus, præſertim agreſtis & rudis, cum debita reverentia & honeſtate Sacramentum hoc Corporis & Sanguinis Domini noſtri ſumat, injungimus Parochis & Curatis, ut eundem ante aram flexis genibus procumbentem brevi aliqua exhortatione ad dignam Communionem præparent & inducant, deinde confeſſionem generalem, clara voce germanice pronuncient, dataque generali abſolutione latine, & ter verbis Centurionis etiam germanice pro more repetitis, in ora ſingulorum non ſtantium, ſed in genua procumbentium, cum ſumma reverentia & modeſtia, Sacram Euchariſtiam immittant.

XIV. Et ne forte ex aliqua incuria aut negligentia Sacramento fiat aliqua irreverentia, volumus, ut a duobus piis & modeſtis pueris inter porrigentis Sacerdotis & ſuſcipientium pectora velum aliquod extenſum teneatur.

XV. Curent etiam Parochi diligenter, ut Theſaurum hunc cœleſtium divitiarum cum ea, qua decet, animi & corporis puritate, reverentia & honore diſpenſent, nec quidquam faciant aut intermittant, quod huic tanto Myſterio etiam minimam irreverentiam irrogare queat: itaque in tangendis Sacris Hoſtiis, in gerendo & circumferendo ciborio aut patena, in colligendis & ſumendis micis, etiam minutiſſimis, in ablutione, &c. cauti ſint & circumſpecti. (*k*)

XVI. Denique cum boni Paſtoris ſit noſſe & ſcire numerum ovium ſuarum, (*l*) non pauciores Hoſtias Parochi conſecrent, quam habeant in Parochia ſua communicantes, & ne ex defectu conſecratarum Hoſtiarum aliqui rurſus cum ſcandalo abire, & Communionem differre debeant, ſemper ſupernumerarias aliquot adjiciant & conſecrent Hoſtias.

XVII. Conſuetudo aſſervandi Sacroſanctam Euchariſtiam pro infirmis adeo antiqua eſt, ut eam non tantum ſæculum Nicœni Concilii, verum etiam ipſorum Apoſtolorum agnoverit, (*m*) & noviſſime Tridentinum Concilium, (*n*) tanquam rem ſalutarem ac maxime neceſſariam omnino retinendam ſtatuerit.

XVIII. Tabernaculum, in quo aſſervari debet Venerabile Sacramentum, ſit in loco eminenti, conſpicuo, honorifico, (*o*) non humido aut ſordido, ſed ſicco & mundo, cancellis & repagulis ſepto ac bene munito, vel in ipſo Altari ſecundum morem Romanum, vel in latere ſiniſtro Chori prope Altare, veluti plerumque ab Anteceſſoribus noſtris Germanis non temere obſervatum videmus, pro cujusque loci commoditate. Aſſervetur autem cum

(*b*) Concil. Trid. Seſſ. 13. de Sacr. Euchar. c. 7. Timorem. de Conſecr. d. 2.
(*i*) 1. Cor. 11. (*k*) Tribus gradibus. de Conſecr. diſt. 2. (*l*) Joan. 10.
(*m*) Clemens Epiſt. 2. ad Jacobum Fratrem Domini.
(*n*) Seſſ. 13. de Sacr. Euchar. cap. 6. & can. 7. c. De cuſtod. Euchar. c. Sane. de celebr. Miſſ.
(*o*) C. Sane. de celebr. Miſſ. cap. 1. de cuſtod. Euchariſt.

cum decenti honore & ornatu, vaſculum ſive capſa, ubi fabricæ ſunt ditiores, ſit integra ex argento; ubi pauperiores, ſaltem deargentata vel deaurata, quæ ab extra pallio aureo, argenteo holoſerico aut ſerico, pro cujusque loci qualitate veſtiatur.

XIX. Hoſtiæ conſecratæ pro morientium viatico & aliis neceſſitatibus tot reſerventur, quot Parochus ſufficere exiſtimaverit. Renoventur ſingulis menſibus bis aut minimum ſemel, veteribus in Communione Miſſæ ſumptis.

Quod ſi ex negligentia alicujus Sacerdotis Hoſtiæ omnes, aut aliquæ (quod ne fiat, ſeveriſſime prohibemus, & cum a quopiam factum fuerit, graviſſimis pœnis vindicabimus) computreſcerent, vermes, ſi qui nati ſunt, comburantur, & cineres in Sacrarium Eccleſiæ projiciantur; Hoſtiæ vero, & earum partes, quæ adhuc ſunt integræ, a Sacerdote ſumantur, niſi ei horrorem & ſtomachum moverent, tunc enim in vaſe aliquo peculiari, donec omnino corrumpantur, in Tabernaculo cum reverentia reponi, & poſtquam corruptæ fuerint, ſimiliter comburi, & cineres in Sacrarium projici volumus.

XX. Ardeat coram Tabernaculo, in quo Venerabile Sacramentum aſſervatur, ſumptibus fabricæ, vel alterius, qui ad id obligatur, perpetuo noctes atque dies lampas, quæ, ſi extinguatur, rurſus accendatur & conſervetur. Quod licet Ædituorum munus ſit, Parochis tamen incumbit Ædituos negligentes ſui officii commonere.

XXI. Sanctiſſima Euchariſtia ad ægrotos ſumma cum religione a Sacerdote, ſuperpelliceo & ſtola induto, cum lumine & campanula, qua fidelibus ſignum detur, deferatur. (p) Ubi laudabilis viget conſuetudo, cum majori ſolennitate, videlicet cum pueris in habitu chorali vexilla & lumina portantibus atque cantantibus, cum vicinorum, & aliorum Chriſti fidelium comitatu, aliisque piis & devotis cæremoniis Sacrum Viaticum ad ægrotos deferri, volumus, ut conſuetudo hujusmodi in illis locis, ubi eſt, non tantum in poſterum obſervetur, ſed etiam vehementer deſideramus ad promovendum & augendum cultum tanti Sacramenti, ut talis mos etiam alibi, ubi nondum inſtitutus eſt, introducatur.

XXII. Deferant autem Parochi, vel Curati ad minimum duas particulas ad infirmum, ne eis ad Eccleſiam redeuntibus populus vacuum vaſculum adoret. Quod ſi ex negligentia vel inadvertentia (quam omnino ſub gravi pœna cavendam eſſe mandamus) vel aliqua legitima cauſa, ut quod plures providendi fuerint, Parochi ſine Sacra Hoſtia ad Eccleſiam redire debeant, fiat illud ſine lumine, ſine cantu, ſine pulſu campanulæ, neque ciborium, uti alias fieri debet, alte portetur, ſed in ſilentio & cum modeſtia ad Eccleſiam revertantur, ut cognoſcere poſſit populus, non adeſſe ibi, quem debeat adorare.

XXIII. Nullus quoque Curatorum ſacram Communionem, quantacunque atrocitate peſtis, aut alius gravis morbus ſæviat, nullaque alia de cauſa laico aut fœminæ ad infirmum deferendam tradat, ſed per ſe ipſum illud oneris ſubeat, quemadmodum ex debito officii & muneris ſui paſtoralis tenetur.

XXIV. Ubi propter locorum diſtantiam aut viæ incommoditatem Parochi Sacrum Viaticum ad infirmos equitando portare debent, curent diligenter, ut Sacræ Hoſtiæ in loculo, quem ex collo bene clauſum, & cum forti ligatura geſtabunt, ita ſint compoſitæ & incluſæ, ne ex agitatione equi in fruſta vel concidant, vel comminuantur, aut Venerabili Sacramento aliqua alia irreverentia contingat.

XXV. Quando grandines, turbines, aliæve tempeſtates imminent, aut magnum aliquod incendium exſurgit, Parochi, Curati, vel alii Clerici, ſive ſæculares, ſive Regulares ad arcendam tempeſtatis procellam aut incendium, Venerabile Sacramentum extra Tabernaculum non exponant, neque cum eo in Eccleſiarum portis vel cœmiteriis aut apud incendium preces aliquas & cæremonias faciant, ſed relicto eo in loco

(p) C. Sane. §. Quam. de celebr. Miſſ.

loco ſuo, ante illud Litanias aut alias preces, ejus rei cauſa inſtitutas, pie ac devote pronuntient.

XXVI. Morem illum, quo plerique Parochi in rure exiſtentes ex antiqua conſuetudine, quæ ſine ſcandalo tolli non poteſt, agros cum Sacroſancta Euchariſtia loculo incluſa, & ex collo dependente obequitare ſolent, non omnino quidem improbamus, volumus tamen, ut cum tali reverentia ac devotione fiat, ne per hujusmodi obequitationem potius Deus offendatur, quam placetur, & ne ruſtici, dum ſegetum incrementa ſperant, propter irreverentiam Sacramento factam ſterilitatem magis ſentiant. Parochi vero quamprimum agros cum conſuetis piis ac laudabilibus cæremoniis obequitaverunt, ſtatim ſine ulla interpoſita mora cum Venerabili Sacramento ad Eccleſiam revertantur, illudque decenter in locum ſuum reponant.

XXVII. Denique habeatur in ſingulis Eccleſiis parochialibus Monſtrantia, ut vocant, argentea, aut deargentata pro ratione reddituum fabricæ, in qua Venerabile Corpus Chriſti in ejusdem ſolennitate annua & per octavam in majori forma ponatur, populo Chriſtiano ſolenniter ad adorandum demonſtretur, (q) & ſolennibus proceſſionibus pro tanti Sacramenti reverentia honoretur.

XXVIII. Aliæ proceſſiones cum Venerabili Sacramento in Monſtrantia expoſito extra Eccleſiam ſine Noſtra, aut Vicarii noſtri Generalis licentia non fiant, niſi ubi antehac auctoritate Pontificia vel Ordinaria inſtitutæ eſſent, quibus per hanc noſtram ordinationem nihil derogatum eſſe volumus.

XXIX. Oratio quadraginta horarum, ſi quando ex gravibus cauſis inſtituatur, fiat coram Venerabili Sacramento in Monſtrantia expoſito, & in altari aliquo decenter ornato, collocato. In proceſſionibus vero, quæ tunc fiunt, Sacra Euchariſtia extra ambitum templi non deferatur.

TITULUS IX.

De Sacrificio Miſſæ, & celebratione Miſſarum.

I.

CHriſtus Dominus in ultima Cœna Sacrificium Miſſæ inſtituit, ut fideles munus aliquod haberent, quod DEO Patri pro variis beneficiis ac donis, & in remiſſionem peccatorum offerre poſſent. (r) Miſſa igitur eſt Sacrificium DEO gratiſſimum, in quo Filius unice dilectus Dominus ac Redemptor noſter JESUS CHRISTUS, qui in ara Crucis ſeipſum cruente obtulit, DEO Patri ſuo incruente offertur & immolatur. Quare quanta maxima fieri poteſt interiori cordis munditia & puritate, atque exteriori devotione, pietate, humilitate ac reverentia Sacerdotes munus hoc Sacroſanctum, vere propitiatorium pro peccatis noſtris offerant, tractent, atque abſolvant. (s) Et quia paſſim ab hæreticis hujus noſtri calamitoſi ſæculi tremendum hoc Sacrificium illuditur & contemnitur, nobis tanquam piis Catholicis & obedientibus Eccleſiæ filiis, e contrario ſummo ſtudio enitendum eſt, ut non tantum ea, qua decet reverentia, Sacrificium hoc pie atque devote colamus, verum etiam quotidie Deo Patri pro peccatis noſtris & totius populi Chriſtiani hoſtiam placationis offeramus.

II. Præcipit Sacra Tridentina Synodus, ut quæcunque in Miſſæ celebrationem irrepſerunt a tanti Sacrificii dignitate aliena, ea Epiſcopi tollere ſedulo ſtudeant. Quamobrem Nos ejusdem Concilii Decretum exequentes, ut Sanctiſſimum Miſſæ Sacrificium ſingulari religione ac pietate a Sacerdotibus celebretur, & a populo Chriſtiano colatur, ſequentia ſtatuimus.

III. Miſſæ omnes, tam publicæ, quam privatæ, juxta ritum, cæremonias, & rubricas Miſſalis noſtri Conſtantienſis ad Sanctæ Romanæ Eccleſiæ uſum accommodati, ac reformati in Eccleſiis, Capellis, aut Oratoriis Epiſcopali conſecratio-

(q) Concil. Trid. Seſſ. 13. in Decreto de Sanctiſ. Euchariſt. Sacr. cap. 5.
(r) Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 2. de Sacrificio Miſſæ.
(s) d. Seſſ. 22. c. 2. & in Decreto de obſervandis & evitandis in celebratione Miſſæ.

Digitized by Google

cratione dedicatis, dicantur & legantur. (*t*) Sub dio in ara portatili in privatis Oratoriis aut ædibus nemo celebret ſine noſtra licentia ſpeciali in ſcriptis obtenta. (*u*)

IV. Utantur Sacerdotes in Miſſa veſtibus tempori & officio convenientibus, ejusdem non diſparis coloris, ab Epiſcopo benedictis. (*x*)

V. Cooperto capite nullus celebret. Quod ſi legitima cauſa ſubſiſtat, conſulatur prius Vicarius noſter, & privatim fiat.

VI. Miſſæ nec nimis prolixe, nec nimis feſtinanter, neque memoriter, ſed ex libro Miſſali legantur. Omnes peregrinos & ſingulares geſtus, indecoros capitis, oris, manuum & reliqui corporis motus etiam ex devotione factos, in Miſſa prohibemus ſerio, (*y*) & ut Sacerdotes omnes ſe uſui ac cæremoniis Romanæ & noſtræ Eccleſiæ conforment, præcipimus.

VII. In peccato mortali nullus unquam celebrare præſumat, ſed prius Sacramentaliter confiteatur. (*z*) Si quis copiam Confeſſarii habere non poſſit, & celebrare ex officio teneatur, cum contritione & propoſito ſtatim confitendi habita Confeſſarii copia, celebrare poterit.

VIII. Sacerdotes, qui quotidie fere ebrii ac temulenti, aut alioqui publice criminoſi ſunt, a Miſſarum celebratione a Prælatis, Decanis & Parochis arceantur, niſi emendata vita ſceleris maculam eluerint, incorrigibiles vero Vicario, & Fiſcali noſtro deferantur.

IX. In Miſſa Canon uterque tacite recitetur, (*a*) cætera voce clariore dicantur (*b*) diſtincte, graviter & religioſe Symbolum Fidei, Præfatio & Oratio Dominica, & cætera ſine aliqua abruptione integre vel legantur, vel cantentur. Quando in Eccleſiis duo Officia cantantur, unum poſt aliud, utrumque integre abſolvatur.

X. In Eccleſia noſtra Cathedrali, cæterisque Eccleſiis Collegiatis, Sæcularibus & Regularibus, Parochialibus item oppidorum & pagorum habeant ſemper Celebrantes omnes Miniſtrum, qui ipſis in Miſſa inſerviat, & reſpondeat, (*c*) qui, Sacerdote rem Divinam faciente, per Eccleſiam non vagetur, nec det confabulationibus aut aliis rebus impertinentibus operam, ſed compoſito corpore & moribus Celebranti aſſiſtat, & apud eundem uſque ad finem Sacrificii permaneat.

XI. Miſſæ nec ante auroram, nec poſt meridiem, niſi ex cauſa jure permiſſa, nec etiam ſub concione celebrentur. (*d*)

XII. Diebus Dominicis & Feſtivis Miſſa ſolennis propter mortuorum exequias pro defunctis non dicatur, uti hactenus in rure paſſim factum fuiſſe intelleximus, ſed in alium diem exequiæ vel differantur, vel ſi propter populum exequiæ celebrari debent, Miſſa de Dominica aut Feſto cum Collecta pro anima defuncti legatur. Ubi vero plures Sacerdotes in aliquo loco ſunt, propter populi commoditatem permittimus, ut excepta Miſſa ſolenni aliæ Miſſæ pro defunctis celebrentur. Sed & hoc caſu ſatius eſſet hujusmodi exequias in alium diem differre, quem uſum paulatim Parochi cum diſcretione introducere facile poſſunt.

XIII. Celebrantes pileum, chirothecas, claves aut ſimilia in Altari non ponant, ſed ea vel in Sacriſtia, vel penes Altare relinquant. Videant etiam (*e*) diligenter ipſi per ſe, & per Miniſtros, ne forte aliquid Altarium mappis, ſuper quo deberent celebrare, ad faciendam ſuperſtitionem ſit ſuppoſitum, quale ſi deprehenderint, quidquid ſit, abjiciant, ſuppoſitores in-

(*t*) d. Decreto de obſerv. & evitand. in celebr. Miſſæ. c. 1. c. Sicut. de Conſecr. diſt. 1.
(*u*) d. Decreto. c. Miſſarum. c. Unicuique. de Conſecr. d. 1. c. Clericos. de Conſec. d. 1.
(*x*) C. Veſtimenta. de Conſecr. d. 1. c. Eccleſiaſtica. d. 23. (*y*) Ex d. Decreto.
(*z*) Concil. Trid. Seſſ. 13. de Sacr. Euchar. c. 7. & can. 9.
(*a*) Concil. Trid. Seſſ. 22. c. 5. can. 9. (*b*) d. c. 5.
(*c*) C. 11. c. Illud. de Conſecr. diſt. 1. facit c. Hoc quoque. de Conſecr. d. 1.
(*d*) Ex Synodo Provinc. Mogunt. Anno 1549. celebrata.
(*e*) d. Seſſ. 22. in Decreto de obſerv. & evitand. in celebrat. Miſſ.

quirant, & Nobis, vel Vicario noſtro eorum nomina in ſcriptis deferant.

XIV. Horæ celebrandarum Miſſarum in ſingulis Decanatibus, oppidis & pagis hiberno & æſtivo tempore ita inſtituantur, ne, uti hactenus factum eſt, in dies mutentur, varientur, & in alicujus Magiſtratus gratiam vel anticipentur, vel differantur; ſicque populus nullum ad Sacra conveniendi certum tempus habeat.

XV. In Eccleſiis, ubi plures Miſſæ vel ex laudabili conſuetudine, vel ex fundatione celebrari debent, pro commoditate populi ita diſponantur, ut omnium devotioni & obligationi ſatisfieri poſſit.

XVI. Circa elevationem Sacræ Hoſtiæ nihil cantetur, ſed præſentia Dominici Corporis & Sanguinis in altiſſimo ſilentio conſideretur : elevato calice, ſi muſice cantandum fuerit, id devote & ſubmiſſa voce fiat.

XVII. Ubi hactenus uſus fuit, quod ad elevationem Corporis & Sanguinis Domini noſtri, majori, vel alia campana pulſetur, etiam impoſterum ſervetur, ubi non fuit, introducatur.

XVIII. Sacerdotes ſacris veſtibus induti, ſive in Sacriſtia exiſtant, ſive non, cum nemine confabulentur, ſed potius orantes ſe colligant, & mentem in cogitatione tanti myſterii defigant. Antequam ad Altare accedant, Miſſam quærant, perlegant, & ſingulas partes ita notent, ut Celebrantes neque errent, neque hæreant.

XIX. Primæ Miſſæ Sacerdotum nuper ordinatorum (Primitias vocant) ſine ſæculari & externa pompa, ſine fœminis, ſine virginibus & ſponſa celebrentur; (*f*) nefas enim eſt & indignum valde Sacerdotes Chriſti eo die, quo primum tremendi Sacrificii auſpicium faciunt, rebus prophanis & ludicris operam dare. Viros aliquot honeſtos & ex fœminis matrem, ſorores & in ſecundo gradu conjunctas, reliquis omnibus excluſis, ad Primitias & frugale convivium invitari ita permittimus, ſi omnis luxus, (*g*) ebrietates, comeſſationes & choreæ evitentur. Contra delinquentes Sacerdotes Vicarius noſter, carcere, aut alia pœna procedat.

XX. Pacta & conditiones mercedum pro celebrandis Miſſis ſub graviſſimis pœnis ſerio interdicimus. (*b*) Si quid vel offertur vel accipitur, ſine pacto fiat, nec pro re ſpirituali, quæ pretio æſtimari nec poteſt, nec debet, ſed pro labore, qui res temporalis eſt, detur & accipiatur.

XXI. Ubi numerus Miſſarum ita magnus eſt, (*i*) ut juxta Fundatoris diſpoſitionem dici non poſſint, aut eleemoſynæ, & reditus ita tenues ſunt, ut oneri ferendo non ſufficiant, Nobis, Vicario, & Conſiliariis noſtris Eccleſiaſticis ſpecifice cum omnibus ſuis circumſtantiis referatur, ut, quid ad Dei gloriam fieri debeat, mature ſtatuere ac declarare poſſimus.

XXII. Miſſæ plures poſthac non recipiantur, quam quæ commode juxta Fundatoris mentem fieri poſſunt.

XXIII. Parochi & Concionatores ſæpius populum, quid in Sacro Miſſæ Officio tractetur, ſingulas ejus partes explicando inſtruant, (*k*) præterea diligenter moneant Parochianos ſuos, ne ſub reatu peccati mortalis Miſſam diebus Dominicis & Feſtivis omittant ; (*l*) Et ut patres, matresque familias, liberos, famulos & ancillas ſuas talibus diebus ita occupent, ut tamen Miſſam & concionem audire poſſint.

TITULUS X.

De Pœnitentia.

I.

QUoniam ſenſus & cogitationes noſtræ ad malum pronæ ſunt ab adoleſcentia, (*m*) facile primam noſtram innocentiam in Baptiſmo acceptam, veſtem illam candidam & ſtolam jucun-

(*f*) Concil. Trid. Seſſ. 22. de Reform. c. 1. & Seſſ. 14. de Reform. c. 2.
(*g*) Ex Synod. Mogunt. Anno 1549. celebrata.
(*b*) Seſſ. 22. in Decreto de obſerv. & evit. 1. in celebratione Miſſæ.
(*i*) Concil. Trid. Seſſ. 25. de Refor. c. 4. (*k*) Concil. Trid. Seſſ. 22. de Sacr. Miſſæ. c. 8.
(*l*) C. Miſſas. & c. Cum ad celebrandas. de Conſecr. d. 1. (*m*) Geneſ. 8.

Digitized by Google

jucunditatis amittimus, ut proinde ad ſalutem noſtram omnino neceſſaria fuerit Sacramenti hujus a Chriſto Domino inſtitutio, (*n*) videlicet ſecunda poſt naufragium tabula, (*o*) in qua nobis peccatorum noſtrorum veniam conſequi & amiſſam gratiam recuperare liceret. Itaque doceant Parochi & Concionatores diligenter populum, quam ſit neceſſaria pœnitentia, quæ ſint ejus partes, quomodo item inſtituenda & facienda ſit: quæ tum ex Tridentino Concilio (*p*) & Catechiſmo Romano, tum ex aliis probatis Catholicis Authoribus de hac re ex profeſſo tractantibus petere poſſunt.

II. Cum Concilium Tridentinum (*q*) declaret de peccatis mortalibus eſſe conſitendum omnibus ſacram Communionem ſive in Sacrificio Miſſæ, ſive extra percepturis, hoc ipſum a Sacerdotibus celebrantibus, ſi reatum peccati mortalis habeant, fieri præcipimus. Quod ut etiam in aliorum quorumvis Sacramentorum adminiſtratione faciant, aut ſaltem per formalem contritionem ſe in Divina gratia conſtituant, ſerio adhortamur.

III. Ut autem Sacerdotes & Clerici Diœceſis noſtræ Sancta ſanctius pertractent, præſentis Statuti tenore eis injungimus, ut Sacerdotes minimum ſingulis quatuordecim diebus, cæteri vero in majoribus & minoribus conſtituti Clerici ſingulis menſibus de peccatis ſuis confeſſionem inſtituant. Contravenientes graviſſime puniemus.

IV. Laici licet non niſi ſemel in anno ex Eccleſiæ præcepto ad confeſſionem Sacramentalem proprio Parocho ſuo, aut alteri Sacerdoti poteſtatem habenti de ſui Parochi licentia faciendam obligentur. (*r*) Quia tamen per annum ſæpius & quidem aliquando graviſſime in peccata labuntur, eos in Domino vehementer adhortamur, ne in tanto ſalutis animarum ſuarum diſcrimine verſentur, ſed ſalutare pœnitentiæ remedium ſtatim & ſæpius, præſertim vero in majoribus Eccleſiæ feſtivitatibus recipiant. Parochi quoque populum ſibi creditum ad frequentem peccatorum ſuorum Exomologeſin adhortentur. Ipſi vero ſemper parati ac prompti ſint ad ſubditorum ſuorum quocunque tempore confeſſiones excipiendas.

V. Ubi conſuetudo fuit hactenus, ut bis in Quadrageſima ſemel poſt illius initium, deinde cum ad ſacram Communionem erit accedendum, confeſſio fiat, illam uti laudabilem & maxime neceſſariam quoad illos, qui per totum annum confeſſionem ſuam in hoc tempus differunt, etiam impoſterum obſervari volumus.

VI. Prægnantes, periculoſe ægrotantes, & alii in probabili vitæ diſcrimine conſtituti in tempore confeſſionem faciant, & contra peccata ſua ſeſe tam ſalutari ac neceſſario remedio muniant, ne in ultimum uſque diem differant, nec. præoccupati una cum corpore etiam animæ jacturam faciant. Negligentes a Parochis ſuis officii & ſalutis ſuæ moneantur.

VII. Admonemus etiam Medicos, (*s*) ut ad infirmos vocati, ipſos ante omnia moneant & inducant, ut prius Medicos vocent animarum, ut, poſtea quam fuerit ægrotanti de ſpirituali ſalute proviſum, ad corporalis medicinæ remedium ſalubrius procedere poſſint.

VIII. Nec infirmis ſolum, ſed etiam ultore gladio morituris, & ultimo damnatis ſupplicio, Pœnitentiæ Sacramentum non tantum negari non debet, (*t*) ſed etiam a Nobis cenſuris Eccleſiaſticis coercendi venient ii, (*u*) qui, quominus damnati id conſequantur, adverſantur. Quod ipſum & de Sacra Euchariſtia intelligi volumus, dummodo ipſo die ſupplicii propter tanti Sacramenti reverentiam non præbeatur.

IX.

(*n*) Joan. 20. & Matth. 26. c. Ut conſtitueretur. d. 50. (*o*) C. Secunda. de Pœnit. d. 1.
(*p*) Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. (*q*) Seſſ. 13. de Sacram. Euchar. cap. 7.
(*r*) C. Omnis utriusque. de Pœnit. & Remiſſ. Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacram. Pœnit. c. 5.
(*s*) C. Cum infirmitas. de Pœnit. & Remiſſ. Bulla Pii V. quæ incipit: *Supra gregem. Sub dato Romæ 8. Martii Anno 1566.*
(*t*) Clem. 1. de Pœnit. & Remiſſ. c. 2. de furtis. c. antepenult. 13. q. 2.
(*u*) C. Quærenti. de verb. ſignif.

IX. Ad Sacramentum vero Pœnitentiæ nemo ſine debita præparatione & prævio diligenti examine accedat, ſed in ſpiritu humilitatis & in amaritudine animæ ſuæ quilibet peccata ſua non in genere, vel aliqua ſaltem & leviora, ut multorum magnus eſt & ſacrilegus abuſus, ſed omnia & ſingula quantumcunque gravia & qualiacunque ſint, in ſpecie (*x*) cum debitis circumſtantiis, non expectata Confeſſarii interrogatione recenſeat. Ubi etiam illud nominatim admonemus, ut confitentes ad debitam peccatorum deteſtationem & dolorem, vitæque emendandæ verum propoſitum a Confeſſariis dirigantur.

TITULUS XI.

De Confeſſariis & Caſibus reſervatis.

I.

QUoniam natura & ratio judicii expoſcit, ut ſententia in ſubditos duntaxat feratur, nullius momenti eſt ea abſolutio, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam aut ſubdelegatam non habet jurisdictionem: (*y*) nam licet Presbyteri in ſua ordinatione a peccatis abſolvendi poteſtatem accipiant; nullus tamen confeſſiones audire poteſt, niſi ab Epiſcopo loci per examen approbatus licentiam confeſſiones audiendi, & ſic ad poteſtatem Ordinis etiam poteſtatem Jurisdictionis acceperit. (*z*)

II. Itaque in Epiſcopatu & Diœceſi noſtra nullus ſive Clericus ſæcularis, ſive Regularis, cujuscunque Ordinis, non obſtantibus privilegiis & conſuetudine quacunque etiam immemoriali, confeſſiones ſive Sæcularium & Laicorum, ſive Sacerdotum & Clericorum audiat, niſi prius a Nobis, aut Vicario noſtro Generali idoneus repertus & approbatus fuerit. (*a*) Excipimus hunc ſolum caſum, quando quis in articulo mortis eſt conſtitutus & approbatus Confeſſarius haberi non poteſt: tunc enim quilibet Sacerdos ſæcularis & Regularis ab omnibus & quibuscunque peccatis & cenſuris, etiam Sedi Apoſtolicæ & Nobis reſervatis, in foro conſcientiæ abſolvere poteſt. (*b*) Proinde ſerio injungimus Parochis, eorum Sociis in Divinis, aliisque Curatis quibuscunque, ut quamprimum Beneficium aliquod Parochiale vel Curatum, ſive Coadjutorium acceperint, coram Nobis, aut Vicario noſtro ſe ſe ad examen curæ animarum ſiſtant, nec prius ſe quoad confeſſiones excipiendas ingerant, quam legitime fuerint approbati.

III. Mendicantium vero & quorumvis Religioſorum privilegiatorum Superiores hortamur, ut in deſignandis Confeſſariis majoris eruditionis & prudentiæ, quam ab aliquibus hactenus factum fuit, rationem habeant, ne Nos eorum approbationem juxta mentem Sacri Tridentini Concilii noſtro arbitrio ſubjicere cogamur.

IV. Parochi, & cæteri omnes, ſive Sæculares, ſive Regulares, qui confeſſionibus ſunt præficiendi, viri ſint integri, quantum fieri poteſt, ætate, aut ſaltem moribus maturi, nullo crimine publice diffamati, non ebrioſi, non leves, non ad quæſtum intenti, neque exploratores nimium curioſi, ſed prudentes, patientes, modeſti, de animarum ſalute ſoliciti, ut inter lepram & non lepram diſcernere ſciant, ne, dum intricatas confitentium conſcientias extricare ignorant, ſe ipſos & illos perdant, juxta illud: (*c*) Cæcus cæcum ducit, & ambo in foveam cadunt.

V. Confeſſarii Canones pœnitentiales bene noverint, & de pœnitentia, quam cuique peccato præſcripſerunt, confitentes admoneant, ut tanto diligentius a peccatis cavere ſtudeant, quanto in pœnitentiis Canonum mitigandis benigniorem in ſe Eccleſiam experiuntur.

VI. Et ut ſcientiam & doctrinam ſufficientem habere poſſint, quæ in adminiſtrando hoc Sacramento Pœnitentiæ maxime eſt neceſſaria, legant ſæpius quilibet pro ſuo captu & ingenio Auctores doctos, pios & probatos, qui de confeſſione ſcripſerunt.

VII.

(*x*) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacr. Pœnit. c. 5.
(*z*) Idem Conc. Seſſ. 23. de Reform. c. 15.
(*b*) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacr. Pœnit. c. 7.
(*y*) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacr. Pœn. c. 7.
(*a*) d. Seſſ. & cap.
(*c*) Matth. 15.

VII. Sacerdotes in privatis domibus & cubiculis confeſſiones mulierum, niſi ægrotarum, non audiant, ſed publice in Eccleſia, atque ibi non in Sacriſtia, ſed alio loco aperto & commodo.

VIII. Caveant Confeſſarii, maxime vero ii, quibus audiendarum confeſſionum munus ex officio & cura Parochiali incumbit, ne iis temporibus, quibus confeſſiones frequentiores eſſe ſolent, aliis negotiis occupentur, ſed in Eccleſia in ſede confeſſionali frequentes ſedeant, nec ullo modo munus audiendæ confeſſionis ſine urgenti ac neceſſaria cauſa prætermittant, differant, aut in alios rudiores Sacerdotes rejiciant.

IX. In injungendis & imponendis pœnitentiis ſint prudentes & diſcreti. (*d*) Injungant pœnitentias pro modo & qualitate peccatorum non nimium magnas ac graves, nec nimium parvas aut faciles, multoque melius ac pœnitentibus ſalutarius eſſe ducimus, ſi impoſitio pœnitentiæ non in multos dies aut hebdomadas, ut a multis indiſcrete fieri intelleximus, protrahatur.

X. Curent omnino Confeſſarii omnes & ſinguli, ne verbo, ſigno, aut quovis alio modo confitentem de peccato ſibi confeſſo, etiam minimo & veniali tantum prodant. Quod ſi contra hanc juris (*e*) & noſtram ſeveriſſimam prohibitionem quis in pœnitentiali Judicio peccatum ſibi detectum temere quocunque modo revelare auſus fuerit, talem Nos non ſolum absque ulla gratia a Sacerdotali officio deponemus, verum etiam ad agendam pœnitentiam ad perpetuos carceres condemnabimus, vel ad triremes relegabimus.

XI. Magnopere ad Chriſtiani populi diſciplinam pertinere Eccleſiæ ſemper viſum fuit, ut atrociora quædam & graviora crimina non a quibusvis, ſed a ſummis duntaxat Sacerdotibus abſolverentur, (*f*) unde merito Pontifex Maximus pro ſuprema poteſtate ſibi in Eccleſia univerſa tradita, cauſas aliquot criminum graviorum ſui peculiari judicio reſervavit.

XII. Quod idem Epiſcopi omnes (*g*) in ſua quisque Diœceſi pro tradita ſibi in ſubditos, & Diœceſanos ſuos ſupra reliquos inferiores Sacerdotes auctoritate, in ædificationem tamen, non in deſtructionem facere poſſunt.

XIII. Quare diligenter animadvertant Confeſſarii, ne quem ab his criminibus & peccatis abſolvendo liberare tentent, quorum abſolutio aut Romano Pontifici, aut Nobis eſt reſervata: ſed hujusmodi delinquentes juxta Sacrorum Conciliorum Decreta ad ſuperiores & legitimos Judices pro abſolutionis beneficio (articulo mortis tantum excepto) remittant. (*h*)

XIV. Caſus Domino Apoſtolico reſervati apud plerosque de materia confeſſionis & caſibus conſcientiæ tractantes authores reperiuntur, ad quos Parochos & Confeſſarios brevitatis cauſa remittimus, ut inde ſcire, & cognoſcere poſſint, quid ipſis abſolvendum, & quid ad Superiores remittendum ſit.

XV. In his tamen & cæteris omnibus caſibus Sedi Apoſtolicæ reſervatis, ſi occulti ſint, (*i*) Nos, & Vicarius noſter, ex Sacri Tridentini Concilii Conſtitutione abſolvere poſſumus. Quod idem in hæreſis crimine Nobis, non Vicario noſtro permiſſum eſt. Quia vero hujus noſtri temporis multæ ſunt variæque calamitates ac hæreſes, curabimus, ut a Sanctiſſimo Domino noſtro circa hujusmodi caſus Sanctæ Sedi reſervatos, maxime quoad hæreſis crimen, ampliores facultates impetremus.

XVI. Caſus hactenus ab Anteceſſoribus noſtris Epiſcopis de jure & conſuetudine reſervati, quos etiam præſentium tenore Nos reſervamus, ſunt ſequentes:

Caſus reſervati Clericorum.

Fornicatio cum filia confeſſionis.

Reve-

(*d*) Concil. Trid. Seſſ. 14. de Sacr. Pœn. c. 8. c. Deus qui Eccleſiam. de Pœnit. & Remiſſ.
(*e*) C. Omnis utriusque. de Pœnit. & Rem.
(*f*) Conc. Trid. Seſſ. 14. de Sacr. Pœn. c. 7.
(*g*) d. Seſſ. c. 7. & can. 11. c. Si Epiſcopus. de Pœnit. & Rem. in 6.
(*h*) d. c. 7. Seſſ. 14.
(*i*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. cap. 6.

Revelatio confeſſionis.

Celebratio in Eccleſia interdicta in altari non conſecrato ſcienter: in altari portatili ſine ſacris veſtibus, & a Sacerdote non jejuno.

Reordinatio ſcienter ſuſcepta.

Item celebratio aut miniſtratio non ordinati.

Diœceſanus, qui ad Sacros Ordines per alium Epiſcopum ſine noſtra licentia aut furtive, aut per ſaltum, vel extra ſtatuta tempora & ante legitimam cujusque ſacri Ordinis ætatem promotus eſt.

In cenſuris Eccleſiaſticis Ordinem ſacrum ſuſcipiens.

Scienter ſepeliens corpus excommunicati in Eccleſia vel cœmiterio, vel etiam non excommunicati tempore interdicti.

Caſus reſervati Laicorum.

Matrimonium conjuge adhuc vivente ſcienter contrahens.

Matrimonium contrahens, antequam certificaretur de morte prioris conjugis.

Matrimonium clandeſtine non ſervata forma Sacri Tridentini Concilii contrahens.

Sponſalia de futuro contrahens nec obſervans.

Machinatio in mortem conjugis, ſi mors ſequatur.

Baptizatio propriæ prolis excepto caſu urgentis neceſſitatis, vel ejusdem in Baptiſmo & Confirmatione ſuſceptio.

Caſus reſervati Clericis & Laicis communes.

Homicidium voluntarium facto, præcepto, conſilio vel conſenſu deliberato commiſſum.

Procuratio abortus vel ſterilitatis.

Incendium Eccleſiarum, domorum aut ſegetum malitioſe & ex propoſito factum.

Sacrilegium ſeu furtum ſacræ rei.

Peccatum beſtialitatis cum brutis commiſſum.

Coitus cum infideli vel Judæo.

Commixtio carnalis cum Sanctimonialibus.

Inceſtus cum conſanguineis & affinibus uſque ad ſecundum gradum incluſive.

Adulterium.

Raptus.

Perjurium in judicio factum.

Pollutio Eccleſiæ vel cœmiterii ſanguinis aut ſeminis effuſione.

Immunitatis & libertatis Eccleſiaſticæ violatio.

Falſificatio literarum noſtrarum & Curiæ noſtræ vel monetæ.

Percuſſio parentum enormis.

Abuſus Sacramentorum & ſacrarum rerum ad magicas artes, veneficia & ſuperſtitiones.

Rebaptizatio ſcienter collata & ſuſcepta.

Reconfirmatio ſcienter collata & ſuſcepta.

Injectio manuum violentarum in Clericos, Monachos, Moniales, vel quamcunque aliam perſonam religioſam aut Eccleſiaſticam.

XVII. Porro ne propter caſus reſervatos homines a ſalutari confeſſionis remedio retrahantur, dum non facile Sacerdotem inveniunt, qui eos a reſervatis abſolvere poſſit, vel etiam famæ ſuæ & ſumptibus timent, ſi Conſtantiam ad Nos vel Pœnitentiarum noſtrum ablegentur, Nos hac in parte ſubditorum noſtrorum ſaluti & commoditati conſulere volentes, præſenti Decreto omnibus Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Plebanis, Vicariis, Curatis, aliisque Confeſſariis per Civitatem & Diœceſin noſtram Conſtantienſem ubilibet conſtitutis, & per Nos ſeu Vicarium noſtrum legitime approbatis concedimus, poteſtatemque illis auctoritate ordinaria ab Anteceſſoribus noſtris jam antea datam confirmamus, ut deinceps quoscunque laicos utriusque ſexus a quibuscunque peccatis, quantumvis gravibus & enormibus Nobis reſervatis, ſi occulta ſint, abſolvere poſſint. Homicidas voluntarios & majori excommunicatione Judiciali innodatos excipimus. Licet enim caſus hi occulti ſint, tamen ut ſolum a Nobis, Vicario, aut Pœnitentiario noſtro abſolvi poſſint, definimus. Sicut etiam ſi Laici in ſupra ſpeci-

Digitized by Google

ſpecificatis caſibus publice & notorie deliquiſſent, hujusmodi publica & notoria delicta, noſtro foro pœnitentiali per expreſſum reſervamus. Clericorum in præmiſſis peccata ſive publica, ſive occulta hactenus nemo præter Nos, Vicarium & Pœnitentiarium noſtrum abſolvere potuit. Quia vero hinc Clericorum conſcientias graviter onerari ac intricari intelleximus, permittimus, & hac Conſtitutione Synodali Confeſſariis omnibus approbatis, Clericos quoscunque a caſibus Nobis reſervatis occultis, non publicis, quos ut hactenus, ita etiam de cætero Nobis per expreſſum reſervamus, abſolvendi poteſtatem concedimus, excepto homicidio, majore excommunicatione, peccato beſtialitatis, coitu cum Sanctimoniali, revelatione confeſſionis, & ſi quis ab alterius Diœceſis Epiſcopo aut furtive per ſaltum, extra ſtatuta tempora, & ante legitimam ætatem ſine licentia & diſpenſatione ordinatus eſſet, quibus caſibus etiamſi occulti ſint, volumus, ut Clerici a nullo alio, quam a Nobis, aut Pœnitentiario noſtro abſolvi poſſint. Cæterum hoc Canone nihil omnino iis, qui peculiaria privilegia ſive a Nobis, ſive a Sede Apoſtolica habent, quoad forum conſcientiæ adimere intendimus.

TITULUS XII.

De Extrema Unctione.

I.

INſtituta eſt hæc ſacra infirmorum Unctio tanquam vere & proprie Sacramentum novæ legis a Chriſto Domino noſtro, apud Marcum (*k*) quidem inſinuatum, per Jacobum autem Apoſtolum fidelibus commendatum ac promulgatum. (*l*) *Infirmatur*, inquit, *quis in vobis, inducat Presbyteros Eccleſiæ, & orent ſuper eum, ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei ſalvabit infirmum, & allevabit eum Dominus, & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei*; ut fideles ſicut in ingreſſu in hunc mundum Sacramento initiantur & admittuntur, ita in egreſſu Sacramento juventur & dimittantur.

II. Hujus Sacramenti uſum, ſalutaresque effectus Parochi ſæpius ſubditis ſuis, & præſertim ægrotis inculcent, (*m*) ut quod hactenus in multis locis propter negligentiam Parochorum & ignorantiam populi, fere in deſuetudinem abiit, in priſtinum laudabilem piumque uſum revocetur.

III. Parochi induti ſuperpelliceo & ſtola, Sacramentum illis adminiſtrent, qui periculoſe decumbunt, quorum jam eſt quaſi deplorata valetudo, & qui in exitu vitæ conſtituti videntur, (*n*) dummodo adhuc integris ſint ſenſibus, atque religioſam ſignificationem erga hoc Sacramentum præ ſe ferant. Licet etiam agonizantibus, & iis, qui ex improviſa vi morbi ſenſibus carent, recte conferatur, modo antea bonæ & honeſtæ fuerint vitæ, & immediate præcedenti tempore Paſchali communicaverint.

IV. Quod ſi infirmi poſt ſuſceptam ſemel hanc ſacram Unctionem convaluerint, iterum hujus Sacramenti ſubſidio juvari poterunt, (*o*) cum in aliud ſimile vitæ diſcrimen inciderint.

V. Pueris doli incapacibus, furioſis, ſupplicio capitali multandis & impœnitentibus, Extrema Unctio non detur.

VI. Vaſculum olei Extremæ Unctionis ſit argenteum ſeu ſtanneum. Si ad ægrotum deferatur, ſonus campanulæ nullus fiat, & Miniſter veſte chorali indutus, ſine lumine cum aqua benedicta Sacerdotem ſequatur.

VII. Ut alia quædam Sacramenta, ita, & hoc ſola capitis apertione honorare ſufficit.

TITULUS XIII.

De Ordine.

I.

VAlde neceſſarium eſt Eccleſiæ idoneos Sacerdotes & Miniſtros populo

(*k*) Marci 6. (*l*) Jacobi 5. c. Presbyteros. d. 56. c. 1. §. 1. de Extrem. Unct.
(*m*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 7. (*n*) Conc. Trid. Seſſ. 14. c. 3. de Extr. Unct.
(*o*) Conc. Trid. d. loco.

Digitized by Google

pulo Christiano præficere, eo præsertim tempore, quo varie variis hæresibus Ecclesia concutitur. Cum enim præstantissimum munus sit Sacerdotium, nemini dubium esse debet, quin cura maxima in eligendis & approbandis Sacerdotibus sit adhibenda: nam accidit persæpe, ut populus ex Sacerdotum dignitate, Sacramentorum etiam dignitatem metiatur. Hinc est, quod Nos ex Sacri Tridentini Concilii præscripto, & ex injuncto Nobis Pastorali officio certas quasdam leges præscripserimus, quibus Vicarius & Examinatores nostri in examinandis, approbandis & assumendis Ecclesiæ Ministris uterentur.

II. Qui Sacros Ordines suscepturi sunt, mature se illis temporibus, quibus ex Canonum præscripto (p) in Ecclesia nostra Cathedrali Constantiensi Ordines conferuntur coram Vicario, & Examinatoribus nostris deputatis, in Palatio nostro Episcopali sistant, atque se examini tum probitatis & honeste transactæ vitæ, tum eruditionis & doctrinæ, quæ in unoquoque Ordine requiritur, nullo penitus excepto, etiamsi graduatus in Jure vel Theologia existat, subjiciant.

III. Admissi & approbati ad quoscunque Sacros sive majores, sive minores Ordines coram Vicario nostro in præsentia Notarii & testium faciant Catholicæ Relig. & Fidei Professionem, (q) Nobisque & Successoribus nostris, ac eorundem Vicario & Officiali pro tempore existentibus medio jurejurando tactis S. Evangelii Scripturis reverentiam, obedientiam & fidelitatem promittant. Item quod sine Canonica institutione (r) aut approbatione nostra, vel Vicarii nostri nullum ministerium Ecclesiasticum in Civitate & Diœcesi Constantiensi in aliqua Ecclesia vel Parochia quomodocunque, excepto mortis articulo, subire velint. Quod etiam quoad Professionem fidei faciendam simpliciter, quoad reliqua vero juxta declarationem prioris Synodi (s) ad Regulares cujuscunque Ordinis extendimus.

IV. Qui Beneficia Parochialia, seu quævis alia curata adepti sunt, illis ante nostram approbationem sese non immisceant, sed quamprimum Constantiam veniant, atque per legitimum examen ad curam animarum (t) aut approbationem, aut repulsam accipiant; idque toties, quoties de nova cura provisi fuerint. Veniant autem Feria quarta vel quinta cujuslibet hebdomadæ, quas Ferias pro examine Curatorum tenore præsentium deputamus; Et ab octava ad decimam matutinam, vel ab hora secunda usque ad quartam pomeridianam, prout Vicario & Examinatoribus nostris visum ac commodum, & ipsi venire jussi fuerint, se examini & censuræ submittant. Extra hæc tempora, qui comparuerit, non audiatur, nisi in pœnam soluto uno floreno, cujus tertia pars Fisco, aliæ duæ partes Examinatoribus occupatis cedant.

V. Qui ex legitima causa Constantiam venire non possunt, Vicario nostro significent, & vel approbationem ad tempus vel commissionem, ut ab aliis examinari possint, impetrent.

VI. Examini Ordinandorum ordinarie, ac semper, admittendorum vero ad curam pro occasione Vicarius noster præsit, literas quascunque diligenter inspiciat, legat, & examinet, ac sedulo caveat, ne quacunque arte aut calliditate operarii inutiles ac desidiosi in vineam Domini conducantur.

VII. Examinatores ad præscriptum Vicarii semper tres ant ad minus duo simul examinent, (u) unus solus nunquam, eique in omnibus morem gerant. In sententia approbationis aut rejectionis, si Examinatores sint discordes, Vicarii votum accedat, & discordiam dirimat.

VIII. A promovendis ad curam ani-

(p) C. Sane super eo. c. De eo autem. de tempor. ordin. (q) Juxta Bullam Pii IV.
(r) C. Virtute. cap. ult. de Reform. Sess. 6. c. 8. 9. & 13. de Ref. Matr. Sess. 14. & c. 1. de Regular. in 6. facit. c. Sane. 16. q. 2. c. Si plures. §. Ut ergo. 16. q. 7. & c. Nullus omnino. 16. q. 7.
(s) Parte I. tit. 14. c. 53.
(t) Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 18.
(u) d. Sess. 24. c. 8.

o by Google

animarum, ſi extradiœceſani ſunt, aut de eorum ordinatione dubium ſit, literæ teſtimoniales Ordinum ſuſceptorum petantur & examinentur.

IX. Examinatores a Nobis deputati jurabunt ad Sancta Dei Evangelia ſe quacunque humana affectione poſtpoſita fideliter munus ſuum ſecundum Trid. Concilii Decreta (x) & has noſtras ordinationes executuros. Caveant vero, ne prorſus quicquam occaſione examinis ſive ante, ſive poſt accipiant; (y) ſed ſalario, quod Nos eis conſtituimus, contenti exiſtant. Propter varias etiam ſuſpiciones & diffamationes prohibemus Examinatoribus, ne ordinandos in convictu ſuo habeant. Examinatores noſtri, qui beneficia Eccleſiaſtica in Civitate Conſtantienſi obtinent, quotiescunque in examine ſive ordinandorum, ſive ad curam animarum admittendorum occupati fuerint, in Eccleſiis ſuis pro præſentibus habeantur.

TITULUS XIV.

De Qualitatibus Ordinandorum.

QUi primam Tonſuram & quatuor Minores ſuſcipere voluerit, debet eſſe baptizatus, (z) Sacro Chriſmate confirmatus; (a) ex legitimo Matrimonio procreatus, aut natalibus a Sede Apoſtolica reſtitutus. Præterea origine, decennali domicilio vel Beneficio Eccleſiaſtico, quod in Diœceſi noſtra legitime & pacifice poſſidet Diœceſanus, aut a ſuo Epiſcopo dimiſſus. (b) Ætas legitima ad primam Tonſuram & tres Ordines minores ſunt ſeptem, (c) ad Acolytatum vero duodecim anni completi. (d) Corporis aut animi defectum patientes nec Tonſura, nec minoribus Ordinibus initientur. Habeant quoque ſive tonſurandi, ſive ad minores promovendi, doctrinæ tum prophanæ, tum Chriſtianæ a Magiſtris & Præceptoribus ſuis teſtimonium. (e)

I. Qui ad ſacros majores Ordines promoveri deſiderat, primo debet eſſe baptizatus & confirmatus, (f) quæ conditio aut ex libris Parochialibus, aut aſſertione jurata ordinandi probanda erit.

II. Secundo debet eſſe tonſuratus, & in minoribus Ordinibus conſtitutus: quod literis teſtimonialibus, Tonſuræ ac Ordinum ſuſceptorum probabitur.

III. Tertio requiritur, ut habeat legitimam ætatem, ſcilicet Subdiaconandus viginti duos, Diaconandus viginti tres, Presbyterandus vero viginti quinque annos ad minus inceptos, ſi nondum plene abſolutos. (g) Hoc requiſitum teſtimonio ſcripto Magiſtratus loci & Parochi ex libro baptizandorum doceri volumus.

Et quia circa hanc qualitatem hactenus multos abuſus irrepſiſſe, & varia falſa commiſſa fuiſſe cognovimus, Vicarius noſter diligenter teſtimonia hujus qualitatis perſcrutetur, maxime in illis, qui ad Subdiaconatum aſpirant. Et ſi vel aſpectus & puerilis facies, aut reliquus habitus corporis ſuſpicionem ætatis moveat, juramento eos adigat, quod nullam fallaciam ſciant, nec probabiliter de ætatis teſtimonio dubitent, & ſic ad Subdiaconatum admittat, poſtea autem non niſi per interſtitia ſecundum Tridentinum Concilium (h) ad ulteriores Ordines promoveantur.

IV. Quarto, ut ſit ex legitimo Matrimonio procreatus, (i) quod ex literis Magiſtratus, aut alio publico Inſtrumento conſtare debet; aut ſi natalium defectum patiatur, diſpenſationem Apoſtolicam in ſcriptis habeat & exhibeat.

V. Quinto, quia liber eſſe debet, qui Divinæ aggregandus eſt militiæ, (k) ut a caſtris Dominicis, quibus aſcribitur, nomen ejus nullius neceſſitatis aut dominii vinculis abſtrahatur, exhibeant ordinandi literas authenticas, quod ſint conditionis liberæ, aut a Do-

(x) d. c. 18. (y) d. loco. (z) Facit c. 1. de Presbyt. non baptizat. c. fin. eod.
(a) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 4. (b) C. 1. de filiis Presbyt. in 6.
(c) C. fin. de temp. ord. in 6. c. 2. d. 77. (d) d. c. 2. d. 77. & c. 3. d. 28.
(e) d. Seſſ. 23. c. 5. (f) d. Seſſ. 23. c. 4. (g) d. Seſſ. 13. c. 12. Clem. Generalem. de ætat. & qualit. ord. (h) d. Seſſ. 23. c. 13. (i) d. Conc. Trid. c. 5. Seſſ. 23.
(k) C. 1. c. Conſuluit. deſcru. non ordin. c. Nullus. d. 54.

minis ſuis ſervitute manumiſſi & in libertatem aſſerti.

Monachi quoque ac Religioſi, niſi de ſuorum Superiorum fuerit voluntate, ad Sacros Eccleſiaſticos Ordines promoveri non poſſunt. (*l*)

VI. Sexto requiritur, ut is, qui Sacris Ordinibus initiari velit, ſit integer mente & corpore. Mente, ut non ſit phreneticus, (*m*) inſanus, lunaticus. Corpore, ut non careat aliquo membro, vel eo non ſit truncatus, mutilatus, aut nimium læſus, ut non laboret morbo caduco, aut lepra, non ſit obſeſſus (*n*) aut alium notabilem & deformem defectum patiatur.

Hæc conditio quia difficilis eſt probationis, niſi defectus aperte ſciatur vel videatur, diligenter Vicarius & Examinatores noſtri conſiderent, promovendorum phyſiognomiam, corporis ac membrorum conſtitutionem, & ſi nihil ab illis advertatur, jurejurando ordinandi confirment ſe hujusmodi defectibus non eſſe obnoxios. Mentis integritatem ex converſatione Vicarius & Examinatores noſtri facile intelligent. Aliæ deformitates, quales ſunt, habere curvos ſeu inverſos pedes, aliquam ſuperfluitatem exteriorem in aliquo membro, & ſi quæ ſunt ſimiles, licet ſimpliciter a ſuſceptione Sacrorum Ordinum non impediant, (*o*) quia tamen hujusmodi deformitates Eccleſiaſtico ſtatui contemptum, & ut plurimum apud populum ſcandalum generant, volumus & ordinamus, ut Vicarius noſter ſine noſtra vel noſtrorum Conſiliariorum Eccleſiaſticorum expreſſo conſenſu tales non admittat.

VII. Septimo, ut ſit origine, decennali domicilio, aut beneficio Diœceſanus, aut a ſuo proprio Epiſcopo dimiſſus: jure enim conſtitutum eſt, ne quis alienæ Diœceſis virum præter proprii Superioris & Epiſcopi licentiam ordinare audeat. (*p*) Literæ vero dimiſſoriæ amplius nec concedantur, nec conceſſæ admittantur, niſi in quibus mores & ſufficientia ab Ordinario commendatur. (*q*)

Quum autem ſæpe hactenus contigerit, quod nonnulli Clerici Civitatis & Diœceſ. noſtræ cenſuris Eccleſiaſticis obnoxii, apoſtatæ, irregulares, indocti ac vitæ non ſatis probatæ, ac propterea ſuſceptionis Sacrorum Ordinum indigni conſcientiam noſtram, & Officialium noſtrorum, quibus noti ſunt, ſubterfugientes, ad remotiores Diœceſes ſeſe conferant, & a Nobis aut Vicario noſtro literas dimiſſoriales variis artibus extorqueant. (*r*) Quorum temeritatem reprimere volentes, Vicario noſtro in Spiritualibus ſerio inhibemus, ne impoſterum alicui ſine ſcitu & voluntate noſtra, aut legitima, gravique cauſa literas dimiſſoriales ad aliquem alium Epiſcopum concedat.

VIII. Octavo, ne ſit vinculo Matrimonii alicui fœminæ obſtrictus.

IX. Nono, ut habeat honeſtatis bonorum morum, vitæ & converſationis retroactæ publicum fidedignum & ſufficiens teſtimonium in ſcriptis a Magiſtratu loci, a Superioribus Scholarum, a Parocho, vel iis, quibuscum vixit. (*s*)

Ad Diaconatum & Presbyteratum promonendi adferant etiam teſtimonia a Parochis, in quorum Parochiis interea manſerunt, quod ſæpius Ordinem ante ſuſceptum exercuerint, (*t*) horas ſuas Canonicas diligenter recitaverint, frequenter confeſſi fuerint, atque in moribus Clerico dignam & convenientem vitam duxerint.

Mandamus autem ſingulis Parochis, Curatis, & aliis quibuscunque, ne ejusmodi teſtimonia dent, niſi dignis & pro merito, ſi non propter graviſſimam Dei offenſionem velint a Nobis ſevera animadverſione puniri. Teſtimonia omnia, qualiacunque ſint, quoad ſcripturæ formam, ſigillum, & reliqua, ex quibus aliqua ſuſpicio oriri poſſet, diligenter a Vicario noſtro conſiderentur &

(*l*) C. Statuimus. 19. q. 3. c. Ad aures. de temporibus ordinat. (*m*) C. Maritum. d. 33.
(*n*) C. Clerici. d. 33. (*o*) C. 10. d. 55. (*p*) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 8.
(*q*) d. Seſſ. c. 3. & 8. (*r*) Ex c. 10. & 11. de Reform. Seſſ. 7. & c. 10. de Refor. Seſſ. 13. & c. 1. de Refor. Seſſ. 24. (*s*) Conc. Trid. Seſſ. 23. c. 5. & 13. c. Quando. d. 24.
(*t*) d. c. c. 14. 13. & Seſſ. 23.

& examinentur. Et ſi ab aliquo, ſicuti hactenus ſæpius factum fuiſſe cognovimus, dolum, fraudem aut falſum in teſtimonia aliquo commiſſum deprehenderit, eum carcere in pane & aqua aliquot diebus, deinde vel omnimoda excluſione, vel ad unum aut plures annos retardatione pro modo & qualitate commiſſi doli ſeu falſi ſine remiſſione puniat.

X. Decimo, ſacris majoribus initiandus, nec excommunicatus, nec ſuſpenſus, nec interdictus eſſe debet. (*u*)

XI. Undecimo, quia literarum ſcientia in promovendis ad Sacros Ordines valde neceſſaria eſt, (*x*) quomodo enim alios docere volunt, cum ipſimet nihil, aut parum ſciant? ad examen pro Subdiaconatu nullus omnino admittatur, qui in aliqua publica & Catholica Univerſitate aut Gymnaſio Rhetoricam & Dialecticam non abſolvit, & caſus conſcientiæ per duos integros annos cum fructu non audivit. Niſi Nobis, aut Vicario noſtro ex aliqua legitima cauſa cum aliquo diſpenſandum eſſe videatur, quod tamen ſi fiat, ab aliis in exemplum trahi nolumus. Et cum ad curam animarum fere omnes aſpirent, & poſt primum Ordinem Sacrum ſuſceptum ſtudia ut plurimum delinquant, volumus & mandamus, ut in primo examine, quando ſcilicet ad Subdiaconatum promovendi ſunt, quoad literarum ſcientiam & doctrinam, de omnibus, quæ ad Sacros Ordines, & ad curam animarum pertinent, ſtrictiſſime examinentur, nec facile, niſi bene probati & verſati ſint, admittantur. Neque ullius, qualiscunque ſit, interceſſionem ſeu prætenſam paupertatem attendi volumus, cum multo ſatius ſit homines, quam Deum offendere, & Eccleſiæ populique Chriſtiani, quam promovendorum commodum ſpectare, magisque præſtet in Eccleſia Dei paucos, bonos & doctos, quam plures indoctos & imperitos habere Miniſtros, idque ratio noſtrorum temporum maxime exigere videtur.

XII. Duodecimo, nullus ſine beneficio Eccleſiaſtico, pacifico & ſufficienti, de cujus valore Nobis aut Vicario noſtro conſtet, & de quo ſit legitime præſentatus & inveſtitus, ad Sacros majores Ordines promoveatur. (*y*)

Patrimonia in defectum beneficii ita admittimus, ſi pro Eccleſiarum utilitate & neceſſitate Nobis commodum videatur. (*z*) Ea contineant mille, aut ad minus octingentos florenos communes Imperiales, ut videlicet in omnem eventum Clericus pro ſui ſuſtentatione quinquaginta aut quadraginta annuos florenos habere poſſit, ne cum dedecore Clericalis ſtatus mendicare cogatur.

Literæ Patrimoniorum ſint a Magiſtratu, aut ab iis, qui juris ſui ſunt, & bonorum ſuorum adminiſtrationem habent, ſub ſigillo Magiſtratus confectæ. Obligatio ſit cum effectu & vera, (*a*) non fictitia aut receptis reverſalibus, de quo Vicario noſtro fidem juratam fieri volumus. Bona Patrimonio obligata a Magiſtratu æſtimentur non pluris, quam communiter valeant.

Monaſteriorum Superiores, Hoſpitalium & aliorum piorum locorum Præfecti titulum menſæ, ſive Patrimonium ſine Conventus ſui aut ſuperiorum Præfectorum conſenſu non concedant.

Beneficia Eccleſiaſtica Titularia vel Patrimonia ſine noſtro, aut Vicarii noſtri expreſſo, & in ſcriptis impetrato conſenſu a quovis ex quacunque cauſa nec reſignentur, nec dimittantur, (*b*) ſe ad hoc in ſcriptis medio juramento obligando. (*)

XIII. Interſtitia, licet juxta Sacri Tridentini Concilii Decreta (*c*) commode in Epicopatu noſtro, præſertim quoad eos, quorum virtus, doctrina, & Eccleſiarum neceſſitas celeriorem promotionem requirunt, ex toto obſervari non poſſint, conetur tamen Vicarius noſter, cujus diſcretioni & prudentiæ rem totam committimus, ut, quantum fieri poteſt, ſaltem ex aliqua parte obſerventur.

XIV.

(*u*) Seſſ. 25. c. 9. circ. fin. (*x*) Ex variis locis & Decretis Conc. Trid. vide d. 38. per tot.
(*y*) Conc. Trid. Seſſ. 21. c. 2. c. Diaconi. diſt. 93. (*z*) d. Seſſ. 21. c. 2. & Seſſ. 23. c. 16.
(*a*) d. Seſſ. 21. c. 2. (*b*) d. Seſſ. 21. c. 2. cap. Cum ſecundum. de Præbend. cap. Si Epiſcopus. de Præbend. in 6. c. fin. de Reſcrip. in 6. (*c*) Seſſ. 23. c. 13. & 14.
[*] Addendum forte: *Quod omnes ſpondeant, &c.*

XIV. Magnam hactenus Ordinandorum negligentiam in addiſcendo cantu perſpeximus, hinc paſſim tot confuſiones, tot muti Clerici in Choro non ſine gravi ſcandalo populi. Cui rei Nos remedium aliquod adferre volentes, ſerio mandamus omnibus ad Sacros Ordines aſpirantibus, ut ſi non utrumque Choralem & figuralem, ſaltem Gregorianum cantum ſive publice in Scholis, ſive privatim diſcant. Majorem etiam poſthac in examine ordinandorum rationem cantus, quam forte ab aliquo tempore factum fuit, a Vicario & Examinatoribus noſtris haberi volumus.

XV. Denique Clericis omnibus ordinandis pro Sacris Ordinibus iter facientibus & Conſtantiæ commorantibus diſtricte præcipimus, ut in hoſpitiis, aliisque locis ſe honeſte, verecunde ac modeſte gerant, ſicuti Clericos, ac eos, qui in ſortem Domini vocati ſunt & electi, decet, ab omni luxu, ludo, crapula, aliisve turpibus actibus abſtineant. Secus facientes, Vicarius noſter ab Ordinibus jam ſuſceptis ſuſpendat, & ad ulteriores ſuſcipiendos pro modo culpæ, & exceſſus ad annum unum, duos vel plures retardet.

TITULUS XV.

De Sponſalibus.

I.

SPonſalia ſunt futuri Matrimonii mentio ac repromiſſio, (*d*) qua ſibi invicem vir & mulier ſe futuros conjuges ſpondent. Ea per noviſſimum Sacri Tridentini Concilii jus ſublata non ſunt, ſed in iis contrahendis, & diſſolvendis antiquo jnre utimur, quo jure etiam Judices noſtros Eccleſiaſticos in judicandis ſponſaliorum cauſis uti volumus.

II. Sponſalia poſthac non fiant in angulis, ſed coram aliquot teſtibus in domo aliquâ honeſta per verba de futuro, præſente etiam Parocho, ſi commode fieri poſſit, qui cavere debet, ne contrahentes per verba de præſenti, ſed de futuro tantum juxta præſcriptum noſtri Sacerdotalis conjungat.

III. Et quia Sponſalia de futuro contrahentes non conjuges, ſed ſponſi tantum ſunt, jure Matrimonii nullo modo gaudere vel invicem cohabitare poſſunt: Proinde curent Parochi & Curati, ut hujusmodi ſcandaloſas cohabitationes, invocato etiam auxilio brachii ſæcularis, e medio tollant.

IV. Qui ſemel legitime Sponſalia contraxerunt, ad fidem ſibi invicem ſervandam & Matrimonium contrahendum, niſi legitima cauſa jure definita ſubſit, non tantum in conſcientia obligantur, verum etiam cenſuris Eccleſiaſticis compelli poſſunt, (*e*) niſi Nobis, Vicario & Officiali noſtro ex rationabilibus cauſis aliter definiendum eſſe viſum fuerit, cum frequenter coacta Matrimonia difficiles ſoleant habere exitus. (*f*)

TITULUS XVI.

De Matrimonio & impedimentis Matrimonii.

I.

CUm Matrimonium a Deo in Paradiſo primitus ad propagationem humani generis inſtitutum, (*g*) in Lege Evangelica per infinita Paſſionis Chriſti merita gratiam conferat, & inter novæ Legis Sacramenta ſemper ab Eccleſia ſit connumeratum; (*h*) maxime convenit, ut res ſacra non niſi ſancte ſuſcipiatur, atque religioſa animi præparatione & cum omni honeſtate tractetur, (*i*) quod cum minus intelligant homines laici, mandamus Parochis, ut crebrius de recte ac pie contrahendo Matrimonio adhibitis Catechiſmi Romani locis & doctrina populum ſibi commiſſum inſtituant.

II. Cæterum quia circa Matrimonia ad tollendos varios abuſus & ſcandala,

(*d*) C. Noſtrates. 30. q. 5. l. 1. l. 2. ff. de Sponſal.
(*e*) C. De illis. §. fin. de Deſponſ. impub. c. Sicut. c. Ex literis Sylv. de Sponſal.
(*f*) C. Requiſitis. de Sponſal. (*g*) Geneſ. 2. c. Fraternitatis. 35. q. 10. c. 1. de conjug. leproſ. (*h*) 1. Corinth. 6. Ad Epheſ. 5. c. Sunt qui. 27. q. 2. c. De infidel. de conſang. & affin. Concil. Trid. Seſſ. 24. de Matrim. can. 1.
(*i*) d. Conc. de Reform. Matr. c. 10.

Digitized by Google

la, quæ irrepſerunt, Sacra Tridentina Synodus (k) multa conſtituit ac reformavit, Nos ea & quædam alia pro Eccleſiæ & Diœceſis noſtræ neceſſitate, & Curatorum meliori informatione his noſtris Statutis inſeri curavimus.

III. Matrimonium hodie a nemine contrahatur, niſi in præſentia proprii Parochi, vel alterius Sacerdotis, de Parochi, aut noſtra, aut Vicarii noſtri licentia, atque duorum vel trium teſtium. Aliter contractum coram Deo & Eccleſia irritum eſt, & in utroque foro conſcientiæ & judiciali nullum, nec obligatorium. (l)

IV. Licet vero clandeſtine contrahentes non obligentur; grave tamen & mortale peccatum committunt: quod contra Eccleſiæ prohibitionem clandeſtine contrahant, a quo non niſi a Nobis aut Pœnitentiario noſtro abſolvi poterunt.

V. Matrimonium antequam contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus Feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia, vel ſub prædicatione verbi Divini ex ſuggeſtu, vel ut alias commodum fuerit, proclametur. (m) Quod ſi probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, tunc vel una tantum fiat denuntiatio, vel coram Parocho & duobus vel tribus teſtibus, ſine denuntiationibus Matrimonium contrahatur, quæ tamen denuntiationes omiſſæ, poſtea in Eccleſia ante Matrimonii conſummationem fieri debent. (n) Atque in his denuntiationibus faciendis extra caſum malitioſæ impeditionis Parochi ſine noſtra, vel Vicarii noſtri expreſſa licentia non diſpenſent. Neque impoſterum a Parochis denuntiationes fiant, niſi illis ipſis petentibus & conſentientibus, de quorum Matrimonio contrahendo agitur.

VI. Quod ſi impedimentum aliquod ex proclamationibus deprehenſum fuerit, tales a Parochis minime copulentur, ſed ad noſtrum Conſiſtorium pro declaratione remittantur. Qui vero falſum aliquod impedimentum malitioſe attulerit, eum præter alias juris pœnas excommunicatione feriemus.

VII. Quod ſi qui tempore denuntiationis præſentes fuerint, & impedimentum reticuerint, poſt conjunctionem in conſpectu Eccleſiæ celebratam, amplius ad ejus Matrimonii accuſationem minime admittendos decernimus. (o)

VIII. Si contrahentes ſint diverſarum Parochiarum, in utraque, ſi commode fieri poſſit; ſin minus, in ea Parochia publicationes fiant, in qua Matrimonium contrahere & ſolennizare vel cohabitare volunt.

IX. Parochi hortentur conjuges, ne ante Benedictionem Sacerdotalem in eadem domo ſimul cohabitent, (p) habeantque librum, (q) in quo conjugum & teſtium nomina, diemque & locum contracti Matrimonii deſcribant.

X. Et quia non tantum Sancta Tridentina Synodus (qq) conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel ſaltem triduo ante Matrimonii conſummationem peccata ſua diligenter confiteantur, & ad Sanctiſſimum Euchariſtiæ Sacramentum accedant, verum etiam ante hæc tempora in Diœceſi noſtra Conſtantienſi hoc ipſum faciendi laudabilis conſuetudo fuit, volumus & ſerio mandamus, ut impoſterum novi conjuges in locis Catholicis Epiſcopatus noſtri non introducantur, niſi prius ad minus per Confeſſionem Sacramentalem a peccatis ſuis expiati fuerint.

XI. Parochi omnes in nullo alio loco, quam in Eccleſia ipſa, quæ Sacramentorum proprius locus eſt, Sponſos Matrimonio conjungant. (r) In privatis ædibus nunquam, niſi facultate a Nobis, aut Vicario noſtro in ſcriptis conceſſa.

XII.

(k) d. Seſſ. 24. in Decreto: de Reform. Matrim.
(l) d. Decreto c. 1.
(m) d. c. 1. c. fin. de clandeſt. deſponſ.
(n) d. c. 1.
(o) Argumento. c. fin. de cland. deſponſ. c. Licet. de Probat.
(p) d. Seſſ. 24. de Reform. Matrim. c. 1.
(q) d. loco.
(qq) Seſſ. ſuprad. cap. 1.
(r) Seſſ. ſuprad. c. 1.

XII. Nuptiæ poſt Miſſarum ſolennia, quibus contrahentes ab initio uſque ad finem intereſſe debent, benedicantur.

XIII. Ignoti ex alia regione venientes, vagabundi & illi, qui certam ſedem & domicilium non habent, facile conjungantur, (s) niſi poſt diligentem inquiſitionem, re ad Nos, vel Vicarium noſtrum delata, licentia a Nobis, vel ab eo, tales conjungendi, fuerit impetrata.

XIV. Moneant Parochi Parochianos ſuos, ut tempeſtive, & hora conſtituta ad Eccleſiam Matrimonium contracturi veniant. Tarde venientes aut omnino non admittant, aut admiſſos pro modo culpæ & moræ una vel duabus aut tribus libris ceræ, fabricæ applicandis, puniant.

XV. Matrimonia a filiisfamilias ſine parentum ſuorum conſenſu contracta, licet irrita non ſint, cum parentum conſenſus in filiorum Matrimoniis de neceſſitate non requiratur; (t) Quia tamen honeſtum & valde decens eſt, filios etiam in Matrimoniis contrahendis parentes ſuos honorare, Parochi adoleſcentes & puellas ſæpe moneant, ne parentibus ſuis, in quorum poteſtate exiſtunt, inſciis & invitis Matrimonia ineant, atque rem tam ſeriam & periculoſam inchoare præſumant.

XVI. Quia etiam Matrimonia libera eſſe debent, (u) & coactæ nuptiæ plerumque miſerabiles exitus ſortiuntur, (x) ſub pœna privationis beneficii & ſuſpenſionis ab officio Parochis & Curatis quibuscunque prohibemus, ne contractas nuptias conjungant. Qui autem vel liberos vel ſubditos ſuos ad nuptias aliquas quocunque modo coegerint, eos anathematis pœna coercebimus. (y)

XVII. Catholicos noſtros Diœceſanos vehementer obteſtamur, ne commodum temporale animarum ſaluti præferentes, cum Hæreticis Matrimonia ineant, neve parentes filios aut filias ſuas ad loca hæretica in Matrimonium collocent. Qua in re Catholicum Magiſtratum officio ſuo minime defuturum ſperamus.

XVIII. Abuſus & conſuetudines, ſuperſtitionem ſapientes, quales ſunt Sponſorum apud crines vel aures tractio, cerei accenſi circa ſponſos circumductio, & ab iisdem extinctio, panis in populum projectio, & alia id generis ludicra ac ridicula, ubi vel levitate populi vel negligentia Curatorum irrepſerunt, de cætero amplius nec in, nec extra Eccleſiam, cum aliqui Matrimonio conjunguntur, fiant, ſed a Parochis ſerio & ſub pœna unius libræ ceræ, fabricæ applicandæ, prohibeantur.

XIX. Probare nullo modo poſſumus, ſed corrigi, præſertim a Magiſtratibus locorum, vehementer optamus luxum & varia levitatis, prodigalitatis & laſciviæ ſtudia, quæ paſſim in nuptiis ſub prætextu nuptialis lætitiæ nimium licenter & ſcandaloſe fiunt ac committuntur. Ea aut tollantur penitus, aut ita temperentur, ne modum honeſtatis excedant. (z) Non enim decet Chriſtianos & Sanctorum filios Matrimonia ſua auſpicari, ſicut Gentes, quæ ignorant Deum.

Sicut qui ſemel legitime & publice conjuncti ſunt, ſeipſos propria auctoritate & voluntate ſeparare amplius non debent; ita qui prohibitas nuptias contraxerunt, ſimul cohabitare nullatenus ſunt permittendi. Proinde ſi Parochi tales in ſua Parochia eſſe noverint, Nobis aut Vicario noſtro denuncient, ut contra eos ſecundum Canonicas Sanctiones procedere valeamus.

XX. Multorum hactenus fuit perſuaſio, ſi intra ſeptennium de morte vel vita prioris conjugis nihil audiverint, licite ſe ad alia vota convolare poſſe. Quod cum juri contrarium ſit, nec ſufficiat abſentem conjugem per ſeptennium tantum expectare, ſed ea certitudo juxta Leges & Canones requiratur, quam Judex æquus arbitrabitur,

(s) Seſſ. 24. de Reform. Matr. c. 7. (t) d. Seſſ. 24. c. 1. c. Cauſam. de Rapt. c. Per tuas. de condit. appoſ. c. Veniens. de Sponſ. c. 1. d. jud. in 6.
(u) C. Cum locum. de Sponſ. c. Significavit de eo, qui duxit in matr.
(x) C. Requiſivit. de Sponſ. (y) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 9.
(z) Seſſ. 24. de Reform. Matr. c. 10. circa finem.

tur, (*a*) volumus, & Curatis omnibus ſerio injungimus, ne deinceps hujusmodi perſonas ad alias nuptias ſic tranſeuntes matrimonialiter conjungant, niſi prius cauſa coram Officiali noſtro cognita, & licentia contrahendi in ſcriptis impetrata fuerit.

XXI. Ab Adventu Domini noſtri JEſu Chriſti uſque ad Feſtum Epiphaniæ, & a feria quarta Cinerum uſque ad octavam Paſchæ inclusive nuptiarum ſolennitates non celebrentur. (*b*) Reliquis temporibus, etiam diebus rogationum, per octavas Pentecoſtes, & Corporis Chriſti, nec non a Feſto Aſſumptionis B. Mariæ Virginis uſque ad Feſtum Nativitatis ejusdem, quod tempus vulgus triceſimum B. Virginis appellat, Nuptiæ cum debita modeſtia & honeſtate licite celebrari poterunt, niſi quis propter reverentiam & honorem prædictorum Feſtorum & Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſponte abſtinere vellet, quod nos non improbamus.

XXII. Ne autem aliquis (*c*) ſive Paſtorum, ſive etiam aliorum quorumcunque ignorantiæ cauſam prætendere poſſit, præcipua Canonica Matrimonii impedimenta hic exprimenda duximus. Ea ſunt duplicis differentiæ, quædam quæ Matrimonium contrahendum impediunt & contractum dirimunt. Quædam vero, quæ contrahendum quidem impediunt, contractum tamen non diſſolvunt.

XXIII. Prioris generis ſunt, quæ his verſibus comprehenduntur.

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus, diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Diſſenſus atque affinis, ſi forte coire nequibis.
Hæc ſocianda vetant connubia, juncta retractant.

XXIV. Non omnis error, ſed perſonæ tantum & conditionis obeſt Matrimonio, ut ſi quis exiſtimet & intendat ducere Catharinam vel liberam, & accipit Margaretham vel ſervam. (*d*) Error enim fortunæ & qualitatis, ut cum quis putat ſe divitem, formoſam aut honeſtam ducere, & accipit pauperem, deformem, inhoneſtam & diffamatam, Matrimonium contractum non diſſolvit. (*e*)

XXV. Secundo impedit & diſſolvit Matrimonium conditio honeſta & poſſibilis Matrimonio adjecta, nec adimpleta. (*f*) Turpes & impoſſibiles conditiones in favorem Matrimonii pro non adjectis cenſentur. (*g*)

XXVI. Tertio votum ſolenne in Religione aliqua approbata, (*h*) & votum ſimplex in Societate JEſu ab una vel altera, vel ambabus partibus emiſſum.

XXVII. Cognatio duplex eſt, ſpiritualis & naturalis: ſpiritualis ex duobus Sacramentis Baptiſmi & Confirmationis oritur, (*i*) & contrahitur hodie quoad Baptiſmum, tantum inter baptizantem & baptizatum, baptizatique patrem & matrem, nec non inter levantem ex Baptiſmo, ac levatum, ejusque patrem ac matrem. Quoad Confirmationem vero ſpiritualis cognatio confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egreditur. (*k*)

Quæ cognatio & prohibitio ſemper uſque ad mortem durat, unde falſum eſt, quod paſſim vulgo dicitur: **Wann das Kind todt, ſo iſt die Gevatterſchaft aus.**

XXVIII. Naturalis cognatio aut eſt aſcendentium & deſcendentium, aut colla-

(*a*) C. In præſentia & ibi Panorm. de Sponſal. c. 2. de ſecund. nupt.
(*b*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. Matr. c. 10. c. Non oportet. cum trib. ſeqq. 33. q. 4. c. Capellanus. de feriis. (*c*) De impedimentis Matrimonii.
(*d*) C. 2. Ad noſtrum. de conjug. ſervo. cap. Si quis ingenuus. 29. q. 1.
(*e*) C. Gratianus. 29. q. 1. (*f*) C. De illis. c. Per tuas. de condit. appoſ. c. Super. de Sponſ.
(*g*) C. fin. de condit. app. (*h*) C. 1. & 2. & per totum, qui Cleri. vel vovent. Mat. c. unico. de vot. in 6. Conc. Trid. Seſſ. 24. de Matrim. can. 9.
(*i*) C. fin. de cogn. ſpir. in 6. (*k*) Seſſ. 24. de Reform. Matr. c. 2.

collateralium. (*l*) Inter aſcendentes & deſcendentes, parentes ſcilicet & liberos, perpetua eſt Matrimonii prohibitio, & in infinitum. (*m*) Inter collaterales vero, fratres ſcilicet, ſorores, patruos, amitas, avunculos, materteras, & qui ex his generantur, uſque ad quartum gradum incluſive. (*n*) Quod ſi alter contrahentium in ſecundo, tertio, vel quarto, alter vero in quinto vel remotiori gradu extiterit, eo caſu Matrimonium licite contrahitur. (*o*)

XXIX. In Epiſcopatu noſtro circa Matrimoniorum in prohibitis gradibus contractorum diſpenſationes, plurima ſuboriuntur ſcandala, quando cum quibusvis ruſticis & infimæ conditionis hominibus, etiam in ſecundo conſanguinitatis vel affinitatis gradu paſſim diſpenſatur. Nos hujusmodi ſcandalis obviare volentes, & Sacri Tridentini Concilii Conſtitutionibus (*p*) inhærentes, ſtatuimus & volumus, ut ſi quis intra gradus prohibitos ſcienter, & quos neſcire veriſimiliter nec debuit, nec potuit, Matrimonium contrahere præſumpſerit, per Judicium noſtrum Eccleſiaſticum ſeparetur, & ſpe alicujus diſpenſationis conſequendæ omnino careat. Idque in eo multo magis locum habeat, qui Matrimonium ſic contractum conſummare auſus fuerit.

Quod ſi quis ignoranter, ſine tamen debita ſolennitate contraxerit, eisdem pœnis ſubjiciatur, (*q*) cum dignus non ſit, ut Eccleſiæ benignitatem experiatur, qui ejusdem præcepta contemnit. Si vero adhibitis ſolemnitatibus vere ac probabiliter quis ignoranter contraxerit, tunc facilius cum eo & gratis diſpenſetur. (*r*) In contrahendis Matrimoniis vel nulla omnino detur diſpenſatio, vel raro, idque ex cauſa, & gratis. In ſecundo gradu nunquam diſpenſentur, niſi inter magnos Principes & ob publicam cauſam. (*s*)

XXX. Ne autem ſimpliciores Presbyteri, quibus Apoſtolicæ diſpenſationes, commiſſiones, Literæ & Bullæ, earumque ſtylus, ſcriptura, ſigilla, ſubſcriptiones & ſigna incognita ſunt, in iis facile decipiantur, jubemus & mandamus, ut omnes Presbyteri & Clerici, Nobis ordinario jure ſubjecti, hujusmodi literas, commiſſiones ſeu diſpenſationes Apoſtolicas quorumcunque tenorum, prius non exequantur, quam Nobis aut Vicario noſtro exhibuerint, ac oſtenderint, ut quæ circa ea jure facienda ſint, mature deliberare & providere valeamus.

XXXI. Crimen impedit & dirimit Matrimonium, quando quis vivente adhuc conjuge cum alio Matrimonium vel contrahit, vel de contrahendo fidem facit, & poſtmodum ad quodlibet iſtorum ſequatur adulterium, quod impedimentum pollutionis adulterinæ vocamus. (*t*) Aut quando quis propriam vel alterius conjugem interfecit, vel in mortem illorum machinatus eſt, ut alio & illicito Matrimonio potiri queat. (*u*)

XXXII. Chriſtianus cum infideli, Judæo ſcilicet aut Pagano, Matrimonio jungi nec debet, nec poteſt. (*x*) Nihil enim aliud eſt, inquit D. Cyprianus, (*y*) jungere cum infidelibus vinculum Matrimonii, quam proſtituere cum gentilibus membra Chriſti.

XXXIII. Aliud Matrimonii impedimentum eſt vis ſive juſtus metus cadens in conſtantem virum, aut fœminam: ut cum quis ſpoliatione bonorum, honoris, patriæ, vi armata & præſentis mortis periculo ad contrahendum Matrimonium compellitur. (*z*)

Licet enim Matrimonium de facto contrahatur; illud tamen nullum eſt omnino ac irritum, niſi metus & coactio per ſubſequentem liberum conſenſum purgetur.

XXXIV.

(*l*) C. Primo gradu. 35. l. 1. cum ſeq. ff. de grad. aff. (*m*) L. Nuptiæ. 4. ff. de ritu nupt. Panorm. ad c. Non debet. de conſang. & affin. n. 8.
(*n*) C. Non debet. de conſang. & affin. (*o*) C. fin. de conſang. & affin.
(*p*) Seſſ. 24. de Refor. Mat. c. 5. (*q*) d. c. 5. (*r*) d. c. 5. (*s*) d. c. 5.
(*t*) C. 1. in fin. c. final. de eo, qui duxit ux. (*u*) C. Si quis vivente. 31. q. 1. c. 1. de converſ. infidel. (*x*) C. Cave. 28. q. 1. Concil. Tolet. 3. can. 14. & 4. can. 16.
(*y*) In ſermone de lapſis. prout refert Didac. Covar. in 4. Decret. 2. p. c. 6. §. 11.
(*z*) C. Cum dilectus. de his, quæ vi & met. cauſ. c. Abbas. eod. tit. c. 1. de reſt. ſpol. in 6.

XXXIV. In majoribus Sacris Ordinibus conſtituti Presbyteri, Diacono, Subdiaconi Matrimonia licite non contrahunt, nec contractum ſubſiſtit. (*a*) Quod ſecus eſt in Clericis prima tonſura vel quatuor minoribus Ordinibus initiatis. (*b*)

XXXV. Qui matrimonialiter jam alteri ligatus eſt, Matrimonium cum alio contrahere non poteſt. (*c*) Impedimentum hoc præcontractus appellant.

XXXVI. Juſtitiæ, publicæ honeſtatis impedimentum ex ſponſalibus oritur. Hodie ex Sacri Tridentini Concilii Decreto (*d*) ſi ſponſalia quacunque ratione valida non ſint, publicæ honeſtatis impedimentum non oritur. Si valida ſint, oritur quidem, primum tamen gradum non excedit.

XXXVII. Ad Matrimonium contrahendum requiritur conſenſus: (*e*) unde amentes, furioſi, ſtulti, & id generis homines ad contrahenda Matrimonia ſunt inhabiles. (*f*)

XXXVIII. Affinitas primi generis uſque ad quartum gradum incluſive Matrimonium contrahendum impedit, & contractum diſſolvit. (*g*) Quoto enim gradu quis eſt cognatus viri vel uxoris, eodem gradu eſt affinis uxoris vel mariti. (*h*) Affinitas vero ex fornicatione aut alio illicito concubitu proveniens, hodie Matrimonia impedit & dirimit in primo & ſecundo tantum gradu. (*i*)

XXXIX. Denique cum ad propagationem generis humani Matrimonium ſit inſtitutum, (*k*) ad ineundum illud inhabiles ſunt, qui ex impotentia, vel naturali vel accidentali perpetua Matrimonio legitime uti non valent. (*l*)

XL. Inter raptorem quoque & raptam, quamdiu ipſa in poteſtate raptoris manet, non poteſt conſiſtere Matrimonium, niſi rapta a raptore ſeparata ac loco tuto & libero conſtituta de novo conſentiat. (*m*)

XLI. Impedimenta quæ Matrimonium contrahendum impediunt, contractum tamen minime diſſolvunt, ſunt, ſi quis contra Imperium Epiſcopi, Judicis & Parochi ſui, (*n*) aut tempore a jure prohibito Matrimonium ineat, (*o*) aut ſi quis ſimplici voto caſtitatis, ſeu ſponſalibus cum alia implicitus ad conjugium divertat, (*p*) aut cum hæretica contrahat. (*q*) His enim & ſimilibus caſibus licet contrahentes contra Canones delinquant, & mortaliter peccent, interim tamen Matrimonium verum contrahunt.

XLII. Quoniam vero hac tempeſtate noſtra tantus eſt Sacrorum Canonum & Legum contemptus, tantaque flagitioſi inceſtus licentia & impunitas, ut multi ſuo proximo ſanguini ſeſe commiſcere, & alias adverſus Eccleſiæ inſtituta prohibita Matrimonia, contrahere non formident, & ubi proprii eorum Parochi talia Matrimonia introniſare ac benedicere noluerint, ad alia loca ignota, aut quæ ab unitate Eccleſiæ noſtræ Catholicæ digreſſa ſunt, ſe conferant, ibidemque publice ea celebrent & ſolennizent, atque deinde putantes omnia rata eſſe & firma, domum redeunt in non modicum totius Eccleſiæ offendiculum. Cui malo, quantum in Nobis eſt, obviare cupientes, omni-

(*a*) C. 1. & 2. Qui Clerici vel vovent. Conc. Trid. Seſſ. 24. de Matr. can. 9.
(*b*) C. 1. c. 3. c. 5. de Cler. conjug. c. Si quis vero. c. Placuit. d. 32.
(*c*) Gen. 2. in fin. Matth. 19. c. Gaudemus. de divort. c. 1. Et paſſim. de Sponſal. duorum. c. Annon. 24. q. 3. Conc. Trid. d. Seſſ. de Matrim. can. 2.
(*d*) Seſſ. 24. de Reform. Matr. c. 3. (*e*) C. 2. 30. q. 2. c. 1. de deſponſ. impub.
(*f*) C. Neque furioſus. 37. q. 7. c. Sicut. de Regul.
(*g*) C. Non debet. §. Prohibitio. de conſang. & affin. (*h*) C. Quod ſuper. eod.
(*i*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Refor. Mat. c. 4. (*k*) Geneſ. 2. 1. ad Cor. 7. c. Nuptiarum. 27. q. 1. (*l*) C. Requiſiſti. 33. q. 1. c. 1. & 2. c. Laudabilem. de frig. & malef.
(*m*) C. fin. de Rapt. Conc. Trid. Seſſ. 24. de Refor. Matr. c. 6.
(*n*) Ut videre eſt toto tit. de Matrimonio contrah. contra interd. Eccl.
(*o*) C. Capellanus. de feriis. c. Non oportet. 33. q. 4. Conc. Trid. Seſſ. 24. de Ref. Mat. c. 10.
(*p*) C. Rurſus. qui Clerici vel vovent. c. unico de vot. & voti red. in 6.
(*q*) C. pen. 28. q. 2. Covarr. 4. Decret. 2. parte. c. 6. §. 11. n. 4.

Digitized by Google

bus & ſingulis Parochis & Curatis noſtris mandamus, ut non obſtante tali allerta ſolennizatione hujusmodi prætenſos conjuges cum gravitate adhortentur, ut ab invicem diſcedant, aut intra proximam quindenam coram Nobis, aut Officiali noſtro pro declaratione accipienda compareant,& ubi noſtræ aut Officialis noſtri declarationi non paruerint, vel omnino non comparuerint, eos ab ingreſſu Eccleſiæ arceant, & ab Eccleſiaſticis Sacramentis excludant, & poſt mortem,niſi reſipuerint,Eccleſiaſtica ſepultura privent.

XLIII. Cauſæ omnes Matrimoniales, & ab eis dependentes, ad ſolam noſtram, vel Vicarii, & Officialis noſtri cognitionem & deciſionem pertinent. (r) Idcirco nullus ſive Eccleſiaſticus, ſive fæcularis,cujuscunque conditionis, dignitatis, aut præeminentiæ fuerit, de ſponſalibus, tam de futuro, quam de præſenti, de impedimentis quibuscunque, de divortiis & aliis ab iisdem dependentibus connexis & annexis ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ cognoſcere, judicare & definire præſumat, ſed eæ omnes & ſingulæ ad Conſiſtorium noſtrum Eccleſiaſticum pro earundem cognitione & deciſione remittantur.

XLIV. Decani omnes, Parochi, cæterique Curati, ſi inter Parochianos ſuos ratione contracti Matrimonii differentiam, jus & actionem, ſeu impedimentum aliquod cognoverunt, partes admoneant, & ſi opus ſit,excluſione ab ingreſſu Eccleſiæ adigant, ut hujusmodi cauſas vel coram Conſiſtorio & Judicio noſtro Eccleſiaſtico, vel coram Commiſſario aliquo Forenſi proponant, & ſuper iis a Judicio noſtro Eccleſiaſtico deciſionem exſpectent.

XLV. Quod ſi quis Decanorum, Parochorum, aut aliorum Curatorum ſeu Clericorum quorumcunque ſe hujusmodi matrimonialibus cauſis controverſis immiſcuerit, aliquid definierit, aut declaraverit, prout hactenus a multis factum fuiſſe cognovimus,eum præter excommunicationis pœnam, quam incurrit ipſo facto, beneficio ſuo privabimus.

XLVI. Super Matrimonio & ejus occaſione ſub prædicta pœna nullus ſive Clericus, ſive Laicus, etiam Commiſſarii noſtri Forenſes cauſarum matrimonialium transactionem aliquam inter partes faciant. In Matrimonio enim tanquam re ſpirituali tansactio aliqua interponi non poteſt, (s) ſed in eo ſecundum Canonicam ſeveritatem eſt procedendum.

XLVII. Et quia non ſatis eſt Leges præſcribere, niſi ea,quæ præſcripta ſunt, ſtudioſe obſerventur, & executioni debitæ demandentur; univerſis & ſingulis Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Parochis, Plebanis, eorum Viacriis, & generaliter omnibus Presbyteris ex inſtitutione Canonica, aut alia noſtra commiſſione curam animarum exercentibus in virtute ſanctæ obedientiæ, & ejus fidei, qua Nobis uti Epiſcopo & Ordinario veſtro devincti ac obligati eſtis, præcipimus & mandamus, ut prædicta omnia & ſingula, quæ circa Sponſalia & Matrimonium ejusque reformationem, tum juxta nova Sacri Tridentini Concilii, tum vetera Sacrorum Canonum Decreta pro neceſſitate Epiſcopatus noſtri, & hujus temporis conditione hac noſtra Synodali Conſtitutione ſtatuimus atque ordinamus, diligenter obſervetis, & ab iis, quorum cura vobis commiſſa eſt, obſervari & fieri curetis.

XLVIII. Quod ut ad populi captum commodius fieri poſſit, ea omnia vulgari & germanica lingua prælo excuſa publicanda, & a vobis ſingulis annis bis videlicet Dominica prima poſt Feſtum Epiphaniæ, & Dominica prima poſt Feſtum Sanctiſſimæ Trinitatis publice ex Cancellis ſub pœna 20. florenorum, toties quoties a quopiam veſtrum contraventum fuerit, promulganda duximus.

TITU-

(r) Ad Epheſ. 5. c. Tenore. c. 12. de foro compet. c. fin. de Jud. in 6. c. pen. & ult. de ſecund. nupt. c. Eccleſia Sanctæ Mariæ. de Conſtit. & ibi communiter omnes Canoniſtæ, teſte Andr. Gail lib. 2. obſ. 141. n. 5. Concil. Trid. Seſſ. 24. de ſacr. Mat. can. 12.
(s) C. final. de tranſact. facit. c. Conſtitutus. c. Super. c. Præterea. eod.

TITULUS XVII.

De Lectionibus Sacris.

I.

UT apud celebriora Diœceſis noſtræ Monaſteria & Collegia, juxta Tridentini Concilii voluntatem (t) Theologiæ ſaltem moralis lectio habeatur, vehementer optamus. Curent proinde Monaſteriorum & Collegiorum Prælati, ut ea, quamprimum commode fieri poteſt, non tantum inſtituatur, & ubi jam inſtituta eſt, continuando conſervetur, ſed etiam, ne fruſtra habeatur, ut a Conventualibus, Canonicis, & aliis Clericis ſuis frequentetur. Quod Nos quoque Clero noſtro rudiori in Civitate Conſtantienſi mandabimus, ut Lectiones Theologicas, quæ apud Eccleſiam noſtram Cathedralem habentur, frequentent.

II. Studiis Theologicis Præfecti captui auditorum ſe accommodent, & eas materias præcipue tractent, quæ in uſu ſunt frequentiores, & Clericis atque futuris Parochis magis utiles ac neceſſariæ.

TITULUS XVIII.

De Prædicatione Verbi Dei.

I.

CHriſtianæ Reipublicæ non minus neceſſaria eſt Evangelii prædicatio, quam Thologica lectio. Quia vero in prædicando verbo Dei maxima pars muneris, & officii noſtri Paſtoralis (u) verſatur, curavimus hactenus, & impoſterum per Dei gratiam curabimus, ut qui verbo Dei prædicando in Eccleſia noſtra Cathedrali vice ac nomine noſtro fungi debent, ſint tales, quos & pietas vitæ ac morum honeſtas & doctrinæ puritas commendent, & qui populum tam verbo, quam exemplo ædificare poſſint.

II. In aliis Eccleſiis parochialibus & curam animarum habentibus, Parochi, vel illi, qui ex fundatione aut alias obligati ſunt, per ſeipſos, & ſi ipſi legitime impediti fuerint, per alios ſufficientes & idoneos illorum expenſis officio ſuo ſatisfaciant. (x)

III. Concionandi munus nemo ſibimet uſurpet, niſi legitime vocatus, & per Vicarium & Examinatores noſtros prævio examine approbatus.

IV. Regulares vero cujuscunque Ordinis ſine Superiorum ſuorum legitimo examine, approbatione, & licentia etiam in Eccleſiis ſuorum Ordinum prædicare non præſumant. (y) Et ſi a Superioribus ſuis approbati & licentiam prædicandi conſecuti fuerint, prius prædicare non incipiant, quam ſe coram Nobis præſentaverint, atque benedictionem noſtram Epiſcopalem petierint. In Eccleſiis, quæ ſuorum Ordinum non ſunt, præter ſuorum Superiorum, etiam noſtram licentiam habeant.

V. Illos, qui aliter, quam præmiſſum eſt, prædicationis officium uſurpare præſumpſerint, vigore præſentis Statuti excommunicationis vinculo innodamus, & excommunicatos publice declarari mandamus, & niſi reſipuerint, aliis etiam gravioribus pœnis a Nobis vel Vicario noſtro plectendos decernimus. Quandoquidem non parum referat, ſcire, quis qualisque ſit, cui alios in Religione Chriſtiana inſtituendi & docendi poteſtas traditur, ne peregrinis forte & hæreticis doctrinis imbuti, nec ſatis probati ad gravem Dominici gregis pernitiem in ovile Chriſti recipiantur.

VI. Concionatores omnes diligentem dent operam, ut eorum vita cum doctrina conſentiat, ne, quod præceptis & hortatu ædificant, id vita & moribus pravis rurſus deſtruant: libentius enim magisque populus ea facit, quæ a Prædicatoribus ſuis fieri videt, quam ea, quæ ab iisdem audit. Pulchrum valde eſt, cum de Concionatore illud dicitur, quod olim de quodam ex veteribus dictum, legimus: Hic eſt, qui quale habet verbum, talem habet & vitam. Conciones fiant in omnibus Eccleſiis, quæ Rectorem habent, ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis. (z)

Tem-

(t) Seſſ. 5. de Reform. c. 1.
(u) Conc. Trid. Seſſ. 5. de Reform. c. 2. & Seſſ. 24. de Reform. c. 4. c. Epiſcopus. diſt. 88.
(x) d. Seſſ. 24. (y) d. Seſſ. 5. c. 2. (z) d. Seſſ. 5. c. 2. & Seſſ. 24. c. 4. de Ref. Matr.

Tempore autem Quadrageſimæ, in Civitate Conſtantienſi & inſignioribus oppidis & pagis, ubi hactenus in uſu fuit, bis vel ter in hebdomada, ubi vero fieri non conſuevit, juxta Tridentinum Concilium, ſi ullo modo commode fieri poſſit, inſtituantur.

VII. Fideles pro concione de fide Catholica, de Eccleſiæ Sacramentis, de Sacrificio Miſſæ & obſervantia Mandatorum Dei & Eccleſiæ, de obedientia præſtanda utrique legitimo Magiſtratui Eccleſiaſtico & ſæculari, de ritibus & cæremoniis Eccleſiaſticis, ut de aqua, ſale, cereis, palmis, herbis & fructibus benedictis diligenter & ad captum ſæpius inſtituantur, ut, quæ ſcire omnium intereſt, ad ſalutem omnes addiſcant.

VIII. In producendis Scripturis Concionatores editione vulgata & probata utantur, earumque intelligentiam non ex privata præſumptione, ſed eo ſenſu, quem Catholica Eccleſia & conſentiens Sanctorum Patrum auctoritas comprobavit, interpretentur, (a) neque quicquam ab Eccleſia aut Eccleſiæ probatis Doctoribus alienum proferant.

IX. Libros Hæreticorum etiam ad eorum argumenta refellenda nullo modo legant, (b) niſi tales ſint, qui eos cum diſcretione legere poſſint, & eos legendi a Sede Apoſtolica diſpenſationem in ſcriptis habeant.

X. A quæſtionibus difficilibus & perplexis abſtineant, atque in Hæreticorum opinionibus & argumentis recitandis & confutandis præſertim coram rudioribus providi ſint, ac circumſpecti, aut ſi minus inſtructi, omnino taceant: non enim ad ingenii & eruditionis oſtentationem, ſed ad ædificationem Eccleſiæ & populi, prædicare debent, multoque melius eſt tacere, quam de noſtri ſæculi controverſiis inepte diſputare.

XI. In reprehendendis vitiis ita ſe gerant, ut pietatis & charitatis ſtudio adducti, non hominum, ſed peccatorum odio id facere, auditores intelligant. Neminem aperte vel tacite perſtringant, aut quaſi digito commonſtrent, neque in ullum Ordinem religioſum, ſeu ſtatum Eccleſiaſticum ab Eccleſia approbatum invehant, aut eorum privilegia labefactare præſumant. Magiſtratum quoque, tam Eccleſiaſticum, quam ſæcularem cum auditorum offenſione non objurgent, ſed pie potius ac modeſte officii ſui, quatenus opus fuerit, privatim admoneant, populumque doceant Præpoſitis & Superioribus ſuis, etiam diſcolis obedire. (c)

XII. Nimiam illam & licentioſam pravamq; conſuetudinem blaſphemandi, jurandi, Magiſtratui Eccleſiaſtico & ſæculari, Clericis, Religioſis, & quibuscunque laicis detrahendi, & reliqua vitia, quæ populus frequentat, præ cæteris Concionatores exagitent. Decreta Concilii Tridentini, præſertim quæ ad mores & diſciplinam Chriſtianam reſtituendam pertinent, & has noſtras Conſtitutiones Synod. populo ſtudioſius inculcent, atque ad Sanctiſſimorum Sacramentorum Pœnitentiæ & Euchariſtiæ frequentiam fideles magnopere cohortentur.

XIII. Fabulæ aniles, ſales, (d) ſcommata, privati affectus, relatio hiſtoriarum aut miraculorum incertorum, ſeu ſuſpectorum, immoderatæ invectivæ, & quicquid modeſtiæ, pietati, ſanæ & Catholicæ doctrinæ contrarium eſt, a concionibus abſit. Qui ſecus fecerint, præter alias pœnas eos a concionandi munere amovebimus.

XIV. Parochi ſub finem concionis pro utroque Magiſtratu Eccleſiaſtico & Civili, atque pro omnibus Chriſti fidelibus vivis & defunctis Deum orent. (e) Dies Feſtivos (f) & ſolennes, Quatuor temporum jejunia, Vigilias, Quadrageſimam, Adventum, ſolennes ſupplicationes, & ſi quæ ſunt ſimilia, non tantum populo ſimpliciter denuncient, verum etiam quomodo dies feſti celebrandi, quomodo & a quibus jejunandum ſit, populum inſtituant.

XV.

(a) Concil. Trid. Seſſ. 4. in Decreto: de editione & uſu ſacror. lib.
(b) Ex ind. libr. prohib. & Bulla Confirmatoria Pii IV. (c) 1. Petri 2.
(d) 1. Timot. 4. 2. Timot. 2. Ad Titum 3. (e) 1. ad Tim. 2.
(f) C. 1. de Conſec. diſt. 3.

XV. Et quia intelleximus, quod quidam Concionatores Diœceſis noſtræ, interdum rancore & æmulatione moti, contra ſe invicem prædicare non verentur in populi ſcandalum & exemplum pernicioſum; Ideo conſiderantes, quod, ſicuti ex indiſcreto ſilentio ſæpius error poſt ſe relinquitur, ita & incauta locutio ſæpius errorem inducit, præſenti Statuto ſerio inhibemus, ne quis Concionatorum in Eccleſiis & Monaſteriis Civitatis & Diœceſis noſtræ, ſive Regularis, ſive ſæcularis exiſtat, contra alium quemcunque Concionatorem invehere, aut quid aliud ex ſuggeſtu proferre præſumat, quo is irritari, atque ad vindictam, mutua convitia, & jurgia provocari, ſimplex autem populus ex tali controverſia offendi poſſit, (*g*) ſed ſi quis in reputatione, fama & honore, jureque ſuo, aut alias qualitercunque læſus ab alio fuerit, aut ſi errorem, vel hæreſim ex ejus concione deprehenderit, id Nobis, vel Vicario noſtro referat. Secus facientes graviſſime puniemus.

XVI. Denique Chriſti fideles omnes & ſingulos, qui per ætatem & negotia neceſſaria poſſunt, in Domino vehementer hortamur, (*b*) ut non ſolum diebus Dominicis & Feſtivis, ſed etiam reliquis diebus per annum, quibus haberi concio ſolet, ad audiendas conciones frequentes concurrant, iisdemque ab initio uſque ad finem cum ſumma modeſtia & attentione interſint.

TITULUS XIX.

De Catechiſmo ſeu Inſtitutione Juventutis Chriſtianæ.

I.

CUm noſtra hac ætate multorum hominum tanta ſit ſocordia, ut ea, quæ ad ſalutem animarum ſibi maxime neceſſaria ſunt, aut parvi faciant, aut omnino negligant: recte ac prudenter Tridentinum Concilium (*i*) conſtituit, ut in ſingulis Parochiis diebus Dominicis & Feſtivis pueri fidei rudimenta docerentur, quo tenera ætas quaſi cum lacte materno Religionem Chriſtianam imbiberet, & ſemel imbuta Chriſtiana pietate, recens ſervaret odorem teſta diu. Nos huic neceſſariæ & ſalutari Conſtitutioni inhærentes, omnibus Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, Plebanis & Vicariis mandamus, ſerioque injungimus, ut ſingulis diebus Dominicis, ubi autem ex gravi aliqua & legitima cauſa a Viſitatoribus noſtris approbanda ſingulis Dominicis fieri non poteſt, ad minus ſemel in menſe die aliqua Dominica aut Feſtiva, deinde per Adventum & Quadrageſimam ſingulis diebus Dominicis & Feſtivis a prandio circa horam duodecimam aut primam, certo campanæ ſono ad id aſſignato, per ſe, vel per alios idoneos ſacræ noſtræ Chriſtianæ Fidei initia, ac rudimenta juventuti ipſorum diligenter lingua vernacula ſuaviter ac humaniter, adhibitis etiam munuſculis tradant, & pueros quaſi per ludum ad diſcendum alliciant.

II. Quod ſi in aliquibus locis tempore hyberno, vel propter diſtantiam Parochianorum ab Eccleſia Parochiali Catecheſis commode haberi non poſſit, volumus & mandamus, ut Parochi ſemel ſingulis menſibus: Item omnibus Dominicis & Feſtivis per Adventum & Quadrageſimam Chriſtianam juventutem curæ ſuæ commiſſam, dum ex Cancellis ordinarie concionantur, loco concionis, ſi non integræ, ſaltem mediæ inſtituant, & in iis, quæ circa fidem Chriſtianam Juventus ſcire debet, inſtruant. Neque exiſtimamus adultos & ætate maturiores juſte conqueri poſſe, cum ut plurimum & ipſi in hoc genere valde ſint rudes, & æque bene ac juniores inſtitutione indigeant.

III. Recitent vero Parochi primo clara voce ac lenta, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam & Symbolum Apoſtolorum, quos pueri recitando ſequantur. Secundo recitationes puerorum & pia æmulandi ſtudia diſponant, tertio facilem, & qualem illa ætas admittit, explicationem ſubjun-

(*g*) Ex Conc. Trid. Seſſ. 5. de Reform. c. 2. (*b*) Ex Conc. Trid. Seſſ. 24. de Refor. c. 4.
(*i*) Seſſ. 24. de Reform. c. 4.

jungant, quarto lectionem juventuti ab ea proximo conventu exigendam, & memoriter recitandam præscribant. Denique decem præcepta Ecclesiæ cum quatuor novissimis, & aliis similibus, clare prænuntient. Pueros etiam ad obedientiam erga Deum, Parentes & Magistratum sedulo cohortentur, (k) a blasphemiis vero & ab aliis vitiis, quibus juventus libenter dedita esse solet, dehortentur.

IV. Ut autem hujusmodi Catechesis cum fructu frequentetur, Parochi parentes tam publice ex Cancellis, quam privatim admoneant, ut pueros suos vel ipsi adducant, vel venire jubeant, ac mittant, cum hac protestatione, se imposterum nullum ad Eucharistiæ aut Matrimonii Sacramenta admittere velle, qui in primis fidei rudimentis sufficienter non fuerit instructus.

V. Et quia pium hoc ac necessarium institutum Magistratus sæcularis multum juvare & promovere potest, eum in Domino requirimus, ut eo tempore, quo juventus instituitur, sub pœnis eorum arbitrio imponendis a choreis, tripudiis, lusibus & aliis insolentiis abstineri præcipiant; ut sumptus, si qui necessarii sunt, vel pro puerorum munusculis, vel alias pro cujuslibet loci commoditate ex ærario publico, aut ex redditibus Patroni seu Fabricæ Ecclesiarum subministrent. Nihil enim in meliores usus collocari potest, quam quod ad recte instituendam juventutem, & a teneris annis ad pietatem imbuendam impenditur.

VI. In negligentes & munere suo Parochiali in hac parte non fungentes, Decani diligenter inquirant, Fiscalique nostro ad procedendum contra eos quantocius in scriptis denuntient.

TITULUS XX.

De Cultu Divino & Cæremoniis Ecclesiasticis.

I.

DIvina Officia omnia peragantur ex ordine Breviarii & Missalis nostri Constantiensis ad usum Romanæ Ecclesiæ accommodati. Itaque cæremoniis Romanis utantur omnes, nec quisquam novas excogitet, inducat, vel recipiat cæremonias; Et si quæ novæ aut suspectæ in aliquas Ecclesias irrepsissent, aut veteres nondum omnino essent sublatæ, de his Decani rurales cognoscant, & quamprimum ad Nos vel Vicarium nostrum referant.

II. Ne autem confusiones suboriantur atque uniformitas cæremoniarum commodius introduci & observari queat, volumus, ut in omnibus Ecclesiis Collegiatis & Parochialibus, ubi plures sunt Clerici, unus constituatur, qui cæremoniarum curam, & inspectionem in se recipiat, & qui curet, ut omnia suo ordine, loco & tempore debite fiant.

III. Prælati quoque & Rectores Ecclesiarum ex injuncto sibi officio diligenter attendant, ut Canonici & Clerici Officia Divina omnia & singula, ad quæ tum ex laudabili & antiquissima consuetudine, tum ex fundatione sunt obligati, peragant, in iisque peragendis consuetis ac debitis cæremoniis utantur; nec quicquam sine expressa nostra, aut Vicarii nostri licentia intermittant, aut immutent.

IV. In Cathedrali nostra, Collegiatis & Parochialibus Ecclesiis Horæ Canonicæ, quæ cantari consueverunt, præsentibus Prælatis, Canonicis, Parochis, Capellanis, Ludimoderatoribus, Scholaribus, superpelliceis & habitu convenienti indutis, in Choro alternatim devote, nec nimis præcipitanter & cursim, nec nimis lente, non clamorosis ac dissonis vocibus, sed leniter ac distincte cantentur. (l)

V. Missæ solennes cum consuetis ministeriis & cæremoniis juxta Rubricas Missalis attente & graviter celebrentur.

VI. In Choro pro temporis & officii ratione omnes simul sedeant, stent, genua flectant, caput aperiant, & cætera ejus generis faciant.

VII. Clericus cum in Ecclesiam venerit, illud meminisse debet, se esse in

(k) d. c. 4. Sess. 24. (l) C. Dolentes. de celebrat. Miss. c. Cantantes. d. 92. Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 12.

in domo Dei ſancta, quæ domus ſit orationis: (*m*) quare cujuscunque ordinis & dignitatis fuerit, in Eccleſia non deambulet, (*n*) non confabuletur, aut aliquid aliud eo loco indignum tractet, ſed recta Chorum ingrediatur, ac imprimis reverenter ac humiliter Venerabili Sacramento Corporis Domini ſalutato, ad ſtallum & locum ſuum conſuetum ſe recipiat. Quod ſi ab aliquo contra factum fuerit, is diſtributione quotidiana illius diei careat, aut alia condigna pœna plectatur.

VIII. Multi etiam laici tempore Divinorum in Eccleſiis nugantur, confabulantur, diſcurrunt, merces & alia onera important, & exportant: Quæ omnia Eccleſiarum Prælati, Decani, & Paſtores, (*o*) adhibito etiam, ſi opus fuerit, conſilio & auxilio Magiſtratus ſæcularis, corrigant, & pœna aliqua conſtituta contra transgreſſores prohibeant.

IX. Ad Divina Officia ita cantus muſicus & organa adhibeantur, (*p*) ne devotionem impediant, aut audientium animos potius ad tripudium excitent.

X. Beatus ALEXANDER (*q*) Pontifex Martyr, qui ſextus poſt B. Petrum Romanum rexit Eccleſiam, aquæ benedictæ uſum non tam ipſe invenit, quam ab Apoſtolis traditum obſervari ab omnibus juſſit; ſic enim ſcribit: (*r*) Aquam ſale conſperſam populis benedicimus, ut ea cuncti aſperſi ſanctificentur, quod & omnibus Sacerdotibus faciendum eſſe mandamus. Sane ſi cinis vitulæ aſperſus olim populum ſanctificabat atque mundabat, quanto magis aqua, quæ ſale aſperſa Divinis precibus ſacrata eſt, populum pie ac devote uſurpantem ſanctificat atque emundat? Hunc antiquum ritum hactenus in Eccleſia Cathol. pie obſervatum, quamvis Hæretici noſtri temporis, ut reliquas cæremonias omnes irrideant, Parochi & Curati minime deſerant, ſed ſingulis diebus Dominicis ante Miſſam aquam cum ſale benedicant, (*s*) eaque, ut moris eſt, populum Chriſtianum aſpergant.

XI. Cereorum (*t*) quoque, cinerum, (*u*) herbarum, palmarum, fructuumque benedictiones in Eccleſia Catholica antiquo more fiant, plenæ tum myſteriorum, tum ſalutarium utilitatum, quas Parochi ex orationibus, quibus Eccleſia in illorum benedictionibus utitur; & aliunde fidelibus ſtudioſe exponant, quo religioſius illa geſtent & recipiant. Benedicatur unum quodque ſuo ab Eccleſia ordinato tempore ac Feſto publice in Eccleſia ritu ſolenni, nec ullæ preces, in ejusmodi benedictionibus adhiberi conſuetæ, intermittantur. Populus vero admoneatur ſedulo, ne his rebus benedictis ad alios, quam Eccleſia inſtituit, effectus conſequendos utatur.

XII. Litaniarum & Proceſſionum publicarum uſus (*x*) ſecundum Eccleſiæ univerſalis & cujusque Eccleſiæ particularis piam & laudabilem inſtitutionem ſervetur, & ubi hactenus injuria temporum collapſus eſſet, reſtituatur. Fiant autem proceſſiones de Eccleſia ad Eccleſiam, ordine decenti, modeſte cum contrito corde ad Deum ſine quacunque levitate, riſu, confabulatione, & his ſimilibus, quibus magis ad iram, quam ad placationem provocatur Deus: Parochi, Clerus & Scholares veſte chorali induti, cruce & vexillis prægeſtatis præcedant, hos primum viri, poſtea fœminæ ſeparatim ſequantur.

XIII. Edendi ac bibendi conſuetudinem, ſecumque eſulenta deferendi aut ea vendendi & emendi, aliasque nundinationes in ſupplicationibus ſacris habendis Parochi omnino tollere ſtudeant.

XIV. Inter alia a ſancta Dei Eccleſia pie inſtituta, ſed temporum vitio in Civi-

(*m*) Marci 11. (*n*) Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus. Sub dato Romæ 6. Cal. Aprilis Anno* 1566. (*o*) d. Bulla.
(*p*) Concil. Trid. in Decreto: de obſerv. & evitand. in celebr. Miſſæ. Seſſ. 22.
(*q*) Relatus in c. Aquam. de Conſecr. d. 3. (*r*) In Epiſt. ſua prima circa Annum Dom. 83.
(*s*) d. c. Aquam. (*t*) C. Sane. c. fin. de celeb. Miſſ. (*u*) Petrus Cluniacenſis lib. 2. Miracul. c. 22. (*x*) Ex Conc. Aurelian. 1. can. 23.

Civitate Conſtantienſi antiquata, ſunt Litaniæ majores, quas Summus Pontifex & Sanctiſſimus Vir GREGORIUS I. ſancte inſtituit, (y) atque in univerſa Chriſtiana Republica 7. Cal. Maji, qui dies D. Marco Evangeliſtæ dicatus eſt, eas agi & celebrari voluit. Illarum pium & ſolennem uſum cum in hac noſtra Conſtantienſi Eccleſia ita pene intermiſſum videamus, ut nullum fere priſtinæ inſtitutionis veſtigium appareat, nos vero ex officio Paſtorali Nobis incumbenti ſoliciti eſſe debeamus, ut quod pie a Majoribus noſtris inſtitutum eſt, non tantum retineatur, ſed etiam, quantum in Nobis eſt, amplificetur, Conſtitutione hac Synodali edicimus, & jubemus, ut præfato S. Marci Feſto univerſus Clerus Civitatis Conſtantienſis, tam Regularis, quam ſæcularis in ſuperpelliceis & habitu ſuo congruo ad Eccleſiam noſtram Cathedralem conveniat, peractoque Miſſæ Sacrificio ad Eccleſiam Collegiatam S. Stephani ſolenni ritu ac proceſſione, ſanctisque precibus procedat, atque proceſſionis officio finito ad eam ipſam Cathedralem Eccleſiam ordine redeat. Quod idem, quoad Regulares Civitatis Conſtantienſis in Litaniis minoribus, quæ triduo ante Aſcenſionem Domini celebrantur, obſervari volumus & mandamus.

XV. Ad proceſſiones vero ſive generales, ſive particulares in noſtra Cathedrali, & Collegiatis Eccleſiis quocunque tempore habendas, Prælati, Canonici, & alii Clerici omnes, cujuscunque dignitatis ſint, conveniant, & ſuo exemplo Laicis, quod imitentur, præbeant.

XVI. In extraordinariis proceſſionibus pro inſtanti interdum neceſſitate inſtituendis, Parochi ſibi a Magiſtratu ſæculari nihil præſcribi patiantur, ſed pro temporis, loci ac perſonarum qualitate cum eo deſuper mature concordent, & amice conveniant.

TITULUS XXI.

De Reliquiis, Imaginibus, cultu ac veneratione Sanctorum.

I.

UT Sanctorum Martyrum, & aliorum cum Chriſto viventium Sanctorum corporibus & Reliquiis, quæ viva membra fuerunt Chriſti, & templum Spiritus Sancti, debitus honor ac veneratio a fidelibus tribuatur, atque in locis & vaſis honeſtis reverenter aſſerventur, (z) Eccleſiarum Prælati, Rectores, & Parochi ſolicite curent.

II. Ubi mos eſt eas quandoque populo demonſtrare, non ab Ædituis & Laicis, ſed ab ipſis Parochis aut aliis Clericis cum lumine & ſine aliquo quæſtu fiat. Inſignes item Reliquiæ ad altaria nec ponantur, nec reponantur, niſi reverenter, & a Clericis Sanctorum reliquiæ e capſulis & vaſis, quibus incluſæ ſunt, facile non exponantur: ſingulæ ſingulas ſchedas habeant, ut ſciri poſſit, cujus ſint Sancti. Dubiæ & ſuſpectæ a probatis & certis ſeparentur, & in alium locum honeſtum reponantur.

III. Superſtitiones, impoſturas & abuſus omnes circa Sanctorum Reliquias Eccleſiarum Superiores tollant. Quod ſi ad aliquas novas aut prius incognitas reliquias, vel nova miracula novus populi concurſus fieret, Parochi & Decani Nobis, vel Vicario noſtro quantocitius ſignificent, (a) ut, quod ſuper hujusmodi novis reliquiis & miraculis ſtatuendum ſit, mature conſulere valeamus, ne fortaſſe populus ſuperſtitione aliqua illaqueetur, aut fictis miraculis illudatur.

IV. Imaginibus Chriſti, Deiparæ Virginis Mariæ, & aliorum Sanctorum, ſive in Templis vel Oratoriis, ſive extra ea, in publicis viis aut privatim in ædibus habeantur, etiam debitus honor & veneratio impertienda eſt, (b) non quod credamus iis ineſſe aliquam Divinitatem, vel virtutem, propter quam ſint

(y) Circa Annum Domini 590.
(z) Ex Concil. Trid. Seſſ. 25. in Decreto: de Invocat. vener. & Reliquiis Sanctorum.
(a) d. Decreto. Seſſ. 25.
(b) Conc. Nicen. 2. & Trid. d. loco c. Perlatum. de Conſec. d. 3.

ſint colendæ, vel quod ab iis aliquid petere debeamus, ſed quoniam honos, qui eis exhibetur, refertur ad prototypa, quæ illæ repræſentant, ita ut per imagines, quas oſculamur, & coram quibus caput aperimus & procumbimus, Chriſtum adoremus, & Sanctos, quorum ſimilitudinem gerunt, veneremur.

V. Imagines & hiſtoriæ ſacræ vel pictæ, vel ſculptæ imperitæ plebis libri ſunt, ut illarum aſpectu moniti myſteriorum Redemptionis noſtræ recordentur, pietatem in Chriſto conſervent, atque Sanctorum vitam imitari ſtudeant.

VI. Quia vero nihil tam ſanctum ac ſalutare, quod non aliquando propter abuſum taxari queat, volumus, ut de cætero in Eccleſiis imagines vel hiſtoriæ nullæ pingantur, aut ſtatuantur, quibus neque Eccleſia, neque probati Scriptores aliquam auctoritatem dederunt. Imagines omnes prototypi dignitati & ſanctitati congruæ ſint, in iis nihil inordinatum aut præpoſtere accommodatum, nihil prophanum, nihilque inhoneſtum appareat, ſed ita pingantur, ut ex earum inſpectione pietas excitetur.

VII. Quod ſi in aliquibus Eccleſiis imagines non approbatæ aut minus decenter depictæ eſſent, eas Eccleſiarum Rectores aut omnino tollant aut mutent.

VIII. Hiſtoriæ prophanæ & ſæculares effigies gentilium & brutorum animantium in Eccleſiis nec pingantur, nec ſculpantur, cum domum Dei deceat ſanctitudo. (c)

IX. Si quæ ſacræ tabulæ aut imagines nimia vetuſtate, carie ac ſordibus pene deletæ, & aſpectu minus decenti eſſent, eas Eccleſiarum Prælati & Rectores religioſa pictura renovent, aut a fabricæ Procuratoribus renovari procurent.

X. Sanctorum invocationem & cultum Eccleſia Catholica ſemper probavit. (d) Alius tamen cultus & invocatio eſt, qua Deum & Mediatorem inter Deum & homines JEſum Chriſtum Dominum noſtrum colimus & invocamus; alius quo Sanctos veneramur: Quod ex Litania, qua Eccleſia utitur, quivis facile cognoſcit: in ea enim alium Deo exhibemus; alium Sanctis deferimus cultum.

XI. Hæretici hujus temporis, quæ de Sanctorum cultu, Reliquiarum & imaginum aſſervatione & veneratione pie ac Catholice ſentimus, rident & varie oppugnare ſtudent. Quorum præſtigiis ne Chriſtianus populus facile decipiatur, ſerio mandamus omnibus Parochis, Concionatoribus, & cæteris quibuscunque, ut ea, quæ circa hæc Sacra Oecumenica Tridentina Synodus definivit, & probati Catholici Scriptores hactenus docuerunt, fidelibus Parochianis & auditoribus ſuis accurate & enucleate exponant.

TITULUS XXII.

De Indulgentiis & Purgatorio.

I.

INdulgentiarum uſus Chriſtiano populo maxime ſalutaris, & Sacrorum Conciliorum auctoritate probatus, ſemper etiam antiquiſſimis temporibus in Eccleſia fuit. (e) Illæ quam maxime nobis ſint neceſſariæ pro peccatorum noſtrorum ſatisfactione, quibus quotidie nos, noſtrasque conſcientias oneramus, Parochi doceant.

II. Quia vero indulgentiarum materia gravis eſt, in ea explicanda caute ac diſcrete verſentur, nec quicquam, quod fidei noſtræ minus conveniens aut populo ſit ſcandaloſum, proferant.

III. Indulgentiæ ignotæ aut ſuſpectæ a nemine etiam Regularibus & exemptis publicentur, niſi prius a Nobis viſitatæ & approbatæ fuerint.

IV. Catholica Eccleſia ex ſacris literis & antiqua Sanctorum Patrum traditione in omnibus Conciliis, noviſſime

(c) Pſalm. 92. c. Decet. de Immunit. Eccleſ. in 6.
(d) S. Auguſtin. contra Fauſtum lib. 20. c. 21. Concil. Trid. d. Decreto: de invoc. Sanct. Seſſ. 25. c. Venerabiles. de Conſecr. d. 3.
(e) Matth. 16. Joan. 20. c. Audivimus. & c. Quodcunque. 24. q. 1. c. Ut conſtitueretur. d. 50. c. Adhuc. de Pœn. & Remiſſ. in 6. Conc. Trid. Seſſ. 25. Decreto de Indulgent.

Digitized by Google

me etiam in Sacra Tridentina Synodo (*f*) docuit ac definivit, purgatorium esse, animasque ibi detentas fidelium suffragiis, potissimum acceptabili & tremendo Altaris Sacrificio juvari, unde vetustissimus usus Anniversariorum Sacrificiorum pro Defunctis, quia creditum semper fuit a Christianis, nonnunquam annos aliquot in his pœnis consumi.

V. Vivorum suffragia, Missarum scilicet Sacrificia, orationes, eleemosynæ, aliaque pietatis opera, (*g*) quæ a fidelibus vivis pro aliis fidelibus defunctis fieri consueverunt, secundum Ecclesiæ instituta fiant.

VI. Pro pueris in innocentia defunctis nulla suffragia fiant, cum illis non indigeant.

VII. Missæ, orationes, eleemosynæ, & similia opera, quæ pro fidelibus defunctis ex fundatione vel alia ratione debentur ab iis, qui ea præstare tenentur, non perfunctorie aut ex parte tantum, sed diligenter ac integre persolvantur. (*h*)

TITULUS XXIII.

De Festis Diebus.

I.

FEsti dies non ad otium & ingluviem, sed ad profectum nostrum spiritualem, ad celebrandas Dei & Sanctorum Laudes ab Ecclesia sunt instituti, (*i*) ut, quia per totam fere hebdomadam negotiis & operibus sæcularibus intenti sumus, saltem his diebus mentem nostram ferventius ad Deum elevemus, & salutis animarum nostrarum aliquam rationem habeamus.

II. Celebrari autem in Episcopatu nostro Constantiensi sub præcepto volumus & mandamus dies & festa sequentia; videlicet diem Dominicam, quæ in gloriam Dominicæ Resurrectionis a primitiva Ecclesia ad nos usque maxime celebris semper est habita; Festum Nativitatis Domini, S. Stephani Protomartyris, Sancti Joannis Evangelistæ, Ss. Innocentium, Circumcisionis & Epiphaniæ Domini, Festum Paschatis, cum feria secunda & tertia, Ascensionis Domini, Festum Pentecostes cum feria secunda & tertia, Corporis Christi. Quatuor festa Beatissimæ MARIÆ Virginis: videlicet, Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis. Festa Ss. Apostolorum, Andreæ, Thomæ, Mathiæ, Philippi & Jacobi, Petri & Pauli, Jacobi, Bartholomæi, Matthæi, Simonis & Judæ, S. Nicolai Episcopi, S. Georgii Martyris, Joannis Baptistæ, Mariæ Magdalenæ, Laurentii Martyris, Michaelis Archangeli, omnium Sanctorum, S. Martini Episcopi, Catharinæ Virg. & Mart., S. Conradi Episcopi & Patroni nostri. Et in Civitate Constantiensi festum S. Pelagii Martyris, etiam Patroni nostri, item Dedicationis Ecclesiæ nostræ Cathedralis.

III. Denique cum Divina testentur eloquia, confirmetque veneranda antiquitas, Beatis Spiritibus, Sanctis Angelis creditam Divinitus nostri custodiam, nihil antiquius nobis esse debet, quam ut hos fidissimos Custodes naturæ nostræ fragilis, viæ ac vitæ Comites & Duces speciali quadam veneratione, his præsertim temporibus, quibus major fere Christiani orbis pars non uno, sed multis malis & calamitatibus laborat & afflictatur, afficiamus, proinde exemplo multarum Provinciarum, & ipsa temporum difficultate rationabiliter inducti Synodali hac Constitutione serio mandamus ac volumus, ut inposterum per Diœcesin nostram Constantiensem Sanctis Angelis locorum, hominumque Custodibus singularis cultus, festusque dies singulis annis Dominica octavam Apostolorum Petri & Pauli immediate sequente, juxta speciale Officium, quod Constantiæ propediem imprimi curabimus, cum solenni cæremonia, utrisque Vesperis, Officio & concione, ad populum tali festo accommodata, celebretur.

IV. Quibus jam specificatis Festis & diebus interdicimus omnibus & singulis Clericis tam sæcularibus, quam Regularibus & Laicis, cujuscunque status, conditionis & præeminentiæ fuerint

(*f*) Sess. 25. in Decreto de Purgatorio. (*g*) d. Sess. & Decreto. c. Animæ defunctorum. 13. q. 2. (*h*) Ex Decr. de Invoc. Sanct. Sess. 25. & ibid. ex Decr. de cib. delect.
(*i*) Ex Decreto de Invocat. Sanctor. Sess. 25. & ibid. ex Decr. de ciborum delectu.

by Google

rint, omnia opera ſervilia, & alia illicita, ut ſunt comeſſationes, ebrietates, & ſimilia. (k) Econtra vero præcipimus, ut unusquisque his diebus audiendæ concioni, orationi & pietati vacet, Miſſæque Sacrificium integrum ſub reatu peccati mortalis audiat. (l)

V. Ut autem fideles curæ noſtræ commiſſi ſcire poſſint, qua hora feſtus dies incipiat & deſinat, pro Civitatis & Diœceſis noſtræ conſuetudine feſti diei initium a media nocte, quæ illius diei celebritatem proxime præcedit, fieri, & ſequenti itidem nocte eundem diem terminari & concludi declaramus, atque decernimus.

VI. Cæteræ Feſtivitates, quacunque ratione inſtitutæ, cuique loco liberæ ſint, ubi tamen communi conſenſu & Cleri & populi aliquæ receptæ ſunt, ibi eas ſervari volumus.

VII. Diebus Dominicis & Feſtivis curent Parochi, agantque cum Magiſtratu ſæculari, ut officinæ opificum & mercatorum ſint clauſæ, ut nihil ematur & vendatur, præter id, quod ad victum illius diei, vel ad ægrotorum curationem eſt neceſſarium; ne nundinæ fiant, ſed quæ feſto die fieri conſueverunt, in antecedentem vel ſubſequentem diem rejiciantur, ut ludicra, & ſæcularia ſpectacula, choreæ, & ſaltationes tempore Divinorum Officiorum, Concionum, Catecheſis & Veſperarum non permittantur, quo populus, præſertim vero pueri Eccleſiam & Divina Officia frequentandi majorem occaſionem habere poſſint. (m)

VIII. Nemo ſæcularium ex quacunque cauſa diem Feſtum publice prophanandi, & in alium diem transferendi ſibi poteſtatem aſſumat: ſed ſi quid ex evidenti aliqua neceſſitate tempore Meſſis, vel Autumni circa hoc faciendum ſit, cum noſtra, vel Vicarii noſtri, vel ſi commode propter moræ periculum fieri nequeat, cum Decani ruralis aut Parochi conſilio & aſſenſu fiat.

TITULUS XXIV.

De Jejuniis ac delectu ciborum.

I.

JEjunandi tempora jam inde ab Apoſtolorum temporibus in Græca & Latina Eccleſia a Catholicis ſemper obſervata fuerunt. Jejunium enim, quod ſalubritati corporum, & animarum expedit, in Sacris Literis, non tantum ſummopere commendatur, verum etiam expreſſam Divinæ gratiæ promiſſionem habet.

II. Jejunia vero, quæ ex præcepto Eccleſiæ ſervari debent, ſunt Quadrageſima tota, Dominicis in ea occurrentibus exceptis, incipiendo a feria quarta Cinerum, uſque ad Sabbatum Sanctum incluſive. (n) Quatuor anni tempora, (o) quorum primum eſt, circa principium Quadrageſimæ poſt Dominicam *Invocavit*, ſecundum in hebdomada Pentecoſtes, tertium in Septembri feria quarta poſt Exaltationis Sanctæ Crucis, & poſtremum in Decembri feria quarta poſt feſtum Luciæ. Sunt autem in ſingulis Angariis tres dies, quibus ad jejunandum obligamur, videlicet feria quarta, feria ſexta, & Sabbatum. Item Vigiliæ Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. V. Mariæ, Nativitatis S. Joannis Baptiſtæ, Sancti Laurentii, omnium Sanctorum & Apoſtolorum, excepta Vigil. Ss. Philippi & Jacobi, & S. Joannis Evangeliſtæ. (p) Hæc mature pro concione denuncient Parochi, ne quis forte, cum non jejunat, ullum ignorantiæ & inobedientiæ ſuæ prætextum allegare poſſit.

III. Inolevit apud plerosque hic abuſus, quod ſe jejunio ſatisfacere exiſtiment, ſi tantum a carnibus abſtineant. Proinde diligenter inſtruant Parochi populum, quomodo & a quibus jeju-

(k) C. Omnes. c. Conqueſtus. de Feriis. Concil. Trid. d. locis.
(l) C. Miſſas. c. Et hoc. de Conſecr. diſt. 1.
(m) C. Omnes. de Feriis. & ex Synodo Provinc. Mogunt. anno 1549. celebrata. Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus officium. Sub dato Romæ 6. Cal. Aprilis Anno* 1566. (n) C. Quadrageſima. de Conſecr. diſt. 5.
(o) C. Jejunium. cum duob. ſeqq. c. Statuimus. d. 76. (p) C. Conſilium noſtrum. de obſervat. jejun.

jejunandum, & quæ ſit differentia inter jejunium & abſtinentiam. Jejunium enim non tantum conſiſtit, ut abſtineamus nos a cibis prohibitis, ſed etiam ut unica cibi refectione in die contenti ſimus, neve dum a cibis abſtinemus, aliarum rerum delitias conſectemur, & genio noſtro indulgentes in varia peccata prolabamur, parum enim prodeſt homini corporis abſtinentia, ſi animus peccatis indulgeat. (q)

IV. Atque hæc jejunia ab univerſis ætatem habentibus Clericis atque laicis ne legitime excuſatis, ſub periculo & reatu peccati mortalis obſervanda ſunt.

V. Qui evidentis morbi alteriusque juſtæ cauſæ excuſationem habent, licentiam a Vicario noſtro, aut propter moræ periculum a Parocho ſuo, in ſcriptis accipiant, eamque quoad morbum de Medici, ubi ejus copia haberi poteſt, conſilio.

VI. Abſtinentia eſt, quando corpus quidem bis aut etiam ſæpius in die reficimus, a carnibus tamen & cæteris prohibitis eſcis abſtinemus, prout ſub ſimili peccati mortalis reatu diebus Dominicis Quadrageſimæ, & omni feria ſexta (r) & Sabbato (s) cujuslibet hebdomadæ per annum, feſto Nativitatis Domini, quando in eos dies inciderit (t) excepto, obligati ſumus.

VII. Quæ jejunandl & abſtinendi ratio eo magis pro concione urgenda & declaranda eſt a Parochis, quo minus hac noſtra ætate fere apud omnis generis & ſtatus homines valere conſpicitur.

VIII. Quibus ob infirmam valetudinem aut aliam juſtam cauſam permittitur diebus ab Eccleſia veritis carne veſci, admoneantur, ne publice & coram familia, ſed ſeparatim in aliquo privato cænaculo ejus generis cibum capiant.

IX. Si feria ſecunda Feſtum aliquod incurrat celebrandum, quod habet Vigiliam, Sabbato præcedenti jejunetur, (u) nec ulterius trahatur Vigilia, quamvis in Sabbatum aliud jejunium incidat.

X. Cum in plerisque Catholicis locis Diœceſis noſtræ, feria quarta Cinerum non tantum carnes paſſim & publice comedantur, ſed etiam varii generis ſtulta ſpectacula, luſus, tripudia, & comeſſationes celebrentur, & ſic apud plerosque luxu potius, & ingluvie, quam cinere & cilicio Quadrageſimæ fiat initium, ſerio injungimus & mandamus locorum Parochis, ut conſuetudines hujusmodi pravas & ſcandaloſas, auxilio Magiſtratus ſæcularis, omnino tollant, & graviſſime prohibeant.

TITULUS XXV.

De Scholis privatis.

I.

MAgna diligentia adhibenda eſt, ut juventus recte educetur & inſtituatur: eſt enim adoleſcentium ætas prona, ad mundi voluptates & illecebras ſequendas, (x) quæ niſi a teneris annis ad pietatem, ſtudia & bonos mores informetur, ita vitiorum omnium habitus induit, quos poſtmodum ex ipſorum animis eradicare fere ſit impoſſibile: nam illa puerorum teſta nova non facile odorem exuit, quem recens imbibit. Filii tibi ſunt, ait Eccleſiaſticus, (y) erudi illos, & curva illos a pueritia illorum. Statuimus itaque, ut in ſingulis Diœceſis noſtræ oppidis, Caſtellis, & celebrioribus pagis juxta cujusque loci neceſſitatem Scholæ publicæ ſeu Ludi literarii latini, & germanici pro utriusqne ſexus Chriſtiana juventute habeantur, in quibus honeſta ingenia ad pietatem imprimis erga Deum, obedientiam erga Parentes & Magiſtratus, tum in moribus bonis, & literis pro cujusque captu, conditione & occaſione erudiantur, atque ad uſum & commodum Reipublicæ Chriſtianæ idonea reddantur. Nullum enim munus Reipublicæ adferri majus, meliusve poteſt, quam

(q) C. Jejunium. de Conſecr. d. 5. (r) C. De eſu carnium. de Conſec. diſt. 3.
(s) C. Sabbato. de Conſecr. diſt. 3. & diſt. 5. c. Quia dies.
(t) C. Explicari. de obſerv. jejuniorum. (u) C. 1. de obſerv. jejunior.
(x) Geneſ. 8. (y) Cap. 7.

Digitized by Google

quam ſi doceatur atque erudiatur juventus.

II. Proinde hortamur in Domino Eccleſiarum Prælatos & cujuslibet loci Magiſtratum, (z) ne huic tam pio ac neceſſario operi deſint, ſed ubi Scholæ hujusmodi jam inſtitutæ ſunt, eas omni diligentia conſervent; ubi vero temporum injuria intercidiſſent, aut hactenus nondum inſtitutæ fuiſſent, eas, quacunque ratione commode fieri poteſt, nulla ſumptus habita ratione reſtaurent, ſive de novo inſtituant.

III. Præceptores, Magiſtri & Proviſores aſſumantur idonei Viri Catholici, pii morati & docti, (a) qui antequam munus ſuum incipiant, coram Parocho loci, fidei Catholicæ Profeſſionem faciant.

IV. Magiſtri Scholarum, ſive latine, ſive germanice doceant, illud inprimis curent, ut pueros ſibi commiſſos in rudimentis Catholicæ fidei, juxta formam Catechiſmi minoris Petri Caniſii inſtruant, atque ad omnem modeſtiam, Chriſtianosque & bonos mores inſtituant. Ad quam rem vita Magiſtrorum magnum adfert momentum, nimirum ſi talis ea fuerit, in quam nulla juſta cadere poſſit reprehenſio: nam ut infantes nutricum, ſic pueri vitam & mores Præceptorum ſæpe referunt. In prophanis ea prælegant, quæ puerorum ætati conveniunt. Caveant autem, ne authoribus minus probatis, ſuſpectis, aut impudicis utantur, qui fidei & moribus puerorum officere poſſent.

V. In Scholis Teutonicis puellæ ſeorſim a pueris maſculis inſtituantur.

VI. Scholas Eccleſiar. & Collegiorum Prælati eorundem, vel ad quos de jure vel conſuetudine pertinet, viſitent: Scholas vero oppidorum, caſtellorum & inſigniorum pagorum cujusliber loci Parochi. Ubi tamen minime prohibemus, quin Magiſtratus ſæcularis una cum Parocho per honeſtos & peritos viros a ſe deputatos hoc officium præſtare poſſit.

VII. Cæterum diligenter curent ac circumſpiciant Scholarum Viſitatores, quicunque illi fuerint, ne quid in illis, quæ ad Catholicam Religionem, pietatem & pios mores pertinent, negligatur.

TITULUS XXVI.

De Seminario.

I.

QUantum Clericorum bene inſtituta Seminaria utilitatis Eccleſiæ Dei adferant, neminem eſſe arbitramur, qui id ambigat: nam ſi Divino cultui mancipandi Clerici a teneris, tum in pietate bonisque moribus, tum in literarum ſcientia bene inſtituantur, facile hæreſes & ſchiſmata extirpantur, Eccleſiæ priſtinus nitor, nec non Sacerdotio ſuum decus reſtituitur, & per conſequens efficitur, ut Eccleſia, eruditione, pietate & vitæ puritate mire floreat, & ſingulæ Eccleſiæ Miniſtros idoneos ad bene & laudabiliter obeundum munus ſuum habere poſſint. Unde non immerito Sacroſancta Tridentina Synodus (b) in ſingulis Diœceſibus unum vel plura hujusmodi Clericorum & Eccleſiæ Miniſtrorum Seminaria erigenda & inſtituenda decrevit. Quod Decretum licet Nos in hac noſtra Diœceſana Synodo exequi vehementer deſideremus: quia vero cognoſcimus hoc tempore propter alias & multorum annorum contributiones, ac varia Eccleſiaſticorum Statuum Diœceſis noſtræ gravamina, tum etiam quod Capitulum noſtrum Cathedrale jam antea viginti alumnos Clericos aluerit, ac etiamnum alat, Seminarii erectionem non niſi cum ſumma difficultate fieri poſſe, cogimur ſalutare hoc inſtitutum ad proxime futuram noſtræ Diœceſis Synodum, melioraque tempora differre. Omnes & ſingulos Diœceſis noſtræ Status Eccleſiaſticos tam Sæculares, quam Regulares, in Domino exhortantes, ut interea de modo ac ratione tam pii, ac ſaluberrimi operis inſtituendi cogitent, & quantum poſſibile fuerit, ad Dei gloriam, Fidei noſtræ & Eccleſiæ Catholicæ

(z) Ex Conc. Trid. Seſſ. 5. de Reform. Matrim. c. 1.
(a) Ex d. c. 1. Seſſ. 5.
(b) Seſſ. 23. c. 18.

licæ incrementum una nobiscum executioni demandent, quod a Sacro Tridentino Concilio ſalubriter eſt conſtitutum.

Finis primæ Partis.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM *PARS SECUNDA.*

TITULUS I.

De vita & honeſtate Clericorum.

I.

CUm nihil fere ſit, quod magis & efficacius ad pietatem & DEI cultum homines inſtruat, quam probata vita & exempla eorum, qui in ſortem Domini vocati, (c) Divina munera diſpenſant, & Eccleſiaſticis Miniſteriis præficiuntur. Cum enim a rebus ſæculi in altiorem ſublati locum conſpiciantur, in eos tanquam ſpeculum reliqui oculos conjiciunt, ex iisque ſumunt, quod imitentur: Econtra vero Sacerdotii majeſtas atque dignitas paſſim apud plebem, non aliam ob cauſam vileat, contemnatur, & propemodum concidat, quam propter multorum Eccleſiaſticorum hominum levem & minus probatam vitam.

II. Quapropter Clerici noſtri vitam, moresque ſuos omnes ita componant, ut habitu, geſtu, inceſſu, ſermone, aliisque rebus omnibus nihil, niſi grave, moderatum, pietate ac religione plenum præ ſe ferant. (d) Sic luceat lux veſtra coram hominibus, (e) ut videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum, qui in cœlis eſt. Et quia lux mundi, (f) ſal terræ, exemplum fidelium, & aliis nominibus cum laude appellantur Clerici, vehementer optamus, ut hujusmodi nomina re ipſa tueantur: quod, ut faciant, hac noſtra Synodali Conſtitutione præcipimus; neque impune ferent, qui paterna noſtra monita non audierint.

III. Tonſuram Clericalem omnes ferant Ordini ſuo convenientem, (g) eamque, quoties opus fuerit, ad minus tamen ſingulis menſibus renovent; myſtacem, indecoramque barbam nemo alat. Labra præciſis pilis paululum aperiantur, ne pili in Sacrificio Miſſæ Chriſti Domini Corpus & Sanguinem ſumentem impediant, aut aliqua fortaſſis Venerabili Sacramento irreverentia fiat.

IV. Oblongos, Germanorum more, aut abſciſſos deferre capillos cuique liberum ita permittimus, ne tamen vel comæ ſtudioſius nutriantur, vel ita abſciſſi ſint capilli, ut corona conſpici non poſſit.

V. Habitus ſit honeſtus (h) & ſimplex uniuscujusque dignitati ac ſtatui conveniens, in eo nihil ſtudioſius exquiſitum aut nimis abjectum ſordidumque habeatur.

VI. In oppidis & locis celebrioribus veſte talari, in villis paulo breviori utantur. Cum vero iter faciunt, ne ita brevis & ſuccincta ſit veſtis, quin fimbria infra genua cadat. In omni veſtitu, præſertim externo, color tantum niger adhibeatur. (i)

VII. Veſtes, quas domi induunt Clerici, ejusmodi ſint, quæ non colore, non ulla habitus ſpecie a Clericali modeſtia diſcrepent. (k)

VIII. Collaria plana ſint, quæ commode ſuper veſte reflecti poſſint, criſpata, lactucata, nimium elaborata & acu picta, quæ militem vel aulicum potius ornant, omnino prohibemus.

IX. A turgidis & diſſectis caligis abſtineant, nec calceos ad elegantiam incidant. Torques, armillas & monilia reſpuant, nec annulum portent, niſi quibus propter officii munus aut honoris gradum ſit jure conceſſus. (l) Eum vero, dum Miſſæ Sacrificium faciunt, Sacerdotes deponant.

X.

(c) C. Clericus. 12. q. 2. (d) D. Paulus ad Col. 3. & 4. ad Epheſ. 5. ad Philip. 4.
(e) Matth. 5. (f) Matth. 5. (g) C. Prohibere. c. Clerici. diſt. 23. c. Clerici 2. c. Clericis. de vita & hon. (h) 1. Timoth. 2. Conc. Trid. Seſſ. 24. de Ref. c. 12.
(i) C. penult. de vita & hon. Cler. c. 2. eod. in 6. (k) C. Clerici 2. de vita & hon. Cler.
(l) d. c. Clerici.

X. Clericorum arma ſunt orationes & lachrymæ; Idcirco ſtatuimus, ne Clerici arma cujusvis generis, ſive ad offenſionem, ſive defenſionem ullo unquam tempore deferant. (*m*) In itinere tamen enſem brevem, qui pallio tegatur, non alia arma permittimus. (*n*)

XI. Transgreſſores circa prædicta pœnis a Sacra Tridentina Synodo definitis coercebimus, atque ad debitam vitæ honeſtatem revocabimus.

XII. Menſa & ſupellex Clericorum ſit frugalis & modeſta, nihil delicatum, nihil ſumptuoſum, nihil quod non Dei zelum, ſimplicitatem, & omnium rerum inanium contemptionem teſtetur. (*o*) Hoſpitalitatem non ſplendidis & ſumptuoſis conviviis, ſed largis eleemoſynis exhibeant, & Patrimonium Chriſti non luxuriando conſumant, ſed in uſum Eccleſiæ, & pauperum convertant.

XIII. Clerici omnes accubituri menſis benedicant, & peracto prandio Deo, cujus benignitati omnia accepta ferenda ſunt, gratias agant.

XIV. Famulatum pro cujusque ſtatu & dignitate non niſi neceſſarium, & bonis moribus inſtitutum habeant. (*p*)

XV. Comeſſationes, & compotationes, diurnæ nocturnæ, ad æquales hauſtus, provocationes ſive domi & privatim, ſive pulice fiant, maximopere deteſtandæ ſunt in Clerico, cum non ſine magnis animi, corporis & fortunæ periculis, & incommodis fieri conſueverint. Eas proinde ſub graviſſima pœna Clericis omnibus interdicimus. (*q*)

XVI. Et quia frequenter multi Clerici hoſpitia publica, & diverſoria contra Sacrorum Canonum & Conciliorum prohibitionem (*r*) frequentant, cum ruſticis, & aliis per integros dies & noctes potitant, ex qua turpi & indecora conſuetudine, Eccleſiaſticus Status plurimum vileſcit, præſentium tenore ſtatuimus, ac Vicario & Fiſcali noſtro ſerio injungimus, ut, quotiescunque Clericum aliquem in publicis tabernis & diverſoriis ſic potitantem cognoverint, eum pro prima vice decem florenis, pro ſecunda decem dierum incarceratione puniant, pro tertia vero vice tanquam temulentum & incorrigibilem officio & beneficio privent.

XVII. In eos autem, qui alias publice ebrii fuerint, vel poſt ebrietatem ſine confeſſione celebraverint, juxta modum culpæ, aut pecuniaria, aut gravioribus pœnis animadvertant.

XVIII. Caſum itineris & honeſtatis excipimus, ut ſi quis ad amicum peregrinantem, ad honeſtas nuptias, aut alia convivia publice in publicis diverſoriis haberi conſueta vocetur, vel ex alia legitima cauſa hoſpitia publica honeſta adeat. Quibus tamen caſibus memores eſſe volumus decoris Eccleſiaſtici, ut Clericali honeſtate dignos geſtus præferant, & verbo & exemplo ſeipſos exhibeant, ſicut Dei Miniſtros, nemini dantes offenſionem. (*s*)

XIX. Blaſphemantes, & ad tertium quodque verbum ſine ulla neceſſitate ac reverentia per Eccleſiæ Sacramenta, per vulnera, crucem & paſſionem Chriſti jurantes Clericos Vicarius noſter juxta Canonicas (*t*) Sanctiones ſeveriſſime & ita puniat, ut alii, ſi non amore Dei & honeſtatis, ſaltem timore graviſſimæ pœnæ deterreantur.

XX. Qui choreas ſive publice, ſive privatim duxerint, larvati quocunque modo inceſſerint, aut nocturno tempore cum vel ſine armis tumultuarie vaga-

(*m*) C. Clerici. 23. q. ult. c. Clerici. de vita & honeſt. Cler. (*n*) Facit gloſſa in d. c. Clerici. de vita & honeſt. Cler. (*o*) Conc. Trid. Seſſ. 22. de Refor. c. 1.

(*p*) d. c. 1. Seſſ. 2. (*q*) Ad Philip. 3. c. A crapula. de vita & hon. Cler. Conc. Trid. Seſſ. 22. de Ref. c. 1. (*r*) Can. Apoſtolorum 53. Conc. Laodic. 24. Conc. Carthag. 3. can. 27. Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Reform. c. Clerici. d. 44. c. Clerici. 1. de vita & honeſt. Cler. (*s*) 2. Corinth. 6.

(*t*) Conc. Lateran. ſub Leone X. Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus officium. Sub dato Romæ 6. Cal. Aprilis Anno* 1566. Conc. Trid. Seſſ. 24. c. 12. de Refor.

vagati fuerint, per menſem ab officio ſuſpendantur, & fructibus beneficii priventur.

XXI. Tanta eſt quorundam Clericorum levitas, ut ſe in conviviis, ſympoſiis, vel ſimilibus conventibus pro ludionibus & mimis gerant, varios jocos, dicteria & ſcommata effingant, & præſentes non tantum ad immoderatos cachinnos, ſed etiam ad quædam alia minus honeſta permoveant. Quæ cum ordini ac dignitati Clericali valde ſint indigna, magnaque ſit (*u*) abominatio, Clericum ante prandium Divina Sacramenta diſpenſare, a prandio ſcurram & joculatorem agere, ſub pœna depoſitionis ab officio & privationis beneficii prohibemus.

XXII. Spectaculis prophanis, haſtiludiis, choreis Clerici (*x*) ſub pœna unius floreni non interſint: facile enim honeſtæ aures & oculi Divino cultui mancipati, hujusmodi ludicris actionibus diſtrahuntur.

Quando neces & cruciamenta improbis hominibus judicio & ſententia Magiſtratus ſæcularis inferuntur, Eccleſiaſtici ordinis viri, ſub pœna quatuor florenorum nullo modo interſint, (*y*) iis exceptis, qui conſolandi officium illis, qui ad ſupplicium ducuntur, ex munere vel ad id ſpecialiter vocati, præſtant.

XXIII. Sicut Clericorum luxus & Eccleſiaſticorum bonorum minus honeſta ac prodiga conſumptio; ita avaritia ac nummorum nimia & ſordida accumulatio apud populum grave generant ſcandalum. Itaque Clerici præſertim quæſtus gratia, negotiis ſæcularibus, mercaturis, alienæ rei procurationibus, prophanis advocationibus, decimarum conductionibus, & ſimilibus minime ſe immiſceant. (*z*) Et quia aliqui ſunt Clerici, qui frumenta aut vina tempore utilitatis pretii eorundem coemunt, aut ruſticis per annum pecunias ſive frumenta ad meſſem & autumnum certis & illicitis pactis dare ſolent, ut ea poſtmodum tempore cariſtiæ(*) duplo vel triplo majore pretio vendere poſſint; quæ cum valde ſordidum & proximo injurioſum quæſtum ſapiant, atque etiam in laicis deteſtemur, ſub pœna 20. florenorum, hujusmodi contractus, & vini, frumentive emptiones, Clericis prohibemus.

XXIV. Indecorum etiam eſt Clericos cauponarios eſſe, (*a*) & in ædibus ſuis vina menſuratim divendendo, ruſticos, ſeu alios quosvis homines bibulos ad diurnas nocturnasque compotationes pretio ſuſcipere, cum accidere ſoleat, ut plerumque compotatores illi mero æſtuantes, in omnem libidinem & petulantiam deſpument, & cum maximo ſcandalo clamoſa vociferatione jubilent, obſcœna, & nonnunquam aperte impia proferant, quandoque etiam omnis generis rixas, conflictus, & ſæpe clades committant. Quamobrem ſerio mandamus omnibus Parochis, Sacerdotibus & Clericis, ne impoſterum tabernam erigant, atque in ſuis ædibus Parochialibus ſive Beneficialibus ruſticos, & alios quoscunque adventantes, ad compotandum ſuſcipiant. In transgreſſores Vicarius noſter juxta delicti qualitatem pœna arbitraria animadvertat.

XXV. Non tamen prohibemus, quin illi, qui non minimam partem ſuorum proventuum Eccleſiaſticorum in vino colligunt, & jus publice vinum ſub menſura vendendi habent, eo jure uti poſſint, hac tamen conditione, ne per ipſos, ſed alias honeſtas perſonas ſæculares hujusmodi vina menſuratim ſine aliquo ſcandalo divendant.

XXVI. Ubi Parochi, aut alii Clerici ad exhibenda quædam convivia, certis perſonis ſive Laicis, ſive Clericis, ſive utrisque ſimul obligantur, ſerio mandamus, & ſub pœna decem florenorum præcipimus, ne hujusmodi convivia diebus feſtivis aut jejuniorum fiant, ſed in alios dies differantur. Magis tamen ac libentius vellemus, ut ea, ſi ſine gravi ſcandalo & offenſione fieri poſſit, omnino tollerentur, atque hujus-

(*u*) C. His. d. 23. (*x*) C. Clerici. de vita & honeſt. Cler.
(*y*) C. Sententiam. Ne Clerici vel Monachi.
(*z*) C. Clerici. 2. de vita & honeſt. Cler. c. 1. 2. c. Secundum. Ne Clerici vel Monachi.
(*) Chariſtia convivia erant cognatorum. *Ovid. L. 2. Faſt.* & *Valer. L. 2. cap. 1.* Pro annona gravi ac difficili ſumi, ſed imperite, ait *L. V. Caleptinus.*
(*a*) Ex Concil. Agath. Laodic. & Carthaginenſi ultimo, & ex Conc. Viennenſi.

hujusmodi profusiones pauperibus erogarentur. Ludum aleæ, talorum, taxillorum, tesserarum (*b*) venationes, aucupia (*c*) Clero Diœcesis nostræ penitus inhibemus.

XXVII. Tempus, quod a persolutione Divinorum Officiorum Clericis supereſt, cum levibus, suspectis & minus probatis personis non transigant, aut conversationibus vanis, & otiosis vel continuis deambulationibus per forum, vicos & plateas non impendant, sed studiis, sacris lectionibus, pietatis & charitatis officiis, aliisque honestis exercitiis consumant.

XXVIII. Recreationibus pro conservanda valetudine, necessariis & honestis, atque a jure permissis, quo minus pro ratione temporis & loci utantur Clerici, non impedimus.

XXIX. Medendi artem quovis modo, cum vel sine incisione, etiam si gratis fiat, Clerici non exerceant, (*d*) nisi a Nobis, vel Vicario nostro condignis pœnis multari velint.

XXX. Si Clericus Clericum vel Laicum probris, maledictis aut convitiis prosciderit, armis aut pugnis percusserit, crinibus aut barba traxerit, lignis, lapidibus, cantharis aut vitris projecerit, membro aliquo mutilaverit, aut membrum inutile reddiderit, præter justam satisfactionem, læsæ parti factam, pro qualitate excessus pecunia, carcere, suspensione ab officio, aut privatione beneficii per Vicarium nostrum irremissibiliter plectatur. (*e*)

XXXI. Sanctimonialium Monasteria quæcunque, etiamsi debita clausura in iis nondum sit instituta, ingredi Clericis omnibus, serio non tantum interdicimus, (*f*) sed etiam in hoc genere delinquentes præter Canonicas censuras gravissime puniemus.

XXXII. Et quia ut plurimum Clerici ad anniversaria, aut alias exequias in Monasteriis Sanctimonialium celebrandas convocantur; volumus ac mandamus, ne tales Clerici Monasteria ipsa, quacunque ratione intrent, atque intra, vel extra ea, cum Monialibus comedant, sed vel pecuniaria aliqua præsentia contenti statim discedant, aut si ipsis refectio præbeatur, eam extra Monasterium in loco aliquo honesto, & sine præsentia Monialium modeste ac sine ebrietate recipiant. Contrafacientes Vicarius noster severissime puniat.

XXXIII. Denique quæ a Summis Pontificibus, Sacris Canonibus & Oecumenicis Conciliis, maxime vero Sancta Tridentina Synodo de Clericorum honestate ac modestia retinenda, de luxu, scandalo, & quibuscunque criminibus vitandis, copiose & salubriter constituta sunt, eadem sub inibi expressis aut etiam majoribus pœnis, nostro arbitratu, tanquam si hic de verbo ad verbum inserta essent, ab omnibus Clericis Diœcesis nostræ cujusque status, conditionis aut præeminentiæ fuerint, integre servari præcipimus.

TITULUS II.

De Prælatis & Canonicis Ecclesiæ Cathedralis & Collegiatarum.

I.

CUm Ecclesiasticæ disciplinæ retinendæ & conservandæ causa Ecclesiarum dignitates sint institutæ, curent Ecclesiæ nostræ Cathedralis Prælati, Canonici, & Collegiatarum Præpositi, Decani, seu alii Superiores, ut non tantum verbis & correctionibus, sed etiam exemplo suo, cultum Divinum promovere, Ecclesiasticam disciplinam diligenter conservare, atque nos opera & officio juvare studeant.

II. Quo autem commodius & disciplina conservari, & cultus Divinus peragi valeat, maximopere conducit, si Ecclesiarum Collegia non tantum Capituli, sed etiam Chori Statuta habeant.

(*b*) Sæped. c. Clerici. 2. de vita & honest. Cler. Concil. Trid. Sess. 24. de Refor. c. 12.
(*c*) C. 1. & 2. de Clerico venatore.
(*d*) C. Sententia. Ne Clerici vel Monachi.
(*e*) C. 1. de Clerico percusso.
(*f*) Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. de Regular. Bulla Gregorii XIII. quæ incipit: *Ubi gratiæ. Sub dato Romæ Idibus Junii Anno 1575.* c. Monasteria. de vita & honest. Cler.

Digitized by Google

III. Qui dignitates in Ecclesia nostra Cathedrali vel Collegiatis obtinent, juxta Ecclesiarum statuta & consuetudines resideant, ac muneri & officio suo, si ad aliquod obligantur, satisfaciant.

IV. Ecclesiarum Superiores Chori tantum & Capituli excessus discrete puniant, reliquos Nobis, aut Vicario nostro puniendos relinquant. Si quis plus juris & superioritatis sibi assumere & usurpare conatus fuerit, quam legitime competat, eum ab hujusmodi attentatis, censuris Ecclesiasticis revocabimus.

V. Jurisdictioni, quam Decanus Ecclesiæ nostræ Cathedralis non in universum Clerum Civitatis Constantiensis, sed tantum in Clerum Ecclesiæ Cathedralis, certo modo habet, nihil derogamus, si consueti termini non excedantur.

VI. Canonicorum ordo in Ecclesia antiquus est, inde dicti, quod vel certam Regulam secuti fuerint, vel ad Horas Canonicas in Ecclesia dicendas simul convenerint. Eorum officium est Horis Canonicis nocturnis & diurnis interesse, (g) hebdomadatim celebrare vel Celebranti ministrare. Canonici in Ecclesiis Collegiatis in Choro non sint in sedibus suis otiosi ac muti, sed una cum reliquis psallant, nisi valetudine aut alia legitima causa impediantur.

VII. Canonici a Processionibus solennibus & aliis supplicationibus quibuscunque sine legitima ac necessaria causa se non absentent, sed eorum exemplo inferioribus Clericis & laicis ad eorum facta intuentibus, ad pietatem præeant.

VIII. Si quæ Præbendæ Canonicales, habent annexum ordinem Sacerdotii & onus celebrandi Missas, curent eorum possessores, ut satisfaciant, neque onus in alios rejiciant, nisi approbatis fundationibus aliter sit constitutum. (b)

IX. Ut Canonici Præpositis, Decanis, aliisve Superioribus suis obedientiam & reverentiam debitam exhibere, ita vicissim Superiores & Prælati Canonicis suis amorem, benevolentiam & condignum honorem præstare debent.

X. Distributiones quotidianæ in Ecclesiis, ubi plures Sacerdotes sunt, & parva vel nulla præsentiarum distributio est, ita instituantur, ut Tridentini Concilii Decretis, (i) quantum commode fieri potest, satisfiat.

XI. Quum gratiæ illæ, quas *Exspectativas* vocant, ad Canonicatus & Beneficia vacatura per Sacrum Concilium Tridentinum sublatæ sint; (k) ita ut amplius nemini, etiam Collegiis, Universitatibus, Senatibus & aliis singularibus personis etiam sub nomine indulti aut ad certam summam vel alio quovis colore concedi, nec hactenus concessis cuiquam uti licere, atque non solum nostra Cathedralis, sed & quædam Collegiatæ Ecclesiæ Episcopatus nostri certum expectantium hujusmodi numerum habere consueverint. Ut igitur ejusdem Concilii Decreta debite exequamur, Nos ejusmodi exspectantias omnes in Ecclesiis Collegiatis hac nostra Constitutione tollimus & volumus, ut imposterum Canonicatus vacantes non nisi adultis juxta Decreta Sanctorum Canonum, & præsertim Concilii Tridentini qualificatis conferantur. Alioquin collatio aliter facta, sit nulla & invalida. Attamen Capitulo Cathedralis Ecclesiæ nostræ nihil innovare cupientes, ob protectionem & favorem Catholici Ordinis Equestris, quibus eandem Ecclesiam nostram prosecutus est, & imposterum, ut speramus, prosequetur sub spe approbationis Sanctissimi Domini Nostri Papæ permittimus, ut eum numerum exspectantium, quem hucusque habuit, retineat ea tamen conditione, ut tales exspectantes Clerici sint, atque in aliqua Universitate aut Gymnasio Catholico studeant, bonisque literis incumbant.

XII. In quibus Ecclesiis præbendæ

(g) Concil. Trid. Sess. 24. de Reform. c. 12. (b) d. c. 12. Sess. 24.
(i) C. 3. de Reform. Sess. 22. & c. 15. de Reform. Sess. 24.
(k) Sess. 24. de Reform. c. 19. c. 2. De concess. Præbend. c. Detestando. eod. in 6.

Digitized by Google

dæ ſunt Scholaſticæ, ex Canonicis junioribus non dentur, niſi actu in aliquo Gymnaſio, vel Studio Generali Catholico exiſtant, ſuæque pietatis, morum & ſtudiorum teſtimonium ſingulis annis Capitulis ſuis mittant. Quod ſi hujusmodi juniores Canonici mutato conſilio a Statu Eccleſiaſtico rurſus ad Sæcularem tranſierint, volumus, ut omnes fructus, quos ex Præbenda ſcholaſtica perceperunt, reſtituant, atque ſuper reſtitutione facienda ſtatim ab initio Capitulis ſufficientem cautionem præſtent.

XIII. Eccleſiarum Prælati & Canonici, qui Sacerdotes ſunt, nec ad certas Miſſas obligantur, ſaltem ſingulis menſibus & præcipuis anni feſtivitatibus prævia confeſſione Miſſas celebrent. Cæteri confiteantur, & communicent.

XIV. Quæ ſupra de honeſtate Clericorum conſtituta & infra variis titulis conſtituuntur, ea omnia non minus Eccleſiarum noſtræ Cathedralis & Collegiatarum Prælatos & Canonicos, quam inferiores Clericos concernunt. Quo enim altiori dignitatis gradu collocati ſunt, eo majori vitæ puritate conſpicui eſſe debent.

TITULUS III.

De Officio Decani Ruralis.

I.

QUoniam gravis & lata eſt Paſtoralis officii noſtri cura, recte a Majoribus noſtris Decani rurales certis regiunculis ſunt præfecti, qui una Nobiscum onus ferre, noſtramque ſolicitudinem ſublevare poſſint. Hi, quia ſunt quodammodo Paſtores Paſtorum, (*l*) & alios exemplo, conſilio, verbo & opere juvare tenentur, non niſi viri prudentes, docti, vitæ probatæ, multæque experientiæ eſſe debent.

II. Itaque vacante aliquo Decanatu talis a Confratribus canonice inſtitutis in Decanum eligatur, qui a Nobis, aut Vicario noſtro propter vitæ & eruditionis ſuæ merita facta prius inquiſitione, ſi opus fuerit, confirmari poſſit.

III. Electus in Decanum Nobis quamprimum pro præſtando ſolito fidelitatis Juramento & accipienda Confirmatione præſentetur, nec ante officio Decanatus ullo modo fungatur.

Forma Juramenti Decanorum ruralium.

EGO N. juro & promitto DEO Omnipotenti, & Beatæ Mariæ Virgini, Sanctis Pelagio & Conrado Eccleſiæ Conſtantienſis Patronis, quod Reverendiſſimo & Illuſtriſſimo Domino Epiſcopo Conſtantienſi, & ſuis Succeſſoribus canonice intrantibus, eorumque Vicario & Officiali pro tempore exiſtentibus fidelis & obediens ero, ejusdem Reverendiſſimi Domini Epiſcopi & ejus Eccleſiæ commoda promovebo, & damna avertam, atque officium, ad quod electus ſum, fideliter, & pro viribus meo, abſque omni dolo & fraude exercebo: SIC ME DEUS ADJUVET, ET HÆC SANCTA DEI EVANGELIA.

IV. Ad officium Decani pertinet bis aut ad minus ſemel in anno cum Confratribus ſuis Capitulum celebrare, & eis poſt Divina Officia rite devoteque peracta, hæc noſtra Synodalia Statuta ſive eorum contenta prælegere, difficultatibus, gravaminibus & incommodis Eccleſiarum conſulere, Confratrum ſuorum vitam, mores, & doctrinam examinare, minores exceſſus corrigere, tum videre utrum omnes Confratres canonice ſint inſtituti, rectequo fungantur ſuo munere.

V. Graviores Cleri & populi exceſſus, quibus Eccleſia ſcandalizatur, item ſi quos ſive Clericos, ſive Laicos in hæreſim lapſos, vel de hæreſi ſuſpectos, vel hæreticorum libros legentes cognoverint, (*m*) Decani ad Nos, vel Vicarium noſtrum referant, ut mature ſcandalis obviare, & tanta mala, priusquam latius ſerpant, quantum poſſibile fuerit, e medio tollere valeamus.

VI. Decani ſemel quotannis omnes ſuæ regionis una cum Camerario, vel aliquo ex Deputatis obeant Eccleſias; Sacriſtias, vaſa, veſtes, ornamenta, cœmiteria, ſepulturas, prædia & cenſus beneficiorum, Parochorum, aliorumve Clericorum ædes, ac familias viſitent, atque cum omni diligentia inſpiciant,

(*l*) C. Singulæ plebes. de officio Archi-Presbyt. (*m*) d. c. Ut ſingulæ plebes.

ſpiciant, & quid ubique locorum deſit, & deſideretur, accurate conſiderent, minora reforment, & majora ad noſtram cognitionem referant.

VII. Curent etiam, ut in Decanatibus ſuis omnia Beneficia Eccleſiaſtica intra a jure præfixum terminum canonice ſine diminutione, ſine pactis & reverſalibus conferantur. Contrafacientes ad condignam pœnam Nobis, vel Vicario noſtro in ſcriptis notificent.

VIII. Quæ autem Decani in Capitulis & viſitationibus quotannis fecerint, curaverint, cognoverint, ea omnia ſcripto comprehendant, ut a Nobis, aut Vicario noſtro quocunque tempore requiſiti, adminiſtrationis ſuæ rationem reddere poſſint. (*n*) In negligentes privatione Decanatus, aut aliis pœnis graviter animadvertemus.

IX. Quando aliquis ex Curatis, ſeu aliis Clericis ægrotaverit, eum Decani inviſant, conſolentur & curent, ut ei neceſſaria tam ſpiritualia, quam temporalia ſubminiſtrentur. Si obierit, rerum relictarum per ſe, vel Camerarium, aut unum ex Deputatis adjuncto Notario, ſi haberi poſſit: & duobus teſtibus, vel Clericis, vel Laicis Inventarium conficiant, hæreditatem totam obſignent, & arreſtent, arreſtumque ſine præſcitu Sigilliferi & Fiſcalis noſtri non aperiant.

X. Et ne cura animarum per obitum Curatorum detrimentum aliquod patiatur, Decani per menſis ſpatium a die vacationis per ſe, vel alios idoneos, & a Nobis ad curam approbatos, Eccleſiis viduatis provideant, atque interim pro rato temporis fructus beneficii percipiant.

XI. Elapſo menſe, ſi Eccleſiæ Parochiali, aut alteri Beneficio de Succeſſore nondum proſpectum eſſet, curent Decani, ut per idoneos Clericos, & qui a Nobis ſpecialem commiſſionem obtinent, Eccleſiis ſeu Beneficiis debita miniſteria impendantur.

XII. Decanatuum quorumvis Clerici ſuis Decanis reverentiam debitam exhibeant, eisque obediant, ad Capitula vocati compareant, aut ſi legitime impediantur, excuſatores mittant. Vitia & defectus, de quibus a Decanis interrogantur, bona fide indicent, ſi ab eis de aliqua re admoneantur, ſi corrigantur, ſi illis aliquid mandetur, morigeros ſe exhibeant. Inobedientes & rebelles, quos Nobis a Decanis deferri volumus, gravi pœna afficiemus.

TITULUS IV.

De Camerariis.

I.

CAmerarii ærario Capitulari præfecti, & Decanis legitime impeditis ſubſtituti ſunt, ſine quorum juſſu, conſilio & præſcitu nil faciant, nihil expediant, cenſus Capituli & mulctas, quæ quavis ratione debentur, fideliter colligant, & de eisdem Capitulo rationem reddant.

II. Jura Epiſcopalia & Archidiaconalia exigant, eaque Sigillifero noſtro & Archidiaconis mittant: Ut res & jura non tantum Capituli ſui, ſed univerſim omnium Eccleſiarum Decanatus debite conſerventur, & defendantur, amiſſaque recuperentur, ſolicite proſpiciant.

III. Ædes Parochiales, & Beneficiales quotannis inſpiciant, ne culpa Curati aut alterius Clerici inhabitantis ruinoſæ efficiantur, provideant, & quid quisque in ædium ſuarum reparationem & conſervationem impenderit, advertant.

IV. Adminiſtrationis, & officii ſui, quoties a Nobis, vel Vicario noſtro requiſiti fuerint, rationem reddant, & Juramentum ſolitum præſtent.

TITULUS V.

De Plebanis, & Eccleſiarum Parochialium Rectoribus.

I.

GRaviſſimum onus eſt animarum cura, magnamque tum eruditionem & pietatem, tum prudentiam requirit; quod ſi diligentius plerique conſiderarent, non ita paſſim quaſi expanſo

(*n*) d. c. Ut ſingulæ plebes.

panſo velo ad eam ſuſcipiendam currerent, aut certe de iis, quæ ad officium Curati pertinent, prius ſe melius informarent, ne fortaſſe, quod multis accidere veremur, una cum commiſſo grege in præcipitium æternæ damnationis ruant. Quare diligentiſſime attendere volumus Vicarium & Examinatores noſtros, ne facile quempiam ad curam animarum exercendam admittant, niſi quem virtutis & vitæ merita, atque ſufficiens doctrina idoneum & commendabilem reddant. (o)

II. Parochi ſocios in Divinis, ſeu cooperatores, etiam probandi tantum cauſa, nullos aſſumant, & eorum opera in Sacramentorum adminiſtratione utantur, niſi prius a Vicario noſtro prævio examine legitime & in ſcriptis approbatos; neque alienis Parochianis, ſive per ſe, ſive per ſocios ſuos, ſine licentia proprii Parochi extra caſum neceſſitatis Sacramenta ullo modo diſtribuant.

III. Omnia & ſingula officia, quæ ex fundatione, vel laudabili conſuetudine obire debent Parochi, ſtudioſe exequantur. Sacram Miſſam diebus Dominicis, & Feſtivis nunquam intermittant, (p) & Sacramenta omnia reverenter, ſummaque cum honeſtate per Confeſſionem Sacramentalem, ſi copia Confeſſarii haberi poſſit, aut ſaltem per veram cordis contritionem cum propoſito confitendi, ab omni peccato mortali vacui, pro quorumcunque locorum & perſonarum neceſſitate adminiſtrent.

IV. Si quando propter inopiam plures Eccleſiæ unum tantum haberent Sacerdotem, concio non in una, & in altera Eccleſia Miſſa habeatur, ſed integer Divinus cultus in earum ſingulis per vices agatur, populusque ſemper ad eam Eccleſiam convenire jubeatur, in qua Miſſam & concionem ſimul audire poſſit.

V. Parochi ægtotos ſuos non tantum Eccleſiæ Sacramentis provideant, ſed etiam non vocati eosdem ſæpius inviſant ac conſolentur.

VI. Ex Cancellis, & aliis locis ſacris, dies Feſtos, jejunia, ſupplicationes, anniverſaria, & his ſimilia, non prophana & ſæcularia promulgent.

VII. Bona, Jura, Privilegia, Decimas, cenſus, agros, prædia Eccleſiæ ſuæ diligenter & cum diſcretione defendant, atque in Urbarium authenticum conſcribant, ut diſtincte cognoſci queat, quos proventus & onera quælibet Eccleſia habeat.

VIII. Eccleſiarum ſuarum bona & redditus non oppignorent, ac debitis gravent, neque decimas aut alios proventus in damnum Succeſſorum vendant aut diutius locent, quam ſit jure permiſſum. (q)

IX. Habeant omnes Eccleſiarum Parochialium Rectores quinque ſeparatos libros, (r) in quibus baptizatorum, confirmatorum, communicantium, Matrimonia contrahentium, & defunctorum nomina, cognomina, cum annotatione diei, menſis & anni diligenter & legibiliter inſcribant: hoc enim non tantum ad natalium, matrimonialium impedimentorum, ætatis & ſimilium probationem, ſed etiam & præcipue, ut Paſtoribus ovium ſuarum ratio melius conſtet, conducit. Negligentes Decani inquirant, & Vicario noſtro pro qualitate plectendos deferant.

X. Denique cum pleraque, quæ in variis titulis hujus noſtræ Synodi definita & conſtituta ſunt, Parochos, eorumque officium & curam concernant; Volumus, eisque ſevere præcipimus, ut ea omnia & ſingula ſub inibi contentis, & aliis etiam gravioribus pœnis non tantum per ſe diligenter obſervent, ſed etiam ab iis, quorum cura illis commiſſa fuerit, obſervari faciant & procurent.

TITU.

(o) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 18. Joan. 21. Actor. 20. c. Sicut. diſt. 43.
(p) Concil. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 1. c. Præcipue. 8. q. 1. c. Gloria Epiſcopi. 2. q. 3.
(q) c. Diaconi. c. Quicquid. 12. q. 2.
(r) Concil. Trid. Seſſ. 24. de Ref. Matr. c. 1. & 2.

TITULUS VI.

De Vicariis Eccleſiarum incorporatarum, & Canonica portione.

I.

VIcarii, ſive perpetui, ſive ad tempus, ſine noſtra approbatione & conſenſu non aſſumantur, (*s*) nec ſemel aſſumpti amoveantur, niſi alicui ex ſpeciali privilegio, de quo Nobis conſtare volumus, legitime eſſet indultum.

II. Et quia Vicarii Parochorum in animarum cura adminiſtranda vices gerunt, eadem plane de illis, quæ de cæteris Eccleſiarum Parochialium Rectoribus, & Curatis hinc inde conſtituta ſunt, definimus.

III. Prælati, Capitula, Collegia, Monaſteria tam ſæcularia, quam Regularia utriusque ſexus, & alii quicunque, quibus Eccleſiæ Parochiales ſunt incorporatæ, Vicariis ſuis de congrua & competenti portione ex fructibus Eccleſiæ provideant, unde decenter & pro hujus temporis conditione ſe ſuſtentare, jura Epiſcopalia, & Archidiaconalia ſolvere, hoſpitalitatem erga pauperes, & alios debitam ac ſtatui ſuo convenientem exercere, & alia onera impendentia ſufferre poſſint. (*t*)

IV. Quod ſi non fiat, Nos ex officio noſtro Paſtorali hujusmodi negligentiam ſupplebimus, & juxta Canonicas Sanctiones Vicariis de congrua & ſufficienti portione, juſtitia mediante, providebimus.

V. Caveant vero Vicarii, ne Prælatis, Collegiis, Capitulis, Monaſteriis, aut aliis quibuscunque literas renunciationis ſeu reverſales tradant, quibus ſe modica & minus ſufficienti competentia contentos fore obligent. Idque ſi a Nobis aut Vicario noſtro inveſtiantur, vel ad curam admittantur, ſe non feciſſe, juramento confirment.

TITULUS VII.

De Sacellanis & aliis inferioris Ordinis Clericis.

I.

SAcellani & alii Clerici, cujuscunque gradus fuerint, attendant officio ſuo, & miniſterium ſuum diligenter impleant, fundationibus, piisque Eccleſiarum & Beneficiorum ſuorum conſuetudinibus impigre ſatisfaciant, nec facile & ſine legitima cauſa Eccleſiam ſuam, præſertim diebus Feſtis deſerant, ut alienam honorent.

II. Qui ad Chorum & Horas Canonicas perſolvendas aſtricti ſunt, mature veniant ad Eccleſiam, inter pſallendum & cantandum verba non præcipitent, ſed integre ac devote pronuncient.

III. Sacellani & reliqui Sacerdotes ac Clerici ordinarie ſingulis menſibus confiteantur, extraordinarie, quoties in peccato mortali fuerint, & celebrare aut communicare ex officio debent, vel ex pietate volunt.

IV. Eccleſiarum Prælatis, Canonicis, & Parochis Sacellani, & cæteri Clerici debitam reverentiam exhibeant, & in omnibus licitis & honeſtis, præſertim cultum Divinum concernentibus, obedientiam & omnem fidelitatem bona fide promittant ac præſtent, paternamque correctionem, ſi quando exorbitarint, modeſte ſuſcipiant. Rebelles in minoribus a Prælatis & Parochis puniantur, & in majoribus Vicario noſtro plectendi deferantur.

V. Cooperatores quoque ſuis Parochis ad nutum obediant, neque circa exercitium curæ animarum & Sacramentorum adminiſtrationem omnia pro arbitrio ſuo, ſed prout ipſis a Parochis injunctum fuerit, prompte faciant.

VI. Quæ de moribus paſſim dicta ſunt, ea Sacellani & Clerici omnes ad ſe maxime pertinere ſciant. Quamobrem domi ſuæ ſobrie, caſte, pieque vivant,

(*s*) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 18. (*t*) C. Extirpandæ. c. Expoſuiſti. de Præbend. c. 1. eodem in 6. Vide Bullam Pii V. quæ incipit: *Ad exequendum. Sub dato Romæ 7. Cal. Novemb. Anno* 1567.

Digitized by Google

vivant, ebrietatem fugiant, otium tanquam fomentum omnium vitiorum devitent, & honeſtis ſe laboribus occupent. Recordentur ſe quotidie aſtare in Eccleſia vultui Dei, cingi Angelorum cohortibus, & habere populi præſentis oculos in ſe conjectos.

TITULUS VIII.

De Clericis peregrinis.

I.

CUm non infrequenter accidat, ut qui omnino Sacerdotes non ſunt, aut ſi Sacerdotes vel Monachi fuerint, profugi tamen, infames, irregulares, excommunicati, aut aliquo alio Canonico impedimento irretiti ſint, ſeſe Miſſarum celebrationi, concionandi muneri, Sacramentorum adminiſtrationi, aliisque Divinis Officiis propria auctoritate ingerant. Idcirco omnium Eccleſiarum Prælatis, Parochis, & ruralium Capitulorum Decanis ſerio mandamus & præcipimus, ne quemcunque Clericum ignotum ex alia Diœceſi venientem ſub quocunque prætextu in Eccleſiis & Decanatibus ſuis ad concionandum, Sacramenta adminiſtrandum, Miſſam vel alia Divina Officia celebrandum (*u*) admittant, niſi per Nos, ſeu Vicarium noſtrum fuerit approbatus, atque de tali ſua approbatione authenticas literas oſtenderit.

II. Si qui contra Prælatorum, Parochorum, ſive Decanorum prohibitionem ſeſe nihilominus in ejusmodi Eccleſiaſtica miniſteria ingeſſerint, vel ingerere attentaverint, ii quamprimum Fiſcali noſtro ſignificentur, ut jure per Eccleſiaſticas cenſuras & alias pœnas contra eos procedat.

III. Clerici vero peregrini transeuntes, ad Miſſarum celebrationem admittantur, ſi ex literis teſtimonialibus authenticis & probatis de ipſorum ordinatione, ac vitæ morumque honeſtate conſtiterit.

IV. Apoſtatas & fugitivos Monachos in Epiſcopatu noſtro nullatenus eſſe ferendos, decernimus, ubicunque deprehenſi fuerint, ſeveriſſime per Nos caſtigabuntur, & ad ſua Monaſteria remittentur.

TITULUS IX.

De Reſidentia Clericorum.

I.

OBtinentes curam animarum quocunque modo in Eccleſiis ſuis reſideant, populumque ſuæ curæ ac fidei commiſſum, verbo & exemplo paſcant. (*x*) Quod ſi quis Curatorum ab Eccleſia ſua abfuerit, eum præter alias pœnas adverſus non reſidentes a Sacris Canonibus conſtitutas, ac peccati mortalis reatum, quem incurrit, abſentiæ fructus pro rata temporis ſuos non facere, nec tuta conſcientia, alia etiam declaratione non ſecuta, illos ſibi retinere poſſe, ſed fabricæ, aut pauperibus applicandos fore, decernimus.

II. Caveant Parochi & Curati, ne oves ſuas metu alicujus periculi, vel tempore peſtis unquam deſerant. Bonus Paſtor, inquit Dominus (*y*), ponit animam ſuam pro ovibus ſuis, mercenarius autem fugit. Quod ſi fecerint, Deo & Nobis deſerti officii pœnas graviſſimas dabunt.

III. Ne autem diutius Eccleſiæ Parochiales proprii Paſtoris præſentia & reſidentia deſtituantur, ad illas nullus aſſumatur, qui non ſit actu Presbyter, aut in tali ætate conſtitutus, ut infra annum in Presbyterum ordinari poſſit, & qui perſonalem reſidentiam facere velit. Intra præfixum tempus non reſidentes, aut ſe ordinari non procurantes, Parochiis, cæterisque beneficiis curatis quibuscunque priventur.

IV. Parochi ab Eccleſiis ſuis ultra hebdomadam ſe non abſentent ſine licentia Decani, & ad longius tempus ſine licentia Vicarii noſtri Generalis. Abſentia vero nulli concedatur diebus ſolennioribus & ultra bimeſtre, & niſi interea Vicarium idoneum & approbatum, qui ipſorum vices obeat, cum debi-

(*u*) Conc. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 16. (*x*) Conc. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 1. & Seſſ. 7. c. 1. Bulla Pii IV. *Super reſidentia.* c. Conquerente, & fere per totum, de Cleric. non reſid. (*y*) Joan. 10.

debita mercedis assignatione deputaverit. (z)

V. In Cathedrali & quibusvis aliis Ecclesiis Collegiatis Civitatis & Diœcesis nostræ Dignitates, Canonicatus aut portiones obtinentibus, non liceat vigore cujuslibet Statuti aut consuetudinis ultra tres menses ad summum a suis Ecclesiis quolibet anno abesse, (a) sub pœna in sæpedictis Sacri Concilii Decretis comprehensa. Salvis nihilominus earum Ecclesiarum Statutis, quæ longius servitii tempus requirunt. Ubi tamen circa Ecclesiæ nostræ Cathedralis Statuta, Privilegia & laudabiles consuetudines auctoritate Apostolica aut Ordinaria roboratas, & quibus a Sede Apostolica specialiter non est derogatum, nihil innovare intendimus.

VI. Cætera beneficia qualiacunque simplicia residentiam de jure vel consuetudine exigentia obtinentes, similiter resideant, (b) neque unquam a Beneficiis & Ecclesiis suis sine legitima causa, & Superiorum præscitu & consensu sese absentent.

VII. Dispensationes perpetuæ de non residendo, aut de fructibus in absentia percipiendis nulli juxta mentem S. Trident. Concilii (c) suffragentur: temporales vero ex rationabilibus causis concessas, ita permittimus, si prius eas viderimus, & de earum veritate cognoverimus.

VIII. Excusantur tamen a residentia, qui Romano (d) Pontifici aut proprio Episcopo (e) obsequium exhibent, qui jura & negotia Ecclesiæ seu beneficii sui prosequuntur. (f) Aut si, ut studiorum causa abesse possit, est alicui specialiter indultum, (g) & si quæ sunt aliæ similes (h) sacris Canonibus expressæ non residendi causæ. Dummodo de iis si dubitari contingeret, per causæ cognitionem coram Superiori factam, sufficienter constet.

TITULUS X.

De Horis Canonicis.

I.

IN recitandis Horis Canonicis Clerici omnes utantur Breviario Romano, aut nostro Constantiensi ad Romanum accommodato. Regulares vero aut eodem, aut approbato Ordinis sui.

II. Obligantur autem ad septem Canonicas Horas quotidie devote recitandas omnes, qui sunt in sacris majoribus Ordinibus constituti, sive Beneficium Ecclesiasticum habeant, sive non: Et omnes ii, qui qualecunque Beneficium cum vel sine cura obtinent, sub reatu peccati mortalis (i) & pœna restitutionis fructuum perceptorum. (k)

III. Sacerdotes Missam celebraturi, prius ad minimum Matutinum cum Laudibus dicant.

IV. Clerici itinerantes, aut ii, qui levi aliquo morbo corripiuntur, non æstiment se ab Horarum recitatione immunes.

V. Causas excusantes, vel non excusantes, a recitandis Horis Canonicis cuique propria conscientia, & pius ac discretus Confessarius dictabit.

VI. Quia vero magna est multorum Clericorum negligentia & malitia, qui, quas debent Horas Canonicas dicere, omittunt, ideo ex Decreto LEONIS Decimi, in Lateranensi Concilio (l) edito statuimus & mandamus, ut Clericus quicunque Beneficium habens cum cura, vel sine cura, si post sex menses ab obtento Beneficio Divinum Officium non dixerit, legitimo impedimento cessante, Beneficiorum suorum fructus non faciat suos pro rata omissionis, recitationis officii & temporis, sed eos, tanquam injuste perceptos, in fabricas hujusmodi Beneficiorum, vel pauperum eleemosynas erogare teneatur: Si vero ultra dictum tempus in simili

(z) d. Sess. 23. de Reform. c. 1.
(a) Concil. Trid. Sess. 24. de Refor. c, 12.
(b) Conc. Trid. Sess. 24. de Refor. c. 2.
(c) d. Sess. c. 2.
(d) C. Dilectus. de Cleric. non resid.
(e) C. De cætero. eod.
(f) C. Ex parte 2. eod.
(g) C. Relatum. c. Tuæ fraternitatis. eod.
(h) C. Ad audientiam. de Cleric. non resid. c. Unico. eod. in 6.
(i) D. Thomas quodlib. 6. & in 4. distinct. 15. Panor. in c. 1. de celebr. Miss. & omnes Dd.
(k) Vide Sylvest. in summa verbo: hora. n. 16.
(l) Sess. 9.

mili negligentia contumaciter permanſerit, legitima monitione præcedente, beneficio privetur, cum propter officium detur beneficium. Intelligatur autem officium omittere, quoad hoc ut beneficio privari poſſit, qui per quindecim dies illud bis ſaltem non dixerit, Deo tamen ultra præmiſſa de dicta omiſſione redditurus rationem.

VII. Parochi, & alii Clerici Conſtantiam vel ratione examinis ad curam, vel ob alia negotia venientes, diligenter a Vicario, Fiſcali, & Examinatoribus noſtris examinentur de modo ac ratione Horarum Canonicarum, & an de præſenti Breviarium ſecum habeant: & ſi quos deprehenderint, qui vel Breviarium ſecum non ſumpſerunt, vel Horas ſecundum Rubricas Breviarii recitare non poſſunt, eos ſeveriſſime mulcta pecuniaria, piis locis applicanda, carcere aut privatione pro qualitate delicti puniant.

TITULUS XI.

De Libris Clericorum.

I.

CLericis, ut ea, quæ officii ſui ſunt, rectius obire poſſint, & ne otio, quod in illis vehementer deteſtamur, torpeſcant, libri maxime ſunt neceſſarii, quos præter hæc noſtra Statuta Synodalia doctioribus Clericis non præſcribimus, ſed cujusque voluntati liberum relinquimus, modo illos libros habeant, quos vel intuitu ordinis Clericalis, vel ratione officii etiam quilibet ex minus doctioribus Clericis, & qui tenuiorum ſunt facultatum, neceſſario habere tenetur.

Quales ſunt:

II. Biblia ſacra.

Catechiſmus Romanus, auctoritate Concilii Tridentini editus.

Catechiſmus Petri Caniſii.

Concilium Tridentinum.

Statuta noſtra Synodalia.

Summa caſuum conſcientiæ Franciſci Toleti Cardinalis.

Manuale Navarri.

Theologia Paſtoralis Petri Binsfeldii.

Inſtitutio confeſſionis Martini Fornarii.

Controverſiæ, inſtitutiones, meditationes Coſteri, & Vincentii Brunii.

Opuſcula Ludovici Granatenſis.

Libellus Thomæ de Kempis de imitatione Chriſti, & alia ejuscemodi opuscula.

Pro Concionibus vero Eckius, Clitoveus, Nauſea, Hoffmaiſterus, Eiſengrinius, Coſterus. Item Poſtillæ Feuchtii, Petri Caniſii, Schereri, & aliorum probatorum Authorum.

TITULUS XII.

De Collationibus Beneficiorum, & Jure Patronatus.

I.

MUlti ſunt, præſertim ex Patronis Laicis, qui quid ſit Jus Patronatus, & quid Juris in beneficiorum collatione ſibi competat, minus intelligunt, dum ſe pro libitu ſuo, tanquam eſſent Domini proprietarii beneficiorum, de beneficiis patronatis diſponere poſſe exiſtimant, unde poſtmodum multa contra Jura & Canones inconvenientia, & maxima ſalutis animarum diſpendia ſuboriuntur.

II. Jus Patronatus nihil aliud eſt, quam poteſtas præſentandi Epiſcopo, aut alteri etiam inferiori, qui Jus inſtituendi habet Clericum idoneum inſtituendum ad beneficium vacans. (*m*) Hinc facile quis intelligit præter præſentationem Patrono nihil Juris in beneficio patronato competere. Itaque omnes Eccleſiarum & beneficiorum Patronos, ſive Laicos, ſive Eccleſiaſticos, in Domino vehementer hortamur, ut ſalutis propriæ ac ſubditorum ſuorum, memores hujusmodi Jure Patronatus, quod ſibi legitime vendicant, minime abutantur, ſed juxta Sacrorum Canonum (*n*) & Trid. Conc. (*o*) præſcriptum Eccleſiis & beneficiis ſuis patronatis provideant.

III. Et quidem Laici, quibus de jure in præſentationibus variare permiſſum eſt, (*p*) intra quatuor menſes,

(*m*) Hoſtienſ. in ſumma de Jure Patronatus. (*n*) C. Piæ mentis, cum ſeq. 16. q. 1. c. Nobis. de Jure Patronatus. (*o*) Seſſ. 25. de Refor. c. 9. Seſſ. 14. de Refor. c. 12. (*p*) C. Cum autem. c. Quod autem. de Jure Patron.

Digitized by Google

(q) Eccleſiaſtici vero Patroni, quibus variatio jure prohibita eſt, intra ſex menſes (r) perſonam idoneam præſentent. Quo jure etiam eum, qui jus nominandi habet, uti volumus.

IV. Quod ſi intra præſcriptum tempus jus ſuum neglexerint, Nos auctoritate Ordinaria vacantibus Beneficiis ex jure devoluto pro illa vice providebimus.

V. Patroni Eccleſiarum & Beneficiorum quorumcunque ſemel legitime præſentatos & inveſtitos Clericos, ſub pœna excommunicationis, & amiſſionis Juris Patronatus propria auctoritate non amoveant, (s) vel ita tractent, ut beneficia ſua vel deſerere, vel reſignare cogantur. Contra intruſos ſuſpenſione, excommunicatione, aliisque juris pœnis procedemus.

VI. Literas reverſales, pacta illicita, juri & ſacris Canonibus contraria, promiſſiones Simoniacas, a præſentandis Patroni non extorqueant, aut etiam ſponte a Clericis oblata accipient. (t) Quod cum ab aliquo Clerico factum fuerit, eum Vicarius noſter non canonice, ſed carcere inveſtiat. Reverſales autem & pacta, quæ juri & æquitati non repugnant, ita admittimus, ſi per Nos, vel Vicarium noſtrum prius examinata & approbata fuerint.

VII. Patroni Beneficiis ſuis Patronatis, vel Clericis præſentatis penſiones, collectas, aut alia onera qualiacunque nova & inſolita ſine Sedis Apoſtolicæ, aut noſtra auctoritate non imponant, neque decimas, agros, vineas, prata, ſive in toto, ſive in parte, aut aliquam aliam partem beneficii quovis prætextu ſibi vindicent, ac uſurpent, (u) ſed omnia Sacerdoti legitime inſtituto, integre & ſine diminutione alia relinquant. (x)

VIII. Jura Patronatus pretio non emantur, nec vendantur, (y) licet cum Univerſitate rerum temporalium ſimul transferri poſſint. (z)

IX. Clerici univerſi per Civitatem & Diœceſim noſtram Conſtantienſem ubilibet conſtituti, Collatoribus ſeu Patronis ſuis omnem debitam reverentiam exhibeant, (a) & circa officii ſui functionem, ad quam de jure, de fundatione, aut alia rationabili ac pia conſuetudine tenentur, ita ſe gerant, ne Patroni juſtam de illis conquerendi cauſam habeant.

X. Quæ, ſi minus faciant, aut alias vitam Clerico indignam traducant, hortamur in Domino omnes & quoscunque Patronos, ut depoſito omni affectu & indignatione, ſolam Dei gloriam & animarum ſalutem conſiderando, ea Nobis, vel Vicario noſtro referant. (b) Promittimus viciſſim eisdem, Nos apud Officiales noſtros Eccleſiaſticos curaturos tantumque effecturos, ut contra hujusmodi Clericos, juſtitia mediante, &, prout juris fuerit, ad Canonicas pœnas pro ratione delicti, quantocitius fieri poteſt, absque longiori mora procedant.

TITULUS XIII.

De Inſtitutionibus.

I.

Nullus Beneficium, qualecunque ſit, ſine Canonica inſtitutione, a Nobis, vel ab eo, cui jus inſtituendi competit, poſſideat, multo minus miniſterio aut fructibus beneficii, quos absque Inveſtitura ſuos non facit, ſeſe ingerat. (c)

II. Ad Beneficia Parochialia, vel alia Curata aſſumpti, Sacramenta non adminiſtrent, nec quicquam faciant, quod curæ animarum ſit annexum, niſi prius approbati & inveſtiti fuerint. Quomodo enim eos ligare & abſolvere poſſunt, in quos ipſis nulla adhuc attributa eſt jurisdictio & poteſtas?

III.

(q) C. Unico. eod. in 6. (r) d. c. Unico. (s) C. Præter ea. de Jure Patron.
(t) C. Non ſatis. c. Cum in Eccleſiæ. de Simon. & paſſim. 1. q. 1. cum 5. quæſt. ſeqq.
(u) Concil. Trid. Seſſ. 25. de Refor. c. 9. (x) Tot. tit. Ut Eccleſiaſtica Benefic. ſine diminutione conferantur. c. Præterea. de Jure Patron.
(y) C. De jure. eod. tit. de Jure Patron. (z) C. Ex literis. c. Cum ſæculum. eod.
(a) C. Nobis. de Jure Patron. (b) C. Filiis. 16. q. 7.
(c) C. Ex frequentibus. c. Cum veniſſent. de Inſtitut. c. Præterea. de Jure Patronatus.

III. Qui ex privilegiis, aut alia legitima cauſa a Nobis approbata inveſtiri non ſolent, pro Inveſtitura commiſſiones ad curam animarum exercendam in ſcriptis, & ſigillatas recipiant, atque de triennio in triennium renovent.

IV. Quod ſi ad inferiores alicujus Curati inſtitutio pertinet, talis nihilominus ab Examinatoribus noſtris ad curam examinetur, alioquin inſtitutio ab inferioribus facta, irrita ſit & inanis. (*d*)

V. Et quia, juxta Apoſtolum, nemini cito manus ſunt imponendæ, (*e*) volumus, ut ad aliquod Beneficium Eccleſiaſticum præſentatus non prius inſtituatur, antequam ex Cancellis publice proclamatus, & terminus conſuetus effluxus fuerit, ut interea de vita, moribus & ſufficienti doctrina inſtituendi cognoſci poſſit.

VI. Faciat inſtituendus tum Profeſſionem fidei Catholicæ, tum infraſcriptum juramentum, aliaque præſtet, quæ in his Statutis a Clericis exigimus.

VII. Decani & Camerarii rurales, quos in hac parte Executores conſtituimus, nullum Clericum in ſuo Decanatu absque legitima Inveſtitura vel commiſſione beneficium poſſidere, (*f*) & in eo miniſtrare permittant; Inobedientes Vicario noſtro puniendos deferant.

Juramentum Inveſtiendorum Clericorum.

EGo N. Rmo & Illmo Domino Epiſcopo Conſtantienſi, ejusque Vicario & Officiali pro tempore exiſtentibus fidelis ero, & mandatis eorundem obediam, ac ea reverenter exequar. A beneficio, ad quod inſtitui peto, ſine licentia & conſenſu Epiſcopi, aut ejus Vicarii non diſcedam. Res, decimas, bona & jura omnia Eccleſiæ & beneficii, nec non calices, libros, & alia ornamenta, ſi quæ ad illud ſpectantia habeat, non alienabo, ſed conſervabo & defendam, & in quantum ablata, vel alio quocunque modo alienata fuerint, ſummis viribus recuperare ſtudebo. SIC ME DEUS ADJUVET, ET HÆC SANCTA DEI EVANGELIA.

TITULUS XIV.

De Reſignationibus Beneficiorum.

I.

BEneficiorum Eccleſiaſticorum reſignationes, quæ ſine legitima cauſa fiunt, ſemper fuerunt odioſæ, & Sacris Canonibus prohibitæ, præſertim quando ii, quibus animarum cura commiſſa eſt, ex leviſſimis cauſis, & ſpe pinguioris beneficii oves ſibi concreditas deſerunt, atque ad alias oves, non tam ut illas, quam ut ſe ipſos paſcant, tranſeunt: cum enim inter Paſtorem & Eccleſiam, quaſi Matrimonium aliquod ſpirituale contrahatur, minime tolerari debet, ut facilis fiat inter eos ſeparatio.

II. Itaque Reſignationes Beneficiorum quorumcunque non fiant, niſi ad manus Summi Pontificis, noſtras, vel Vicarii noſtri, aut ejus Collatoris, qui de jure reſignationes recipere poteſt. Et quidem quæ coram Nobis, vel aliis inferioribus fiunt, pure & ſimpliciter absque favore alicujus fieri debent, ne magis ſucceſſiones, quam dimiſſiones dicantur. Factæ cum conditione aliqua Juri contraria, aut in favorem alicujus puræ cenſeantur. Non tamen prohibemus, quin a Reſignante pro aliquo alio preces non tamen obligatoriæ interponi poſſint, aliter factæ reſignationes nullius ſint effectus.

TITULUS XV.

De pluralitate Beneficiorum.

I.

EOs, qui plura Beneficia curata, aut alias incompatibilia poſſident, veteres & recentes Canones conſtanter damnarunt. (*g*) Nos Decreto (*b*) Sacræ Tridentinæ Synodi inhærentes, illud de verbo ad verbum his noſtris Statutis Synodalibus inſerendum duximus,

(*d*) Concil. Trid. Seſſ. 25. de Reform. c. 9.
(*e*) 1. ad Timoth. 5.
(*f*) C. 1. de Regul. Jur. in 6.
(*g*) C. Quia in tantum. c. Ad hæc. c. Cum non ignores. de Præb. cauſa. 21. q. 4. per totam. Concil. Trid. Seſſ. 7. c. 2. & 4.
(*b*) Seſſ. 24. c. 7.

Digitized by Google

mus, omnibus & ſingulis Diœceſis noſtræ Eccleſiaſticis quibuscunque ſæcularibus & Regularibus ſerio mandantes, ut hujusmodi Decretum ſub pœnis in eo contentis quam diligentiſſime obſervent.

" Cum Eccleſiaſticus Ordo pervertatur, quando unus plurium officia occupat Clericorum, ſancte ſacris Canonibus cautum fuit, neminem oportere in duabus Eccleſiis conſcribi: Verum quoniam multi improbæ cupiditatis affectu ſe ipſos, non Deum decipientes, ea, quæ bene conſtituta ſunt, variis artibus eludere, & plura ſimul beneficia obtinere non erubeſcunt; Sancta Synodus debitam regendis Eccleſiis diſciplinam reſtituere cupiens, præſenti Decreto, quod in quibuscunque perſonis quocunque titulo, etiamſi Cardinalatus honore fulgeant, mandat obſervari; ſtatuit, ut impoſterum unum tantum Beneficium Eccleſiaſticum ſingulis conferatur, quod quidem ſi ad vitam ejus, cui confertur, honeſte ſuſtentandam non ſufficiat, liceat nihilominus aliud ſimplex ſufficiens, dummodo utrumque perſonalem reſidentiam non requirat, eidem conferri. Hæcque non modo ad Cathedrales Eccleſias, ſed etiam omnia alia beneficia, tam ſæcularia, quam Regularia quæcunque, etiam commendata pertineant, cujuscunque tituli ac qualitatis exiſtant. Illi vero, qui in præſenti plures Parochiales Eccleſias, aut unam Cathedralem, & aliam Parochialem obtinent, cogantur omnino quibuscunque diſpenſationibus, ac unionibus ad vitam non obſtantibus una tantum Parochiali, vel ſola Cathedrali retenta, alias Parochiales infra ſpatium ſex menſium dimittere, alioquin tam Parochiales, quam Beneficia omnia, quæ obtinent, ipſo jure vacare cenſeantur, ac tanquam vacantia libere aliis idoneis conferantur; Nec ipſi antea illa obtinentes, tuta conſcientia fructus poſt dictum tempus retineant." Hactenus Concilium.

II. Diſpenſationes ad plura Curata ſive jam acquiſitas, ſive impoſterum acquirendas non admittimus: Ad alia Beneficia incompatibilia ita toleramus, ſi prius a Nobis cognitum fuerit, eas omni ſuſpicionis, falſitatis, aut alterius cujusdam ſub- & obreptionis vitio carere.

TITULUS XVI.

De Simonia.

I.

SImonia nihil aliud eſt, quam rei ſpiritualis vel ſpiritualibus annexæ cum aliquo temporali facta commutatio. (*i*) Committitur dupliciter pacto & mente.

II. Pacto, cum aliquid vel datum eſt, vel de dando tractatus interceſſit, & conventio: Mente, cum nullum quidem intercedit pactum, ſed ſola prava dantis aut recipientis, mens & intentio concurrit. Et quidem in variis rebus varie, maxime vero in Sacramentorum & Divinorum adminiſtratione, atque in Beneficiis Eccleſiaſticis conferendis, acceptandis, reſignandis & permutandis. (*k*) Quæ fuſius ex Navarro, Toleto, aliisque Doctoribus peti poterunt.

III. Hoc crimen, quod cæteris eſt deteſtabilius, licet a Deo in nova & veteri lege graviter vindicatum fuerit, ejusque tanta ſit labes, ut ad ejus accuſationem etiam ſervi contra Dominos & quilibet criminoſi, (*l*) qui alias regulariter perſonam in judicio ſtandi non habent, (*m*) admittantur, illud tamen apud multos ita commune eſſe, cum magno animi noſtri dolore intelleximus, ut quod graviſſimum & hæreticæ pravitati ſimillimum, multisque valde periculoſis caſibus obnoxium eſt peccatum, ipſi vel pro nullo, vel ſaltem pro levi aliquo errato agnoſcant. Unde Vicario & Fiſcali noſtro diſtricte mandamus, ut de hac tam execrabili labe, præſertim quoad Clericos, quam diligentiſſime inquirant, & ſi quos eadem irretitos deprehenderint, graviſſime

(*i*) Abb. in c. Nemo. de Simonia. (*k*) C. Cum Eccleſiæ. c. Suam. de Simon. c. Si quis objecerit. 1. q. 3. Concil. Trid. Seſſ. 21. de Refor. c. 1. & Seſſ. 24. c. 14.
(*l*) C. Tanta. de Simon. c. pen. 3. q. 4. (*m*) L. Vix certis. ff. de Jud.

Digitized by Google

ſime pro modo & qualitate Simoniæ, incarceratione, privatione vel depoſitione puniant.

IV. Confeſſarii quoque, quantum poſſunt, enitantur hanc peſtem ex animis ſibi confitentium evellere.

V. Pecunias quascunque pro ingreſſu & ſtatutorum redemptione, item pro adipiſcenda alicujus dignitatis, Canonicatus aut alterius beneficii poſſeſſione dare & recipere ita concedimus, ſi moderate fiat, & pecunia omnis in pium uſum, atque ad Eccleſiæ & fabricæ neceſſitatem convertatur. (*n*) Dulciaria, Stophas & convivia omnino tollimus.

VI. Cæterum ſi quid ſponte, pure, ſine pacto & conventione qualibet, fuerit gratis oblatum, illud ſine ſcrupulo Simoniacæ pravitatis recipi poteſt. (*o*) Quod idem obtinet ex contrario, ſi quid non ſponte quis dederit, ſed ut indebite illatam moleſtationem ſuper quæſito jure redimat, dare coactus fuerit. (*p*) Quibus tamen caſibus ſinceram conſcientiam & diſcretum Confeſſarium requirimus.

TITULUS XVII.

De Concubinatu.

I.

QUia propter incontineniæ crimen in Clericis non tantum mirum in modum homines laici offenduntur, verum etiam indignum valde eſt, eos, qui Divino cultui ſeſe addixerunt, & quotidie Sacroſancta illa & tremenda Sacrificii Myſteria tractant, in impudicitiæ ſordibus & immundo concubinatu verſari. Ideo Clericis omnibus, cujuscunque ſtatus & conditionis fuerint, qui in Diœceſi noſtra commorantur, ſerio præcipimus & mandamus, ut honeſtatis & propriæ ſalutis memores, non tantum a concubinis abſtineant, easque, ſi ſecum habeant, quantocius expellant, ſed etiam cæterarum mulierum quarumcunque, de quibus aliqua poſſit eſſe ſuſpicio, conſortium & familiaritatem fugiant: mulierum enim nimia conſuetudo Sacerdoti, quem caſtitas & continentia perpetuo ornare debent, non convenit. (*q*) Et licet caſtitas quamvis non ſine magna difficultate conſervari, raro tamen bonum nomen in muliebri conſortio retineri poteſt.

II. In familia ſua Clerici mulieres conſanguineas, vel alias honeſtas & ætate maturas, de quibus ſuſpicio ſiniſtra facile concipi non poſſit, habeant; (*r*) Quam ſuſpicionem vitare nequeunt, qui mulieres juvenes, cultas, procaces, otioſas, impudentes, mali nominis ac famæ, aut quas anteactæ vitæ macula contaminat, vel ſecum alunt, vel frequenter ad ſe admittunt.

III. Si quis deinceps in turpiſſimo concubinatu verſari deprehenſus fuerit, contra eum Vicarius noſter juxta Canonem a Tridentino Concilio adverſus concubinarios editum (*s*) ſine ullo reſpectu perſonæ, dignitatis aut ſtatus procedat.

IV. Pari modo contra eos, qui fornicationis ſimplicis, aut ſuſpectæ familiaritatis convicti fuerint, procedi volumus.

V. Eccleſiarum Prælati & Decani rurales, ſi unum vel plures Clericos in Eccleſia vel Decanatu ſuo concubinarios & fornicarios, ſeu de concubinatu & fornicatione ſuſpectos cognoverint, eos Nobis, aut Vicario noſtro, vigore præſtiti ſui juramenti denuntient.

VI. Grave etiam peccatum eſt, homines ſolutos concubinas habere, graviſſimum vero uxoratos quoque in hoc damnationis ſtatu vivere. (*t*) Eos Parochi, ſi ab eis ter admoniti fuerint, nec concubinas ejecerint, ab ingreſſu Eccleſiæ arceant; quod ſi nec hoc modo reſipiſcant, Nobis, aut Vicario noſtro

(*n*) Concil. Trid. Seſſ. 24. de Reform. c. 14. (*o*) C. Dilectus. 2. c. Tua. 2. de Simon. c. Placuit. 1. q. 1. (*p*) C. Dilectus. c. Matthæus. de Simon.
(*q*) C. 1. & 2. De cohabit. Cler. & mulier. c. Interdixit. 32. diſt. c. Cum omnibus. c. Volumus. c. Fœminas. d. 81. Concil. Trid. Seſſ. 21. de Reform. c. 14.
(*r*) d. c. 1. De cohab. Cler. & mul. (*s*) d. Seſſ. 25. c. 14.
(*t*) C. 15. Qui. d. 34. c. Si concubinæ. de ſent. excom. c. 2. in fin. de cohab. Cler. & mulier.

Digitized by Google

ſtro manifeſtent, ut excommunicationis gladio eos ad meliorem mentem reducamus.

VII. Sed & concubinas, quæ poſthac ſive cum Clericis, ſive cum Laicis cohabitaverint, per excommunicationis latæ ſententiam ab Eccleſia expellemus. Quas etiam, ut e ſuis Jurisdictionibus temporalibus Magiſtratus ſæcularis expellat, eum in Domino requirimus & hortamur.

TITULUS XVIII.

De Uſuris & aliis Contractibus illicitis.

I.

USuram omni jure naturali, (*a*) Divino, (*x*) Canonico (*y*) & Civili (*z*) prohibitam, ad perniciem populi latius manantem pro noſtri muneris cura reprimere, cupientes, quædam hujus generis delicta ex Sacrorum Canonum, & probatorum Patrum ſententiis congeſſimus, quæ quia frequentius ab utroque Ordine Eccleſiaſticorum & Laicorum in Diœceſi noſtra committi animadvertimus, ea præcipue ac nominatim hic prohibenda duximus.

II. Ex mutuo cuicunque facto nihil præter ſortem capitalem ex conventione percipiatur: unde eos, qui paſſim cuilibet ſolius lucri intentione mutuo dant, ut pro centum quinque vel plures florenos, aut aliquid pecunia æſtimabile, ſalvo ſemper capitali, recipiant, proprie uſurarios eſſe, & in æternæ damnationis periculo verſari declaramus. (*a*)

III. Nec refert etiam, ſi pecuniæ ſint pupillorum, (*b*) & viduarum, aut locorum piorum: quamvis enim Curatores pupillorum & Eccleſiarum bona augere teneantur; illud tamen non per contractus uſurarios, ſed honeſtos ac licitos fieri debet. (*c*)

IV. Contractus emptionis & venditionis annuorum cenſuum de ſe liciti, in quibus clauſulæ & conditiones apponuntur, quæ ſubſtantiam & ſpeciem contractus mutant, uſurarii ſunt. Ita quoque, ſi literæ reverſales, inſtrumento emptionis legitimo confecto contrariæ conficiantur, uſura committitur.

V. Qui in hujusmodi annuorum cenſuum contractibus de centum plures, quam quinque florenos recipit, qui pecuniam majori pretio, quam communiter accipitur, qui incerta debita vel certa, difficilis tamen & ſumptuoſæ collectionis, (*d*) item qui una cum pecunia vina, frumenta, aut alia quævis communi & ordinario, ſive majori pretio, quæ poſtmodum tali pretio vel ſaltem ſine damno vendi nequeunt, venditoribus obtrudit, qui de centum decem aut plures florenos honorarii titulo ſibi reſervat, vel a venditoribus extorquet, uſuram committit.

VI. Contractus damni emergentis, & lucri ceſſantis, ſi intra legitimos Juris terminos conſiſtant, adeo non ſunt improbandi, ut etiam eorum ratione & intuitu liceat lucrum ex mutuo quærere. (*e*) Hodie tamen his contractibus variæ & pernitioſæ uſuræ a plerisque palliari ſolent, quas in Clericis Nos ſeveriſſime caſtigabimus; Laici vero, ſi non in præſenti, certe in futura vita hujus ſuæ doloſæ iniquitatis habebunt ultorem Deum.

VII. Qui pecunias, frumenta, & alias merces ruſticis per annum dant, ut tempore meſſis vel Autumni frumenta vel vina, pretio minori, quam ſit communis, & a Magiſtratu facta taxa, ab illis recipiant, uſuram committunt.

VIII.

(*a*) D. Thom. 2. 2. q. 78. art. 1. & 2. Binsfeld. ad c. 3. de Uſuris. q. 1. concluſ. 1. ubi dicit eſſe communem opinionem Theologorum & Jurisperitorum.
(*x*) Levit. 25. Exod. 22. Ezech. 18. & 22. Pſ. 14. Luc. 6. c. Præſenti. c. Super eo. de Uſuris.
(*y*) Ext. per totum tit. de Uſur. d. 46. cauſa 14. q. 45. & 6. per totum.
(*z*) Conſtitutio Maximiliani I. in Comitiis Auguſtanis anno 1500. & Caroli V. an. 1548.
(*a*) C. Conſuluit. de Uſur. Lucæ 6. c. Mutuum date nihil inde ſperantes.
(*b*) C. Super eo. de Uſuris. (*c*) Covar. lib. 3. var. reſ. c. 2. n. 1. Ang. Sylveſt. & alii in verbo: Tutela. (*d*) Sylveſt. in verb. Uſura. 1. n. 6. allegans Barth. & Bald. in l. cum allegas C. de Uſur. (*e*) Videatur Covarr. var. reſol. lib. 3. c. 4. Card. Toletus de Sacerd. inſtruct. lib. 5. c. 32. & 33. Navar. in Manual. c. 17. n. 211.

VIII. Frumentum aut vinum corruptum, vel non adeo bonum, mutuo datum, ut poſtea integrum melius & carius recipiatur, uſuram ſapit, (f) etiamſi reſtitutio differatur in tempus debitori commodum.

IX. Monopolia, quæ auctoritate privata fiunt, aut in manifeſtum Reipublicæ damnum conceduntur, damnamus. (g)

X. Mercatorum & Opificum pacta, quibus inter ſe conveniunt de non vendenda aut emenda aliqua merce vel opere infra aut ultra certum pretium, illicita ſunt & iniqua. (h)

XI. Qui vina, frumenta, vel alia ad vitæ ſuſtentationem neceſſaria coëmunt, ut tempore cariſtiæ divendere poſſint, tanquam Reip. pernitioſi non ſunt ferendi.

XII. Clerici quicunque ſive pauperes, ſive divites uſurarie quocunque modo ne contrahant, aut aliis injuſtis & illicitis contractibus ſeſe ingerant, niſi velint & pecuniam amittere, & aliis pœnis Canonicis ſubjacere. (i) Si quid de patrimonio Chriſti Clericis ſupereſt, pauperibus erogando, aut in alios pios uſus convertendo, Chriſto dent mutuo, certi, ſe uſuram centenariam æternæ retributionis recepturos.

XIII. Laicos, ut ab hac & ſibi & proximo ſuo valde exitiali labe deſiſtant, & ſi quid hactenus minus juſte perceperunt, cum Zachæo, (k) ſi non in quadruplo, ſaltem in ſimplo reſtituant, (l) in Domino vehementer obteſtamur. Incorrigibiles uſurarios, uſurarum proxenetas, & miniſtros, & eos, qui uſuraria inſtrumenta conficiunt, Communione altaris, & ſepultura Chriſtiana privabimus. (m)

XIV. Hactenus de hoc valde communi vitio, quod jam prope omnem vitii naturam apud plerosque exuit, Parochos & Concionatores aut nunquam, aut raro, & tunc quidem non niſi generatim verba feciſſe intellexi-mus, forte quod & ipſorum aliqui in eodem luto hæſitaverint, vel quod propter commune vitium etiam communem populi offenſam pertimuerint. Id ne amplius intermittatur, omnibus Eccleſiarum Parochis, Concionatoribus & Curatis ſerio præcipimus, & ſub gravi pœna mandamus, quatenus ſe de hoc pernitioſo vitio ex piis, probatisque libris & Doctoribus diligenter informent, ac pro concione ea prudentia & dexteritate populum inſtruant, ut, quid ſibi in hujusmodi contractibus licite ſit permiſſum, & quid ſub graviſſimis pœnis vetitum, quilibet facile cognoſcere queat.

XV. Confeſſarii quoque hac in re operas ſuas ſedulo impendant, neque uſurariis, niſi manifeſte ſe emendent, abſolutionis beneficium impertiant, ut vel hac confuſione ad ſaniorem mentem reducantur.

XVI. Denique Principes & Magiſtratus ſæculares in Domino hortamur, ut ipſi etiam huic peſti, quibus poterunt remediis, occurrant.

TITULUS XIX.

De Eccleſiis, Capellis, Oratoriis & Altaribus.

I.

ECcleſiæ, Capellæ & Oratoria ad Divinum cultum deſtinata, ſine noſtro conſenſu, nullibi ædificentur: (n) ubi collapſa aut ruinoſa ſunt, ſumptibus fabricarum, aut eorum, qui ad hujusmodi reſtaurationem vel de jure, vel de conſuetudine obligati ſunt, reparentur; in defectum horum Parochiani operas, ſervitia & ſubſidia ſua præſtent. (o)

II. Si conſecratæ non ſint Eccleſiæ, quantocyus conſecrentur, (p) & pol-

(f) C. Conſuluit. de Uſur. Sylveſt. in verbo: Uſura. 1. n. 17. circa fin.
(g) L. unica Cod. de Monopol. (h) Sylveſt. in verbo: Negotiatio. n. 2. & in verbo: Emptio. n. 19. (i) C. 1. Ext. de Uſuris. c. Præterea. eod. c. 4. c. 8. 14. b. 4.
(k) Matth. 19. (l) C. Conſuluit. c. Quam pernitioſum. de Uſur.
(m) C. 3. de Uſuris. (n) C. Nemo Eccleſiam. de Conſecr. d. 1. Cum olim. 14. §. Inſuper. & ibi gloſ. de Privileg. (o) Videatur Conc. Trid. Seſſ. 21. de Refor. c. 7.
(p) C. Eccleſias. 16. q. 7. c. fin. de Conſecr. Eccl. vel alt. c. Miſſarum. de Conſecr. d. 1.

Digitized by Google

pollutæ reconcilientur: (q) quemadmodum n. non alii, quam ſacrati Deo Sacerdotes Sacramenta miniſtrare debent, ſic non in aliis, quam Domino conſecratis locis Sacrificia offerre licet. (r)

III. Ubi propter pacem publicam communes ſunt Eccleſiæ Catholicis & Hæreticis, & humatione cadaveris, vel alio modo polluta ſit Eccleſia, nec debito modo reconciliari poſſit, ſuper altari portatili conſecrato Sacrificium celebretur.

IV. Et quia aliquando Eccleſiæ vel Cœmiteria a quibusdam temere polluuntur, ſtatuimus, ut quicunque deinceps Eccleſiam vel Cœmiterium violenta ſanguinis aut voluntaria ſeminis effuſione, vel Hæretici aut Excommunicati humatione (niſi in locis utriusque Religionis, quoad Hæreticorum humationem aliter fieri non poſſit) execraverit, ac polluerit, eum non tantum juxta Sacros Canones graviter puniemus, ſed etiam in expenſas omnes, quæ pro reconciliatione hujusmodi pollutæ Eccleſiæ vel Cœmiterii impendi debent, condemnabimus.

V. In omnibus Eccleſiis, ubi aſſervatur Venerabile Sacramentum, ſit lampas perpetuo noctes atque dies ardens: magna Crucis imago in medio Eccleſiarum in ſublimi collocata, ut ab omnibus introeuntibus conſpici poſſit: Vas item pro aqua benedicta, qua ſe introeuntes & exeuntes, religioſe & Catholico more aſpergant, ſecumque domum adferant, non extra, ſed intra Eccleſias conſtitutum.

VI. Nihil prophanum, nihil inordinatum, & nimia vetuſtate ac carie corroſum aut deletum, in Eccleſiis relinquatur; omnia ſint ordine pulchro diſtincta, decenter ornata ac munda.

VII. Æditui, vel ii, quorum eſt officium, Eccleſias ſæpius in anno verrant, Altarium tabulas, imagines, picturas, ſtatuas, feneſtras, parietes & fornices a pulveribus ac aranearum telis purgent, & reliqua omnia agant, ut in omni Eccleſiarum loco nitor & munditia appareat.

VIII. In Eccleſiis ſint piſcinæ ſacræ ad ablutiones rerum ſacrarum projiciendas. Piſcinæ autem locus ſit ſub terra fornice tectus, in quem juxta Sacros Canones aqua, cineres, & id genus alia immitti debent, ut terra hauriantur. Qui locus in Sacriſtia vel prope Altare, vel in alio Eccleſiæ aut Cœmiterii angulo pro cujusque loci commoditate conſtrui poteſt. Clavem, qua reſeratur, ſemper habeat Parochus.

IX. Sint Eccleſiis annexæ Sacriſtiæ, non in humido, ſed quantum fieri poteſt, paulo altiori & ſicciori loco conſtructæ, in quibus Eccleſiarum ſacra vaſa, veſtes, & cætera paramenta decenter ac ordine conſerventur.

X. Suggeſti eo loco conſtituantur, ut Concionatores ex omni parte Eccleſiarum commode audiri & intelligi poſſint. Confeſſionalia ita fiant, ne Confeſſarius & confitens ſe invicem aſpicere poſſint.

XI. Viri & mulieres in Eccleſiis promiſcue non ſtent, aut ſedeant, ſed ſeparatim illæ in hoc, hi in altero latere pro cujusque Eccleſiæ commoditate.

XII. Mendici tempore Divinorum Officiorum in Eccleſiis hinc inde vagari, & eleemoſynas petere non permittantur. (s)

XIII. Nundinationes, emptiones & venditiones qualiumcunq; rerum in Eccleſiis, Capellis, Cœmiteriis, deambulatoriis, vulgo Creutzgang dictis, & ſimilibus locis conſecratis fieri, ſevere prohibemus. (t)

XIV. In Eccleſiis, cum Divina celebrantur, vel verbum Dei prædicatur, nemo Laicorum deambulet, nugetur, cum mulieribus, de quibus ſuſpicio eſſe poſſit, vel etiam cum aliis confabuletur, aut alias irreverenter ſtet vel ſedeat. (u) Parochi in hoc genere

(q) C. Propoſuiſti. c. Conſuluiſti. de Conſecr. Eccl. vel alt. c. Tuarum. de priv. int.
(r) C. Tabernaculum. d. c. Miſſarum. & c. Sicut non alii. de Conſecr. d. 1.
(s) Bulla Pii V. quæ incipit: *Cum primum Apoſtolatus officium. Sub dato Romæ 6. Cal. Aprilis Anno* 1566. (t) Ex d. Bulla. (u) d. Bulla Pii V.

nere delinquentes honeſtatis admoneant.

XV. In Eccleſiis Parochialibus habeantur campanæ tres, in reliquis, item in Capellis & Oratoriis una ſufficit, quæ antequam in campanile ſuſtollantur, ab Epiſcopo precibus & benedictionibus conſecrentur, quæ non prophanis, ſed ſacris tantum ſignificationibus deſervire debent.

XVI. Ter in die, mane, meridie & veſperi ſigno campanæ populus ad orationem moneatur.

XVII. Eccleſiarum & Capellarum tecta & ſuperiores contignationes, frumentorum acervis, lignorum ſtrue, aut prophana aliqua ſupellectili non onerentur.

XVIII. Fores Eccleſiarum noctu ſemper, interdiu vero, ubi longius ab ædibus diſtant, Divinis peractis claudantur, ne ſacris Myſteriis dicata Templa variis hominum iniquitatibus pateant.

XIX. Inſpectio cadaverum hominum occiſorum ad cognitionem cædis a Judicibus ſæcularibus, Chirurgis & Medicis in Eccleſiis aut aliis locis conſecratis quibuscunque fieri non debet.

XX. Altaria ſint lapidea aut lateritia ſuperius integro lapide tecta. In iis, ſi conſecrata ſint, præter Reliquias nihil aſſervetur. Altaria omnia, ubi commode fieri poteſt, cancellis ferreis aut ligneis ſepiantur : iis Laici nec incumbant, nec innitantur.

XXI. Apud unumquodque Altare ſit appenſum tintinabulum, aut e Sacriſtia ad Miſſæ Sacrificium afferatur. Crux in medio Altari ſita, & duo candelabra : item tabula ſecretorum Miſſæ, in qua ſcilicet major & minor Canon contineatur.

XXII. Altaria tela cerata, aut ex panno groſſiori, deinde duabus lineis albis mappis tegantur, quarum ſuperior ſit oblonga, quæ uſque ad primam partem altaris pertingat, & utrumque latus decenter tegat. Supra has viridis aut nigra tela, ne mappæ pulvere & ſorde inquinentur, conſtrata ſit.

XXIII. Candelæ, quæ in altaribus tempore Sacrificii & Divinorum Officiorum ardere debent, ex nulla alia materia, quam cera conficiantur.

TITULUS XX.

De Rebus Sacris & Sanctis.

I.

PRæter Eccleſias, Altaria, Sanctorum Reliquias & imagines, res Sacræ & Sanctæ ſunt omnis generis vaſa, veſtes, ornamenta, & ſimilia ad Divinum cultum principaliter comparata. Quæ omnia ſuo ritu & cæremoniis conſecrata & benedicta eſſe debent. (*x*)

II. Ex iis ad prophanos uſus nihil omnino convertatur, (*y*) ſed ex antiquis paramentis pro aliis neceſſitatibus Eccleſiæ fiant burſæ corporalium, coopertoria Miſſalium vel Reliquiarum, pro altari pulvinaria, & hujus generis alia. Quod ſi amplius uſui nec ſint, nec eſſe poſſint, comburantur, & cineres in Sacrarium mittantur. (*z*)

III. Curent Parochi, & cæteri Clerici omnes, ut veſtes & colores veſtium ſacrarum, atque ſacra vaſa omnia ad uſum cæremoniarum Romanæ Eccleſiæ accommodentur. Colores Eccleſiaſtici ſunt albus, niger, rubeus, viridis & violaceus, hi in caſulis, ſtolis, manipulis, dalmaticis, tunicellis, pluvialibus, velis & antipendiis conveniant, & pro temporum ac ſolennitatum varietate adhibeantur. In quibus Eccleſiis horum colorum ſacræ veſtes non ſunt, ut parentur, præcipimus.

IV. Vaſa, veſtes, totaque ſacra ſupellex ſemper ſit munda (*a*) ac nitida, illa præſertim, quæ ad tremendum Altaris Sacrificium pertinet: quod enim domi tuæ in tuis prophanis vaſis ac veſtibus non ferres, in Domo Dei quomodo tolerabis ?

V. Corporalia fiant ex tela (*b*) candida, & tenui ſimplicia, non duplicata, poſt lotionem amylo roborentur, ac

(*x*) C. Veſtimenta. de Conſecr. d. 1. (*y*) d. c. Veſtimenta. & c. Ligna Eccleſiæ. de Conſecr. d. 1. c. Semel. de reg. jur. in 6. (*z*) C. Altaris palla. de Conſecr. d. 1.
(*a*) C. Pulchra. diſt. 86. (*b*) C. Conſulto. de Conſecr. diſt. 1.

Digitiz

ac ſumma ſemper munditia niteant. Quorundam hac in re craſſam & pudendam negligentiam pecunia & carcere, omni excuſatione ſecluſa, ſevere vindicabimus. Pallæ ex eadem tela ſint, ex qua corporalia, ejusque magnitudinis, ut calicem ubique contegant.

VI. Mappæ, & aliæ veſtes lineæ laventur ter, aut ad minimum bis in anno: Corporalia, pallæ, & purificatoria ſæpius, calices & patenæ bis, terve.

VII. Urceoli, in quorum ſummitate A. & V. inſcriptum ſit, ut qui vino & qui aquæ fundendæ ſerviant, primo aſpectu cerni poſſit, toties eluantur, quoties in eis vinum aut aqua pro Sacrificio apponitur.

VIII. Candelabra, Cruces, tapetia, & alia ſive vaſa, ſive ornamenta, tam ſæpe laventur, purgentur, & a pulveribus excutiantur, ut nunquam ſint ſordida & immunda. (c)

IX. Calices, patenas, & vaſa ſacrorum Oleorum, ſoli Sacerdotes aut Clerici majorum Ordinum abluant. Corporalia & purificatoria prima ablutione Clerici, deinde aliæ perſonæ honeſtæ lavent. (d) Cætera vaſa & veſtes per Ædituos, Sacriſtas, ſive alios purgentur. Ablutio a Sacerdotibus & Clericis facta in piſcinam ſeu Sacrarium effundatur.

X. Quæ omnia, ut debito tempore, modo & ordine fiant, Eccleſiarum Prælati, Rectores, Cuſtodes, vel ii, quibus de jure vel conſuetudine competit, procurent, immemores officii ſui moneant, & negligentes puniant.

TITULUS XXI.

De Bonis & Juribus Eccleſiarum conſervandis & non alienandis.

I.

CUm Eccleſiarum bona non humani, ſed Divini juris ſint, (e) & ideo in nullius, niſi DEI OPT. MAX. bonis conſiſtant, (f) utpote ejus Divinæ Majeſtati a fidelibus oblata, atque ſecretorum cœleſtium uſibus dedicata; Eccleſiarum Prælati, ac Beneficiorum Eccleſiaſticorum quorumcunque legitimi poſſeſſores, quibus Eccleſia vice ac nomine Chriſti poteſtatem patrimonium ſuum diſpenſandi & adminiſtrandi commiſit, non tantum fideles & prudentes diſpenſatores eſſe, ſed etiam ea diligenter tueri & conſervare, atque quocunque modo illicito diſtracta & abalienata, recuperare & vendicare debent. Quod ut fiat, Nos omnibus & ſingulis Prælatis, Capitulis, & Beneficiariis injungimus.

II. Eccleſiarum omnium prædia, terræ, jurisdictiones, cenſus, domus, decimæ, & alia jura quæcunque diſtincte & authentice conſcribantur, quæ vetuſtate fere conſumpta ſunt, in aliam formam authenticam transferantur, & ea omnia non apud Prælatos aut Beneficiarios, in eorum privatis ædibus, ſed in Archivio Eccleſiarum loco tuto & congruo ſub trium clavium cuſtodia conſerventur. Ubi hujumodi Archivium non eſt, præſertim in Collegiatis, & in Eccleſiis, in quibus eſt numeroſus Clerus, conſtruatur. Claves habeant, qui eas de jure vel conſuetudine Eccleſiarum, Capitulorum & locorum habere debent.

III. Defunctorum Clericorum hæredes, quicunque fuerint, Eccleſiis & Clericis in beneficio ſuccedentibus omnia & ſingula ſcripta, regiſtra, inſtrumenta ad Eccleſiam ſeu beneficium quocunque modo pertinentia, absque tergiverſatione aliqua fideliter & gratis tradant, etiamſi defunctus Clericus in confectione hujusmodi ſcripturarum, regiſtrorum vel inſtrumentorum aliquos feciſſet ſumptus & expenſas.

IV. De Eccleſiarum & Beneficiorum quorumcunque bonis, prædiis ac juribus ſine evidenti utilitate & neceſſitate, noſtroque, vel Vicarii noſtri cum cauſæ cognitione judicialiter & in ſcriptis dato expreſſo conſenſu nihil vendatur, permutetur, obligetur, ad longum tempus locetur, aut alias quocunque

(c) d. c. Pulchra. d. 86. (d) Facit c. Nemo per ignorantiam. d. 1.
(e) §. Sacræ res Inſt. de rerum diviſ. L. In tantum. §. Sacræ. ff. eod. c. Nulli. 12. q. 2.
(f) Vide Conc. Trid. Seſſ. 25. de Reform. c. 1.

Digitized by Google

cunque modo alienetur, (*g*) aliter factas alienationes & obligationes irritamus, ac nullas esse declaramus, (*b*) contra alienatores pœnam Canonicam Nobis reservantes.

V. Et ne ex incuria vel negligentia Ecclesiis damna accidant, nostræ Cathedralis, & Collegiatarum Capitulis, aliarumque Ecclesiarum Rectoribus & Curatoribus injungimus, ut singulis annis omnia Ecclesiarum vasa sacra, vestes, ornamenta, ac res quascunque ad Ecclesias, earumque usum pertinentes, visitent, inspiciant, atque in inventarium diligenter conscribant, ut deperdita facilius deprehendi, & ab iis, quorum incuria deperdita sunt, restitutio peti, lacerata, attrita & fracta restaurari, ac reparari possint.

VI. Quia etiam ut plurimum ædes beneficiales sartæ tectæ non conservantur, unde postmodum Ecclesiis ac Beneficiis damna irreparabilia eveniunt. Cui malo occurrere volentes, Capitulis tam nostræ Cathedralis, quam Collegiatarum Ecclesiarum injungimus, ut, quamprimum fieri potest, certum aliquem modum constituant, quo tum Curiæ Canonicales, tum cæteræ ædes beneficiales restaurari & conservari queant.

VII. In aliis Ecclesiis Parochi & Beneficiarii ædes suas conservent, & si reparatione indigeant, restaurent, nisi de jure seu consuetudine ad hujusmodi conservationem ac reparationem alii teneantur: secus facientes, subtractione fructuum, restaurationi applicandorum mulctentur.

VIII. Qui Vicarii sunt Ecclesiarum incorporatarum, licet ad omnimodam ædificationem aut restaurationem ædium Parochialium non teneantur, quia tamen plerique competentias habent sufficientes ac bonas, & quandoque multis annis hujusmodi ædes vel ipsi inhabitarunt, vel aliis locarunt, disponimus, ut & ipsi aliquid de suo secundum arbitrium nostrum, vel Vicarii nostri ad ædificationem seu restaurationem contribuant, maxime si illorum, aut familiæ suæ culpa ac negligentia ædes ruinosæ factæ essent.

IX. Clerici ædes suas beneficiales ipsi inhabitent, aut non nisi personis honestis locent.

X. Instituatur singulis annis omnium ædium non tantum visitatio & inspectio, Capitularium, a deputatis Capitulis: Parochialium, a Decanis vel Camerariis ruralibus: aliarum Beneficialium a Parochis locorum; sed etiam quid in qualibet visitatione deprehensum fuerit, quod reparari debeat, Nobis, vel Vicario nostro, aut Capitulis referatur.

XI. Agri, vineæ, in debita cultura ita conserventur, ut quotannis fructus reddant. Sylvæ non excidantur, nisi ad moderatam necessitatem.

XII. Cujus culpa aut negligentia ædibus, vineis, agris, sylvis, aut aliis prædiis damnum illatum fuerit, ab eo, vel ejus hæredibus restitutio illati damni petatur, ad quam faciendam Nos eos obligamus.

XIII. Graves pœnas Tridentinum Concilium (*i*) contra Ecclesiasticorum bonorum occupatores quoscunque, sive Clericos, sive Laicos statuit & decrevit. Illas ut sciat populus, & ne per ignorantiam forte censuras incurrat, volumus, ut singulis annis semel aut bis ex cancellis publice promulgentur.

Tenor autem Concilii Tridentini talis est:

" SI quem Clericorum vel Laicorum, " quacunque is dignitate etiam Im- " periali aut Regali præfulgeat, in tan- " tum malorum omnium radix cupidi- " tas occupaverit, ut alicujus Ecclesiæ, " seu cujusvis sæcularis vel regularis " Beneficii, montium pietatis, aliorum- " que piorum locorum jurisdictiones, " bona, census, ac jura, etiam feuda- " lia, emphyteutica, fructus, emolu- " menta, seu quascunque obventiones, " quæ in Ministrorum & pauperum neces-

(*g*) Tot. tit. Ext. in 6. & Clem. de reb. Eccles. non alienand. c. Prædia. c. Non liceat. cum seq. 12. q. 2. (*b*) Cap. Si quis Presbyterorum. de reb. Eccles. non alienand. c. Quod quis. 35. q. 9. Extravag. eod. c. unic. (*i*) Sess. 22. de Reform. c. 11.

" neceſſitates converti debent, per ſe, " vel per alios vi vel timore incuſſo, " ſeu etiam per ſuppoſitas perſonas Cle- " ricorum aut Laicorum, ſeu quacun- " que arte, aut quocunque quæſito " colore in proprios uſus convertere, " illosque uſurpare præſumpſerit, ſeu " impedire, ne ab iis, ad quos jure " pertinent, percipiantur, is anathe- " mati tamdiu ſubjaceat, quamdiu ju- " risdictiones, bona, res, jura, fru- " ctus & redditus, quos occupaverit, " vel qui ad eum quomodocunque, " etiam ex donatione ſuppoſitæ perſo- " næ pervenerint, Eccleſiæ, ejus Ad- " miniſtratori ſive Beneficiato integre " non reſtituerit, ac deinde a Romano " Pontifice abſolutionem obtinuerit. " Quod ſi ejusdem Eccleſiæ Patronus " fuerit, etiam Jure Patronatus ultra " prædictas pœnas eo ipſo privatus ex- " iſtat. Clericus vel qui nefandæ frau- " dis & uſurpationis hujusmodi fabri- " cator ſeu conſentiens fuerit, eisdem " pœnis ſubjaceat, nec non quibuscun- " que beneficiis privatus ſit, & ad quæ- " cunque alia beneficia inhabilis effi- " ciatur, & a ſuorum Ordinum execu- " tione, etiam poſt integram ſatisfactio- " nem & abſolutionem, ſui Ordinarii " arbitrio ſuſpendatur." Hactenus Concilium.

TITULUS XXII.

De Decimis & Oblationibus.

I.

ANtiquiſſimi Decimarum juris pro Miniſtrorum Eccleſiæ ſuſtentatione ſolutio, hodie varie a variis aut omnino contemnitur, aut legitime non præſtatur. Contra quos eſt Sacri Tridentini Concilii (*k*) graviſſima cenſura: " Non ſunt ferendi, inquit, qui variis " artibus decimas, Eccleſiis obvenien- " tes ſubtrahere moliuntur, aut qui ab " aliis ſolvendas temere occupant, & " in rem ſuam vertunt, cum decima- " rum ſolutio debita ſit Deo, & qui eas " dare noluerint, aut dantes impediunt, " res alienas invadunt. Præcipit igi- " tur Sancta Synodus omnibus cujus- " cunque gradus & conditionis ſint, ad " quos decimarum ſolutio ſpectat, ut " eas, ad quas de jure tenentur, im- " poſterum Cathedrali, aut quibuscun- " que aliis Eccleſiis vel perſonis, qui- " bus legitime debentur, integre per- " ſolvant. Qui vero eas aut ſubtra- " hunt, aut impediunt, excommunicen- " tur, nec ab hoc crimine, niſi plena re- " ſtitutione ſecuta, abſolvantur." Hactenus verba Concilii. Quæ de omnibus decimis tam majoribus, quam minoribus, & aliis quibuscunque intelligenda ſunt.

II. Decimæ novales, quæ ex terris aut agris de novo ad culturam ſive ligone, ſive aratro, vel alio quocunque modo redactis, percipi ſolent, Eccleſiarum Parochialium Rectoribus ſolvi debent, non tantum tribus primis annis, ut quidam falſe & ex prioribus Statutis Synodalibus propter errorem Typographi, valde Sophiſtice & damnabiliter ſunt argumentati, ſed ſemper & in perpetuum (*l*) iis omnino excluſis, ſive Laici, ſive Clerici fuerint, qui veteres decimas poſſident, aut qui eo loci vel jus foreſti, vel aliam temporalem qualemcunque jurisdictionem aut proprietatem habent. Semel enim decimæ novales ſemper novales jure cenſentur. Eas Parochi locorum contra quoscunque detentores jure vindicent, aut ſi vi ac metu juſto impediantur, Nobis, vel Vicario noſtro referant. In Eccleſiis incorporatis, ubi Vicarii ſive perpetui, ſive temporales conſtituti ſunt, & congruam portionem obtinent, in decimis novalibus nullum jus habent, ſed iis pertinent, quibus Eccleſia eſt incorporata.

III. Ut autem ſcire poſſit populus, quam grave ſit piaculum, decimas qualescunque aut omnino non ſolvere, aut non integre præſtare, injungimus Parochis & Concionatoribus, ut tum ex Sacra Tridentina Synodo, tum aliunde, de decimis rite perſolvendis ſæpius ex cancellis prudenter & diſcrete verba faciant.

IV. Magnus Majorum noſtrorum in faciendis oblationibus fervor ita apud plerosque refriguit, ut plures hodie ſint,

(*k*) Seſſ. 25. de Reform. c. 12. (*l*) C. Quoniam. c. Cum contingat. de Decim. c. Quid per. de verb. ſign. C. fin. de Privil.

ſint, qui Miniſtris Eccleſiarum ea, quæ jam ante jure ac legitime poſſident, potius auferre, quam aliquid offerre mallent, & fere hujus ſæculi homines, ad ea ſint cogendi, quæ Majores noſtri ſponte ac paratiſſimo animo fecerunt. Ideo ſtatuimus, ut oblationes ad minus in quatuor principalioribus feſtis, ſcilicet Nativitatis Domini, Paſchatis, Pentecoſtes, Aſſumptionis B. Mariæ Virg. ab adultis, ſeu communicantibus Parochianis ex antiquiſſima Eccleſiæ & Epiſcopatus noſtri conſuetudine Parochis ſolvantur. (*m*) Illud ut Parochiani faciant, a Parochis ſuis cum diſcretione interdum admoneantur. Reliquorum dierum oblationes pro cujusque loci conſuetudine uniuscujusque voluntati ac devotioni liberas relinquimus.

TITULUS XXIII.

De Fabricis & Fabricarum Procuratoribus.

I.

PRocuratores Fabricarum præter cujuslibet loci Parochum, quem Nos tanquam omnium Eccleſiarum & rerum Eccleſiaſticarum Civitatis & Diœceſis noſtræ Conſtantienſis verus, legitimus & ordinarius Judex ac Superior, (*n*) noſtro nomine ac loco ſupremum Procuratorem ordinamus, aſſumantur de communitate cujusque loci viri fideles Catholici duo vel tres, qui ſingulis annis acceptorum & expenſarum rationem reddant.

II. Generales fabricarum Procuratores, quos vulgo ſpiritualium adminiſtratores vocant, uti hæreticorum hujus temporis inventum, quod Eccleſiaſticarum rerum maximam confuſionem generat, rejicimus, & ut cuilibet Eccleſiæ ſpeciales Procuratores deputentur, præcipimus.

III. Ubi in villis & pagis Procuratores ſunt, qui legere & ſcribere ignorant, Parochus loci ſingula accepta & expenſa in rationes, aliis Procuratoribus dictantibus, referat.

IV. Procuratores non tantum cenſus annuos ad fabricam pertinentes ſive in fixo, ſive in accidentiis ſint, diligenter, & fideliter colligant, Eccleſiæ, turris, campanarum, ſacrorum vaſorum & veſtium, aliarumque rerum, quæ ad Eccleſiam & fabricam ſpectant, curam habeant; ſed etiam de cereis, oleo, thure, & cæteris ad cultum Divinum juxta ritum & cæremonias Romanas neceſſariis proviſionem faciant. Curent præterea, præſertim Parochis urgentibus, ut albæ, altarium mappæ, mantilia, corporalia, purificatoria, & cætera omnia, maxime quæ ad tremendum Sacræ Miſſæ Sacrificium pertinent, ſint munda. Quæ ſordida ſunt, mundent, quæ fracta vel corrupta, reficiant.

V. Miſſalia, Obſequialia, Gradualia, Antiphonaria, & libros reliquos Eccleſiaſticos pro cujusque Eccleſiæ neceſſitate ſine cunctatione Procuratores coëmant. Negligentes in his, Parochi Nobis, aut Vicario noſtro denuntient, ut eos Eccleſiaſticis cenſuris ad præſtandum officium adigere valeamus.

VI. Habeatur vero ubique annuorum reddituum ratio, & ita Eccleſiarum neceſſitatibus provideatur, ne interim fabricæ magnis debitis prægraventur. Proinde volumus, & mandamus, ut Parochi, vel alii quicunque non tantum non plus oneris imponant fabricis, quam ferre poſſint, ſed etiam ut vaſis, veſtibus, & aliis rebus Eccleſiaſticis non ſordide & inadvertenter, ſed munde ac ordinate utantur.

VII. Magnus eſt abuſus in pleriſque locis & Eccleſiis, ut, quando pro Eccleſia emitur oleum, & cera, cerei conficiuntur, vel annuæ rationes rerum fabricæ redduntur, profuſa convivia & compotationes magnis ſumptibus fabricæ fiant; ſuntque fabricæ Procuratores ut plurimum in ſubminiſtrandis ac reparandis rebus Eccleſiæ neceſſariis per annum parciores, ut eo plus poſtea habeant, quod inutiliter conſumant. Sane indigniſſimum eſt eleemoſy-

(*m*) Facit c. Omnis Chriſtianus. de Conſecr. d. 1.
(*n*) Videatur Concil. Trid. de Reform. c. 9. Seſſ. 22. & Seſſ. 24. c. 3. in fine.

moſynas piorum toto anno congeſtas, uno die ita abliguriri: proinde ſub reſtitutionis, & aliis graviſſimis pœnis hujusmodi convivia ſumptuoſa,& compotationes prohibemus, conſuetudine etiam immemoriali non obſtante.

VIII. In locis, in quibus fabricarum redditus ex magna parte in vino conſiſtunt, ſub eadem reſtitutionis pœna Procuratoribus interdicimus, ne ipſi in cellis vinariis fabricarum conveniant,& potitent, aut alios qualescunque illi ſint, in easdem cellas ad potandum deducant. Parochi in hac parte peccantes, præter reſtitutionis pœnam toties, quoties decem florenis puniantur.

IX. Ut autem Procuratores ſuorum laborum aliquem fructum recipiant, non impedimus, quin illis pro modo facultatum fabricæ & laborum ſalarium aliquod in pecunia conſtituatur.

X. Habeatur in ſingulis Eccleſiis ciſta, in qua literæ reddituum, jura & pecunia fabricarum conſerventur, ſub trium clavium cuſtodia, quarum unam Parochus, reliquas duas alii duo Procuratores habeant.

XI. Qui debita fabricarum in ſingulos annos non ſolidaverint, vel non integre perſolverint, a fabricarum adminiſtratione removeantur, & ad ſolutionem ac ſolidationem jure adigantur.

TITULUS XXIV.

De Succeſſionibus & Teſtamentis Clericorum.

I.

BOna, quæ a Clericis poſſidentur, aut ſunt Patrimonialia, aut Eccleſiaſtica, aut ex Eccleſiaſticis bonis acquiſita, aut denique quaſi patrimonialia. (o)

II. Patrimonialia bona ea cenſentur, quæ Clericis ipſorum non Eccleſiæ intuitu ex ſucceſſione ſive teſtamentaria, ſive ab inteſtato, parentum, fratrum, cognatorum, & aliorum, item quæ ex legato, fideicommiſſo, opera & induſtria ſua, honeſta & licita donatione, aliove legitimo contractu obvenerunt. (p) Et hæc cum nihil diſtent a bonis ſæcularium, conſequens eſt, ut non tantum ea a Clericis quovis titulo in alios transferri poſſint, verum etiam ad legitimos eorum hæredes ab inteſtato, aut ex teſtamento inſtitutos, recte devolvantur. (q)

III. Bonorum Eccleſiaſticorum nomine eæ res continentur, (r) quæ Eccleſiæ, ejusque Miniſtrorum uſui & ſuſtentationi conſecratæ ſunt, quales ſunt domus, agri, vineæ, jus decimarum, jurisdictiones, &c. quarum omnium ea eſt conditio, ut nulla in iis hæreditaria ſucceſſio tam ab inteſtato, quam ex teſtamento jure permittatur, (s) ſiquidem Clericus præter procurationem, & adminiſtrationem in hujusmodi bonis Eccleſiaſticis nihil juris habet. (t)

IV. Bona ex Eccleſiaſticis bonis acquiſita ſunt, quæ Clericus ex fructibus & redditibus beneficii ſui comparat. Atque in his bonis Clerici ex antiquiſſima conſuetudine (u) Diœceſis noſtræ liberam teſtandi facultatem habent, illisque ab inteſtato a proximioribus legitimis hæredibus ſucceditur. Cui conſuetudini licet nos nihil derogare velimus, quia tamen pium rationique valde conſentaneum eſt, ut Clerici ex hujusmodi bonis honeſte tantum vivant, (x) &, quod ſupereſt, in pios uſus convertant, (y) ſerio monemus omnes Clericos, ut circa hujusmodi bona, ſive hæredes ex teſtamento, ſive ab inteſtato relinquant, etiam Eccleſiarum, quibus aſcripti ſunt, pauperum, alia-

(o) Navarr. in Tract. de redd. benef. Eccl. & in Comment. de ſpoliis Clericor.
(p) C. 1. de pecul. Cleric. (q) C. Epiſcopi, cum 2. c. ſeq. 12. q. 1. c. Quicunque. 12. q. 3. c. 1. c. Firmum. 12. q. 5. c. Quia nos. c. Relatum. de Teſtament. c. 1. de ſucceſſ. ab inteſt. (r) Tit. decret. de pecul. Cleric. & de Teſtament.
(s) C. Cum in officiis. c. Ad hæc. cum c. ſeq. de Teſtam. c. Epiſcopi. c. Manifeſta. c. Sint manifeſta. 12. q. 1. (t) C. Pontifices. 12. q. 3. C. Non liceat Papæ. 12. q. 2.
(u) Quam probant Panorm. ad c. Cum tibi. n. 2. de verb. ſign. Covarr. ad c. Cum in officiis. n. 9. de Teſtam. (x) C. Ex his. cum c. ſeq. c. fin. 12. q. 1. c. Cum ſecundum. de Præbend. (y) C. fin. 16. q. 1. c. Quatuor. cum ſeqq. 12. q. 2.

aliarumque piarum cauſarum rationem habeant, ne, dum forte ſuos conſanguineos ex bonis Eccleſiaſticis temporaliter locupletare contendunt, ipſi æternæ ſalutis diſpendium atque jacturam patiantur.

V. Denique bona quaſi patrimonialia ſunt, quæ licet Clericus ratione Eccleſiaſtici miniſterii percipit, vi tamen & effectu inter patrimonialia annumerantur, qualia ſunt, quæ Clericis ſeparatim obveniunt ex celebratione Miſſarum, ex concionibus, & ſimilibus actibus ſpiritualibus, (z) quæ bona a Clericis tam ex teſtamento, quam ab inteſtato recte ad hæredes transmittuntur. (a)

VI. Concubinarum, & aliarum turpium perſonarum in teſtamentis Clericorum ne mentio quidem fiat, quod ſi quocunque modo, directe vel indirecte ab aliquo contra factum fuerit, volumus, ut totum id, quod concubinæ, vel aliis turpibus perſonis relictum eſt, in pios uſus convertatur.

VII. Qui in Clericorum teſtamentis Executores deputantur, ſive Clerici, ſive Laici fuerint, fideles ſint & diligentes in exequendo, (b) & quod ſibi in ſimili fieri vellent, id aliis faciant. Legata omnia, præſertim ad pias cauſas, ſtatim perſolvant, & totum teſtamentum intra annum executioni demandent. Nobisque tanquam ſupremo hujusmodi teſtamentorum Executori, vel Vicario noſtro ad noſtram, vel ejus requiſitionem de omnibus & ſingulis rationem reddant.

VIII. Et quia intelleximus in quibusdam locis Diœceſis noſtræ conſuetudines & ſtatuta eſſe, quod neque Clericus, neque Laicus, ultra certam & expreſſam ſummam piis locis, aut aliquibus perſonis pro animæ ſuæ remedio & ſalute ſua magis promovenda aliqua legata ordinare poſſit; Quæ cum Sacris Canonibus (c) & Imperatoriis Legibus (d) ſint contraria, quod extrema voluntas & ultimum hominis teſtamentum immobile debeat conſiſtere, (e) nihilque ſit, quod hominibus magis debeatur, quam ut ſupremæ voluntatis liber ſit ſtylus. (f) Ideo hujusmodi conſuetudines & ſtatuta auctoritate hujus Statuti Synodalis reprobamus, firmiter ſtatuentes, ut illis, quos jura a teſtamentorum factione non prohibent, tam in proſpera, quam in adverſa valetudine conſtitutis, de bonis ſibi a Deo collatis, ad pia loca & cauſas, dummodo hæredes ſuos legitimos contra juris communis diſpoſitionem non prætereant, legandi, ordinandi & diſponendi libera ſit facultas.

IX. Dolenter etiam audivimus, quod in pluribus locis, fidelium tam Clericorum, quam Laicorum teſtamenta & extremæ voluntates, præſertim pro animarum ſalute ſalubrius promovenda, & ad pios uſus & loca legata & teſtata, interdum perverſis hominum machinationibus multipliciter impediantur, & retardentur, cum vero ſuprema hominis voluntas pro lege ſervari debeat, (g) Nobisque ex paſtorali noſtro officio incumbat, hujusmodi teſtamenta & ultimas voluntates defendere, (b) univerſis noſtræ Diœceſis tam Eccleſiaſtici, quam politici ſtatus hominibus graviſſime & ſub Canonicis cenſuris ac pœnis præcipimus & mandamus, ne fidelium Eccleſiaſticarum vel civilium perſonarum, quas jura a teſtamentorum factione non repellunt, teſtamenta, codicillos, legata, ac alias legitimas voluntates, potiſſimum ad pios uſus & ſalutis animarum promotionem ſeſe extendentes, earumque executiones, quovis modo negligant, impediant, aut retardent.

X. Cæterum circa ea, quæ jam de Cleri-

(z) Navarr. in Apologia de redd. Eccl. q. 1. monit. 21. cum ſeq.
(a) Panorm. in repet. c. Cum eſſes. n. 261. de Teſtam. & in cap. Cum in officiis. n. 8. eod. Navarr. in Comment. de ſpoliis Cler. §. 1. n. 3. (b) C. Joannes. de Teſtam.
(c) Tit. de Immunit. Eccleſiaſtica, & aliis locis. (d) L. Caſſa. c. de Sacroſ. Eccleſ.
(e) C. Marthæ. §. Cæterum. de celebr. Miſſ. cap. ult. 13. q. 2.
(f) L. 1. C. de Sacroſan. Eccleſ. Auth. de Nupt. §. Diſponat. coll. 4.
(g) d. Auth. de Nupt. §. Diſponat. coll. 4. (b) Cap. Si hæredes. c. Tua nobis. c. Joannes. de Teſtamentis. Concil. Trid. Seſſ. 22. de Reform. c. 8.

Clericorum teſtamentis & ſucceſſionibus ab inteſtato definivimus, nihil derogatum volumus, Nobis, vel aliis, qui ex privilegio jus ſuccedendi habent, certis quibusdam Clericis.

XI. Clerici illegitime nati nec teſtamentum recte faciunt, nec ab inteſtato alium præter Nos relinquunt hæredem, niſi a Nobis licentiam in ſcriptis impetraverint.

TITULUS XXV.

De Exequiis & Sepulturis.

I.

MAgna religione priſcis temporibus Chriſtianorum funera curata ſunt, & eorum ſepulturæ non niſi in ſacris & religioſis locis ideo conſtitutæ, (*i*) quod illorum Sanctorum commendentur patrocinio, quorum nomini Eccleſia, in qua corpora conquieſcunt, eſt conſecrata, tum etiam quod defunctorum proximi ad ſacra loca venientes, ſepulturamque conſpicientes, ſuorum recordentur, & pro eis pias preces fundant. Verum ut in aliis rebus, ita & in hac non parum multis in locis a religione deflexum eſt, unde mandamus, ut Parochi & Curati vetus Eccleſiæ inſtitutum mortuorum funera piis precibus & officiis religioſe proſequendi ad priſtinam pietatis rationem revocare ſtudeant.

II. Sit in omnibus Eccleſiis Parochialibus ſumptibus fabricæ niger pannus laneus cum alba cruce omnibus communis, quo mortuorum loculi dum ad ſepulturam efferuntur, contegantur. In ditiorum arbitrio ſit, vel communi, vel alio pretioſiori ſuis ſumptibus comparando pallio uti, quod poſt funus ſtatim Eccleſiæ, in qua vel cujus cœmiterio mortuus ſepultus fuit, acquiratur.

III. Ubi adeo Chriſtiana pietas & charitas refrixit, ut nulli ſint, qui ſine mercede mortuorum corpora efferre & ſepelire velint, illis Parochi cum cujusque loci Magiſtratu certam taxam conſtituant. Miſerabiles perſonæ, quibus mortuis, aut nihil ſupereſt, aut ita parum, ut ſua impenſa humari non poſſint, Fabricarum, Hoſpitalium, aut aliorum piorum locorum ſumptibus ſepeliantur.

IV. Pro exequiis, ſepulturis & anniverſariis nihil exigatur, quod Simoniacam labem aut ſordidam avaritiam ſapiat. (*k*) Pias tamen conſuetudines pro Eccleſiarum fabricis & Miniſtrorum commodiori ſuſtentatione aliquid recipiendi non improbamus.

V. Meminerint vero Parochi ſe debitores eſſe, ut ſtatim pro ſuæ Parochiæ defunctis preces Deo fundant, ac Sacroſanctum Miſſæ Sacrificium offerant, eisque refrigeria concedi poſtulent: nam ſi unquam antea, tunc certe animæ corporibus ſolutæ, eorum opera maxime indigent, ſibique a Deo precibus illorum & ſanctis Sacrificiis miſericordiam fieri cupiunt. (*l*)

VI. Concio funeralis non in recenſendis mortuorum laudibus verſetur, ſed tota ad humanam miſeriam fidelium oculis proponendam, & omnes ad vigilandum cohortandos referatur, ne, cum venerit Dominus hora, qua non putamus, inveniat nos dormientes. (*m*)

VII. In Templis ſine Prælatorum, Capitulorum & Parochorum conſenſu nemo ſepeliatur. Quod ſi alicui locus ſepulturæ deinceps in aliqua Eccleſia dabitur, humi tantum & in tali loco detur, in quo Divinis Officiis peragendis nihil impedimenti adferat. (*n*) Mortui in Eccleſiis tam profunde ſepeliantur, aut quod melius eſſet, aperto loculo viva calce perfundantur, ne quem fœtorem inducant.

VIII. Ut in tegumentis ſepulchrorum lapideis ſive in Eccleſiis, ſive in cœmiteriis impoſterum Crucis imago non ſculpatur, Parochi prohibeant. (*o*)

IX. In ſacris locis infideles, hæretici, ſchiſmatici, publice excommunicati,

---

(*i*) C. 3. de Sepult. c. Non adimemus. in fin. c. Cum gravia. 13. q. 2.
(*k*) C. Abolendæ. c. Queſta. c. In Eccleſiaſticis. 13. q. 2. c. Non ſatis. c. Ad Apoſtolicam. de Simon.
(*l*) d. c. Ad Apoſtolicam. & gloſſ. ad c. Abolendæ.
(*m*) Marci 13. c.
(*n*) Facit c. Præcipiendum. §. Prohibendum. 13. q. 2.
(*o*) Facit L. unic. c. Nemini licere ſig.

Digitized by Google

cati, nominatim interdicti, manifesti usurarii, & qui sibi manus violentas attulerunt, aliique a jure prohibiti humari, & pro iis exequiæ celebrari non debent. (p)

X. Cœmiteria ad Christianorum sepulturas consecrata muro, aut alias ita sepiantur ac claudantur, ne pecoribus pateat ingressus. Curent Parochi, ut in medio cœmiteriorum magna Crucifixi imago sit erecta.

XI. Rustici, dum ad Templa eunt, in cœmiteriis non conveniant, ut confabulentur, ac nugas & similia tractent. (q) sed recta Ecclesias ingrediantur & orent.

XII. In cœmiteriis nihil plantetur, nihil seratur, in iis omnes arbores, frutices, vites sive fructiferæ, sive non, excidantur. Telæ & panni linei prophani in cœmiteriis non siccentur, nec fœminæ colo ibi neant, aut tam illæ, quam viri opus aliquod ibi faciant a ratione locorum sacrorum alienum. (r)

XIII. Denique in omnibus cœmiteriis sit locus honestus pro ossibus mortuorum, non sparsim & confuse, sed ordine reponendis, cui vas cum aqua benedicta & aspergillo semper adsit.

TITULUS XXVI.

De Immunitate Ecclesiastica.

I.

QUoniam locorum sacrorum, rerum ac personarum Ecclesiasticarum immunitates, & privilegia non solum a Summis Pontificibus, sed etiam a supremis Principibus concessa, hodie passim violantur, cum Sacri Tridentini Concilii Patribus (s) omnia Concilia Generalia, nec non alias Apostolicas Sanctiones in favorem Ecclesiasticæ libertatis, & contra ejus violatores præsenti hoc nostro Synodali Decreto innovamus. Quapropter omnes Magistratus sæculares, cujuscunque status aut præeminentiæ fuerint, in Domino hortamur, ut non tantum ea, quæ Ecclesiastici juris sunt, a Ministris, Officialibus, & subditis suis ullo modo lædi patiantur, atque in eos omnes, qui Ecclesiasticam immunitatem & jurisdictionem perturbant & impediunt, severe animadvertant, verum etiam ipsimet exemplo ad pietatem, religionem, atque Ecclesiarum & Ecclesiasticæ libertatis protectionem existant, imitantes anteriores optimos, religiosissimosque Principes, qui res & jura Ecclesiæ, & sua auctoritate ac magnificentia auxerunt, & ab aliorum injuria vindicarunt.

II. Nemo Sæcularium Clericum qualemcunque in vincula ob quamcunque causam sub pœna excommunicationis latæ sententiæ conjiciat, aut ei mulctam vel pœnam aliquam imponere præsumat. (t)

III. Clerici delinquentes Nobis, aut Vicario nostro deferantur, quos juxta delicti qualitatem, & Canonicas Sanctiones puniemus.

Quod si Clericus aliquis valde enormiter deliquisset (enorme autem crimen intelligimus, quod de jure Canonico depositionem, de Civili vero pœnam capitalem meretur) & vehemens fugæ suspicio adesset, permittimus, ut a sæculari Magistratu in arresto & loco honesto interea, donec Nos, vel Vicarius noster certiores facti fuerimus, detineri, aut vinctus decenti, non infami modo ad Nos mitti possit, omni dolo & fraude remota. (u)

IV. Clerici deprehensi in habitu laicali, postquam cognitum fuerit illos revera Clericos esse, statim dimittantur, & ad Nos, vel Vicarium nostrum causa & excessus deferatur.

V. Falsa quorundam Laicorum hactenus fuit opinio jure se Clericos captivare, & per viginti quatuor horas in carcere detinere posse: quod, ne

(p) C. Ecclesiam. cum seq. de Consecr. dist. 1. c. 2. de Hæret. in 6. c. Sacris. 12. de Sepult. c. 3. de Usuris. c. Placuit. 23. q. 5. cum multis similibus jurib. Vide etiam Concil. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 19.

(q) C. 2. §. Cessent varia. §. Cessent confabulationes. & §. Cessent in Ecclesiis. de Immm. Eccles. in 6. (r) d. c. 2. & c. Cum Ecclesiam. de Immunit. Eccl.

(s) Sess. 25. de Reform. c. 20. (t) C. Nullus. de foro compet.

(u) Facit c. Ut famæ. de sent. excomm.

fiat, ſub eadem excommunicationis pœna prohibemus. (x)

VI. Clerici ad ſæcularia judicia ſe invicem non trahant, aut ad Judicem civilem confugiant, vel appellent. (y) Contrafacientes graviſſime puniemus.

Nemo etiam Laicorum Clericum ad ſæculare Tribunal citare præſumat. (z) Quod ſi Clericus ab aliquo iſthuc vocetur, non compareat, nec reſpondeat, (a) ſed id Nobis, aut Vicario noſtro referat.

VII. Qui ad Eccleſias & loca ſacrata confugiunt, inde per Magiſtratum ſæcularem non extrahantur, (b) niſi publici latrones, nocturni agrorum populatores, viarum obſeſſores, aut alii fuerint, (c) qui ſe immunitatis Eccleſiaſticæ privilegio indignos fecerunt: Nam ſi eos, qui ad ſtatuam Principis ſe proripiunt, ab omni violentia leges ſæculares vindicant, (d) quanto magis convenit ad Templum Domini & loca ſacrata confugientes, loci ſancti reverentia & auctoritate defendi. Quicunque igitur inde hominem reluctantem violenter abtraxerit, eum tam aliis pœnis pro commiſſo ſacrilegio, quod admiſit, quam Eccleſiaſtica excommunicatione, quam ipſo jure incurrit, (e) pro violata immunitate coërcebimus.

VIII. Clericorum domus non minus, quam Eccleſiæ ipſæ immunitatis jure gaudent. (f) Quare Magiſtratus ſæcularis in ædibus Canonicorum, Parochorum, & cæterorum Clericorum nihil juris & auctoritatis quærat, ac ſibi uſurpet.

Finis ſecundæ Partis.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM *PARS TERTIA.*

TITULUS I.

De Regularibus & Religioſis.

I.

REgularem vitam profeſſi in ſtatu perfectionis conſiſtunt, (g) unde tum ipſi perfecte vivere, tum alios religioſis moribus & exemplo perficere debent. Quare ſummo ſtudio contendant Regularium quorumcunque Superiores, ut in Monaſteriis ſuis ſecundum præſcriptum Regulæ, quam profeſſi ſunt, vivatur, atque inprimis, quæ ad ſuæ profeſſionis perfectionem pertinent, tria vota ſubſtantialia Religionis, videlicet obedientiæ, caſtitatis, & paupertatis, quam diligentiſſime obſervent. (h)

II. Regulares omnes imprimis Nobis & Succeſſoribus noſtris, tanquam totius Diœceſis Capiti, reverentiam exhibeant, atque obedientiam in iis præſtent, in quibus tum ex Sacrorum Canonum Jure, tum ex Concilii Tridentini Decretis præſtare debent: (i) Deinde Superioribus & Præfectis ſuis ad nutum obediant. (k) Rebelles importune & opportune ad obedientiam redigantur, incorrigibiles, vel ad alia Monaſteria, juxta cujuscunque Ordinis Statuta dimittantur, vel perpetuo incarcerentur.

III. Prælati, & alii Superiores Monachos ſuos ex obedientia & Monaſterio ſub quocunque prætextu absque legitima & rationabili cauſa a Nobis cogni-

(x) d. c. Nullus. de foro compet. q. 1. c. Inolita. 11. q. 3.
(y) C. Si diligenti. de foro compet. c. Placuit. 11.
(z) C. Qualiter. de Judiciis.
(a) Per L. fin. ff. de Jurisdict. omnium jud. c. Cum ſit. c. Si Clericus. de foro compet. c. Experientia. cum ſeq. 11. q. 1.
(b) C. Inter. de Immun. Eccl. c. Diffinivit. c. Frater. c. Sicut. c. Conſtituimus. c. Si quis contumax. 17. q. 4.
(c) d. c. Inter. c. Sicut antiquitus. 17. q. 4. & c. fin. de Immun. Eccleſ.
(d) Tot. tit. Cod. de his, qui ad ſtatu. confug.
(e) d. c. Et jurib.
(f) d. c. Quis quis. 17. q. 4.
(g) S. Thom. 2. 2. q. 134. relatus a Sylveſt. in verbo: Religio. 1. n. 3.
(h) Clem. Exivi. de verb. ſignific. c. Cum ad Monaſterium. de ſtatu Monach. Conc. Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 1.
(i) Conc. Trid. in multis locis. fac. c. Conquerente. de offic. Jud. ord.
(k) d. c. Cum ad Monaſterium. §. Abbas vero. c. Abbates. 18. q. 2.

Digitized by Google

cognita non dimittant. Religioſos ſuos vagabundos, qui vel ſine, vel cum habitu extra Monaſteria oberrant, diligenter inquirant, & ad ſua Monaſteria redire modis omnibus curent. (*l*)

IV. Regulares, ſive in ipſis Monaſteriis, quibus cura animarum eſt annexa, ſive extra Monaſterium Parochiis præfecti ſint, Sacramenta minime adminiſtrent, nec curam animarum quocunque modo exerceant, niſi prius a Nobis, vel Vicario noſtro legitime examinati, probati & admiſſi fuerint. (*m*) In iis etiam, quæ ad curæ animarum adminiſtrationem pertinent, Nobis, Vicario noſtro, & loci Decano rurali obedientiam & ſubjectionem præſtare debent. (*n*) Regulares in Parochiis notorie delinquentes, ſecundum Canones impunitos non relinquemus, (*o*) in gravioribus exceſſibus in Parochiis non tolerabimus, ſed ad Monaſteria ſua remittemus.

V. Apoſtatas pœnitentes, & ad Monaſterium revertentes, Superiores benigne recipiant, nec eis majores pœnas, quam a Sacris Canonibus aut Regula cautum ſit, imponant. (*p*)

VI. Ut caſtitatis voto, quo ſe Religioſi obligarunt, commodius ſatisfacere queant, (*q*) fœminæ omnes excludantur a locis conventualibus. In quibus Monaſteriis aditus adhuc patet mulieribus, ad ambitum, refectorium, dormitorium, & alia ſecretiora loca Conventus, Prælati, & Superiores infra ſex menſes clauſuram inſtituant, & inſtitutam diligentiſſime conſervent, (*r*) atque in Religioſos ſuos votum caſtitatis violantes, graviſſime animadvertant. Extra clauſuram & loca conventualia in Monaſteriis ſic admittimus fœminas, ut ubique honeſtatis ratio habeatur.

VII. Regularis vitæ peſtis eſt pernitioſiſſima proprietas, cujus abdicatio adeo eſt Regulæ Monachali annexa, ut contra eam nec Summus Pontifex poſſit licentiam indulgere. (*s*) Quæ proprietati occaſionem & fomenta adminiſtrant, ex omnibus Monaſteriis penitus auferantur. Penſiones vitales ex parentum hæreditate, aut aliunde provenientes, nullus recipiat, neque pecuniam, vel aliud quidpiam proprium apud ſe, vel alium retineat, quocunque modo acquiſitum fuerit, ſed omnia in communem uſum convertantur. (*t*) Conſuetudinem, ubi Monachi, vel Canonici Regulares bona quædam immobilia ad uſumfructum poſſident, aut pro victu, potu, & veſtitu certam ſummam vini, frumenti, panis, & aliorum eſculentorum, vel pecuniam recipiunt, tanquam religioni & paupertatis voto contrariam omnino abrogamus. (*u*) Privatas Monachorum familias & menſas in Monaſteriis interdicimus, & volumus, ut Religioſi in una menſa ac refectorio ſimul ſecundum cujusque Regulæ præſcriptum comedant. (*x*) Menſæ adhibeatur ſacra lectio, cui etiam Superior, niſi legitime impediatur, interſit. (*y*)

VIII. Subminiſtrentur vero a Monaſteriorum Prælatis & Superioribus victus, veſtitus, cæteraque vitæ ſubſidia ſingulis ex communi pro neceſſitate & Monaſterii facultatibus prompte & hilariter, non ſordide ac tenaciter. Meminerint Superiores ſe Religioſorum ſuorum Patres, non Dominos, & Religioſos, non ſervos, ſed filios eſſe.

IX. Superiores Religioſis ſuis ægrotantibus præter tria vota, cætera religionis præſcripta relaxent, potum, cibum, locum, & omnia alia, quæ ſanitas exigere videtur, de Medici conſilio libenter cum paterno affectu & charitate

(*l*) C. Ne Religioſ. de Regularib. & tranſ. Clem. Ne in agro Dominico. §. Quia vero. d. c. Abbates. 18. q. 2. (*m*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Reg. c. 11.
(*n*) C. Qui Religioſi. 18. q. 2. Conc. Trid. Seſſ. 25. de Regular. c. 11.
(*o*) Conc. Trid. d. Seſſ. 25. de Reg. c. 14. (*p*) Facit c. Pœnæ. de Pœnit. d. 1. L. Interpretation. L. Reſpiciendum. L. Hodie. ff. de Pœnit.
(*q*) C. Quod Deo. 33. q. 5. c. Ananias. c. Sunt quidam. 17. q. 1. Num. 3. & Deut. 15. cap.
(*r*) Facit c. Pervenit. 18. q. 2. (*s*) C. Monachi. c. Cum ad Monaſterium. de ſtatu Monach. c. Joannes. de Reg. (*t*) d. c. Cum ad Monaſterium. c. Non dicatis. 12. q. 1. c. Monacho. 27. q. 1. Conc. Trid. Seſſ. 25. de Reg. c. 2. (*u*) d Seſſ. c. 2.
(*x*) Conc. Trid. d. Seſſ. 25. de Reg. c. 1. (*y*) d. c. Cum ad Monaſterium. §. Abbas vero.

ritate miniſtrent. (z) Ægrotorum vero non mulieres, ſed viri curam habeant.

X. Habitu & veſtitu utantur omnes decenti & Regulæ convenienti, (a) nec abjecto nimis nec cultiori, ſed potius vitæ innocentia ac morum integritate, quam externo cultu hominibus placere ſtudeant.

XI. Habitum & Tonſuram Ordini congruam, ſive foris, ſive domi ſint, ſemper geſtent (b) aperte, occulte nunquam, niſi de Superiorum licentia, quando per loca hæretica periculoſa tranſeundum eſſet.

XII. Cubent omnes in eodem dormitorio, ſinguli in ſingulis cellis & lectis.

XIII. Silentium, humilitatem, & cæteras virtutes Chriſtianas Religioſi inprimis colant. (c) Colloquia autem vana, inutilia, turpia, ſermones petulantes, jocos obſcœnos, lites, jurgia, odia, invidias, otium, & ſimiles Religioſorum peſtes abominentur & fugiant, atque a chartarum, alearum, & aliis minus honeſtis, illicitis ac jure prohibitis ludis abſtineant.

XIV. Ad Officia Divina ſecundum ſingulorum Ordinum Regulas, & Monaſteriorum fundationes & laudabiles conſuetudines ſtatis horis & locis celebranda, Religioſi omnes in Choro conveniant, & quanta quisque in Monaſterio dignitate vel officio major eſt, tanto in Divinis Miniſteriis ſtudeat eſſe frequentior, nec ſe facile ſubducat, niſi neceſſitatis vel majoris utilitatis ratio poſtulet. In Choro autem & Eccleſia invicem non confabulentur, non diſcurrant, non oculos huc illuc conjiciant, aut aliquid aliud agant, quod homine & religioſo loco ſit indignum. Qui ritu Romano celebrant, omnia obſervent, quæ ſupra de Miſſarum celebratione a Nobis conſtituta ſunt, & quæ Miſſalis Romani, aut noſtri ad Romanum accommodati, Rubricæ continent.

XV. Sacerdotes confeſſionem Sacramentalem ultra decimum quartum diem nunquam differant, reliqui ſingulis menſibus confiteantur, & Sacroſanctam Euchariſtiam ſuſcipiant, niſi ſæpius ex Regula ſua obligentur. (d) Cæterum ut quilibet Regularis cuilibet ad voluntatem ſuam confiteatur, non expedit: ordinentur itaque Confeſſarii certi a Superiore, prudentia maturi, vita & doctrina probati, vel ex Monaſterio, vel ſi ibi apti non ſint, de communi conſenſu aliunde, præſertim ex religione aliqua, cui omnes ſimul confiteantur.

XVI. Capitula culparum, ad conſervationem monaſticæ diſciplinæ inſtituta, ſecundum cujusque Ordinis Regulam & Statuta celebrentur ſæpius: In iis Regula & Conſtitutiones Ordinis prælegantur, (e) & quæ contra honeſtatem & Ordinem gravius admiſſa fuerunt, puniantur. Capitulis Prælati & Superiores quoque interſint.

XVII. Caveant Superiores, ne aliquem ad profeſſionem ante decimum ſextum annum ætatis completum, & qui prius per integrum annum in probatione non fuerit, admittant: aliter enim profeſſio facta nulla eſt, & invalida. (f) Nemo etiam ad alicujus religionis profeſſionem emittendam vi metuque cogatur, aut inducatur. Atque in Religioſorum ſuſceptione non divitiæ, familiæ ſplendor, & ſimilia ſpectentur, ſed tantum purus honor Dei & animarum ſalus quæratur. Et quia raro terminatur fine bono, quod malo inchoatur, principio ad Monaſteria & profeſſionem mediante alicujus pecuniæ, aut muneris pacto Simoniaco, nulli omnino recipiantur. (g)

XVIII. Quando ad Ordinem aliquem recepti, habitum Novitiatus induunt, aut Profeſſionem faciunt, vel jam profeſſi ſuas Primitias offerunt, magnus apparatus & ſplendida ac ſumptuoſa convivia more Sæcularium ne fiant,

(z) Sæped. c. Cum ad Monaſterium. §. Porro debiles. (a) d. Seſſ. 25. c. 1.
(b) Clem. Ne in agro Dominico. §. Statuimus. de ſtatu Monachor.
(c) C. Cum ad Monaſter. §. In oratorio. de ſtatu Monach. Iſidor. de ſummo bono. lib. 1.
(d) Clem. Ne in agro Dominico. §. Sane. de ſtatu Monachor.
(e) d. Clem. Ne in agro Domin. §. Regula. (f) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Regular. c. 15.
(g) C. Monachi. de ſtatu Monach. c. Quoniam Simoniaca. de Simon.

Digitized by Google

fiant, ſicuti in multis locis fieri intelligimus, ſed omnia ſint frugalia, moderata, loco, tempori & perſonis convenientia. Sane conſultius & illis honeſtius eſſet, qui ante profeſſionem ſolennem ad ſæculum redeunt, ſi habitus Novitiatus privatim in Eccleſia, vel in Capitulo ſine externa aliqua pompa induerentur.

XIX. In ſingulis Monaſteriis ſit locus ſeparatus pro Novitiis, quibus aſſignetur vir pius, prudens & doctus, qui eis Regulam explicet, ad vitam regularem verbo & exemplo inſtituat, ad pietatem informet, ad virtutis amorem inflammet, & in iis, quæ Ordinis ſunt, exerceat; ut, quid profeſſuri ſint, non tantum ſciant, ſed etiam uſu & experientia prius didicerint. (*b*) Novitios, & eorum Magiſtros, Superiores ſæpe viſitent, & quomodo inſtituantur, cognoſcant.

XX. Monaſteriorum Prælati, & alii Præfecti bonorum & fructuum Monaſterii, non Domini, ſed tantum diſpenſatores ſunt, nec pro arbitrio & voluntate ſua, ſed ſecundum intentionem piorum Fundatorum & Eccleſiæ, pro utilitate & neceſſitate Monaſterii bona diſpenſare poſſunt, ac debent. Quare omnes & ſingulos ſerio monemus, ne ſuperfluo famulatu, nimio nec neceſſario equorum numero, ſplendidis conviviis, ſumptuoſis & inutilibus ædificiis Monaſteriorum redditus conſumant, (*i*) interim vero vix duos aut tres Conventuales non ſine ſumma diminutione cultus Divini alant, vel ſi plures habeant, eos ita ſordide ac tenaciter in cibo, potu, ac reliquis neceſſitatibus, tractent, ut ſtatim ad officia ſua peragenda reddantur inhabiles.

XXI. Circa rerum Monaſterii adminiſtrationem in gravioribus cauſis Prælati nihil agant, ſine præſcitu, conſilio & conſenſu Conventus ſui. Nihil vendant, diſtrahant, aut quocunque modo alienent, ſine noſtra, aut aliorum ſuorum Superiorum licentia in ſcriptis obtenta. (*k*) Amicos & propinquos ſuos ex bonis & fructibus Monaſterii non ditent, neve quicquam ut proprium ipſi poſſideant, vel aliis poſſidendum relinquant. (*l*) Licet enim aliis præfecti ſint, noſſe tamen debent, ſe Legibus & Regula, quam profeſſi ſunt, ſolutos non eſſe.

XXII. Monaſteriorum Prælatos & Superiores, qui bona Monaſterii inutiliter diſpenſant, ac diſſipant, ſi Nobis ordinaria jurisdictione ſubjecti ſint, Prælaturis ſuis privabimus. (*m*) Si exempti, ut a ſuis Superioribus amoveantur, procurabimus.

XXIII. In ſingulis Conventibus, præſertim numeroſis, habeatur Religioſus aliquis eruditus, & bonæ famæ, qui juniores Monachos inſtituat. (*n*) Et quia maxime intereſt, Religioſos Viros doctrina ornatos eſſe, tum ut aliis prodeſſe valeant, tum etiam, ut ipſi habeant, quo otium honeſte terant, omnino neceſſarium eſſe cenſemus, ut juniores Religioſi duo, tres, pluresve, maxime ii, qui ſunt bonæ indolis, pro cujusque Monaſterii facultatibus in Gymnaſio aliquo publico, uſque ad ſecundum Theologiæ annum a Prælatis, & aliis Superioribus alantur. Quod ut faciant Prælati, ab omnibus & ſingulis vehementer deſideramus.

XXIV. Sine libris Religioſi docti non fiunt: quare Bibliothecæ, ubi in Monaſteriis ſunt, non tantum conſerventur, ſed quotannis augeantur; ubi vero non ſunt, inſtituantur.

XXV. Superiores officia Monaſterii non ex gratia & affectu, ſed dignis conferant. (*o*) Religioſi autem, quibus officia & bona temporalia adminiſtranda committuntur, non tantum ſingulis annis, ſed ſingulis menſibus, vel diebus, ſi ita Superioribus viſum fuerit, rationem reddant, (*p*) & ita ſe ge-

(*b*) d. Clem. Ne in agro Dominico. §. Regula. in fin. facit c. 1. 12. q. 1.
(*i*) d. Clem. Ne in agro. in princ. (*k*) Tot. tit. Ext. in 6. Clem. de Eccl. non alien.
(*l*) d. c. Cum ad Monaſterium. & d. Seſſ. 25. c. 2. (*m*) C. Monachi. §. Priores. de ſtatu Monach. (*n*) d. Clem. Ne in agro. §. Ad ampliationem. de ſtatu Monach.
(*o*) C. Cum ad Monaſterium. §. Tales autem. de ſtatu Monach.
(*p*) d. c. Cum ad Monaſt. §. Tales autem.

gerant, ut ſemper memores ſint Religionis & votorum, quibus ſe DEO & Superioribus aſtrinxerunt.

XXVI. Hoſpitalitas in Monaſteriis ita exerceatur, ne forte magis publicis tabernis, quam Religioſorum hominum Conventibus comparentur. Qua in re Prælatos, & alios Superiores pro modo facultatum Monaſterii, & pro ratione perſonarum illuc divertentium prudenter ac diſcrete procedere volumus. (q) Cæterum ſerio prohibemus, ne ſub prætextu hoſpitalitatis crapulæ, ebrietatibus, æqualibus hauſtibus, inhoneſtis collocutionibus, & his ſimilibus ulla detur occaſio. Ad curam vero hoſpitum deputentur viri graves, & bonæ conſcientiæ.

XXVII. Cenſuras atque interdicta non modo, quæ a Sede Apoſtolica, ſed etiam a Nobis emanaverint, Regulares omnes in Eccleſiis ſuis promulgent, obſervent, (r) & ab aliis ſibi commiſſis obſervari procurent.

XXVIII. Religioſi privilegiis ſuis moderate ad ædificationem, non ad deſtructionem & Eccleſiaſticarum rerum confuſionem utantur.

XXIX. Denique, quæ in Concilio Tridentino (s) de Regularibus definita, & a Nobis ſupra de Sacramentis Eccleſiæ, de Eccleſiarum cultu, de Altaribus, ſacris vaſis, & veſtibus, de ſepulchris ac cœmiteriis, aliisque rebus conſtituta ſunt, ea omnia, in quantum Monaſteriorum Superiores & Regulares quoscunque concernere debent, volumus, ut ab omnibus diligenter obſerventur.

TITULUS II.

De Electione & Confirmatione Prælatorum.

I.

MAgni refert ad Monaſteriorum regimen tales aſſumi, qui in ſpiritualibus & temporalibus cum profectu præeſſe poſſint: quantum enim detrimenti Monaſteria patiantur, quorum Superiores luxui, & quibusvis animi ſui deſideriis intenti, ſpiritualia aut nihil, aut parum curant, & temporalia paſſim profundant, optima rerum Magiſtra experientia hactenus in multis locis docuit. Proinde vehementer adhortamur omnes & ſingulos, quibus in Superiorum electione jus competit, ut depoſito omni affectu, viros aſſumant, & prudentia rerum agendarum, gravitateque maturos & pietate inſignes. (t)

II. Concubinarii, aut de incontinentiæ vitio notorie diffamati, proprietarii, excommunicati, ſuſpenſi, interdicti, nimium ſimplices, & qui alios juris patiuntur defectus, Monaſteriis non præficiantur.

III. Electio fiat per vota ſecreta, (u) ita ut ſingulorum eligentium nomina nunquam publicentur, nec quorumcunque abſentium ſuffragia admittantur. Electioni præſint duo vel tres ſcrutatores Prælati, ſive alii in dignitate Eccleſiaſtica conſtituti, vel alias, prout juris fuerit, ab eligentibus requiſiti, duo teſtes Clerici, vel Religioſi, & Notarius, qui, ſi fieri poſſit, ſit Clericus. Ad ſcrutinium aut ſuffragia nulli Laici, etiamſi Advocati fuerint, ſub quovis prætextu admittantur.

IV. Electione canonice celebrata, electus per Inſtrumentum publicum ab Electoribus & Notario ſubſcriptum & ſubſignatum, Nobis, aut Vicario noſtro, vel alii Superiori quantocyus præſentetur, præſentatus vero confirmationem a Nobis prius non obtineat, quam per legitimam inquiſitionem & proclamationem de electi ſufficientia, & dignitate conſtiterit.

V. Prælati omnes in Diœceſi noſtra exiſtentes, & Nobis ordinario jure ſubjecti, benedictionem ſuam ſolennem a nullo alio Epiſcopo, quam Nobis, vel Suffraganeo noſtro recipiant. Exemptis, ſi extra Diœceſim noſtram benedictionis ſuæ munus accipere voluerint, modum non præſcribimus. Sed ut in Diœceſi noſtra ab aliis, quam Nobis, aut Suffraganeo noſtro ſine noſtra

(q) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Refor. c. 8.
(r) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Regular. c. 12.
(s) Seſſ. 25. de Regular.
(t) C. Ne pro defectu. de Elect. c. Viliſſimus. 1. q. 1. c. Abbatem. 18. q. 2.
(u) Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regular. c. 6.

ſtra ſpeciali & expreſſa licentia in ſcriptis obtenta, benedicantur, minime permittimus.

TITULUS III.

De Monialibus.

I.

QUæ ſupra de Religioſorum votis diſpoſuimus, eadem etiam de Monialibus intelligi volumus, quæ eodem plane modo ut viri regulares obedientiam, paupertatem & caſtitatem profitentur.

II. Obedientiam præſtent Moniales Abbatiſſis, Præfectis, & Matribus ſuis. (*x*) Quæ earum juſſa neglexerint, neque pœnitentiam ſibi impoſitam facere voluerint, aut ſuperbe & injurioſe reſponderint, contumaciter ſe defenderint aut excuſaverint, velo priventur, incarcerentur, aut aliis pœnis ad obedientiam redigantur, & ſi rebelles permanſerint, Superiori deferantur.

III. Proprii omnino nihil poſſideant, ſed quæ a Præfecta illis ad uſum conceſſa ſunt, iis modeſte, & ita utantur, ut ſemper paratæ ſint ad Superioris nutum ea relinquere.

IV. Quæ ex labore manuum, aut ex ſuorum donatione vel hæreditate, aliave quavis juſta cauſa Moniales acquirunt, ea omnia ad communem uſum & Monaſterii utilitatem conferant. (*y*) Non tamen prohibemus, quin hujusmodi pecuniis illarum neceſſitatibus conſulatur, a quibus pervenerunt.

V. Munera quæcunque, etiam minima, Moniales ſive Clericis, aut Religioſis, ſive Laicis nec dent, nec mittant, ſine præſcitu & conſenſu Præfectæ. Ut aliquando Moniales parentibus, fratribus, ſororibus, aut aliis cognatis proximioribus aliquid donare poſſint, Præfectæ permittant.

VI. Eleemoſynæ non alicujus privatæ Monialis, ſed Monaſterii tantum nomine dentur.

VII. Præfecta Monaſterii bis ſingulis annis, aut ſæpius Monialium cellas viſitet, ſuppellectilem illarum perluſtret, & ſcrutetur, an aliquid proprii, aut quam ei ad uſum ſit conceſſum, habeant. Quod ſi aliqua deprehenſa fuerit, ex Decreto Concilii Tridentini (*z*) per biennium activa & paſſiva voce privetur, & alias juxta Regulam & Ordinis Conſtitutiones puniatur.

VIII. Et quia Moniales Sponſæ ſunt Chriſti Domini, maxime decet, ut, quam fidem promiſerunt, non tantum opere, ſed etiam verbis, ac puro corde integram conſervent. (*a*) Quare fugiant diligenter colloquia vana, prava & inutilia, ſanctumque ſilentium, quo magna animæ donorum ſpiritualium ſit acceſſio, ſedulo colant. (*b*)

IX. Ut in omnibus Monaſteriis Sanctimonialium, cujuscunque Ordinis & ſtatus fuerint, quoad cibum, potum, veſtitum, cæteraque neceſſaria omnia, omnes communiter vivant, ut a Sacro Tridentino Concilio (*c*) decretum eſt, ſerio præcipimus. Certas portiones in vino, in pane, & reliquis victualibus; Cenſus vitales, proprias ancillas & familias, & ſi quæ his ſunt ſimilia, voto paupertatis, quod coram Deo & Angelis ſuis ſolenniter ſunt profeſſæ, e diametro repugnantia, ſeveriſſime prohibemus, (*d*) non obſtantibus conſuetudinibus quibuscunque.

X. Nulla ſit differentia inter Moniales, nulla alii præferatur aut poſtponatur, ſed a Magiſtris & Præfectis unicuique Monialium ſecundum neceſſitatem provideatur.

XI. Cibum capiant omnes in communi refectorio, (*e*) etiam Abbatiſſæ, Magiſtræ, Matres, aut aliæ Præfectæ, (*f*) niſi infirmitas aut alia legitima cauſa ſubſiſtat. Menſis adhibeatur benedictio, & gratiarum actio a Præfecta, cui omnes Moniales interſint; abſentes ſine cauſa, puniantur. Fiat etiam lectio alicujus ſpiritualis, & approbati libri

(*x*) C. Cum ad Monaſterium. §. Abbas vero. de ſtatu Monachor.
(*y*) d. Seſſ. 25. c. 2. (*z*) d. Seſſ. 25. c. 2. (*a*) Cauſa 27. q. 1. fere per totum.
(*b*) C. Cum ad Monaſterium. §. In oratorio. de ſtatu Monachor.
(*c*) Seſſ. 25. de Regul. c. 1. (*d*) Ex d. Seſſ. 25. c. 2. (*e*) C. Pernitioſam. 18. q. 2.
(*f*) Facit. d. c. Cum ad Monaſterium. §. Abbas vero.

libri Germanici, in prima & ſecunda menſa, ut dum carnalibus cibis corpus nutriunt, etiam ſpiritualibus eſcis paſcantur.

XII. Dormiant omnes in uno cubiculo diſtinctis lectis, aut in uno dormitorio diſtinctis cellis. (g) Cubiculum autem commune, ſeu dormitorium noctu ſemper ſit clauſum, clave penes Præfectam exiſtente; cellæ vero aliter non claudantur, quam ut a Præfecta aperiri poſſint.

XIII. Ægrotis Monialibus in infirmaria, aut alio loco convenienti cibus, medicamenta, aliaque neceſſaria ſecundum Monaſterii facultates benevole adminiſtrentur. (h) Eas Præfecta charitatis cauſa quotidie viſitet, ut & ſolatio ſit, & melius, quæ ipſis ſunt neceſſaria, cognoſcere, ac procurare queat.

XIV. Veſtitus ſit ſimplex & Ordini conveniens, nihil quod ſuperfluitatem aut mundi vanitatem ſapiat. (i) Annuli & armillæ in manibus, cinguli, cultri argentei, aurei, deaurati, aut alias pretioſi mulieres aulicas, non Moniales ornant, ac decent. Hujusmodi res, ſi habeant, ad communes monaſterii uſus ac neceſſitates convertendas Præfectæ tradant.

XV. Canes, columbas, gallinas, aves, ut Moniales privatim habeant, interdicimus. Quæ ſi apud aliquam repertæ fuerint, ſtatim ex monaſterio ejiciantur, vel communi uſui aſſcribantur, & Moniales puniantur.

XVI. Quia Diaboli pulvinar eſt otium, caveant Sanctimoniales omnes, ne tempus vanis confabulationibus, & otio, ſed honeſto labore manuum pro communi monaſterii neceſſitate ad Præfectæ præſcriptum conſumant.

XVII. Diebus Feſtivis, quibus a labore manuum abſtinent, quod reſiduum eſt temporis a cultu Divino, illud totum piis meditationibus, orationibus, & ſacrorum librorum lectionibus impendant.

Libri prophani, turpes, jocoſi & ludicri in monaſteriis Monialium non habeantur, in illis, ſi tales ſint, aut deinceps inveniantur, ex monaſteriis ejiciantur, vel comburantur; nam ſicuti ſacrorum & piorum librorum lectio ad Dei & ſui cognitionem ducit, viamque perfectionis, & æternæ vitæ monſtrat; ita inanium & turpium librorum lectio vitia generat, mentemque corrumpit.

XVIII. Moniales Clericorum, ſeu Regularium quorumcunque interulas, ſudaria, collaria, aliasque veſtes nec lavent, nec conficiant. Veſtes vero ſacras, quales ſunt alba, amictus, corporalia, purificatoria, & ſimilia, ut Moniales lavare & conficere poſſint, ita concedimus, ſi cum præſcitu & licentia Magiſtræ fiat.

XIX. Ad Sanctimoniales maxime pertinet, aſſidue laudare Deum, eidem gratias agere, & ſupplicare, ut ſuam miſericordiam omnibus hominibus ad ſalutem impertiat; idcirco diu noctuque Chorum frequentent, Horasque Canonicas diſtincte & pro pio animi affectu recitent: (k) Quæ publicis horis intereſſe ex juſta cauſa impediuntur, eas privatim orare ne intermittant, cum omnes Moniales, quæ Profeſſione facta velum ſuſceperunt, quotidie ſuæ Religionis Divinum Officium & conſuetas preces dicere obligentur. (l) Adſint autem ſingulæ ſtatim ad initium congruenti ſui Ordinis veſtitu indutæ, in ſuis propriis locis, & uſque ad finem permaneant. Soni cantus, qui honeſti & ſpirituales non ſunt, colloquia, riſus, & quicquid indignum eſt domo Dei, & ejus Divina Majeſtate, cum qua in oratione colloquimur, ab Eccleſiis & cultu Divino Monialium procul arceantur.

XX. Venerabile Sacramentum Corporis & Sanguinis Domini noſtri Jesu Christi intra ſepta monaſterii non aſſervetur, (m) ſed in exteriori Eccleſia, ita tamen, ut etiam Moniales locum, ſeu

(g) d. c. Pernitioſam. (h) d. c. Cum ad Monaſterium. §. Porro debiles.
(i) d. Seſſ. 25. c. 1. (k) C. Quia tua. 12. q. 1. D. Hieronym. ad Ruſticum Monachum relatus in c. Nunquam. de Conſecr. diſt. 5.
(l) D. Anton. 3. parte. tit. 13. cap. 4. §. 1. Turrecremat. c. 1. diſt. 91. q. 15. Navar. de orat. c. 7. num. 21. relati ab Azorio Inſtit. moral. lib. 10. c. 6.
(m) Concil. Trid. Seſſ. 21. de Regul. c. 10. circa fin.

ſeu tabernaculum intra ſepta commode videre poſſint, clave apud Capellanum, ſeu Confeſſarium exiſtente. In oratoriis vero Monialium Venerabile Sacramentum omnino non ſit, privilegiis, indultis, aut conſuetudinibus quibuscunque non obſtantibus. (*n*)

XXI. Sanctiſſima Pœnitentiæ & Euchariſtiæ Sacramenta prima Dominica ſingulorum menſium, & celebrioribus Chriſti Domini, & Beatiſſimæ Virginis Feſtivitatibus, atque aliis diebus, quibus ex præſcripto Ordinis obligantur, devote percipiant. (*o*)

XXII. Confeſſarium habeant ordinarium, ſive regularem, ſive ſæcularem Clericum, a Superioribus aſſignatum & approbatum; Extraordinarium bis aut ter in anno ad noſtram, vel alterius Superioris ordinationem. (*p*)

XXIII. Qui Monaſteriis Sanctimonialium præſunt, pios, prudentes, maturos, atque doctos Confeſſarios & Concionatores eis conſtituant, qui ad minus bis ſingulis menſibus Dei verbum prædicent, easque erudiant in omnibus, quæ ad Dei cultum & ſempiternam ſalutem conſequendam pertinent.

XXIV. Præfecta Monaſterii quocunque nomine appelletur, ex Tridentini Concilii Decreto, (*q*) minor quadraginta annis non eligatur, & quæ in vitæ honeſtate octo annis non vixerit, poſtquam profeſſa eſt. Quod ſi talis in eo Monaſterio non inveniatur, ex alio ejusdem Ordinis Monaſterio aſſumatur, niſi incommodum ei videatur, qui electioni præeſt: tunc enim ex eodem Monaſterio eligi poterit, quæ triginta annos exceſſit, & quinque annis laudabiliter poſt Profeſſionem vixit.

XXV. Nulla Monialis ambiat, aut aliquo modo ſive directe, ſive indirecte, per ſe, vel per alios honores & officia quærat, ſed ſingulæ propria voluntate depoſita, & ad obtemperandum aliis magis paratæ, Dei gloriam & communem Monaſterii utilitatem præ oculis habentes, eas eligant, quas, omni humanitatis affectu remoto, ad id munus magis idoneas judicaverint.

XXVI. Præfecta Monaſterii, tanquam communis omnium Monialium mater, ipſarum, & corporis & animæ ſaluti diligentiſſime conſulat, easque ſtudioſe admoneat, ut puro ſint corde, vitæque integritatem ſervent, & ad perfectionem omnium virtutum contendant. Meminerit autem ſibi reddendam eſſe rationem juſtiſſimo Judici erratorum omnium, quæcunque Moniales ejus culpa aut negligentia admiſerint. Imprimis vero curet, ut pax & concordia ſororum conſervetur, ſublatis ab ea, quantum fieri poterit, omnibus diſſidii, ac diſcordiæ cauſis, ut, quemadmodum debent, unum corpus & unus ſpiritus in earum Sponſo Chriſto JEſu perfecto charitatis vinculo colligentur.

XXVII. In Moniales garrulas rerum novarum & mundanarum amatrices, aliis ſive detrahentes, ſive maledicentes, quæ hodie apud plerasque Moniales paſſim ſunt in uſu, in Capitulis, ſingulis ſeptimanis ſemel celebrandis, privatione veli, diſciplina, carcere, aut aliis pœnis pro modo culpæ Præfecta Monaſterii ſeveriſſime animadvertat.

XXVIII. Regula, & aliæ Ordinis Conſtitutiones Monialibus ſæpius prælegantur, (*r*) ut eis vocationis & profeſſionis ſuæ debitum officium in memoriam revocetur.

XXIX. In negotiis paulo gravioribus Præfecta Monaſterii ſine præſcitu & conſenſu Monialium, Officialium, aut Seniorum nihil decernat, in iis vero, quæ majorem deliberationem requirunt, totum Monialium Capitulum convocet.

XXX. Ad minora officia Moniales ætate, & prudentia maturæ aſſumantur, quæ ad nutum Superiorum ſint amovibiles. (*s*) Quæ autem aſſumptæ fuerint, quemadmodum earum obedi-

(*n*) d. loco. (*o*) Concil. Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 10. Clem. Ne in agro. §. Sane. de ſtatu Monach. (*p*) d. Seſſ. c. 10. (*q*) Seſſ. 25. de Regular. c. 7.
(*r*) d. Clem. Ne in agro. §. Regula. de ſtatu Monach.
(*s*) C. Cum ad Monaſterium. §. Tales autem. de ſtatu Monach.

entia poſtulat, officia ſuſcipiant, & eorum munera ſine recuſatione humiliter exequantur.

XXXI. Novitiarum curam habeat Monialis ſpecialiter deputata in loco ſeparato, quæ Novitias in timore, & cultu Dei, & in obſervatione religionis ſuaviter erudiat, coneturque, & vitæ exemplo & aſſiduis monitionibus ita eas inſtituere in ſpiritualis vitæ ratione, ut Deo adjutore ejus perfectæ ancillæ evadere poſſint. (t) In Novitiatum nulla recipiatur ſine habitu regulari, ad habitum nulla, niſi duodecim annis major, ad Profeſſionem vero poſt annum probationis abſolutum, & decimum ſextum ætatis annum completum, (u) quæ prius Nobis, aut Vicario noſtro de ſuo libero conſenſu, & pia voluntate fidem ſufficientem non fecerit. (x) Plures autem nullibi aſſumantur, quam commode ſuſtentari poſſunt. (y)

XXXII. Ut puellæ diſciplinæ & bonorum morum cauſa in Monaſteriis Sanctimonialium degant, ac educentur, non prohibemus. (z) Volumus tamen, ut ſeparatim a Monialibus pro cujusque loci commoditate erudiantur. Puellæ tales habitu quidem ſæculari, nec tamen ſumptuoſo & varii coloris, ſed modeſto ac loco religioſo convenienti utantur. Sumptus vero ipſæ puellæ, ſive parentes earum, non Monaſterium ferat.

XXXIII. Quoniam Nobis graviſſime ſub obteſtatione Divini Judicii & interminatione maledictionis æternæ a Sacra Tridentina Synodo (a) præceptum & mandatum eſt, ut in omnibus Monaſteriis Nobis ſubjectis ordinaria, in aliis vero Sedis Apoſtolicæ auctoritate clauſuram Sanctimonialium, ubi violata fuit, reſtituamus, & ubi inviolata permanſit, conſervemus, & inobedientes atque contradictores quoscunque per cenſuras Eccleſiaſticas, aliasque pœnas, quacunque appellatione poſtpoſita, compeſcamus. Ideo memores ſalutis noſtræ, & ad avertendum a Nobis Divinam ultionem omnibus Monaſteriorum Sanctimonialium Superioribus & Viſitatoribus quibuscunque in virtute ſanctæ obedientiæ præcipimus, & mandamus, ut, quantum in ipſis fuerit, atque pro horum temporum occaſione & locorum commoditate fieri poterit, Monaſteria Monialium ſibi ſubjecta ad debitam clauſuram & communem vitæ rationem, omni proprietate ſemota redigant, atque Moniales quascunque, vel alios impedientes Eccleſiaſticis cenſuris, aliisque pœnis conſtringant.

XXXIV. Incluſoria, & congregationes Monialium in ſylvis, aut aliis locis minus commodis exiſtentes, ad alia loca hominum frequentia celebriora, ubi commode fieri poteſt, transferantur. (b)

XXXV. Moniales nondum clauſæ extra Monaſteria ſolæ non egrediantur: Ad convivia, ad nuptias Laicorum, ſive Primitias Clericorum nullo modo accedant, extra Monaſterium non pernoctent, ad Eccleſiarum Dedicationes, ad nundinas non vadant, & per plateas & vicos oppidorum non diſcurrant. Quæ contrafecerint, & Dei ultionem, & noſtram condignam atque ſeveram animadverſionem non effugient.

XXXVI. Canoniſſæ ſæculares, continentiæ & paupertatis ſtudium nulla voti ſolennitate obſtrictum ſectantes commune habeant dormitorium, habitu modeſto & caſtitatis indice utantur. Magna quoque inſtituti ſui commoda perciperent, ſi communi menſa uterentur, quod, ut faciant, eas in Domino adhortamur. Abbatiſſæ, ſeu Præfectæ ſuæ ſint obedientes, & Collegii, ſive Monaſterii conſtitutionibus in omnibus ſatisfaciant, quamdiu in eo manſerint.

(t) d. Clem. Ne in agro. §. Regula. in fin.
(u) Sæped. Seſſ. 25. de Regular. c. 15.
(x) Ead. Seſſ. c. 17. concordat. 1. Paula. 20. q. 3.
(y) Ead. Seſſ. c. 3.
(z) Vide Azorium lib. 13. c. 8. q. 4. Inſtit. moral.
(a) Seſſ. 25. de Regular. c. 5. c. Periculoſo. de ſtatu Monach. in 6. Videatur Bulla Pii V. edita an. 1566. quæ incipit: *Circa Paſtoralis.* Item ejusdem edita an. 1569. quæ incipit: *Decori.* Item Bulla Gregorii XIII. edita anno 1575. quæ incipit: *Ubi gratia.*
(b) d. Seſſ. 25. cap. 5. in fine.

Digitized by

rint. Ad pſallendum & laudandum Deum in Eccleſia ſint frequentes, aſſiduæ & devotæ: A luxu ac mundi vanitatibus, a choreis & tripudiis, & aliis omnibus a loco ſacro alienis, minusque dignis abſtineant. Ea enim in Collegiis Canoniſſarum ſevere prohibemus, ſed potius piis honeſtisque moribus a juventute ita aſſueſcant, ut, cum rurſus exierint, omnes facile, eas vere in educationis honeſtæ domicilio verſatas & inſtructas fuiſſe, cognoſcant.

TITULUS IV.

De Religioſis Domibus.

I.

DOmus Religioſæ ſunt Hoſpitalia, Xenodochia, Orphanotrophia, Leproſoria, & ſimilia, (c) quarum cura & inſpectio, ſive Eccleſiaſtici, ſive Laici adminiſtrationem habeant, cum Nobis de jure, (d) & Tridentini Concilii Decreto, (e) uti Ordinario competat, omnibus hujusmodi piorum locorum Adminiſtratoribus injungimus, ut non tantum fideliter munus ſuum obeant, Nobisque, ſi petierimus, id ſe facturos jurent, (f) ſed etiam quotannis ad noſtram requiſitionem adminiſtrationis ſuæ rationem reddant, conſuetudinibus & privilegiis quibuscunque non obſtantibus. (g)

II. Fructus, eleemoſynas, ac bona, quæ in adminiſtrationem ſibi tradita ſunt, in eos tantum uſus, qui a piis Fundatoribus, aut alias conſtituti ſunt, non in alios convertant; Pauperibus cujuscunque ordinis & ſexus, quemadmodum uniuscujusque inopia requirit, & ejus voluntas, a quo bona illa profecta ſunt, poſtulat, benigne & liberaliter diſtribuant. Quæ viduis deſignata ſunt, dent viduis, quæ orphanis, dent orphanis, & quæ aliis deputata, ex iis illi, non alii vivant. (h) Neque imposterum circa ejusmodi res & fundationes pias ulla fiat mutatio ſine noſtra, aut Vicarii noſtri, prævia cauſæ cognitione, obtenta licentia. (i) Nihil etiam ex bonis pauperum in ſuum, vel ſuorum privatum commodum vertant Adminiſtratores, (k) neque inutiles & ſuperfluos ſumptus faciant, nihil vendant, permutent, aut alienent, niſi iis ſervatis, quæ de jure requiruntur. (l) Unde adminiſtrationi piorum locorum non præficiantur homines lucro & privato commodo dediti, egentes, prodigi, & qui rem ſuam adminiſtrare non poſſunt, ſed pietate ac prudentia inſignes, & qui moribus ac vita ſint probati. (m)

III. In Hoſpitalibus, & aliis piis diverſoriis, ubi hoſpitalitas exercetur, mares cum fœminis, etiam ſpecie Matrimonii, niſi id certiſſime conſtet, non verſentur. Ad ea loca circulatoribus, aleatoribus, nebulonibus, & iſtiusmodi hominibus nequiſſimis acceſſus non pateat.

IV. Mendici robuſti, & morbum ſimulantes indiſcuſſa cauſa non recipiantur, ſed graviter admoneantur, ut ſe potius in aliqua honeſta arte exerceant, & inde ſibi vitæ ſubſidium comparent, quam ut ignaviæ ac deſidiæ dediti oſtiatim in triviis & templis miſerrime mendicent.

V. Prima autem & præcipua cura ſit in omnibus locis piis de ſalute animarum. (n) Ubi in hujusmodi locis proprii Sacerdotes ſunt, iis ſerio mandamus, ut nihil eorum intermittant, quæ ad animarum ſalutem, pauperum, & infirmorum promovendam pertinent. Ubi vero non ſunt, locorum Parochi, in quorum jurisdictione Parochiali hujusmodi loca exiſtunt, eos inviſant, verbo Dei, & Eccleſiæ Sacramentis paſcant atque provideant, aliisque modis conſolentur. (o)

VI.

(c) Toto tit. Extr. & in 6. de Religioſis domib. c. In qualibet. 23. q. 8. d. Illud. cum L. ſeq. Cod. de Sacroſ. Eccleſiis. (d) C. 3. & 4. de relig. domib.
(e) Seſſ. 7. c. 15. Seſſ. 22. c. 8. Seſſ. 25. c. 8. de Reform.
(f) Clem. Quia contingit. §. Ut autem. circa fin. de relig. domib.
(g) d. Seſſ. 22. c. 9. de Refor. d. Clem. Quia contingit. (h) d. Clem.
(i) d. Seſſ. 22. c. 6. de Reform. (k) d. Clem. Quia contingit.
(l) Tot. tit. Extra In 6. & Clem. de reb. Eccleſ. non alienand.
(m) d. Clem. Quia contingit. §. Ut autem. de relig. dom. (n) Seſſ. 22. c. 8. de Refor.
(o) Clem. Quia contingit. §. finali. de relig. domib.

VI. Omnes, qui piorum locorum ſumptibus aluntur, Feſtis ſolennioribus confiteantur, & Sacram Communionem reverenter accipiant. In Eccleſia & Sacro Miſſæ Officio ſint frequentes, & quotidie pro Fundatoribus & Benefactoribus ad Deum preces effundant. Quod ut faciant, Parochi, & piorum locorum Præfecti eos adhortentur.

VII. Curent etiam Hoſpitalium, & aliorum piorum locorum Magiſtri, ne a peregrinis, advenis, & pauperibus quibuscunque aliquid contra Catholicam fidem, Chriſtianam pietatem, & bonos mores admittatur.

TITULUS V.

De Sodalitatibus ſeu Confraternitatibus.

I.

SOdalitates ſeu Confraternitates proximi adjuvandi, aut alia pia & legitima cauſa cum auctoritate erectæ, ubi collapſæ ſunt, reſtituantur, ubi depravatæ, reformentur. Impoſterum vero novæ Confraternitates a quopiam ſive Clerico, ſive Laico, cujuscunque dignitatis fuerit, ſine Sedis Apoſtolicæ, aut noſtra approbatione non inſtituantur.

II. Olim a Majoribus noſtris in eum uſum inſtitutæ ſunt Confraternitates, ut in iis tum quisque propriam, tum proximi ſalutem quæreret, ut orationes & Sacrificia pro vivis & defunctis fierent, ut conciones, aliaque ad pietatem incitamenta haberentur, fideles Chriſtiani apud confratres viderent exempla, quæ imitarentur; hodie vero paſſim convenitur aut ad luſus, aut ad compotationes & crapulas, quæ a primæva & pia inſtitutione maxime ſunt aliena, & quæ Nos ſub graviſſimis pœnis ſerio inhibemus.

III. Ubi ex inſtitutione aliqua, aut laudabili ac neceſſario longo uſu convivium aliquod fieri debet, in eo ſit omnis frugalitas & modeſtia.

IV. Ad Confraternitates non recipiantur hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, criminoſi, & peccatores publici, ſed ii tantum, qui Deum timere, pacem colere, in charitatis operibus exerceri, mites atque humiles, ac Chriſtianorum morum & diſciplinæ amantes eſſe conſueverunt.

Orationes, & alia pia opera, ad quæ ex Legibus & Statutis Apoſtolica aut ordinaria auctoritate confirmatis Confratres obligantur, non intermittant, ſed officio ac pietati ſuæ quilibet faciat ſatis.

Redditus ſive certi, ſive incerti ſint a deputatis Officialibus fideliter colligantur, & in uſus neceſſarios convertantur; de iis, ſi petierimus, ratio Nobis quotannis fiat. (*p*) Officiales, & alii Miniſtri non ſint perpetui, ſed de anno in annum, aut ad ſummum de biennio in biennium ſemper novi conſtituantur. (*q*)

Finis Partis Tertiæ.

CONSTITUTIONUM SYNODALIUM

PARS QUARTA.

TITULUS I.

De Jurisdictione & Judicio Eccleſiaſtico.

I.

SIcuti in populo Chriſtiano diſtincti ſunt Status Eccleſiaſticus & Sæcularis; ita etiam duplex eſt & diſtincta Jurisdictio. (*r*) Hinc Eccleſiaſticarum perſonarum & rerum controverſiis ac diſſidiis componendis in unaquaque Diœceſi proprium eſt attributum forum. (*s*)

II. Et ſane Eccleſiaſtica Jurisdictio Divina ordinatione ita inſtituta, & Sanctorum Patrum teſtimoniis, (*t*) variisq; variorum Imperatorum Legibus (*u*) &

(*p*) Concil. Trid. Seſſ. 22. de Refor. c. 9. (*q*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Refor. c. 8.
(*r*) C. Duo ſunt. d. 96. (*s*) C. 1. de offic. Judic. ordin.
(*t*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Refor. c. 20. (*u*) L. Statuimus. & tot. tit. C. de Epiſc. & Cler. privil. L. Placet. C. de Sacroſ. Eccl. L. Cum Clericis. L. Omnes. C. de Ep. & Cler. facit c. Continua. §. Item Conſtantinus. c. Sacer. 11. q. 1. c. Futuram. 12. q. 1.

Digitized by

& Reſcriptis ſtabilita eſt, ut ſæculari auctoritati ac jurisdictioni nihil deroget, ſed una ſine alterius præjudicio & offenſione juſtitiam adminiſtrare poſſit, ut, ſcilicet Deo & Eccleſiæ militans, minime ſe ſæcularibus negotiis implicet, ac viciſſim ne rebus ille Divinis, & Eccleſiaſticis præſideat, qui ſæcularibus negotiis eſt implicatus. (x)

III. Ordinarie Judicium noſtrum Eccleſiaſticum Conſtantiæ in ambitu Eccleſiæ noſtræ majoris, loco ad hoc deputato, publice celebretur, cum ea, qua decet, modeſtia ac gravitate. Qui locus nullo unquam tempore, ſine noſtro expreſſo conſenſu mutetur.

IV. Cauſæ Inquiſitionum contra Clericos licet in Palatio noſtro Epiſcopali tractentur, volumus tamen, ut ſententiæ definitivæ non alibi, quam in loco Conſiſtorii noſtri ſolito pronuncientur: quod idem in omnibus cauſis matrimonialibus fieri mandamus. (y)

V. Celebretur autem Conſiſtorium omni die ſemel hora nona matutina, in quo cauſæ Eccleſiaſticæ omnes, ſive novæ, ſive pendentes, a Procuratoribus modeſte proponantur, & a Judicibus noſtris, ſervato juris ordine, ſine longiori mora, & ad ſummum a die conteſtatæ litis intra biennium determinentur, & definiantur. (z) Excipimus primo omnes dies Dominicos, & Feſtivos, (a) quos ſup. *Parte I. Tit. de Feſtis diebus*, enumeravimus. Deinde ferias Natalitias a Feſto D. Thomæ Apoſtoli uſque ad octavam Epiphaniæ Domini, tum ferias, quæ Bacchanales, & Paſchales dicuntur, quarum priores ſunt a Dominica *Quinquageſimæ* uſque ad Dominicam primam *Quadrageſimæ*, quæ *Invocavit* dicitur. Poſteriores vero a Dominica *Palmarum*, uſque ad Dominicam *Quaſimodo geniti*. Denique meſſis & Autumni ferias, quarum hæ a feſto S. Michaelis uſque ad feſtum S. Galli incluſive, niſi vel citius, vel tardius Autumnus incideret, quo caſu Vicarii noſtri diſcretioni relinquimus ferias has vindemiales incipere & finire, ita tamen, ne Conſiſtoriales noſtri a Conſiſtoriis habendis pluribus diebus vacent, quam ſunt inter prædicta S. Michaelis, & S. Galli Feſta: Illæ vero a Feſto Divi Jacobi Apoſtoli uſque ad Feſtum D. Bartholomæi Apoſtoli, quæ alio nomine feriæ caniculares vocantur, a Majoribus noſtris inſtitutæ ſunt.

VI. Quod ſi partes præſentes, aut earum Procuratores feriis, quæ non in honorem Dei, ſed ob utilitatem communem, vel alias cauſas inſtituræ ſunt, præſertim vero in Matrimonialibus, & iis cauſis, quæ longiorem moram non patiuntur, renuntiare vellent, permittimus, ut a Judicibus noſtris audiri & expediri poſſint. (b)

VII. Alia Feſta ſunt, quæ Chori appellamus, quibus ante meridiem audientia judicialis non habetur. Ea ſunt in *Januario* Feſtum S. Ivonis Patroni Conſiſtorialium, Ss. Fabiani & Sebaſtiani, & Converſionis S. Pauli. In *Februario* S. Agathæ, Dorotheæ, & Cathedræ Petri. In *Martio* S. Fridolini & Gregorii. In *Aprili* S. Marci. In *Majo* Inventionis S. Crucis. In *Junio* Ss. Joannis & Pauli. In *Julio* Viſitationis B. Mariæ Virginis, Udalrici, Margarethæ & S. Annæ. In *Auguſto* S. Gebhardi Epiſcopi Conſtantienſis. In *Septembri* S. Verenæ, Fœlicis & Regulæ, & Exaltationis S. Crucis. In *Octobri* S. Lucæ Evangeliſtæ, & undecim millium Virginum. In *Novembri* omnium animarum, & Præſentationis B. Mariæ Virginis. In *Decembri* S. Barbaræ, Conceptionis B. Mariæ Virginis & Luciæ. Denique tota Octava Sanctiſſimi Corporis Chriſti. Atque his diebus, ſi neceſſitas poſtulaverit, & partes ſint præſentes, judiciumque urgeant, a prandio hora ſecunda pomeridiana Conſiſtorium celebretur. Quas Ferias ideo huc transcripſimus, ut in Parochorum, & aliorum notitiam deductæ, partes litigantes pro conſequenda juſtitia Conſtantiam commodius remitti, & venire poſſint, ne fruſtra itinerando vel diutius expectando magnos & inutiles ſumptus faciant.

TITU-

(x) C. Cum ad verum. d. 96.
(z) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Refor. c. 20.
(b) d. c. Conqueſtus. in fine.
(y) Facit c. Conſuluit. de offic. Jud. deleg.
(a) C. 1. c. Conqueſtus. de Feriis.

TITULUS II.

De Cauſis Eccleſiaſticis, quæ de jure & immemoriali tempore ac conſuetudine ad forum Eccleſiaſticum Conſtantienſe pertinent.

I.

CAuſæ Eccleſiaſticæ ad forum noſtrum Eccleſiaſticum pertinentes, varii ſunt generis. Aliæ enim ſunt mere ſpirituales ex ſua natura; aliæ ex pure ſpiritualibus dependentes; aliæ vero mixtæ, quæ ſcilicet temporale aliquid ſpirituali annexum habent.

II. Puræ ſpirituales ſunt, quæ circa fidem Chriſtianam, circa Sacramenta & eorum adminiſtrationem, circa Eccleſias & cæremonias Eccleſiaſticas verſantur. Hinc cauſa Hæreſis, (c) blaſphemiæ in Deum & Sanctos, (d) Matrimoniales, (e) & his ſimiles ad Eccleſiaſticum forum pertinent.

III. Ex ſpiritualibus dependentes cauſæ ſunt, quæ ex Matrimonio contrahendo vel contracto dependent, & emergunt: ut ſunt cauſæ divortii, ſævitiæ, defiorationis, aſcriptionis prolis, taxæ dotis, legitimationis, quando ſcilicet dubitatur, num aliquis ex legitimo thoro ſit procreatus, vel non: (f) Item cauſæ violationis & ſpolationis Templorum, aliorumque ſacrorum locorum. (g) Cauſæ ſacrilegii, uſuræ, & ſimilium criminum Eccleſiaſticorum, quorum cognitio & punitio de jure ad Epiſcopos pertinet, ſive ea ab Eccleſiaſticis, ſive a Laicis perpetrentur. (h)

IV. Cauſæ mixtæ ſunt Beneficiales, Jurispatronatus, (i) fundationum, decimarum majorum, minorum & novalium, tam in poſſeſſorio, quam in petitorio: omnium quoque jurium, ſervitutum, reddituum & proventuum quorumcunque Eccleſiaſticorum, Epiſcopalium, Archi-Diaconalium, Decanalium, & Parochialium Eccleſiarum, Monaſteriorum, Sacellorum, Fabricarum, Xenodochiorum, Leproſoriorum, & aliorum piorum locorum. (k) Item cauſæ teſtamentorum & legatorum ad pias cauſas. (l) His annumerantur cauſæ ratione perſonarum, quæ in judicium veniunt, quales ſunt cauſæ omnes, quæ contra Clericos noſtræ jurisdictioni ſubjectos moventur, ſive reales, ſive perſonales, ſive civiles, ſive criminales ſint, etiam ſi eorum hæreditates & bona derelicta concernant. (m) Item cauſæ injuriarum, quibus perſonæ Eccleſiaſticæ a Laicis afficiuntur. Cauſæ inſuper viduarum & miſerabilium perſonarum, (n) atque eorum, quibus juſtitiæ adminiſtratio ab aliis denegata fuit; (o) & tandem etiam eorum Laicorum, qui in obligationibus ſuis foro ſuo ſæculari legitime renunciaverunt, & noſtram Eccleſiaſticam jurisdictionem prorogarunt, (p) & ſi quæ ſunt aliæ ſimiles cauſæ, quas Sacri Canones nonniſi in foro Eccleſiaſtico ventilari & determinari conſtituunt. Nam licet ex accidenti circa aliquid temporale verſentur; tamen omni jure acceſſorium ſequitur naturam ſui principalis, (q) magisque dignum ad ſe minus dignum trahit.

V. Et quamquam hoc corruptiſſimo ſæculo, quo omnia confunduntur, atque a recta ratione & juſtitiæ norma declinant, multi Sæculares & Laici

---

(c) C. Excommunicamus. §. Adjicimus. de hæret. (d) C. 1. de offic. Jud. ordin.
(e) C. 1. in fin. de conſang. & affin. c. Accedentibus. de exceſſ. Prælat. Conc. Trid. Seſſ. 24. de Sacr. Mat. can. 12. (f) C. Porro. c. De illa. de divort. c. De prudentia. de donat. inter vir. & uxor. tot. tit. Qui filii ſint legit.
(g) C. Cum ſit generale. de foro compet. (h) C. 1. de offic. Jud. ord. c. Novit. de Judic. d. c. Cum ſit generale. (i) C. Quanto. de Judic.
(k) C. Si duobus. de Appell. c. Si Clericus. de foro compet. d. c. Cum ſit generale. eod. per L. Si quis. L. Placet. Cod. de Epiſc. & Cler. (l) Conc. Trid. Seſſ. 22. de Ref. c. 8.
(m) C. 1. c. Si quis. de foro compet. c. Et ſi Clerici. c. Clerici. de Jud. c. 1. & 2. 11. q. 1. Auth. Ut Clerici apud propr. Ep. §. pen. coll. 6. (n) C. Ex parte. de foro comp.
(o) C. Ex tenore. de foro comp. (p) C. Significaſti. eod. tit.
(q) C. Acceſſorium. de R. I. in 6. L. Cum principalis. L. Nihil dolo. §. Cum principalis. §. eod.

Digitized by Google

Laici plurimas ejuſmodi cauſas ad ſua fora ſæcularia variis modis trahere conantur: Nos tamen his Sæcularium quorumcunque turbulationibus & attentatis Eccleſiaſticæ noſtræ jurisdictioni nihil derogatum eſſe volumus, ac declaramus, deſuper ſolenniſſime proteſtantes, omnesque actus contrarios hac noſtra Synodali Conſtitutione & proclamatione interrumpentes, atque Vicario & Officiali noſtro ſerio mandantes, ut ſi hujusmodi cauſæ in forum noſtrum adducantur, in iis, non attentis ullis avocationibus, appellationibus, inhibitionibus, aut aliis Proceſſibus quibuscunque, Sanctorum Patrum, Canonumque Decretis, atque immemoriali conſuetudine & ſtylo Epiſcopatus & Curiæ noſtræ inhærendo, procedant, easdemque uti Judices competentes determinent & decidant.

VI. Præcipimus quoque reliquis noſtris Conſiſtorialibus, ut ipſi hujusmodi cauſas in foro noſtro ventilandas ſuſcipiant & acceptent.

VII. Quod ſi quis Advocatorum vel Procuratorum Curiæ noſtræ in ſupra nominatis cauſis, exceptionem fori declinatoriam, utpote meram cauſæ protelationem, & noſtræ jurisdictionis eluſionem confecerit & obtulerit, eum Vicarius noſter juramenti, & fidelitatis ſuæ Nobis præſtitæ ſerio admoneat, & quatuor florenis puniat.

VIII. Prædictas cauſas Eccleſiaſticas omnes & ſingulas, ut Prælati, Presbyteri, Clerici, & Laici quicunque in Diœceſi noſtra Conſtantienſi exiſtentes, ſi quæ eis vel nunc competunt, vel imposterum competierint, nusquam alibi, quam coram Nobis ſeu Judicibus noſtris Eccleſiaſticis inſtituant & proſequantur, præſenti hac noſtra Conſtitutione Synodali mandamus.

IX. Præterea Anteceſſorum noſtrorum Conſtitutionibus (*) inhærendo (r) ſerio inhibemus, ne de cætero perſona Eccleſiaſtica quæcunque auxilium, ſubſidium ſeu defenſionem Laicorum contra Nos & Jurisdictionem noſtram Eccleſiaſticam ſibi qualitercunque procuret, aſſumat, invocet, aut aſſumptam retineat: contrarium faciens, eo ipſo excommunicationis ſententiæ juxta Tridentinum Concilium ſubjaceat, (s) aliasque condignas pœnas tantæ ſuæ temeritatis a Nobis exſpectet.

X. Cæterum pollicemur omnibus, qui foro, & judicio noſtro Eccleſiaſtico utuntur, Nos apud Judices & Conſiſtoriales noſtros pœnis & aliis competentibus remediis effecturos, ne partes litigantes diutius detineant, ſed eis absque mora, affectu & partialitate juſtitiam adminiſtrent. (t)

XI. Vehementer etiam in Domino adhortamur, quoscunque Magiſtratus ſæculares, ut ſuæ vocationis memores falcem in alienam meſſem non immittant, noſtramque jurisdictionem Eccleſiaſticam perturbent, meminerint graviſſimam eſſe Sacri Tridentini Concilii (u) contra Eccleſiaſticæ immunitatis & jurisdictionis violatores cenſuram, olimque in veteri lege eos impune non tuliſſe, qui contra Sacerdotii dignitatem aliquid egerint. Et multa paſſim in hiſtoriis exempla reperiri, quod Deus & in hoc, & in futuro ſæculo Eccleſiaſticorum jurium perturbatores ſeveriſſime puniverit. Soli Epiſcopi & Prælati poſiti ſunt, qui regant Eccleſiam, quos, qui ſpernit, non hominem, ſed Deum ipſum, qui eos poſuit, ſpernit.

XII. Sicuti autem Laici Eccleſiaſticis cauſis ſe immiſcere non debent; ita etiam Judicibus noſtris Eccleſiaſticis injungimus, ne ipſi Laicorum cauſas judicandas aſſumant. (x)

XIII. Quia vero cauſæ omnes in judicio noſtro Eccleſiaſtico tractandæ & decidendæ, aut ſummariæ ſunt, aut plenariæ, Nos in iisdem Juris Canonici & ſtyli Curiæ noſtræ formam atque proceſſum obſervari volumus. Nominatim vero conſtituimus, ut cauſæ taxæ dotis & debitorum, quæ ſummam decem florenorum Rhenenſium non excedunt, per proceſſum ſummarium expediantur. TITU-

(*) Vid. T. VII. Synod. Conſtant. Diœceſ. ſub Marco Sitico pag. 419.
(r) Vide antiqua Synodalia Statuta Parte 2. Tit. 18. c. 6. (s) Seſſ. 25. de Ref. Matr. c. 20.
(t) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Refor. c. 10 in fin. (u) Seſſ. 25. de Reform. c. 20.
(x) C. Clerici. c. Qualiter. de Judiciis, & paſſim plurib. locis.

TITULUS III.

De Perſonis Judicii Eccleſiaſtici.

I.

JUdicii noſtri Eccleſiaſtici variæ ſunt perſonæ, quæ nomine & auctoritate noſtra Judicio præſunt & ſerviunt. Inter eas Vicarius & Officialis noſter primas obtinent, utpote cauſarum Judices, & reliquarum Conſiſtorialium perſonarum Superiores. Sigillifer, Fiſcalis, Advocati, Notarii, Procuratores, Commiſſarii, Scribæ, Nuntii, & Pedelli, reliquum numerum faciunt. Hi omnes ſint Catholici, nec ante ad officium aliquod in Curia noſtra admittantur, quam prius Catholicæ Fidei Profeſſionem juxta præſcriptum (y) PII IV. Pont. Max. præſtiterint. Præterea viri graves, pacis ſtudioſi, & a blaſphemiis, crapula, & omni levitate alieni: Statutorum noſtrorum tam Synodalium, quam Conſiſtorialium, maxime vero Juris & Judiciarii proceſſus, quantum cujusque officium requirit, ſint periti. (z)

II. Partibus litigantibus ſeſe humanos & benignos exhibeant, & ex æquo pauperibus divitibusque diligenter ac fideliter operas ſuas accommodent. Easdem ultra taxam in Statutis noſtris Conſiſtorialibus præſcriptam nec pecuniæ exactione, nec conviviis, nec alia quacunque ratione gravent; Cauſas non procraſtinent, ſed, ut quam citiſſime determinentur, procurent. Vicarium & Officialem Conſiſtorii noſtri capita, tam in, quam extra judicium revereantur, illorumque mandatis noſtro loco obtemperent.

III. Et quia Vicarius & Officialis noſtram perſonam repræſentant, volumus, ut non ſolum omnibus Conſiſtorialibus vitæ honeſtate & diligentia præluceant, dignitatemque ſuam graviſſime tueantur, verum etiam omnes lites & actiones ſine longiori mora breviter & matura, ſervato juris ordine, expediant, dilationes & terminorum præfixiones pro locorum diſtantia, & perſonarum actionisque qualitate, moderentur, atque conſtituant. (a)

IV. Pauperum quoque, pupillorum & viduarum defenſio cum maxime noſtro Epiſcopali incumbat officio, (b) diligenter curent Vicarius & Officialis noſter, ne pauperes & aliæ perſonæ miſerabiles in Conſiſtorio noſtro relinquantur indefenſæ, ſed eis juris & juſtitiæ adminiſtrationem implorantibus, ex officio Advocatos & Procuratores gratis conſtituant, vel etiam invitos judiciali Decreto compellant, eisque injungant, ut in hujusmodi pauperum cauſis tractandis non minorem adhibeant diligentiam, quam in cauſis locupletiorum adhibere ſolent.

V. Statuta noſtra Conſiſtorialia pro noſtrorum temporum ratione reformata, ſingulis annis bis, Conſiſtorii noſtri perſonis omnibus in Palatium noſtrum Epiſcopale congregatis publicentur & prælegantur, atque ea tam Vicarius, quam Procurator Fiſcalis ſtricte exequantur, mulctasque & pœnas transgreſſoribus impoſitas exigant, minimeque remittant.

TITULUS IV.

De Executione Proceſſuum.

I.

CUm ab Anteceſſoribus noſtris conſtitutum, & in Judicio noſtro Eccleſiaſtico hactenus obſervatum fuerit, ut Citationes, Monitoria, Edicta, & alii Proceſſus a Judicibus noſtris decreti, ad evitandas majores expenſas, quas partes litigantes facere deberent, ſi hujusmodi proceſſus vel per Notarium publicum, vel Pedellum Curiæ noſtræ juratum ipſarum ſumptibus conducendum executioni demandarentur, per Decanos rurales, Parochos, & alios Cleri-

(y) In Bulla, quæ incipit: *Injunctum. Sub dato Romæ Anno* 1564. *Idib. Nov.*
(z) C. Qui recte. c. Non licet. 11. q. 3. c. Non ſane. 14. q. 5. C. de pœnis Jud. qui male judicav. vel ejus, qui Jud. vel adverſ. corrump. curav. per totum. L. Quisquis. C. Si certum petatur.
(a) Sæped. Concil. Trid. Seſſ. 24. de Refor. c. 20.
(b) C. Cauſam. de Jud. c. Cum dilectus filius. de purgat. canon.
(c) Conc. Trid. Seſſ. 23. de Reform. c. 1.

Clericos partibus insinuentur, Nos hanc consuetudinem minime abolemus, sed ut in vigore suo permaneat, observeturque imposterum, tenore præsentium decernimus, Decanis, Parochis, cæterisque Clericis quibuscunque in vim præstiti sui juramenti præcipientes, ut literas, processus & mandata quæcunque a Nobis, Vicario & Officiali nostro emanata, reverenter, ubique recipiant, statimque partibus citatis in faciem præsentent, ac legitime exequantur, diemque, mensem & annum executionis factæ, atque nomen suum mandato & ejus copiæ diligenter & in hunc fere modum inscribant: *Executus sum hoc mandatum ego N. Ecclesiæ Parochialis in N. Parochus aut Sacellanus Anno, Die, Mense, &c.*

II. Curent vero Exequentes, ut processum originalem sigillatum parti, ad cujus instantiam decretus est, restituant, copiam vero illi, contra quem processus emanavit, ostenso sibi originali præsentent.

III. Quod si Processus sit Edictum publicum, in quo trina proclamatio requiritur, ut in causis Matrimonialibus impedimentorum fieri solet, tunc ita formetur executio: *Executus sum hoc Edictum ego N. Ecclesiæ Parochialis in N. Plebanus, Vicarius, Coadjutor, aut Sacellanus publice, pro concione prima vice tali die Dominica vel festo, secunda vice tali, & tertia vice tali, mense, anno, &c.*

IV. Cæterum, quia deprehendimus, quod in gravissimam legis fraudem, justitiæ & jurisdictionis nostræ præjudicium ac vilipendium quidam Parochi suis Parochianis citationes & processus nimium tarde, aut cum alterius partis periculo insinuent, executiones falsis dierum numeris, locisque annotando; Ideo Nos tantæ malitiæ tempestive occurrere volentes, omnibus Clericis pro executione facienda requisitis serio injungimus, ut sine omni cunctatione, & periculo taliter processus exequantur, qualiter illos sibi a Judicibus nostris demandatos cognoverint. Secus si aliqui fuerint deprehensi, noverint, se malitiæ suæ gravissimam pœnam, & justitiæ partique læsæ restitutionem daturos.

V. Quo minus autem Parochi & Clerici odiosis executionibus processuum graventur, curabimus, ut, quantum fieri potest, processus per Pedellos Curiæ nostriæ juratos executioni demandentur. Nisi partes ipsæ ad evitandos sumptus Parochis citationes & processus ad exequendum attulerint, aut Pedelli nostri personas, contra quas processus sunt emanati, domi non invenerint. Quibus & similibus casibus volumus, & mandamus, ut Decani, Parochi, vel alii Clerici quicunque requisiti processus hujusmodi legitime exequantur.

VI. Quia vero interdum contingit, quod Personis Illustribus & in dignitate constitutis insinuandi sint processus, & ea res non parum habeat aliquando difficultatis. Quocirca ut huic etiam rei suus sit constitutus modus, & certa exequendi ratio, decernimus, si adversus hujusmodi personas processus aliqui e foro nostro Ecclesiastico emanaverint, ut Executor, sive is Clericus, sive Notarius publicus, sive Pedellus Curiæ nostræ juratus fuerit, ad eum locum, ubi reus domicilium suum habet, accedat, & si accessus ad reum ipsi non facile concedatur, ut in faciem executionem facere possit, tunc vel ejus Consiliariis & Officialibus, vel Cancellariæ debita cum modestia ac reverentia processus tradat ac insinuet. Quod si nec ad sic faciendam executionem admittatur, nemoque sit, qui ab ipso processus accipere velit, eos vel valvis Ecclesiæ, vel portæ domus affigat, vel ante portam in publico conspectu positos jacere sinat, nec ullo modo secum reportet, Nobisque, aut Vicario & Officiali nostro, quid sibi circa hujusmodi executionem acciderit, fideliter & in scriptis referat.

VII. Quod si ad reum aliquem reique locum omnino difficilis, nec tutus esset accessus, nullusque inveniretur, qui ob metum, potentiam, vel tyrannidem rei, citationem ei in faciem, vel ad domum insinuare auderet, aut vellet, contra talem in valvis Ecclesiæ nostræ Cathedralis, & duarum vel trium aliarum ejus domicilio propinquarum Ecclesiarum Parochialium, ad quas

tutus est accessus, processus per affixionem executioni demandentur.

TITULUS V.

De Censuris Ecclesiasticis, & aliis pœnis Judicialibus.

I.

QUod multi sint hoc tempore, tam Clerici, quam Laici, qui Ecclesiæ censuras passim vel contemnunt, vel omnino non curant, inde potissimum fieri existimamus, quod censurarum Ecclesiasticarum vim, & pœnarum in eis contentarum gravitatem maximaque salutis suæ discrimina, in quibus versantur, ignorent. Quæ, ut subinde populo tum publice ex Cancellis, tum privatim intimentur, ac inculcentur, Parochis, Concionatoribus & Confessariis serio injungimus.

II. Censura est Ecclesiastica correctio gravium quorundam scelerum vindex, Ecclesiasticæ disciplinæ nervus appellata, (c) qua in Ecclesia Dei gravior pœna non reperitur. (d) Ea pro delictorum genere ac diversitate tribus modis infertur, aut excommunicatione, aut suspensione, aut interdicto. (e)

III. Excommunicatio duplex est, (f) minor & major, quæ & anathematizatio dicitur, (g) & de qua hic præcipue agimus. Cujus excommunicationis fulmine percussi homines, ab omnibus Divinis Officiis, precibusque publicis, ab ingressu Ecclesiæ, quo tempore res Divina peragitur, a Sacramentorum participatione, & a Christiana sepultura excluduntur. (h) Ab omni item Canonica electione, tam passiva, quam activa, ab omni beneficio, munere & officio cujuscunque Ordinis, ita ut si illa exerceant, irregularitatem incurrant. (i) Similiter ab omni potestate spirituali, ab actibus legitimis, (k) quibus homines inter se communicant, ab omni denique participatione bonorum operum Ecclesiæ, atque ex necessaria consecutione a regno Dei ac immortali beatitudine prohibentur, & filii Satanæ æternæque damnationis efficiuntur. (l) Omnis Christianus, inquit D. Augustinus, (m) qui a Sacerdotibus excommunicatur, Satanæ traditur. Quomodo? Quia scilicet extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesia Christus, ac per hoc quasi Diabolo traditur, quia ab Ecclesiastica communione removetur.

IV. Excommunicatio autem incurritur aut ipso jure, aut ab homine infertur. Juris excommunicationes qui nosse voluerit, ut Parochi & Confessarii omnes nosse debent, in Corpore Juris Canonici inveniet, vel ex Summa Casuum conscientiæ Cardinalis Toleti, & Enchiridio de censuris Ecclesiasticis Feliciani Episcopi Scalensis, atque ex aliis probatis Authoribus petere poterit.

V. Excommunicatio, quæ ab homine infertur, proprie ad nostrum judicium Ecclesiasticum pertinet. Ea licet disciplinæ & jurisdictionis Ecclesiasticæ sit nervus, & ad populos in officio continendos valde salutaris, atque ad compellendos reos, ut juri se sistant, judicatisque pareant, necessarius, sobrie tamen magnaque circumspectione est exercendus, (n) ne, si temere & ex levibus causis incutiatur, magis contemnatur, quam formidetur, & pernitiem potius pariat, quam salutem. Proinde Sacri Oecumenici Tridentini Concilii Decreto (o) inhærentes, Vicario & Officiali nostro, & aliis quibuscunque in Civitate & Diœcesi nostra jus excommunicandi habentibus injungimus, ut in ferenda excommunicationis sententia valde cauti sint ac circumspecti, nec facile eam inferant, nisi gravibus de causis, & in quibus casibus alia juris remedia deficiunt. (p)

VI.

(c) Panorm. in c. Cum inter. de consuetud. not. 2. (d) C. Corripiantur. 24. q. 3.
(e) C. 20. de verb. signific. (f) C. Admensam. §. Aliquando. & §. Est & alia. 11. q. 3.
(g) C. Si habes. 23. q. 3. (h) d. c. Ad mensam. (i) C. 7. de Cler. excomm.
(k) C. Cum non ab homine. c. Intelleximus. de Judic. (l) Vide D. Thomam. 4. d. 18. q. 2. art. 1. q. 36. (m) Relatus in c. Omnis Christianus. 11. q. 3.
(n) C. Delicto. de sentent. excomm. in 6. c. Multi. in princ. 2. q. 1. c. Corripiantur. 24. q. 3.
(o) Sess. 25. de Reform. c. 3. (p) C. Nemo Episcoporum. 11. q. 3. & d. Sess. 25. c. 3.

by Google

VI. Quod ſi Executio realis vel perſonalis in quacunque parte judicii a Judicibus propria auctoritate fieri nequeat, vel pars contumax pœna pœcuniaria, pignoris captione, perſonali diſtrictione commode compelli, aut ſi contra Eccleſiaſticas perſonas ad ſuſpenſionem ab officio, & beneficiorum privationem procedi non poſſit, his & ſimilibus caſibus, contra quoscunque ſive Clericos, ſive Laicos contumaces licebit Judicibus hoc ſpirituali gladio uti. (*q*)

VII. Ne autem excommunicatio etiam his caſibus nimia frequentia vileſcat, multique indignum eſſe aſſerant, ut propter cauſas pecuniarias tam gravis cenſura feratur : Decernimus, ut in cauſis, in quibus principaliter ſalus animæ non verſatur, in contumaciam non comparentis, nec judicio ſatisfacientis rei procedatur, cauſaque concludatur, atque ſententia definitiva terminetur, prout in Statutis tum Synodalibus prioribus, (*r*) tum Conſiſtorialibus ab Anteceſſoribus noſtris eſt conſtitutum.

VIII. Si vero ad executionem rei judicatæ perventum, & condemnatus in ſatisfaciendo ſententiæ negligens fuerit, (*s*) proceſſus executoriales ſub pœna pecuniaria pro perſonarum & cauſarum qualitate pio alicui loco applicanda, privatione, vel aliis remediis juris decernantur, & ſi condemnatus his non moveatur, tum demum excommunicationis cenſura infligatur.

IX. Ut Majores noſtri & humano, & Divino Jure id ipſum poſtulante, excommunicationis cenſuram ſive illa ipſo jure, ſive a Judice illata fuerit, non tantum vehementer formidarunt, verum etiam excommunicatos in familiari converſatione vitarunt: Ita ut hoc idem noſtris temporibus fieret, valde optamus: Nemo, inquit S. Chryſoſt., (*t*) Eccleſiæ vincula contemnat: non enim homo eſt, qui ligat, ſed Chriſtus, qui hanc poteſtatem dedit. Sane tanta excommunicationi ineſt contagio, ut non modo excommunicatos donis ac bonis ſpiritualibus omnibus privet, ſed eos etiam contaminet, qui cum illis communicant. (*u*)

X. In Clericos excommunicatos Vicarius & Fiſcalis noſter ſeveriſſime animadvertant : contra Laicos vero quoscunque, ſi poſt legitimas monitiones non reſipuerint & ſatisfecerint, ſed obdurato animo in excommunicatione inſorduerint, non tantum ad invocationem brachii ſæcularis, ſed etiam tanquam de hæreſi ſuſpectos procedant. (*x*)

XI. Caveant autem Parochi, & ipſorum Cooperatores diligentiſſime, ne excommunicationem contra aliquem ſibi transmiſſam denuncient, niſi literæ ſint authenticæ & ſigillo confirmatæ, in quibus explicetur juſta excommunicationis cauſa & contumacia rei in Judicem, coram quo monitus, ac peremptorie citatus, ſe ſiſtere contempſerit.

XII. Suſpenſio eſt cenſura Eccleſiaſtica, qua quis ab uſu ordinum officii & beneficii ſui Eccleſiaſtici ita prohibetur, ut ſi durante prohibitione actum aliquem illius ordinis aut officii, a quo ſuſpenſus eſt, exerceat, non tantum graviſſime & mortaliter peccet, ſed etiam irregularis fiat. (*y*)

XIII. Hæc ut excommunicatio a jure ipſo facto infligitur, aut a Judice infertur. Quæ juris ſunt, aliunde petantur, ſuſpenſiones autem judiciales in perſonas Eccleſiaſticas, in quas ſolas cadunt, (*z*) cum moderatione, & non niſi gravi & juſta de cauſa tum demum pronuncientur, quando, ut ſupra de excommunicatione conſtituimus, alia ibidem recenſita remedia deficiunt. Nam ſi ita frequentes ſint Clericorum ab executione ordinum & officiorum ſuorum ſuſpenſiones, & cura populi commiſſi negligitur, & conſcientiæ Clericorum non ſine maximo ſcandalo, & Sacramentorum ſumma irreverentia variis cen-

(*q*) d. Seſſ. 25. c. 1. & c. Si quis deinceps. in fin. 17. q. 4.
(*r*) Parte 2. Tit. 18. c. 16.
(*s*) Vide Concil. Trid. d. Seſſ. 25. c. 3.
(*t*) Relatus in c. Nemo contemnat. 11. q. 3.
(*u*) C. Cum excommunicato. 11. q. 3.
(*x*) d. Seſſ. 25. c. 3. in fine.
(*y*) C. 1. §. Caveant. de ſent. excomm. in 6. c. Cum æterni. de re jud. in 6.
(*z*) C. 1. de re jud. in 6.

cenſuris & irregularitatibus intricantur. Quare Vicario & Officiali noſtro injungimus, ut, antequam ad Clericorum ſuſpenſiones procedant, prius pecuniariis, aut aliis pœnis eos ad obedientiam & ſatisfactionem adigere contendant.

XIV. Temporibus anni ſolennioribus, quale etiam eſt tempus Quadrageſimæ, dies Rogationum, & ſimiles contra Clericos nec ſuſpenſiones, nec excommunicationes in judicio noſtro decernantur, aut antea decretæ executioni mandentur, ſed in aliud tempus differantur.

XV. Publice quoque in Conſiſtorio, atque judicialiter a Judicibus noſtris non decretæ ſuſpenſiones vel excommunicationes ſub gravi pœna a nemine emittantur. (a)

XVI. Interdictum Eccleſiaſticum eſt cenſura, quæ ut excommunicatio & ſuſpenſio, aut ipſo jure incurritur, aut a Judice Eccleſiaſtico infertur, quando ſcilicet vel generaliter, vel ſpecialiter aliqua Provincia, Univerſitas, Civitas, Eccleſia, vel perſona interdicitur, ut Miſſæ Sacrificium, cæteraque Divina Officia celebrari non poſſint. (b) Quæ cenſura, quia rarius infligitur, neque hujus ſit inſtituti omnia velle proſequi, quæ paſſim in Jure & apud Juris Doctores tam de hac, quam aliis horum Statutorum materiis traduntur, eo nos Clericos noſtræ Diœceſis remittimus, & ſerio adhortamur, ut ſalutis & vocationis ſuæ memores, vitam, mores & officia ſua Eccleſiaſtica ita componant, ne in has graviſſimas pœnas & cenſuras, ipſo facto & jure incurrant, vel a Judicibus Eccleſiaſticis ad continendum eos in officio, eisdem innodari debeant.

TITULUS VI.

De Abſolutionibus.

I.

CEnſuræ Eccleſiaſticæ quia variæ ſunt, varie etiam iisdem innodati abſolvi debent. Nam quæ a jure illatæ ſunt, Romano Pontifici, aut Nobis ad abſolvendum ſunt reſervatæ. Quare qui cenſuram aliquam Sedi Apoſtolicæ immediate reſervatam incurrerunt, non aliunde, quam a Romano Pontifice, vel ab iis, qui ab eodem in hujusmodi caſibus abſolvendi poteſtatem & privilegium obtinent, abſolutionem impetrare debent. Qui vero cenſuras Nobis reſervatas ipſo jure inciderunt, abſolutionis beneficium a Nobis, vel Pœnitentiario noſtro ordinario, aut ab eo, cui a Nobis, aut Vicario noſtro commiſſum fuerit, in foro conſcientiæ petant.

II. Quod ſi hujusmodi cenſuræ judicialiter a Judice Eccleſiaſtico decretæ fuerint, a nullo alio, quam ab eodem Judice, ſi prius parti & Eccleſiæ, cujus claves & jurisdictio contumaciter contempta fuit, factum fuerit ſatis, ordinarie impetranda erit. Quod ut judicialiter quoque & in ſcriptis fiat, ſive Clerici, ſive Laici judicialiter excommunicati vel ſuſpenſi fuerint, omnibus, præſertim vero Vicario, & Officiali noſtro injungimus.

III. Quia vero excommunicati nonnunquam ſe abſolutos eſſe falſo aſſerunt, ex quorum communione pericula eveniunt animarum, præſenti Conſtitutione inhibemus, ne de cætero Parochus, ſive alius Sacerdos curatus, quamcunque perſonam ſuæ Parochiæ excommunicatam publice ad Divina Officia & Sacramenta Eccleſiaſtica admittat, vel coram ea Miſſam celebret, aut abſolutam credat vel teneat, niſi de abſolutione ſua, literis authenticis & ſigillatis, legitime docuerit. (c) Transgreſſores ultra pœnam juris, noſtram quoque condignam punitionem non evadent.

TITULUS VII.

De Appellationibus.

I.

NE appellationis remedio, quod ad innocentiæ præſidium inſtitutum eſt,

(a) Facit c. Si quis Epiſcopus. c. Servetur. 11. q. 3. c. Legum. 2. q. 1. c. Nullius. 4. q. 4.
(b) C. Quærenti. de verb. ſign. c. 5. de conſuet. c. 43. de ſentent. excomm.
(c) Facit c. Cum pro cauſa. c. Si quando. de ſentent. excomm. Clem. fin. eod. Conc. Trid. Seſſ. 13. de Reform. c. 5.

eſt, ad iniquitatis defenſionem & ad evitandas pœnas abutantur improbi, decernimus, ut in cauſis criminalibus Clericorum, viſitationis & correctionis morum, quævis appellatio, etiam ad Sedem Apoſtolicam a Nobis, ſeu noſtro in Spiritualibus Vicario Generali ante definitivam ſententiam ab Interlocutoria vel alio quocunque gravamine interpoſita, executionem eorum, quæ decreta aut judicata fuerunt, minime impediat aut ſuſpendat, ſed ea tanquam frivola omnino rejiciatur, atque in hujusmodi cauſis quacunque inhibitione, ſtylo & conſuetudine contraria non obſtante, ad ulteriora procedatur. (*d*)

II. In cæteris quoque cauſis, quæ coram Judicio noſtro Eccleſiaſtico ventilantur, Judices noſtri Appellationes omnes frivole ſine legitima cauſa, & ut plurimum ad vexandum & defatigandum adverſarium interpoſitas, rejiciant.

III. Appellationes omnes a Judicio noſtro ad Metropolitanum noſtrum Moguntinenſem juxta hactenus obſervatum ſtylum Curiæ noſtræ interponantur; ad alios Judices quoscunque præſertim ſæculares interpoſitæ rejiciantur.

IV. Quod ſi quis Advocatorum, ſive Procuratorum Curiæ noſtræ etiamſi partes & clientes ſui ita juſſerint, a Conſiſtorio noſtro in cauſis Eccleſiaſticis, quas ſupra recenſuimus, ad Judicem ſæcularem quemcunque ſive in ſcriptis, ſive viva voce, ſive judicialiter, ſive extrajudicialiter appellationem interpoſuerit, in eum Nos graviſſime præter pœnam viginti florenorum, pro tanta ſua temeritate Fiſco noſtro ſolvendorum animadvertemus.

TITULUS VIII.

De Viſitationibus.

I.

STatuit Sacra Tridentina Synodus, (*e*) ut ſingulæ Diœceſes ſemel in anno, vel ſi propter latitudinem Diœceſis fieri non poſſit, ſaltem biennio viſitentur. Quæ viſitatio ut in Epiſcopatu noſtro Conſtantienſi amplitſimo, commode inſtitui poſſit, præſentium tenore Diœceſim noſtram totam in quatuor partes ſive plagas dividimus, in Sueviam ſcilicet, in Almengoviam cum adjacente Sylva Brigantina, in Brisgoiam cum vicina ſylva Hercinia, & in Helvetiam, in quibus præter Decanos rurales, quorum officium eſt, ut ſupra de Decanis præſcripſimus, quotannis regiunculam, ſive Decanatum ſuum viſitare, quatuor ſpeciales Viſitatores viros maturi judicii, prudentes, pios ac doctos conſtituemus, qui non tantum, ut Decani officio ſuo rite perfungantur, providere, verum etiam ſingulis annis partem ſeu plagam Diœceſis noſtræ ſibi aſſignatam viſitare, & ad noſtros duos generales Viſitatores Conſtantiæ commorantes referre, atque ab iisdem quoad Viſitationis officium tam ipſi, quam Decani rurales dependere debent.

II. Delegabimus autem viſitandi munus generale viris gravibus, diſcretis, probis, ſcientia rerum agendarum peritis, ac boni nominis & exempli in Civitate Conſtantienſi Beneficiatis, &, quantum fieri pro temporum ac perſonarum qualitate poteſt, in Eccleſiaſtica aliqua dignitate conſtitutis, qui quotannis duas partes Diœceſis noſtræ, & in iis non ſolum Parochos, & eorum Eccleſias, ſed etiam Collegiatas, & Regularium Eccleſias, atque Clericos ſive Sæculares, ſive Regulares quoscunque Nobis ſubjectos, noſtra, exemptos vero, Apoſtolica auctoritate Nobis vigore Tridentini Concilii delegata, juxta ejusdem Concilii præſcriptum viſitabunt, (*f*) curabuntque, ut omnium Eccleſiarum & Capitulorum Statuta examinentur, revideantur, & juxta Sacri Tridentini Concilii & præſentis noſtræ Synodi Decreta reformentur, & univerſim omnia & ſingula, his noſtris Statutis Synodalibus definita, ab iis, quos ea concernunt, ſtudioſe obſerventur.

III.

(*d*) Concil. Trid. Seſſ. 13. de Reform. c. 1. Seſſ. 22. c. 1. Seſſ. 24. c. 10.
(*e*) Seſſ. 24. de Reform. c. 3. (*f*) Seſſ. 6. de Reform. c. 4. Seſſ. 7. de Reform. c. 8. Seſſ. 13. de Reform. c. 1. Seſſ. 22. c. 1. Seſſ. 24. de Reform. c. 9. 10. & 11.

Digitized by Google

III. Qui quidem Visitatores generales Nobis speciali juramento obstricti, munus suum diligenter ac fideliter, omni odio, rancore, amore & affectu semotis exercere, minores excessus corrigere, emendare, & punire, majores vero, totamque visitationis suæ seriem, quamprimum ex visitatione domum reversi fuerint, Nobis, & Ecclesiasticis nostris Consiliariis in scriptis referre debent, ut, quod ad jurisdictionis & disciplinæ Ecclesiasticæ conservationem statuendum sit, mature deliberare valeamus.

IV. Visitatores nostri tam speciales, quam generales neminem sumptibus superfluis gravent, pro visitatione nihil postulent, aut extorqueant, iis exceptis, quæ ad moderatum victum & visitationis sumptus necessarios pertinent. (g) Qua in re speramus Prælatos, Parochos, & cæteros quoscunque, ad quos Visitatores nostri visitandi causa pervenerint, prompte ac libenter procurationem, ad quam de jure tenentur, (b) præstituros.

TITULUS IX.

De Celebratione Synodorum, & executione Statutorum Synodalium.

I.

MAxime necessaria est in hac tanta, qua his calamitosis temporibus versamur, Ecclesiasticarum rerum perturbatione ad conservandam unitatem fidei, & morum honestatem, atque ad salutem populi Christiani Nobis commissi promovendam, Synodorum celebratio. Quæ licet juxta Sacri Trid. Concilii Decreta (i) quotannis esse deberet, quia tamen propter varia & multiplicia impedimenta Synodus Diœcesana in hoc nostro Constantiensi Episcopatu singulis annis celebrari non potest, curabimus nihilominus, ut sæpius, quam forte hactenus, & toties, quoties Ecclesiæ & Diœcesis nostræ necessitas postulaverit, posthac celebretur. Ad quam non solum ordinariæ nostræ jurisdictioni subjecti, sed etiam exempti omnes, qui alias tum juxta Sacrum Trid. Concilium cessante exemptione, tum ex antiquissima Diœcesis nostræ consuetudine interesse debent, accedere teneantur. (k)

II. Et quia parum utilitatis adfert, etiamsi Synodus Diœcesana sæpius celebretur, atque pro temporum conditione salutares leges condantur, nisi etiam sint, qui ea, quæ salubriter constituta sunt, executioni demandent. Idcirco in Executores generales præsentium Statutorum Synodalium ordinamus & deputamus Vicarium, Officialem, Sigilliferum, Fiscalem, Visitatores nostros, & alios, quos vel Nos, vel Vicarius noster Generalis deputabimus, eisdem vigore juramenti sui Nobis præstiti præcipientes, ut supradicta omnia & singula Statuta, quantum cuilibet pro ratione officii sui incumbit, & eis de jure permissum est, debite exequantur.

III. Prælati quoque, & alii Superiores Cathedralis nostræ Collegiatarumque Ecclesiarum, nec non Monasteriorum quorumcunque, atque Decani rurales quilibet in sua Ecclesia, Monasterio & Decanatu studiose animadvertant, curentque, ut a Canonicis, Parochis, Capellanis, Clericis, & Religiosis suis omnia & singula, quæ in hac nostra Synodo sancita & definita sunt, in quantum unumquemque concernunt, fiant, eaque, quæ ipsis de jure & harum Constitutionum virtute commissa, ac demandata sunt, diligenter executioni demandent.

IV. Postremo, quæ in hac nostra Diœcesana Synodo determinata, decreta & statuta sunt, Nobis declaranda reservamus; Inprimis vero illa omnia & singula, cum ea, qua decet, obedientia & reverentia, auctoritati, judicio & censuræ Sanctissimi Domini nostri, Domini PAULI, Divina providentia Papæ hujus nominis V. & Sanctæ Sedis Apostolicæ emendanda, corrigenda, augenda, minuenda, approbanda, vel rejicienda humiliter subjicimus.

Finis Partis Quartæ.

DE-

(g) d. Sess. 24. de Reform. c. 3. (b) C. Cum instantia. c. Cum venerabilis. de Censib. juncto cap. Cum ex officii. de Præscript. (i) Sess. 24. de Reform. c. 2.
(k) d. Sess. & C.

FORMA VULGARIS ET GERMANICA
DECRETORUM MATRIMONIALIUM IN DIOECESANA
Synodo Conſtantienſi editorum, atque ab omnibus Parochis & Curatis bis in anno ex Cancellis publicandorum.

ALlmächtige in Chriſto, nachdem der Heilige Eheſtandt von dem Allmächtigen GOtt erſtlichen in dem Paradeiß eingeſetzt, und hernach in dem Evangeliſchen Geſatz durch das hohe Verdienſt deß bitteren Leidens und Sterbens Chriſti JEſu, zu einem Sacrament verordnet worden: Alſo will ſich in allweg gebüren, daß diß heilige Sacrament auch nicht anderſt, dann mit aller Andacht, Zucht und Erbarkeit angenommen werde. Dieweil aber etliche Zeit und Jahr hero, ſich allerley Mißgebräuch und Ergernuß zu groſſem Nachtheil der Seelen Heil und Seeligkeit zugetragen, ſo iſt der Hochwürdige Fürſt und Herr, Herr Jacob, Biſchoff zu Coſtantz, Herr der Reichenaw und Oeningen, ꝛc. inn dem jüngſtgehaltenen Conſtantziſchen Synodo hoch verurſachet worden, hierinnen ein gebürendes und nothwendiges Einſehen zu thun, Dahero dann jre Fürſtl. Guad. zu Abſtellung ſolcher Mißbräuch und Ergernuß, etliche auß dem Heiligen allgemeinen zu Trient gehaltenem Chriſtlichen Concilio, auch auß geſchriebnen gemeinen Geiſtlichen Rechten gezogene heilſame Ordnungen und Satzungen anffgericht und beſchloſſen: Und damit dieſelbige männiglich eröffnet werden, auch ſich der Unwiſſenheit niemands zu entſchuldigen habe, mir als ewerm Pfarrern, wie auch allen anderen Seelſorgern jhro F. G. Biſtumbs Coſtantz ernſtlichen aufferlegt und befohlen, euch ſolche vorgemeldte Satzungen zuverkünden, damit ſich ein jede Perſon in Heuraten und anderen Ehelichen Sachen darnach wiſſe zu richten.

Erſtlichen ſoll das heilige Sacrament der Ehe von niemands, was Stands der ſeye, anderſt contrahiert und angenommen werden, dann in Gegenwertigkeit ſeines eigenen Pfarrherrn, oder eines anderen Prieſters, mit deß Pfarrherren, deß Biſchoffen, oder ſeiner Fürſtl. G. Vicari Bewilligung, ſämpt zweyer oder dreyer Gezeugen. Sonſten da einer, oder eine anderer Geſtalt ſich verheuraten wurde, iſt ſolche Ehe nicht allein vor GOtt und der Kirchen nichtig, unbündig und krafftloß, ſondern auch machet das heilige Concilium zu Trient, diejenige Perſonen zu ſolchem vermeinten Heurat gantz unfähig und untüchtig.

Und ob gleichwol das Eheliche Verſprechen, wann es in Gegenwertigkeit deß Pfarrherren und zweyer oder dreyer Gezeugen, wie obgemeldt, nit volzogen, unbündlich und Krafftloß: Jedoch, dieweil ſolches wider der Kirchen Verbott geſchicht, ſo begangen diejenigen, welche ſich alſo verheuren, ein groſſe und ſchwere Todtſünd, von welcher ſie niemand, dann der Biſchoff, oder jhr F. G. und des Biſtumbs verordneter general Beichtvatter abſolvieren und entbinden kann.

Ehe und zuvor aber ſich zwey mit einanderen verheuraten, ſo ſollen ſie drey nachvolgende Sonn- oder Feyrtag, durch jhren eigenen Pfarrherren, under dem Ampt der Heiligen Meß, under der Predig auff der Cantzel, oder wie es ſich nach Geſtaltſame und Gelegenheit der Zeit und deß Orths verrichten laſſet, offentlich verkünd werden. Es were dann, daß die Ehegemächt, oder deren eins beſorgten, daß jhr Ehe (welche die Kirch frey, ungezwungen und ohnverhindert haben will) von wegen ſovil vorgehender Verkündung, der Ehelichen Freyheit und den Rechten zuwider, von jemands, wer der ſey, boßhafftiglich verhindert werden wolte oder möchte, In welchen Fahl genug iſt, daß eintweder allein ein Verkündung zuvor beſchehe, oder das Eheliche Verſprechen in Gegenwart deß eigenen Pfarrherren, auch zweyer oder dreyer Gezeugen ohne einige Verkündung volzogen werde, welche Verkündungen her-

nach vor dem Beyschlaff offentlich in der Kirchen beschehen sollen.

Es sollen auch die drey obgemeldte Verkündungen, ausserhalb obgeschriebenen Fahls, darinnen jhre Fürstl. Gn. eines jeden Gewissen beschwert, und so fern einige Gefahr gebraucht wurde, die gebürende Straff vorbehalten haben wollen, ohne des Bischoffs oder jhr Fürstl. Gnad. Vicari außtruckliche Bewilligung, keins wegs, von den Pfarrherren underlassen, oder mit einiger hoch- oder nider Standts-Person dispensiert werden, Inmassen auch die Pfarrherren kein denuntiation oder Verkündigung fürnemmen, es sey dann solche von denen selbst, so sich Ehelichen versprechen wöllen, begehrt worden.

Und wann sich begeb, daß auß den drey oder einer vorgehenden Verkündung, eine oder mehr Verhindernuß fürkommen wurden, sollen solche Personen von den Pfarrherren nicht zusammen gegeben, sondern für das Geistliche Bischöffliche Consistorium naher Costantz gewisen werden.

Welche aber boßhafftiglichen ein falsche Verhinderung durch sich selbsten, oder durch andere für- und anbringen wurden, dieselbigen wöllen jr Fürstl. Gnad. neben anderem gebührlichen rechtlichen Einsehen, mit dem Geistlichen Bann abstraffen, Auch diejenige, so ein Verhinderung wissen, und ohne erhebliche Ursachen erst nach beschehener Verkündigung und Ehelichem Zusammengeben solche anzeigen, ferrner nicht anhören, sonder ein ewig Stillschweigen auferlegen lassen.

Es wöllen auch die Pfarrherren alle und jede newe Eheleut mit allem Ernst ermahnen, daß sie nach Innhalt deß heiligen Tridentinischen Concilii, vor dem offentlichen Kirchgang, und Empfahung deß Priesterlichen Segens, in einem Hauß nicht wohnen, oder sonsten zusamen schlieffen. Und dann so befehlen jhre F. G. allen und jeden Seelsorgern, daß sie der newen angehenden Eheleuten, wie auch der Gezeugen Tauff- und Zunammen, zu sampt dem Tag, Monat, Jahr und Orth deß beschehenen Versprechens und Zusammengebens, in ein sonderbahr Buch fleissig auffschreiben und verzeichnen, dasselbige im Fahl der Nohtturfft, zur Gezeugnuß verloffner Sachen haben fürzulegen.

Und demnach nicht allein das hetlig Concilium zu Trient die newe Eheleut ermant, daß sie vor jrem Ehelichen Versprechen und Zusamengeben, oder auff das wenigst drey Tag vor dem Ehelichen Beyschlaff, jhre Sünd beichten, und das hochheylige Sacrament deß Altars empfahen, damit sie der Gnad deß heiligen Sacraments der Ehe desto mehrer fähig und theilhafftig werden: Sonder auch vor dieser Zeit, ein uralter löblicher Gebrauch in dem Bistumb Costantz gewesen, und noch an etlichen Orthen ist, daß die Eheleut vor dem Kirchgang beichten: Also ist jhr F. G. ernstlicher Will und Befelch, daß hinfürter an den Catholischen Orthen dero Bistumbs Costantz die newe Eheleut nit eingeführt werden, sie haben dann zuvor jhrem Pfarrherren, oder einem anderen Priester, mit jhres Pfarrherren Wissen zum wenigsten gebeichtet, und sich, wie es oben angedeutet, mit rechter wahrer Andacht, in Zucht und Erbarkeit, das heilige Sacrament der Ehe zu empfahen, gerüst und beflissen.

Ferners ist jhr F. G. Befelch, daß die Pfarrherren die newe Eheleut ohne sonderbahre jhr F. G. oder derselben Vicari schrifftliche Erlaubnuß, an keinen andern Orth als in der Kirchen, in welcher die heilige Sacramenten sonderlich außgespent werden sollen, Ehelichen zusamen geben und einsegnen, und solches erst nach vollendem Gottsdienst, und Opffer der heiligen Meß, welchem die angehende Hochzeitleut von Anfang biß zum End in allweg beywohnen sollen, derhalben die Pfarrherren jhre Pfarrkinder, und die newe angehende Eheleut mit Ernst ermahnen wöllen, sich bey guter Zeit, und zu der bestimpten Stund, zu der Kirchen und Gottesdienst zu befleissen, und zu befürderen, wann sie eintweder ohne die Zusammengebung nit gar hingewisen, oder aber umb ein, zwey oder drey Pfund Wachß, für die Fabrich der Kirchen, gestrafft werden wöllen.

Und

Und dieweilen sich offtermahlen begibt, daß die Bettler und andere Landfahrer, die kein bleibend, oder gewiß Heimwesen haben, von einem Orth zum anderen streiffen, jhre rechte Eheweiber verlassen, und bey jhrem Leben nit nur eine, sonder etwa mehr vermeinte Eheweiber an mancherley Orthen nemen: So ist hierauff an alle und jede Pfarrherren und Seelsorger jhr F. G. ebenmässiger ernstlicher Befelch, bey Vermeidung schwerer Straff, dergleichen Ehen nit zusamen zugeben, einzuführen und einzusegnen, es sey dann, daß sie zuvor ein fleissige Inquisition und Erforschung jhres Vatterlands, Thuns und Lassens, und aller Sachen Beschaffenheit gehalten, und was sie also befunden, ahn jhr F. G. oder dero Vicari gelangen lassen, und von jhnen weiteren Befelch, was hierinnen zu thun sey, empfangen haben.

Obwol die Ehen, so von den Kindern ohne jhrer Eltern Vorwissen und Bewilligen beschehen, nicht unbündig und Krafftloß, sintemal zu kräfftiger Verheurung der Kinder nothürfftiglich, und von Rechts wegen, der Elteru Bewilligung nicht vonnöthen, und erfordert wird, Jedoch dieweil es den Kindern wol ansteht, auch in diesem Fahl jhre Eltern zu ehren: Also sollen die Pfarrherren die Kinder auff der Cantzel offtermahls leren und ermahnen, jhre Elteren inn gebührenden Ehren zu halten, jhnen zu gehorsamen, und ohne jhr Wissen und Willen sich leichtlichen nit zu verheuren, und in einem so schweren und gefährlichen Stand zu begeben.

Wann auch die Ehen frey und ungezwungen sein sollen, und ungöttlich, unbillich und wider Recht ist, die Freyheit der Ehe zu schwechen oder jemands zubenemen, so befehlen jhre F. G. allen Pfarrherren, bey Verlierung jhrer Pfrunden, und Entsetzung jhres Priesterlichen Ampts, keine dergleichen gezwüngene und jhnen bewuste Ehen, in keinerley Weiß noch Weg, zusammen zu geben: Inmassen auch alle diejenige, was Stands, Würde und Wesens die seyen, so jhre Kinder, Underthonen, oder andere zu einiger Ehe wider jhren Willen antreiben, nötigen, und zwingen, mit dem geistlichen Bann, laut mehrmals angezogenen Concilii zu Trient, ohnfehlbar gestrafft werden sollen.

Es wöllen auch alle und jede Pfarrherren sich dahin starck bearbeyten und befleissen, damit jhre Catholische Pfarrkinder sich nit mit Secktischen Ehelichen einlassen und verheuren, und also das zeitliche Haab und Guth, Ehr und Ansehen, jhrer Seelen Heil und Seeligkeit fürziehen: Und verhoffen jhre F. G. es werde hierinnen der Catholische Magistrat für sich selbsten sein gebührende Inspection haben, und dergleichen Heurat bey jhren Catholischen Underthonen abwehren.

Die Miß-abergläubische und lecherliche Gebräuch, so an vilen Orthen bey den Hochzeiten, so wol inner- als ausserhalb der Kirchen beschehen, als da synd, bey dem Haar- und Ohren ziehen, brinnende Kertzen umb die angehende Ehegemächt herumb gehen, und dieselben durch sie außblasen lassen, Brot anbeissen, und under das Volck werffen, und was dergleichen Gauckel- und Narrenwerck mehr ist, sollen die Pfarrherren und Seelsorger nicht allein mit Ernst abstellen, sondern auch die Ungehorsame umb ein Pfund Wachß, so der Fabrich und Kirchen Hailgen heimfallen soll, abstraffen. Inmassen auch jhr F. G. sich getrösten, daß aller Orthen die Obrigkeit den grossen Bracht und uberschwencklichen Unkosten, und sonsten alle unzimliche Leichtfertigkeiten bey den Hochzeiten abschaffen, und nach der Christlichen Erbarkeit, Zucht, und Bescheidenheit richten, und moderieren werden.

Und wie diejenige alle, so rechtmäßig und nach Christlicher Ordnung, offentlich zu Kirchen und Strassen gangen, und Ehelichen mit einander verpflicht, sich eygens Gewalt und Willens, von einanderen nit scheiden könden, noch sollen: Also, welche unziemliche und verbottene Heurat beschlossen, denselbigen ist in keinen Weg Ehelichen bey einanderen zu wohnen zugestatten, derhalben die Pfarrherren, wann sie dergleichen Personen under jhren Pfarrkindern haben, solche nicht allein nicht gedulden, sondern auch jhr F. G. als

Ordinario, oder derſelben Vicario umb gebürendes ernſtliches Einſehen anzeigen wöllen.

Es iſt auch bey vielen dieſer Wohn, wann ſie von jhrem abweſenden Manns oder Weibs Leben oder Todt in ſieben Jahren nichts gehört haben, daß ſie ſich wol in andere Weg widerumben Ehelichen verſprechen und verheuraten könden. Demnach aber dieſer Wohn, nicht allein den Rechten zuwider, ſonder auch ein ſolche Gewißheit deß vorigen Manns oder Weibs Todt von Rechts wegen erfordert wirdt, die der Geiſtliche Richter für genugſam erachten und erkennen kan, ſo ſollen die Pfarrherren keine dergleichen Ehen ohne vorgehende Richterliche Erkandtnuß deß Officials zuſamen geben.

Vom Advent unſers Herren JEſu Chriſti, biß auff den heiligen drey König Tag, und dann von dem Aſcheritgen Mitwoch, biß auff den Sonntag Quaſimodo, dieſelben Täg eingeſchloſſen, ſollen keine Hochzeiten gehalten und eingeführt werden. Sonſten iſt ſolches zu allen Zeiten im Jahr, auch in der Creutz, Pfingſt, und Ablaßwochen, und in unſer lieben Frawen Dreyſtigist bewilliget, doch der Geſtalt, daß alles mit Zucht und Erbarkeit zugehe, es wölle dann einer auß ſonderbahrer Andacht und Ehrentbietung gegen dem Allmächtigen, und ſeiner lieben Mutter, an obgemelten Feſten und Zeiten, für ſich ſelbſten das Hochzeitliche Weſen einſtellen, daß man eines jeden Gelegenheit heimbgeſetzt haben will.

De Impedimentis Matrimonii.

Damit aber die rechtmäßige Verhinderung der Ehe ſo wol den Pfarrherren, als den Pfarrkindern, und ſonſten männiglichen offenbahr werden, und ſich keiner der Unwiſſenheit entſchuldigen, ſonder ein jeder im Heuraten darnach richten möge. So haben jhre Fürſtl. Gnad. dieſelbige hiemit auch publiciren, und ſeiner Fürſtl. Gnad. Biſtumbs Underthonen kund thun wöllen. Die ſynd ins gemein alſo beſchaffen, daß ſie entweder ſo wol die begehrte Ehe verhinderen, als die allbereit beſchloſſene widerumb aufflöſen: Oder aber die begehrte Ehe gleichwol verhinderen, wann ſie aber ſchon gebührender maſſen beſchehen, nicht widerumb auffbinden, ſonder inn ihren Kräfften beſtehn laſſen.

Was die erſte Verhinderung belangen thut, werden dieſelbigen in dieſen Lateiniſchen Verßlein begriffen:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus diſparitas, vis, ordo, ligamen, honeſtas,
Diſſenſus, atque affinis, ſi forte coire nequibis,
Hæc ſocianda vetant connubia, juncta retractant.

Error.

Die erſte Verhinderung iſt, wann ſich eins in dem Heuraten jrret und verſtoſſet, als da einer begehrt ſich mit Catharina, oder mit einer Leibs-freyen Perſon zu verheuraten, und nimbt unwiſſender Dingen, auß Verſtoſſen und Jrrung die Margaretham, oder eine ſo Leibeygen iſt, dann in dieſen beyden Fählen die Jrrung nicht allein die Ehe verhindert, ſonder auch wann die Ehe gleich beſchloſſen wer, widerumb auffgelöſet. Zwar was andere Jrrungen der Reichtung, Schöne, Frumb- und Erbarkeit, und was dergleichen mehr iſt, belangen thut, bringen dieſelbigen dem Ehelichen Verſprechen kein Verhinderung.

Conditio.

Zum anderen, ein ehrliche und mögliche Condition und Beding, darmit das Eheliche Verſprechen beſchehen, verhindert die Ehe ſo lang, biß dieſelb Condition erfült und erſtattet würd. Beyneben aber iſt zu mercken, daß unziembliche unmögliche Beding nit binden, ſonder darfür gehalten werden, als weren ſie niemahlen angedingt worden.

Votum.

Zum dritten iſt der Ehe verhinderlich, wann der Ehelichen Parteyen eins oder beyde in einem beſtätten Orden die ewige Reinigkeit gelobt und Profeſſion gethan haben: Alſo auch, wann eins in dem Orden der Societet Jeſu, nach auß-

außgestandenen Probation Jahren die Reinigkeit verlobt hette, so bey diesem Orden allein für ein einfältig Gelübt und simplici voto gehalten wird.

Cognatio.

Die Sip- oder Blutfreundschafft ist Geistlich und fleischlich. Die Geistliche fleusset her auß beyden Sacramenten, deß Tauffs und der Firmung. Und zwar so vil den Tauff belangt, so ist die Verhinderung zwischen dem, der taufft, und getaufft wird, und deß getauften Vatter und Mutter, wie auch zwischen denen, so auß der Tauff heben, der im Tauff gehebt wirdt, und deß gehebten Vatter und Mutter. Die Verhinderung aber, die von der Firmung herkompt, ist zwischen dem, der firmet, der gefirmet wird, und dessen Vatter und Mutter, auch dem, so bey der Firmung hebt, und diß alles nach Außweisung deß heiligen zu Trient gehaltenen Concilii. Dise geistliche Freundschafft und dero Verhinderung wehret ewig. Derhalben nicht wahr ist, was das gemein Sprichwort sagt: Wann das Kind todt, so ist die Gevatterschafft auß.

Die fleischliche Sip- oder Blutfreundschafft ist zwischen den Eltern, Kindern, Geschwisterigen, Vatter und Mutter Brüder und Schwöstern, und denen, so auß jhnen erboren werden: Zwischen den Elteren und Kinderen hat die Blutfreundtschafft kein Ziel, sonder ist ein ewige Verhinderung, zwischen den anderen aber erstreckt sich die Verhinderung der Ehe weiter nicht, dann biß in den vierten Grad, denselben eingeschlossen, Also, wann eins in dem andern, dritten, oder vierdten Grad, und das ander in dem fünfften, oder noch weiterem Grad were, daß in solchem Fahl die Ehe zuläßlichen beschehen und versprochen werden köndte.

Und dieweil in dem Bistumb Costantz biß dahero allerley Ergernussen fürgeloffen, wann in den verbottenen Graden der Blutfreundtschafft und Schwagerschafft mit gemeinen schlechten Bauersleuthen ohne Underscheid dispensiret, und jhnen die in den Geistlichen Rechten verbottene Ehen zugelassen worden: Also damit die Ergernuß verhüttet, haben jhre Fürstliche Gnad. auß dem heiligen Concilio zu Trient hiemit verordnen wöllen, daß wann einer oder eine sich wissentlich inn den verbottenen Graden, die jhme ohnbewußt nicht sein könden noch sollen, verheuren wurde, der oder dieselbige soll von seinem vermeinten Ehegemahel mit deß Geistlichen Richters Urtheil widerumb abgesondert werden, und aller Hoffnung einiger Dispensation, Gnad oder Bewilligung zu erlangen, gäntzlichen beraubt sein: Und soll dasselbig nicht allein inn dem statt haben, der sich wissentlich der Verhinderung, also vermessenlich verheuren, sondern vil mehr in dem, der solchen vermeinten Heurat mit dem Beyschlaff vollstrecken darff.

Gleiche Meinung soll es haben mit dem, der gleichwol die Verhinderung nicht weißt, und sich aber nicht mit vorgehender Verkündigung, oder vor seinen Pfarrherren, in beywesen zweyer oder dreyer Gezeugen, vermög des heiligen Concilii Satzung verheuret hat, dann der, so die heilsame Gebott der Kirchen verachtet, ist nicht würdig, daß jhme der Kirchen Gnad und Gütigkeit zu Hülff und Guten kommen solle. Wann aber sich einer deß Heiligen Concilii Satzung gemeß gehalten, und hernach ein Verhinderung befunden wurde, deren er einiges glaubwürdiges wissen nit gehabt hette, so kann jhme mit einer Dispensation desto leichter und ehender vergebenlich geholffen werden.

Es sollen auch hinfüran zu den künfftigen Ehen keine Dispensationes, und Begnadungen, oder doch gar selten, und dasselbig allein auß vernünfftigen und beweglichen Ursachen, und zwar in dem andern Grad gar nit, dann grossen ansehenlichen Potentaten und Fürsten, von gemeinen Nutzes wegen, gegeben werden.

Und damit die gemeine Priester, denen die Bäpstliche Dispensationes, Brieff und Bullen, auch dero Stylus, Schrifften, Sigel, Underschreibung und Zeichen unbekant synd, leichtlichen nicht betrogen werden, Ist jhro Fürstl. Gn. ernst-

ernſtlicher Will und Befelch, daß die Prieſter, wann jhnen dergleichen Diſpenſationes und Bullen, was Jnhalts dieſelben ſeyen, zugebracht werden, ſolche zuvor nicht vollziehen, und in das Werck richten ſollen, ſie ſeyen dann hochermeldt jhr F. G. oder deren Vicario gezeigt und fürgewiſen, damit man was darunder zuthun oder zulaſſen, gebührende Verordnung anſtellen möge.

Crimen.

Es verhindert auch die Ehe, wann ein Ehegemächt bey Lebzeiten ſeines Manns oder Weibs, mit einem anderen ſich ehelichen verſpricht, oder die Ehe in das künfftig zuſagt, und beyneben mit jhme ſich fleiſchlichen vermiſchet, welches ein Verhinderung pollutionis adulterinæ genennt wirdt: Oder wann eines ſein oder deß anderen Ehegemächt zu dem End umbgebracht, oder nach dem Leben geſetzt, damit er ſich mit deß umbgebrachten verlaſſenen Mann oder Weib verheuren könde.

Cultus diſparitas.

Die Chriſten ſollen ſich mit den ungläubigen Juden oder Heiden keines wegs ehelichen verſprechen und verheuren, dann es wider die Chriſtliche Vernunfft und alle Recht iſt.

Vis.

Wann auch eines mit Gewalt, und ſolcher Forcht, die in einen ſtandhafftigen Mann, oder Frawen fallen kann, als bey Verliehrung der Ehren, Haab, Guth, und deß Vatterlands, oder bey Tröwung Leibs und Lebens, ſich zu verheuraten gezwungen wird, ſo iſt ſolches ehelich gethon Verſprechen unbündig und nicht kräfftig, es ſeye dann daß der vorgehende Zwang und Forcht durch einen nachvolgenden guten freyen Willen purgiert werde.

Ordo.

Die ſo eine oder mehr der mehreren Weyhinen von einem Biſchoff empfangen haben, das iſt, wann einer Epiſtler, Evangelier oder Prieſter, könden zur Ehe nicht ſchreiten, und da ſie es gleich thäten, ſo iſt es doch nichtig und Krafftloß, auch weder vor GOtt noch der Welt kein rechtmäßige Ehe. Welche aber allein die minderen Weyhinen haben, denſelben iſt das Heuraten nicht verboten.

Ligamen.

Wann der Partheyen eine oder beyd zuvor einen Ehegemahel haben, der noch im Leben iſt, ſo iſt jhnen ſich anderwerts Ehelichen zu verſprechen keines wegs zugelaſſen, wirdt die Verhinderung Præcontractus genent.

Honeſtas.

Die Verhinderung, ſo impedimentum juſtitiæ publicæ honeſtatis geheiſſen wirdt, fleuſſet her auß dem Verſprechen künfftiger Ehe, die man Sponſalia de futuro nent, zwiſchen zweyen, ſo hernach ſolch jhr Verſprechen nicht vollziehen. Nach Außweiſung des Heiligen und Chriſtenlichen Concilii zu Trient, wann das Verſprechen künfftiger Ehe, auß was Urſachen es ſeye, nicht kräfftig, ſo iſt zwiſchen denjenigen, ſo ſolche Verſprechen künfftiger Ehe gethon haben, und derſelben beyderſeits Verwandten keine Verhinderung: Wan aber das Verſprechen künfftiger Ehe gültig und kräfftig, ſo iſt die Verhinderung allein im erſten Grad, und nicht weiter.

Diſſenſus.

Es wirdt auch zu eines jeden Ehe nothwendig ein vernünfftiger Will und Conſens erfordert, dahero die Ungeſundten, Tauben, Narren, und dergleichen Leut zu dem ehelichen Verſprechen untaugenlich.

Atque Affinis.

Die Schwagerſchafft primi generis, hindert ſowol den beſchloſſenen, als den künfftigen ehelichen Contract, biß inn den vierdten Grad, denſelben eingeſchloſſen: Dann in welchem Grad eins deß Manns oder Weibs Blutfreundt iſt, inn demſelbigen Grad iſt er auch deß Manns oder der Frawen Schwager.

Andere Schwagerſchafften, ſo man nennt ſecundi generis, das iſt, Schwagers Schwagerſchafft bringen keine Verhinderung, weder den beſchloſſenen noch künfftigen Ehen.

Was

Was aber die Schwagerschafft anbelangen thut, die auß verbottenem und unzimlichen Beyschlaff herkömpt, hat das heilige Tridentinische Concilium verordnet, daß solche Schwagerschafften weiters nicht verhindern soll, dann allein in dem ersten und anderen Grad.

Si forte coire nequibis.

Und dann dieweil zu Erhaltung deß Menschlichen Geschlechts der Ehestandt eingesetzt, so könden diejenige, die zu den Ehelichen Pflichten untaugenlich sind, sich nicht verheuren.

Raptus.

Es mag auch, wann einer ein Tochter jhren Eltern raubt, und entführt, ohne jhren Willen zwischen demselbigen Rauber und der Tochter keine Ehe bestehen, so lang die Tochter in deß Raubers Gewalt ist, es seye dann, daß die Tochter von dem Rauber abgesondert, und an einen sichern Orth, auff freyen Fuß gestelt, und widerumb von newen den Raubern zuhaben einwilligen wurde.

Die Verhinderung, welche zwar die allbereit beschlossene Heurath nit auflösen, aber doch die zukünfftige Ehen verhindern, synd, wann sich eins wider das Verbott seines Bischoffen, des Geistlichen Richters, oder seines Pfarrherren, zu verbottener Zeit, mit einem der mit einem einfachen Gelübt der Keuschheit, Votum simplex genant, behafft were, oder in dem Glauben mit der Catholischen Römischen und Bäpstischen Kirchen nicht ubereinstimpte, oder einen anderen die Ehe in das künfftig per Sponsalia de futuro versprochen hette, sich ehelichen einlassen wolte, In welchen und der gleichen Fählen, obwol die beschlossene Ehe besteht, so begehen doch diejenige ein Tödtliche und schwere Sünd, die sich also wider die Geistliche Recht und Gebott verheuren.

Dieweil auch bey diesen unseren Zeiten die geistliche und weltliche Rechten bey vilen dermaßen in veracht gerahten, und ein solche grosse Vermessenheit ist, daß sie mit nahen Bludtfreunden, und sonsten wider die Rechten und Gesatz der Christlichen Kirchen, verbottene Ehen zu machen, und wann die Pfarrherren solche Ehen (immassen sie dann Ampts und Pflichten halben schuldig) nicht einführen wöllen, an Secktische oder andere unbekandte Orth zu ziehen, und solche jhre verbottene Ehen bestättigen zu lassen, sich weder schewen, noch schämen, zu nicht geringer Ergernuß deß gehorsamen Christlichen Volcks. Welchem Ubel und Ergernuß, so vil möglich, vorzukommen, ist offt hochermeldt jhr F. G. deß Herren Bischoffen und Ordinarii, an alle und jede Pfarrherren und Seelsorger ernstlicher Befelch, daß sie dergleichen vermeinte Eheleut, wann sie sich widerumb in jhre Pfarren begeben werden, mit allem Ernst annahnen sollen, von solcher jhrer vermeinten Ehe alsobald abzustehen, oder innerhalb vierzehen Tagen bey dem Geistlichen Richter zu Costantz deßhalben ein Erleuterung und Declaration zu begehren, und derselben zu geleben. Auff den Fahl aber solche vermeinte Eheleut, eintweder bey dem Geistlichen Richter gar nicht erscheinen, oder demjenigen, was von jhme declariert und erkent, nit nachkommen wurden, so sollen sie von jhren Pfarrherren auß der Christlichen Kirchen und Gemeind, mit Entziehung der heiligen Sacramenten, und Versagung Christlicher Begräbnuß, so lang außgeschlossen werden, biß sie umb jhre begangene Mißhandlung Penitentz und Buß würcken, und der Christlichen Kirchen schuldige Gehorsame leisten.

Alle und jede Ehesachen, und was denselben anhängig ist, die gehören, vermög der Rechten, allein zu jhr F. Gnad. des Herren Bischoffen, oder derselben Vicari und Officials Erkandtnuß. Derhalben sollen weder Geistlich noch Weltlich, was Würden, Stands, und Prädeminentz die seyen, bey Straff des Banns, dergleichen Ehesachen, sie seyen beschlossene oder künfftige Ehen, derselben Verhinderungen, Aufflösung und Scheidungen, und alles, was dergleichen Sachen anhängig ist, für jhre Gericht-Zwang ziehen, dieselben erkennen, urtheilen, sonder da sich hierinnen was Irrung und Gespänn zutragen wurden, für das ordentliche Bischöffliche Geistliche Gericht und Consistorium naher Costantz weisen.

Nicht weniger wann die Rural Dechant, Pfarrherren, und andere Seelsorger, under ihren anbefohlnen Decanats, Pfarr und Seelsorg Underthonen, eheliche Gespänn und Irrungen, wie die Namen haben möchten, erfahren werden, sollen sie dieselbigen ihre Underthonen ermahnen, und da es vonnöthen, mit Außschliessung auß der Christlichen Kirchen und Gemein, und Entziehung der Heiligen Sacramenten, dahin halten, daß sie solche ihre Gespänn vor dem Geistlichen Gericht zu Costantz anbringen, allda einer rechtlichen, schleinigen Erkandtnuß und Ausspruchs erwarten, und demselbigen hernach geleben und statt thun wöllen.

Es sollen auch gemeldte Dechant, Pfarrherren und andere Geistliche, und insonderheit die Bischöffliche Commissarii der Ehesachen, wie bißhero von vielen beschehen ist, sich nicht allein inn die gespännige Ehesachen nicht einmischen, und darinnen etwas Erleuterung und Extrajudicial Erkandtnuß geben, sonder auch dergleichen Matrimonial und Ehesachen zuvertragen sich keines wegs understehen und gelusten lassen, seytemahl die Ehesachen nicht vertragen, sonder nach Außweisung der Geistlichen Rechten entschieden und definiert werden müssen, darin da in das künfftig, von dem einen oder anderen hierinnen weiters beschehen solte, wurde man neben der Straff deß Geistlichen Banns, mit Entsetzung der Pfründ oder deß Commissariat-Ampts, wider einen solchen der Gebür nach zu verfahren nicht underlassen.

Wann es aber nicht genug, gute und heilsame Ordnungen zu machen, sonder vonnöthen, daß dieselbig fleißig gehalten und vollzogen werden, so ist mehr hochermeldt ihr Fürstl. Gnad. an alle und jede Dechant, Pfarrherren, und Seelsorgern, bey der Gehorsame, und den Pflichten, mit welchen sie ihr Fürstl. Gnad. als ihrem Bischoffen und Ordinario verbunden synd, ernstlicher Will und Befelch nicht allein diß alles, wie obsteht, für sich selbsten, fleißig, und ihres besten und höchsten Vermögens zu halten, und zusehen, damit solches von denjenigen, so inen zu versprechen stond, gehalten werde, sonder auch alle und jede Jahr zweymahl, nämblichen am Sonntag nach der heiligen drey König Tag, und am Sonntag nach der heiligen Dreyfaltigkeit Tag, bey Straff zwantzig Gulden, inmassen hierinnen von Wort zu Wort begriffen ist, offentlich auff der Cantzel, ihrem Christlichen Völcklein und Pfarrkinderen abzulesen und zuverkünden, damit sich männiglich darnach richten, und keiner der Unwissenheit entschuldigen könde.

Ex Mandato Illustrissimi & Reverendissimi D. D. Jacobi (*) Episcopi Constantiensis.

J. ANDR. DORNSPERGER,
D. Notarius subscr.

Teutsche Formb deß wahren und Catholischen Glaubens-Bekandtnuß.

ICh N. glaube und bekenne mit steiffem Glauben samptlich und sonderlich alles, was in dem heiligen Glauben, den die heilige Römische Kirch braucht, begriffen ist, nämblich: Ich glaub in einen GOtt Vatter, ꝛc.

Formula Germanica Patrimonii, in scriptis dandi, pro Ordinandis mutatis mutandis.

WIr Abbt und Convent des Gotteshauß N. ꝛc.

Cl. Lünig Spicil. Eccles. Cont. II. a pag. 587. ad 684. Synodi hujus epitome apud Jos. Biner in Appar. Eruditionis P. VIII. Lib. I. C. I. art. IX.

(*) Joanni Georgio de Halweil, Viro eruditionis, prudentiæ, vitæque sanctitatis fama percelebri, quem appellare Episcoporum postremæ ætatis speculum *Bucelinus* non dubitat, successit A. 1604. die 26. Januarii Jacobus ex Illustrissima Fuggerorum de Kirchberg & Weissenhorn Comitum familia, Patre Joanne magnifico, Matre Elisabetha Nothaftin a Dodensteyn Sebastiani filia procreatus, magnorum Baronum Marci & Christophori frater, summi apud Constantienses templi Præpositus, florenti,

renti, ut Cl. *Jacobus Mantius in Chron. ſuo Conſtant.* ait, vir ætate, & magnæ expectationis, quem, teſte *P. Ignatio Agricola Provinciæ German. Superior. Hiſtoriographo* ad cit. A. n. 350., dudum ad illud culmen honoris deſtinaverant populi vota, ob integerrimos mores, & conjunctam cum ſpectata virtute prudentiam, qui anno præcedente, ad totius Conſtantiæ, ſacris tum Miſſionis Apoſtolicæ laboribus excoli cœptæ, religionem, oblata liberaliter ad coemendos ſaccos, pœnitudinis Chriſtianæ indices, pecunia, atratus ipſe, Canonicis comitantibus, inceſſerat.

Hæc, aliaque Jacobi elogia alium nobis eundem depingant, atque is apud M. Georgium Conradum Pregizerum, ex Hübnero ſcribentem, in Serie Epiſcoporum Conſtantienſium notatur. Societas profecto noſtra Mecœnatem in illo ampliſſimum veneretur, grataque prædicet, oportet: enimvero inter Imperii Principes, quorum perpetuum in res Societatis ſtudium enituit, (*inquit cit. Agricola Dec. VII. n.* 946.) ne ullo anno de ſe, niſi ingratis, tacere liceret, Jacobus maxime Fuggerus Conſtantienſis Præſul continuatis favoribus effecit. In omnia naſcentis intra Conſtantiæ muros Collegii commoda vigil, cum abſoluta quamprimum, inſtructaque Collegii, Templi, ac Scholarum ædificia cuperet, ad univerſum Diœceſeos ſuæ Clerum Literas encyclicas dedit, graviſſimis, noſtroque Ordini perhonorificis argumentis refertas; queis omnes hortabatur, ut ad Gymnaſium præſertim, quod in Paſtores idoneos juventutem formaret, mox perficiendum & ipſi eleemoſynam, ſacræ ac profanæ Reipublicæ profuturam, conferrent. Optimus hortationi præclariſſimæ reſpondit fructus.

Adde, quod in maxima hac, celeberrimaque Synodo, cujus Statuta jam dedimus, quamque præter duodeviginti mitratos Antiſtites, ingenti Clerus uterque frequentia illuſtrem fecit, ſingulare ſuum diſciplinæ Eccleſiaſticæ reſtaurandæ ſtudium, & veræ amorem, atque æſtimationem Religionis non uno & coævis & poſteris monumento Jacobus prodiderit.

Obiit poſt glorioſum duorum ac viginti annorum Regimen anno MDCXXVI. pridie Nonas Martias Princeps præſtantiſſimus, avitæ fidei tam tenax, & cultor pietatis adeo eximius, ut facientis ad aram oculi ſuavibus præ animi teneritudine lacrymis paſſim manarent, ampliſſimique facultates patrimonii, cum vectigalibus annuis, pios in uſus ab ipſo converterentur.

Porro de Jacobo iſthæc meminiſſe tanto mihi eſt jucundius, quanto exiſtimem æquius eſſe, ut bina, quæ Metropolitico hujate in Senatu ſub hæc etiamnum tempora reſplendent, inclutiſſimæ ejusdem proſapiæ lumina gratus vel eo duntaxat ex capite reverear, quod ejusmodi noverim ſemper fuiſſe Fuggerorum ingenium, Societatis noſtræ homines ut in amore, inſtitutum in pretio haberent.

Vide præter cit. AA., Jac. Wilhelm. Imhofii notitiam S. R. I. Procerum Lib. VII. Cap. III. P. Franc. Xav. Kropf in Hiſt. Prov. Germ. Sup. Dec. IX. n. 638.

SYNODUS DIOECESANA METENSIS *Prima*, Anno Chriſti MDCX. Pauli V. Papæ VI. Rudolphi II. Imp. XXXIV.

Ab ANNA DESCARS, (a) S. R. E. Presbyt. Cardinali, & Epiſcopo Metenſi celebrata.

Statuta CAROLI a LOTHARINGIA, Cardinalis & primi apud Naucejanos Primatis, de quibus mox fiet mentio, hucusque deſiderantur.

ANNAS DESCARS, DEI ET SANCTÆ SEDIS APOSTOLICÆ GRATIA Tituli Sanctæ Suſannæ S. R. E. Presbyt. Cardinalis de Giury nuncupatus, Epiſcopus Metenſis, Sacri Romani Imperii Princeps. Univerſo Clero, ac Populo Civitatis, ac Diœceſis Metenſis, Salutem in Domino Sempiternam.

PAſtoralis officii cura Nos admonet, & Sacrorum Canonum Decreta a Nobis exigunt, ut ovium Nobis commiſſarum ſaluti invigilantes, omnes animi nervos in id intendamus,

Digitized by Google

damus, ut Catholicæ fidei veritas nimium multis in locis hujus noſtræ Diœceſis labefactata priſtinum ſplendorem recipiat, & corrupti mores tam Cleri, quam populi noſtri, quoad fieri poteſt, in melius commutentur. Cum autem nulla ad eum finem rectior ſit via, quam frequens Synodi Diœceſanæ congregatio, ubi multis Sacerdotibus in unum coactis, & unanimiter orantibus haud dubium eſt, quin Pater miſericordiarum faciliores præbeat aures, & multorum piorum ac eruditorum Virorum conſilio, quidnam aut correctione, aut moderatione indigeat, quidve agendum, fugiendumque ſit, melius, ac ſanius judicatur: Quamprimum per innumeras, easque graviſſimas occupationes Nobis licuit, hanc ipſam viam ineundam, primamque hanc Synodum noſtram Diœceſanam convocandam, ac celebran-

(a) Ortum habuit III. Cal. Apr. anno 1546. Lutetiæ Annas Deſcars, Jacobi huj. nom. & Franciſcæ Longovicæ de Giury filius, Caroli Lingonenſis Epiſcopi frater. Multa ſunt, quæ virum commendent. D. Benedicti ingreſſus Ordinem, prima jecit religioſæ vitæ fundamenta in Divionenſi, quod a S. Benigno nomen habet, pervetuſto Monaſterio, cujus poſtea Abbatem dignitſimum egit, Moliſmo deinde, Cœnobio olim florentiſſimo, aliisque locis Archimandrita ſuffectus. Calendis Martii A. 1585. deferebatur ipſi Eccleſiæ Lixovienſis regimen, cujus tamen fructibus officii, bellicos ob tumultus ac temporum illorum injurias carendum diutius fuit. Romanam ad Purpuram ut a Clemente VIII. anno 1599. eveheretur, ſtrenui, quos pro tuenda apud Gallos Apoſtolicæ Sedis auctoritate ſuſcepit, tulitque, labores effecere. Illum ætate maturum, moribus ſpectabilem, doctrina ac pietate præcellentem Sedi Metenſi præeſſe voluit Summus Pontifex Paulus V., eumque præ Henrico Borbonio ſeptem duntaxat annorum Marchione, novis Canonicorum comitiis electum, authoritate Apoſtolica A. 1608. confirmavit.

Auctus ſacra hac dignitate Annas, in domeſtico, quod ſingulis hebdomadis ſemel iterumve habebat, concilio multa ſapienter, ac præclare decrevit, & Judæis Metenſibus ad fidem Chriſtianam invitandis, & coercendis a Catholicorum ſepultura Sectariis, & Familiis Religioſis omni, qua fieri poterat, moderatione purgandis, poliendisque idonea. Parum etiam aliquando abfuit, ut ad univerſæ Chriſti in terris Eccleſiæ capeſſenda gubernacula, voce populi (quæ Dei vox non raro fuit) eundem, modo Pontificem per Urbem deſignante, evocaretur. Ferunt, hanc de eo quam honorificam, tam veram Henricum Magnum pronunciaſſe ſententiam: *Incaſſum agitur cum Cardinale de Giury, ſi aliquid a ratione & recto tramite devium ab eo poſtuletur.*

Obiit anno 1612., ætatis non 74., ſed 66. vel 67., Vici, peramœno in Germaniæ confinibus oppido plenus meritorum Antiſtes, cui elegans Metis inſcripſere Epitaphium, æqui rerum arbitri, his verbis expreſſum:

D. O. M.

Piis manibus æternæ memoriæ plorabili buſto Antiſtitis deſideratiſſimi omni ævo retro dolendi.

ANNÆ D'ESCARS TITULI SANCTÆ SUSANNÆ SANCTÆ ROmanæ Eccleſiæ Presbyteri Cardinalis de Giury nuncupati, qui paterna ſobole, clara familia d'Eſcars: materna proſapia primæ Longovicorum nobilitatis, egregia Principum Aurelianenſium conſanguinitate infœliciſſimo Sæculo feliciter Eccleſiæ datus, Pariſiis editus, Divinione in antiquiſſimo Divi Benigni Cœnobio Sancti Benedicti diſciplina inſtitutus; profeſſusque indidem Abbas, tum Lexoviorum Antiſtes electus, tota Gallia præclarus, Romæ perquam illuſtris, Metis amabilis, ubique ſtupenda lenitate, ſpectabili ſenio, rara pietate, innata gravitate mirabilis ac venerandus, Regi percharus, Pontifici Maximo jucundiſſimus, omnibus æternum lamentabilis, Eccleſiæ Metenſis Pontificatu ſimul & caſtiſſima vita perfunctus, vitam immortali gloria deproperatam oppetiit decimo tertio Calendas Majas, anno ætatis ſexageſimo ſeptimo, Sæculi vero Chriſtianiſſimi M.DC.XII.

Vide Hiſt. Eccleſ. Germaniæ, anno 1724. Bruxellis gallice editam apud Franciſcum Foppens, & Cl. Petri Frizon Galliam Purpuratam, apud Simonem le Moine Lutetiæ Pariſiorum anno 1638., latine conſcriptam Lib. IV. pag. 676., unde hæc deprompſimus.

Digitized by

brandam duximus. Ac primum quidem Statuta olim in Synodis hujus noſtræ Diœceſis edita, maxime vero a fel. rec. CAROLO Cardinale a Lotharingia Prædeceſſore noſtro promulgata, conquiri juſſimus. Cum ut ea, quantum fas eſſet, obſervari curaremus. Tum etiam ut, ſi quid addendum, minuendum, mutandumve eſſet, adderemus, minueremus, aut mutaremus. Conquiſita, & reperta cum quibusdam ex Dilectis Fratribus noſtris Eccleſiæ noſtræ Cathedralis Primoribus, aliisque doctis, ac piis viris examinavimus. Quo quidem examine nonnulla in iis mutatione indigere, quædam redundare, plurima vero omnino deſiderari animadvertimus. Quare ex iis, quæ uſui fore credidimus, ea intacta ſervavimus, quæ minus utilia, aut hiſce temporibus minus accommoda reperimus, illis ſublatis alia utiliora, atque aptiora ſubrogavimus: Plurima vero tam ex Concilio Tridentino, quam ex Sacris Canonibus, atque Conciliis, & vicinarum Diœceſum Synodis addidimus. Ex iisque omnibus Statuta, quæ ſequuntur, compilanda, atque in hac noſtra Synodo Diœceſana prima proponenda: & promulganda duximus, vobisque omnibus, quatenus veſtrum unumquemque tangunt, ſervanda, & adimplenda proponimus.

STATUTA SYNODI DIOECESANÆ METENSIS PRIMÆ,

Ab Illuſtriſſimo ac Reverendiſſimo D. D. ANNA DESCARS, Tituli S. Suſannæ S. R. E. Presbyt. Cardinale de Giury nuncupato, Epiſcopo Metenſi, S. R. I. P. Metis habitæ die 21. Aprilis, Anno Domini 1610.

INDEX TITULORUM HUJUS SYNODI.

I. De Fidei Chriſtianæ Profeſſione & Doctrina.
II. De Prædicatione Verbi Dei.
III. De Sacramento Baptiſmi.
IV. De Sacramento Confirmationis.
V. De Sacramento Euchariſtiæ & Sacroſancto Miſſæ Sacrificio.
VI. De Sacramento Pœnitentiæ.
VII. De Sacramento Extremæ Unctionis.
VIII. De Sacramento Ordinis.
IX. De Sacramento Matrimonii.
X. De Officiis Divinis rite perſolvendis.
XI. De vita & honeſtate Clericorum.
XII. De obſervatione Feſtorum.
XIII. De Beneficiariis.
XIV. De Immunitate & juriſdictione Eccleſiaſtica.
XV. De legitima bonorum & reddituum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.
XVI. De Regularibus.
XVII. De Religioſis domibus.
XVIII. De Teſtamentis.
XIX. De Sepulturis.
XX. De officio Parochi.
XXI. De officio Archi-Presbyterorum.
XXII. De ordine ſervando convocatis in Capitulo rurali Archi-Presbytero, & Parochis, eorumque Vicariis.
XXIII. De eligendo Archi-Presbytero.
XXIV. De Procuratoribus Capituli ruralis.
XXV. De Ludimagiſtris.
XXVI. De Obſtetricibus.
XXVII. De Portione congrua.
XXVIII. De Decimis.
XXIX. De Judæis.
XXX. De Caſibus reſervatis.
XXXI. Caſus Epiſcopo reſervati.
XXXII. Statutum circa Divina, ſeu Eccleſiaſtica Officia ſervandum, pro quibus de jure retributio Parochis & Sacerdotibus a ſuis Parochianis competit.
XXXIII. Temporale Feſtorum & jejuniorum, obſervandum per univerſam Diœceſim Metenſem. De præcepto Eccleſiæ & noſtro.

In Nomine Sanctæ, et Individuæ Trinitatis Patris, et Filii, et Spiritus Sancti. Amen.

I. De Fidei Chriſtianæ Profeſſione, & Doctrina.

CUm Fides omnium Chriſtianarum virtutum ſit fundamentum, verumque Symbolum, quo Chriſti oves ab hœdis diſcernuntur, ideo ab ea po-

Digitized by Google

tiſſimum Synodi hujus Diœceſanæ exordium ſumendum duximus: quam integram, atque inviolatam ab omnibus non modo mente retineri, ſed etiam verbo prædicari peroptamus.

II.

Sacri igitur Tridentini Concilii, ac Pii IV. Pontificis Maximi veſtigiis inhærentes ſtatuimus, & mandamus, ut omnes beneficia Eccleſiaſtica nunc obtinentes, & in poſterum obtenturi, Fidei Profeſſionem emittant ex formula ab eodem PIO IV. præſcripta, niſi eam ſe jam emiſiſſe docuerint. Cujus formulæ tenor ſequitur:

Ego N. firma fide credo, & profiteor omnia, & ſingula, quæ continentur in Symbolo fidei, &c.

III.

Quicunque publice, aut privatim domi ſuæ, vel alienæ pueros cujuscunque ætatis, & ſexus, quascunque artes literarias, vel alias liberales, legendo, interpretando, repetendo, vel alia ratione etiam gratis docent, & docebunt, eandem Fidei Profeſſionem, ſi in Civitate ſint, coram Nobis, aut Vicario noſtro; In aliis vero locis coram Archi-Presbytero, vel Parocho, & duobus teſtibus emittere omnino teneantur, ejusque Profeſſionis actum manu propria ſubſcribere.

IV.

Ad cujus rei ſalutarem executionem ſtudioſe inquirant Parochi, quinam in ſuis Parochiis docendi munere fungantur: eorumque nomina, ætatem, vivendi modum, una cum teſtimonio de Fidei Profeſſione ab eis emiſſa Archi-Presbyteris, ipſique Archi-Presbyteri Nobis, aut Vicario noſtro infra duos menſes conſignanda deferri curent.

V.

Nullus vero in poſterum ad docendi munus admittatur, qui teſtimonio ſui Parochi, & duorum, vel trium fide dignorum non manifeſtet ſe in Eccleſia Catholica ſemper perſeveraſſe: quique ſecum non habeat teſtimonium ab iisdem vitæ honeſte, pieque actæ. Mandamusque Parochis omnibus, & aliis curam animarum gerentibus, ut hæc noſtra Conſtitutio diligenter obſervetur, Nosque quamprimum certiores faciant, ſi ab his, quorum eſt Ludimagiſtrorum inſtitutio, vel approbatio, aliter (quod abſit) attentari contingat. Archi-Presbyteri vero ſolicite curent, ne Parochi hac in parte ſuo officio deſint, eosque, qui contra fecerint, ad Nos deferant.

VI.

Inſuper diebus Dominicis finita concione, quam in Miſſa ad populum habere debent, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Fidei Symbolum, Decalogum, & Eccleſiæ præcepta, per ſe, aut per puerum aliquem clare, aperte, & diſtincte proferant, ac recitent, ut hoc ſaltem modo rudiores ea ſic repetita diſcere valeant.

VII.

Prohibeant ipſi Parochi auctoritate noſtra univerſis, & ſingulis ſuis Parochianis, ne quibusvis ſuperſtitionibus utantur. Inobedientes ab ingreſſu Eccleſiæ, & Sacramentorum uſu arceant. Aboleant profana tonitrualia feſta, cum paganiſmum redoleant: cæterasque vanas obſervationes, quas pro curandis, & conſervandis pecoribus hactenus a plerisque adhibitas accepimus. Inobedientes, ab Eccleſia, & Sacramentis arceant. Prohibeant quoque Parochianis ſuis eadem auctoritate noſtra ne ſuperſtitioſe ceſſent ab operibus ſervilibus Sabbato poſt meridiem certis anni temporibus: cum id perperam, & ſine Eccleſiæ auctoritate introductum nimis apertam redoleat ſuperſtitionem. Illis, qui non paruerint, Eccleſiæ ingreſſu, & participatione Sacramentorum interdicatur, & morientes Eccleſiaſtica careant ſepultura.

VIII.

Cum ſicut a viris probis ac fide dignis accepimus, in variis Diœceſis noſtræ locis hæretici prætextu charitatis & conſolationis Catholicos utriusque ſexus ægritudine laborantes, & in extremis agentes inviſant, & Parochis abſentibus errorum ſuorum virus effundere conentur in certum animarum periculum. Nos huic malo, quantum in nobis eſt, occurrere cupientes.

Omni-

Omnibus, & ſingulis utriusque ſexus fidelibus ſeveriſſime inhibemus, ne ullius ſectæ hæreticos quocunque prætextu in ædes ſuas admittant ad ægros inviſendos, vel etiam conſolandos, multo minus eos ullo modo dogmatizare permittant. Alioqui cenſuris, & pœnis canonicis ſubjaceant. Mandamusque omnibus & ſingulis Parochis, aliisque curam animarum exercentibus, ut tribus continuis diebus Dominicis hanc noſtram Conſtitutionem publicent, in illis maxime Parochiis, ubi aliqui hæretici habitant, ac publicationum ipſarum exemplar ad Nos, aut Vicarium noſtrum quamprimum deferri curent.

II. De Prædicatione Verbi Dei.

ART. I.

STatuimus, ne quis etiam Regularis, niſi a Nobis, aut Vicario noſtro facultatem in ſcriptis obtinuerit, ſe ſe ad prædicandum Dei verbum ingerere audeat. Parochis vero inhibemus, ne ullum ad prædicandum in Eccleſiis ſuis admittant, niſi de facultate ipſa prius docuerit. Qui vero ad hoc miniſterium admiſſi fuerint, videant, ne verbum veritatis contra Eccleſiæ receptum ſenſum, & Apoſtolicas traditiones privatis ſuis judiciis ſervire compellant.

II.

Laicis omnibus, imo & Clericis in ſacris Ordinibus non conſtitutis, prædicandi officium interdicimus : neve ulla in Diœceſi noſtra conventicula faciant, in quibus de Religione tractetur. Quod ſi contra fecerint, excommunicationis vinculo innodatos, &, niſi reſipiſcant, graviori etiam pœna plectendos declaramus.

III.

Singulis diebus Dominicis Parochi aliquam ex ordine particulam Rudimentorum noſtræ fidei populum doceant, idque præſertim ex Catechiſmo Tridentino, quem, ut aſſidua manu verſent, hortamur. Hinc enim Sacramentorum efficaciam, ac legitimam adminiſtrationem docebuntur, intelligentque quibus potiſſimum armis expugnanda ſit hæreſis. Et quanta cautione, ac prudentia uti debeant in dijudicandis conſcientiæ caſibus, audiendisque pœnitentium confeſſionibus.

IV.

Et quoniam vix ac ne vix quidem fieri poteſt, ut absque librorum ope Parochi prædicationibus, aliisque muneribus, ad quæ tenentur, rite ſatisfaciant; volumus, ut præter Breviarium, Miſſale, & Agenda, Biblia etiam ſacra, Catechiſmum Tridentinum, Concilium Tridentinum, Binsfeldium, & Statuta hæc Synodalia penes ſe ſinguli habeant.

III. De Sacramento Baptiſmi.

ART. I.

QUilibet Parochus librum habeat, in quo baptizatorum ſimul, & parentum, ac ſuſcipientium nomina, cognomina, ſtatum, & domicilium, nec non Baptiſmi diem, & annum deſignet, & annotet; isque ita ſervetur, ut ad ſucceſſoris manus integer deveniat.

II.

Unctiones ne faciat intincto pollice, ſed ſtylis, ſeu bacillis ex ſtanno, vel argento in eum uſum comparatis, qui ſinguli in ſingulis unctionem ſacrarum vaſculis recondantur.

III.

In Baptiſmi adminiſtratione caveant omnino, ne pro pueris illegitimis plus exigant, quam pro aliis, ſub pœna quadrupli reſtituendi.

IV.

Sacerdos baptizaturus urceolo deinceps, ſeu cochleari, non nuda manu aquam ex pelui baptiſmali hauriat. Infantem autem baptizandum Patrini teneant ſuppoſito diſco, ne quo forte caſu, aut infantis infirmitate inquinentur fontes.

V.

Ubi Parochus alicujus pueri parentes diutius diſtuliſſe Baptiſmum animadverterit, graviter eos increpet. Et, ſi adhuc neglexerint, ſignificet Nobis, aut Vicario noſtro, ut huic malo remedium afferre poſſimus.

VI.

Ad ſuſcipiendum ne admittantur, qui rationis uſum nondum habent, multo

multo minus ad hoc munus obeundum admittantur hæretici, vel de hæresi suspecti.

VII.

Parochus in sua Parochia, & sacris Ordinibus initiatus in suæ residentiæ, vel beneficii loco pueros de sacro fonte ne suscipiant, nunquam vero Monachus, vel Monialis ad hoc suscipiendi munus admittantur.

VIII.

Paganorum nomina in Baptismo pueris ne imponantur.

IX.

In Baptismo compater nemo sit, qui sacro Chrismate confirmatus non fuerit. Proinde Parochi studiose de hoc inquirere non omittant.

IV. De Sacramento Confirmationis.

ART. I.

AD Sacramentum Confirmationis suscipiendum nemo adducatur, qui septem annos non exegerit, & Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolumque fidei, memoria teneat. Sit etiam jejunus, atque confessus, si fieri potest, quisquis ad hoc ipsum Sacramentum accesserit.

II.

Qui supra suscipere in Baptismo prohibentur, eos pariter in Confirmatione suscipere prohibemus.

V. De Sacramento Eucharistiæ, & Sacrosancto Missæ Sacrificio.

ART. I.

PRæcipimus omnibus Parochis, & Sacerdotibus in nostra Diœcesi Metensi constitutis, quatenus Ædituum, aut Ludimagistrum habeant, puerumve aliquem doceant ministrare, & respondere Sacerdoti Missam celebranti, statuimusque, ut qui celebrare sine Ministro respondente inventus fuerit, mulctam duorum francorum irremissibiliter solvat pro qualibet vice. Idque ut facilius executioni mandetur, Missis celebrandis certum tempus, & stata hora præfigatur: ita ut plures simul Missæ in eadem Ecclesia non celebrentur: maxime ubi desunt Ministri, qui Sacerdotibus celebrantibus deserviant.

II.

Nusquam mulieres, etiam Moniales in Monasteriis, Sacerdoti celebranti in altari deserviant, sed Clericus superpellicio indutus, si fieri possit.

III.

Parochi omnes, qui ratione sui muneris diebus Festis, aut Dominicis bis celebrant, caveant, ne in prima Missa purificationem sumant: alias enim postea celebrarent non jejuni contra præceptum Ecclesiæ.

IV.

Singulis saltem mensibus, nisi sæpius pro ratione loci necesse fuerit, Sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum renovetur: ac, novarum Hostiarum consecratione peracta, veteres, & earum fragmenta a Sacerdote reverenter sumantur.

V.

Substernatur in Ciborio Sanctissimo Sacramento pars aliqua corporalis mundi, neque unquam sordibus aspersum relinquatur.

VI.

In Monstrantiæ, ut vocant, Sanctissimi Sacramenti lunula substernatur pars aliqua corporalis, quam extracto Sanctissimo Sacramento statim etiam extrahat Sacerdos, excutiatque diligenter in calicem, ne adhærentes ei particulæ deperdantur.

VII.

Atque ad calicem ipsum, post sumptum Sacramentum & vinum ablutionis, decenter abstergendum parentur sudariola, seu purificatoria ex albo linteo firmo comburanturque, quæ jam præ vetustate sunt olida, aut putrida, & cineres, vel in piscinam altari vicinam, (si capax sit) effundantur, vel in scrobe Ecclesiæ, vel Cœmiterii recondantur.

VIII.

Non liceat uti Purificatoriis ex serico in posterum.

IX.

IX.

Obſervetur diligenter, ut ad tremendum Miſſæ Sacrificium nonniſi recens hauſtum vinum adhibeatur, recentes quoque panes ſingulis ſaltem menſibus provideantur. Maxime vero, quando renovandæ ſunt Hoſtiæ, & in Ciborio conſervandæ.

X.

Stet in altari Sacerdos erecto corpore, non cubitis innixus, niſi dum actu verſatur in conſecratione tam Hoſtiæ, quam Calicis. Nullæ externæ aut inuſitatæ cæremoniæ invehantur.

XI.

In unoquoque Archi-Presbyteratu deſignetur aliquis Cæremoniarum Magiſter, qui novos Sacerdotes Sacras Miſſæ cæremonias doceat. Iş vero eligatur, qui, & eas perfecte calleat, ſitque probatæ vitæ, & famæ, nullusque ſub gravi pœna præſumat primum Sacrum facere in hac Diœceſi, niſi Syngrapha præfati Magiſtri cæremoniarum doceat, ſe in his ritibus, cæremoniisque ſatis eſſe inſtructum. Ejus autem Magiſtri cæremoniarum nomen ad Vicarium noſtrum deferat Archi-Presbyter.

XII.

Albas ne ex craſſa nimium tela, ſed ſubtiliore, & decenti, easque rugatas circa collum, neque nimium laxas, aut ſtrictas, manicis non ita amplis, ſed oblongis fieri curent Parochi.

XIII.

Armariola, ſeu Tabernacula, in quibus aſſervatur Sanctiſſimum Sacramentum, quæ cancellis ferreis, aut cratibus ut plurimum ſepta reperiuntur, tabulis ſeu aſſerculis ligneis intrinſecus circumſepiantur, ne pulveri, muſcis, & araneis in ea pateat aditus, neve ita facile injuria quævis Sanctiſſimo Sacramento inferri poſſit.

XIV.

Vaſcula ſacrarum Unctionum, cæteraque omnia, quæ in tabernaculo, ſeu repoſitorio Sanctiſſimi Sacramenti pluribus in locis repoſita inveniuntur, honeſto alio loco, ubi commode fieri poterit, recondantur.

XV.

Paſtores, eorumque Vicarios hortamur, ut aliquoties in hebdomade, etiamſi non occurrat dies feſtus, Sacrum faciant, ad conſervandam, & augendam populi devotionem.

XVI.

Sacerdotes omnes, etſi iis animarum cura non incumbat, neque teneantur ratione beneficii, certo tempore celebrare, juxta Sacroſancti Concilii Tridentini Decreta celebrent præcipuis ſaltem anni Feſtivitatibus, omni excuſatione ſemota, ſub pœna arbitratu noſtro, vel Officialium noſtrorum imponenda: Nullus tamen mortalis peccati ſibi conſcius, quantumlibet ſibi contritus videatur, absque prævia confeſſione celebret, licet ei ex officio celebrare incumbat, ſi modo adſit copia Confeſſoris. Ubi vero quis neceſſitate urgente, non confeſſus celebraverit, quamprimum poſtea confiteatur.

XVII.

Moneant diligenter, & ſæpe Paſtores ſuos Parochianos, ut ſtatim initio Miſſæ adſint, neque ex Eccleſia ante ejus finem diſcedant; Inobedientes primo ſecrete corripiant, ſecundo coram Scabinis iterum arguant, eosque, niſi reſipuerint, ad Officiales noſtros deferant puniendos.

XVIII.

Communicanti populo purificationis vinum, non ex calice, ſed ex ſcypho, vel cratere inpoſterum, quacunque conſuetudine non obſtante, præbeatur.

XIX.

In poſterum inter Miſſarum ſolemnia, vel alias, in Templo, aut Cœmeterio promulgationes locationum, & cæterorum hujusmodi prophanorum nec faciant Parochi, nec ab aliis fieri patiantur. Sed ea, abſoluto Officio Divino, per deſignatum a Magiſtratu loco publico fiant.

XX.

Ad celebrandum Miſſæ Sacrum Parochi neminem admittant, niſi ſit probe notus, aut a proprio Epiſcopo teſtimoniales habeat, & exhibeat. Dum

Digitized by Google

concio habetur, vel ſupplicationes fiunt in Eccleſia, nemo in quocunque ejus altari Miſſam celebret.

XXI.

Diſtricte præcipimus omnium Ordinum Religioſis curam animarum non habentibus, ne ulli Sacram Euchariſtiam die Sancto Paſchæ adminiſtrare præſumant, niſi de expreſſa noſtra, aut proprii Paſtoris licentia pro legitimis cauſis concedenda.

XXII.

In qualibet Eccleſia, ubi plures Miſſæ celebrandæ ſunt, illæ per æqualia temporis interſtitia celebrentur. Ita tamen, ut nec ante diluculum, nec poſt meridiem ulla dicatur, niſi forte ubi ex fundatione matutinales Miſſæ ante diluculum dici conſueverunt: quo caſu etiam eas tantum, non alias ante diluculum celebrari permittimus. Vetamus quoque in eadem Eccleſia plures Miſſas ſimul celebrari, niſi tantus ſit Sacerdotum numerus, ut hoc Decretum commode ſervari nequeat. Mandamus præterea univerſis quarumcunque Eccleſiarum hujusmodi Capitulis, Præpoſitis, & Rectoribus, ut tabellam in Sacriſtiæ loco conſpicuo fixam teneant, diem, & altare, in quibus ſingulæ Miſſæ celebrari debeant continentem, una cum aſſignatione ordinis, & horæ competentis; ejusque tabellæ exemplar ad Nos infra duos menſes mitti curent.

XXIII.

Ad Miſſarum autem celebrationem altarium ornamenta, ſacræque veſtes eo colore, quo pro temporis, & officii ratione uti conſuevit Sancta Mater Eccleſia, ac, prout in Rubricis Miſſalis Romani traditum eſt, præparentur, quatenus id per Eccleſiæ facultates licuerit.

XXIV.

Sacerdotes, qui publice, & notorie criminoſi fuerint, a Miſſæ celebratione arceantur.

XXV.

Nullus Sacerdos in privatis ædibus, ſed in Eccleſia tantum, & Oratoriis cultui Divino dicatis, & a Nobis, deſignatis, & viſitatis Miſſam celebrare audeat.

XXVI.

Ne plures tribus, vel ad ſummum quinque Orationes, ſeu Collectæ in Miſſa dicantur, niſi ubi Eccleſiæ inſtitutum aliud poſtulaverit.

XXVII.

In novis Miſſis ceſſent ſumptuoſa convivia, ludi, choreæ, cæterique omnes abuſus, qui hactenus aut populi temeritate, aut Sacerdotum avaritia irrepſerunt.

XXVIII.

Sacerdotes celebraturi, non in Altari, ſed in Sacriſtia veſtiantur, & poſtquam induti fuerint, cum nemine colloquantur.

XXIX.

In Parochialibus Eccleſiis ſtatis horis Miſſæ celebrentur, nemine quavis de cauſa expectato.

XXX.

In Eccleſia, etiam cum aliquid offertur, nec tympana, nec cytharæ, aut alia ejus generis inſtrumenta audiantur, neve illa gerentes etiam taciti Eccleſiam ingrediantur.

XXXI.

Gradibus altaris nemo hæreat, aut prope altare ſit, dum Sacrum fit; neve pueri, vel alii illis inſideant dorſo ad altare verſo. Mulieres etiam ad altaris latera ita ne maneant, ut a Celebrante ad altare converſo videri poſſint.

XXXII.

Parochi omnes, & ſinguli libellum habeant, in quo communicantium in Paſchate nomina, & cognomina per familias deſcribant; ſeparatim vero notam fideliter faciant eorum, qui non communicaverint; ac utriusque exemplar Nobis, aut Vicario noſtro ſtatim poſt Paſcha conſignari curent.

VI. De Sacramento Pœnitentiæ.

ART. I.

SIngulis ſaltem menſibus confiteantur omnes, & ſinguli Parochi, & requiſiti fidem facere teneantur Archi-Presbytero ſuo, ſub pœna duorum francorum pro prima vice, trium, pro ſecun-

ſecunda, quatuor pro tertia, graviorisque pœnæ, etiam carceris, pro quarta. Contumaces Archi-Presbyter ipſe ad Officiales noſtros deferre teneatur, alias ipſemet arbitrio noſtro puniatur.

II.

Intolerabilis abuſus irrepſit in hanc Diœceſim auctore Diabolo, audiendi ſimul confeſſiones plurium puerorum, quem ex toto eliminare cupientes, prohibemus univerſis, & ſingulis Parochis, & Sacerdotibus ad confeſſiones audiendas deputatis, ne, ſub pœna ſuſpenſionis ab Ordine, ullo unquam tempore, quovis quæſito prætextu, plures pueros, puellasve etiam ſeptennio minores in confeſſione ſimul, ſed ſeorſim ſingulos audiant: hortamurque in Domino, ut, quoniam omnium animarum ſibi creditarum rationem in diſtricto judicio ſunt reddituri, eas ne negligant, neve ſinant item pueros majores ſeptennio ſine ſacra confeſſione decedere: moneantque ſedulo parentes, ut, quando contigerit aliquem ex ſuis decumbere, mature Parochum advocent ejus confeſſionem auditurum. Relinquimus autem diſcretioni, prudentiæ & conſcientiæ Parochorum curam advertendi ex probabilibus conjecturis, aliquisne ex ſibi commiſſis pueris ante ſeptennium diſcretionis uſum habeat. Quod ſi adverterint, ita ſe gerant cum eo, quemadmodum cum iis, qui eſſent majores ſeptennio.

III.

Caveant Parochi diligenter, ne pueros ad confeſſionem, aut benedictionem Sacerdotalem recipiendam venientes, minis, verberibus, aut virgis terreant, ſcientes pro certo ſe, niſi in poſterum ab ejusmodi abſtinuerint, ſevere caſtigandos.

IV.

In ſingulis ſaltem Parochiis unum fiat Confeſſionale, ut, & hujus Sacramenti reverentiæ, & Sacerdotis ſimul, & confitentium commoditati conſulatur, omniaque fiant cum ordine, & decenter. Nec noctu, niſi accenſa lucerna, ſeu candela, confeſſiones, etiam in Eccleſia audiantur.

V.

Non ſint difficiles Parochi in concedenda ſuis ſubditis facultate alteri Sacerdoti a Nobis approbato confitendi, ſive in Paſchate, ſive alio tempore. Qui tamen in Paſchate alteri confeſſus fuerit, confeſſionis teſtimonium in ſcriptis Parocho ſuo exhibere teneatur: alioquin contra eum, tanquam non confeſſum, procedatur.

VI.

In hac Diœceſi nullus Sacerdos ſive ſæcularis, ſive Regularis: etiam alibi approbatus absque noſtra, vel Vicarii noſtri approbatione in ſcriptis obtenta, immiſcere ſe audeat confeſſionibus audiendis, etiam puerorum, etiam in neceſſitate, quamdiu copia proprii Sacerdotis haberi poterit, aut alterius approbati, etiam de conſenſu proprii Parochi, vel Archi-Presbyteri, niſi habeant ad hoc ſpeciale mandatum. Quod ſi qui forte mendicantes, aut alii ſe hoc Decreto non aſtringendos prætendant, de privilegiis ſuis Nobis quamprimum fidem faciant, noſtramque ſuper hac re declarationem expectent.

VII.

Qui approbati fuerint ad confeſſiones audiendas, formam mandati, ſeu licentiæ ne excedant, ſi fuerit limitata certo loco, tempore, caſibus, vel perſonis.

VIII.

Habentes facultatem a cenſuris, ac caſibus reſervatis abſolvendi, ſi quid gravius, aut difficilius occurrerit, ad Nos, aut Pœnitentiarium noſtrum majorem referant.

IX.

Superiores omnes regulares quamprimum dent Catalogum Confeſſorum ſui Conventus approbatorum, nomen, & cognomen uniuscujusque continentem: idque ſemel quolibet anno in capite Quadrageſimæ repetant.

X.

Ad januam Sacriſtiæ Eccleſiarum Collegiatarum, aut Conventualium teneatur Catalogus Confeſſorum inibi approbatorum, ſi plures fuerint approbati.

XI.

Regularium Superiores, quando aliquem approbandum ad confeſſiones præſentabunt, eum bonis moribus præditum eſſe teſtentur: alias eum non approbandum ſciant.

XII.

Nemo, vel verbo, vel ſigno aliquid petat pro confeſſionibus audiendis. Si quid tamen ſponte oblatum fuerit, id recipere liceat.

XIII.

Sint Confeſſores tam ſæculares, quam Regulares parati audire confeſſiones, maxime a Dominica Paſſionis, uſque ad Octavam Paſchæ, & aliquot diebus ante feſta Nativitatis Domini, Pentecoſtes, Aſſumptionis Beatæ Virginis, & Omnium Sanctorum, aliaque Feſta ſolennia, ac præterea quando contigerit Jubileum.

XIV.

Vocati ad infirmos audiendos moneant proprium Parochum, ut de ſtatu infirmi melius cognoſcant.

XV.

In domibus privatis non audiant confeſſiones, niſi infirmorum, &, ſi mulieres fuerint, oſtio cubiculi aperto.

XVI.

Eos, qui ſæpe mutant Confeſſores, graviter redarguant.

XVII.

Concubinariis, & uſurariis publicis ſemel admiſſis, niſi deſtiterint, non amplius communicare permittant.

XVIII.

Diligenter examinent pœnitentes, an contractus uſurarios, aut alios illicitos fecerint, & eo caſu ante ſatisfactionem ne abſolvant. Ubi audierint peccatum reſtitutioni obnoxium, ne expectent finem confeſſionis, ad eam injungendam, ne forte interim obliviscantur.

XIX.

Tempore Paſchatis tarde venientes exhortentur, ne amplius hebdomadam ſanctam expectent ad confitendum, maxime ſi raro confiteri conſueverint.

XX.

Non admittant uſurarios, niſi reſciderint contractus fœneratitios. Obligatos ad reſtitutionem, & reſtituere valentes, ſi prius moniti, vel a ſe, vel ab alio Confeſſore, non ſatisfecerint, non abſolvant. Idem de iis, qui legata pia non impleverint. Quod ſi excuſationem aliquam prætenderint, eos ad Nos, vel Pœnitentiarium noſtrum majorem remittant. Nec abſolvant eos, qui moniti res amiſſas, aut furto ablatas ſcientes non revelaverint: nec eos, qui per decretum aut ſententiam Curiæ noſtræ excommunicati fuerint, ſine excommunicatoris licentia, expreſſaque auctoritate. Nec facile admittant ab alio Confeſſore (*) forte deſtruant, quod alii ædificare procuraverint.

XXI.

Sæpe legant, vel etiam affixam habeant in Confeſſionali Bullam Cœnæ Domini, & Caſus Nobis reſervatos. Et, ſi quos his ligatos invenerint, ad eos, ad quos ſpectat, remittant, priusquam eos, aut ulterius audiant, aut abſolvant ab aliis peccatis.

XXII.

Noverint etiam, & apud ſe habeant Canones Pœnitentiales, eosque, quando videbitur, pœnitentibus explicent. Ut cognoſcant, quanta benignitate cum eis nunc utatur Eccleſia.

XXIII.

Ubi pœnitentia publica opus eſſe judicaverint, ob ſcandalum peccando excitatum, ad Nos recurrant. Ut, ſi expedire viderimus, pœnitentiam illam publicam in aliud pœnitentiæ genus commutemus.

XXIV.

Ubi pro pœnitentia injunxerint eleemoſynas, Miſſas, aut aliud ſimile, vel ubi agetur de reſtitutione incertorum, vel commutatione votorum, nihil ſibi, vel Eccleſiæ ſuæ applicent.

XXV.

Non admittant prima vice ad Communionem, niſi quos prius de ejus fructu & Sanctiſſimi Sacramenti virtute, ac dignitate inſtruxerint.

XXVI.

(*) Forte omiſſum: *non abſolutos*; ac

XXVI.

Frequenter moneant Parochi populum, ut ad Pœnitentiæ Sacramentum, tanquam ad tutiſſimam ſalutis ancoram, quam ſæpiſſime confugiant.

XXVII.

Nec ad Communionem Paſchatis admittant alteri, quam ſibi confeſſos, niſi fidem fecerint in ſcriptis confeſſionis de noſtra, aut eorum licentia alteri a Nobis approbato factæ. Quod etiam Parochi ipſi per dies Dominicos Quadrageſimæ publice moneant ſe obſervaturos. Frequenter etiam Parochi populum moneant, ut, quoties aliquis ægrotaverit, Parochum ſuum advocet ad infirmum inviſendum, quo tempeſtive Sacramenta neceſſaria ei adminiſtrare poſſit.

XXVIII.

Habeant Parochi deſcripta nomina, & cognomina Parochianorum: & puncto aliquo notent ſibi confeſſos ſtatim ab ipſa confeſſione: vel ſaltem libellum habeant, in quo ſtatim a confeſſione uniuscujusque, ejus nomen, cognomen, & cujus ſit familiæ, deſcribant.

VII. De Sacramento Extremæ Unctionis.

ART. I.

DOlentes audivimus, Sacrum Extremæ Unctionis Sacramentum ægrotis, quo ex hac vita pie diſcedant, maxime neceſſarium, in pluribus locis negligi: dent ergo operam Parochi, ut ſæpe populum hujus Sacramenti efficaciam doceant, exhortenturque ſerio, ut quando ex ſuis aliqui decumbent, mature juxta morem Chriſtianorum Parochum advocent, qui hoc Sacramentum miniſtret, & ex ſuggeſtu tribus diebus Dominicis continuis publice ſignificent, ſe ex mandato noſtro nullum ad Eccleſiaſticam ſepulturam admiſſuros, qui hoc Sacramentum non perceperit, niſi ab eo percipiendo repentino aliquo caſu impeditus fuerit.

II.

Vaſculis ſaltem ſtanneis ſacras Unctiones conſervent, non vero æneis, quæ rubiginem facile, aut nidorem contrahunt.

III.

In vaſcula Sacrarum Unctionum ter aut quater in anno Paſtores inſtillent unam aut alteram guttam olei Olivarum, non autem alterius cujuscunque, ne frequenti uſu exhauriantur.

IV.

Sacratis Olei Unctionum in ſingulis earum locellis Parochi omnes inpoſterum pro recepto more Diœceſis noſtræ Metenſis goſſipium ſubſternant, non vero canabem, ſtuppam, aut aliud quidpiam.

V.

Sacerdos Extremam Unctionem mulieribus miniſtraturus, renes illis ne ungat.

VIII. De Sacramento Ordinis.

ART. I.

SCiant omnes, nos ea, quæ a Sacro Concilio Tridentino de ætate, & qualitate Ordinandorum, decreta ſunt, exacte obſervaturos.

II.

Nemo ex Diœceſanis noſtris ad Ordines ſuſcipiendos vel Dimiſſorias obtinendas accedat, niſi Parochi ſui ſaltem teſtimonium in ſcriptis habeat de natalibus, ætate, vita, & moribus. Et ſi Sacris initiandus fuerit, etiam de beneficio, penſione, vel patrimonio, & eorum valore ab ipſo Parocho, & Archi-Presbytero. Teſtimonia autem illa literis rite obſignatis contineantur. Ipſi vero ſacris ordinandi juramento firmabunt, ſe nullam pactionem, vel promiſſionem feciſſe de retrocedendis beneficiis, penſionibus, ſeu aliis bonis pro titulo Patrimonii ſibi aſſignatis. Neve fraus ulla circa hujusmodi penſionum, aut Patrimonii aſſignationem committi poſſit, literæ ipſius aſſignationis ante ordinationem in Eccleſia Parochiali, in cujus territorio bona ipſa ſita ſunt, die Dominico inter Miſſarum ſolennia publicentur a Parocho, qui publicationis ipſius fidem in ſcriptis faciat, quam ordinandus ipſe Nobis exhibere teneatur.

III.

Sacros Ordines ſuſcepturi, quoniam in Miſſa ordinationis Euchariſtiam ſumpturi ſunt, prius confiteri debebunt. Clericali vero tonſura, ac Minoribus Ordinibus initiandos, ut idem præſtent, & optamus, & hortamur.

IV.

Literæ dimiſſoriæ ad Ordines nemini, etiam Regulari, concedantur, niſi debite examinatus, & pro Ordinum, ad quos dimittendus fuerit, qualitate idoneus reperiatur.

V.

Qui ſub titulo alicujus Beneficii, aut Patrimonii ad Sacros Ordines promotus fuerit, hujusmodi Beneficio, aut Patrimonio nullo modo cedere queat, niſi facta mentione, quod ad illius Beneficii, vel Patrimonii titulum ſit promotus: neque ea reſignatio, aut ceſſio admittatur, niſi prius conſtet, quod aliunde habeat, unde commode vivere poſſit. Alias reſignatio, ſive ceſſio nulla cenſeatur.

IX. *De Sacramento Matrimonii.*

ART. I.

SAcroſancti Concilii Tridentini Decretum *Seſſione XXIV. Cap. I. de Reform. Matrimonii*, in qualibet noſtræ Diœceſis Parochia tribus continuis diebus Dominicis a Parochis publicetur, ac de verbo ad verbum intelligibiliter recitetur. Cujus Decreti tenor ſequitur:

II.

" Tametſi dubitandum non eſt, clandeſtina Matrimonia, libero contrahentium conſenſu facta, rata, & vera eſſe Matrimonia, quamdiu Eccleſia ea irrita non fecit, & proinde jure damnandi ſint illi, ut eos Sancta Synodus anathemate damnat, qui ea vera, ac rata eſſe negant, quique falſo affirmant Matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe: nihilominus Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſis illa ſemper deteſtata eſt, atque prohibuit. Verum cum Sancta Synodus animadvertat, prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodeſſe, & gravia peccata perpendat, quæ ex eisdem clandeſtinis conjugiis ortum habent: præſertim vero eorum, qui in ſtatu damnationis permanent, dum, priore uxore, cum qua clam contraxerant, relicta, cum alia palam contrahunt, & cum ea in perpetuo adulterio vivunt. Cui malo cum ab Eccleſia, quæ de occultis non judicat, ſuccurri non poſſit, niſi efficacius aliquod remedium adhibeatur: Idcirco Sacri Lateranenſis Concilii, ſub INNOCENTIO III. celebrati, veſtigiis inhærendo præcipit, ut in poſterum, antequam Matrimonium contrahatur: ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus feſtivis in Eccleſia inter Miſſarum ſolennia publice denuncietur, inter quos Matrimonium fit contrahendum: quibus denunciationibus factis, ſi nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem Matrimonii in facie Eccleſiæ procedatur, ubi Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo conſenſu intellecto, vel dicat: *Ego vos in Matrimonium conjungo, in Nomine Patris, † & Filii, & Spiritus Sancti:* vel aliis utatur verbis juxta receptum uniuscujusque Provinciæ ritum. Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, Matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes, tunc, vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus, vel tribus teſtibus præſentibus Matrimonium celebretur: deinde ante illius conſummationem denunciationes in Eccleſia fiant, ut, ſi aliqua ſubſint impedimenta, facilius detegantur: niſi Ordinarius ipſe expedire judicaverit, ut prædictæ denunciationes remittantur, quod illius prudentiæ, & judicio Sancta Synodus relinquit. Qui aliter, quam præſente Parocho, vel alio Sacerdote, de ipſius Parochi, ſeu Ordinarii licentia, & duobus, vel tribus teſtibus Matrimonium contrahere attentabunt: eos Sancta Synodus ad ſic contrahendum omnino inhabiles reddit: & hujusmodi contractus irritos, & nullos eſſe decernit,

" nit, prout eos præſenti Decreto irri-
" tos facit, & annullat. Inſuper Pa-
" rochum, vel alium Sacerdotem, qui
" cum minore teſtium numero, & te-
" ſtes, qui ſine Parocho, vel Sacerdote
" hujusmodi contractui interfuerint,
" nec non ipſos contrahentes graviter
" arbitrio Ordinarii puniri præcipit.
" Præterea eadem Sancta Synodus hor-
" tatur, ut conjuges ante Benedictio-
" nem Sacerdotalem, in Templo ſuſci-
" piendam, in eadem domo non co-
" habitent: ſtatuitque benedictionem
" a proprio Parocho fieri: neque a
" quoquam, niſi ab ipſo Parocho, vel
" ab Ordinario licentiam ad prædictam
" benedictionem faciendam, alii Sacer-
" doti concedi poſſe: quacunque con-
" ſuetudine, etiam immemorabili, quæ
" potius corruptela dicenda eſt, vel
" privilegio, non obſtante. Quod ſi
" quis Parochus, vel alius Sacerdos,
" ſive Regularis, ſive ſæcularis ſit: etiam-
" ſi id ſibi ex privilegio, vel immemo-
" rabili conſuetudine licere contendat,
" alterius Parochiæ Sponſos ſine illo-
" rum Parochi licentia Matrimonio
" conjungere, aut benedicere auſus
" fuerit: ipſo jure tamdiu ſuſpenſus
" maneat, quamdiu ab Ordinario ejus
" Parochi, qui Matrimonio intereſſe
" debebat, ſeu a quo benedictio ſuſci-
" pienda erat, abſolvatur. Habeat
" Parochus librum, in quo conjugum,
" & teſtium nomina, diemque & lo-
" cum contracti Matrimonii deſcribat,
" quem diligenter apud ſe cuſtodiat.
" Poſtremo Sancta Synodus conjuges
" hortatur, ut, antequam contrahant,
" vel ſaltem triduo ante Matrimonii
" conſummationem ſua peccata diligen-
" ter confiteantur, & ad Sanctiſſimum
" Euchariſtiæ Sacramentum pie acce-
" dant. Si quæ Provinciæ aliis, ultra
" prædictas, laudabilibus conſuetudini-
" bus, & cæremoniis hac in re utuntur,
" eas omnino retinere Sancta Synodus
" vehementer optat. Ne vero hæc
" tam ſalubria præcepta quemquam
" lateant, Ordinariis omnibus præci-
" pit, ut, cum primum poterunt, cu-
" rent hoc Decretum populo publica-
" ri, ac explicari in ſingulis ſuarum
" Diœceſum Parochialibus Eccleſiis,
" idque in primo anno quam ſæpiſſime
" fiat, deinde vero quoties expedire
" viderint. Decernit inſuper, ut hu-
" jusmodi Decretum in unaquaque Pa-
" rochia ſuum robur poſt triginta dies
" habere incipiat, a die primæ publi-
" cationis, in eadem Parochia factæ,
" numerandos."

III.

Hoc ergo Sacroſancti Concilii Decretum exacte ſervetur, ac poſt triginta dies a prima publicatione ſic, ut præfertur, facienda per Officiales noſtros ſecundum illud omnino judicetur.

IV.

Publicationum autem ut ſupra faciendarum, ſtatim atque factæ fuerint, Parochi Archi-Presbyteris, Archi-Presbyteri vero Nobis infra duos menſes teſtimonium in ſcriptis omnino conſignare teneantur, ſub pœna arbitratu noſtro negligentibus infligenda.

V.

Cognationis ſpiritualis impedimentum inter ſuſcipientem, ac ſuſceptum, ſuſceptique Patrem, & Matrem: rurſusque inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique Patrem, & Matrem, tantummodo, & non ulterius locum habeat.

VI.

Affinitas per fornicationem contracta ultra ſecundum gradum Matrimonium poſtea contractum deinceps non dirimat.

VII.

Publicæ vero honeſtatis impedimentum jam nullum exſtet, ſi Sponſalia invalida præceſſerint, ubi vero valida fuerint, primum gradum non excedat.

VIII.

Parochi de impedimentis iſtis per Sacroſanctum Concilium Tridentinum, ut ſupra, limitatis populum quamprimum moneant, ac deinceps quoties opus eſſe viderint.

IX.

Prohibitum eſt omnibus, & ſingulis Parochis, ne ullos ad Sacramentum Matrimonii admittant, qui non ſciant Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum,

Præ-

tized by Google

Præcepta Dei, & Sanctæ Matris Eccleſiæ, numerumque Sacramentorum, ſub pœna viginti francorum ſolvendorum, per dictos Parochos, qui huic Conſtitutioni contravenerint.

X.

Matrimonio jungendos Parochi ſedulo admoneant, ne poſt Sponſalia de futuro ullo modo in iisdem ædibus degere incipiant ante Matrimonium contractum. Neve ita ſe gerere audeant, ac ſi per verba de præſenti contraxiſſent: ſi ſecus a quopiam factum fuerit, prohibetur Parochus eorum Matrimoniis adeſſe, ante pœnitentiam peractam.

XI.

Habeant iidem Parochi librum penes ſe, quem & ad Succeſſorem transmittant, in quo contrahentium, Parentum quoque, ac teſtium nomina, cognomina, ſtatum, ac domicilium, diemque, ac locum annotent, & an præmiſſæ ſint tres denunciationes, an vero omiſſæ ex noſtra, vel Vicarii noſtri diſpenſatione.

XII.

Item ſintne in aliquo gradu conſanguinitatis, vel affinitatis cujuscunque, & ex cujus diſpenſatione contraxerint. Ejusque notæ tranſſumptum ſingulis annis deferant ad Synodum Diœceſanam, tradantque Vicario noſtro Generali, vel ejus vices gerenti.

XIII.

Poſtridie nuptiarum nihil indecens fiat: nulli, ſub pœna unius marcæ argenti, in Eccleſiam larvati ingrediantur, aut nuptas in Eccleſiam deducant. Nihil futile, nihil leve in Eccleſia fiat, ſub pœna unius libræ ceræ, in uſum Eccleſiæ ſolvendæ a contraveniente.

XIV.

Caveant Parochi, ne vagos Matrimonio jungant, niſi forte de mandato noſtro expreſſo, & ſcriptis edito.

XV.

Caveant item, ne alienæ Parochiæ Sponſum, Sponſamve Matrimonio jungant, antequam ab illius, qui intra Parochiæ ſuæ fines non habitat, Parocho ſcriptum acceperint, fidem faciens denunciationum, aut factarum, aut Ordinarii voluntate remiſſarum, nullumque legitimum impedimentum fuiſſe ſignificatum, quominus Matrimonium rite contrahi liceat.

XVI.

Denunciationes a Parochis ne fiant, niſi de expreſſa eorum, qui contracturi ſunt, voluntate.

XVII.

Ne Archi-Presbyteri, aut Parochi literas deliberatorias Extradiœceſanis pro Matrimonio contrahendo dare præſumant, ſed eos ad Nos, ut moris eſt, remittant. Neve ſuper denunciationibus bannorum, aut aliqua earum diſpenſent quocunque prætextu, ſub pœna unius marcæ argenti arbitrio noſtro applicandæ.

XVIII.

Matrimonio copulandi, ſi fieri poteſt, ſint confirmati.

XIX.

Neutri conjugum liceat ab altero, etiam quoad thorum, diſcedere, niſi ex cauſa legitima prius a Nobis, vel ab Officialibus noſtris approbata. Quod ſi eos quoad thorum, vel etiam cohabitationem ſeparari contigerit, ſciant nihilominus neutri eorum licere ad novum Matrimonium convolare. Si autem concubinam vir alere comperiatur, vel uxor adulterum, niſi ter moniti reſipuerint, excommunicentur. Et ſi nihilominus perſeveraverint, pœnis ſeveriſſimis coerceantur.

X. De Officiis Divinis rite perſolvendis.

ART. I.

PArochi, quorum officium eſt Chriſti gregem paſcere verbo, & exemplo, caveant, ne quem ex ſuis Parochianis prætermittant, neque contenti ſint in ſolis Eccleſiis matricibus Catechiſmum docere, ſed eandem etiam operam navent in annexis, ut vocant, ſeu capellis ſibi ſubditis bis ſaltem ſingulis menſibus, etiamſi hactenus non fit factum.

II.

Singuli Parochi Veſperas decantent hora ſolita omnibus diebus Dominicis,

nicis, & Feſtis : itemque diebus Sabbati, & ſaltem in Vigiliis majorum feſtorum. Qui ſecus fecerit, ab Archi-Presbytero deferatur, & pœna pro modo negligentiæ debita coerceatur.

III.

Omnes Parochialium Eccleſiarum Rectores ſuos Parochianos ſingulis diebus Dominicis a Veſperis per horam Catechiſmum Caniſii doceant familiariter. Pueros item formare ſignum Crucis; curentque, ut ſinguli ex ſibi creditis ſciant ea omnia, quæ Chriſtianos ſcire neceſſe eſt, Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Dei, & Eccleſiæ, Sacramenta, eorumque numerum, præcipuaque myſteria Religionis Chriſtianæ. Quod eo diligentius in iis locis, ubi degunt hæretici, erit exequendum, quo majore in periculo verſantur ii, quorum rationem exactam coram Summo Judice reddere debent, propter continuam pene cum ipſis hæreticis converſationem, quorum ſermo, teſte Apoſtolo, ſerpit, ut cancer.

IV.

In Eccleſiis, ut omnia cum ordine fiant, & ſine confuſione viri ſeparati loco, & ſedibus a mulieribus ſedeant. Nullæ mulieres in Cancellos, aut Chorum irrepant, vel deſignata viris loca occupent, vel contra.

V.

Ubi organorum, vel aliorum inſtrumentorum eſt uſus, eæ officii partes, quæ organis, aliisve inſtrumentis canuntur, in Choro diſtincte ab aliquo ad id deputato pronuncientur.

VI.

Divina Officia non curſim, non perturbate, nec oſcitanter, ſed leniter, diſtincte, ac ſtudioſe pronuncientur.

VII.

Omnes Canonici, Nobis ſubditi Parochi, & alii Beneficiati ad reſidentiam obligati in Canonicatibus, Eccleſiis, Parochiis & Beneficiis ſuis omnino reſideant, Officiisque Divinis ſedulo interſint: alioqui pœnas a Sacroſancto Tridentino Concilio ſancitas ſe noverint incurſuros.

VIII.

Curent Parochi, ut Miſſæ omnes, aliaque Divina Officia tam ab ipſis, quam ab aliis intra Parochiarum ſuarum fines debita, & conſueta celebrentur. In quo, ſi quem negligentem repererint, eum ad Archi-Presbyterum ſuum, Archi-Presbyter vero ad Nos infra duos menſes, ac deinceps ſingulis annis omnino deferant.

IX.

Omnes Canonicos, Parochos, & Clericos, omnes item cujusvis Ordinis Regulares hortamur, ut Officium Romanum in Eccleſiis ſuis, ad inſtar Eccleſiæ noſtræ Cathedralis admittant, & amplectantur.

X.

Nemini unquam, ſed maxime, quando Divina peraguntur Officia, in Eccleſiis deambulare, vel ocioſis fabulis vacare contingat, ſub pœna Officialium noſtrorum arbitrio infligenda.

XI. De vita, & honeſtate Clericorum.

ART. I.

CUm ii, qui Beneficia Eccleſiaſtica ſine Canonica inſtitutione occupant, ſibi damnationem conſciſcant, eam ſtatim a Nobis, vel a Vicario noſtro Generali impetrare ſatagant: certi alioquin ſe iſtiusmodi beneficio, & ejus obtinendi ſpe non ſolum carituros, ſed & ad quævis beneficia in hac Diœceſi obtinenda inhabiles futuros.

II.

Deferant omnes Clerici beneficiati, vel in Sacris conſtituti habitum Clericalem, & nunquam domo exeant ſine tunica, ſub pœna unius aurei. Deferant item omnes tonſuram Clericalem, quam Coronam vocant, ſub ſimili pœna.

III.

Nemo Sacrum dicat, quin ſub alba, hujusmodi tunicam deferat, ſub pœna decem francorum irremiſſibiliter ſolvendorum.

IV.

In veſtibus nihil indecorum, nihil inuſitatum, nullus color contra recep-

rum Eccleſiæ uſum, nihil leve, aut vanum appareat. Collaria non rugata, ſeu criſpa, nec valde lata, aut diſtenta, ſed ſimplicia, & modice lata, & ad collum honeſte reclinata.

V.

Quemadmodum non decet eos, qui in ſortem Domini allecti ſunt, vanitates veſtimentorum, & novitates ſectari: ita etiam convenit eosdem honeſte veſtiri: ne, quod inde facile evenire ſolet, in cauſa ſint, ut a populis vituperetur eorum miniſterium. Si quem ergo ex Parochis, cæterisve Sacerdotibus, aut Clericis viderint Archi-Presbyteri ſordidius veſtitum, eum primo arguant, & increpent: Non obedientem vero deferant ad Officiales noſtros caſtigandum.

VI.

Tabernas, & cauponas, niſi in itinere conſtituti, ne ingrediantur, ſub pœna arbitrio noſtro, vel Officialium noſtrorum imponenda.

VII.

Omnes Clerici tam ſæculares, quam Regulares, maxime vero Parochi bonorum Authorum lectioni diligenter incumbant, ac libros de caſibus conſcientiæ ſibi comparent, ſciantque Viſitatores diligenter inpoſterum inveſtigaturos, utrum ex præſcriptis ſtudiis profecerint. Et contra incapaces ex Sacroſancti Tridentini Concilii præſcripto proceſſuros.

VIII.

Choreas neque publicas, neque privatas agant Clerici, nec ſpectent: neque unquam larvati incedant. Fabulis, comœdiis, aliisque prophanis ſpectaculis ne interſint: multo vero minus ea in Eccleſiis, aliisve locis ſacris fieri ſinant. Minus honeſtis conviviis ne interſint, neve turpes perſonas ad convivandum apud ſe convocent. Ebrietatem omnino effugiant, neque alios ad immoderate bibendum provocent.

IX.

Quia aliqui ex Eccleſiaſticis ſtatus ſui, & decoris obliti cum ſcandalo, & ſumma offenſione populi Chriſtiani ancillas ſuas ſecum ad nundinas, convivia, nuptias, cauponasque frequenter ducunt, id, ne de cætero fiat, ſevere prohibemus: Statuimusque, ut, ſi quis eo impudentiæ devenerit, ut mulierculam ſibi inſervientem ad nundinas, convivia, nuptias, cauponasque, vel alia quævis loca publica duxerit, vel in ſuis ipſius ædibus cum aliis fecerit menſæ aſſidere, mulctetur irremiſſibiliter pœna viginti francorum pro prima vice, pro ſecunda triginta, pro tertia graviore, etiam carceris. Præcipimusque Archi-Presbyteris, ut, quamprimum ad eorum notitiam pervenerit aliquem ex Presbyteris ſuis huic mandato contraveniſſe, eum ſtatim ad Promotores noſtros deferant: alioqui iisdem pœnis ipſi, tanquam culpæ fautores, ſubjaceant.

X.

Quoniam autem aliquos ex Clero ut jumenta in ſtercore fœdi concubinatus putreſcere compertum eſt, quod a Nobis, Officialibusque noſtris longius abſint, teneantur Archi-Presbyteri omnes, & ſingulos hujusmodi concubinarios monere ſuper concubinatu, cæterisque omnibus exceſſibus, ipſasque monitiones rite ſubſignatas deferre ad Fiſcales noſtros: quibus mandamus, ut quam diligentiſſime monitos ipſos pro modo reatus, ex Sacroſancti Concilii Tridentini Decretis puniendos curent.

XI.

Aliquos etiam ex Eccleſiaſticis eo impudentiæ deveniſſe compertum eſt, ut mentiti ſint ſuas, aut ſorores, aut neptes eſſe mulierculas impudicas, quas fovebant, cui malo occurrere cupientes, ſtatuimus, ut, ſi quis ea unquam abuſus deprehendatur, quam falſo aſſeruerit ſuam, ſeu ſororem, ſeu neptem, aut cognatam in quocunque gradu, pœnis contra inceſtuoſos ex rigore Canonum ſtatutis plectatur.

XII.

Multis rationibus moti, iisque piis, & juſtiſſimis prohibemus omnibus, & ſingulis Eccleſiaſticis ſive Sæcularibus, ſive Regularibus, ne unquam in ſuas ædes admittant, aut recipiant ullas cujusvis Ordinis Moniales, ſeu Religioſas ſub pœna triginti francorum irremiſſibiliter a contravenientibus ſolvendo-

veudorum: Præcipimusque Fiſcalibus noſtris, & omnibus Archi-Presbyteris, quatenus ſedulo, & ſtudioſe curent hanc noſtram Conſtitutionem per Officiales noſtros executioni mandari, ne, quam in alios exercere noluerint, juſtam a Nobis vindictam ſuo merito ſentiant.

XIII.

Immo vero, quoniam eos, qui in ſortem Domini vocati ſunt, & Sancta tractare debent, non ſolum crimine incontinentiæ, ſed ejus etiam ſuſpicione carere oportet, re multum diſcuſſa, & mature deliberata, univerſis, & ſingulis Clericis beneficiatis, vel in Sacris Ordinibus conſtitutis, diſtricte præcipiendo interdicimus, ne prætextu ſervitii mulierculas ullas ætate, aut forma ſuſpectas teneant: ſed, ſi quas ancillas habere voluerint, ſint illæ ſaltem quinquagenariæ, nec ullo modo de incontinentia, aut lenocinio ſuſpectæ. Quod ſi qui forte juniores, aut ſuſpectas jam habeant, eas protinus abjiciant: alias pœnis a Sacroſancto Concilio Tridentino contra concubinarios latis omnino ſubjaceant. Ad cujus Decreti ſeveram executionem omnibus, & ſingulis Archi-Presbyteris mandamus, ut ſtudioſe ac ſerio invigilent, &, ſi quos ex diſtrictus ſui Eccleſiaſticis contravenientes reſciverint, eos protinus ad Fiſcales noſtros deferant: quibus etiam præcipimus, ut ſerio, & absque ulla perſonarum acceptione inobedientes præfatis pœnis plecti curent. Quod ſi in hoc Archi-Presbyteri negligentes fuerint, ipſimet tanquam peccantium fautores arbitraria pœna mulctentur. Eo ipſo vero hac in parte negligentes fuiſſe, & eſſe cenſeantur, ſi quis ex ſui Archi-Presbyteratus Eccleſiaſticis ab alio, priusquam ab ipſis, delatus fuerit.

XIV.

Parochi populum ſibi commiſſum ad leges Eccleſiaſticas accurate, & pie obſervandas ſæpe hortentur; at novas ne adinveniant, neve ad illas populum obligare præſumant.

XV.

Nemo militans Deo, implicat ſe negotiis ſæcularibus, (inquit Apoſto-

lus) quod tamen minus obſervatum a plerisque Sacerdotibus audivimus, qui familias amplas, ſervos, ancillas detinent, & multa, neſcio quo prætextu, pecora paſcunt. Id, ne de cætero fiat ab Eccleſiaſticis hominibus, neve negotiari ullus eorum audeat ſub pœnis gravibus arbitratu noſtro, vel Officialium noſtrorum imponendis, ſevere prohibemus; volumusque, ut ſinguli Archi-Presbyteri non obedientes, ſtatim ad eosdem Officiales noſtros deferant.

XVI.

Si quis in Sacris Ordinibus conſtitutus, aut Beneficiatus compertus fuerit uſuram exercuiſſe, ſive nomine proprio, ſive alieno, juxta Niceni Concilii ſententiam a Clero dejiciatur, & ab Eccleſiaſtico gradu alienus habeatur, aliisque pœnis arbitrariis nihilominus plectatur.

XVII.

Clerici, maxime Beneficiati, & in Sacris Ordinibus conſtituti, nec Medicinam, nec Chirurgiam exerceant. Aliena prædia lucri cauſa ne conducant. Neve aliorum tutelam, aut curam ſine expreſſa noſtra licentia ſuſcipiant, nec pro aliis fidejubeant, nec Laicorum quacunque dignitate fulgentium Procuratores, aut Oeconomi exiſtant, neve illis inſerviant.

XVIII.

Confraternitates absque confirmatione Sanctæ Sedis, vel noſtra, de novo erigi prohibemus. Ubi erectæ, & nondum confirmatæ viſuntur, ex iis deſignetur aliquis confirmationem earum a Nobis, vel Vicario noſtro petiturus: in iisque omnino teneantur uti iis regulis, quas in eum finem fieri curabimus. Niſi tamen aliis a Sancta Sede confirmatis utantur.

XIX.

Interdicimus ſub pœna quadraginta francorum omnibus, & ſingulis Parochis, Sacerdotibus, Clericis, Religioſis, & Monachis, ne unquam ſe obligent ſub ſigillis Tabellionatuum quorumcunque Principum: præcipimusque omnibus Archi-Presbyteris, ut ſedulo advertant, ne quis huic Conſti-

tutioni contraveniat, quosque deprehenderint contraveniſſe, deferant ad Fiſcales noſtros.

XX.

Prohibemus omnibus Presbyteris, & Clericis, ne, ſub pœna viginti francorum pro prima vice, officium Notariatus fæcularis exerceant.

XXI.

Prohibemus, ne quis ex Sacerdotibus, vel Clericis Sclopetos, vel catapultas unquam deferat, vel cum iis venationi vacet. Archi-Presbyteri autem deferant non obedientes ad Fiſcales noſtros, ut omni excuſatione remota caſtigentur.

XXII.

Qui contra hæc de vita, & honeſtate Clericorum decreta, aut aliquod eorum deliquerint, non modo pœnis præfatis, ſed etiam aliis pro arbitrio noſtro imponendis ſubjaceant.

XII. De obſervatione Feſtorum.

ART. I.

NEmini die Feſto liceat cujuscunque generis ludis vacare, vel in tauponis, aut alibi compotationibus indulgere, dum Sacrum Miſſæ Officium peragitur, vel decantantur Veſperæ, ſub pœna unius libræ ceræ, Eccleſiæ applicandæ.

II.

Nundinæ ne uſpiam ſub quocunque prætextu fiant die Paraſceves ante meridiem, neque ad eas ullus convenire audeat ſub pœna unius libræ ceræ, in uſum Eccleſiæ applicandæ.

III.

Qui diebus Feſtis ab Eccleſia præceptis absque licentia Officialium noſtrorum, vel Parochorum laboraverit, libra ceræ, prout ab antiquo aſſolet, in uſum Eccleſiæ applicanda mulctetur.

IV.

Ipſo die Sanctiſſimi Sacramenti bonorum Eccleſiæ fieri ratiocinium quibusdam in locis audivimus. Id, ne in poſterum fiat, præcipimus Archi-Presbyteris & Parochis.

V.

Quando in diem, quo fieri ſolent nundinæ, vel mercatus, incidet Feſtum aliquod ex præcepto ſervandum, in diem alium, qui feſtus non ſit, transferatur. Cui rei ad praxim adducendæ Magiſtratus Laici operam, & authoritatem Sacerdos loci, in quo haberi ſolet, junctus Archi-Presbytero, ſi opus fuerit, implorabit.

VI.

Viderint Parochi, ne quid inter ſacras Eccleſiæ cæremonias irrepat ſuperſtitionis, vel irreverentiæ: caveantque diligenter, ne quocunque tempore, maxime vero ipſo Dominicæ Aſcenſionis die, aliquid indecenter fiat in Eccleſia, neve ut ſolet aliquibus in locis, e fornicibus Templi dejiciatur aqua, vel quidvis aliud in adſtantes, ſciantque ſe, niſi id genus irreverentiæ impedierint, ab Officialibus noſtris graviter puniendos.

VII.

In Supplicationibus, Litaniis, & Proceſſionibus, quæ ex ſolenni Eccleſiæ ritu fiunt, videant Parochi, ne quidpiam indecenter fiat, vel cantilenæ aliquæ a mulierculis nugarum plenæ cantentur. Inobedientes unius libræ ceræ mulcta in uſum Eccleſiæ coerceant. Eidem quoque pœnæ ſubjaceant chorizantes, aut ludis vacantes tempore Divini Officii.

VIII.

Diebus Feſtis, & Dominicis molitores ne molant, niſi id neceſſitas exigat, quæ dum incidet, id etiam ne faciant, dum cantatur Miſſa Parochialis. Idem omnino ſervetur a mercatoribus, nec merces ullas, etiam rerum ad victum neceſſariarum, præſertim tempore Divini Officii, aut ſacræ Concionis, exponere vænum tolerentur.

IX.

Patresfamilias, qui ſuorum, & maxime domeſticorum curam gerere tenentur, moneantur a Parochis, ut, Miſſam audiendi & verbum Dei, ſuis ſervis, & ancillis tempus concedant, etiam iis, qui in paſcendis animalibus occupantur. Quod etiam de cæteris communitatum opilionibus, aut bubulcis cura-

curabunt communitatum ipſarum Præfecti.

X.

Curabunt quoque Archi-Presbyteri, & Parochi, ut ter in die, mane ſcilicet, meridie, & veſperi detur ſignum ad Salutationem Angelicam.

XI.

Imagines novæ, aut extra morem ornatæ, aut quicquam falſum repræſentantes nullo modo inducantur.

XIII. De Beneficiariis.

ART. I.

OMnes Canonici Nobis ſubditi, Parochi, & alii cujuscunque nominis Beneficiati ad reſidentiam obligati, ſive Sæculares ſint, ſive Regulares, in Canonicatibus, Eccleſiis, & Beneficiis ſuis per ſe omnino reſideant. Alioquin pœnas, a Sacroſancto Tridentino Concilio contra non reſidentes ſancitas, ſe noverint incurſuros. Ut autem hoc Decretum debitæ facilius executioni mandetur, ſtatuimus, ut in Collegiatis hujus noſtræ Diœceſis Eccleſiis ab earum Capitulis ſingulis ſex menſibus abſentium nomina, & cognomina, & beneficiorum ab iis obtentorum qualitates Nobis ſcripto intimentur. Archi-Presbyteri vero idem faciant de Parochis, & aliis Beneficiatis intra diſtrictus ſuos ad reſidentiam obligatis. Ac ne quis per Vicarium deſerviendo hoc Decretum eludere poſſit, omnes, & ſingulas per mercenarios Presbyteros deſerviendi licentias hactenus quomodolibet obtentas revocamus, & revocatas eſſe declaramus. Neve fraus ulla huic ipſi Decreto fiat, Archi-presbyteri nomina illorum, qui ita deſerviunt, intra menſem ad Nos deferri curent, quo Eccleſiarum neceſſitatibus providere poſſimus.

II.

Nemini Beneficiato, etiam ſtudiorum cauſa, niſi de licentia noſtra, a beneficio reſidentiam requirente abeſſe liceat.

III.

Inhibemus, ne aliquam Religionem profeſſus Parochialis Eccleſiæ regimen recipiat, niſi de noſtra, aut Vicarii noſtri licentia in ſcriptis habita. Quod ſi quis privilegio ſe fultum prætenderit, de eo Nobis fidem faciat, noſtramque ſuper hac re declarationem expectet.

IV.

Beneficiati omnes intra proximam Synodum Titulos, & literas Ordinum, & beneficiorum ſuorum Nobis, aut Vicario noſtro exhibeant.

XIV. De Immunitate & Juriſdictione Eccleſiaſtica.

ART. I.

JUdices ſæculares monitos eſſe volumus, & hortamur, ut cauſas coram ſemotas ad Eccleſiæ jurisdictionem pertinentes, ad Eccleſiaſticum Judicem relegent, nec mittant falcem in meſſem alienam.

II.

Ne Promotores, vel Officiales noſtri ulla a partibus munera capiant, alioqui pœnæ arbitrariæ ſubjaceant.

III.

Inhibemus, ne quis perſonam Eccleſiaſticam ad judicium ſæculare contra Eccleſiaſticam libertatem, & Ordinis ejusdem privilegia vocare præſumat. Quod ſi Laicus actor fuerit a ſuo jure cadat, & judicatum non teneat, Judexque ex tunc poteſtate ita judicandi ipſo facto ſit privatus. Clericus vero, qui alium Clericum ad tale judicium traxerit, ſeu ſi Judex laicus Clericum coram ſe litigare, aut reſpondere coegerit, ſententiam excommunicationis incurriſſe declarabitur.

XV. De legitima bonorum, & redituum Eccleſiaſticorum adminiſtratione.

ART. I.

ECcleſiarum, & locorum piorum indemnitatibus providere cupientes, ſtatuimus, ut omnes, & quicunque Canonici, Nobis ſubditi Parochi, Capellani, & quocunque alio nomine cenſeantur tam ſæculares, quam regulares Beneficiati, etiam in dignitatibus conſtituti, omnes item Eccleſiarum Scabini, Hoſpitalium, Fratriarum, &

aliorum locorum piorum Administratores, seu Gubernatores, omnium, & singulorum bonorum, tam mobilium, quam immobilium, jurium, reddituum, ædificiorum, nominum quoque debitorum, & aliorum quorumcunque ad eorum Capitula, Dignitates, Canonicatus, Ecclesias Parochiales, Capellanias, Hospitalia, Fraternitates, & alia quocunque nomine nuncupentur beneficia, & pia loca pertinentium declarationes autenticas faciant intra tres menses: easque Nobis, aut Archi-Presbyteris tradant, qui eas ad Nos, aut Vicarium nostrum deferant in Camera Episcopali servandas, ad futuras necessitates. Earum autem declarationum copiam, seu exemplar, ipsi singuli Beneficiarii, & Officiarii penes se asservent: ut in singulis visitationibus conferantur: ne quid, quod in eis descriptum fuerit, desit, &, si quid forte deerit, Ecclesiæ restitui curetur: si quid accessionis, vel mutationis, præsertim circa mobilia contigerit, id quotannis annotetur: &, cùm opus fuerit, declarationes ipsæ, maxime quoad mobilia, renoventur.

II.

Turpe est eos, qui bonorum Ecclesiæ fideles debent esse Administratores, ea, vel bonam eorum partem, in convivia, & compotationes impendere. Id ergo ne fiat in posterùm sub pœna dupli ejus, quod hoc pacto consumptum fuerit, restituendi, graviorisque pœnæ pro ratione contumaciæ severe præcipimus. Ergo in locatione bonorum Ecclesiæ is modus servetur. Quando aliquid Ecclesiæ locandum erit, illud indicet Parochus populo, & omnia plus offerenti pro more locentur, neque liceat vina, ut, vocant, addere, vel quidpiam aliud quocunque prætextu, quod in compotationes vertatur. Neque vero fiant eæ locationes ultra novem ad summum annos: quæ autem ad plures fient, eæ omnes sint irritæ, & inanes. Quæ hactenus factæ sunt, revocentur, & annullentur juxta Sacras Constitutiones.

III.

Scabini, & alii Administratores bonorum Ecclesiæ singulis annis coram Parocho acceptorum, & expensorum rationem reddant, prout alias a Nobis statutum est, sub pœna arbitrio nostro imponenda.

IV.

In redditione rationum per Scabinos, & alios bonorum Ecclesiæ Administratores, nullæ fiant expensæ, nulla convivia instruantur. Parochi exemplo sint aliis, neque conviviis hujusmodi interfint, caveantque, ne hujusmodi conviviorum expensas concedant Administratoribus bonorum Ecclesiæ.

V.

Prohibemus omnibus, & singulis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quam Regularibus, ne sub pœna mediæ partis fructuum beneficiorum, locationes bonorum faciant hæreticis.

VI.

Scabini, & Administratores omnes reddituum Ecclesiarum, eos primo in comparandam necessariam Ecclesiæ supellectilem impendant, tum demum, si quid superfit, illud in sacra quatuor temporibus celebranda convertant, ubi ea hactenus consuetudo viguit, caveantque, ne tunc convivium ullum instruant, sed celebrantibus Sacerdotibus stipendium honestum, & Ædituo, sibique solvant pro ratione occupationis, & laboris juxta taxam a Nobis imponendam, & ab Archi-Presbyteris deinceps declarandam.

VII.

Providere cupientes, ne beneficiis vacantibus non inveniatur, unde merces deservientibus persolvi queat, interim dum novi fructus expectantur: Sancimus, ne Ecclesiastica beneficia, vel officia quomodolibet obtinentes, sine licentia nostra in scriptis obtinenda pendentes beneficiorum, vel officiorum suorum fructus quovis prætextu, vel causa alienent, nisi dilata solutione in id tempus, quo fructus erunt a solo separati: si secus factum fuerit, contractus sit irritus, nec possit emptor illius vigore fructus ipsos sibi vendicare, & si de facto illos abstulerit, eorum pretium Successori iterum solvere teneatur.

VIII.

Statuimus insuper, ut quisquis amodo ex Dioecesis nostræ Parochis ante diem

diem feſtum S. Joannis Baptiſtæ deceſſerit, in fructibus tunc pendentibus, & a ſolo nondum ſeparatis, vel eorum decimis nihil percipiat: ſed omnes illi fructus ad Succeſſorem pertineant. Qui vero poſt diem ipſum, vel etiam die ipſo S. Joannis Baptiſtæ deceſſerit, omnes illos fructus, eorumque decimas lucratus erit: ita tamen, ut fructus ipſi, immo & univerſa defuncti hæreditas ad portionem congruam Succeſſori, vel alteri Sacerdoti a Nobis approbando perſolvendam pro deſerviendo ipſi beneficio uſque ad diem S. Joannis Baptiſtæ proxime ſequentem remaneant obligata.

IX.

Si quis Clericus, aut Sacerdos cujusvis generis ſcripta ad Eccleſiæ rationem pertinentia occultarit, vel easdem ſuppreſſerit, iisdem, quibus bonorum Eccleſiaſticorum alienatores, ſubjiciatur pœnis.

XVI. De Regularibus.

ART. I.

REgulares, etiam exempti, cujuscunque ſint Ordinis, non aliunde, niſi ab Eccleſia noſtra Cathedrali Sacra Olea ſumant: & ſi curam animarum exerceant, etiam Synodo noſtræ Diœceſanæ interſint.

II.

Monachi, Monialesque omnes, cujuscunque Ordinis exiſtant, tempore probationis exacto, ſi legitimæ fuerint ætatis, Regulæ ſuæ profeſſionem expreſſam in Superiorum manibus quamprimum emittere teneantur. Alioqui e Monaſteriis excludi, beneficiisque ac officiis, & portionibus Monachalibus privari poſſint, ac debeant.

XVII. De Religioſis Domibus.

ART. I.

QUibus in Eccleſiis inſtauratione, vel reparatione opus eſt, eæ omnino ab iis, ad quos ſpectat, inſtaurentur, & reparentur. Similiter & ſacris veſtibus, ornamentis, ſupellectilique Eccleſiaſtica ad cultum Divinum neceſſaria inſtruantur, & inſtructæ conſerventur.

II.

Bona, & proventus ad Eccleſiarum fabricas pertinentia, ab earum Adminiſtratoribus ne ad alios, quam ipſarum Eccleſiarum uſus, convertantur: ac de iis, coram quibus oportet ſingulis annis rationes reddant: Nobis tamen prius monitis, ut, ſi opus eſſe viderimus, iis audiendis certos aliquos viros probos, ac peritos deputemus.

III.

Ubi, vel fundationis jure, vel alio probato inſtituto Hoſpitalia, vel alia loca ad pauperes peregrinos, aut ſenes, aut ægros, aliosve hoſpites excipiendos erecta extant, & fundationes, & inſtituta omnino ſerventur, quatenus per loci facultates licebit. In excipiendis autem, & alendis hujusmodi hoſpitibus, & diſtribuendis eleemoſynis ſyncere omnino, & extra omnem favoris ſpeciem ſe gerant Adminiſtratores. Neque id, quod ad unum aliquem pium uſum deſtinatum eſt, ullo modo in alium, etiam pium, uſum absque licentia noſtra in ſcriptis obtenta convertant. Alias expenſarum contra hæc factarum ratio nulla habeatur.

XVIII. De Teſtamentis.

ART. I.

CUrent Parochi, & Archi-Presbyteri, ut, ſi qua ad pias cauſas facta fuerint, legata, ea omnino impleantur. Negligentes vero implere ad Nos deferant.

II.

Notarii, qui Teſtamentis hujusmodi pia legata continentibus interfuerint, vel ea receperint, niſi ea infra tres menſes a die notitiæ obitus teſtatorum revelaverint, excommunicationis pœnam incurrant.

III.

Omnes Archi-Presbyteri, & eorum ſinguli quamprimum ſuorum Curatorum, aut Vicariorum aliquem e vivis excedere contigerit, ſtatim, & infra ſpatium viginti quatuor horarum diligentiſſime curent, certos, & indubitatos Nuntios ad Sigilliferum noſtrum, vel Promotorem deſtinare, qui illius obitum ipſis notificet, ne quid in præjudicium Eccleſiæ, aut noſtrum fieri, aut attentari queat.

XIX.

by Google

XIX. De Sepulturis.

ART. I.

ANte Solis ortum, & poſt ejus occaſum mortuos efferri, & ad ſepulturam recipi absque noſtra, vel Vicarii noſtri licentia prohibemus.

II.

Ne diebus Dominicis, aut Feſtis agantur anniverſaria pro defunctis, licet defuncti ipſi id præſcripſerint, ſed proximo præcedente die, quo pro ratione officii licuerit, celebrentur.

III.

In unaquaque Eccleſia ſingulis Dominicis anniverſaria, quæ per hebdomadem proxime ſequentem celebranda erunt, fidelibus denuncientur. Idem de ſeptimo, trigeſimo, & alio ejusmodi officio fiat.

IV.

Ne cuiquam, niſi Parocho proprio, liceat locum ſepulturæ aſſignare, aut in ejus abſentia Parocho viciniori.

V.

Omnes Chriſtiani, præſertim Laici in Cœmeteriis, non autem in Eccleſiis ſepeliantur, niſi de conſenſu Superiorum.

VI.

Humata ſemel corpora fidelium exhumari, & in alia quantumvis pia, & religioſa loca transferri ſine licentia noſtra prohibemus.

VII.

Qui autem ſunt publici Simoniaci, fiduciarii, hæretici, ſchismatici, venefici, ſortilegi, uſurarii, & qui ſibi manus violentas attulerunt, aut in duello ſuſcepto mortui ſunt, & qui ſubita morte præventi Paſchali tempore nec confeſſi ſunt, nec Euchariſtiæ Communionem ſuſceperunt, omnes denique infideles, & excommunicati Chriſtianæ ſepulturæ honore, locoque priventur. Qui autem eos ſepeliendos quacunque ratione procuraverint, excommunicatione feriantur.

VIII.

Pueri morientes ante Baptiſmum, ne omnino in cœmeteriis Eccleſiaſticis ſepeliantur, ſed in loco aliquo ſeparato, & eum in uſum aſſignato. Ubi vero in aliqua cœmeterii parte, vel angulo ſepeliri conſueverunt, illa pars, vel angulus a reliquo cœmeterio muro atque quamprimum ſecernatur, alioqui nec ibi ſepeliantur.

IX.

Parochi ne patiantur ullum ex ſuis inhumari in cœmeteriis Eccleſiaſticis ſine ſtatis & ſolitis cæremoniis Chriſtianorum, neque ipſi ſuo officio deſint: ſed pro ea, qua pollere debent, charitate in oves ſibi commiſſas, quas charos habuere viventes, mortuos ne deſerant, neve lucelli, ac pecuniolæ alicujus gratia officio ſuo deſint in pauperes, ſed eis, & ſepulturam, & alia extrema, prout moris eſt, inter Chriſtianos, gratis perſolvant.

X.

Ubi in circuitu Eccleſiarum incaſtellatarum ſunt cœmeteria, quæ inſtar viarum publicarum patent, curribus, & pecoribus non ſine eorum profanatione, detur diligenter opera, ut, vel pars cœmeterii aliquo muro ſepiatur, in eaque in poſterum ſola mortui inhumentur, vel, ſi id præ loci anguſtia fieri minime poſſit, locus alius in eum finem eligatur, & benedicatur; ut non deinceps in loco prophanis uſibus obnoxio mortui ſepeliantur.

XX. De Officio Parochi.

ART. I.

PArochi eos omnes, qui libros prohibitos tenent, ad Nos omnino deferant.

II.

Sedulo etiam curent, ut Bibliopolæ librorum, quos proponent, Inventarium illis exhibeant: caveantque, ne quos exponant, in quibus, vel contra bonos mores, & honeſtatem, vel contra orthodoxam fidem aliquid contineatur. Quod idem, ne ipſi Bibliopolæ facere audeant, ſub pœna confiſcationis omnium librorum ſuorum prohibemus.

III.

Ægrotos, etiam non vocati, viſant: ut eos ad Sacramentorum ſuſceptionem mature inducant.

IV.

Crebris cohortationibus in id maxime incumbant, ut populus ſibi commiſſus

missus ad Confessionem, & Communionem frequenter accedat.

V.

Parochus librum habeat, in quo omnium, qui in ejus Parochia sunt, nomina, & cognomina, & qualitates, & ætatem describat; in eoque deinceps annotet recenter natos, & mortuos: tum etiam in Parochiam habitatum venientes, & inde emigrantes. Quem librum Nobis, quoties petierimus, vel inspiciendum, vel describendum dabit.

VI.

Quoties Parochum ad aliam Ecclesiam transire contigerit, antequam a priore migret, libros tradat, in quibus eorum, qui baptizati, confirmati, Matrimonio juncti, & sepulti fuerint, nomina describi solent.

VII.

Advertant Parochi in Ecclesiis suis, ac etiam inter visitandum Archi-Presbyteri, an, qui Capellanias seu fundata altaria obtinent, fundationum oneribus satisfaciant: si quos negligentes compererint, ea de re Officiales nostros certiores reddant.

VIII.

Parochus quisque omnium Beneficiorum, Capellaniarum, & Altarium in Parochia sua sitorum, & fundatorum notam faciat exactam: eamque intra sex menses ad Nos deferri curet.

XXI. De Officio Archi-Presbyterorum.

ART. I.

PEnes se habeant Archi-Presbyteri librum, in quo Parochorum, Capellanorum, omniumque Sacerdotum, in suo Archi-Presbyteratu consistentium nomina descripta sint. Annotentque, quibus Ecclesiis, & beneficiis præsint, vel inserviant, a quibus ea obtineant, vel approbati sint, ad iis inserviendum, aut confessiones audiendum, neque liceat cuiquam quocunque prætextu beneficiis ullis inservire, quoquo modo, priusquam nomen suum Archi-Presbytero dederit, inscriptusque fuerit in ejus catalogo.

II.

Visitent singulis annis, & lustrent sibi subditas Parochias Archi-Presbyteri, comitante Procuratore Capituli, vel alio, quem elegerint, idoneo, & perito Sacerdote: inquirantque diligenter de vita, & moribus subditorum: Et advertant sedulo, num aliquid desit Ecclesiis, & illud statim suppleri curent. Eos tamen charitative excipiant Parochi, qui ne nimiis & superfluis sumptibus graventur, curent Archi-Presbyteri. Dividantur vero sumptus ex æquo in visitatos: refundantque singuli ei, qui visitantes hospitio exceperit, quod per schedulam Archi-Presbyteri manu signatam jubebuntur: eamque penes se reservent Visitatoribus generalibus tradendam.

III.

Agant Archi-Presbyteri serio tam cum Parochis ipsis, quam cum Scabinis, atque aliis piis viris cujusque loci, ut tractæ, quæ passim occurrunt, Cruces restituantur, & in locis celebrioribus novæ defigantur.

IV.

Teneantur omnes Parochi infra mensem a publicatione præsentis Statuti residere personaliter in suis Parochiis: non obstantibus quibuscunque licentiis, quas omnes revocamus, & revocatas declaramus, sub pœnis statutis contra non residentes in beneficiis curatis. Attendant vero diligenter Archi-Presbyteri, num quis forte huic Decreto non pareat, Nosque, vel Vicarium nostrum Generalem certiorem quamprimum reddant.

V.

Archi-Presbyteri in bannis, seu proclamationibus Matrimonialibus sub pœna decem francorum, ne dispensent quocunque prætextu; multo vero minus cæteri Parochi.

VI.

Inquirant Archi-Presbyteri sedulo, an fabricarum hospitalium, & locorum piorum redditus in alios usus, quam debeant, convertantur: si quem abusum repererint, ad Officiales nostros deferant, qui reliquam pecuniam in locorum reparationes, vel ornamenta converti curent.

VII.

Si qua sacra loca belli, vel temporis injuria diruta reperiantur, curent

Digitized by Google

Archi-Presbyteri eorum ſtatum, ſitum, nuncupationes, bona, redditus, & onera notare: Nobisque quamprimum, ſaltem intra ſex menſes, ſignificare: ut de translatione beneficiorum ſimplicium in iis locis exiſtentium decernamus, & contra illicitos bonorum Eccleſiaſticorum detentores procedamus.

VIII.

Omnibus Archi-Presbyteris, & eorum cuilibet præcipimus, quatenus nomina, & cognomina omnium Parochorum, & Vicariorum ſuorum ad Sacerdotium non promotorum, non reſidentium, nec non excommunicatorum, & publicorum concubinariorum, uſurariorum, & aliorum id generis damnatæ converſationis, ſi qui forſitan ſint, a domo Dei dejiciendorum, ad Fiſcales noſtros, omni excuſatione ſemota, infra duos menſes deferant.

IX.

Sciant Archi-Presbyteri ſe ideo aliis Presbyteris eſſe Prælatos, ut eorum ſaluti Nobiscum invigilent: utque eorum mores, actiones, verba, immo & omiſſiones, quo vicinjores illis ſunt, diligentius obſervent, ac delinquentes ad Nos, aut Officiales noſtros deferant. Idcirco officii ſui memores caveant, ne delinquentibus ipſis ullo pacto, ullove prætextu conniveant. Sed, ſi quis ex Parochis, aliisque ſubditis ſuis adverſus Decreta hæc noſtra, vel eorum aliquod, aut egerit, aut agere omiſerit, eum omnino deferant. Alias negligentiæ pœnas arbitrarias luant. Cujus negligentiæ, immo potius conniventiæ toties rei habeantur, quoties ab alio aliquo, priusquam ab ipſis, criminoſos deferri, & crimina probari contigerit.

XXII. De ordine ſervando convocatis in Capitulo rurali Archi-Presbytero, & Parochis, eorumque Vicariis.

ART. I.

SIngulis annis fiat Capitulum rurale, a quo nemo abſit ſine cauſa legitima, eaque Archi-Presbytero probata.

II.

Convocatis omnibus deferat unusquisque ſuas difficultates in ſcriptis ad Archi-Presbyterum: isque, quæ erunt gravioris momenti, ad Nos, aut Vicarium noſtrum deferat.

III.

In Eccleſia ſuo quisque loco ſedeat cum gravitate, & modeſtia ſuperpellicio indutus decenter cum pileo quadrato, & tonſura Clericali, quam Coronam vocant. Nemo ex Eccleſia diſcedat absque Archi-Presbyteri licentia, &, ut omnes bini, & bini in Eccleſiam convenire debuerunt ſequente Archi-Presbytero, ita & egrediantur eodem ordine, ſubſequente etiam Archi-Presbytero, qui ſolus ſtolam deferet.

IV.

Aſſidente menſæ Archi Presbytero, omnes aſſideant, ſurgente, ſurgant: nemo ad æquales hauſtus provocet ſocium, vel importunis ſermonibus lectorem impediat, aut adſtantes.

V.

In Miſſa cantent omnes modeſte, præeuntibus Cantoribus: nemo nimium feſtinet; in celebranda item Miſſa, quam omnes, ubi commode fieri poterit, celebrabunt, is ordo ſervetur, quem deſignaverit Archi-Presbyter ex ſcripto affixo, loco conſpicuo Eccleſiæ.

VI.

Liceat unicuique ſervata modeſtia, ſi quid habeat, quod correctione, vel mutatione egeat, illud proponere, neque ullam inde timeat ſibi conflandam invidiam.

VII.

Quod propoſitum erit: ſi tale ſit, quod expediri poſſit, extemplo illud ex conſilio Capituli, vel peritorum expediatur; ſi vero res maturiori examine egeat, ad Nos, aut Vicarium noſtrum referatur.

VIII.

Librum habeat Archi-Presbyter, in quo ſtatim deſcribi curet, & reſolutiones, monitionesque factas, ut ſupra dictum eſt, ſuoque ſigno, & Procuratoris ſui, item & Secretarii, quem elegerit, totum roboret, & confirmet.

IX.

Caveant diligenter Parochi, ne, quo tempore ipſi in unum convenientes debent efficacius ad virtutem populis præbere exemplum, majorem ruinæ anſam præbeant. Longe vero abſint omnes crapulæ, & ebrietates, diſcordiæ, contentiones; inter convivandum ſit unus

unus ſemper Lector, qui toto prandio ſelecta aliquot ex Sacris Literis capita, alta, & intelligibili voce legat, quem nemo interturbet.

X.

Omnibus exacte conſideratis, abſolutisque omnibus, dimittat omnes Parochos in pace Archi-Presbyter: neque cuiquam ante dimiſſionem exire liceat. Data, & accepta exeundi licentia, recedant unusquisque in ſuas Parochias: cauponas ne intrent, neve in iis compotationibus vacent.

XI.

Si quis autem adeo ſui ſit immemor, & negligens, ut inebrietur, ſtatim mulcta decem francorum emendetur ab Archi-Presbytero pro una vice, vel ulteriore etiam pœna pro ratione ſcandali; cedat vero ea mulcta Archi-Presbytero pro tertia parte, & Procuratori pro reliquis, in uſum Eccleſiæ Capitularis.

XII.

Novos Parochos ne ſumptibus gravent: neve ab iis in ingreſſu aliquid ultra decem francos exigant Capitulares, ubi hactenus conſuevit aliquid exigi: Ubi tamen ea conſuetudo non fuit, nihil omnino exigatur.

XIII.

Quas ex antiqua conſuetudine ſolvent in ingreſſu Parochi pecunias, in communem uſum recipiat Procurator Capituli: earumque rationem coram omnibus, qui intereſſe voluerint, reddat: viderintque Archi-Presbyteri, ne ſuperfluis ſumptibus conſumant, quod pro neceſſitatibus reſervatum oportuit.

XIV.

In Eccleſiis, ad quas ex antiquo convenire ſolent Parochi celebraturi ſuum Capitulum rurale, a Collatoribus, Scabinis, vel Parochianis tot altaria decenter inſtruantur, totque ſacræ veſtes, & ornamenta Miſſæ neceſſaria parentur, ut ſinguli Parochi Miſſam dicere poſſint: hoc, niſi factum fuerit, liberum ſit Archi-Presbytero, & Parochis aliam Eccleſiam ſibi bene viſam commodam eligere, & ad eam convenire.

XXIII. De eligendo Archi-Presbytero.

ART. I.

PRæmiſſa Miſſa de Spiritu Sancto, Dei timorem præ oculis habentes ex Parochis eum eligant in Archi-Presbyterum, qui, & vitæ probitate, & ſcientia cæteris prælucere poſſit, quique morûm gravitate, ſermone, & exhortationibus cæteros in officio continere poſſit. Illud autem maxime caveant, ne quem impudicitiæ ſuſpectum aſſumant.

II.

Electionem factam Archi-Diaconis, ut moris eſt, repræſentent, & perſonam; quo ab iis juxta Sacras Conſtitutiones diſcuſſio diligens, & exacta ſuper moribus, & doctrina electi, fieri poſſit.

III.

Archi-Presbytero confirmato, ut par eſt, Parochi obedient: alias caſtigandi pro meritis ab Officialibus noſtris.

XXIV. De Procuratoribus Capituli ruralis.

ART. I.

PRocuratores Archi-Presbytero adſint induſtria, opera, diligentia, &, ſi quid advertant mutandum, aut corrigendum, illud ſtatim referant Archi-Presbytero. Concubinarios, ebrioſos, &c. deferant, ut mature ſcandalis occurratur.

II.

Si quid pecuniæ in commune conferatur, & ipſi adminiſtrent, id fideliter faciant, ſingulis annis in Capitulo rationem reddant coram Archi-Presbytero, & Parochis adſtantibus.

III.

Is eligatur, qui & ſcientia, & vitæ probitate polleat, prudentiaque in negotiis adminiſtrandis valeat.

XXV. De Ludimagiſtris.

ART. I.

IN ſingulis Parochiis ſit Ludimagiſter, qui, & Ædituí officium agat, ſtipendioque aſſignato pro Ædituo fruatur; niſi pro utroque ſtipendium ſufficiens aſſignatum ſit. Parochi nemi-

Digitized by Google

nem ad hoc munus obeundum admittant, qui probatæ vitæ non ſit, & integræ famæ, habeatque in ſcriptis a Parochis, in quorum Parochiis habitavit, de vita, & moribus teſtimonium, ab eoque profeſſionem fidei Catholicæ omnino Parochus exigat, ante quam Scholas aperire ſinatur.

II.

Ludimagiſtri ſingulis diebus matutino tempore, congregatis diſcipulis, curent recitari per unum, aut plures ex pueris alta, & intelligibili voce Orationem Dominicam, Salutationem Angelicam, Symbolum Apoſtolorum, Præcepta Dei, & Eccleſiæ. Item antequam lectiones pomeridianas auſpicentur, brevi aliqua oratiuncula implorabunt Dei opem, Scholasque alia etiam oratiuncula terminabunt, ad gratias DEO Optimo Maximo agendas.

III.

Singulis feriis ſextis, aut Sabbatis matutina lectio erit ex Catechiſmo, quem curabunt diligenter mandari memoriæ a diſcipulis, crebroque repeti: & ſuper eo, diſputationibus frequentibus eosdem exercebunt Ludimagiſtri.

IV.

Teneatur Ludimagiſter per ſe, vel per honeſtum aliquem adoleſcentem deferre in ædes Parochianorum aquam benedictam pro more Chriſtianorum diebus Dominicis. Parochiani vero ejus laborem compenſabunt, & remunerabuntur, prout ſolet fieri ut plurimum in Diœceſi Metenſi.

V.

Teneantur omnes ſuos pueros mittere ad Scholas. Itaque a publico ſtipendium Ludimagiſtro ſolvatur, ut vere pauperes ab eo gratis, & ſine ſtipendio doceri poſſint. Prudentiæ autem Superiorum erit curare, ne ſub prætextu paupertatis ſinant a quoquam fraudari Ludimagiſtros ſuo minervali.

VI.

Parochiani (quod jam alias ſub pœna gravi ſtatutum fuit a Nobis) convivium ne extorqueant, ſub pœna arbitraria, ab Ædituis, aut Cuſtodibus Eccleſiæ: ſed ii gaudeant integro ſtipendio ſibi aſſignato: ſalvo tamen, quod ſupra dictum eſt, de hoc officio committendo Ludimagiſtris.

VII.

Ludimagiſtros, qui hoc muneris rite exercent, ad bonum publicum non mediocriter conducere nemo neget. Eos ergo, ut in hanc rem diligentius incumbant, immunes eſſe decet, & expedit, ab omnibus vectigalibus, & tributis.

VIII.

Conqueruntur multi ſe ob paupertatem Ludimagiſtros habere non poſſe. Ergo dum (quod nos brevi facturos ſperamus) aliter providebitur, ex reditibus Fraternitatum, mulctis non obſervantium dies feſtos, exque pane, & vino, quod plerisque locis in ſingulas familias circa Paſcha diſtribui ſolet, aliisque ejusmodi incertis, aliquid in poſterum, in eorum ſtipendium aſſignetur.

XXVI. De Obſtetricibus.

ART. I.

IN ſingulis pagis, & urbibus ſit una ſaltem obſtetrix bonæ, & illibatæ famæ. Ea, priusquam officio fungatur, juramentum præſtet ſolitum in manibus Paſtoris loci, doceaturque miniſtrare Sacramentum Baptiſmi, & cætera, quæ ei incumbunt aliquando, munia rite præſtare. Quod idem fiet in iis locis, in quibus plures conſtitui ſolent. Atque eæ in poſterum in obſtetrices ſolæ eligantur, quæ Catholicæ ſint, & integris moribus. Quod ubi non fiet, electam ne admittant Parochi.

II.

In nonnullis hujus noſtræ Diœceſis locis audimus obſtetrices Catholicas non absque fidelium ſcandalo, ac evidenti animarum ſuarum periculo, poſtquam hæreticis mulieribus parturientibus operam ſuam navarunt, infantes etiam ad hæreticorum baptiſmum deferre, eaque occaſione ipſorum ritibus, ac Miniſtrorum prædicationibus intereſſe. Cujus mali anſam præcidere cupientes, omnibus & ſingulis obſtetricibus diſtrictiſſime prohibemus, ne quorumcunque hæreticorum infantes ad eorum baptiſmum amplius deferant, neve eorum prædicationibus interſint. Prohibere tamen non intendimus, quominus mulieribus ipſis hæreticis parturientibus operam ſuam præſtent.

Man-

Mandamusque omnibus, & ſingulis Parochis, aliisque curam animarum gerentibus, ut hanc Conſtitutionem noſtram in Parochiis ſuis, ubi hæretici quivis habitant, publicent: ac publicationis notam Nobis, aut Vicario noſtro quamprimum præbeant.

XXVII. De Portione congrua.

CUm teneatur nemo ſuis ſtipendiis militare, & dignus ſit operarius cibo ſuo, dolemus Parochiarum in hac Diœceſi ut plurimum tam parvos eſſe reditus, ut Parochis alendis, oneribusque eorum ſuſtinendis non ſufficiant. Cui malo pro virili occurrere cupientes, portionibus, ut vocant, congruis aſſignandis viros aliquot ſpectatæ prudentiæ deputabimus, qui in eam curam diligenter æque, ac ſine cujusquam injuria incumbent. Eos ergo Parochis, quibus ea convenienter hactenus aſſignata non eſt, adire licebit.

XXVIII. De Decimis.

PErvenit ad Nos in hac noſtra Metenſi Diœceſi de jure percipiendi Decimas Novalium multas prodiiſſe querelas: quæ quidem undenam irrepſerint, non liquet; cum Jure Canonico ſatis conſtet. Ergo in poſterum, ubi hac de re difficultas extiterit, eam ex præſcripto Sacrorum Canonum terminabunt Officiales noſtri; ſalvo tamen per omnia jure eorum, quibus privilegiis Apoſtolicis, & indultis, jus eas percipiendi conceſſum eſt.

XXIX. De Judæis.

Art. I.

JUdæi, qui in hac Diœceſi verſantur, nota, & habitu a Chriſtianis diſtinguantur, prout in Civitate fieri ſolet: quod, niſi fecerint infra menſem, prohibeant Parochi ſuis Parochianis, prout Nos præſenti Conſtitutione prohibemus, ne cum eisdem Judæis omnino agere, aut aliquid commercii habere audeant ſub pœna arbitraria.

II.

Prohibeant iidem Parochi, & advertant, ne obſtetrices Chriſtianæ Judæis mulieribus in partu adſint. Item ne Chriſtiani Sabbato Judæorum ædes ingrediantur eorum rem domeſticam curaturi, neve ſub pœna excommunicationis & privationis ſepulturæ Eccleſiaſticæ, & Sacramentorum, ulli ex Chriſtianis eosdem Judæos lectionem librorum ab iis audituri adire ulla ratione audeant.

XXX. De Caſibus reſervatis.

ACcepimus a plerisque timoratæ conſcientiæ Paſtoribus, & Confeſſariis hactenus dubitatum de numero Caſuum Nobis per Conſtitutiones noſtras, & Prædeceſſorum noſtrorum reſervatorum, & efflagitatum, ut quinam ii eſſent, declararemus. Hoc ergo facturi ac tam Confeſſariorum, quam pœnitentium tranquillitati conſulere volentes, matura deliberatione præhabita ſequentes infraſcriptos exceſſus ſolos ex quamplurimis, Nobis reſervandos, cenſuimus, præter eos tamen, qui de jure communi Epiſcopis ſunt reſervati, quique peti poterunt ab Authoribus, qui de Caſibus conſcientiæ conſcripſerunt.

XXXI. Caſus Epiſcopo reſervati.

1. SI quis Sacroſanctam Euchariſtiam, venerandas Sanctorum Reliquias & Imagines malitioſe pedibus conculcaverit, vel alia inſigni contumelia affecerit, aut Chriſmate, Sacra Hoſtia, vel alia re ſacrata abuſus fuerit ad magicas artes, veneficia, ſuperſtitiones.
2. Si quis Patrem, vel Matrem ſponte & de induſtria percuſſerit.
3. Si quis homicidium voluntarium perpetrarit.
4. Qui prolem ſuam ſtudioſe ante partum, vel poſt, perimunt, vel opprimunt, illamque projiciunt vel exponunt Hoſpitalibus, vel alio loco.
5. Qui abortum procurant, vel aliquid dant mulieribus, ne concipiant.
6. Si quis Virgini vim intulerit.
7. Si quis inceſtum in primo, & ſecundo gradu, vel Sodomiam commiſerit, vel cum Judæa commiſceri præſumpſerit.
8. Si quis Matrimonium cum alia muliere, poſt ſponſalia jurejurando firmata, contraxerit.

9. Uſurarii manifeſti, & notorii, ſive in judicio convicti, ſive ita publice ad uſuram dantes, ut nulla tergiverſatione celari poſſit.
10. Perjuri de perjurio judicialiter convicti & condemnati.
11. Cogentes virgines, vel viduas invitas ingredi Religionem.
12. Bona Eccleſiaſtica alienantes, vel alienata recipientes, ſine eorum, ad quos pertinet diſpoſitio, licentia.
13. Falſarii literarum Epiſcopalium, vel Officialium, ſeu publicorum inſtrumentorum.

Pro Sacerdotibus & Clericis.

14. Omnes confeſſionum proditores peccatum in confeſſione auditum verbo, vel ſigno detegentes ex induſtria.
15. Concubinarii publici, & manifeſti.
16. Qui mulierem aliquam cognoſcit carnaliter, cujus prolem baptizavit, vel ejus confeſſionem excepit.

XXXII. *Statutum circa Divina, ſeu Eccleſiaſtica Officia ſervandum, pro quibus de jure retributio Parochis & Sacerdotibus a ſuis Parochianis competit.*

NE, quod ab inſigni populi Chriſtiani liberalitate, & devotione jam a ſæculis ſumpſit initium, & longa jam annorum ſerie invaluit, in ejusdem populi detrimentum recidat; neve Parochi refrigeſcente charitate multorum, quo jam inde a multis ſæculis jure potiti ſunt, priventur: matura deliberatione prævia, & iis perpenſis, quæ in diverſis noſtræ Diœceſis partibus obſervata ſunt, in ejusmodi Parochorum juribus exigendis, & ſolvendis, multorumque precibus inclinati confuſionem, & ſcandala, quæ hac in parte frequenter oborta deprehenduntur, tollere cupientes, præſenti Conſtitutione præcipimus, ne ullus ex Parochis ſub ſpecie prætenſorum ab iis jurium exigat ultra ſequentia a Parochianis, quæ ab omnibus noſtræ Diœceſis Paſtoribus, Vicariis, Scabinis, Ludimagiſtris, Ædituis, & Parochianis inviolabiliter in poſterum obſervari volumus, & præcipimus.

Ubi mos invaluit aliquid pro Baptiſmo infantum tribuere Sacerdoti, eidem pro Baptiſmo cujusque, qui primus poſt fontium Baptiſmalium benedictionem in Paſchate, & Pentecoſte fieri ſolitam baptizandus affertur, dentur tres groſſi.

Eidem a puerpera, cum poſt puerperium in Templum benedictionem acceptura venit, duo albi.

Eidem in Sponſalium ſolennitate, quinque groſſi.

Parocho item eidem ab eo ex ſuis Parochianis, qui in alia Parochia Matrimonium contrahit, pro Dimiſſorialibus, & Bannorum (ut vocant) proclamatione, duo franci tribuantur.

Parocho, in cujus Parochia contrahunt conjugandi, pro omni eo jure, quod competit, par Chirothecarum valentium quinque groſſos, & præterea duo franci.

Ubi Scabinis, aut Synodalibus, jus aliquod ex conſuetudine competit recipiendi vinum, ſeſtertius, ſeu cacabus, aut lebes (poculo tribus groſſis æſtimato) cenſetur ac taxatur in præſentia valore unius franci. Itaque vel hæc ſumma prædictis Scabinis, vel tanti æſtimatum vinum a ſolvere debentibus tribuatur, debitoribus optione alterutrius ſolvendi relicta.

Item Parocho ob funeralia & ſepulturam defuncti ſex groſſi.

Scholæ Magiſtro, ſeu Ædituo, qui in ejusmodi officio aſſiſtit Sacerdoti, duo ſolidi.

Singulis Sacerdotibus aſſiſtentibus prædictæ ſepulturæ, tres groſſi.

Pro quolibet Officio Sacro, quod ſive in fine menſis, aut trigeſimo die, ſeu Anniverſario, in quo tres Miſſæ ſolenniter cantantur, cum officio Defunctorum in pervigilio, item cum Commendatione, ut vocant, animarum; Sacerdoti dentur de jure tres franci.

Ad eundem Parochum etiam pertinebit, quod reliquum eſt cereorum, ſeu luminarium, niſi forte antiquo, ac præſcripto jure Eccleſiæ ipſi competeret.

Unicuique item Sacerdoti pro Miſſa ſolenni dabuntur novem groſſi.

Pro ſepulchri effoſſione in terra ſancta nihil.

Pro

Pro ſepultura tamen in Choro Eccleſiæ, ſi obtineatur nomine Defuncti ſeu viri, ſeu pueri, dabuntur decem franci, pro ſepultura autem in Navi ejusdem, dabuntur quinque franci: Atque utraque ſumma partim in Parochi, partim in fabricæ uſum conferetur: a quarum tamen ſolutione excipiendi erunt ii, quorum liberalitate, vel parentum prædefunctorum annui reditus Eccleſiæ eidem ſunt conceſſi, valoris decem francorum, aut dotatum Sacellum, aut ædificatum certe, aut factum tectum extat, quo caſu pro jure ſepulturæ in dictis locis Sacerdoti tribuatur unus francus.

Non licebit terram ſanctam ſepulturæ gratia aperire, niſi ex prævia Parochi licentia.

Quicquid oblationis nomine tempore Divini Officii hujusmodi prodibit, ad Parochum pertinebit.

Omnes tumbæ, ſeu lapides ſepulchrales, qui cujusnam ſint, ignorantur, ad Eccleſiam pertinebunt, nec eos in uſum prophanum convertere cuiquam licebit.

Sodales Confraternitatum, qui Miſſam ſolennem cantari cum Veſperis, tam in Feſto, quam pridie Feſti curabunt; tribuent Parocho octodecim groſſos.

Defuncto cuique, qui Pater-aut Materfamilias eſt, aut caput domus extitit, in Eccleſia Parochiali, providendum Eccleſiaſtici funeris ſubſidium cum Officio Vigiliarum, ut vocant, & Miſſa, & Commendationibus ſolitis: eoque nomine Parocho, vel ejus Vicario tribuentur triginta groſſi. Quo quidem Officio procurando, ſi negligentes hæredes, vel Executores teſtamenti viderit Parochus, eos officii commonefaciet, ac prædictis juſtis perſolutis, jus prætaxatum ab eis repoſcet.

XXXIII. Statutum ſervandum circa debitam Ludimagiſtro, ſeu Ædituo retributionem pro obſequio, vel comitatu, ſeu aſſiſtentia, quam in prædictis Parocho exhibet.

PRo officio trium Miſſarum ſolennium, & Vigiliarum cum animæ commendatione, unus francus tribuatur.

Pulſatoribus ſingulis ad pulſationem campanarum unius circiter horæ intervallo durantem neceſſariis, tres groſſi.

Idem præmium Ædituo, ſi Pulſatoris partes obiverit, debebitur, ſcilicet tres groſſi.

Inſuper ejus labor & ſolicitudo in explicandis & reponendis Eccleſiæ ornamentis, & pia aſſiſtentia in prædictis compenſabitur tribus groſſis.

XXXIV. Temporale Feſtorum, & Jejuniorum, obſervandorum per univerſam Diœceſim Metenſem. De præcepto Eccleſiæ, & noſtro.

JANUARII.

1. Die 1. Feſtum Circumciſionis Domini.
6. Epiphaniæ Domini.

FEBRUARII.

2. Feſtum Purificationis Beatæ Mariæ Virginis.
23. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
24. Sancti Matthiæ Apoſtoli.

Hoc feſtum annis Biſſextilibus 25. die celebretur, ejus vero Vigilia die 24. ſervetur.

Si feſtum ipſum feria 4. Cinerum acciderit, in ſequentem diem transferatur, ejus vero Vigilia, & Jejunium ipſa feria 4. Cinerum obſervetur.

MARTII.

25. Feſtum Annunciationis B. Mariæ Virginis.

APRILIS.

25. Feſtum Sancti Marci Evangeliſtæ, & abſtinentia a carnibus.

Si contigerit in Dominica, feſtum ipſum eodem die celebretur: Abſtinentia vero, Litaniæ, & Proceſſiones transferantur in ſequentem diem, & tunc uſque ad Proceſſionis finem ab operibus ſervilibus ceſſetur.

MAJI.

1. Feſtum Sanctorum Philippi & Jacobi Apoſtolorum.
3. Inventio Sanctæ Crucis.

JUNII.

23. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
24. Feſtum Nativitatis Sancti Joannis Baptiſtæ.
28. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
29. SS. Petri, & Pauli Apoſtolorum.

JU-

JULII.

22. Feſtum Beatæ Mariæ Magdalenæ.
24. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
25. Sancti Jacobi Apoſtoli.

AUGUSTI.

3. Feſtum Inventionis S. Stephani Protomart. Patroni Diœceſis hujus.
9. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
10. Sancti Laurentii Martyris.
14. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
15. Aſſumptionis B. Mariæ Virginis.
23. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
24. Sancti Bartholomæi Apoſtoli.

SEPTEMBRIS.

8. Feſtum Nativitatis B. Mariæ Virg.
20. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
21. Sancti Matthæi Apoſt. & Evangel.
29. Sancti Michaëlis Archangeli.

OCTOBRIS.

18. Feſtum Sancti Lucæ Evangeliſtæ.
27. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
28. Sanctorum Simonis & Judæ Apoſtolorum.
31. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*

NOVEMBRIS.

1. Feſtum omnium Sanctorum.
2. Commemoratio omnium Fidelium Defunctorum, ſervatur non ultra meridiem.

Quando hoc feſtum die Dominica inciderit, in ſequentem diem transferatur.

11. Sancti Martini Epiſcopi.
23. Sancti Clementis Epiſcopi Meten.
25. Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris.
29. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
30. Sancti Andreæ Apoſtoli.

DECEMBRIS.

4. Ad feſtum S. Barbaræ Virginis, & Martyris celebrandum horari populum, minime autem obligare Parochis licebit. Hortabuntur autem ii maxime, qui vel in Civitate, vel prope Civitatem habitant, vel circa pagum ab eadem Diva Barbara nuncupatum.
6. Feſtum Sancti Nicolai Epiſcopi.
8. Conceptionis B. Mariæ Virginis.
20. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
21. Sancti Thomæ Apoſtoli.
24. *Vigilia, & Jejunium de præcepto.*
25. Nativitatis Domini noſtri JESU Chriſti.
26. Sancti Stephani Protomart.
27. S. Joannis Apoſtoli & Evangeliſtæ.

Feſta mobilia.

Dies Veneris Septimanæ ſanctæ uſque ad meridiem.
Dies Paſchæ, cum duobus ſequentibus.
Dies Aſcenſionis Domini noſtri Jesu Chriſti.
Dies Pentecoſtes, cum duobus ſequentibus.
Feſtum Sanctiſſimi Corporis Chriſti.
Feſtum cujusque Eccleſiæ Patroni.
Feſtum item Dedicationis cujusque Eccleſiæ.

Jejunia ſervanda præter ſupradicta Vigiliarum.

1. Quadrageſimæ.
2. Quatuor temporum, quæ ſemper incipiunt: Prima, quarta feria immediate poſt Dominicam primam Quadrageſimæ: Secunda, poſt feſtum Pentecoſtes: Tertia, poſt feſtum Exaltationis Sanctæ Crucis: Quarta, poſt feſtum S. Luciæ Virginis & Martyris.
3. Vigilia Pentecoſtes.

In Rogationibus, id eſt, tribus diebus ante feſtum Aſcenſionis Domini a carnibus abſtinendum.

Metis, ex Typographia Abr. Fabert. Exemplar commodavit Trevirenſe Collegium.

FINIS.

Digitized by Google

SYNODUS DIOECESANA ANTVERPIENSIS,

Eodem Anno Chriſti MDCX.

MENSE MAJO CELEBRATA,

Præſidente in ea Rmo in Chriſto Patre, & Domino, D. JOANNE MIRÆO, (*) Epiſcopo Antverpienſi.

INDICTIO SYNODI DIOECESANÆ ANTVERPIENSIS.

JOANNES MIRÆUS, DEI ET APOSTOLICÆ SEDIS GRATIA Epiſcopus Antverpienſis, univerſo Clero, & populo Civitatis & Diœceſis noſtræ, Salutem in Domino.

CUm ex Sacrorum Canonum, & Concil. Trid. inſtituto, quotannis Synodum Diœceſanam, ad moderandos mores, corrigendos exceſſus, aliaque ab iisdem Canonibus præſcripta rite peragenda, celebrari oporteat, idque vel tum maxime non negligi deceat, cum Concilii Provincialis ante habiti Decreta publicationem executionemque deſiderant: pro Epiſcopalis noſtri officii munere, de conſilio Capituli noſtri Cathedralis, Synodi Diœceſanæ Indictionem, quam hactenus, & temporum injuria, & inconſtans rerum publicarum ſtatus, aliæque cauſæ remoratæ ſunt, ulterius differendam non eſſe arbitrati ſumus.

Decernimus itaque Concilium Diœceſanum celebrandum eſſe Feria tertia poſt Dominicam quartam poſt Paſcha, quæ erit dies undecima menſis Maji anni præſentis: dictumque Capitulum noſtrum Cathedrale, RR. DD. Abbates, Abbatiſſas, Præpoſitos, Capitula Eccleſiarum Collegiatarum, Archi-Presbyteros rurales, Priores, Prioriſſas, Paſtores, Paſtoratuumque Deſervitores, cæterosque omnes, qui Canonum jure, Eccleſiaſticis Sanctionibus, Trident. Concil. Decreto vel conſuetudine, aliave ratione Synodo prædictæ intereſſe debent, monemus, & in virtute S. Obedientiæ, ac ſub pœnis a ſacris Canonibus ſtatutis, diſtricte jubemus, ut ſtatuta die, hora ſeptima matutina ad Synodum in Eccleſia Cathedrali celebrandam in habitu decenti conveniant, audituri legitimam Publicationem Decretorum Concilii Provincialis Mechlinienſis anno Milleſimo ſexcenteſimo ſeptimo habiti, Deciſionemque eorum, quæ inſuper ad animarum ſalutem, Cleri diſciplinam, totiusque noſtræ Diœceſis reformationem ſtatuenda exiſtimabimus. Intimantes eisdem, quod ſive abſentes, ſive præſentes fuerint, die horaque præſcriptis, Nos nihilominus ad Synodi celebrationem procedemus, eorum abſentia non obſtante; quam juris pœnis proſequemur, emendarique curabimus. Declarantes inſuper, abſentes ad Decretorum hujusmodi obſervationem, perinde atque præſentes, fore obligatos. Quo autem facilius hæ noſtræ literæ ad omnium, ad quos ea res ſpectat, notitiam perveniant, earum exempla ſigillo noſtro munita, & a Secretario noſtro ſubſcripta, valvis Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, nec non Collegiatarum Sancti Gummari Liræ, Sancti Petri Turnauti, & Sanctæ Catharinæ Hoogſtrati, affigi volumus; ac eos, quos concernunt, ſic arctari declaramus, ac ſi ipſismet coram lectæ forent hæ litteræ, ac inſinuatæ. Datum Antverpiæ in Aula noſtra Epiſcopali, Anno Domini Milleſimo ſexcenteſimo decimo, menſis Martii die vigeſima nona.

De mandato Rmi Domini Epiſcopi Antverpienſis.

F. VAN DEN ZYPE, Secret.

JOAN.

(*) *Vide ſub finem Synodi.*

Digitized by Google

JOANNIS MIRÆI, Epiſcopi Antverpienſis, ORATIO

Ad Clerum habita in Synodo Diœceſana Antverpiæ, M.DC.X.

QUerebatur olim D. Gregorius (*a*) Pontifex vere magnus, ſe, Clerumque ſuum *annos ſeptem & viginti inter Longobardorum* Arianorum *gladios vitam trahere; multaque, ut inter illos vivere poſſint, ab Eccleſia quotidianis diebus erogari.* Hinc & illæ ad Mauritium Auguſtum (*b*) voces: *O tempora, o mores! ecce cuncta in Europæ partibus barbarorum juri ſunt tradita, deſtructæ urbes, everſa caſtra, depopulatæ Provinciæ: nullus terram cultor inhabitat; ſæviunt & dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum.* Quam calamitatum cauſam ſcrutatus, Sacerdotum gravioribus delictis adſcribendum eſſe his verbis teſtatur: *Quis*, inquit, *ferociſſimæ gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate graſſaretur, niſi vita noſtra, qui Sacerdotes nominamur & non ſumus, a praviſſimis gravaretur operibus? Sed dum nos competentia nobis relinquimus, & nobis incompetentia cogitamus, peccata noſtra barbaricis vitiis ſociamus, & culpa noſtra hoſtium gladios exacuit.* Demum, tanto Doctore (*c*) dignam pronuntiat ſententiam: *Flens dico, & gemens denuntio; Cum Sacerdotalis Ordo intus cecidit, foris quoque diu ſtare non poteſt.*

Si meminiſſe lubet eorum, quæ potiſſimum ab anno ſuperioris Sæculi ſeptuageſimo nono, ad hoc fere uſque tempus, in noſtra Diœceſi vidimus & ſenſimus; non inferiori numero, nec crudelitatum genere minori, ab Iconomachis & Calviniſtis ſævitum in nos reperiemus. Cauſam voluimus? Quam vereor, ne hæreticorum in nos gladios vita, moresque noſtri (utar D. Gregorii verbis) exacuerint; & peccata noſtra, inimicis Eccleſiæ robur addiderint. Ea etenim juſtitiæ Divinæ ſemper obſervata ratio, ut quandocumque Sacrati Deo, vocationis immemores, ad ſcelera delapſi, ſalutaribus monitis aures, pectoraque clauſiſſent, atrociſſimis hoſtibus, tamquam indignantis & ſævientis Dei Miniſtris, Regna, Templa, & Sacerdotes miſerrime caſtigandi traderentur. Teſtes decem Tribus Iſraël a Salmanaſare oppreſſæ. Audite Michæam: (*d*) *Cauſa veſtri* (de Sacerdotibus loquitur) *Sion quaſi ager arabitur; & Jeruſalem quaſi acervus lapidum, & mons Templi in excelſa ſilvarum.* Neque in his ſtetit indignatio Divina: ſecutæ reliquæ Tribus duæ peccata priorum decem, ſenſerunt eamdem vindicem Dei manum per Nabuchodonoſorem, in duriſſima Babylonica captivitate. Cauſam Jeremias (*e*) tradit: *Quia ſtulte egerunt Paſtores, & Dominum non quæſierunt, propterea non intellexerunt, & omnis grex eorum diſperſus eſt. Vox auditionis ecce venit, & commotio magna de terra Aquilonis, ut ponat civitates Juda ſolitudinem & habitaculum draconum.* Sed & Judas Machabæus (*f*) dum deplorat, quod *Sacerdotes jam non circa altaris officia dediti eſſent, ſed contempto Templo & Sacrificiis neglectis feſtinarent particeps fieri paleſtræ*, ſatis ſuperque denuntiat, non niſi ob rerum Divinarum neglectum ædem Salomonis corruiſſe; & in improbiſſimi Antiochi efferatam tyrannidem Iſraëlem incidiſſe. Cæterum inter Sacerdotum vitia, quæ ad indignationem & vindictam Deum ſolent provocare, tria potiſſimum in Sacris Paginis recenſentur: Ignorantia videlicet, Divini cultus neglectus, vitioſique Clericorum mores. De ignorantia diſertum dat teſtimonium ipſe Dominus per Oſeam: (*g*) *Quia tu ſcientiam repuliſti, repellam te, ne Sacerdotio fungaris mihi.* De Divini cultus neglectu exclamat Ezechiel: (*h*) *Sacerdotes contempſerunt legem meam, & polluerunt ſanctuaria mea, inter ſanctum & profanum non habuerunt diſtantiam, & a Sabbatis meis averterunt oculos ſuos: & quæſivi de eis virum, qui anteponeret ſepem, & ſtaret oppoſitus contra me pro terra, ne diſſipem; & non inveni.* Quis vero dubitare poteſt, irreligioſam Clericorum vitam Dei iracundiam accendere? cum id palam demonſtret Jeremias: (*i*) *Non crediderunt habitatores urbis, quoniam ingreditur hoſtis propter peccata Prophetarum, & iniquitates Sacerdotum ejus.* Et Malachias: (*k*) *Ad vos mandatum hoc o Sacerdotes: Si nolueritis ponere ſuper cor, ut detis gloriam Nomini meo, ait Dominus exercituum, mittam in vos egeſtatem, & maledicam benedictionibus veſtris. Vos receſſiſtis de via, & ſcandalizaſtis plurimos de lege: propter quod & ego dedi vos contemptibiles & humiles omnibus populis.* Vos ego nunc appello, qui ad cœtum hunc conveniſtis, qui vel coram Belgicorum tumul-

(*a*) *Gregor. Lib. 4. epiſt. 34.* (*b*) *Lib. 4 epiſt. 32.* (*c*) *Lib. 4 ep. 55. & Lib. 5. ep. 7.*
(*d*) *Mich. 3.* (*e*) *Jerem. 10.* (*f*) *2. Macbab. 4.* (*g*) *Oſe. 4.*
(*h*) *Ezech. 22.* (*i*) *Jerem. 4.* (*k*) *Malach. 2.*

multuum initia conſpexiſtis, vel a Majoribus ſacrilegam hæreticorum audaciam didiciſtis; non intuemini inſcitiam, & deſpectam in Officiis Divinis reverentiam, & collapſam in Clero ſanctioris vitæ integritatem, miſeriarum omnium Iliadem nobis peperiſſe? Quid? an non uberius calamitatum Oceanus exundavit, & cœleſtes minæ in Patriam noſtram conſpirarunt, quando Antiſtitum ſuorum ſaluberrima Decreta, & ſanioris conſilii monita Clerus non admiſit?

Dum Majorum & Prædeceſſorum meorum geſta memoria recolo, ſerioque diſcutio, illud inter cætera obſervo; inſignem plerumque calamitatem mox ſubſecutam fuiſſe, quando vitæ, morumque Cleri reformatio a Superioribus propoſita, neglecta extitit, aut contempta. Annales, ſi placet, evolvite. Quinto & ſexageſimo elapſi Sæculi anno Sacroſanctæ Tridentinæ Synodi Decreta ſunt promulgata; in quibus dum Eccleſiaſticæ vitæ profeſſoribus diſplicent plurima, nec æquis animis paterentur licentiam ſuam tam piis conſtitutionibus coerceri, ac proinde flocci penderent, quod Eccleſiæ Orthodoxæ & orbis ſenatus ſummo judicio & auctoritate ſtatuiſſet, juſtus mox ultor adfuit Deus. Anno enim proxime inſequenti, perpauci, atque ii obſcuriſſimi viliſſimique nebulones, auguſtiſſimum hoc noſtrum Deiparæ Templum, aliaque hujus & aliarum urbium loca ſacra, confractis Divorum imaginibus, everſisque altaribus, inſolentiſſime diripuerunt ac profanarunt.

Anno CIↃ. IↃ. LXVII. in hanc urbem venit Illuſtriſſimus D. Maximilianus a Bergis, Archi-Epiſcopus Cameracenſis: qui cum in Presbyterorum cœtu, gravi oratione ſuperioris anni ruinas, Templorumque clades, oſtendiſſet ob Divini cultus neglectum a Deo permiſſas, novis Statutis veteres, corruptosque mores corrigere aggreditur, ſed dum pii Parentis conatus retardantur, eodem ipſo anno Martius furor in pacatiſſimam Brabantiam erupit: quin & in agro noſtro ſuburbano intonuit, Scaldis fluvii aggeribus a Tolouſio hæreticorum anteſignano ad Auſterwelium occupatis. Subſecuta ſtatim nox illa temporum (horret meminiſſe) cum XV. fere millia Calviniſtarum pontem Merium occuparunt, & grandioribus tormentis bellicis omnes illius aditus munierunt; armatique per Templa ac Monaſteria poſtmodum diſcurrentes, Sacerdotes ac Monachos ædibus ſuis depulerunt ac profligarunt.

Quis a lacrymis ſibi temperet, qui Rmi Sonnii tempora (*l*) intuebitur? Primus hic Antverpienſium Præſul, cum Provinciali Concilio Mechliniæ interfuiſſet, & in urbe inſuper ſua Diœceſanum celebraſſet, præclara multa utriusque Synodi ſtabilita ſuffragiis promulgavit; quæ dum negliguntur aut ſeponuntur, paucis poſt obitum ejus menſibus, alia rerum turbatio exoritur: & ne quid ad miſeriarum cumulum deeſſet, ab ipſis etiam præſidiariis militibus (*m*) idem Clerus bonis ſpoliatur, anno nimirum decimo ab eo, quem Iconoclaſticum omnis poſteritas nominabit & deteſtabitur.

Exorta deinde tempeſtas omnium graviſſima, qua omnis Eccleſiaſticus ordo ipſo Dominicæ Aſcenſionis die (*n*) a Calviniſtis captus, atque in exilium ab hac urbe pulſus eſt. Exinde ſtatim tantus hæreticorum paſſim in Deum, Sanctos, Templa, Altaria, Sacerdotes, Monachos, eorumque facultates, ſubſecutus eſt furor & rabies vere diabolica, ut vix unum ſciam Templum in hac Diœceſi, quod impie barbareque non fuerit violatum. Quid perinde Chriſtiano ſanguine exundantes agros referam? in ferarum ſpeluncas, Divorum, & bonorum domicilia commutata? vaſtitatem & ſolitudinem fecundiſſimæ regioni plurium annorum invectam? tot antiquitatis monumenta diruta? Quod denique miſeriarum & calamitatum genus, quo florentiſſimum hoc quondam Belgium non fuerit exagitatum? Quot, quantique caſus capitibus noſtris imminent, dum religioſe inſtituta negligimus aut violamus? Juſto enim judicio Deum ſentit per ſuos hoſtes vindicantem, qui benignam Matrem Eccleſiam per ſuos Superiores non audit monentem. Fuere tamen (ut ſcio) in tantis tribulationum fluctibus non pauci melioris vitæ Sacerdotes, & inter populorum ſuorum cadavera ſtantes Danieles, (*o*) & clamantes: *Peccavimus, iniquitatem fecimus, impie egimus, & receſſimus, & declinavimus a mandatis tuis ac judiciis: non obedivimus ſervis tuis Prophetis, qui locuti ſunt in nomine tuo. Tibi, Domine, juſtitia; nobis autem confuſio faciei.* Et certe niſi piorum precibus & lacrymis benignas aures Dominus commodaſſet, forte ut Sodoma & Gomorra periiſſemus. Verum iis placatus, ſuſtulit a nobis jugum inimicorum noſtrorum. Inſultantem enim orthodoxæ veritati Calvinianam perfidiam repreſſit, & cum Farneſiana ſigna glorioſus miles in urbem retuliſſet, ipſa etiam Religionis trophæa erexit.

Sed utinam juſte flagellati, vere etiam fuiſſemus emendati! At vero dum magnus ille Lævinus Torrentius, ſecundus hujus urbis Epiſcopus, magno religionis zelo exequi-

(*l*) *A.* 1570. (*m*) 1576. (*n*) 1579. (*o*) *Daniel.* 9.

equitur, quæ ſui ſunt muneris, reperiretque adverſantes eos, quos in laboribus ſocios, & in agro Dominico fecundando debuerat habere concolonos; eodem ipſo tempore (*p*) oppidum Bredanum ab hoſte intercipitur, qui ad præcedentem uſque annum totam hanc Diœceſim fecit tributariam, omnesque Clericorum tam foris, quam in oppidis reſidentium facultates diriſſimis exactionibus reddidit obnoxias. Quisquamne veſtrum tacite hæc ſecum examinans, ac tempora temporibus conferendo ſerio expendens, alterum (ut dixi) alterius cauſam extitiſſe non animadvertat? nec populum Clero paruiſſe, quod is nec ſuis obtemperaſſet majoribus? ſorduiſſe agros tribulis, & in campis fertiliſſimis zizaniorum manipulos agricolam meſſuiſſe, quia ſacrarum ædium viluerat cultura, & fecundior ibi vitiorum ſeges inveniebatur, ubi virtutum proventus uberior enaſci debuiſſet?

Reſpirare nunc aliquantulum, & a nuperis induciis ſolatium aliquod impetraſſe videmur; patent enim liberi in finitimos agros egreſſus: quæque a narrantibus tantum diſcere cogebamur, coram licet intueri, ut collapſa inſtaurare, integra exornare, ac labefactatam diſciplinam curare, melius tutiusque valeamus. Verum etſi ſpes aliqua affulgeat, quæ meliora omnia, ſecuriora, & tranquilliora polliceatur; ne tamen in utramque aurem dormiamus, tranquillitatem hanc Divina Bonitas ita temperavit, ut una manu olivam, altera gladium oſtentare videatur. (*q*) Olivam, ſi imitatores Apoſtolorum, Eccleſiam Dei, dum pacem habet, in timore Domini ædificemus. Gladium vero, dum nos exteris domeſticisque hoſtibus cinctos relinquit, ut habeamus perpetuo, quod metuamus; virgæ furoris, qua ſuos caſtigare ſolet, velut ad terrorem nobis ante oculos poſita. Si quæ nos quotidie circumſtant, inſpiciamus; eſt ſane quod cum timore cautius vigilemus. Nam ut vulgatiſſima præteream, & antiqui vulneris cicatrices nova recordatione non exulcerem; quis Pater lacrymarum imbre non madeat, & recentibus ſemper doloribus lancinetur, dum e gremio ſuo ereptas proles meretricio ſinu videt confoveri, & adulterino lacte paſci filios electionis in vicinis urbibus, Breda, Berghizoma, Guilielmopoli, & Steenberga, eosque ſub Calvinianæ perfidiæ jugo audit gemere? libereque per totam iſtorum oppidorum viciniam hæreſeos venena incautis animis cernit inſtillari? An non adſunt indies in urbis noſtræ viſceribus, qui variis libellis, verborumque de veritate digladiationibus, falſæ doctrinæ virus paſſim diffundunt? qui curioſis obtutibus actus moresque obſervent, ut ſi vel nævum in Sacerdote conſpexerint, de paricidio accuſent? Sudant ſub illorum prælis chartæ, blaſphemiarum teſtes & impietatis nutrimenta; nihil denique omittunt, quo hæreſim propagent, Religionem orthodoxam exoſam faciant, & ejusdem propugnatores infament.

Magna profecto ex his omnibus videmus nobis imminere pericula: contra quæ, & alios omnes nefarios hoſtium Eccleſiæ conatus, ut muniti & ſtabiles perſiſtamus: imitemur veteris Teſtamenti Sacerdotum veſtigia, qui dum ſeſe ob inſcitiam, rerum Divinarum neglectum, pravosque mores, ſedibus ſuis cernunt ejectos, pacem nacti oppoſitis virtutibus Divini numinis iram placare, ſuumque regnum ſtabilire laborarunt. Impius Rex Achab ita omnem cultum Divinum proſtraverat, ut Helias (*r*) *zelo zelatus pro Domino Deo exercituum animæ ſuæ peteret mori:* ſed impetrata pace ſucceſſor Regni Ezechias (*s*) *mandat populo habitanti Jeruſalem, ut darent partes Sacerdotibus & Levitis, ut vacarent legi* Dei: in qua inſtructi populum erudirent. Judæi a captivitate Babylonica reduces, (*t*) *noluerunt manducare de Sanctis Sanctorum, donec ſteret Sacerdos doctus & eruditus.* Quid mirum cum Sacerdotis ſit officium (teſte Domino per Malachiam (*u*)) alios docere: *Labia Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirunt ex ore ejus.* Quod quidem ad novæ legis Paſtores maxime pertinere, ipſi Apoſtoli (*x*) in unum congregari definierunt. *Non eſt æquum nos derelinquere verbum Dei, & miniſtrare menſis; nos vero miniſterio verbi inſtantes erimus.*

O quam latus ſeſe campus aperit, in quem uniuscujusque induſtria poteſt excurrere, & ampliſſimos referre manipulos animarum; ut prædicatione verbi Dei reparari valeat, quod libertas & inſcitia devaſtarunt. An non contemplamini, quam multi paſſim ſint extra urbis pomeria, qui ſitiunt atque eſuriunt verbum Dei? præſertim qui Parochorum hactenus ſolatiis deſtituti, de Religionis noſtræ myſteriis vix umquam inaudierunt, aut qui temporum potius injuria, quam ſuo vitio in hæreſim inciderunt? aut qui ex variis diſceptationibus, quibus aures inter hæreticos converſantium quotidie obtunduntur, in vera Religione vacillant? aut qui ſugillant, quod ignorant, agnitamque etiam veritatem pertinaci ſtudio impugnant? O quantum, Fratres, in hujusmodi animarum

(*p*) *A.* 1591. (*q*) *Act.* 9. (*r*) 3. *Reg.* 19. (*s*) 2. *Paralip.* 31.
(*t*) 2. *Eſdr.* 7. (*u*) *Malach.* 2. (*x*) *Act.* 6.

bus lucrifaciendis poteſt ſolida eruditi Concionatoris prædicatio!

Expergiſcimini, ſi qui forte negligentiæ ſomno hactenus torpuiſtis, Sacrarum Literarum cognitionem comparare. Nihil indocto Sacerdote contemptibilius, nihilque tam ipſi, quam Eccleſiæ magis noxium. Indoctus namque Paſtor, cum alios docere non poſſit, quod ipſe non didicit, ignorantiæ tenebris obcœcatos ſuos relinquens ſubditos, cum ipſis tenebroſis mancipatur carceribus. Ignorans enim ipſe ignorabitur. Unde in eos invectus merito exclamat Iſaias: (y) *Speculatores ejus neſcierunt univerſi, canes muti non valentes latrare.* Ideoque prudenter ſtatutum ab ipſis Apoſtolis: (z) *Presbyter, qui pietatem non docet, ſegregabitur; & ſi in ſocordia perſeveret, deponatur.* Si vero temeritate quadam præſumant imperiti alios docere, animas audientium occidunt; ſimiles puero Eliſæi, (a) qui parans pulmentum filiis Prophetarum, & vim herbarum ignorans, colocyntidas agri collegit, ollæque imponens, omnes veneno ſuſtuliſſet (unde & clamabant: *Mors in olla*) niſi ſingulari ipſius Eliſæi virtute fuiſſent præſervati.

Enimvero, ſi umquam, nunc vel maxime in omni ſcientia exercitatos Paſtores Eccleſia noſtra ſibi vendicat, quam ſciolorum quotidie curioſis quæſtionum argumentis audacia vellicat; & cum Scripturas tantum erepent, viciſſe ſe jactitant, ſi ab imperitioribus orthodoxa reſponſa non impetrant. Familiare hoc omnibus hæreticis fraudes ſuas verbo Dei palliare: ut D. Hilarius, Irenæus, aliique Sanctiſſimi Patres obſervarunt, & poſteritatis bono ſcriptis conſignarunt. *Memento* (inquit D. Hilarius [b]) *neminem hæreticorum eſſe, qui ſe non ſecundum Scripturas prædicare, ea, quibus blaſphemat, mentiatur: omnes Scripturas ſine ſenſu loquitur.* Et contra hos ſi obmuteſcat Paſtor, quanta ovibus calamitas imminet? cecidiſſe ductores ſuos credunt, ſi referire adverſarios non poſſint. Non minus docte, quam vere ſenſit hoc Innocentius Pontifex, (c) cum ait: *Error, cui non reſiſtitur, approbatur; nec caret ſcrupulo ſocietatis occulta, qui manifeſto crimini deſinit obviare.* Quid Hieronymus? (d) *Sancta* (inquit) *ruſticitas ſibi prodeſt: & quantum ædificat ex vitæ merito Eccleſiam Chriſti, tantum nocet, ſi deſtruentibus non reſiſtat.* An non magnus ille Gentium Apoſtolus (e) Titum voluit *amplecti fidelem, qui ſecundum doctrinam eſt ſermonem, ut potens eſſet eos, qui contradicunt, arguere?* Et ſi Petrus (f) exoptavit Chriſtianos *ſemper eſſe paratos ad ſatisfactionem omni poſcenti rationem de ea, quæ in ipſis eſt fide & ſpe;* multo magis id exigitur a Sacerdote, cujus eſt in lege Domini die ac nocte meditari. An non eſt riſui, & merito explodi ſolet, quisquis artis aut ſcientiæ alicujus Magiſtrum ſe profitetur, cujus principia aut præcepta ignorat? Raro fidei eſt ornamento, ſubjectis utilis, quem ſacrarum rerum imperitia deſpicabilem facit. *Attendite* igitur vos Dei Miniſtri (Paulo (g) monente) *lectioni, exhortationi & doctrinæ.* Amate ſcientiam Scripturarum, & vitia carnis (teſte Hieronymo) non amabitis.

Sed nec minor nobis Divini cultus atque officii Eccleſiaſtici cura eſſe debet, ne iterum e domo orationis, tamquam ea indigni, ab irato Numine depellamur. Scimus in veteri lege ex duodecim unam tribum Levi delectam, quæ ſpeciali cultu tabernaculo Dei, aliisque ſacrificiis ritu perpetuo deſerviret. Atque id Sacerdotibus per Joëlem (b) injunxit Deus, *ut plorent inter veſtibulum & altare, dicentes: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, & dominentur eis nationes.* Hoc ſuum eſſe munus ipſi Diſcipuli agnoverunt, cum dicerent: (i) *Nos vero orationi inſtantes erimus.* Hoc ipſum in Lateranenſi (k) & Tridentino (l) Conciliis Generalibus præceptum Clericis, *ut per ſe diſtincte, reverenter, & devote. Officium Divinum adimpleant.* Quod dum facimus, Deo placemus, Angelos lætificamus, nos ipſi pietatis fructus ferimus, audientibus ſpiritum devotionis ingerimus; & ſi quis infidelis, hæreticus, aut idiota templum intret, fateri cogitur, Deum eſſe in medio talium Eccleſiæ Miniſtrorum. Habent enim reverenter celebrata Eccleſiæ Cantica vim iſtam & energiam, ut, neſcio, quo pietatis ſenſu præſentium animos mulceant, & ſalutarem eliciant imbrem lacrymarum. Auguſtinum (m) audite: *Flebam* (inquit) *uberius, in Hymnis & Canticis ſuave ſonantibus Eccleſiæ vehementer affectus; voces illæ influebant auribus meis, & eliquabatur veritas in cor meum, & fluebant lacrymæ, & mihi bene erat cum eis.* Dabitis mihi veniam, ſi & hic iterum vel in admiratione ſim vehementior, vel in increpando acerbior. Pervadit enim doloris gladius animum meum, dum Officium Divinum resque ſacras tam negligenter & irreligioſe quibusdam in locis

(y) *Iſa.* 56. (z) *Can.* 58. (a) 4. *Reg.* 4. (b) *Hilarius contra Conſtant. Auguſt. Irenæus lib.* 1. *contra hæret. c.* 1.
(c) *Diſt.* 83. *cap. eodem.*
(d) *Hieron. ad Paulinum Presbyterum.*
(e) *Tit.* 1. (f) 1. *Pet.* 3.
(g) 1. *Tim.* 4. (h) *Joel.* 2. (i) *Act.* 6. (k) *Cap.* 17.
(l) *Seſſ.* 24. *de Reform. c.* 12. (m) *Auguſt. lib.* 9. *Confeſſ. c.* 6.

video peragi atque tractari. Ad altare Dei ſtantes videbis ſubinde Sacerdotes ſine ullo pietatis ſenſu; ſordent ſitu aræ, & viliſſimus Sacerdotalis amictus nauſeabundum ſæpe facit ſpectatorem. Audies nonnumquam quosdam tamquam ſcutica diabolica agitatos preces Canonicas percurrere. Quantis exiſtimatis cachinnis, opprobriisque ſtatum noſtrum exponi, dum hæc aliter ſentientium mordax temeritas calumniatur? quanto gemitu deplorari, dum iſta Catholicorum huc commeantium pietas ſpectat? quibus id fere accidere ſolet, ut dum ſacras noſtras ædes accedunt, fructum ibi aliquem ac devotionis guſtum, ut putabant, percepturi, e contra indignabundi recedant. Dicam, quod ſentio: Deo & Eccleſiæ quodammodo videmur contumelioſi, Sanctis Angelis triſtitiam parimus, hæreticis exſultationem, Catholicis verecundiam, malignis ſpiritibus gaudium, dum Eccleſiaſtica miniſteria tam parum devoti adminiſtramus. Videte, ſeduloque perpendite; quam multa, nec levia in uno opere peccata reperiuntur. Socordiæ reos nos facimus, teſtante Propheta: (n) *Maledictus homo, qui facit opus Dei negligenter.* De injuſtitia accuſabimur, qui beneficium propter officium collatum non ignoramus. Barnardum (o) audite: *Sumptus Eccleſiaſticos gratis te habere reputas? bonum erat magis fodere aut mendicare. Peccata enim populi comedis: ſolicitus eſto, tamquam rationem redditurus pro eis. Alioqui tibi noveris ea imputanda, quæ modo inter delicias comedis, & parvipendis, & diſſimulas tamquam nihil attinentia tibi.* Eſt & hic Canonum Eccleſiaſticorum transgreſſio & inobedientia, toties de Officio Divino & Sacramentorum adminiſtratione rite ac debite peragendo repetitorum. Denique probis ac improbis in hoc certiſſimum præbetur ſcandalum. (p) *Væ autem homini, per quem ſcandalum venit: expedit ei, ut ſuſpendatur mola aſinaria in collo ejus, & mergatur in profundo maris.* Scitis jam pridem a naſcentis Eccleſiæ exordiis Apoſtolum (q) monuiſſe: *Nemini dantes ullam offenſionem, ut non vituperetur miniſterium noſtrum.* Imitemur itaque veteris Synagogæ pietatem & Sacerdotes; qui cum probe cognoviſſent, irreligioſitatem vaſtitati & incendio templum Jeroſolymitanum expoſuiſſe, (r) ubi a captivitate Babylonica domum reverterant, delicta priſtina, Religione debita correxerunt.

Adnitendum vero maximopere, ut cæteris ſanctitate vitæ præluceamus. *Vos enim eſtis lux mundi*: *Lucerna ſuper candelabrum poſita.* Unusquisque ſibi ab Apoſtolo (s) dictum arbitretur: *In omnibus teipſum præbe exemplum bonorum operum, ut is, qui ex adverſo eſt, vereatur, nihil habens mali dicere de nobis.* Exegit olim a Comminiſtris ſuis Princeps Apoſtolorum, (t) *ut forma ſui gregis fierent.* Circumeunt enim hoſtes noſtri non ſecus ac curioſi ſpeculatores; & *quid aliud captant*, ut cum B. Auguſtino (u) loquar, *niſi ut quisquis Epiſcopus, vel Clericus, vel Monachus, vel Sanctimonialis ceciderit, omnes tales eſſe credant, ſed non omnes poſſe manifeſtari. Et cum de aliquibus, qui ſanctum nomen profitentur, aliquid criminis vel falſi inſonuerit, vel veri patuerit, inſtant, ſatagunt, ambiunt, ut de omnibus credatur.* Idem de Apoſtatis noſtris & fidei deſertoribus judicate. Cum namque ævi hujus calamitoſi ſectæ, Monachis ac Sacerdotibus apoſtatis initia atque incrementa ſua debeant, quos metu correctionis ob varia commiſſa flagitia ab Orthodoxæ Eccleſiæ caſtris defeciſſe conſtat, eosque tamen velut Apoſtolos atque anteſignanos ſuos ſectarii noſtri ſuſpiciant ac venerentur; quid miramur, ſi vel minimum Cleri nævum obſervent atque exaggerent, ut ſuas ſic turpitudines tegant, transfugii cauſas palleant, ſuamque hæreſim ſtabiliant? Quæ haud dubie magna ex parte corruet, ſi nos, qui Paſtores & Sacerdotes nominamur, (x) *ſine reprehenſione in medio nationis pravæ*, bonis operibus *ſicut luminaria in mundo luceamus*: ſi quod monet Petrus, (y) *bene facientes imprudentium hominum ignorantiam obmuteſcere faciamus*: ſi cum Juda Machabæo, (z) pace potito, eligamus tantum *Sacerdotes ſine macula, voluntatem habentes in lege Dei.*

Cum itaque poſt cruentiſſima tot annorum bella, aliquali nunc pace & tranquillitate perfruamur; adlaboremus, ut & ipſa ad finem a Deo deſtinatum uramur. Finis autem pacis eſt, ut in ſanctitate & juſtitia Deo ſerviamus: *Juſtitia* enim *& pax oſculatæ ſunt.* Id ſuo exemplo nos docuerunt Apoſtoli, Actorum (a) teſtante hiſtoria: *Eccleſia quidem per totam Judæam & Galilæam & Samariam habebat pacem, & ædificabatur ambulans in timore Domini, & conſolatione Sancti Spiritus replebatur.* Monet Paulus: (b) *obſecrationes, orationes, poſtulationes fieri pro Regibus, & omnibus, qui in ſublimitate ſunt, ut quietam & tranquillam vitam agamus in omni pietate & caſtitate.* Quare magnis animis ad meliora omnia mentes veſtras erigite, ſtare in Chriſtiano pulvere contra inimicam manum pro Sacroſancti-

(n) *Jerem.* 49. (o) *Bernard. ad verba*: Ecce nos reliquimus. (p) *Lucæ* 17.
(q) 2. *Cor.* 6. (r) 2. *Eſdr.* 10. (s) *Tit.* 2. (t) 1. *Pet.* 5.
(u) *Auguſt. epiſt.* 137. (x) *Philip.* 2. (y) 1. *Pet.* 2. (z) 1. *Machab.* 4.
(a) *Act.* 9. (b) 1. *Tim.* 2.

ſancti Tridentini Concilii Decretis. Nuperæ Provincialis Synodi Statuta amplectimini: & quidquid Diœceſana hac Congregatione firmabitur, ratum gratumque habetote. Si vero ſalutaria hæc reformationum Decreta, tergiverſando prompte exequi neglexerimus, Deumque per Eccleſiæ Præfectos monentem contempſerimus; Divinæ vindictæ flagella, juratos inquam Religionis noſtræ hoſtes, cervicibus noſtris circumquaque imminentes atque inſultantes, non effugiemus. (c) *Ecce enim oculi Domini ſuper regnum peccans, ut conterat illud a facie terræ.* Eritque poſterior vindicta priore gravior & acerbior. Viderat Jeremias (d) *primo virgam vigilantem, poſt ollam ſuccenſam.* Virgam hactenus quaſi vigilantem ſenſimus, qua nos a veterno negligentiæ voluit Dei benignitas excitare: ſi ſomno ignorantiæ & impietatis manemus immerſi, olla imminet ſuccenſa furore Domini, qui conſummet & eradat nomina noſtra de terra viventium. Si vero ad meliora properando, ſalutaria hæc monita cum omni alacritate complectimur; Religionem Orthodoxam, ſtatumque Eccleſiæ hic conſervandum, propagandum, firmiterque ſtabiliendum confidimus in Domino, qui per Prophetam (e) promiſit: *Si gens egerit pœnitentiam a malo ſuo, quod locutus ſum adverſus eam, agam & ego pœnitentiam ſuper malo, quod cogitavi, ut facerem; & ſubito loquar de gente & regno, ut ædificem & plantem illud.* In quo regnum Dei hic plantando atque ædificando, ſi nos, qui ad operandum in vinea Domini vocati ſumus, ſedulo cooperemur; ſi ut boni milites Chriſti, vallati muro ſanctitatis, inſtructi armis ſcientiæ, & virtutum omnium exercitu ſtipati, contra hoſtes Eccleſiæ fortiter dimicemus; ampliſſimos Divinæ benedictionis ac repromiſſionis cum in hac, tum in futura vita manipulos referemus. Denique ut cum D. Gregorio, ſicut exorſus ſum, ita & finiam; id a DEO Opt. Max. impetrabimus, ut Sacerdotalis Ordo, qui dum intus cecidit, foris diu ſtare non poteſt, ita dum intus reſtituetur, foris quoque firmiter atque æternum ſtabiliatur.

DECRETA
SYNODI DIOECESANÆ ANTVERPIENSIS,
Præſidente Reverendiſſimo in Chriſto Patre, ac Domino, D. JOANNE MIRÆO, Epiſcopo Antverpienſi, habitæ.

INDEX TITULORUM.

TIT. I. De Fidei reſtituendæ, conſervandæ, ac propagandæ ſtudio.
II. De Sacramentis in genere.
III. De Sacramento Baptiſmi.
IV. De Sacramento Confirmationis.
V. De Sacramento Pœnitentiæ.
VI. De Indulgentiis.
VII. De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.
VIII. De Sacramento Extremæ Unctionis, Teſtamentis, & Sepulturis.
IX. De Ordine.
X. De Sponſalibus & Matrimonio.
XI. De Prædicatione verbi Dei.
XII. De Officio Divino.
XIII. De Feſtis & Jejuniis.
XIV. De Imaginibus.
XV. De Superſtitionibus.
XVI. De Archi-Presbyteris, Paſtoribus, Cappellanis, & Cuſtodibus.
XVII. De vita & honeſtate Clericorum.
XVIII. De Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis, Beneficiatorum Reſidentia, oneribusque Beneficiorum, & Fundationum adimplendis.
XIX. De Scholis.
XX. De Seminariis.
XXI. De conſervatione, recuperatione, & recta adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum.
XXII. De Templis.
XXIII. De Regularibus.
XXIV. De Viſitatione.
XXV. De Foro, & Jurisdictione Eccleſiaſtica.

TITU-

(c) *Amos* 6. (d) *Jerem.* 1. (e) *Jerem.* 18.

Digitized by Google

TITULUS PRIMUS.

De Fidei reſtituendæ, conſervandæ ac propagandæ ſtudio.

CAPUT PRIMUM.

CUm triginta jam fere annis, Epiſcopatus Antverpienſis variis tempeſtatum fluctibus fuerit agitatus; quippe qui aliquo tempore totus ſub hæreticorum jugo gemuerit, multis in locis ab habitatoribus deſertus, majori ex parte Paſtorum ſolatio deſtitutus fuerit, atque nunc hæreticis partim cinctus ſit, partim immiſtus; dubitari non poteſt, quin Religio Catholica, & diſciplina Eccleſiaſtica multum paſſim in eo ſit labefactata. Quare ad eam reſtituendam, conſervandam & propagandam, ſumma ſolicitudo atque omne ſtudium ſunt adhibenda.

CAPUT II.

Fides cum ſit ex auditu, Paſtores numquam omittant per ſe, aut impediti legitime per alium, diebus Dominicis & Feſtivitatibus ſolemnioribus populo ſuo prædicare verbum Dei.

CAPUT III.

In omnibus Scholis, poſt librum alphabeticum, Catechiſmus Epiſcopatus Antverpienſis vernaculus minor doceatur, aut Provincialis. In Latinis vero, ubi pueri latine intelligunt, ſemel in hebdomade Catechiſmus Caniſii: quem ab ineunte ætate diſcipuli memoriter diſcant. Et poſt ultimam lectionem cujusque diei, Ludimagiſter, aut diſcipulus maxime idoneus, elata voce per particulas ſeu periodos rudimenta fidei prælegat, & diſcipuli omnes quemlibet articulum aut periodum diſtincte pronuntiando repetant.

CAPUT IV.

Ut ſine ulla dilatione in omnibus Parochiis, aut Capellis ſub illis ſitis, inſtituatur catechizatio ſive inſtitutio in doctrina Chriſtiana; ultra media a Concilio Provinciali, & ſuper illo edito edicto Sereniſſimorum Principum præſcripta, addantur & hæc: Imprimis, ut quilibet Parochus per ſe (ubi id per alium Eccleſiaſticum non fit) ſingulis diebus Dominicis hora prima pomeridiana, dato pulſu campanæ, catechizet; ubi id per alium fit, ipſe, cum poteſt catechizationi interſit, eamque dirigat; & inducat Rectores fabricæ & menſæ Sancti Spiritus, aliosque viros probos, & honeſtas matronas, ad charitatis officia præſtanda promptos, ut ſua præſentia & opera tam ſanctum opus modis omnibus, quibus poſſunt, promoveant: petatque Paſtor a quolibet Magiſtratu unum alterumve virum pium, honeſtum, & talium rerum amantem, qui una cum ipſo catecheſios continuationi, & bono ordini ſuperintendant.

CAPUT V.

Ad hunc Catechiſmum teneantur Ludimagiſtri & Ludimagiſtræ ducere ſuos diſcipulos: pueri vero a ſexto ætatis anno uſque ad decimum quintum qui Scholas quotidianas non viſitant ob paupertatem, deſcribantur a committendis a Magiſtratu loci, qui & eo compellantur, venire ſub pœna, qua parentes, aut ii, quibuscum habitant, mulctentur: in quem finem ſuſpendatur catalogus in Scholis, qui ſingulis vicibus legatur, & abſentes requirantur; quos ſi contigat ſæpius ſine cauſa legitima abeſſe, deferantur ad ſuperintendentes caſtigandi; & Rectores menſæ pauperum eleemoſynas, dari ſolitas parentibus, qui ſuas proles non mittunt ad hunc Catechiſmum, ſuſpendant. Si vero animadvertatur, quod catechizatio fieri commode non poſſit hora prima, fiat aut mane poſt Miſſam matutinalem, aut ſummam Miſſam: ita tamen ut ſemper ſit certa hora; & quantumcumque pauci conveniant, non ideo omittatur.

CAPUT VI.

Hortamur etiam in Domino omnes Parochos, ut confraternitatem doctrinæ Chriſtianæ in ſua Parochia erigant, ſuisque Parochianis opus hoc charitatis inſtituendi proximum, ſedulo commendent, & Indulgentias a variis Pontificibus ad id promovendum conceſſas promulgent; easque in tabulis deſcriptas, in ſua Eccleſia ſuſpendant.

CA-

CAPUT VII.

In promulgatione iſtarum Indulgentiarum ſingulis annis promerendarum in Dominica infra octavam Epiphaniæ, qua Evangelium proponitur de Chriſto invento in templo in medio Doctorum, captent Concionatores & Confeſſarii occaſionem commendandi ſuis auditoribus, ut ſalubre hoc negotium modis omnibus, quibus poſſunt, promoveant.

CAPUT VIII.

Ut etiam pauperiores ea, quæ ſalutis ſunt, diſcere poſſint, emantur ſumptibus menſarum pauperum vel communitatum libelli Catechiſmi, & præmia ad pueros excitandos.

CAPUT IX.

Ne hæreſis, malorum omnium maximum, gregem Dominicum inficiat: advigilent Paſtores, & in concionibus ſuis ſæpe moneant, nullo modo vere Catholicis licitum eſſe hæreticas conciones viſitare, ab iis Sacramenta ſuſcipere, eorumque ſectæ ullis exercitiis intereſſe; libros quoscumque contra Eccleſiam, Religionemque Catholicam, ad Eccleſiaſticorum ordinum ac graduum contemptum conſcriptos, aut aliquo alio modo ſcandaloſos vel ſuſpectos legere, vel apud ſe retinere, aut ullis actibus externis (licet corde aliter credant) hæreſim profiteri, aut probare vel ſimulare. Exponantque gravitatem hujus peccati, pœnas, cenſurasque Eccleſiaſticas contra tales conſtitutas, easque ſuis auditoribus in concione quotannis prima Dominica Quadrageſimæ, & Dominica in Septembri, qua indicendum eſt jejunium Quatuor Temporum, notificent.

CAPUT X.

Quamvis propter præſentem Reipubl. ſtatum ſaluberrimas verbi Dei monitiones, & Sanctiſſima Eccleſiæ de vitandis hæreticis Statuta exacte obſervari vix poſſint; frequenter tamen Paſtores inculcent, quanto ſtudio eos vitandos docuerint Chriſtus Dominus, Apoſtoli, Sanctique Patres, ob certum cum eis converſantibus imminens periculum: ideoque ſaltem, quantum per rerum ac neceſſitatum cujusque rationem licebit, a familiaritate, imo conſortio eorum abſtinere unumquemque ſedulo oportere.

CAPUT XI.

Si animadvertat Paſtor aliquem pravæ religionis ſeu incolam, ſeu advenam in ſuo grege hæreſim diſſeminare, libellos diſtribuere, de fide diſputare, præcepta Eccleſiæ violare, aut ſcandala aliqua facere, ſtatim eum conveniat, & cum omni modeſtia moneat, eique duo Sereniſſimorum Principum hac de re Edicta promulgata (quæ omnes Paſtores habere volumus) legenda exhibeat: ſi incorrigibilem animadvertat, ad Nos, Officialem noſtrum, aut loci Officiarium, corrigendum deferat. At ut Paſtor, quantum in ſe eſt, impediat, ne cancer ille inter ſuos ſerpat, obſervet inter cætera ea, quæ in titulo de Archi-Presbyteris & Paſtoribus conſtituta ſunt, in prima Synodo Provinciali Capite decimo, in poſtrema Cap. 8. & in hac Diœceſana C. 8. 9. 11. 12. 13. 14. 16. 17. & 18.

CAPUT XII.

Monendi frequenter a ſuis Parochis Catholici, qui vitare non poſſunt, quin cum hæreticis ſubinde converſentur, ne cum iis de fide diſputent: id enim Laicis non licere tum res ipſa loquitur, tum Conſtitutio Pontificia (*a*) ac Sereniſſimorum Principum noſtrorum Edictum prohibet: ſi vero diſputare velint, reſpondeant ſui officii non eſſe cum iis diſputare, (hoc enim ad Paſtores & Doctores pertinet) ſed pro ipſorum ſalute orare juxta D. Auguſtini (*b*) ſalubre conſilium, ſive præceptum. Et Apoſtolum docuiſſe Timotheum, dicentem: Noli contendere verbis, ad nihil enim utile eſt, niſi ad ſubverſionem audientium. Ac Conſtantinum Magnum (*c*) monuiſſe ſui temporis Catholicos, de dogmatibus hæreticorum nec omnino rogandum, nec

(*a*) C. Quicumque. de vitand. hæreticis. & de natura & gratia. c. 25.

(*b*) Lib. De dono perſeverantiæ. cap. ult.

(*c*) Euſeb. Lib. 2. de vita Conſtant. c. 67.

nec ad rogata reſpondendum. Et Baſilium Magnum (*d*) reſpondiſſe Demoſtheni laico ſecum diſputari volenti: Tuum eſt de coquina loqui. Si autem in menſis aut alias loco importuno diſputationes moventur, vel argumenta hæreticorum in medium proferuntur, præſentibus Paſtoribus, vel Sacerdotibus, moneant illi eos, ut ad ſe ſoli veniant ſeorſim inſtituendi, & audituri ſolutionem argumentorum, quæ eis ſcrupulum faciunt; & tunc eorum converſationi ita ſolidis rationibus incumbant, & in ſpiritu lenitatis cum illis agant, ut ex compaſſione & ſincera charitate ipſorum ſalutem vere quæri intelligant.

CAPUT XIII.

Qui ab hæreſi ad Religionem Catholicam convertuntur, antequam Eccleſiæ reconcilientur, facient Profeſſionem Fidei juxta formam a PIO Quarto præſcriptam; & libros omnes hæreticos, quos apud ſe habent, tradent ſuis Confeſſariis. Et ad fidem converſi, moneantur ſtabilire cor ſuum per Sacri Chriſmatis ſuſceptionem, & Sacramentorum Pœnitentiæ atque Euchariſtiæ frequentationem, nec non conciones & monitiones ſæpe audiendo, piosque libros legendo.

CAPUT XIV.

In prima viſitatione Eccleſiarum Collegiatarum facient Profeſſionem fidei omnes Canonici & Capellani, ut & in prima viſitatione Decanorum Chriſtianitatis omnes Paſtores, Vice-Paſtores, Eccleſiarumque Parochialium Capellani, Ludimagiſtri, & Ludimagiſtræ, & Obſtetrices, nec tantum ſummariam, ſed integram juxta dictam PII IV. formam; quam ſingulis annis Ludimagiſtri coram Scholaſtico, & Obſtetrices coram Nobis, aut Vicario noſtro Generali repetent poſtridie Circumciſionis Domini in Civitate: alibi vero coram Decanis Eccleſiarum Collegiatarum, ubi ſunt; alias Ruralibus in viſitatione. Idemque juramentum Paſtores & Beneficiati omnes, antequam admittentur impoſterum ad poſſeſſionem ſuorum beneficiorum, in manibus Decani ruralis emittent.

CAPUT XV.

Quoniam in Civitate Antverpienſi plurimæ ſunt Typographiæ & Bibliopolia, eoque ex omnibus orbis partibus varii deferuntur libri, advigilent librorum Cenſores, aliique, qui a Nobis ad hoc deputantur, ut omnes Typographi & Bibliopolæ exacte obſervent, quæ in Synodo Provinciali Edicto Sereniſſimorum Principum deſuper edito, aliisque illorum ordinationibus ſancita ſunt, & ſingulis annis 2. Januarii coram Nobis, aut Vicario noſtro Generali iidem renovent Profeſſionem fidei juxta formam a PIO Quarto propoſitam, promittantque ſe omnia & ſingula Conſtitutionibus, Edicto, & ordinationibus antedictis Decreta obſervaturos, exemplaque iſtorum omnium habeant penes ſe, ſervent, ac ſæpe relegant.

CAPUT XVI.

Quando librorum ſarcinæ Antverpiam advehentur, teneantur, antequam illas aperiant, advocare duos Deputatos, qui omnes libros diligenter inſpiciant, neque ullos vendi permittant, qui ſuſpecti ſunt, ſed eos ſtatim auferant. Quia vero hominum nequitia adinvenit indies dolos, dum inter cætera venenum propinatur ementito loco impreſſionis, aut ſpecioſo libri titulo commendantur; requirimus & hortamur, ut ſingulis annis a Typographis duo nominentur, qui ſimul cum dictis Deputatis apertioni ſarcinarum & viſitationi Officinarum interſint, fraudesque, quæ in rebus hujusmodi committi ſolent, detegant, & cum iisdem in omnibus advigilent.

CAPUT XVII.

Sciantque non tantum prohiberi libros in Catalogo librorum prohibitorum nominatim inſertos, ſed & alios omnes, qui etſi ex profeſſo de hæreſi non tractent, tamen ſub alio argumento indifferenti immiſcent hæretica dogmata contra Catholicam fidem, ſcandala, ſcommata, abuſus Scripturæ Sacræ, aliaque ſimilia. Et quicumque tales libros inferre, legere, aut aliis legendos tradere, aut apud ſe detinere depre-

(*d*) Theod. L. 4. c. 17.

prehenſus fuerit, noſtro Officiali denuntietur graviter coërcendus.

CAPUT XVIII.

Ut Sanctio Sereniſſimorum Principum noſtrorum, qua vetuerunt ab aliis, quam juratis Bibliopolis libros vendi, ſervetur, mandamus Cenſoribus, ut jure contra eos coram Officiali noſtro agant, qui Antverpiæ in Periſtylio, ſeu Burſa, ut vocant, aliisque locis libros venales exponunt, cum jurati Bibliopolæ non ſint. Idemque contra veteramentarios veſtium venditores, & alios quoscumque, qui ſimile attentaverint, ſtricte ſervetur. Invigiletur etiam, ne in ſarcinis ſub aliis mercibus importentur libri pernicioſi ad quoscumque tandem.

TITULUS II.

De Sacramentis in genere.

CAPUT I.

IN adminiſtratione Sacramentorum proponant ſibi Sacerdotes, ut tamquam Miniſtri Domino ſuo placeant conſcientiæ puritate & vitæ innocentia, ideoque præcaveant, ne Sacramenta adminiſtrent, dum ſe culpæ graviori ſentiant obnoxios, ſed ſtatim ſe confeſſione expurgent. Quare ut parati ſemper eſſe poſſint, hortamur & requirimus, ne umquam ultra hebdomadam peccatorum ſuorum confeſſionem differant.

CAPUT II.

Si quis (quod abſit) potus, vel aliter indiſpoſitus atque inidoneus ad miniſtrandum Sacramentum acceſſerit, ſive is Paſtor, aliusve Sacerdos, ſive Matricularius fuerit, juxta irreverentiæ enormitatem graviter punietur.

CAPUT III.

Paſtor requiſitus ad miniſtrandum Sacramentum, ſtatim ſit paratus ac facilis, nec ſeſe prætextu horæ importunæ, temporis incommodi, alteriusve occupationis, multo minus convivii, excuſet, aut durioribus verbis petentes Sacramenta excipiat, & per ſe adminiſtret, quando id ſine magno incommodo fieri poteſt: ac ubi populus eſt numeroſior, bis in die, mane circa horam ſeptimam, & veſperi ſub Laudibus, in Templo ſeſe præſentem exhibeat omnibus opera illius uti volentibus.

CAPUT IV.

Paſtor domo diſcedens Cuſtodi ſignificet, ubi inveniri poſſit: ſi vero a petentibus Sacramentorum adminiſtrationem diligenter quæſitus non facile reperiatur, & ob abſentiam aut moram Paſtoris ſuboriatur a præſentibus murmuratio aut ſcandalum, aut ſit in mora periculum, poterit tunc alius ejusdem Eccleſiæ Paſtor (ſi plures ſint) aut Vice-Paſtor, & in caſu neceſſitatis Cappellanus (alias idoneus) adminiſtrare Sacramentum, Matrimonio dumtaxat excepto.

CAPUT V.

Quoniam cum omni diligentia circa Eccleſiæ Sacramenta verſari oportet Paſtores, ſemper penes ſe reſervent claves repoſitorii Venerabilis Sacramenti, Baptiſmatis, & ſacrorum vaſorum: ex neceſſitate abſentes, viris probatis cuſtodiendas committant: graviter puniendus, qui iſta neglexerit.

CAPUT VI.

Sacra Olea quotannis Archi-Presbyteri rurales a Nobis, ab Archi-Presbyteris Paſtores in loco ſacro diſtribuenda omnes per ſe ipſos, aut alium Sacerdotem, aut alium in aliquo Ordine ſacro conſtitutum petant & ferant; eaque in vaſis honeſtis & mundis (vaſe in quo oleum infirmorum conſervabitur; ab aliis ſejuncto) decenter cuſtodiant, ac ſtatim ad Eccleſiam ſuam deferant.

TITULUS III.

De Sacramento Baptiſmi.

CAPUT I.

UBicumque in Eccleſiis Parochialibus dirutus eſt fons Baptismalis, reſtituatur ex lapide ſolido, ne ex eo aqua effluat, ſitque figuræ rotundæ; & latitudinis circiter duorum pedum, fixusque loco commodo conſtituatur a latere ſiniſtro portæ Occidentalis, juxta antiquam Eccleſiæ obſervationem, ſemperque ſub ſera clauſus, cujus clavem ſervet Paſtor.

Digitized by Google

CAPUT II.

Extra Fontem ſacrum nemo baptizetur, niſi forte quem periculum ad Eccleſiam deferri non permittit. Quod ubi contingit, in hujusmodi Baptiſmo, qui domi fiet, adhibeatur quidem Baptiſmi forma, ſed poſtmodum proles ad Eccleſiam deferatur, ibique cæremoniæ præſcriptæ ſuppleantur. Si quis ſecus fecerit, pœna arbitraria puniatur.

CAPUT III.

Sciant Catholici non licere ſibi ſuſcipere infantem, qui a Miniſtro hæretico baptizatur, cum ſuſceptor ſit apud Deum fidejuſſor de adhibenda cura prolis ſuſceptæ in vera fide inſtituendæ: quinimo tenentur Patrini laborare, ut ad fidem Catholicam convertantur ii, quos in Eccleſia Catholica ſuſceperunt, ſi in hæreſin fuerint prolapſi.

CAPUT IV.

Paſtores non admittant ad ſuſcipiendas proles eos, qui ebrii ſunt, aut hæretici, aut de hæreſi ſuſpecti, aut alias ſcandaloſæ vitæ, & juniores, qui neſciunt rudimenta fidei.

CAPUT V.

Cum variæ quotidie audiantur querelæ de abuſu pluralitatis Patrinorum, & conviviorum in puerperiis, præſertim in pagis, ſtatuimus, ut Paſtores, quotiescumque infantem baptizaturi ſunt, ante inchoatum exorcismum clara voce denuntient tantum unum, aut ad ſummum unum & unam poſſe eſſe Suſceptorem ſeu Suſceptricem, eorumque nomina deſcribat: qui in hac re negligentes fuerint, noſtro arbitrio corrigentur, ſæpiusque moneat Paſtor ſuos parochianos de abuſu conviviorum in puerperiis inſtituendorum vitando.

CAPUT VI.

Mulier, quæ Antverpiæ ad obſtetricandum admiſſa fuerit, antequam officium ſuum exerceat, tenebitur ſeſe præſentare Vicario noſtro Generali, alibi vero Decano Chriſtianitatis, aut ſaltem Paſtori loci, ut ab eo examinetur, an ſciat ſubſtantialia Sacramenti Baptiſmi, & faciat Profeſſionem fidei integram, promittatque ſe denuntiaturam Paſtori parochiæ eos, qui ultra tertium diem Baptiſmum infantium differunt, & eos, qui ab hæreticis infantes baptizari curant, aut permittunt. Si qua vero aliquid horum præſtari noluerit, aut monita neglexerit, aut hæreſi infecta fuerit, ab officio ſuo ſuſpendatur, aut amoveatur. Tenebuntur Paſtores hujusmodi obſtetrices, & parentes infantium ultra tertium a nativitate diem Baptiſmum differentes, aut apud hæreticos proles ſuas baptizari curantes, aut permittentes, Nobis, aut Officiali noſtro denuntiare.

CAPUT VII.

Ab hæreſi converſi ſi baptizandi, aut iis cærimoniæ Eccleſiæ ſint adhibendæ: priusquam id fiet, hæreſin abjurent.

CAPUT VIII.

Infantes ex illegitima copula nati non deferantur ad Eccleſiam cum aliqua ſolemnitate, neque illorum matres a puerperio ſurgentes purificentur, neque ſigna, honeſtis matronis dumtaxat debita, illis exhibeantur; quale eſt oſtii annulum faſcia linea obligare, &c.

CAPUT IX.

** Habeatur diligens ratio de expoſititiis, ut diligenter inquirant Paſtores, an baptizati ſint, nec ne: ſi dubitent poſt inquiſitionem diligentem, ſub conditione baptizentur.

TITULUS IV.

De Sacramento Confirmationis.

CAPUT I.

POſtquam Parochus de conſtituto die Chriſmatis adminiſtrandi fuerit admonitus, perquirat diligenter, qui confirmandi ſunt, in Parochia etiam per ſingulorum domos circumeundo, ſi id commode fieri poteſt, & die Dominico aut Feſto præcedente ex profeſſo doceat populum ſuæ curæ & cuſtodiæ commiſſum, ea omnia, quæ ad Sacramentum debite recipiendum pertinere intelliget; & ut paratiores fideles ad hoc accedant, illius ſanctitatem, utilitatem, & hoc rerum ſtatu neceſſitatem exponat, & nomen Confirmationis explicet, quod idiomate noſtro

Worms

Vormſel, ſeu Vroomſel, id eſt, robur, ſignificat. Et doceantur, a Chriſto Domino inſtitutum ad ſpiritale robur, virtutem & fortitudinem animi ad fidem profitendum dandam. Declaret inſuper materiam, formam, effectus, ejusque cærimonias & qualitates in ſuſcipientibus requiſitas, Patrinorum officium; aliaque omnia, quæ eo ſpectant, ex probatis Auctoribus aperiat: ut intelligentes ſe hujus Sacramenti beneficio contra diaboli, carnis, mundi, hæreſeosque inſidias ſpiritu principali confirmari, atque muniri, Chriſtique milites fieri, ardentiori animo, totisque viribus ad dimicandum toto vitæ ſuæ tempore, & coronam victoribus paratam apprehendendam, ſeſe comparent.

TITULUS V.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT I.

CUm in confeſſionum auditione ſit poſitum incredibile momentum ad ſeriam emendationem vitæ ipſius populi; ſtudioſe in hoc incumbant Confeſſarii, ut in confeſſionibus audiendis magnum fructum faciant, pœnitentibus ſalutares pœnitentias injungant, & ſalubria conſilia ad peccata vitanda & ſerio vitam corrigendam ſuggerant; quale eſt in primis, ut frequenter confiteantur & communicent, ſaltem ſingulis quinque aut quatuor majoribus Solemnitatibus.

CAPUT II.

Confeſſarii, ubi rudiores eſſe perſpicient, ſuos pœnitentes, diligenter examinent, an ſciant neceſſaria ad ſalutem: &, ut in iis inſtrui ſe curent, ſedulo & ſerio admoneant.

CAPUT III.

In ſingulis Diœceſis noſtræ Parochiis quotannis in Dominica Paſſionis publicetur *C. Omnis utriusque ſexus*, X. de Pœnit. & Remiſſ., inculcentque ſevere illud eſſe obſervandum: & poſt Dominicam in Albis animadvertant quinam defuerint, quos monebunt, officii ſui, alioquin extra Eccleſiam ejiciendos, & ad ſepulturam Eccleſiaſticam non admittendos, & ad Nos, vel Officialem noſtrum deferendos.

CAPUT IV.

In pagis, qui ſe allegabunt in Paſchate alibi confeſſos eſſe, teſtimonio Confeſſarii id doceant.

CAPUT V.

Pauperes, qui a menſa S. Spiritus ſubſidium habere ſolent, ſi non docuerint de annua confeſſione, ab eleemoſynis ſuſcipiendis ſuſpendantur, donec debito officio ſatisfecerint.

CAPUT VI.

Caſus Epiſcopo reſervati ſunt ii, qui in prima Synodo Provinciali Mechlinienſi, (*) *Tit. De Sacramentis, C.* 6. & in Paſtorali expreſſi ſunt.

CAPUT VII.

Propter præſentem tamen hujus temporis ſtatum concedimus facultatem abſolvendi a caſibus Nobis reſervatis, quando crimina publica & notoria non ſunt, omnibus Paſtoribus & Superioribus Ordinum, qui externorum confeſſiones audire ſolent.

CAPUT VIII.

Hortamur in Domino omnes Medicos, ut tamquam viri boni & Catholici in viſitatione infirmorum Bullæ PII V. quæ incipit: *Sugra gregem*, ſeſe conforment; qua ſancitur, ut infirmos in lecto jacentes ante omnia moneant, ut idoneo Confeſſori omnia peccata ſua confiteantur, neque tertio die ulterius eos viſitent, niſi longius tempus infirmo Confeſſor ob aliquam rationabilem cauſam conceſſerit, & eis per fidem a Confeſſore in ſcriptis factam conſtiterit, quod infirmi peccata ſua confeſſi fuerint: eosdemque rogamus, ut, ſi quos forte fidei Catholicæ non ſatis addictos tergiverſari animadverterint, Paſtori ex charitate ſtatim velint denuntiare.

CAPUT IX.

Qui infirmorum confeſſiones excipient, ſi Paſtores non ſint, ſcripto in domo decumbentium relicto, aut aliter de excepta confeſſione Paſtori fidem faciant.

CAPUT X.

Paſtores numquam differant excipere infirmorum confeſſiones in tempus, quo ſimul deferant Venerabile

(*) Sub Illmo & Revmo Domino D. Antonio Perrenot Tom. noſtro CC. VII. pag. 608.

Sacramentum, excepto caſu neceſſitatis, aut talis reconciliationis infirmi, quæ breviſſimo tempore queat peragi; alioqui ſe puniendos a Nobis pro ea culpa intelligant.

CAPUT XI.

Sedes confeſſionales fiant loco conſpicuo: neque temere Confeſſarii de uno loco ad alterum, potiſſimum in majoribus Feſtivitatibus, excurrant, cum id ſæpe magnæ murmurationis cauſam multis præbeat.

CAPUT XII.

Quoniam uſuræ hoc tempore variis quæſitis coloribus ſub ſpecie recti, & titulis mutui dati ad intereſſe, in depoſito Cambii, aliisque nominibus diverſimode pallientur, ſtudioſe perquirant & examinent Confeſſarii ſuos pœnitentes, an tituli illi, quibus ſeſe pecuniam cum aſſecuratione ſortis & certo lucro mutuam dediſſe dicunt, ſint veri, an vero tantum imaginarii & uſuræ pallia: & ſi ſolido fundamento contractus uſurarios eſſe deprehenderint, non prius illos abſolvant, quam uſuris reſtitutis, aut ſaltem pro prima vice firmiter reſtitutione promiſſa: ſi ſecundo redierint, non abſolvantur, niſi reipſa reſtituerint. In quem finem diligenter legant Bullam SIXTI V. *Execrabilis avaritiæ*, contra hujusmodi uſuras palliatas editam, ex auctoritate PAULI V. per Illuſtriſſimum Dominum D. GUIDONEM BENTIVOLIUM, Archi-Epiſcopum Rhodienſem, Nuntium Apoſtolicum recipi mandatam in Belgio.

TITULUS VI.

De Indulgentiis.

CAPUT I.

NEmo Indulgentias publicet, niſi a Nobis prius examinatas & probatas: & qui in Eccleſiis ſuis aliquas ſe habere prætendunt Indulgentias novas aut antiquas, aut forte aliquando a Prædeceſſoribus noſtris aut Nobis approbatas, eas iterum exhibere ante trimeſtre, aut ſaltem antequam de novo eas publicent, teneantur.

CAPUT II.

Quando in aliquo Feſto conceſſæ ſunt Indulgentiæ, illudque juxta Rubricas transfertur, promulgentur Indulgentiæ promerendæ eo die, quo illud Feſtum a populo celebrabitur.

TITULUS VII.

De Sanctiſſimo Euchariſtiæ Sacramento.

CAPUT I.

UBi numeroſior eſt populus, ſingulis diebus Dominicis, certa hora exponatur Venerabile Sacramentum in altari alicujus Capellæ, debite luminaribus, aliisque ornamentis inſtructo, ut ad Communionem accedere volentibus paratum eſſe poſſit; illudque cum maxima & debita reverentia ſemper adminiſtretur. Ablutio autem non detur ex calice. Et ſolemnioribus Feſtivitatibus in Parochia numeroſiori ſemper ſit aliquis Sacerdos ad altare a mane uſque ad meridiem, petentibus Sacramentum adminiſtrare paratus.

CAPUT II.

Quando hoſtiæ pro communicaturis parantur, prius a Paſtore guſtentur, an ſint, quales eſſe debent.

CAPUT III.

In Parochia quemque ſua in Paſchate ad Sacram Synaxin accedere cum oporteat, non ſatisfaciunt communicantes in aliis Eccleſiis quorumcumque etiam Ordinum privilegiatorum: quod in Dominica Paſſionis in Parochiis publicent Paſtores, una cum Decreto Concilii Lateranenſis de Communione in Paſchate facienda: ut in *C. Omnis utriusque ſexus. Ext. De pœnitentiis & remiſſ.* & in Paſtorali Mechl.

CAPUT IV.

Quoniam compertum eſt iis locis, ubi in publicis oneribus imponendis ratio ac tempus taxandi deſumitur ex ſumptione Ven. Sacramenti (ut ſcilicet cenſeantur juniores, eoque nomine ab hujusmodi oneribus immunes, qui nondum ad menſam Domini acceſſerint) fieri, ut adoleſcentes & juvenes a Sacra Communione retardentur, eamque in decimum octavum vel ulteriorem annum multi differant; inhibemus hujusmodi Collectoribus, vel quocumque nomi-

Digitized by Google

nomine cenſeantur, ne in onerum publicorum partitionibus, in poſterum hanc rationem ineant, ſed certam potius ætatem taxandis deſignent.

CAPUT V.

Tabernaculum Ven. Sacramenti plerisque in locis everſum, ſolicitus ſit Paſtor, ut id reſtituatur: quod fiat vel in medio altaris, vel in pariete a Septemtrione juxta altare, extrinſecus decore depictum; ejusque oſtiolum aliqua cortinula ſit tectum, intrinſecus autem panno colorato tabernaculum ſit circumveſtitum, ac circumquaque firmum ac tuto clauſum. Tabernaculum vero ſub ipſo dumtaxat Ven. Sacramenti vaſe, candido ſemper corporali ſit ſtratum.

CAPUT VI.

In qualibet Parochia ut minimum duo ſint vaſcula, in quibus Sacræ Hoſtiæ conſerventur. Unum, quod veteri vocabulo Eccleſiaſtico Ciborium vocamus, in quo reponantur Sacræ Hoſtiæ communicantibus diſtribuendæ, quo etiam uti licebit, dum Venerabile Sacramentum ad infirmos defertur. Alterum vero vaſculum ſit hierotheca pellucida, quam vulgo Monſtrantiam appellant: cujus uſus ſit Venerabili Sacramento deferendo in publicis proceſſionibus, vel cultus & adorationis cauſa proponendo ſuper altare; quæ hierotheca idcirco intra columnellas ita cryſtallo transparenti circumdetur, ut Sacra Hoſtia perſpici poſſit.

CAPUT VII.

Abuſus, qui in Civitate Antverpienſi frequens eſt, ut ad ægros deferatur Ven. Sacramentum ſub tempus veſpertinum, paulatim tollatur: moneaturque populus, ut ægri, quantum poteſt fieri, jejuni tantum hoc Viaticum percipiant, adeoque tempeſtive ſibi illud adminiſtrari poſtulent, non expectantes tempus ultimæ neceſſitatis. Numquam tamen Paſtor tempore nocturno, aut alias quantumvis importuno vocatus, cum id infirmi ſtatus poſtulat, ab officio faciendo ſeſe excuſet; graviſſime puniendus, cujus culpa infirmus non munitus Sacramentis ex vita deceſſerit. Monebunt Paſtores ſuos Parochianos, quando tempore nocturno aut cum tenebræ ſunt, ſibi volunt infirmi adminiſtrari Sacramentum, deducant ſecum unum atque alterum virum probum Paſtori notum.

CAPUT VIII.

Quoniam in Proceſſionibus, quas vocant Dedicationum, contingit multas inſolentias plerumque committi, & quædam inepta & laſciva immiſceri, (quæ tamen non eſſe toleranda decernimus) omnino prohibemus in illis Ven. Sacramentum circumferri: Paſtor, qui ſecus fecerit, in mulctam decem florenorum, aut majorem noſtro arbitrio incidat.

TITULUS VIII.

De Sacramento Extremæ Unctionis, Teſtamentis, & Sepulturis.

CAPUT I.

QUando Paſtor ex ſuis ſubditis infirmum eſſe ſciet, de quo veretur, ne negligentia aut malignitate domeſticorum ſeu propinquorum non munitus Sacroſanctis Eccleſiæ Sacramentis moriatur, adibit ædes infirmi etiam non vocatus, diceteque ſe ex charitate & nomine ſui officii tamquam bonum Paſtorem oviculam ſuam inviſere; monebitque infirmum de habenda cura ſuæ ſalutis, & ſuſceptione Sacramentorum, frequenterque eum viſitabit, potiſſimum ſi videat morbum augeri, habeatque libellos, qui modum adjuvandi infirmos deſcribant, aliosve: & invigilet, ne ad eos irrepant novatores illi, qui ſeſe falſo vocant **Sieſentroofters**. Ubi vero per occupationes Paſtori non licet, ſubmittat ipſe, aut moneat infirmum, ut advocetur alius Sacerdos & vir Religioſus, qui morti proximum, in lucta contra ſerpentem calcaneo hominis inſidiantem, adjuvet: ac ſciant Paſtores ab hujusmodi charitatis officiis, præter meritum apud Deum, multum ſibi ſubditorum conciliari animos.

CAPUT II.

Numquam patiantur Paſtores corpus alicujus quantumvis pauperis ad ſepul-

Digitized by Google

ſepulturam deferri ſine præſentia Sacerdotis, ac multo minus ſepeliri ſine debitis cæremonis in Paſtorali præſcriptis. Celebretur porro pro pauperibus una Miſſa ſumptibus Eleemoſynariorum aut menſæ Sancti Spiritus, ſi aliunde media non ſuppetant.

CAPUT III.

Nulli liceat jura funeralia auctoritate noſtra ſtabilita, & antiquiſſima conſuetudine probata, propria præſumptione augere: nec Cuſtodi aut Miniſtris Eccleſiæ permiſſum ſit aliqua jura exigere, niſi a Paſtore loci in Parochiis, aut in aliis Eccleſiis ab aliquo ad hoc deputato aut deputando deſcripta; qui omnia jura funeralia, quæ aliquo modo ratione funeris debentur, bene examinata ſubſignabit.

CAPUT IV.

Poſt mortem alicujus Parochiani inquirat Paſtor, an defunctus pia aliqua legata reliquerit, advigiletque, ut executioni mandentur, eademque indicentur Sigillifero aut Archi-Presbytero rurali illius Diſtrictus. Monemus autem ſerio hæredes & teſtamentorum Executores, ut ſi quæ per defunctos fundationes piæ inſtitutæ erunt, eas denuntient, ut acturum regiſtrentur, atque in Archivis noſtris ſervanda reponantur.

TITULUS IX.

De Ordine.

CAPUT I.

INſigniendi tonſura Clericali aut minoribus Ordinibus, Nobis ſe ſiſtant Feria quinta ſeptimanæ ejus, qua conferendi ſunt Sacri Ordines, natalium & probitatis teſtimoniis inſtructi: admiſſi vero nomina ſua a Secretario noſtro deſcribi curent, redeantque Feria VI. ſub horam IX. cum ſuperpelliceo & cereo, tonſuram, aliosque minores Ordines ſuſcepturi.

CAPUT II.

Promovendi vero ad Sacros Ordines majores, compareant examinandi Feria VI. poſt II. pomeridianam, exhibeantque teſtimonia laudabilis vitæ ante actæ, proclamationum factarum, ætatis, Ordinum præcedentium ſuſceptorum literas, eorumdemque facti exercitii, titulique ſufficientis documenta. Idonei per examen reperti & admiſſi, poſtridie poſt octavam per Confeſſionem Sacramentalem ad Sacram Communionem parati, in habitu ac tonſura Ordini ſuo conveniente, cum ornamentis neceſſariis ad ædes Epiſcopales revertantur, inde ad Eccleſiam, ubi Ordines conferentur, Nobiscum acceſſuri.

CAPUT III.

Ad Ordines majores provecti meminerint ſe obligatos ad legendum quotidie, ſub pœna peccati mortalis & amiſſione fructuum illius diei, integrum officium Horarum Canonicarum. In Ordine ſuſcepto ſeſe exerceant a ſuſceptione cujusque Ordinis, & Sacerdotes intra quadraginta dies Primitias celebrent.

CAPUT IV.

Primitias celebraturus Sacerdos ſæcularis in Civitate Antverpienſi, aut locis, ubi Eccleſiæ Collegiatæ ſunt, ſiſtet ſe cum ſuo inſtructore Decano & Capitulo, etiamſi ipſis ſubditus non ſit. In pagis vero Decano Chriſtianitatis exhibebit literas Sacerdotii ſuſcepti, & Inſtructor ejus fidem faciet de ſufficienti in cæremoniis Miſſæ inſtitutione.

CAPUT V.

Examinatores tam ordinandorum, quam ad Paſtoratus promovendorum nominamus Venerabiles Viros, Dominum *Joannem Del Rio*, J. U. Licent. Protonotarium Apoſtolicum, Decanum Eccleſiæ noſtræ Cathedralis, ac Vicarium noſtrum Generalem, D. *Cornelium de Witte*, S. Theol. Licent. Archi-Diaconum, D. *Petrum Samfort*, S. Theol. Licent. Pœnitentiarium, D. *Egbertum Spitholdium*, S. Theol. Licent. Plebanum, D. *Aubertum Miræum*, S. Theol. Baccal. Sigilliferum noſtræ Curiæ, D. *Maximiliamum Eynatten*, S. Theol. Licent. Scholaſticum, D. *Laurentium Beyerlinck*, S. Theol. Licent. dictæ Eccleſiæ Canonicum: quibus alii Canonici præbendas graduatis affectas in Eccleſia noſtra Cathedrali obtinentes, jungere ſe poſſunt.

TITU-

TITULUS X.

De Sponſalibus, & Matrimonio.

CAPUT I.

SPonſalia de futuro tametſi valida ſint, (e) quamvis coram proprio Parocho contracta non fuerint, nihilominus tamen ad evitandas multas difficultates ea præſente Parocho proprio fieri præcipimus.

CAPUT II.

Quoniam animadverſum eſt, pœna a Concilio Tridentino conſtituta in eos, qui non ſuos Parochianos Matrimonio conjunxerint, quosdam non moveri; decernimus, Paſtores & Sacerdotes quoscumque noſtræ Diœceſis, qui id facere præſumpſerint, inſuper pœna pecuniaria viginti florenorum corrigendos eſſe.

CAPUT III.

Ebriis & intempeſtiva nocte, aut in tabernis contrahere Sponſalia volentibus operam ſuam Paſtor non impendat, ſub pœna arbitraria.

CAPUT IV.

Solemnizationem Matrimonii, in qua aliqua concurrit diſpenſatio, volumus fieri per Paſtores, non autem Vice-Paſtores. Nemo autem alias, niſi præviis omnibus proclamationibus, Matrimonium ſolemnizet.

CAPUT V.

Sponſi infra dies quadraginta ad Matrimonium procedant; alioqui Nobis, aut Officiali noſtro per Paſtorem indicentur.

CAPUT VI.

Indecentes in quibusdam pagis exceſſus committi intelligimus a juvenibus, qui a novis Sponſis pecuniam extorquent, aut alioquin domos infringunt: & in nonnullis locis Sponſo ſtatim a contracto in facie Eccleſiæ, quidam etiam in ipſo Templo, ſumma vi palmas & pugnos in dorſum impingunt: quæ cum non ſolum ſint violenta & injurioſa, ſed etiam ſpectent ad irreverentiam Sacramenti, in poſterum ne id fiat, prohibemus.

CAPUT VII.

Propter evidens periculum ſalutis animarum, Paſtores ſubinde in concione ſignificent, præter legem naturalem & Divinam, eſſe etiam Eccleſiæ prohibitionem, (f) ne fideles cum hæreticis Matrimonia contrahant; ejusque impedimenti, ut & aliorum, in proclamationibus habeant rationem ſingularem.

CAPUT VIII.

Inquirant diligenter Paſtores, an contrahentes Sponſalia ſciant neceſſaria ad ſalutem. Ignaros vero, donec edocti fuerint, & Sacramento Confirmationis non roboratos ad Matrimonium non facile admittant. Diligenter de impedimentis inquirant: ſi dubitent, peritiores conſulant. Si vero Matrimonium perſonarum, inter quas impedimentum aliquod dirimens exiſtit, aut non ſervata Concilii Trident. forma, Matrimonium ſolemnizare ſcienter præſumpſerint, pœnam incurrant quinquaginta florenorum, & alias arbitrariam.

CAPUT IX.

Laudabilem (g) & antiquam conſuetudinem ſolemnizandi Matrimonium inter Miſſarum ſolemnia, potiſſimum diebus Dominicis & Feſtis, ſtudioſe ſervari volumus. Nullus autem Paſtor ſub gravi pœna poſt meridiem Matrimonium ſolemnizare præſumat.

TITULUS XI.

De Prædicatione verbi Dei.

CAPUT I.

Quoniam latiſſimus apertus eſt campus ad animas Deo lucrandas per Divini verbi prædicationem, (eſt enim virtus Dei in ſalutem omni credenti) dabunt operam omnes, quibus munus Sacras Conciones habendi incumbit, ut eas habeant utiles, captui auditorum accommodatas, ſolidas atque elaboratas; easque teneantur deſcribere, deſcriptasque requiſiti Nobis, aut

(e) Sacra Congreg. Concil. Trident. Interp. ad C. 1. Seſſ. 24. de Reformat. Matrim.
(f) C. Caut. 28. q. 1. (g) Conc. Trid. Seſſ. 24. de Ref. Matr. c. 1. in fine.

Digitized by Google

aut Decano rurali visitanti, seu alii, cui mandaverimus, exhibere.

CAPUT II.

Conciones fere ita disponantur in locis, ubi grassatur hæresis, ut pars una pertineat ad mores formandos, pars vero altera confirmet duobus aut tribus argumentis solidis aliquod dogma Catholicum, & uni aut alteri argumento, quo hæretici præcipue simplices homines seducunt, solide & perspicue respondeat: solide inquam, nam alioqui præstat illa non attingere. Potissimum autem, pro veritate inculcent ea argumenta generalia Catholicorum contra hæreticos, quæ sunt veluti principia quædam, utpote de unitate, auctoritate & notis Ecclesiæ.

CAPUT III.

Consultum omnino fuerit, adeoque id requirimus, Concionem Pastoralem perpetuo esse divisam in duas partes, quarum prior sit doctrinalis ordine prosequens materias Catechismi; posterior agat de Evangelio, de Epistola, vel de solemnitate diei.

CAPUT IV.

Quæ omnia, ut debite præstari possint, quilibet Pastor solicite & curiose curet, ut Bibliothecam instructam habeat: in qua ut minimum sint Biblia sacra, Catechismus Romanus, Summa doctrinæ Christianæ per Canisium, Concilium Tridentinum, Synodus Provincialis Mechlinienſis, utraque Antverpiensis, sub piæ mem. Rmo Francisco Sonnio (*) celebrata, atque hæc nostra, Homiliastæ aliqui, Promptuarium Morale, item Catholicum Stapletoni, Sermones Costeri, ejusque libellus Sodalitatis, & de controversiis horum temporum, Lessii Consultatio nupera, quæ Religio sit capessenda, Directorium Polanci, ejusque libellus de frequenti Communione & modo juvandi morientes, aliique similes pro singulorum capacitate & facultatibus. Rudiores vero & minus instructi in Theologia (quos hactenus ob Sacerdotum raritatem & inopiam tolerare cogimur) numquam aliquid dicant pro concione, quod ex probato auctore aliquo demonstrare non possint.

CAPUT V.

Pastores non dicant pro concione ea, ex quibus colligi possit particularis aliqua contra privatos animi exacerbatio; multoque minus nominatim aliquem designent.

CAPUT VI.

Ut autem in omnibus Ecclesiis nostræ Diœcesis sit conformitas in recitandis Evangeliis, servetur ordo Missalis Romani.

CAPUT VII.

Pastoribus per se munus prædicationis obire volentibus, meminerint omnes quomodocumque privilegiati, se juxta Decretum Concilii Trid. (b) cedere debere. Convenit autem Pastores in oppidis & municipiis per se habere concionem matutinam seu antemeridianam, & potissimum in Dominicis Quadragesimæ & Adventus, majoribusque Solemnitatibus: si alii ibidem iis temporibus stationes habent, eas post meridiem servent.

CAPUT VIII.

Cum etiam juxta Concilii Tridentini (i) Decretum ad audiendum verbum Dei quisque suæ Parochiæ interesse teneatur; nemo in Civitate nostra & oppidis, Dominicis & Festis diebus ante meridiem extra Ecclesiam Parochialem lingua vernacula concionetur, ne quidem sub prætextu Indulgentiarum, aut Confraternitatum: lingua vero externa non fiat concio ante horam decimam.

CAPUT IX.

Concionatores non sint in concionibus suis prolixiores, (k) & unius horæ spatium non excedant.

CAPUT X.

In omnibus Ecclesiis suggestus fabricentur, ex quibus populo Pastor, bireto & superpelliceo, vel alba cum stola indutus, verbum Dei prædicet.

CAPUT XI.

Advigilet Pastor, ut tam publice, quam privatim populum sibi commissum

(*) Vid. Tom. VII. pag. 811. sqq.
(i) Sess. 24. de Reform. cap. 4.
(b) Sess. 5. de Reform. cap. 2.
(k) Concil. Trid. Sess. 5. de Reform. c. 5.

ſum inſtruat, potiſſimum in his, quæ neceſſaria ſunt ad ſalutem, ea de cauſa inculcet frequenter illud Prophetæ: (l) *Propterea populus meus ductus eſt captivus, quia non habuit ſcientiam.*

CAPUT XII.

Quo in opere tam ſalutari non tantum Paſtor, ſed etiam quilibet Eccleſiaſticus (labia enim Sacerdotis cuſtodiunt ſcientiam) deberet quærere in tanta populi ignorantia occaſiones de ſalute animarum bene merendi. Et ut quilibet in hac Civitate ſeſe reddat ad hoc opus capaciorem, hortamur omnes Sacerdotes, ut lectiones Theologicas, quæ in hac Civitate quotidie ſatis frequenter habentur, viſitent, quando id ſine detrimento Officii Divini, aliarumque functionum, quibus ratione ſuorum beneficiorum obligantur, licebit. Nec deſinant privatim libros pios & doctos huc facientes diligenter evolvere, cum nulla alia occupatione utilius aut decentius bonas horas queat Sacerdos tranſigere.

TITULUS XII.

De Officio Divino.

CAPUT I.

UT, quæ de Officio Divino in Synodo Provinciali ſtatuta ſunt, ad exactam obſervationem & commodiorem executionem perduci poſſint; ſtatuenda, quæ ſequuntur, duximus.

CAPUT II.

Ut diſtrictius ſervetur Decretum Concilii Tridentini, (m) quo omnes jubentur Divinum Officium per ſe facere, atque in Choro ad pſallendum inſtituto Hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, diſtincte, devoteque laudare: idcirco mandamus omnibus Beneficiatis, cujuscumque dignitatis fuerint & ordinis, ut Decretum illud obſervent; meminerintque in eo proprium Eccleſiaſticorum officium verſari, & noſtram omnium quam expectamus beatitudinem, futuram eſſe, Dei laudibus cum univerſo Sanctorum cœtu celebrandis æternum occupari.

CAPUT III.

Decantationes Veſperarum paſſim in pagis intermiſſæ, paulatim reſtituantur, una cum Laudibus, quarum initium *Salve Regina*, aut alia pro temporis conditione Antiphona de Deipara: quæ Laudes concludantur trina repetitione Salutationis Angelicæ: *Ave Maria.* In ſolemnibus vero Feſtis congruum eſt, ut Laudes de Ven. Sacramento addantur. In Eccleſiis, ubi decantatur Prima, legatur quotidie Martyrologium pro die ſequenti. Et poſt Primam dies denuntietur, quo Anniverſarium aliquod celebrandum erit, ſimul recitando eorum nomina, quorum recurrent Anniverſaria. In pagis vero die Dominico poſt concionem denuntientur eorum nomina, quorum Anniverſaria illa hebdomada occurrent celebranda.

CAPUT IV.

In omnibus Eccleſiis Collegiatis & Parochialibus ſemper certa hora diebus Dominicis & Feſtis Concio & ſumma Miſſa celebretur. Quæ Miſſa in pagis æſtate fiet hora octava, hyeme vero hora nona; nec prætextu ſolemnizandi Matrimonii aut expectationis alicujus notabilis perſonæ, aliove colore differatur, eo quod magna incommoda ex dilatione oriantur. Si qui vero propter Sacerdotum raritatem duobus locis Officium Parochiale facere debent, in una Eccleſia Officium incipiant hora ſeptima, in altera ſub decimam. Si quis hoc tempus notabiliter ſive præveniendo, ſive ſubſequendo fuerit transgreſſus, mulctabitur tribus florenis; ſi ſæpius, graviori pœna arbitraria.

CAPUT V.

Comparentur aut deſcribantur in omnibus pagis libri ad cantandum Officium, quod ibidem fieri conſuevit, aut debet, neceſſarii: ſitque ubique in cantu & cæremoniis celebrationis Miſſarum conformitas juxta præſcriptum Miſſalis Romani; quod etiam Regulares, Parochiale Officium facientes, ſequi teneantur.

CAPUT

(l) Iſaiæ 5. (m) Seſſ. 24. de Reform. cap. 12. ſub fin.

itized by Google

CAPUT VI.

Quoniam in omnibus Eccleſiis noſtræ Diœceſis (Cathedrali dumtaxat excepta) rarior eſt Clerus, quam ut omnes Divini Officii ritus juxta præſcriptum Cæremonialis juſſu CLEMENTIS Octavi editi, ſervari poſſint: volentes tamen, ut ea ſerventur, quæ poſſunt, & ubique ſit conformitas, ſubſequentia exacte obſervari præcipimus. In Eccleſiis Collegiatis & Parochialibus hujus Civitatis & locis celebrioribus ſumma Miſſa Dominicis & Feſtis cum omnibus cæremoniis & thurificationibus in Miſſali Rom. de Miſſa ſolemni præſcriptis celebretur; aſſiſtentibus Diacono & Subdiacono, qui cum omni reverentia, ſine ullo diſcurſu aut confabulatione, Celebranti juxta cæremonias in eodem Miſſali præſcriptas operam ſuam præſtent. Numquam vero tam in iſtis, quam aliis Miſſis etiam votivis aliquid eorum, quæ decantari debent, omittatur, aut per Cantores aut organa ſyncopetur, multo minus circa legenda aut decantanda in Miſſali præſcripta aliquid immutetur.

CAPUT VII.

Ei, qui tamquam Presbyter Divinum Officium celebrat, habitu convenienti induto, detur ſemper in Proceſſionibus locus dignior: in Laudibus porro ad *Benedictus*, & in Veſperis ad *Magnificat*, hic idem pluviali indutus thurificationem faciat. Sit autem tam in hac re, quam in Laudibus veſpertinis per omnes Parochias conformitas, neque Paſtor, aliusve quispiam propria auctoritate præſumat aliquid immutare. Eamdem uniformitatem etiam in adminiſtratione Sacramentorum, purificatione puerperarum, Sacramentorum delatione, & ſepultura defunctorum, ſervari mandamus.

CAPUT VIII.

In omnibus Parochiis diebus Dominicis ac Feſtivis celebretur ſumma Miſſa in ſummo altari de Tempore; neque Miſſæ votivæ, aut Miſſæ pro defunctis loco ſummæ Miſſæ, umquam, ſaltem in Civitate, peragantur: ideoque Officium Defunctorum non fiet in die Dominico aut Feſto, niſi alius adſit Sacerdos, qui debita hora celebret ſummam Miſſam de Tempore aut Feſto. Maxime autem ſoliciti ſint, quibus ea cura incumbit, ut totum Officium Divinum fiat reverenter, devote, ordinate, & cum debita ſolemnitate, ſemper quidem, ſed præcipue Dominicis & Feſtis, ut populus ad devotionem & Parochiæ ſuæ aſſiduam frequentationem incitetur.

CAPUT IX.

Ubi in Eccleſia aliqua plures ſunt Sacerdotes, ut populi commoditati conſulatur, potiſſimum Dominicis & Feſtis, non plures ſimul celebrent, ſed horas dividant, quæ a ſingulis indubitate ſerventur. Tempus, quo Miſſæ a Fundatoribus certa aliqua hora celebrari jubentur, ſub pœna amittendi alterum tantum, quanta eſt eleemoſyna cuique Sacro attributa, numquam mutetur aut prætermittatur.

CAPUT X.

Appendatur catalogus in Veſtiario Eccleſiæ, in quo deſcripta ſint nomina omnium Beneficiatorum & Officiatorum Eccleſiæ ejusdem: & ſingulis nominibus adſcribantur Miſſæ ab unoquoque celebrandæ ex fundatione beneficiorum vel officio proprio, ſimul dies & hora, quam ſervare infallibiliter teneantur.

CAPUT XI.

Quando in aliquo altari eſt fundata Capellania ad alicujus Sancti honorem, in Feſto ejusdem Sancti occurrente hoc agatur, ut ſolemnis aliqua Miſſa in eodem celebretur.

CAPUT XII.

Si quæ ſint Capellæ aut Altaria diruta, in quibus fundationes aliquæ ſunt inſtitutæ, Nobis indicentur, ut juxta Decretum Sacroſancti Concilii Tridentini (*n*) a Nobis ad alias Capellas aut altaria (donec propria reſtituta ſint) transferantur.

CAPUT XIII.

Altare tegatur cum mappis debite juxta Rubricas Miſſalis, atque honeſte, & frontiſpicio ejus toti præpendeat decens

(*n*) Seſſ. 21. cap. 7.

decens aliquod aulæum, quod *Antipendium* vulgo dicitur. Sit Crux in altari & tabula aliqua picta, aut ipsemet paries contiguus altari, depictus: maxime autem curetur, ut tam in altari, quam vestibus Sacerdotalibus perpetua sit mundities linteorum, & aliorum, quæ ad rem Divinam pertinent. Graviter puniendus hujus Statuti transgressor.

CAPUT XIV.

Pastores & Capellani cantantes Collectam in Laudibus vespertinis, aut assistentes Officio Ven. Sacramenti, teneantur circa altare superpelliceo induti subsistere a principio usque ad finem Laudum: quibus finitis, aqua benedicta populum etiam non aspergant, nisi induti superpelliceo.

CAPUT XV.

Similiter quandocumque Officium Divinum Pastor, Capellani, Cantores, Custodes decantant, aut in Processione procedunt, semper induti sint superpelliceo, habeantque sub eo vestem talarem nigram, aut subnigram, ac collaria simpliciora, sub pœna distributionis amittendæ.

CAPUT XVI.

Canonici insuper in Cathedrali & in Ecclesiis Collegiatis omnibus a die Commemorationis omnium fidelium Defunctorum usque ad feriam sextam Paraſceves inclusive choralibus cappis sub eadem pœna utantur: & primo quoque tempore in Cathedrali & Collegiatis Capellani æstate superpelliceo cum almutio, hyeme vero cappis suo Ordini congruentibus induantur.

CAPUT XVII.

Ubi Horæ Canonicæ ante has turbas decantari solitæ interruptæ sunt, ante proximum trimestre curet Pastor deferri ad Nos descriptionem fructuum ad decantationem hujusmodi Horarum relictorum, ut juxta illorum rationem decernatur, quæ Horæ in posterum cantari debeant.

TITULUS XIII.

De Festis, & Jejuniis.

CAPUT I.

MAximam in servandis Dominicis & Festis diebus negligentiam ut populus corrigat, Concionatores sæpe moneant, explicantes, ad quæ istis diebus agenda, omittendaque obligentur, gravitatemque transgressionis exponentes: & singulis Ecclesiis tabula ordinationis de Festorum observatione sit appensa.

CAPUT II.

Et quia non omnes monitionibus flectuntur; volumus contra illos transgressores sine dissimulatione procedi juxta Ecclesiæ præcepta, Serenissimorum Principum nostrorum edicta, Prædecessorumque nostrorum ordinationes. Idemque, ut faciant, hortamur in Domino, & serio requirimus omnes Magistratus, Officiariosve sæculares, duas tertias mulctarum, in quas incursuri sint, transgressores applicando fabricæ Ecclesiæ illius Parochiæ, in qua istiusmodi transgressio committetur. Potissimum autem diligenter observetur, ne Dominicis & Festis diebus, eo tempore, quo Divinum Officium fit, aut verbum Dei prædicatur, tabernæ vel hospitia ulla aliis, quam viatoribus pateant. Si vero ipsi Officiarii caupones sint, & hac occasione lucri cupiditate hanc justissimam legem ipsi violent, aut alias fuerint negligentes, mandamus Pastoribus, & aliis in Parochia Sacerdotibus, nec non & Custodibus, ut tales ad Officialem nostrum deferant: eidem Officiali nihilominus injungentes, ut in tales inquirat, etiam non monitus a Pastore.

CAPUT III.

Festa celebranda in Diœcesi Antverpiensi exprimuntur in primo Synodo Provinciali Mechl. & Pastorali Mechlinienſi: occurrentia vero illis diebus, ex quibus secundum Breviarii Rubricas debent transferri, celebrentur illis diebus, in quos incidunt; a Clero vero serventur Rubricæ, exceptis dumtaxat Festo Annuntiationis B. Mariæ, & Festo S. Marci, in quorum celebratione Statutum Synodi Provincialis servetur.

CAPUT IV.

Dominica Quinquagesimæ Pastor publicet jejunium Quadragesimale, ejusque observationis obligationem, prout in Pastorali Mechlinienſi: & eadem

by Google

occaſione moneat populum, ut tempeſtive ante Paſcha iſto ſacro tempore paret ſe ad Confeſſionem, & in pagis deſignet aliquos in Quadrageſima dies, in quibus inſtructurus eſt juniores & rudiores ad Confeſſionem bene faciendam, & Communionem Sacram rite ſumendam.

CAPUT V.

Quicumque deprehendetur ova aut carnem in Quadrageſima, aut aliis diebus, quibus per Eccleſiæ legem id non licet, ſine legitima diſpenſatione comediſſe, ad Officialem noſtrum ſine diſſimulatione deferatur, atque pro ſcandali vel contemptus qualitate puniatur. Nulli vero diſpenſatio hujusmodi a quocumque obtenta ſuffragetur, niſi fuerit a Nobis, aut certe Vicario noſtro Generali examinata & approbata. Is autem, cui ex legitimis cauſis eſus carnis, vel illius venditio permittitur, ea venia diſcrete & ſine ullo ſcandalo utatur, tàm hic, quam ille: alioqui is, qui hoc ſcandalum dederit, pater etiam familias, qui ne daretur, non impedivit, perinde atque ſi ſibi nulla facultas conceſſa foret, corrigetur.

CAPUT VI.

In Quadrageſima ante feriam quartàm hebdomadæ ſanctæ publice ova vendi inhibemus.

CAPUT VII.

Quoniam propter annonæ caritatem, plurimorum inopiam, & multorum infirmitatem, uſum lacticiniorum in Quadrageſima, die Cinerum, Feria quarta & ſexta, & Sabbato hebdomadæ ſanctæ exceptis, in hac Diœceſi permittere hactenus viſum eſt; Nos etiam in poſterum idem permittendum exiſtimavimus, donec aliter ſtatuerimus: ita tamen ut ſinguli ad jejunium obligati, ea gratia uti volentes, quotidie recitent ſemel Orationem Dominicam & Salutationem Angelicam, vel intra Quadrageſimam eleemoſynam unius ſtuferi inferant in Gazophylacium ad hoc in ſingulis Parochialibus Eccleſiis conſtituendum, pro medietate in uſum fabricæ cujusque Eccleſiæ, & altera Seminarii uſibus applicandam.

CAPUT VIII.

Hiſtriones, Comœdi, & ſimiles non admittantur ad agendum ſeu exhibendum, niſi eorum comediæ a Cenſoribus ſint perluſtratæ & probatæ, ac ne ſic quidem in Quadrageſima vel Adventu.

TITULUS XIV.

De Imaginibus.

CAPUT I.

IMagines cum omni decentia & ſervato decore depingi oportet: qua in re, quia ſæpius peccatur, volumus, ut in poſterum, quandocumque imago aliqua nova & inſolita depingetur in Eccleſia collocanda, ipſum prototypon vel prima delineatio in Civitate Nobis, aut Vicario noſtro Generali, una cum Capitulo, ruri Decano Chriſtianitatis exhibeatur; ut quod contra veritatem aut decorum forte depingendum fuerat, emendetur. In depictione autem & admiſſione imaginum habeatur ratio eorum, quæ ſcripſit in opuſculo quatuor librorum de Sacris Imaginibus Venerabilis Theologus Joannes Molanus.

CAPUT II.

Graviſſime illos puniendos declaramus, qui imagines falſum quippiam ſignificantes, aut ludibrii cauſa excogitatas contra veritatem, Eccleſiam, Eccleſiaſticasve perſonas, aut in ignominiam alicujus Ordinis vel ſtatus pinxerint, ſculpſerint, aut impreſſerint.

CAPUT III.

Inter quos cenſeri debebunt ii, qui Cœnam Domini depingent inſtar cœnæ Calviniſticæ, videlicet poſitis in lance panis fruſtis oblongis, aut offis rubro vino tinctis. Quales imagines, ubicumque reperientur, ſtatim emendentur, aut omnino tollantur.

CAPUT IV.

Imagines ab Iconomachis ruptæ, aut mutilatæ, aut carie conſumptæ, ſi decenter reparari nequeant, ab Eccleſiis tollantur: quæ autem reſtaurari queunt, interim dum id fit, extra populi conſpectum ponantur; cujus rei diligentem habeant rationem in facienda

Digitized by Google

da qualibet viſitatione Archi-Presbyteri rurales.

CAPUT V.

Imagines Chriſti crucifixi ſanguinolentæ & vibicibus lividæ, ut Redemptionis noſtræ pretium uberius exprimant, depingantur.

CAPUT VI.

Si in pede altaris perſonæ vivæ, aut alioqui viventibus notæ, vel ſi profana ibi depicta ſint, illa deleri; aut dum in altari Sacrificium Miſſæ celebrabitur, cortinula tegi volumus: atque ne in poſterum ibi pingantur, vetamus.

CAPUT VII.

Inſignia aut effigies perſonarum ob crimina commiſſa infamium, ab Eccleſiis penitus eliminentur.

CAPUT VIII.

Quæ de pictoribus dicta ſunt, eadem de ſculptoribus & inciſoribus, impreſſoribusque intelligantur; quos etiam novas & inſolitas aliquas imagines ſculpere, incidere, imprimereve vetamus, niſi prius illarum exemplar aut delineatio viſitata a Cenſore & probata fuerit. Si quis vero imagines aliquas, etiam antiquas, aut alibi impreſſas, continentes aliquam falſitatem, ſcommata, ſcandala, aut obſcœnitatem pinxerit, impreſſerit, aut vendiderit, ſubjaceat pœnis contra Typographos & Bibliopolas in ſimilibus peccantes latis.

TITULUS XV.

De Superſtitione.

CAPUT I.

GRave peccatum, Deo valde injurium, & Reipubl. in primis noxium, eſt Superſtitio: ad quam reprimendam & extirpandam ſerventur ea, quæ SIXTUS V. in Bulla: *Cœli & terræ*, & Sereniſſimi Archi-Duces tam in ſuis literis huic Synodo in calce adjectis, quam in edicto Concilio Provinciali Mechlinienſi addito, ſtatuerunt.

TITULUS XVI.

De Archi-Presbyteris, Paſtoribus, Capellanis & Cuſtodibus.

CAPUT I.

ARchi-Presbyteri, ſeu Decani rurales in viſitatione inquirant, an obſerventur ea, quæ in Synodo Provinciali & hac Diœceſana ſtatuta ſunt, potiſſimum quæ ſub Titulis: De Officio Divino, Catechizatione, Templis, Paſtoribus, Scholis, adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum ordinantur, cæteraque omnia, quæ in particulari inſtructione a Nobis ſubſignata habent, cui fidem haberi volumus tamquam hujus Synodi Decretis: viſitabit autem quilibet ſuum Diſtrictum ſtatim poſt Dominicam in Albis: ſuæque viſitationis acta nitide deſcripta poſt feſtum Viſitationis B. Mariæ Feria ſecunda ſeptimanæ perſonaliter deferant, ſimulque Feria tertia ſubſequenti in ædibus noſtris conveniant. Ipſi vero ſuo ordine Congregationem Paſtorum habeant, Feriis tertiis hebdomadarum dictam ſeptimanam ſubſequentium. Hortamur tamen omnes, ut licet mox poſt Paſcha inſtituerint, abſolverintque viſitationem ſuam, data tamen occaſione Parochias ſibi commiſſas ſæpius inviſant.

CAPUT II.

In congregatione Paſtorum tractabitur præcipue de executione Decretorum hujus Synodi: & ſinguli Paſtores libere pandent, ſi in ſuis aut vicinis Eccleſiis aliquos defectus aut transgreſſiones animadverterint. Decanus autem indicabit Nobis defectus, quos in obſervandis Decretis viſitando vel quomodolibet aliter deprehenderit.

CAPUT III.

Archi-Presbyteri ſeu Decani rurales, cum ſint Parochorum aut Sacerdotum ſui Diſtrictus Paſtores, ſoliciti ſint de eorum ſalute & profectu ſpiritali, & ſingularem habeant inſpectionem & curam de ipſorum doctrina, vita & moribus. Et viciſſim mandamus Parochis & Sacerdotibus, ut Decanos uti Superiores ſuos agnoſcant, revereantur, & ament.

CAPUT IV.

Ubi autem intelligent aliquem e ſui Diſtrictus Paſtoribus aut Sacerdotibus periculoſe laborare, ſtatim ad eum excurrant, moneantque, ut ſaluti ſuæ conſulat, eique, ſi opus eſt, Sacramenta adminiſtrent: quod ſi eum ex ea ægritudine decedere contigerit, etiamſi Regu-

Digitized by Google

Regularis alicujus inſtituti ſit, ſtatim curabunt fieri inventarium omnium bonorum relictorum, ut piis legatis, aliisque creditoribus de ſolutione debitorum cautum ſit: atque omnia munimenta fabricæ Eccleſiæ vel menſæ pauperum apud eum reperta, fabricæ eidem vel menſæ pauperum reſpective curent reſtitui. Quæ vero ad Paſtoratum aut fundata ſibi beneficia ſpectabunt, ac ſpeciatim defuncti Enchiridion ſeu Manuale, in quo redituum a ſe receptorum rationes deſcripſit, ſecum deferent; neque ulla hujusmodi monumenta relinquent in manibus aliorum, etiam ſub prætextu, quod iis forte indigeant ad executionem teſtamenti. Si tamen aliquo revera opus ſit, dabunt exemplum ſeu copiam iſtiusmodi documenti, quo ſe indigere aſſerent. Mortuis juſta perſolvent, curamque gerent, ut infra annum in Curia noſtra Eccleſiaſtica domus mortuariæ (ſi Sacerdotes ſæculares fuerint) computus & rationes exhibeantur, & peragantur. Habebunt autem Decani ſua jura tam a ſæcularibus Sacerdotibus, quam Regularibus in ſua inſtructione deſcripta.

CAPUT V.

In adminiſtratione Sacramentorum & funeralium, Beneficiatus aut Habituatus in Eccleſia Cathedrali, Collegiata, eisdemve ſubalterna, ſuberit Decano iſtius Collegii. Qui vero in iisdem Beneficiatus aut Habituatus non eſt in Civitate, ſuberit Archi-Presbytero civitatenſi, alibi Archi-Presbytero rurali: cujus officium eſt, omnibus Eccleſiaſticis tam Sæcularibus, quam Regularibus extra Monaſterium degentibus, in ſuo Diſtrictu morientibus, Sacramenta adminiſtrare, & officium funebre facere. Urgente tamen neceſſitate Paſtor loci aut vicinus vices ſuppleat.

CAPUT VI.

Si vero contingat aliquem mori, qui ſit Beneficiatus aut Habituatus in Eccleſia Cathedrali, Collegiata, aut ſubalterna, & ſimul alibi in Diœceſi noſtra, adminiſtrabit ei Sacramenta Decanus loci, in quo infirmatur. Officium autem funebre fiet utroque loco beneficii a quolibet illius Decano.

CAPUT VII.

Paſtores noverint finem officii ſui eſſe ſalutem ovium, ad quem proinde ſcopum Paſtorales actiones ſuas omnes dirigere & referre ſe debere intelligant, meminerintque illius, quod a primis Eccleſiæ Paſtoribus fuit dictum: (o) *Nos autem orationi & miniſterio verbi inſtantes erimus.* Quo ſignificatum eſt, hæc duo præcipue ſpectare ad Paſtorum officium: alterum, ut pro ſalute gregis ſui quotidie Deo Sacrificium offerre, atque etiam extra Sacrificium pias ad Deum preces fundere numquam deſiſtant; alterum, ut prædicationi verbi Dei aſſidue inſiſtant: ſub quibus & tertium comprehenditur, adminiſtratio Sacramentorum, quæ reverenter & devote cum aſtantium ædificatione fiat. Denique pie, ſobrie, & juſte vivendo ſint forma ſui gregis.

CAPUT VIII.

Cum non excuſetur, ſed magnopere culpandus ſit Paſtor, ſi lupus oves devorat, & Paſtor id neſcit: diligentiſſime advigilent Parochi, ne quis extraneus aut incola oves ſibi commiſſas hæreſi inficiat, & proinde diligenter exequantur Articulum octavum hoc Titulo Synodi Provincialis, ut ab iis, qui ad ipſorum Parochiam recens commigrarint, exigant vitæ teſtimonium, ab illo Paſtore, ſub cujus Parochia ultimum domicilium habuerunt, ſubſignatum: aut ſi veniant ex Provinciis, ubi Paſtores non ſunt, adferant alias fide dignum teſtimonium, eademque in re Magiſtratus locorum requirimus, ut Decretum Sereniſſimarum ſuarum Celſit. ad juvandum executionem dicti Concilii Provincialis promulgatum Articulo 17. & 18., ejusque voluntatem ſæpius declaratam fideliter ac ſedulo obſervent.

CAPUT IX.

Ut quod a Sacroſancto Concilio Trident. & primo Provinciali Mechlinienſi ſalubriter, quo Paſtores facilius agnoſcerent vultum pecoris ſui, ſtatutum eſt, ut, ubi in una Eccleſia plures paſto-

(o) Act. 6.

Paſtores toti populo pro indiviſo præſunt, certæ ſingulis aſſignentur Parochiarum regiones, executioni mandetur; præcipimus, ut ante trimeſtre proximum, ubi Parochiæ indiviſæ ſunt, per deputandos a Nobis hujusmodi partitio fiat, ac Nobis approbandi cauſa exhibeatur.

CAPUT X.

Intelligant Paſtores non ſatis eſſe, ſi generaliter in ſuis concionibus peccata arguant, ſed etiam privatim ſe debere monere eos, quos in ſtatu damnationis verſari vident: quos ſi obſtinatiores animadvertant, ſuisque monitionibus non moveri, obligatos ſe ad eos Nobis, Officialive noſtro indicandos. Quod ſi in alicujus Parochia notorii peccatores inveniantur, quorum Paſtores habeant, aut facile habere notitiam potuerunt: eosque non denuntiaverunt, ob gravem ejusmodi negligentiam, Dei in primis, deinde & Epiſcopi ſui indignationem ſciant ſeſe incurſuros.

CAPUT XI.

Hortamur Paſtores, ut habeant ſingularem ac paternam curam eorum, qui vere pauperes ſunt, & aliena ope indigent, ſive de ſuo ſi poſſint eos adjuvando, ſive ditionibus Parochiæ ſuæ eos commendando, ſive quacumque alia ratione eorum inopiam ſublevando. Et ab iis in adminiſtratione Sacramentorum nihil accipiant.

CAPUT XII.

Duobus regiſtris, quorum in Synodo Provinciali fit mentio, addant Paſtores tertium, in quo deſcribant nomina in ſua Parochia morientium, ſive in Eccleſia parochiali, ſive in alia ſepeliantur.

CAPUT XIII.

Si vero contingat in poſterum, aliquem ex facultate ſibi legitime facta, adminiſtrare Baptiſmi aut Matrimonii Sacramenta non ſuis ſubditis; teneatur ipſorum nomina ad Archi-Diaconum noſtrum, & proprios Paſtores, ſi habeant, transmittere. Similiter & ea regiſtra, in quibus deſcripta ſunt nomina baptizatorum, & Matrimonio junctorum, ab & coram non propriis Parochis, ſed aliis, quibus ob turbatam temporum rationem illa cura commiſſa fuerit, per eosdem ad illos transmittantur.

CAPUT XIV.

Ad evitanda multa incommoda, quæ proveniunt, dum Patroni Eccleſiarum Parochialium incorporatarum debitam non contribuunt portionem; hortamur omnes Patronos in Domino, ut ante feſtum S. Remigii proximum competentiam Paſtori certam & juxta taxam Provincialis Synodi ſufficientem aſſignent. Id, ubi omiſſum fuerit, Paſtor, & ubi Eccleſiæ proviſum non erit de Paſtore, Communitas ipſa, curante ſeu monente Decano Chriſtianitatis, Nobis, Officialive noſtro offerat libellum; eique adjungat ſpecificationem fructuum bona fide declaratorum, conſcriptam, ut ad aſſignandam competentiam procedatur juxta Cap. 4. hoc Tit. Synodi Provincialis.

CAPUT XV.

Paſtor apud ſuos Parochianos reſideat, nec ab iis ſine licentia Decani ruralis, ac niſi alteri idoneo cura ſuorum commiſſa, ultra octiduum abſit: habiteteque non ſolum intra limites ſuæ Parochiæ, ſed etiam non procul ab Eccleſia; nullo autem modo in diverſorio quopiam ſeu taberna, aut in domo quapiam malæ famæ.

CAPUT XVI.

Ideoque ubi Presbyteria, ſeu Domus Paſtorales non ſunt, provideat Paſtor cum ſuis Parochianis, ut quanto citius fieri poteſt, aliqua domus ipſi Eccleſiæ propinqua, in fundo ipſius Paſtoratus, ſi quis ſit, ædificetur. Quam, ubi exſtructa fuerit, deinceps Paſtor ſartam tectam ſervare teneatur.

CAPUT XVII.

Paſtores, qui propter raritatem Sacerdotum duabus ſerviunt Eccleſiis, alternatim in alterutra plene faciant Officium, & in alia ſolum Sacrum celebrare teneantur.

CAPUT XVIII.

Capellani reſidentes in pagis, in Capellis ſubalternis, ita celebrent Officium ſuum in iis, ut in Parochia ſum-

mæ Miſſæ populus atque ipſi intereſſe poſſint.

CAPUT XIX.

Cuſtos aſſumatur, qui boni ſit nominis & famæ, & honeſtæ converſationis, peritus cantus: qui, ſi alius Ludimagiſter non ſit, etiam Scholam aperiat; ſi id facere nolit, ne admittatur (niſi forte proviſionaliter, donec alius idoneus inveniatur ad cuſtodiam) quod ſi ſemel ſuſceptam, ſine cauſa, per Decanum ruralem approbanda, Scholam deſeruerit, etiam cuſtodia privari poſſit.

CAPUT XX.

Aſſumptus Cuſtos Decano rurali præſentabitur, ab eo de qualitatibus requiſitis examinandus & admittendus; & ſi ejusmodi matricularia beneficium ſit, ab Archi-Diacono inſtitutionem poſtulabit.

CAPUT XXI.

In admiſſione ad matriculariam deinceps præter fidei profeſſionem & promiſſionem de obſervandis iis, quæ in Synodo Provinciali & hac Diœceſana de officio Cuſtodis decreta ſunt, promittat etiam, quod perſonaliter reſidebit, & officium per ſe faciet. Qui vero ante hanc Synodum admiſſi ſunt, ſi per ſe officium ſuum oſtendant facere non teneri, aut non poſſint, debeant ſubſtituere debite qualificatum, a Decano rurali & Paſtore loci examinandum, ac cum aſſignatione honeſtæ competentiæ admittendum.

CAPUT XXII.

Paſtoribus, aliisque Sacerdotibus Officium Divinum aut Paſtorale munus in pagis obeuntibus, aut Miſſam celebrantibus, Cuſtodes non tantum Dominicis & Feſtis, ſed etiam ferialibus diebus, per ſe, vel alium operam ſuam in habitu decenti exhibeant. Ter aut bis, id eſt, mane & veſperi, atque ingruente tempeſtate, ad populum ad precationem excitandum campanam pulſent: & quid pulſus iſte ſibi velit, Paſtores aliquando ſuis explicent.

CAPUT XXIII.

Qui Ballivi, Prætoris, Procuratoris, aut ſimili funguntur officio, aut cauponam aperiunt, cum hujusmodi officiis diſtracti debite officium Cuſtodis facere non ſoleant, in poſterum ad hoc officium non admittantur. Admiſſus vero ad cuſtodiam, ſi deinceps hujusmodi incompatibile officium cum cuſtodia ſuſcipere præſumat, cenſeatur ipſo facto privatus, poſſitque ſtatim alteri de officio Cuſtodis provideri.

TITULUS XVII.

De vita & honeſtate Clericorum.

CAPUT I.

CUm Clerus in hac noſtra Diœceſi in medio quotidie verſetur hæreticorum, quos ſcribit D. Auguſtinus (p) accurate Sacerdotum, Clericorum, & Monachorum obſervare actiones, ac ex minimis etiam nævis maximam accipere totum ordinem calumniandi occaſionem; ita ſtudeant vivere, ut obmuteſcere faciant adverſarios, & ut in medio nationis pravæ luceant tamquam luminaria, in omni bonitate, juſtitia, & veritate. Et ad promovendam Dei gloriam ac proximorum ſalutem, quotidianis pro Chriſti ovibus Sacrificiis, aſſiduis orationibus, inſtructione ignorantium, aliisque charitatis Chriſtianæ officiis, in tanta inopia Sacerdotum, & animarum periclitantium multitudine, totum ſe impendat unusquisque pro ſui talenti ratione.

CAPUT II.

Quilibet Sacerdos ante feſtum D. Joannis proximum habeat veſtem ſuo Ordini congruentem, Sæculares juxta præſcriptum Synodi Mechlinienſis, vel ſaltem utramque veſtem interiorem & exteriorem talarem: Regulares vero juxta ſuæ profeſſionis ſtatuta, ſub pœnis & cenſuris a jure communi & ordine latis; nec ullus Regularis ſine ea in publicum prodeat absque ſpeciali noſtra licentia, non niſi ob ſingulares rationes a Nobis concedenda.

CAPUT III.

Quamquam laudabilis conſuetudo in Belgio certa forma tondendi capillitium & barbam (quo veteriſſimo Eccleſiæ ritu Clerici ſignificabant ſe ſuperflua omnia ac terrenas ſolicitudines abjo-

(p) Epiſt. 137.

Digitized by Google

abjeciſſe, ea, quæ ſurſum ſunt, quærere & ſapere, quo & a Laicis ſecernebantur, & a multis levitatibus mundanis coërcebantur) turbulento hoc tempore apud multos intermiſſa ſit: volumus tamen omnes Beneficiatos, & in Sacris Ordinibus conſtitutos, ſemper geſtare tonſuram Clericalem conſpicuam, gradui ſuo convenientem, & crines non habere ſetarum inſtar (quæ juvenilis eſt vanitas Laicorum) erectos ſupra frontem, neque barbam ſtudioſe comptam, aut ab utroque oris latere militum more allatam, vel quovis modo ita labro ſuperiori incumbentem, ut Sacrum Chriſti Sanguinem ſumpturo creet aliquod impedimentum aut irreverentiæ periculum.

CAPUT IV.

Ut tollantur ſcandala, pericula Ordinis Eccleſiaſtici contemptus, aliaque mala, quæ ex tabernarum viſitatione neceſſario conſequi ſolent, diſtricte obſervari volumus Statutum Prædeceſſoris noſtri Reverendiſſimi Domini Sonnii, ut quicumque Eccleſiaſticus (niſi peregrinationis, aut alia neceſſitatis cauſa compulſus) tabernam bibendi cauſa viſitaverit, incurrat pœnam trium florenorum prima vice, ſecunda dupli, tertia quadrupli: quam pœnam inexcuſabiliter incurrere, decernimus omnes & ſingulos, qui id fecerint.

CAPUT V.

Quod ſi vero aliquis Clericalis ſuæ dignitatis, officiique immemor, potui nimis indulgens, in ebrietatem, quod abſit, inciderit; & ſcandalum aliquod ſeu in loco convivii, ſeu egreſſus inde in plateis, aut ubicumque demum dederit; pro ſcandali gravitate ſeveriſſime puniatur: quæ pœna ut minimum ſit pro prima vice duodecim florenorum, ſecunda dupli, ſi ſæpius, arbitraria & gravis.

CAPUT VI.

Quia vero incontinentiæ crimen maximum dedecus parit Ordini Eccleſiaſtico, ita ut ſola illius ſuſpicio populum graviter offendat; diſtricte prohibemus, ne quis Clericorum habeat ancillam, per quam incontinentiæ periculum, opinionem, vel ſuſpicionem poſſit incurrere; neque cum ancilla umquam ad convivia, multo minus ad tabernas accedat: teneaturque unusquisque ſuam ancillam ſine judicii ſtrepitu dimittere, quamcumque Nos in Vicariatu noſtro, aut Decanus & Capitulum quoad ſibi ſubditos, dimittendam judicaverimus.

CAPUT VII.

Nullus Eccleſiaſticus per ſe, vel alium negotiationem, vel aliud officium Clerico indignum exerceat; nec decimas, aut agros, vel ſilvas cæduas ad lignorum venditionem conducto accipiat: neque alicujus teſtamentum conſcribat extra cauſam neceſſitatis, aut niſi ad hoc ſpecialiter ſit admiſſus.

CAPUT VIII.

Abſtineant Clerici a convictu & familiaritate omnium hominum, qui publice habentur potatores, ebrioſi, aleatores, ſcortatores, uſurarii, hæretici, aut alio quovis crimine infames.

CAPUT IX.

Choreas non agitent, aleis ne ludant, aut pila palmaria in platea, locove alio publico diebus Dominicis & Feſtis: neque arcubus, baliſtis, aut bombardis inſtructi incedant.

CAPUT X.

Ut Statuta ſingulorum Capitulorum, & juramenta ab admittendis ad Beneficia præſtari ſolita, Decretis Concilii Trident. conſentiant; exhibebuntur Nobis omnia antiqua Statuta & juramenta examinanda, ut ſi quæ in iis forte reperiantur ſupradicti Concilii Tridentini Decretis repugnantia, emendentur.

CAPUT XI.

Hortamur autem in Domino omnes, quos ea res concernit, ut revideant atque perpendant juramenta antiqua, quæ ab admittendis ad officia, opificia, aliaque munia præſtari ſolent; eo fine, ut quæ in uſum deduci non poſſunt, omittantur, & ejusmodi juramento admittendorum addatur clauſula de fide Catholica ſervanda.

TITU-

TITULUS XVIII.

De Beneficiis & Officiis Eccleſiaſticis, Beneficiatorum reſidentia, oneribusque Beneficiorum & Fundationum adimplendis.

CAPUT I.

NEmo ad officium Paſtoris, aut Vice-Paſtoris, aut ad functiones Paſtorales exercendas admittatur, qui ad hunc effectum Nobis & Examinatoribus non fuerit ſpecialiter examinatus & idoneus repertus: alioquin actus per eos geſtos nullos eſſe declaramus, & inſuper competenti pœna ipſos fore plectendos.

CAPUT II.

Admittendus ad poſſeſſionem cujuscumque Beneficii, poſt fidei profeſſionem, præſtet juramentum, ab habente jus Inſtitutionis, aut Decano rurali proponendum.

CAPUT III.

Fructus autem fabricæ debiti, reipſa omnes, diſtributionibus exceptis, fabricæ applicentur. Quod etiam obſervandum erit, quando ab admiſſis ad poſſeſſionem alicujus Canonicatus, aut alterius Beneficii datur aliqua ſumma pecuniæ in augmentum diſtributionis panis, aut burſæ infirmorum, aut bonorum communium; quæ ſumma tota de facto in illum uſum ſolum debet applicari: qui vero hujusmodi pecuniam in admiſſione alicujus Canonicatus aut Beneficii datam in ſuos uſus converterit, ſciat ſe in conſcientia teneri ad reſtitutionem, præter peccatum, quod admiſit.

CAPUT IV.

Ad qualem reſtitutionem etiam obligati ſunt, quicumque fructus Beneficiorum, fundationumque quarumcumque in ſuos uſus converterint, oneribus illarum non expletis. Quamvis ubi ob malignitatem temporum, aliasve cauſas onera ejusmodi expleta non fuerint, non ideo ipſi debitores a ſolutione excuſentur; cum onera iſtiusmodi adhuc adimpleri, aut ſaltem ipſi fructus debiti ad fabricas Eccleſiarum, aliosve pios arbitrio noſtro ſimiles uſus, poſſint & debeant applicari.

CAPUT V.

Meminerint omnes Patroni, & alii quicumque, qui hujusmodi Beneficiorum, fundationumque quarumcumque & nominatim vacantium & abſentium, vel ad eos, qui abeſſent, pertinentium fructus aut emolumenta, cum ad alios jure ſpectarent, perceperunt, & iis, quibus debentur, non reſtituunt, ſeſe incidiſſe in pœnas a Concilio Trident. (q) ſtatutas.

CAPUT VI.

Jura Officiariorum, quæ in adoptione Beneficii evolventur, non exigantur ultra taxam pro ſingulis Capitulis aut Eccleſiis determinatam, aut a Nobis cum iis, quorum intereſt, determinandam.

CAPUT VII.

Capitula Eccleſiarum Collegiatarum, quæ certas aut ſufficientes diſtributiones non habent, cogitent de modo, quo eæ ſingulis Horis aſſignari poſſint; eumque Nobis prima quaque opportunitate ſuggerant, ut communicato conſilio ordinationi Concilii Trident. (r) ſatisfieri poſſit.

CAPUT VIII.

Ut etiam diſtributiones Capellaniarum in Eccleſia noſtra Cathedrali & aliis Eccleſiis augeri poſſint, ordinamus, ut omnia ea, quæ pro diſtributionibus relicta ſunt, intereſſentibus in Choro juxta præſcriptum Synodi (s) reipſa diſtribuantur.

CAPUT IX.

Quoniam pia Fundatorum fraudatur intentio, Eccleſia ſuis Miniſtris, & populus Divino Officio, aliaque plurima ſequuntur incommoda, quando obtinentes Capellanias non reſident in Eccleſiis ſuarum Capellaniarum; iis detrimentis & incommodis, ut ex officio noſtro proſpiciamus, declaramus ad reſidentiam teneri obtinentes Capellaniam, quam vocant animarum, ita funda-

(q) Seſſ. 22. cap. 11. de Reform.
(r) Seſſ. 21. cap. 3. Seſſ. 22. cap. 3. Seſſ. 24. cap. 15.
(s) Mechl. tit. 12. c. 3. 4.

fundatam, ut qui eam obtinet, Paſtori in ſua functione ſit adjutor : Poſſeſſorem etiam Capellaniæ, cujus fundatio exprimit Capellanum debere reſidere. Contra quos, ſi non reſideant, perſonaliter procedi volumus, pœnis contra non reſidentes a jure (t) conſtitutis.

CAPUT X.

Decretum Concilii Tridentini (*) de revidendis unionibus, quod hactenus a Prædeceſſoribus noſtris injuria temporum prohibitis executioni mandatum non eſt, exequi volentes, omnino requirimus ante ſemeſtre proximum ad manus noſtras omnium omnino unionum quorumcumque Beneficiorum, quibuscumque menſis, Capitularibus, Abbatiis, piis locis, Paſtoratibus quacumque auctoritate unitorum exemplaria manu Notarii publici deſcripta deferant; quo eas revidendo diſpiciamus, an conditionibus in unione præſcriptis ſatisfiat.

CAPUT XI.

Et quoniam compertum, plures ſe in poſſeſſionem Beneficiorum ſuperiorum turbarum tempore ſine ullo juſto titulo intruſiſſe; ſtatuimus, ut quorumcumque Beneficiorum aut Officiorum Eccleſiaſticorum noſtræ Diœceſis extra Cathedralem & Collegiatas Eccleſias, eisdemque ſubjectas, poſſeſſores in prima viſitatione per Decanum ruralem facienda titulos ſuos collationis, inſtitutionis, & poſſeſſionis exhibeant: qui vero quacumque ex cauſa abſunt, infra proximum a tempore publicationis hujus Synodi trimeſtre, ad Archi-Diaconum teneantur literas originales, vel ſi ita illis viſum fuerit, ſaltem copiam illarum authenticam transmittere, ſub pœna ſuſpenſionis a fructibus eorumdem Beneficiorum vel Officiorum.

CAPUT XII.

Miſſæ per Beneficium quodcumque fundatæ, (x) quæ debent celebrari in quibusdam certis altaribus, certis diebus vel horis, cantu, aliisque modificationibus, ſecundum omnes ſuas clauſulas, fundationes requiſitas, celebrentur. Ubi vero Eccleſiæ, aut altaria dirута ſunt, aut fructus hujusmodi oneribus non ſufficiunt; auctoritate Nobis a Concilio Tridentino (y) attributa, ad certa loca ea Beneficia transferantur, aut onera ad certam quantitatem reducantur : quod nemo, ne Patronus quidem, auctoritate privata præſumat facere, aut, ut hoc fiat, conſentire.

CAPUT XIII.

Beneficiati omnes infra trimeſtre Decano rurali ſui Diſtrictus tradant, ſeu transmittant ſyllabum ſeu deſcriptionem exactiſſimam omnium, quæ poſſident titulo Beneficii, omniumque proventuum, cum annotatione nominum, poſſeſſorum, hypothecarum, & limitum vicinorum fundorum ; eamque deſcriptionem & annotationem authenticam ; ſub pœna decem florenorum pro primo trimeſtri, pro ſecundo viginti florenorum: & Decani infra menſem, deinde ſubſequentem tradent, vel tuto mittent hæc eadem ad Archi-Diaconum, ut in Archivis noſtris ponantur.

CAPUT XIV.

Ubi vero Beneficium vacat, aut Poſſeſſor illud deſerit, Decanus ruralis cum interventu Paſtoris loci inventarium ſupra nominatum procurabit.

CAPUT XV.

Dum quis onus Miſſæ Beneficio aut Officio ſuo annexum per ſe explet, aut annexum Beneficio vacanti, vel ei quod a quopiam non reſidente poſſidetur, quæ Miſſa celebrari debeat certa hora, aut Dominicis, aut Feſtis diebus, in cujusque Miſſæ officium ſex ſtuferorum eleemoſynam aſſignamus: ſi autem celebretur cum cantu, ſeptem; alias quinque tantum. Ad quam taxam celebrationem Miſſarum, pro rata fructuum recipiendorum hoc præſenti rerum ſtatu, uſque dum aliter ea de re diſponemus, auctoritate Nobis a Sacroſancto Concilio Tridentino (z) tributa reducimus.

(t) X. de Cler. non reſid. cap. 4. 6. 8. &c.
(x) Concil. Trident. Seſſ. 25. cap. 5.
(z) Dicta Seſſ. 25. cap. 4.
(y) Seſſ. 7. cap. 6. Seſſ. 24. cap. 13. Seſſ. 21. cap. 7. Seſſ. 25. cap. 4.

CAPUT XVI.

Pari ratione, ne ob tenuitatem fundationum defunctorum anniversaria negligantur, plura anniversaria simul jungi permittimus, secundum taxam a Nobis in unaquaque Ecclesia pro numero Ecclesiasticorum residentium faciendam. In pagis vero, ubi tantum est unus Pastor & Custos, distribuatur pro decantatione Vigiliarum trium Lectionum & Missa unicus florenus; cujus duæ tertiæ cedant Pastori, & restans tertia Custodi, nisi aliter in fundatione distributio ordinata est.

CAPUT XVII.

In quolibet Capitulo deputetur unus vel alter, qui visitet & legat omnia munimenta Beneficiorum, & quarumcumque piarum fundationum in Ecclesiis suis, Capellisque subjectis constitutarum, describatque singulis incumbentia onera Missarum, & quæcumque sunt alia. Iisque ut exacte satisfiat, procuret Decanus, aut qui ad hoc specialiter deputabitur.

CAPUT XVIII.

Pastor etiam quilibet a Rectoribus fabricæ suæ Ecclesiæ, Capellarumque inde dependentium, & Curatoribus mensæ Sancti Spiritus, Hospitalium & Confraternitatum, curet sibi dari ex fabricæ, mensæ Sancti Spiritus, Hospitalis, Confraternitatisque respective registris extractum authenticum omnium Missarum, Anniversariorum, aliarumque ejusmodi fundationum, ad faciendum speciale aliquod officium relictarum, ut Fundatorum intentioni omnino satisfieri possit. Extractum vero hujusmodi, illiusque copiam authenticam, altera sibi servata, Decano visitanti exhibeat; qui illam Archivis Episcopalibus, peracta visitatione, inferat.

CAPUT XIX.

Ut exactius Missarum fundationes serventur, Decanus ruralis & Pastor cujusque Ecclesiæ junctim disponent & curabunt Missas Beneficiorum & Officiorum vacantium, item detentorum ab his, qui non resident, fieri per Beneficiatos residentes in loco fundationis; ita videlicet ut habeatur ratio ejus, qui maxime ex residentibus vitæ probitate meruerit, & indiguerit. Hujusmodi autem Missæ maxime diebus Dominicis & Festis fieri curentur, ut populi commoditati consulatur. Plane id exigit justitia, ut ex talium Beneficiorum fructibus primo satisfiat oneri Missarum, antequam de iis Possessor absens quippiam recipere possit.

CAPUT XX.

Nemo sub obligatione restitutionis, & pœna unius floreni, præsumat una & eadem Missa satisfacere pluribus fundationibus, aut Sacris votivis: si monitus non desistat, severe puniatur.

CAPUT XXI.

Beneficium simplex obtinens, habitum Clericalem gestet, Horas Canonicas legat, oneribus Missarum, & aliis, si quæ incumbunt, satisfaciat; eorumque omnium legitimum testimonium ante festum Beatæ Mariæ Magdalenæ Archi-Diacono, vel Decano rurali exhibeat, ut & studii literas aut concessæ absentiæ, si quas alicui ob rationabiles causas concesserimus: alioquin fructus non faciat suos.

CAPUT XXII.

Fructus Pastoratus aut Beneficii vacantis per decessum vel cessum debentur domui mortuariæ, pro rata temporis, quo Possessor resedit post festum D. Joannis Baptistæ. Ulteriores vero administrabit Sigillifer, & debitis oneribus curabit satisfieri. In Ecclesiis vero Cathedrali & Collegiatis, observentur illarum Statuta.

TITULUS XIX.

De Scholis.

CAPUT I.

SCholæ in pagis (ubi non sunt) statim instituantur: sintque in loco aliquo commodo juxta Templum, ut tam Præceptores, quam discipuli frequentissime a Pastoribus, aliisque visitari, observari, & in Religionis nostræ initiis commodius exerceri possint.

CAPUT II.

Ludimagister constituatur a Pastore, Magistratu, & primariis Parochiæ inco-

incolis (qui curabunt de neceſſario ſtipendio ei provideri) cum conſenſu Decani ruralis, in cujus manibus faciet Profeſſionem fidei, jurabitque ſe non docturum aut permiſſurum ab hypodidaſcalo vel diſcipulis in Schola ſua haberi libros hæreticos, aut de hæreſi ſuſpectos, aut quacumque ratione in honeſtatem peccantes, aliasve prohibitos; promittetque ſe obſervaturum ea, quæ de Ludimagiſtris tam in Synodo Provinciali, quam Diœceſana conſtituta ſunt.

CAPUT III.

Habeant autem rationem Ludimagiſtri, ut tenera ætas in pietate & morum modeſtia inſtituatur; ideoque ad catechizationem diſcipulos ſuos deducant, eosque ibi exiſtentes in diſciplina contineant; & ipſimet Præceptores pro captu diſcipulorum ſuorum diebus Sabbati poſt meridiem fidei noſtræ rudimenta explicent. Diebus Dominicis & Feſtis ad Miſſam Parochialem, atque ut minimum quater in anno ſimul ad Confeſſionem Sacramentalem deducant; ipſique Magiſtri bono vitæ ſuæ exemplo diſcipulos ad virtutem provocent, & ab omni tabernarum frequentatione, aliisque levitatibus abſtineant. Ubi autem conſuetudo Laudes B. Mariæ quotidie, vel ſaltem Sabbato decantandi a Scholaribus intermiſſa eſt, quamprimum reſtituatur.

CAPUT IV.

Pro pueris, quorum parentes ſuſtentantur ex eleemoſynis menſæ Sancti Spiritus, ſolvent Rectores ejusdem menſæ dimidium didactri ejus, quod ditiores pendunt, & ſuppeditabunt eis libros ad diſcendum neceſſarios; curabuntque, ne umquam deſint ipſis Catechiſmi, & præmiola in catechizatione pauperioribus diſtribuenda.

CAPUT V.

Quoniam ex raritate eorum, qui cantus ſunt periti, multis in locis Officium Divinum non recte peragi videmus, & difficilius in ætate grandiori cantus addiſcitur; in omnibus Scholis, potiſſimum Latinis, deſignetur bis terve in hebdomada una hora, aut ſaltem pars temporis pomeridiani Sabbatis & Profeſtis, quando diſcere cantum idonei doceantur, idemque ut in Religioſorum, qui juventutem docent Scholis, obſervetur, in Domino hortamur, & requirimus.

CAPUT VI.

Ut profectui eorum, quos rei familiaris anguſtia depreſſos tenet, quo minus cum inferiores Scholas percurrerunt, ad altiores diſciplinas procedant, quoad ejus fieri poteſt, conſulatur; inquirant omnes Paſtores ſedulo, an in ſua Parochia natis, aut ex ea oriundis alicubi inſtituræ ſint aliquæ burſæ, aliave ad Studioſos alendos ſubſidia, atque ad Nos deferant, aut Decano viſitanti denuntient: ut ſi qua forte temporum injuria obſcurata, aut etiam deperdita fuerint, in ſtatum obſervationemque priſtinam reſtituantur.

TITULUS XX.

De Seminariis.

CAPUT I.

INſtitutum Seminarii a Nobis ante annos quinque erecti ipſa rei evidentia abunde commendat; ac probat omnibus, qui fructum ex eo provenientem in hac tanta Sacerdotum raritate, ipſoque afflictiſſimo Eccleſiæ noſtræ ſtatu, cognoverint. Formantur enim in eo provectiores bonæ ſpei juvenes, qui in humanioribus literis, ſtudiisque Philoſophicis verſati, idonei ſunt ad Theologiæ ſtudium capeſſendum; in quo per tres quotidianas lectiones, quarum duæ in Theologia morali, tertia in Controverſiis, per frequentes diſputationes, item per conferentias in caſibus conſcientiæ, conciones domeſticas, privatasque examinationes, exercitia in cantu, cæremoniis Eccleſiaſticis, ſimilibusque aliis, breviſſimo tempore reddūntur capaces Dei ſingulari beneficio ad operam ſuam in vinea Domini præſtandam.

CAPUT II.

Enimvero cum omnia alias ſapientiſſime inſtituta ſubſiſtere nequeant, niſi rei domeſticæ ſubſidiis fulciantur, Seminarioque de neceſſariis proventibus congrue proviſum nondum ſit; ne tam ſancti operis, adeo fœlicitèr cœpti, pro-

progreſſum ſiſti aliquando contingat, rogamus omnes perſonas Eccleſiaſticas noſtræ Diœceſis, quibus vel in primis congruit de ſuperfluis ſuis eleemoſynas largiri, ut Seminarii ante omnia in piis largitionibus meminiſſe velint, præſertim in confectione teſtamentorum ſuorum, & una cum conſanguineis, aliisve hæredibus Chriſtum cohæredem in membris ſuis Seminarii alumnis ſcribant.

CAPUT III.

Tametſi autem hactenus media a Concilio Tridentino in Seminarii ſubſidium præſcripta eo applicare non potuerimus, quod per tumultuum præteritorum tempeſtates, bonorum proſcriptiones, variasque exactiones, ita Beneficiorum reditus fuerint acciſi, ut ipſis Beneficiatis alendis vix ſuffecerint, rebus nunc pacatioribus æquitas certe poſtulat, ut pro facultatum ſuarum ratione, & præſenti rerum ſtatu, unusquisque onus ab eadem Sancta Synodo impoſitum, per Nos, & ad hoc deputatos determinandum, ſuſcipiat alacriter ac ferat.

CAPUT IV.

Cum ob horum temporum malitiam, Templorum, pagorumque vaſtationem, non dubium ſit plures fructus bonorum Eccleſiaſticorum receptos eſſe, ad quorum proportionem nullum officium fuerit factum, aut ab iis, quibus non debebantur; hortamur eosdem in Domino, & alios, qui quacumque ex cauſa ad reſtitutionem ſimilium tenentur, ut ea Seminario applicent, quando expeditior reſtituendi via non occurrit.

TITULUS XXI.

De conſervatione, recuperatione, & recta adminiſtratione bonorum Eccleſiaſticorum.

CAPUT I.

CUm per bellicos tot annorum tumultus, ædium ſacrarum incendia, oppidorum direptiones, locorumque omnium devaſtationes, plurima paſſim Eccleſiarum, fundationumque ſacrarum munimenta, regiſtra, computus, ſimiliaque documenta deperdita ſint, aut uſpiam ſuppreſſa; ad eorum recuperationem omnes, ad quos ea ſolicitudo quoquomodo ſpectat, omnes nervos intendant: in quam rem vias ac modos, qui Nobis occurrerunt, hoc loco ſuggerendos eſſe putamus.

CAPUT II.

Paſtores in concionibus ſuis efficaciter oſtendant populo gravitatem ſacrilegii, quod illi committunt, qui aliqua bona Eccleſiaſtica detinent, reditus, quos ipſi debent, eos obſcurandi cauſa non ſolvunt, munimentaque, per quæ Eccleſiæ ad recuperationem bonorum ſuorum poſſent pervenire, non reſtituunt; in eumque finem pro ſuggeſtu promulgent Decretum Concilii Tridentini, inſertum ultimo Concilio Provinciali Mechlinienſi ſub hoc Titulo & Cap. 12. cum edicto Sereniſſimorum Principum Art. 21. & 22. Declarabuntque non eos tantum peccare, qui detinent, ſed & eos, qui cum ſcient; non tamen indicant detentores.

CAPUT III.

Ut & Magiſtratus civilis, quod ſui muneris eſt, ad recuperandas pias fundationes, faciat; expediet eum publico edicto ſuis ſubditis mandare, ut qui ſciunt bona ad pias fundationes ſpectantia, uſpiam per quemcumque ſuppreſſa ſeu detenta, ante trimeſtre proximum manifeſtent.

CAPUT IV.

Paſtores, Ædituі, aliique bonorum Eccleſiaſticorum Adminiſtri, requirant, ut & Nos requirimus, hortamurque in Domino omnes receptores antiquorum cenſuum & jurium Dominicalium, ut quando in ſuis regiſtris inveniunt aliqua hypothecata ſuper fundis piarum fundationum, hujusmodi fundos denuntient: ſimiliter agant cum Secretariis, Graphiariis, & Notariis, ut cum in inſtrumentis, quæ conficiunt, præſertim in inveſtitionibus, inhæredationibus, inventariis bonorum, munimentorumque in domibus mortuariis repertorum, hæreditatum, familiarumque diviſionibus, mentio erit aliqua reditus alicujus loco alicui pio debiti, eos, ad quos ea res ſpectat, reddant certiores, ſuaque regiſtra inſpicienda exhibeant. Et ſi ipſi ea percurrentes,

rentes, aut alias aliquos hujusmodi reditus deprehenderit, obſcuratosque indicaverint, digno aliquo honorario compenſentur.

CAPUT V.

Adminiſtratores Capitulorum, Monaſteriorum, aliorumque piorum locorum, exhibeant Nobis tam pro ſe, quam Beneficiatis ſibi ſubditis, ſtatum omnium bonorum a quadraginta annis alienatorum, & redituum redemptorum: & ſi cum debitis ſolemnitatibus alienationes non proceſſerint, neceſſitasque aut utilitas ita poſtulet, ut approbentur, adhibeantur; ſi adhibitæ fuerint, videatur, an conditiones in alienationibus præſcriptæ ſint adimpletæ, & an recepti nummi capitales in ſimilium redituum emptiones rite collocati ſint: ſi id minus factum fuerit, ſtatim omnino fiat, & ante trimeſtre proximum de applicatione facta iidem apud Nos doceant.

CAPUT VI.

Pecunia ex redemptione reditnum aut aliunde proveniens, ad pia loca pertinens, quæ quibusdam in locis data eſt communitatibus, aut privatis perſonis ſub interuſurio aut intereſſe, ſtatim ſuper certis fundis ab illis hypothecetur, accepta natura juſti reditus, aut repetatur aliis in reditum danda.

CAPUT VII.

Si quæ bona ſpectantia ad Parochiales Eccleſias aut Beneficia ſimplicia, ob non ſolutos cenſus per Paſtores, aut Beneficiatos, Curatos fabricarum, menſarum Sancti Spiritus, cæterorumque piorum locorum Adminiſtratores, evincantur, ſeu evicta nunc ſint; non ideo eis liberum ſit, pignora ſic evicta ſibi retinere, aut ea transferre in ſuos hæredes, ſed ipſis Eccleſiis, locisque vel officiis piis, quibus cenſus debebantur, reacquiſiti cenſeantur; ita tamen ut ratio habeatur ſumptuum ab ipſis factorum, & Canonum anteceſſorum.

CAPUT VIII.

Rogamus etiam, vehementerque hortamur Dominos temporales, & alios quoscumque, qui ob debita Dominicalia non præſtita cenſus aut reditus per temporum injuriam vel incuriam & negligentiam Rectorum, Poſſeſſorum, vel Adminiſtratorum (quæ cauſis piis damno eſſe non debet) non ſolutos, aut ob pecuniam ad aggeres muniendos aut reparandos non exhibitam, bona aliqua ad pias fundationes relicta evicerunt, ut eadem illis reſtituant, ſalvo dumtaxat ſuo cenſu, ejusque annuo reditu & refuſione eorum, quæ in aggeres ſunt impenſa.

CAPUT IX.

Et ut in poſterum ejusmodi incommoda evitentur, mandamus, ut omnes eo tempore, quo ſpecificationes bonorum ad Beneficia ſua ſpectantium, Archi-Diacono vel Archi-Presbytero tradere debent, ſimul etiam tradant ſpecificationem cenſuum, redituum, & aliorum quorumcumque onerum, quibus illa ſubjecta ſunt; & inſuper illa onera perſoluta eſſe tempore viſitationis, alternis ſaltem annis, per apochas vel alias ſufficienter doceant ſub pœna arbitraria.

CAPUT X.

Ut Decimæ, quæ ſunt Deo debita tributa, integre Eccleſiis & Sacerdotibus perſolvantur, quas ſibi Dominus ad univerſalis Dominii ſignum & agnitionem reſervavit, promulgent Paſtores circa tempus meſſis Decretum Concilii Trident. (*a*) quo ſtatuit non eſſe ferendos, ſed excommunicandos eos, qui variis artibus decimas Eccleſiæ obvenientes ſubtrahere nituntur: ſi autem ſint, quos tantæ æquitatis aut conſcientiæ dictamen non permoveat, eos Edicto Philippi Secundi Regis in calce addito coërceant.

CAPUT XI.

Cenſus & reditus quorumcumque granorum & leguminum, nec non vini, olei, halecum, ceræ, & ſimiles, Collegiis Eccleſiaſticis, Beneficiis, fabricis, menſis Sancti Spiritus, & quibuscumque locis piis debiti, in ſpecie quotannis perſolvantur, aut ſaltem non in certa ſemper & eadem quantitate pecuniæ ſolvi permittantur: niſi ob legitimam præſcriptionem cenſuum, conſtitu-

(*a*) Seſſ. 25. de Reformat. cap. 12.

ſtitutionem ſeu creationem, aliter fieri debeat. Redimi vero atque extingui ſine auctoritatis noſtræ interventu reditus in ſpeciebus iſtiusmodi conſiſtentes, atque originaliter ad uſus pios relicti, numquam permittantur, ſed nec ſi originarie eos pecunia emptos docuerint debitores: (quibus, ſi ſe onere illo exolvere prætendant, id demonſtrare incumbit ex Edicto Regiæ Majeſtatis anno 1571. ſuper reductione & redemptione redituum promulgato; ac ſententia & declaratione facta in Concilio privato, habita aliorum Conciliorum deliberatione inter ſtatus Eccleſiaſticum & ſæcularem Namurcenſem 26. Octobris, 1573.) ſine ſcitu tamen noſtro atque auctoritate, Beneficiati, aut Adminiſtratores, pecunias capitales recipere non poſſint; cum in redemptione ſimilium reddituum, præſertim antiquorum, multa ad emolumentum aut jacturam piæ cauſæ ſpectantia attente & induſtrie perpendi debeant.

CAPUT XII.

Ubi autem neceſſario redemptionem hujusmodi pati oportuerit, ſors pecuniæ capitalis, ſi utiliter & ſecure ſtatim impendi non poſſit, penes ipſum tamen Beneficiatum ne relinquatur, ſed Archi-Diacono noſtro aut Capitulo (ſi ei immediate ſubſit) conſignetur in Archivis ſervanda, donec opportunitas fructuoſe ac tuto eam collocandi obvenerit.

CAPUT XIII.

Officiarios vero locorum, Magiſtratus, & Collectores monemus, ut ſint memores Conſtitutionis BONIFACII VIII. quæ incipit: *Clericis laicos*, quæ habetur ſub Tit. *De Immunitate Eccleſiarum in* 6. ubi conſtituitur, ne indebite Eccleſias, Eccleſiaſticasque perſonas aut bona gravent.

CAPUT XIV.

Non præſumant etiam Patroni, aut alii Superintendentes, piarum fundationum bona ad certa officia, certosve uſus relicta, ad alios etiam pios uſus applicare; ſed ubi hoc legitime rationes fieri exegerint, ordinaria id auctoritate fiat.

CAPUT XV.

Omnes elocationes bonorum ſpectantium ad Beneficia aut Officia Eccleſiaſtica, fiant cum cognitione & approbatione Decani & Capituli, quibus ſubſunt; alibi vero cum Archi-Presbyteri conſenſu, qui in Actis viſitationis ſuæ hujusmodi elocationes annotabit, alioquin Succeſſores non obligent.

CAPUT XVI.

Bona illa, quæ ſpectant ad Beneficia vacantia, nec non quæ ad Beneficia illorum abſentium, qui abſentiæ *Placetum* non habent, elocabit in ſuo diſtrictu Archi-Presbyter ruralis publice plus offerenti.

CAPUT XVII.

Elocationes bonorum cujuscumque Beneficii aut Officii, non fiant anticipatis ſolutionibus, ſub pœna duplum reſtituendi ejus, quod acceptum erit.

CAPUT XVIII.

Rectores bonorum fabricæ, menſarum Sancti Spiritus, Capellarum, Hoſpitalium, aliorumque piorum locorum, ſimiliter elocent bona ad adminiſtrationem ſuam ſpectantia plus offerenti, cum interventu Paſtoris & Officiarii loci; nec elocent domos ſuæ curæ creditas, juxta Templum ſitas, iis, qui aperiunt Scholas tripudiatorias vel tabernas, aut aliquod exercent opificium, cujus exercitio magnus ſtrepitus editur, multo minus hominibus malæ vitæ aut famæ.

CAPUT XIX.

Ut bona hactenus conſervata, aut nunc recuperata, aut recuperanda, in poſterum conſerventur, ſtatuimus, ut omnes literæ & munimenta originalia quorumcumque Beneficiorum Eccleſiaſticorum concordatorum privilegiorum, fundationum Miſſarum, Officiorumque Eccleſiaſticorum, Burſarum, antiqua regiſtra, manualia, teſtamenta Eccleſiaſticorum ſpectantia ad Eccleſiam Cathedralem, aut Collegiatas, eorumve Eccleſias ſubalternas, aut Capellas ipſis ſubditas, deferantur ad Archiva ſuorum Capitulorum; quæ vero ad alias Eccleſias pertinent, ad Archiva Epiſcopatus. Beneficiati vero habeant manualia ſua, munimentorumque transſumpta, ſeu eorum copias authenticas.

Ea

Ea vero, quæ ad fabricas & menſas Sancti Spiritus, aliaque pia loca ſpectant originalia & ptincipalia, ponantur in ciſta in Sacriſtia collocanda, tribus clavibus obſerata; quarum una ſit penes Paſtorem, altera penes ſeniorem Ædituum, & tertia penes ſeniorem Rectorem menſæ Sancti Spiritus. Transſumpta vero authentica mittantur ad Archiva Epiſcopatus, una cum Regiſtro accurate de hujusmodi bonis confecto, etiam duobus videlicet antiquo & novo computibus.

CAPUT XX.

In qualibet Eccleſia fiat Regiſtrum (ſi id a decennio factum non eſt) in quo accurate, diſtincte, ac ſeparatim deſcribantur omnia bona ad Paſtoratum, Beneficia, Officia, fabricam, menſam Sancti Spiritus, Hoſpitalia, aliasque pias fundationes ſpectantia, cum plena ſpecificatione, qua exprimatur quantitas, limites, ac termini ſilvarum, pratorum, & terrarum arabilium, nec non cum expreſſa deſignatione fundorum ipſis bonis ad prædictas perſonas vel cauſas pertinentibus adjacentium, adſcriptis illorum nominibus & cognominibus, qui hujusmodi hypothecas aut fundos limitaneos impræſentiarum poſſident.

CAPUT XXI.

Ut conſervationi munimentorum, Regiſtrorumque ad Beneficia ſpectantium cautius proſpectum ſit, mandamus omnibus Eccleſiaſticis, ut dum teſtantur, ſemper aliquam perſonam Eccleſiaſticam Executorem ſui teſtamenti nominent; aut alioqui per Ordinarium vel Capitulum, cui immediate ſubſunt, Eccleſiaſticus Executor adjungetur, ſub pœna privationis fructuum Beneficii nondum perceptorum, ſi eumdem non admiſerint.

CAPUT XXII.

Literæ quoque originales, Regiſtra, munimenta, quæ vetuſtate conſumuntur, in authenticam formam tranſſumpta renoventur. Fiat inſuper quamprimum exactum omnium ornamentorum, & quorumcumque utenſilium cujusque Eccleſiæ inventarium.

CAPUT XXIII.

In locis, in quibus adminiſtratio bonorum hactenus non bene directa fuit, ac munimenta obſcura ſunt, computusque intricati, & Rectores in hujusmodi parum verſati, omnino expedit, ut conſilio Paſtoris, eorumdemque Rectorum, & notabiliorum (quos dicunt) ipſius loci, aliquis peritus & induſtrius conſtituatur cum moderato ſtipendio, qui bona & regiſtra & computus in ordinem debitum a Decano rurali præſcribendum redigat, quem ordinem ac modum in reddendis rationibus deinceps ſequi oporteat.

CAPUT XXIV.

Dum autem rationes redduntur Eccleſiæ Parochialis, ſimul etiam reddantur ea, quæ ad Capellas ſub illius diſtrictu ſitas pertinent.

CAPUT XXV.

Rectores fabricarum & menſarum Sancti Spiritus nullas lites aſſumant, niſi cauſa prius a Nobis, noſtrove Vicariatu examinata, ne alicui inconſulta temeritate per injuriam moleſti ſint, atque non neceſſariis ſumptibus, ſalariis, vacationibusque fabricas aut menſas pauperum gravent. Quod ſi etiam cauſa gravioris momenti ſit, committetur alicui ex Vicariatu aut Decano Chriſtianitatis, ut antequam lites inſtituantur, cum adverſariis ſeria ratione agant; ut, ſi fieri poſſit, res ſine ſtrepitu judicii terminetur, aſſumptis potius, ſi dubium jus fuerit, utrimque Juriſconſultis, quibus deciſio negotii committatur: ſi quis ſecus fecerit, nullo modo expenſas in fabricæ aut menſæ Sancti Spiritus rationes referat, nec auditores rationum inferri patiantur, in quas forte condemnatus erit, aut quas ab adverſario recuperare nequiverit, ſed eas ipſe in pœnam temeritatis ſuæ luat.

CAPUT XXVI.

Decimæ ad Capitula, Monaſteria, aliaque pia loca, vel Beneficia ſpectantes, ultra triennium non elocentur; prata quoque quando ſeparatim elocabuntur; ut & domus, non ultra ſexennium, terræ vero arabiles non ultra novem annos; nec contractus ejusmodi elocationum renoventur, niſi finito biennio prio-

prioris contractus quoad decimas, quadriennio quoad domos & prata, & ſexennio quoad terras arabiles: nec quis umquam prædictos terminos excedat, niſi obſervatis ſolemnitatibus, quæ ad alienationem rei Eccleſiaſticæ de jure requiruntur, ſub pœna nullitatis ipſorum contractuum, & alias arbitraria.

CAPUT XXVII.

Quod attinet ad auditionem computuum, ea, quæ in Synodo Provinciali, atque Sereniſſimorum Principum edicto deſuper prudentiſſime ordinata ſunt, exactiſſime ſerventur.

TITULUS XXII.

De Templis.

CAPUT I.

TEmpla & Altaria Dei paſſim ab Iconomachis profanata, conculcata, & everſa, omni ſtudio ſtatim inſtauranda ſunt: eaque reparatio, quantum populi neceſſitati ſufficit, tergiverſando, dum alius in alium hoc onus rejicit, diutius nullo modo differatur; ne incurramus indignationem Dei Omnipotentis, ſeveriſſime comminantis per Prophetam Aggæum iis, qui domum Dei negligunt, & ad ſuas reparandas feſtinant: ſed potius communi manu & liberalitate ad locum habitationis ejus condecorandum omnes concurrant, ad imitationem populi Judaici, qui auguſtiſſimum Jeroſolymitanum a Nabuchodonoſor ſpoliatum atque everſum, (*b*) breviſſimo tempore ſplendidiſſime inſtaurarunt: ac liberaliter omnes Levitæ quidem decimam partem decimæ ſuæ, reliqui vero tertiam partem ſicli per annum ad opus domus Dei offerebant.

CAPUT II.

Moneatur autem populus, qui aut ipſe furore hæretico concitatus Templa ſua devaſtavit, aut Eccleſiis ſuis pro fortalitiis, domiciliis, ſtabulis, abuſus eſt, aut militibus neceſſaria denegando, contributiones ſuas non ſolvendo, conflagrationis aut devaſtationis Templorum ſuorum occaſionem efficacem dedit, ut in reſtituendo damno, cui dedit cauſam, ſeſe liberalem præbeat, & qui hactenus ingentem ſummam pecuniæ ſingulis menſibus armorum metu extortam ſolvit, ut nunc pacatiori ſtatu aliquod ſubſidium voluntarium præſtet pro reparatione domus Dei, in qua pabulo verbi Divini ac Sacramentorum Chriſti ſuſceptione ipſorum mentes paſcantur, cum ſummæ remunerationis ſive temporalis, ſive ſpiritualis certiſſima promiſſione.

CAPUT III.

Ne autem ulla prætermittatur occaſio in uſum Templi colligendi eleemoſynas, omnibus diebus Dominicis & Feſtis circumeant Æditui, tam ſub concione, quam Summo Sacro, collecturi eleemoſynas a devotis Chriſti fidelibus offerendas, & oblatorum ſummam ſtatim annotent, de iis ſuo tempore redditui rationem: & in omnibus Eccleſiis ſtatuatur Gazophylacium, ſeu truncus cavatus, qui claudatur duabus clavibus, quarum una ſit penes Paſtorem, altera penes Ædituum ſeniorem.

CAPUT IV.

In omnibus Eccleſiis ad minus ſummum Altare adaptetur, idque ſic, ut lapis unus ſolidus tegat ſuperne totum altare: ubi autem tam amplus haberi commode non poteſt, adaptetur (ut & in aliis altaribus) lapis ut minimum bipedalis in quadro, qui medium altaris, ſuprà eum locum, in quo Reliquiæ Sanctorum reconduntur, tegat; ponaturque ſemper imago Chriſti crucifixi in altaris medio, ſitque ſuper illud tabula aliqua ſacra pie depicta.

CAPUT V.

Non extruantur plura altaria, quam commode adornari poſſint: & durante hac Sacerdotum penuria non plura, quam tria in quolibet Parochiali rurali Templo ſine noſtra auctoritate ædificentur, etiamſi Capellaniæ plures ibi fundatæ exiſtant.

CAPUT VI.

Ubi Templa adhuc integra ſunt, ante menſem ab iis auferatur omnis laica ſupellex, & omnia ſimilia impedimenta, ſub pœna trium florenorum, ſingulis hebdomadis poſt dicti menſis finem ab iis, quorum ſupellex ablata non

(*b*) 2. Eſdr. 10.

Digitized by Google

non fuerit, ad uſum fabricæ ſolvendorum.

CAPUT VII.

Templa, quæ habent adhuc integros ſuos parietes, extructo oſtio concludantur & mundentur.

CAPUT VIII.

In locis Eccleſiarum dirutarum, aut cœmeteriorum in uſus profanos, non ſordidos tamen converſorum, juxta Concilii Tridentini (*c*) Decretum crux erigatur. Et dum hujusmodi loca profanis uſibus applicantur (quod ſine noſtra auctoritate fieri vetamus) Fidelium defunctorum oſſa ad ſacra loca vicina transferantur; ac Beneficia, bonaque ad aliam Eccleſiam noſtra auctoritate (vocatis iis, quorum intereſt) transferenda ſint, donec illa reædificentur; committendaque adminiſtratio bonorum hujusmodi Eccleſiarum ac locorum viris probatis, qui de illa rationem reddent coram Nobis, noſtrisve Deputatis, aliisque, quorum intereſt, ut ad uſus, ad quos relicta ſunt, impendantur.

CAPUT IX.

Nemo etiam in Eccleſiis obambulet, nulla ibi convivia fiant. Sedilia fœminarum, quæ fera claudantur, in Templis fieri non facile permittantur. Clerus profana colloquia, etiam in Sacriſtia, non habeat, ſub pœna ſex ſtuferorum, toties, quoties; multo minus ulla irreverentia a quibuscumque fieri in ſacris locis toleretur.

CAPUT X.

Non parum irreverentiæ ſacris locis ex eo accidere poteſt, quod alicubi per totum diem aperta relinquantur, & hoc pacto non ſolum furum direptionibus, ſed etiam variis profanationum periculis exponantur: quod ne deinceps contingat, Paſtoribus ac Matricularis Eccleſiarum in pagis conſtitutarum præcipimus, ut extra tempus Divini Officii easdem clauſas teneant, ſub pœna unius floreni, toties, quoties a negligentibus exigendi, & fabricæ ipſius Eccleſiæ applicandi.

CAPUT XI.

Cœmeteria omnia, quæ in multis locis aggeribus & foſſis adinſtar fortalitiorum munita ſunt, ſtatim complanentur, & a ruderibus, vepribus, aliisque impedimentis purgentur, ut commode a Nobis, in eorumdem reconciliatione, & in proceſſionibus, & ab his, qui pro defunctis oraturi eo veniunt, circumiri poſſint: ac ſtatim muro, aſſeribus vel ſepe concludantur, ut pecoribus ad ea aditus non pateat: nec in eis fiant ſtrues lignorum, fœni, aut domus, niſi forte pro Schola ædificentur; multoque minus permittantur in iis luſus aut inſolentiæ puerorum, aut aliorum quorumcumque.

CAPUT XII.

Si qua ſacrorum locorum ornamenta, calices, campanæ, materialia ex Templorum ruinis ablata, dignoſcantur alibi extare, ea vendicentur. Quod ſi in uſus ædificiorum profanorum materialia ejusmodi applicata ſint; juſto pretio per Decanum ruralem, Paſtorem, & primarios de pago æſtimata redimantur.

CAPUT XIII.

Ad evitandas multas difficultates, quæ ſæpe contingunt circa immunitatem præſtandam confugientibus ad Eccleſiam, ſervetur Conſtitutio GREGORII XIV. quæ incipit: *Cum alias nonnulli.*

TITULUS XXIII.

De Regularibus.

CAPUT I.

REgulares, ab Ordine abſciſſos, ad Beneficiis aut Officiis Eccleſiaſticis in noſtra Diœceſi deſerviendum admitti plane nolumus; & admiſſos ad Beneficia, ea deſerere ante feſtum D. Joannis proximum jubemus.

CAPUT II.

Meminerint Ordinum Superiores non eſſe ſibi licitum, Monachos quamvis in gravium criminum aut incorrigibilitatis cauſa ab Ordine abſcindere & dimittere, ſed debere fugitivos & ejectos requirere & recipere in Monaſterium; aut ſi id Regularis Ordo non patitur, apud Monaſteria ſua in locis competentibus, ſi absque gravi ſcandalo fieri poſſit, alioquin in aliis religioſis

(*c*) Seſſ. 21. cap. 7.

gioſis domibus ejusdem Ordinis ad agendum ibi pœnitentiam, eisque vitæ neceſſaria miniſtrare, juxta diſpoſitionem C. *Ne Religioſi.* x. *De Regular.* quam Conſtitutionem per literas ad Illuſtriſſimum Archi-Epiſcopum Rhodienſem, Nuntium Apoſtolicum, datas Sua Sanctitas ſervari juſſit.

CAPUT III.

Contingit nonnumquam homines ſæculares, ementito habitu Monachali aut Eremitico, gravem infamiam inferre Ordini, cujus habitum gerunt. Contingit etiam Monachos ſine Superiorum licentia vagantes, eleemoſynas paſſim petendo, aut per plateas diſcurrendo, ſcandalizare totum Ordinem Eccleſiaſticum. Quare mandamus Apparitoribus Curiæ noſtræ, ut iſtiusmodi fictitios vel vagabundos deprehendere ſatagant, & ad Nos, cum modeſtia tamen & ſine ſcandalo, deducant; ut de eorum ſtatu informati, quod rationi congruum erit, ſtatuamus.

CAPUT IV.

Conqueri ſolet populus ſe gravari collectis eleemoſynarum ab aliis Religioſis, qui, vel quæ ex Ordine Mendicantium non ſunt, nec ab antiquo ſimiles eleemoſynas petere ſolebant: proinde omnes, qui Mendicantes non ſunt, ex ſua profeſſione Nobis demonſtrent, quo fundamento, aut a quo tempore ſoleant hujusmodi circuitiones & collectas facere; alioqui eis id ſit in poſterum interdictum.

CAPUT V.

Ut, quod de Confeſſario extraordinario Monialibus dando (*d*) ſancitum eſt, exactius ſervetur, declaramus Nos iſtiusmodi Confeſſarios delegaturos in Adventu, Quadrageſima, & menſe Julio, niſi ratio aliqua ſecus fieri ſuadeat.

CAPUT VI.

Quæ de clauſura Monialium in Concilio Trid. (*e*) & Provinciali Mechlinienſi (*f*) decreta ſunt, ſolicite obſerventur. Quando vero neceſſitas aliqua urgebit, ut aut Confeſſarius moribundarum confeſſiones excipiendi, aut Medicus, aut Chirurgus viſitandi cauſa, aut alius quispiam operarius ingredi clauſuram Monaſterii debet; illos tunc ingredientes, & intra ſepta Monaſterii verſantes, & egredientes, duæ Moniales ex ſenioribus ſemper comitentur.

CAPUT VII.

In Monaſteriis Sororum, quæ in charitatis circa infirmos officiis verſantur, in quibus ratione ſuæ vocationis arcta illa clauſura ſervari non poteſt, volumus ea omnia ſervari, quæ ſine impedimento ſuæ vocationis ſervari poſſunt: ac in ſingulis talibus Monaſteriis, pro loci conſtitutione, ſedulo tollatur omnis occaſio, qua Sorores cum viris familiaritatem aut colloquia non neceſſaria habent: ipſæ Monaſterium ſuum non egrediantur, niſi cum neceſſitas aut officii ſui ratio poſtulat; non ad Dedicationes, convivia, nuptias eant, aut rebus ſæcularibus, & quæ ad vocationem ſuam non pertinent, ſeſe immiſceant; diebus autem, quibus communicant, confabulationes cum externis nullas admittant.

CAPUT VIII.

Quoniam vero tales Sorores profitentur Regulam Sancti Auguſtini, exacte eam obſervent, ac nominatim, ne extra horam refectionis aliquod eſculentum aut poculentum ſumant.

CAPUT IX.

In refectorio ad menſam communem numquam aliquem externum admittant, ne quidem Confeſſarium, aut commenſales; quas volumus a refectorio tempore refectionis, quo pium aliquid legendum eſt, excluſas. Obſerveturque, ut ſemper certa hora omnes ſimul in eodem refectorio comedant, ad dormitorium una omnes ſeſe recipiant, illudque ſera diligenter claudatur, nec alicui egreſſus de nocte ſine Superioris licentia pateat.

TITULUS XXIV.

De Viſitatione.

CAPUT I.

CUm a triginta quinque annis nullus Epiſcopus in pagis noſtræ Diœceſis Eccleſias viſitaverit, quod in eis functiones ſuas libere & perſonaliter exhibere non potuerit, & vix ulla in ea,

(*d*) Conc. Trid. Seſſ. 25. de Regul. c. 10. (*e*) Seſſ. 25. de Reg. c. 5. (*f*) Mechl. hoc tit.

ea, proh dolor! ſint Templa, Altaria, aut cœmeteria, non deſtructa, everſa, aut ſaltem profanata: decrevimus, Deo dante, primo quoquo tempore ſingulas Eccleſias viſitare, eorumque altaria & cœmeteria conſecrare, ſeu reconciliare. Quapropter injungimus Paſtoribus omnibus & Eccleſiaſticis perſonis, ut tempeſtive omnia præparent neceſſaria; & dum Nos adventuros ſciunt, tempore admoneant ſuos Parochianos, ut Rectores fabricæ, menſæ Sancti Spiritus, & Primarii aliquot de Magiſtratu præſentes ſe Nobis in Eccleſia exhibeant, ut de iis, quæ a Nobis interrogabuntur, ſpectantibus ad regimen Eccleſiæ, in ſpiritualibus & temporalibus reſpondeant. Et ſi quæ iis in rebus ac negotiis reformanda exiſtiment, libere Nobis aperiant: computus quoque ſuos fabricæ, & menſæ Sancti Spiritus paratos habeant Nobis oſtendendos; & difficultates circa illos, & alia, ſi quæ ſint, candide ac fideliter indicent, Nobisque ſaltem ſummarium Eccleſiæ & menſæ pauperum ſtatum exponant.

CAPUT II.

Decanus ruralis præmonitus a Nobis, ſuos Paſtores moneat, ut Epiſcopo viſitaturo omnia, quæ ad viſitationem ſpectant, præparent; eisque in eam rem mittat inſtructionem a Nobis præſcriptam. Paſtor, qui in his præparandis negligens fuerit, arbitrio noſtro punietur.

CAPUT III.

Viſitantibus vero Decanis ruralibus, tamquam a Nobis miſſis, omnem debitam reverentiam & aſſiſtentiam ad exequendam commiſſionem a Nobis injunctam exhibeant; & ſi aliqua ad reformationem aut bonum Eccleſiæ facientia ſciant, benevole ſuggerant; communiq; conſilio dies audiendorum computuum quotannis ſtatuatur.

TITULUS XXV.

De Foro & Jurisdictione Eccleſiaſtica.

CAPUT I.

UT Decreta hujus Synodi executioni mandentur, eorumque transgreſſores, aliique criminoſi corrigantur & coërceantur; ſingulis ſeptimanis feria ſexta poſt meridiem in ædibus noſtris, aut Vicarii noſtri Generalis Nobis abſentibus, fiat congregatio Vicariatus, in qua de commodiori ratione executionis Decretorum Concilii Tridentini, Provincialis Mechlinienſis, & hujus Diœceſani, aliisque, quæ ad rectam directionem totius Epiſcopatus ſpectant, tractetur; & exceſſus & difficultates, quæ poſſunt, ſine ſtrepitu judicii puniantur & componantur. Proinde quando Decani in ſuo Diſtrictu, Paſtores in ſua Parochia, norunt aliqua corrigenda, reformanda, aut emendanda, ea Nobis in Vicariatu determinanda ſcripto vel verbo indicent.

CAPUT II.

Officialis, qui hujusmodi Congregationis membrum eſt, habeat penes ſe ſyllabum ſeu catalogum omnium cauſarum criminalium, quæ coram eo vertuntur.

CAPUT III.

Promotores Curiæ noſtræ & Apparitores, durante congregatione hujusmodi, adſint in ædibus noſtris, aut Vicarii Generalis præſentes, ut ſint parati, quando opera eorum requiretur: & antequam cauſam aliquam contra Eccleſiaſticas aut honeſti nominis perſonas in judicio contradictorio tractandam exhibeant, eam prius in Vicariatu denuntient, ut tentetur via aliter eam terminandi.

CAPUT IV.

Quæ via amicabili definiri non poſſunt, & in judicio contradictorio terminanda ſunt, curet Officialis, ut ea quam breviſſime abſolvantur; potiſſimum cauſæ miſerabilium perſonarum, alimentationis, divortii, & incarcerationis, in quibus de triduo in triduum procedatur.

CAPUT V.

Advigilet Officialis, ut Statuta Curiæ noſtræ, & quæ unicuique in ipſius ad officium admiſſione injuncta ſunt, exactiſſime obſerventur.

CAPUT VI.

Immunitate Eccleſiaſtica indignus eſt, quisquis ad eam oppugnandam operam ſuam præſtat.

CAPUT VII.

Fiſcalium cauſarum Curiæ noſtræ Procuratores, aliique Officiarii, caveant, ne

Digitized by Google

ne importune aut indiſcrete ſubditos noſtros exagitent, aut ſcandaloſe exactiones faciant, defectusque propalent; ſed cum omni modeſtia, integritate & humanitate, officium ſuum exerceant. Si quos delinquentes ſciant, cum quibus connivent, & ad Nos non deferunt; tamquam conſentientes, vel ſaltem negligentes, arbitrarie puniantur.

Sequitur Edictum Regium, ut Eccleſiaſtici & ſæculares Judices omni modo adnitantur extirpare ſuperſtitiones & magias, gallice expreſſum. &c.

Excuſa Antverpiæ in 8. *Anno* 1610. *recuſa* 1680. *typis Plantinianis Moreti.*

Reſpirante nonnihil a graviſſimis belli pertinacis & luctuoſi tumultibus Belgio, Epiſcopales ad Infulas evectus eſt anno 1610. JOANNES MIRÆUS, (*le Mire*) digniſſimus Guilielmi de Berges, Antverpienſi e Sede Cameracum evocati Succeſſor.

Antiqua erat Cameracenſes inter cives familia, unde ortum Bruxellis habuit anno 1560. VIII. Idus Januarii. Grandior jam atque ætate paulo adultior, Philoſophicas Stagiritæ diſciplinas Lovanii primum Caſtrenſi in Gymnaſio coluit. Verum, turbatis ibidem aſſiduo bellorum ſtrepitu Muſis ac pene inter arma ſilentibus, Duacum recepit ſeſe, cœptaque Lovanii ſtudia in palæſtra Regia tanto confecit ardore & fructu, ut, cum ſacras modo ſcientias hauſiſſet, dignus, qui docendi tum græcas literas, tum Rhetoricam ea in urbe anno 1587. præficeretur muneri, Sacræque Theologiæ laurea anno poſt IV. Non. Auguſti inſigniretur, habitus fuerit.

Honores fugitabat, ſplendidaque officia: nam Decanatum Rothnacenſem, a Joanne Hauchino, Mechlinienſium Antiſtite ſibi oblatum recuſavit, ac Namurcenſem Canonicatum ſponte alteri ceſſit. Impedire tamen haud potuit, quin ipſis quaſi medius in laboribus, curisque ſacris, in quas pro oviculis Paſtori ſibi Bruxellæ ad D. Jacobi in Monte frigido, commiſſis toto ſemper pectore incumbebat, Canonicorum S. Gudulæ Collegio adjungeretur, diplomate anno 1592. V. Cal. Septembris dato, ac tandem, opitulante fama virtutum, & Matthiæ Hovii, Mechlin. Archi-Epiſcopi commendatione, quartus Eccleſiæ Antverpienſis Præſul anno 1604. III. Cal. Junii inauguraretur.

Hac dignitate, qua carere maluiſſet, ornatus, novo Patrum, S. Auguſtini Regulam profitentium Cœnobio ac Lycæo, novoque cognominatarum ab Annunciatione B. M. Virginum Monaſterio Antverpiam auxit. Adivit Prædeceſſorum ſuorum ipſe primus, dum per inducias inter Sereniſſ. Archi-Duces, & Batavorum Ordines pactas licebat, maximam Diœceſis ſuæ partem, Bredam verſus ac Bergizomium, plura capitum millia Chriſmatis Sacramento roboravit, Hoogſtratanam luſtravit expiavitque Eccleſiam; Catholicos a variis, iisque peracerbis heterodoxorum injuriis ac moleſtiis, ſingulari, quo apud Principes pollebat, favore nixus liberavit. Fundationem ſex Burſarum, ut vocant, ſat amplam Duaci reliquit, alia & Antverpiæ relicturus pietatis ac liberalitatis monumenta, ſi longior illi vita fuiſſet; quam poſuit pridie Id. Januarii anno 1611., intercluſo per catarrhum ſpiritu extinctus. Quæ edidit, præter Statuta hæc Synodalia & Orationem elegantiſſimam iis præmiſſam, fuere *beneficia ac miracula B. M. Virginis in Aſpricolle*, a ſe accurate cognita, diligenterque explorata: unde ſua poſtmodum & *Lipſius* & *Philippus Numannus* deprompſerunt.

Duplicem Antverpiæ videre licet inſcriptionem, Miræi Præſulis optimi laudes breviter complectentem: Alteram in tumba marmorea; in Seminario ſub ejus effigie alteram.

Vid. Hiſtor. Epiſcopat. Antverpienſ. editam Bruxell. apud Franc. Foppens 1717. *Biblioth. Belgic. Tom. II. & Sacr. Belg. Chronol. Part. II. Joan. Bapt. de Caſtillion.*

* * *

Ad Chartam Chorographicam modernæ Germanicarum Eccleſiarum Hierarchiæ explanatio Hiſtorica de Epiſcopatibus in Germania a Sæculo XVI. ſuppreſſis, novisque dein erectis dabitur, auſpice Deo, alias.

FINIS TOMI VIII. CONCIL. GERMAN.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google